

ORIENS CHRISTIANUS,

IN QUATUOR PATRIARCHATUS DIGESTUS;

QUO EXHIBENTUR

ECCLESIÆ, PATRIARCHÆ,

CÆTERIQUE PRÆSULES TOTIUS ORIENTIS.

Studio & opera R. P. F. MICHAELIS LE QUIEN, Morino-Boloniensis, Ordinis Fratrum Prædicatorum.

OPUS POSTHUMUM.

TOMUS PRIMUS,

Tres magnas complectens Diœceses PONTI, ASIÆ, & THRACIÆ, Patriarchatui Constantinopolitano subjectas.





PARISIIS,
EX TYPOGRAPHIA REGIA.

M. DCCXL.

PRÆFATIO.

PRODIT tandem in publicum *Historiæ Byzantinæ* veluti appendix quædam sive complementum ORIENS CHRISTIANUS, opus antè hos decem & octo annos ab auctore suo R. P. MICHAELE LE QUIEN prænuntiatum; non festina manu, sed ea qua potuimus elaboratum diligentia: atque utinam illud ipse ad umbilicum perduxisset! Sed, dum his, quæ prælo regio edebantur, corrigendis invigilaret, aliaque in hanc rem emendatiora moliretur, ereptus est invida morte immaturiùs, & nobis quorum decus fuit, & universæ Litteratorum reipublicæ, de qua non uno tantùm nomine tam bene meritus est. Tædeat-ne doctos ac *religiosos* viros, viri non religiosi minus quàm docti, in fronte hujusce operis effigiem adumbrari?

Boloniæ natus in litore maris Britannici VIII. idus Octobris anno 1661. post emensum Lutetiæ Parisiorum summa cum laude philosophiæ stadium, militiæ S. Dominici nomen dedit, cui votis solennibus obligavit sese anno 1682. delibatis nondum aut spretis mundi hujus perituri illecebris. Mox tyrocinia quæque Ordinis sui supergressus, ad id quod perfectum est naviter contendit, pertigitque feliciter. Avidus paupertatis, orationis studiosus, observans silentii, disciplinæ strictioris, paternarumque traditionum æmulator & vindex; virtutem tamen sic colebat, ut fugeret multorum, qui eam amplexantur, asperitates, morosas-ve in fratres querelas, aut importuna hortamenta. Quid plura? quo cœperat fortis athleta pede, eodem usque ad vitæ metas cucurrit indefessus, tulitque palmam, plaudentibus hominibus, Deo remunerante, IV. idus Martii anno 1733. Parisiis, in suo conventu ad viam S. Honorati, ubi & sepultus est. En tibi, Lector benevole, hominem religiosum: de Litterato paucis accipe.

Sunt quibus arte in una versari satis est, pluribus doctrinis impares; & ii tamen scientiæ laudem meritò assequuti. Multa ille ac varia eruditione subactus, in quocumque se genere disciplinæ exercuit, excelluit. Litteras humaniores, Philosophiam, Theologiam, Criticen, artem diplomaticam, impervias penè Græcorum, Hebræorum, aliorumque remotioris ætatis populorum linguas, patrii tamen ipse sermonis (quid enim dissimulemus?) plus æquo indiligens, non delibavit cursim quasi gustando, sed hausit absorbuitque, litteraturæ tantùm non universæ inexplebilis. Qui hujuscemodi homine utuntur familiariter, iis datum est solis & perspicere & admirari posse, quàm multarum sit ille rerum cognitione præditus: dum cæteri homines, si quæ forte sparserit in vulgus doctrinæ suæ specimina, ex his duntaxat, non ex usu, aut quotidiana consuetudine quæ thesauros plerumque retegit longè locupletiores, dijudicare valent quantum aut quàm bene sciat.

At ingentem tamen, nec sanè indebitam, QUIENO nostro specimina illa gloriam peperere. Trigesimum ætatis annum nondum attigerat, quùm scripsit de *Antiquitate Temporum*, in vindictam sacrorum Codicum Hebraïcè scriptorum,

Accessit deinde editio nova operum sancti Joannis Damasceni, exquisitis aucta Dissertationibus: tum *Panoplia,* quæ est disputatio contra Græcos schismaticos, sub nomine commentitio *Stephani de Altimura:* posteà Tractatus aliquot adversùs Petrum Corraïerum, *de irrito Anglorum Sacerdotio:* denique opera duo, quibus dolemus, dolebit & litteratus orbis, manum extremam illum non posuisse; *Historia Civitatis Boloniensis,* charissimæ patriæ, quam, ubi nos comperimus clarissimum virum D. Luto eidem historiæ illustrandæ incumbere, perlibenter cum eo communicavimus; & *Oriens Christianus,* cujus ipse anno 1722. sequentem scenographiam publicaverat, penè deperditam, nisi eam nobis è scriniis suis exhibuisset D. de Foncemagne, utrique Academiæ, *Humaniorum* scilicet *Litterarum* & *Francicæ* adscriptus; ex iis unus quos Auctor plurimos habuit, in ordine Litteratorum, amicos.

ORIENS CHRISTIANUS ET AFRICA.

Studio & opera R. P. F. Michaëlis LE QUIEN, *Morino-Boloniensis, Ordinis FF. Prædicatorum.*

Tertius jam annus vertitur ex quo litterato orbi nuncupavi susceptum à me & ad editionem paratum id genus operis, cui titulus foret Oriens Christianus & Africa. *Quam molem, immensam prorsùs, ut meliùs, immò audaciùs, tollerem ac sustinerem, Eruditorum undequaque documenta, aliaque subsidia flagitabam.*

Eo siquidem in opere, quotquot hinc inde in libris sive editis, sive ineditis, alio-ve quovis modo reperire esset Orientalis Ecclesiæ Antistites, colligere aggressus sum, singulosque in diœceses, provincias, sedesque suas distribuere, ipso prorsùs ordine, quo viri nostrarum regionum adprimè docti Ecclesiarum Europæ origines, & Episcoporum successiones, descripserunt.

Meæ hujus collectionis, quæ quatuor Orientis Patriarchatus, eorumque appendices complectitur, prima partitio est in septem majores Diœceses, quarum quatuor, Pontica, Asiana, Thracica, & Illyriciana, Constantinopolitanæ sedi jam olim contributæ fuerunt; reliquis verò tribus tres alii Patriarchatus singuli constant, Alexandrinus scilicet Ægyptiacâ, Antiochenus Orientali, & Hierosolymitanus Palæstinâ integrâ.

Unicuique diœcesi sua ipsius descriptio præit, quoad fieri licuit, accuratissima, quâ primordia illius, accessiones, appendices, status, primariæ sedis dignitas, potestas, jurisdictionis ratio, usus, consuetudines-ve enarrantur. Suus seorsim sermo est de singulis provinciis, de earum videlicet, necnon metropoleωn, institutione. Uniuscujusque demùm civitatis episcopalis indicatur situs, variaque illarum conditio, quantùm ex probatis Scriptoribus adsequi potui: præsertim verò aperire satagam quæ apud eas fuerint Christianæ legis ac fidei primordia.

Cæterùm, priscam teneo Provinciarum dispositionem, quæ à quarto saltem sæculo ad octavum usque perseveravit. Posteriores Provinciarum divisiones aliæ, episcopaliumque sedium institutiones, ex recentioribus Notitiis *seu Græcis seu Latinis compertæ erunt, quas toti operi præmittendas curabo, longè, quàm hactenùs evulgatæ sunt, emendatiores. Septem insuper illas, quas dixi, Diœceses tabulæ totidem geographicæ repræsentabunt, quas generalis octava exprimet.*

Ipso primi voluminis initio de Constantinopolitano Patriarchatu fusissimè disputatur, quando reliquis demùm anteponi obtinuit, moxque Byzantinorum Præsulum, Patriarcharum-ve continua series sequitur. Succedunt proinde Diœceses quatuor, Pontica, Asiana, Thracica, & Illyricum Orientale; tùm deinceps Alexandrina, Antiochena, & Hierosolymitana.

Alexandrinos, Antiochenosque Patriarchas, tùm Melchitas sive Græcos, tùm Jacobitas recenseo, necnon Maronitas de Monte Libano.

Antiochenæ Diœcesi, Persidis seu Seleuciæ magnæ ad Tigrim Archiepiscopos subjungo, cum subjectarum illis provinciarum & ecclesiarum Episcopis, ad Sinas usque & remotiores Indos: quam quidem Orientalis Diœcesis velut appendicem tabulâ quoque suâ geographicâ delineare opus erit.

Majoris Armeniæ Catholicos, *ut vocant, Ponticæ* (Thracicæ) *Diœcesi subnecto, Iberiæ quoque similes Antistites, etsi regio hæc à quibusdam Antiochenæ adtribuitur. Nec Bulgariæ Primates* αὐτοκεφάλους *omitto, sed neque Russiæ majoris Patriarchas; obnoxiosque illis Metropolitas & Episcopos, in quos, Deo duce, incidero.*

Antiochenos, Hierosolymitanos, Constantinopolitanosque Latini ritus Patriarchas, qui sedes illas eâ tempestate tenuerunt, quâ Syriam, Palæstinamque, & magnam Græciæ partem nostrates Franci occupabant, seorsim à Græcis recito: quin & ejusmodi generis inferiores Episcopos, qui regionum illarum ecclesiis duodecimo & decimotertio sæculis præfuerunt.

Alexandrinorum de Latina gente Patriarcharum institutionem primam mihi minimè hactenùs perspectam fuisse fateor; quando nempè, præter Damiatam, Ægypti civitatem ullam vix Cruce-signati nostri subjugaverunt, at non certè Alexandriam.

[Hanc quidem cepêre, 1.° Amalricus III. Rex Hierosolymorum, anno 1167. in gratiam Amiralii Babyloniæ, cui eam statim tradidit; 2.° Petrus Rex Cypri, anno 1365. eamque direptam post aliquot dies deseruit: verùm nullibi legitur huic datum esse illis in occasionibus Latini ritûs Præsulem.]

Integram do Constantinopolitanorum Episcoporum Patriarcharum-ve seriem, integram quoque Hierosolymitanorum, quin & Alexandrinorum, sed Coptitarum seu Jacobitarum duntaxat, Melchitarum verò tùm Alexandrinorum, tùm Antiochenorum successiones non sic continuas habeo; quarum tamen hiatus aliquot virorum quorumdam eruditorum opera brevì sarcitum iri spero, ut integræ quoque prodeant.

Primariarum uniuscujusque provinciæ, Constantinopolitani præsertim Patriarchatus, civitatum quas Metropoles appellant Antistitum numerus mihi vulgò auctior est quàm inferiorum; quando nimirùm illi in Ecclesiæ negotiis tractandis potiores semper partes habuerunt. Rariores itaque vulgò apparent minorum sedium Episcopi, ac vix aliquando quidquam aliud præter nuda ipsorum nomina.

Postquam immensum penè laborem desudavi in sexcentarum Orientis Ecclesiarum, quæ Barbarorum infestis inundationibus extinctæ sunt, ruderibus versandis atque scrutandis, amicorum consiliis morem gerens, similem in Ecclesia Africana, quæ maximo nostro dolore jam pridem perinde interiit, operam insumpsi, recensitis & ordinatis, pro singulis suis provinciis & sedibus, quotquot in Veterum libris monumentisque occurrunt, ejusdem regionis Episcopis.

Demùm, ut utriusque Ecclesiæ cùm Orientalis, tùm Africanæ status omnis magis

compertus fiat, amplum Monasteriorum quæ in utroque tractu passim exstiterunt, vel hodie exstant, Indicem condere proposui, toti collectioni coronidis instar adjiciendum.

Hæc prolixi operis tota ratio est, quod licet ad umbilicum usque penè deduxerim, Litteratos nihilominùs quosque iterùm compellare pergo, uti cœptis benignè faveant, consiliis suis mihi adjumento sint, suas ipsi symbolas conferant, quo tot series Episcoporum completiores & accuratiores prodeant. Meum erit suas unicuique partes reddere, & reliqua grati animi officia redhibere. Quod me ultrò præstiturum spondeo. Hucusque *Prospectus*, ut appellant, R. P. LE QUIEN.

Ea igitur fuit cogitati; hæc est demùm absoluti operis institutio, cujus dimidiam nondum partem prælo subjecerat QUIENUS, quando rebus humanis exemptus est. Nobis verò in ejus vicem ad incœpta persequenda succedentibus, ubi & scriptionis ejus universæ, & adversariorum collectionum-ve facta est copia, in promptu fuit intelligere simul ac demirari quot & quanta superessent perficienda, sive in recognoscendis Auctoribus laudatis, & in ipso rerum contextu retractando, sive in lacunis explendis, quæ non paucæ occurrebant. Quod nullo ferè negotio exsequutus fuisset ille, id nostras statim vires longè superare nobis visum est. At erecti in spem publicæ utilitatis, quam defraudari noluimus; accensi præterea, cùm ea qua fratris vel demortui cineres prosequimur observantia, tùm maximè Regi Christianissimo, qui *Orientem Christianum* typis Regiis cudi concesserat, obsequendi desiderio; quod prima fronte, utpote gravius humerisque nostris minimè ferendum onus, deprecari penè statueramus, illud tamen alacri suscepimus animo. Ea scilicet omnia tentavimus implere, quæ feliciori successu præstitisset QUIENUS noster.

Quod sicubi alienæ operæ nonnihil de nostro ausi sumus addere perfectiori veritatis assequutioni studentes, illud Lectoribus non ingratum fore speramus. Occurrunt itaque inter ista additamenta Dissertationes aliquot: quæ, præter unam *de Papissa Johanna*, fortè prolixiorem, rebus explicandis visæ sunt admodùm necessariæ. Quin & hanc ipsam qui scripsit Dominicanæ familiæ alumnus, veniam meretur; quippè qui & proprios lares expurgare in vindicando Martino Polono, & inustam Romanæ Cathedræ labem sic abstergere sategit, ut quem fortasse scrupulum reliquerant cæteri in plurimis hinc indè sparsis disputationibus, ille omnem in uno tractatu abstulisse videatur.

Tom. 3. col. 393. D. & seqq. Item coll. 779. 780. & seqq. in Append.

Ibidem, col. 380. E. & seqq. Item coll. 777. 778. in Append.

Quamvis autem *Orientis Christiani Prospectus* ab ipso QUIENO datus, totam ipsius operis œconomiam accuratissimè explanet; liceat tamen observare pauca de ordine quo Patriarchatus quatuor in historia illa chronologica sunt recensiti. Exorditur siquidem à Patriarchatu Constantinopolitano; non quòd, ut ipsemet præmonuit, *Constantinopolis* fuerit ab initio æræ Christianæ sedes totius Orientis primaria: quùm ne sub nomine quidem *Byzantii* episcopum habuerit, nisi adulto jam ferè sæculo III. sed quòd sæculo sequenti, quùm Regiæ urbis privilegio gaudere cœpisset favore Constantini Magni, novaque Roma audiret, veteris Romæ affectatis juribus, illum penè regalem in omnes Orientis Episcopos, Imperatoris præsidio, usurpaverit dominatum Ecclesia Constantinopolitana, quem ecclesiastica tandem auctoritate sibi concedi pervicit minùs quàm extorsit, in synodo Chalcedonensi.

Qua in re illud animadvertere par est; qualiumcumque Præsules sedium essent, eos omnes ex æquo antiquitùs simplici nomine *Episcopos* appellari solitos:

primumque omnium, circa Nicœnæ ſynodi tempora, ſæculo IV. Alexandrinum Antiſtitem *Archiepiſcopi* titulo donatum à ſuis Ægyptiis fuiſſe. At enim *Summum Pontificem* nuncupari quempiam non probabat Tertullianus, ut nec *Epiſcopum Epiſcoporum* Cyprianus, nec *Œcumenicum* Gregorius Magnus. Nullius autem Epiſcopi propria erat ac perpetua *Patriarchalis* dignitas: quandoquidem illi ſoli dicebantur *Patriarchæ*, qui multarum ſedium, ex commiſſa ſibi ſpecialiter à ſynodo procuratione, præfecturam gererent; mox ad communem *Epiſcopi* titulum redigendi, poſt exactum procurationis tempus. Hinc prærogativam illam non legimus Patriarchæ Antiocheno in ævum attributam, donec ipſe perſeveranter pluribus præeſſet metropolitis. Eam porrò ſibi vindicabat Præſul Epheſinus, ante Chalcedonenſe Concilium: ſed & quilibet Occidentis metropolitæ dicti ſunt aliquando *Patriarchæ*, quin etiam & *Papæ* appellati. Quemadmodum verò nomen *Papæ* ſoli Romano Pontifici jam dudùm adhæſit, nulli alteri communicatum in Occidente; ita in Oriente ſoli magnarum ſedium Epiſcopi, quibus metropoles plurimæ ſubſunt, *Patriarchæ* nomen ſibi retinuêre, ſervato tamen hoc ordine; ut primum dignitatis locum obtineat Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſecundum Alexandrinus, tertium Antiochenus, quartum Hieroſolymitanus.

Quid autem cauſæ fuit cur Antiochena Eccleſia, ab Apoſtolis fundata, ab ipſo Principe Apoſtolorum diù gubernata, non præïerit Alexandrinæ? nodum ſatis implicatum ſenſit Gregorius Magnus, & ſolvere aggreſſus eſt. Sic ille *epiſt. 40. lib. VII.* ad Eulogium Alexandrinum: *Quùm multi ſint Apoſtoli*, inquit, *pro ipſo tamen principatu ſola Principis Apoſtolorum ſedes in auctoritate convaluit, quæ in tribus locis unius eſt: ipſe enim ſublimavit ſedem* (Romanam,) *in qua etiam quieſcere, & præſentem vitam finire dignatus eſt. Ipſe decoravit ſedem* (Alexandrinam,) *in qua Evangeliſtam diſcipulum miſit. Ipſe firmavit ſedem* (Antiochenam,) *in qua ſeptem annis, quamvis diſceſſurus, ſedit.* Innuere videtur Gregorius priùs à Sancto Petro miſſum Alexandriam S. Marcum, quàm ipſe Antiochiam properaret: ac ſic Alexandriam factam Sancti Petri, per diſcipulum ſuum, ſecundam ſedem, quæ ideo præcedere Antiochiam debeat. Utut ſit,

Monendum putamus tres Tomos hujus operis ita eſſe diſtributos, ut, quia primus totum non potuerit continere Patriarchatum Conſtantinopolitanum, qui quatuor magnis Diœceſibus conſtat, *Pontica* nimirum, *Aſiana, Thracica,* & *Illyriciana,* tres duntaxat priores complectatur.

In ſecundo ſubinde exponitur *Illyricum,* cum Patriarchatibus *Alexandrino* & *Antiocheno,* quibus ſubjunguntur Eccleſiæ *Chaldæorum* & *Jacobitarum.*

In tertio demùm exſtant, Eccleſia *Maronitarum,* Patriarchatus *Hieroſolymitanus,* & quotquot fuerunt ritûs Latini, tàm Patriarchæ, quàm inferiores Præſules, in quatuor Patriarchatibus, & in Oriente univerſo.

Atque hæc de *ORIENTE CHRISTIANO,* quo quidem in illuſtrando noſtra omnis hæc verſatur opera. *Africam* enim, quam unà cum *Oriente* edere ſpoponderat Auctor indefeſſus, nondùm ſatis elaboratam, in aliud tempus publicandam reſervamus. Ob eandem quoque rationem, nec *Notitias* ſive Græcas ſive Latinas, nec Indicem *Monaſteriorum Orientis,* de quibus fit mentio in ſupra relato iſtius operis *Proſpectu*, edere nobis licuit.

Ut autem Lectori, quidquid de *Oriente* in hiſce tribus Voluminibus traditur,

facilius pateat, quadruplicem unicuique Indicem ſubjunximus. Primus compendioſam exhibet Patriarcharum Orientis hiſtoriam, eodem quo illi ſederunt ordine. Sequentes duo ſerie alphabetica procedunt. Iſtorum autem prior loca complectitur omnia, de quibus in operis contextu aliqua ſit mentio, & hunc *Hierarchicum* rectè dixerimus; utpote qui oſtendit paucis, quo ſingulæ urbes gradu dignitatis, habita Hierarchiæ ratione, conſtitutæ fuerint, quas poſtea ſubierint mutationes: videlicet, ſi urbs epiſcopalis, cujus illa exſtiterit provinciæ eccleſiaſticæ, cujus metropoleωs, cujus diœceſeωs, in quolibet patriarchatu; num ex una metropoli in aliam tranſierit; num ipſa aliquando in metropolim aut archiepiſcopatum erecta ſit; num denique alio quolibet modo ſive aucta fuerit, ſive diminuta: Poſterior verò, cum præfatis Patriarchis, cæteros Archipræſules & Epiſcopos comprehendit, adjecta ſedis quam occupaverunt appellatione. At quia plurium ex illis Antiſtitibus nomina latent, ideoque ſimplici aſteriſco *** in titulis deſignantur, quartum addimus Indicem, ordine quoque alphabetico, nempe oppidorum, quibus illi præfuerunt. Nec immeritò aſſeveremus, in hiſce quatuor Indicibus præcipuam ſtare totius operis utilitatem; quippè qui collecta ſimul & quaſi in unum redacta ſubjiciunt oculis, quæ disjuncta vagantur in variis libri paginis. Quin etiam non pauca iis inſeruimus, quæ Auctorem immaturiùs defunctum fugerant; nonnulla quoque emendavimus, quæ ipſi fas non fuit ad trutinam revocare.



ANALYSIS TOMI PRIMI.



PATRIARCHATUS



ECCLESIA ORIENTALIS.

PATRIARCHATUS CONSTANTINOPOLITANUS, IN DIŒCESES ET PROVINCIAS ATQUE EPISCOPATUS DISTRIBUTUS.

Ejus primordia, institutio, accretiones, administrationis genus, decrescentia.

CAPUT PRIMUM.

De Patriarchæ nomine, & aliis, quibus potiorum Ecclesiæ sedium Præsules insigniti sunt.

I. E Orientis totius, quàm latè patet, Ecclesiis, earumque singulis, cujuscumque generis sint; Præsulibus tractaturus, à Constantinopolitano Patriarchatu scribendi initium facio: quippe qui pro Regiæ illius Urbis quæ *nova Roma* appellata est, dignitate, repetitis, amplissimisque accretionibus A auctus, primum ac præcipuum inter reliquos locum sibi vindicavit & obtinuit. Priùs verò quàm de illius primordiis & institutione dicam, nonnulla de variis Constantinopolitani præsulis appellationibus, inprimisque de *Patriarchæ* vocabulo, variaque identidem ejus apud alios atque alios significantia obiter hîc præmittere interest.

II. Patriarchæ nomen ex Judæis, quos *Hellenistas* dicunt, à nostris transumtum est; quum in Græcâ, quam illi legebant, Patriarchæ nomen à Judæis Hellenistis acceptum.

Scripturarum divinarum translatione adhibitum esset ad significandum familiæ cujusvis, vel tribus Israëliticæ gentis caput & principem. Nimirum 1. Paralip. 9. v. 9. necnon 24. v. 31. libro quoque 2. c. 15. v. 8. qui in Hebræo textu ראשי האבות, *capita Patrum* dicuntur, in illa versione Græca πατριάρχαι, *Patriarchæ* scribuntur. Act. 7. v. 8. & 9. duodecim filii Jacob perinde *Patriarchæ* audiunt. Quinimo in prisca illa Veteris instrumenti translatione Græca 1. Paral. c. 27. v. 22. & 2. Paral. 23. v. 20. qui in Hebræo שרי המאות, *centuriones* dicuntur, *Patriarcharum* quoque vocabulo significantur πατριάρχαι. S. Lucas Act. 2. v. 29. Davidem Regem *Patriarcham* vocat, ut pote regii generis auctorem totiusque gentis principem: Paulus denique Abrahamum, epist. ad Hebr. 7. v. 4.

Judaïcarum Synagogarum Patriarcha.

III. Eodem posthac nomine post Hierosolymorum excidium ad quintum usque à Christo nato sæculum, insignitus fuit summus Synagogarum Judææ Præfectus, quin illarum etiam quæ in Occidentis partibus erant. Hujus Patriarchæ Hadrianus Augustus meminit in epistola ad Servianum Consulem, quam Vopiscus in *Saturnini Tyranni* vita recitat. Utque Epiphanium, Hieronymum & alios intermediæ ætatis taceam, in Codice Theodosiano frequens est illorum Judaïcæ gentis Patriarcharum mentio. Lib. XVI. tit. VIII. ac lege XXIX. nuperrimè exstincti dicuntur. Id quod Theodoretus illo eodem tempore in Dialogo 1. cum Eranista significat. Hoc item vocabulum à Montanistis pseudo-christianis, potioribus sectæ ipsorum ministris est adtributum, Hieronymo epist. 54. ad Marcellum teste; *Apostolorum locum Episcopi tenent,* inquit, *apud eos tertius est Episcopus. Habent enim primos de Pepuza Phrygiæ Patriarchas; secundos quos vocant Cenones, atque ita in tertium & penè ultimum locum Episcopi devolvuntur.* Nondum enimverò, Hieronymo in vivis agente, præcipuarum Catholicæ Ecclesiæ sedium antistites Patriarcharum appellatione donabantur.

Episcopi per transennam Patriarchæ à quibusdam dicti.

IV. Gregorius quidem uterque, Nazianzenus & Nyssenus, in orationibus quibusdam suis episcopos Patriarchas, sed oratorum more, ac per transennam, per superlationem quamdam, nuncuparunt. Primus quidem Orat. 32. quam in Urbe regia habuit coram centum & quinquaginta Patrum concilio, quos, calamitates percensens, quibus Ecclesiæ Dei ab Arianis vexatæ fuerant, hunc in modum adloquebatur: *Quid non ærumnarum passi sumus! Annon contumelias, &c. Numquid non presbyterorum & episcoporum, consonantiùs dixero Patriarcharum,* οἰκειότερον δὴ πατριαρχῶν, *publicas neces.* Alter coram eadem ipsa Synodo in funebri sermone in Meletium Antiochenum verba faciens; Ὁρᾶτε, inquiebat, τοὺς πατριάρχας! *Patriarchas istos cernite. Hi omnes nostri Jacob* (Meletii) *filii sunt.* Episcopos utique innuens, quotquot aderant.

Patriarchæ appellatio quinto sæculo.

V. Sæculo quinto currente dici *Patriarchæ* cœperunt, qui multarum sedium sollicitudinem gerebant; alter verò Socrate historiæ Ecclesiasticæ scriptore anterior non occurrit, qui vocem illam isto sensu usurpaverit, Socrates porrò narrat Episcopos, qui ad secundam synodum Constantinopolim denuò convenerant, consecrato primùm in Byzantinum præsulem Nectario, Theodosii nutu *Patriarchas* constituisse, πατριάρχας κατέστησαν, qui Ecclesias Orientis, Asiæ & Thraciæ lustrarent & instaurarent, sarcitis damnis quæ sub Imperatoribus Arianicæ sectæ patronis passæ sunt. Quocircà, Nectario cum regia Urbe Constantinopolitana Thraciam omnem obtigisse, Ponticæ Diœcesis totius Helladio Cæsariensi, qui Basilio magno successerat, Gregorio Nysseno & Otreïo Melitenensi, *Patriarchatum* esse datum, πατριαρχίαν ἐκληρώσατο, Asiam Amphilochio Iconiensi & Optimo Antiochiæ Pisidiæ: Ægyptum Timotheo Alexandrino; ecclesias demùm Orientis Pelagio Laodiceæ & Diodoro Tarsi commendatas.

Quod istorum officium.

VI. Atqui Præsulibus istis omnibus non perennis quædam in illas Ecclesias potestas sancita est, sed temporanea, earum scilicet visitandarum munus, quo Catholica priscaque fides ab Arianis & Macedonianis illis in regionibus labefactata pristinæ auctoritati restitueretur, episcopique alienæ doctrinæ tenaces ad ordinem redigerentur. Quod proinde Synodi decretum absque *Patriarchæ* vel *Patriarchatûs* vocabulo Sozomenus clariùs enarravit. *Edixit,* inquit, *ut fides eorum qui Nicææ convenerant, rata esset,* utque in omnibus locis Ecclesiæ illis traderentur, *qui in trium personarum subsistentiis honore & potentia æqualibus unam eamdemque Deïtatem confiterentur. Hos autem esse definivit, qui Constantinopoli quidem communicarent cum Nectario: in Ægypto autem cum Timotheo Alexandriæ; in Oriente autem Provinciis eos qui cum Diodoro Tarsi episcopo, & Pelagio episcopo Laodiceæ communicarent in Syria* (vacabat enim tunc Antiochena sedes, defuncto Meletio) *in Asiana Diœcesi, qui cum Amphilochio Iconiensis ecclesiæ antistite; in Pontica à Bithynis usque ad Armenos, qui communione juncti essent cum Helladio Cæsareæ Cappadociæ episcopo, & Gregorio Nyssæ & Otreïo Melitenæ; in urbibus demùm Thraciæ*

Sozom. l. 7. c. 9.

& Scythiæ, qui cum Terentio Tomitano & Marcianenſi (ſive Marcianopolis) epiſcopis.

Patriarchæ appellatio cur & quando primariis Epiſcopis indita.

VII. Poſtremos hoſce præſules Socrates omiſit, Thraciamque omnem, quæ in plures provincias diviſa erat, Nectario Conſtantinopolitano creditam ſcripſit, quem novo vocabulo *Patriarcham* ideò appellavit, quod multarum ei provinciarum cura credita eſſet. Planè quod illa appellatio Antiocheno præ reliquis adtributa ſit, haud alia mihi cauſa videtur fuiſſe, niſi quod multarum provinciarum Metropolitis præerat. Quamobrem quia ſimili modo, provincias quoque multas Epheſinus jam ante curabat, quam Chalcedonenſi decreto XXVIII. illæ omnes Conſtantinopolitano ſubderentur, Timotheus Ælurus Alexandrinæ ſedis tyrannus, Baſiliſco Imp. adnuente, palàm jactabat velle ſe *Patriarchalia* jura Epheſinæ ſedi reddere, velut ex Zacharia Rhetore narrat Evagrius lib. 3. hiſt. Eccl. c. 9.

Metropolitæ Patriarchæ dicti in occidente.

VIII. Interim verò in Occidente aliquandiu à quinto ſæculo adulto Metropolitæ quivis *Patriarchæ* dicti ſunt. Ac quidem Victor Vitenſis in Vandalicæ perſequutionis hiſtoriâ teſtis eſt, primarium Vandalicæ gentis epiſcopum *Patriarchæ* titulum uſurpaſſe, Jucundum ſcilicet, ejuſque ſucceſſorem Cyrillam. Conſimili modo Athalaricus Gotthorum Rex, epiſtola Joanni II. Papæ Romano data apud Caſſiodorum lib. III. metropolitanos quoſcumque *Patriarchas* perinde dixit. Sic etiam Gregorius Turonenſis lib. V. hiſt. Franc. c. 20. Nicetium; ſic Matiſconenſe Concilium II. Priſcum, Lugdunenſes ambos metropolitanos: ſic Deſiderius Cadurcenſis epiſt 14. Sulpitium Bituricenſem metropolitam itidem ſuum *Patriarchæ* titulo donarunt. Nec alia certè cauſa eſt, cur Aquileïenſis Archiepiſcopus, deincepſque Gradenſis, hodieque adeo Venetianus, *Patriarchæ* nuncupentur, juxta atque ſub Gotthis Regibus Aquileïenſis *Patriarcha* audire cœpit.

Potiorum ſedium præſules primitus Epiſcopi dumtaxat dicti.

IX. At verò tribus primis Religionis ſæculis potiorum quarumcumque ſedium præſules honorificis titulis nullis prorſus præ aliis ornabantur, ſed ex æquo omnes ſimplici *Epiſcopi* nomine. In Occidente præſertim Latinis uſus erat, ut quiſque Præſul *Papa* diceretur: quæ quidem appellatio Romano Papæ propria manſit. Quapropter Tertullianus non cenſebat admittendos, qui primariæ ſedis Epiſcopum (ſeu Romanum, ſeu Carthaginenſem intellexerit) *ſummum Pontificem* nuncuparent, uti nec Cyprianus cum ſua ſynodo, qui *Epiſcopum epiſcoporum.*

Archiepiſcopi titulus quando inolevit.

X. Quarto ſæculo Alexandrinus præſul *Archiepiſcopi* nomine inſignitus ab Ægyptiis A ſuis fuit, quippe qui quamplurimis civitatibus præerat. Melitius ſiquidem Lycopolitanus ſchiſmatis in illa regione auctor in libello, quem poſt Nicænam ſynodum Alexandro Alexandrino dedit, Joannem Memphitanum ab Imperatore juſſum ferebat, ut cum *Archiepiſcopo* (Alexandrino prorsùs) maneret: *κελευσθεὶς παρὰ τοῦ βασιλέως εἶναι μετὰ τοῦ ἀρχιεπισκόπου.* Quocirca in actis ejuſdem Melitii, quæ S. Epiphanius hæreſi 68. exſcribebat, frequens mentio fit *τοῦ τῆς Ἀλεξανδρείας ἀρχιεπισκόπου*, *Archiepiſcopi Alexandriæ.* Tum ſub- B inde inſequenti ſæculo potiorum ſedium antiſtites alii majoris honoris gratiâ *Archiepiſcopi* perinde audierunt, in quibus præſertim Conſtantinopolitanus, moxque Hieroſolymitanus. Simili quoque modo poſteriori ævo, mos apud Græcos invaluit, ut Primarii gentium quarumdam Epiſcopi, qui Patriarchæ nulli ſubeſſent, ſed *αὐτοκέφαλοι*, ſive ſui juris forent, *Archiepiſcopi* appellarentur, ut *Bulgariæ Archiepiſcopus, Cypri Archiepiſcopus, Petzii Archiepiſcopus.*

Metropolitani, Primates.

XI. Interim ſæculo quarto Provinciarum C rectores epiſcopi *metropolitæ* ſive *metropolitani* vocari cœperunt, ac quidem ipſo Nicæni Concilii tempore, quum Latinis quibuſdam in regionibus *Primates* dicerentur. Apud Africanos Carthaginenſis epiſcopus, itemque unuſquiſque Africæ provinciarum primarius præſul, qui ordinationis ſuæ tempore collegis ſuis reliquis anteibat, *Primas* audiebat, ut puta *Numidiæ Primas, Mauritaniæ Primas*, &c. quin & *Primæ ſedis epiſcopus*, modeſtiori vocabulo nuncupabatur. Poſt vero in Occidente poſteriori ævo uſus invaluit, D ut metropolitanus quiſque *Archiepiſcopi* titulo ornaretur; quo etiam, ut obiter dicam, Græci ſæquiori ævo, ab Iconoclaſticis temporibus, donare cœperunt complures epiſcopos metropolitanis inferiores, qui à metropolitanorum juriſdictione immunes facti, Patriarchæ proxime ſubjecti eſſent, & in ſynodis Patriarcharum poſt metropolitas & ante epiſcopos ſederent.

Archiepiſcoporum genus infimum.

Conſtantinopolitanus, Patriarcha dictus: quando?

XII. Sæculo item quinto jam adulto, Conſtantinopolitani antiſtitem ſuum, ut pote regnantis Urbis Pontificem, cui multæ E jam metropoles ſubjectæ eſſent, *Patriarchæ* appellatione honeſtaverunt. Nam Socrates, qui hiſtoriam abſolvit ſuam circa annum Domini 439. lib. 7. c. 31. ubi Macedonianos Germæ in Helleſponto ab epiſcopo Antonio dure exagitatos narrat, ſubjungit eum non aliam ſævioris ſui erga illos impetûs cauſam obtendiſſe, niſi ſibi hoc in mandatis datum *à Neſtorio Patriarcha*, *πρόσχημα ἀπολογίας τὴν τοῦ Πατριάρχου πρόσταξιν λαμβάνων.* Eodem quoque circiter tempore in Palæſtina

Hieroſolymitanus, quoque.

Hierosolymitanus præsul, qui metropolitæ Cæsariensis auctoritatem excusserat, non *Archiepiscopus* tantum, sed Patriarcha quoque dictus fuit. Quocirca in vita S. Euthymii Archimandritæ, Juvenalis sæpissimè ab illo *Patriarcha* vocitatus legitur.

Romanus item Pontifex.

XIII. Biennio ante Concilium Chalcedonense, Theodosius junior Imp. in suis ad Valentinianum III. Aug. literis Leonem magnum Pontificem Romanum *Reverendissimum Patriarcham* scripserat: quod etiam post illam synodum absolutam Marcianus itidem Imp. admisit in epistola ad Palæstinæ Monachos. Quinimo Act. I. ejusdem synodi, quum Patres *multos annos* Leoni adprecarentur, Λέοντος πολλὰ τὰ ἔτη, adjecerunt quoque, πατριάρχου πολλὰ τὰ ἔτη, quod de Leone, non de altero prorsùs dictum videtur. Act. II. Optimates, amplissimusque Senatus qui aderant, Patres monitos voluerunt, *oportere ut sanctissimi Patriarchæ singulos aut binos unusquisque de propria sua diœcesi*, τῆς ἰδίας ἕκαστος διοικήσεως, *eligerent, à quibus Fidei sine ambiguitate expositio conderetur.* Atqui in ea actione, inque aliis tribus quæ subsequutæ sunt, neque Dioscorus Alexandrinus, neque Juvenalis Hierosolymitanus, imo neque Thalassius Cæsariensis sedebant, ut potè iniquæ S. Flaviani Constantinopolitani damnationis rei; sed nec de Maximo Antiocheno & Anatolio Byzantino, eorumque Diœcesibus dumtaxat voces ἕκαστος, ἑκάστη, *unusquisque, unaquæque* intelligendæ veniunt, sed de aliis quoque tum Diœcesibus, tum illarum præpositis & Exarchis, ut puta de Ephesino Stephano, atque Heracleensi, qui Patriarchæ perinde tunc audirent; undè, quemadmodum posteà dicetur, synodus eadem ἔξαρχον *Exarchum* Diœcesis & *Patriarcham* pro eodem habuit. Quamobrem, quia Actione IV. venia demum Juvenali & Thalassio concessa erat, iidem Proceres Act. V. Patribus iterum suggesserunt, quin & Marcianus mox mandavit, ut ipsi una cum Romanæ sedis Legatis & Anatolio, ex Orientis episcopis sex, ex Asiana diœcesi tres, ex Pontica tres, ex Thracica tres, tres demum ex Illyrico coïrent, ad Fidei-definitionem contexendam accuratiorem illa quam Anatolius condiderat.

Patriarchæ iidem olim qui Exarchi, & vice versâ.

XIV. Quæ quum ita sint, mihi jam certum videtur Patriarcharum nomine act. II. indigitatos esse præcipuos illos Christiani orbis Primates quos eadem synodus canonibus suis 9. & 17. *Exarchos* appellavit Diœcesium. Ac certè non ita pridem Domnus Antiochenus ipse Patriarcha, in actis Concilii quod Antiochiæ celebratum erat, cujus acta recitantur act. XIV. ejusdem Chalcedonensis synodi, *Exarchus Orientalis Diœcesis* vocatur, ἔξαρχος τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως. Quamquam fatendum *Exarchi* titulum minorum sedium Præsulibus, qui αὐτοκέφαλοι essent, seu superioris nullius ordinationi subjecti, frequentiùs adtributum fuisse, ut puta Ephesino, Cæsariensi & Heracleensi, quam Patriarchis. De istis nimirum Chalcedonensis ille XVII. canon intelligitur, quo fertur, ut qui se vel à proprio episcopo vel metropolitano gravari senserit, apud suæ diœcesis ἔξαρχον *Exarchum*, Primatemve, vel apud Constantinopolitanam sedem negotium agat suum.

Antiochenus Præsul præ aliis Patriarcha dictus.

XV. Cæterum Canone 18. itidem Chalcedonensi, tribus illis Diœcesibus Constantinopolitanæ sedi factis obnoxiis, quatuor præcipuarum Orientis sedium antistitibus, Alexandrino, Antiocheno, Hierosolymitano & Constantinopolitano, quinetiam Romano, *Patriarchæ* nomen à Græcis assignatum est, non tamen sine discrimine aliquo, quod Theodorus Balsamon edisserere curat Meditato sive Responso *de Patriarcharum* prærogativis, ubi hæc habet: *Sacræ divinæque scripturæ & Traditiones Patrum, Episcopum Romanum appellant Papam, itemque Alexandrinum: Constantinopolitanum vero & Hierosolymitanum Archiepiscopos, solumque Antiochenum Patriarcham.* Ἀλλὰ μὴν καὶ τὸν Κωνσταντινουπόλεως, καὶ τὸν Ἱεροσολύμων ἀρχιεπισκόπους, μόνον δὲ τὸν Ἀντιοχείας πατριάρχην. Nihil tamen *Antiochenæ Ecclesiæ honori derogari* subdit, *quod eadem omnes illa appellatione gaudeant, ut reliqui perinde dicantur Patriarchæ: nam illos quinque unius corporis, omnium scilicet Ecclesiarum Dei, capitis vicem gerere*, διὰ τὴν ταυτότητα τῆς τιμῆς, καὶ διὰ τὸ ἐπέχειν τοὺς πέντε πατριάρχας τόπον τῆς μιᾶς κεφαλῆς τοῦ σώματος, δηλαδὴ τῶν ἐκκλησιῶν τοῦ Θεοῦ. Hæc Balsamon, ut quatuor Orientis primarios antistites ab omni erga Romanam sedem subjectione immunes faciat, paresque illos quinque potestate esse adstruat. Huic vero Petrus Antiochenus præluserat epist. ad Dominicum Gradensem.

Jur. Græco. Rom. lib. 7. p. 449.

Acacius CP. Patriarchæ titulo ornatus.

Evagr. l. 3. hist. c. 7.

XVI. Byzantinorum episcoporum primus, qui speciali certoque diplomate Patriarcha nuncupatus reperiatur, Acacius fuit Gennadii I. successor, in iis scilicet literis, quibus Basiliscus Imp. trium illarum, de quibus diximus, Diœcesium ei ordinationem adserebat, ut nempe ipsum, quem sibi hactenùs infensum atque Zenoni legitimo Imperatori addictissimum noverat, faciliùs demum placaret. Ἀποδοθῆναι δὲ καὶ τὰς ἐπαρχίας τῷ εὐλαβεστάτῳ καὶ ἁγιωτάτῳ ἐπισκόπῳ πατριάρχῃ καὶ ἀρχιεπισκόπῳ Ἀκακίῳ, ὧν τὴν χειροτονίαν εἶχεν ὁ θρόνος ταύτης τῆς βασιλίδος καὶ ἐνδόξου πόλεως. *Quinetiam provincias reverendissimorum & sanctissimorum episcoporum Patriarchæ & Archiepiscopo Acacio restitui, quarum ordinationem*

habuit regiæ illustrisque Urbis hujus thronus. Quocirca Asianæ Diœcesis episcopi, qui ab Ephesina sede antehac pependerant, & Byzantinæ hactenùs jugum pertinaciùs cæteris subire renuerant, Basilisco ad ordinem redacto, epistola ad Acacium data ut ejus benevolentiam captarent, hunc *Patriarchæ* perinde titulo compellarunt: *Ἀκακίῳ τῷ ἁγιωτάτῳ πατριάρχῃ τῆς κατὰ τὴν βασιλεύουσαν Κωνσταντινούπολιν νέαν Ῥώμην ἁγιωτάτης ἐκκλησίας. Acacio sanctissimo Patriarchæ ecclesiæ sanctissimæ, regiæ Constantinopolis novæ Romæ.*

Exarchi dicti Cæsariensis, Ephesinus, Heracleensis: quo sensu.

XVII. Tribus itaque illis Diœcesibus, A Pontica, Asiana & Thracica, Constantinopolitanæ sedis regimini subactis, Cæsariensis, Ephesinus & Heracleensis præsules, amissa qua antehac in suas illas unusquisque fruebantur auctoritate, etsi Exarchorum deinceps honorifico titulo ornati fuerunt, nulla tamen in eas usi sunt, nisi tamquam à superiori, Byzantina scilicet sede, delegati judices, & provinciarum ex quibus Diœceses illæ conflatæ erant, Constantinopolitani antistitis vice lustratores. Quod ampliùs explicare satagam, ubi de varia vocis ἔξαρχος acceptione sermo redibit.

CAPUT II.

Byzantus olim simplex episcopatus.

Byzantus, episcopatus olim Heracleensi subjectus.

I. BYZANTUS non ignobilis olim civitas, quæ à primo Imperatore Christiano Constantino magno, Constantinopolis nuncupata est, quinetiam *nova Roma*, ceu Romani Orbis Orientalis caput, usque ad secundam synodum generalem, quæ Theodosio magno Principe in ea habita est, à communis generis episcopo regebatur Heracleensi metropolitæ obnoxio; mox verò in *Archiepiscopatum* crevit, sedeque αὐτοκεφάλῳ ornata est, nullius superioris legibus subditâ, propter illius Concilii canonem quo secundus ei post Romanam, & ante Alexandrinam & Antiochenam, locus est adsignatus.

Græcorum de Byzantino episcopatu figmenta.

II. Sæquioris quidem ætatis Græci circa Photii, vel Iconomachicæ hæresis tempora, ut conjectari fas est, primum regiæ suæ Urbis antistitem fuisse Andream Apostolum dixerunt, & Ecclesiæ quam ibidem instituerat, episcopum præfecisse Stachym illum, cujus Paulus ad Rom. c. 16. v. 9. meminit. Sed & complures alios numerarant, quos illi subinde sedi præfuisse commenti sunt, ad Metrophanem usque, qui Constantino summam rerum ineunte sedebat.

Horum auctor Pseudo-Dorotheus: quo fine?

III. Hanc autem tot præsulum seriem esse commentitiam, & à Græculis excogitatam, ut Constantinopolitanam sedem Apostolicam quovis tamdem modo facerent, non vanus adseram. Hoc enim ipsum illorum fuisse propositum ex ipsomet spuriæ illius successionis parente compertum nobis fit. In fine siquidem narrationis de singulis qui in ea recensentur Byzanti episcopis, ut à doctissimo Cangio ad calcem Chronici Paschalis, atque perperam ac gratis à Guillelmo Cave in Historia literaria edita est, hæc subduntur: *Ista optimus Dorotheus Latino sermone conscripta reliquit, quæ Græcè à nobis conversa sunt* B *sub Consulatu Philoxeni & Probi, quando Joannes Romanus episcopus Constantinopolim venit. Rogatus enim ab Archiepiscopo Constantinopolitano ut secum in natalitiis Christi sacra solennia celebraret, id facere renuit, nisi priùs sibi quàm Constantinopolitano episcopo sacris operari liceret; ut pote quod Roma episcopum priùs acceperat quam Constantinopolis. Quæstione igitur hac de re mota, ex Martyris Dorothei* C *scriptis argumenta nostri hauserunt, probantes sedem Constantinopolitanam & S. Andreæ Romana anteriorem fuisse. Joannes quidem Romæ episcopus Dorothei scriptum verum esse agnovit; Episcopo autem Constantinopolitano præponi idcirco voluit, quod Apostolorum Principis locum teneret, non quod Romana sedes Constantinopolitana esset antiquior.* Quum multiplici de causa ruat Dorothei hujus auctoritas, vana quoque est Græculi scriptoris fides, D qui tot nugas Martyris ementito nomine vendidit. Quod hanc particulam spectat quam modo recitavi, Joannem quidem Papam II. à Theodorico Gotthorum rege Constantinopolim ad Justinum Imp. delegatum, locum primum præ regiæ illius Urbis Episcopo in sacris Missarum solenniis celebrandis sibi vindicasse, ex Theodoro lectore & Marcellini Comitis Chronico certum est, at in die S. Paschæ, non in Domini Natalitiis: unde E minime ille audiendus venit, ubi Philoxeno & Probo Coss. Dorothei scripta prolata esse commemorat.

Veriora Byzantini episcopatus initia.

IV. Verum, enimvero, Simeon ipse Logotheta, qui vulgo Metaphrastes audit, in Annalibus Ecclesiasticis suis, ex monumentis aliis Byzantinæ urbis episcopatus primordia protulit, ejusque præsules alios numero pauciores recensuit: quæ eo certiora videri debent, quod ambitiosis Byzantinorum

conatibus non ita faveant. Narrat nimirum circa Severi, ejuſque filii Antonini Caracallæ Impp. tempora, *Philadelphum*, qui Byzantinæ urbis Chriſtianos totos viginti & amplius annos ſolo preſbyteri ornatus gradu rexerat, ejuſdem poſthac urbis *primum epiſcopum fuiſſe conſtitutum, treſque annos Eccleſiam illam geſſiſſe.* Ἐπὶ τούτου πρῶτος ἐπίσκοπος Βυζαντίου κατέστη Φιλάδελφος ἔτη γ΄. πρὶν γὰρ προΐστατο ἐπὶ κ΄. καὶ πρέσ· Sed & addit, viginti illis prioribus annis nullum ejuſdem urbis epiſcopum exſtitiſſe, διὰ τὸ μὴ εἶναι ἐπίσκοπον. Philadelpho autem ſucceſſiſſe Eugenium pergit, qui ſecundus ibi epiſcopus ſederit. Δεύτερος ἐπίσκοπος Βυζαντίου γέγονεν Εὐγένιος· *Secundus Byzantii epiſcopus Eugenius, viginti annos.* Poſt Eugenium ἐν Βυζαντίῳ προΐσταται Ρουφῖνος ἔτη θ΄. *Byzantinæ Eccleſiæ præeſt Rufinus annos novem.* Philadelphi & Eugenii Byzantinorum Epiſcoporum perinde meminit Cedrenus in Annalibus, quorum magnam partem ex Logothetæ fuſioribus compegit. Cæterum Rufinum, neſcio quo caſu, omiſit. Atqui tres epiſcopos iſtos fruſtrà quæſieris in Pſeudo-Dorothei narratione, unde tranſumtus eſt ille Byzantinorum antiſtitum catalogus, qui S. Nicephori Conſtantinopolitani Patriarchæ nomine inſignitus proſtat.

Metrophanes aliis primus Byzanti Epiſcopus.

V. Quinimo primum Byzanti epiſcopum Græci ſcriptores alii Metrophanem adſignavere. Chronicon enim, quod Paſchale & Alexandrinum dicitur, ad annum VIII. Conſtantini M. Imp. ſtatuto *Indictionum Conſtantinianarum initio,* hæc habet: *Indict. I. Conſt. VIII. Conſtantino Aug. IV. & Licinio III. Coſſ.* τῆς ἐν Βυζαντίῳ ἐκκλησίας ἡγεῖται πρῶτος Μητροφάνης, ἔτη ι΄. *Primus Eccleſiæ Byzantii præeſt Metrophanes, annos decem.* Concinunt Chronologicæ Theophanis tabulæ, quibus fertur: Βυζαντίου α΄. Μητροφάνης, ἔτη ι΄. *Byzantii primus epiſcopus Metrophanes annos decem.* Ubi certè vocibus iſtis Βυζαντίου, ἐν Βυζαντίῳ, *Byzantii, in Byzantio,* non hoc ſignificatur ſolum, Metrophanem urbis illius, quæ ſubinde Conſtantinopolis nuncupata eſt, Pontificem fuiſſe, ſed certè neminem ante illum ibidem epiſcopum ſediſſe. Atqui Chronicon Alexandrinum ſeptimo ſæculo currente ſcriptum fuiſſe communis ſententia eſt; Theophanes vero ſæculo nono, ante Photium ſcribebat; ſed ut obiter addam, altero etiam poſt Photium ſæculo Symeon Logotheta.

Id adſtruit ſcriptum aliud vetus.

VI. Baronius ad annum Domini 536. n. 59. monumentum vetus laudat ex Vaticana Bibliotheca depromtum, de rebus quas Agapetus Papa Conſtantinopoli geſſit, deque ejus obitu & funere; quod quidem ab aliquo Latini generis ſcriptore, itineris ejus ſocio, exaratum fuit. Ibi legi ait, Pontificem hunc à Theodato Italiæ Rege Conſtantinopolim miſſum, anno ædificationis Romanæ Eccleſiæ 490. Epiphanium regiæ illius Urbis Patriarcham Anthimi hæretici deceſſorem, vigeſimum cenſitum tunc fuiſſe civitatis illius epiſcopum; ducto proinde numero à Metrophane quem excepit Alexander, cujus tempore Nicæna ſynodus convenit. Nam à Metrophane, demtis hæreticis & ſchiſmaticis, qui in eam ſedem præter regulas irrepſere, epiſcopi totidem numerantur.

Simeon quoque Theſſalon.

VII. Quid plura congeram! Symeon ipſe Theſſalonicenſis, recentis ævi ſcriptor, cognomini ſuo Logothetæ concinit, ubi narrat quo ritu Patriarcha Conſtantinopolitanus ordinari debeat, dum ex epiſcopali ordine adſumtus non eſt. Ex majorum traditione eſt, inquit, ut ejus conſecrationem Heracleenſis epiſcopus agat; quia Byzantium olim à tempore Severi Imp. uſque ad Conſtantinum magnum ſimplex epiſcopatus fuit, Heracleenſi ſedi obnoxius, ἐπεὶ, ὥς φησι, τὸ Βυζάντιον ἀπὸ Σεβήρου βασιλέως ὑπὸ τὴν Ηράκλειαν γεγόνει, ἄχρι τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου. Quo Symeon ſignificat non niſi à Severi temporibus Byzantinorum epiſcoporum ſucceſſionem arceſſendam eſſe, juxta atque à Symeone Logotheta & Cedreno traditum eſt; atque adeo ad fabulas eſſe releganda quæcumque alii è Dorothei Tyrii ſcriptis eruta eſſe ferunt.

Unus olim in Thracia multarum urbium epiſcopus.

VIII. Nemini verò mirum videatur, Byzantum, non exiguam plane civitatem, à primis Eccleſiæ temporibus uſque ad ſæculi tertii medium proprio ſpecialique ſuo epiſcopo caruiſſe. Nam ex libello ſupplice qui ab Euprepio Byzes & Arcadiopolis epiſcopo, necnon à Cyrillo Cœlenſi & Callipolitano, Epheſinæ ſynodo oblatus fuit, vetuſtum morem in Europæ ſeu Thraciæ provinciis viguiſſe conſtat, ut ſinguli epiſcopi duos vel tres epiſcopatus gererent; quo fiebat, ut, quum epiſcopus in una civitate ſederet, aliam vicario preſbytero adminiſtrandam crederet. *Epiſcopus Heracleæ,* inquiunt, *ſub ſe habet Heracleam & Panion; Epiſcopus autem Byzes ſub ſe habet Byzen & Arcadiopolim; Cœlenſis vero ſimiliter habet Cœlem & Callipolim: porro Saſbadiæ epiſcopus ſub ſe habet, Saſbadiam & Aphrodiſiadem. Itaque olim & ab initio eccleſias illas duas Europæ epiſcopi adminiſtrabant, & numquam prædictæ civitates proprios acceperant epiſcopos; ſed aliæ quidem ſub Heraclea fuerant ab initio: Arcadiopolis autem fuit Epiſcopi Byzenſis; Callipolis ſimiliter, epiſcopo Cœlenſi.* Quocirca eo libello Euprepius & Cyrillus à Patribus poſtulant, ut decreto caveant, ne Fritilas Heracleæ Præſul, qui Neſtorii partes tenebat, quâ per Thracicam Diœceſim poteſtate Primatus ſui

causa valebat, priscum hunc morem invertat, A subjectæ manserant usque ad medium saltem in illis urbibus episcopos proprios ordinando, quibus hactenùs caruerant, unde majores vires exortæ hæresi accederent. Velut itaque Arcadiopolis, Panion, Callipolis & Aphrodisias civitates aliarum urbium præsulibus sæculum quintum, idem Byzanto accidit ob Christianorum paucitatem usque ad tempora Severi & Antonini Caracallæ Augustorum, à quibus ea civitas novis accrementis aucta est.

CAPUT III.

Constantinopolitani Patriarchatûs præludia.

Constantinopolitana sedes Heracleensi primùm obnoxia.

I. BYZANTO urbe à Constantino Imp. instaurata, mirumque in modum ampliata, ut Orientalis Imperii caput, alterius B Romæ instar esset Eusebius Arianicæ factionis princeps, qui Berythensi dimissa sede ad Nicomediensem transierat, quo tempore Imperator in primaria illa Bithyniæ civitate magnam anni partem, velut ante Diocletianus, agebat, in Constantinopolitanam posteà Ecclesiam, legitimo ejus pastore Paulo procul amandato, Constantii Augusti nutu invasit, qui Eudoxium & Demophilum itidem Arianos successores habuit. Atqui Philostorgius, Arianus ipse, scripsit, Demophi- C lum Constantinopolis episcopatum inivisse sub Valente Imp. Theodori Heracleensis opera; quod indicio est, eam sedem ordinationi illius obnoxiam fuisse. Id quod proinde de Eusebio & Eudoxio affirmare nihil vetat. Unde quantolibet ambitionis æstu tres illi hæretici perciti essent, vix de suæ sedis dignitatæ, imminutis Heracleensis Primatis juribus, augenda cogitaverant.

Ordinationes à Byzantinis Præsulibus Arianis in alienis provinciis factæ, quo jure.

II. Narrat quidem Philostorgius Eudoxium Nicæam Bithyniæ profectum, episcopum ibidem instituisse & ordinasse. Hoc verò D non alio jure ab eo patratum fuit, quam extraordinario; quemadmodum sanctiores è Catholicis episcopi turbatis illis temporibus viduatis Ecclesiis sinceræ doctrinæ pastores dabant, omissis ecclesiasticæ disciplinæ regulis quæ accuratè servari minimè tunc poterant. Sic nimirum idem ille Auctor Acacium Cæsareæ in Palæstina metropolitam Arianum nonnullas in diversis Asiæ provinciis ordinationes præsulum perpetrasse perhibet. Illius vero extraordinarii juris mentionem Sozomenus facit lib. 7. c. 9. ubi secundæ E synodi generalis statuta recitans, ait, Patres sanxisse *ut Ecclesiæ secundum canones veteres gubernarentur, utque episcopi propriis ecclesiis præsiderent, neque extraneas temerè invaderent, neque se privatorum non vocati electionibus committerent*, καθὰ πρότερον, ὡς ἔτυχε, διωκομένης τῆς καθόλου ἐκκλησίας πολλάκις συνέβη, *uti sæpè antea contigerat, dum Ecclesia Catholica persequutionem tolerabat.*

Byzantinæ Ecclesiæ status sub Valente & Theodosio Impp.

III. Demophilo Byzantinæ Ecclesiæ incubante, circa annum Christi 379. quo Valens Imp. periit, Gregorius Nazianzenus Theologus, Basilio magno suadente, Constantinopolim venit, Arianæ labis, qua urbs illa tota ferè laborabat, exstinguendæ causa; ubi, quum multos ad Catholicam fidem revocasset, Petrus Alexandriæ, hoc est secundæ sedis, Pontifex, illum non multo post huicce renascenti Ecclesiæ præficere non dubitavit, quemadmodum Theologus ipse testatur in carmine de vita sua:

Πῶς Πέτρος αὐτὸς ὁ βραβεὺς ποιμένων,
Πρῶτον μὲν ἡμᾶς ἐγκαθιστᾶ γράμμασιν,
Οὕτω προδήλως διπλόης ἐλευθέροις,
Ὡς αὐτὰ πείσῃ τὰ πρὸς ἡμᾶς γράμματα,
Καὶ συμβόλοις ἐτίμα τῆς ἱδρύσεως.

Quî Petrus ipse præsulum ille arbiter,
Prius quidem nos Literis clarissimis
Fuco palam vacuis, Literæ ipsæ ut fidem
Facient, sacrato collocaverit throno.

Post biennium verò Petrus, mutata sententia, Heronem Cynicum qui Maximi nomen sumsit, Constantinopolim misit, cum Ægyptiorum frumentariæ classis turma, quem illius Urbis à tribus Ægyptiis episcopis episcopum curavit ordinari. Quo jure Alexandrinus antistes, tum Nazianzeni, tum Maximi regiæ hujus Urbis quæ peculiaris ipsius ditionis non erat, ordinationem sibi vindicaverit, paucis juvat edisserere.

Quo jure Alexandrinus Byzantini ordinationem sibi vindicaverit.

IV. Alexandrinus præsul secundam post Romanam Ecclesiæ sedem tenebat, primumque adeo locum inter Orientalis tractûs episcopos, cujus proinde intererat, ut fidem ab hæreticis exagitatam in illis partibus instauraret. Id quod præstari minimè poterat, nisi creatis hinc inde episcopis qui doctrina pura sinceraque populos imbuerent. Quocirca Theodosius Magnus Imp. illo ipso tempore lege latâ anno 380. edixit, ut illi è Christianis sacras ædes soli possiderent, qui cum

Damaso Romano Papa, & Petro Alexandrino communione jungerentur. Cæterum Damasus, audita tum Gregorii in Byzantinum præsulem institutione, tum Maximi consecratione, neutram sibi probari scripsit Ascholio Thessalonicensi & episcopis Illyrici. Maximi quidem, quippe qui Philosophiam Cynicam vestemque præferebat, Christiana professione indignam. Gregorii verò (cujus tamen silebat nomen) quia priore sede relicta (Sasimorum scilicet) ad aliam transierat. Atqui Damasus nequaquam vitio vertebat Petro, quod in aliena ditione episcopos creare ausus esset; quia nempe, ut prædictum est, calamitosis illis temporibus consuetis Ecclesiæ regulis scrupulosiùs adhærere minimè cautum erat. Quum autem Petrus eodem anno 380. fato functus esset, germanus ejus frater & successor Timotheus Maximi ordinationem tueri non dubitavit, sed & episcopos Italiæ complures, ipsumque penè Damasum, in illius communionem traxit.

Concilium generale secundum.

V. Anno 381. Theodosius Episcopos Orientis in Urbem suam regiam convenire, sacrumque Concilium habere jussit, cui tamen conventui nemo ex Ægyptiis, Nazianzeno teste, statim adfuit, ὅσον γὰρ ἑῷον, Αἰγυπτίου δίχα. Quamobrem primas in eo tenuit Meletius Antiochenus, rataque habita est Gregorii in Constantinopolitanæ urbis pastorem promotio. Timotheo minimè placuit posthabitum fuisse Maximum suum, quumque ad Synodum ipse postea venisset, sancirique urgeret Maximi ordinationem, ab eo desciverunt Orientales episcopi, & plerique alii, ita ut sensim unà cum Gregorio sacros conventus celebrarent. Cæterum Theologus, ne sua causa Catholicorum præsulum dissidium cresceret, propter juniores etiam nonnullos episcopos, quibus non satis arridere videbatur, throno sponte cessit. Quo factum est, ut Episcopi omnes anno altero Constantinopolim reversi, Nectarium Pontificem consecraverint.

Alius Theophili Alexandr. conatus in Byzantinā sedem.

VI. Nihilominùs post Nectarii obitum, Theophilus Alexandrinus Timothei successor, minimè sibi temperandum duxit, quin Constantinopolitanæ Ecclesiæ ordinationem perinde sibi ac ille arrogaret, quamlibet canone 3. ante actæ synodi generalis secundæ, de quo mox dicetur, inter præcipuas quæ Patriarchales postea dictæ sunt, censita esset, ipsique Alexandrinæ prælata. Socrates siquidem lib. 6. c. 2. testis est locupletissimus, Theophilum Joannis Chrysostomi ordinationi admodum repugnasse, quum Isidorum Alexandrinæ Ecclesiæ presbyterum in regiæ Urbis antistitem promovere studeret: verum Eutropium Imperialis cubiculi præpositum jussisse, ut, vel Joannem ordinaret, vel de criminibus quæ ipsi objiciebantur, in judicio responderet. Quod postremum ille veritus, Joannem consecravit. καὶ ταῦτα φοβηθεὶς ὁ Θεόφιλος, τὸν Ἰωάννην ἐχειροτόνησε. Qua proinde ordinatione Alexandrini præsulis in Constantinopolitanum jus firmabatur.

CAPUT IV.

Patriarchatus Constantinopolitani initia.

Constantinopolitana sedes ab Alexandrina immunis facta.

I. IN tertio Constantinopolitani Concilii generalis conventu, in quo Timotheus Alexandrinus non sederat, nec ullus qui Romanæ sedis, aut Occidentalium vices gereret, tres solum canones editi sunt, quorum secundo cautum fuit, ne Alexandrini præsules urbis regiæ episcoporum ordinationes sibi in posterum vindicarent. Decretum quippe fuit, ne quis episcopus qui subjectam sibi Diœcesim habeat, extra illam quidquam gerat, ne ejusmodi molitionibus Ecclesiarum ordo turbetur; sed *secundum statutas pridem regulas,* τὸν Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπον τὰ ἐν Αἰγύπτῳ μόνον ἐπισκοπεῖν, *episcopus Alexandriæ res dumtaxat Ægypti administret. Orientis quoque episcopi Orientis solius curam habeant, servatis Antiochenæ Ecclesiæ honoribus: sed & Asianæ diœcesis episcopi ea tantummodò quæ Asiam spectant, procurent; Ponticæ, quæ Ponticam; Thraciæ, quæ Thracicam,* ἀκλήτους δὲ ἐπισκόπους ὑπὲρ διοίκησιν μὴ ἐπιβαίνειν ἐπὶ χειροτονίᾳ, ἤ τισιν ἄλλαις οἰκονομίαις ἐκκλησιαστικαῖς. *Episcopi autem qui invitati non fuerint, ultra diœcesim suam non pergant ad quosvis ordinandos, aut quascumque res ecclesiasticas disponendas, sed singulæ provinciæ à principali synodo administrentur.* Statuto quarto Maximi in Byzantinum præsulem ordinatio legibus contraria & ἀταξία esse declaratur, decerniturque clericos non esse quotquot ille ordinaverat. Illo vero canone, qui tertius numeratur, locus post Romanum Pontificem secundus Constantinopolitano adsignatur, Alexandrino ad tertium locum deducto; cui proinde facultas adimebatur illius Ecclesiæ providendi, quippe quæ Alexandrinâ deinceps superior habenda esset.

Nullius auctoritatis fuit canon III. illius synodi.

II. Condendis canonibus secundi Concilii generalis Alexandrinum episcopum non adsuisse

adfuiſſe dixi, cujus tamen præcipua dignitas Canone tertio pulſabatur. Enimvero neque Maximi Cynici deſtitutionem admiſit, neque Nectarii ordinationem, uti neque Flaviani Antiocheni, quæ contra pacta Meletianos inter & Paulinianos conventa, datamque fidem facta erat. Quocirca de his capitibus apud Romanam ſedem & Occidentis epiſcopos expoſtulans, in ſuas illos partes traxit. Patres interim Damaſo Papæ & Concilio ejus Romano præter fidei formulam ſive ſymbolum quod condiderant, duos priores canones, Nectarii promotionem, Flavianique Antiocheni, rurſumque Cyrilli Hieroſolymitani reſtitutionem, ſynodali ſua epiſtola retulerant, adſenſum illorum poſcentes. Italiæ vero epiſcopos complures, qui ad Aquileïenſe concilium convenerant, Timothei ſuggeſtionibus adnuiſſe certò conſtat ex eorum quæ ſupereſt ad Theodoſium Auguſtum epiſtola. Sed nec Romana Eccleſia prorſus probavit canonem illum quo novus præcipuarum ſedium ordo ſtatuebatur, & Alexandrinæ Antiochenæque Byzantina anteponebatur. Cyrillus Alexandrinus in Epheſina ſynodo generali prima, ut ſignificaret canone illo regulas priſtinas, quin etiam ſtatuta a Nicæna ſynodo ſedium jura inverſa fuiſſe, quum Cypri inſulæ præſules Joannis Antiocheni molimina narraſſent, quibus illos regimini ſuo ſubjugare conabatur, ad ſextum canonem Nicænum provocare non dubitavit, quo *ſervari juſſum erat unicuique eccleſiæ dignitatem ſuam, τῇ μητροπόλει σωζομένου τοῦ οἰκείου ἀξιώματος.* Quo fultus decreto, Cypri inſulam ab Antiocheni ordinatione immunem eſſe pronuntiavit. Ad hæc, Eutyches hæreſim ſuam nondum ediderat, quando Dioſcorus Alexandrinus Cyrilli ſucceſſor Domno Antiocheno ſuccenſebat, ob proditam communem utriuſque ſedis cauſam, Procli Conſtantinopolitani ſibi devinciendi gratiâ; quia nempè Canoni illi ſuffragabatur, quo Byzantinus antiſtes Alexandrino Antiochenoque præferebatur. Hujus porrò Dioſcori expoſtulationis Theodoretus S. Flavianum Conſtantinopolitanum certiorem fecit epiſtola ſua 86. *Noveris*, inquit, *eum illiberalem erga nos qui Antiochenæ ſedi ſumus obnoxii, animum præbuiſſe, ex quo ſub b. mem. Proclo, ſynodicis quæ apud vos factæ ſunt, conſenſum dedimus, ſanctorum Patrum decretis obſequentes. Jamque ſemel & iterum accuſavit, tamquam Antiochenæ, ut loquitur, & Alexandrinæ eccleſiæ jurium proditores*, ὡς προδεδωκότες καὶ τῆς Αντιοχέων, ὡς λέγει, καὶ Αλεξανδρέων ἐκκλησίας τὰ δίκαια. Imo dum Joannis Antiocheni adversùs Cyrillum jurgia fervebant, ille cum ſuis in *Conteſtatione prima*

Tomus I.

A *quam Theodoſio Imp. direxerunt*, Cyrillum & Memnonem Epheſinum dixit, idcircò *damnaſſe Neſtorium, ut pro hujus impietatis præmio ſedium reſtituantur principatus*; hoc eſt, Alexandrinus præſul primam dignitatem reciperet, quæ Conſtantinopolitano canone ablata erat, & Epheſinus, quem Byzantinus in totum ferè ſibi ſubdiderat, libertatem recuperaret. Atqui Antiochena ſedes canoni illi de quo nunc agitur adſenſum palam dederat, Flaviano Antiocheno in ea ſynodo palam à Nectario ordinato.

B III. Quod Romanam Eccleſiam ſpectat, hæc nullos illius ſecundæ Synodi canones probavit, ſed ſolam Fidei formulam, ſive ſymbolum. Id Bonifacius Papa I. disertè declaravit epiſt. ad Rufum Theſſalonicenſem, ambitum perſtringens Attici Conſtantinopolitani, qui Illyricum Orientale ſubigere tentabat. *Melius fraternitati veſtræ intelligendum relinquo*, inquit, *quis humilitatis, quis ſuperbiæ ſit magiſter. Sed abſit hoc à Domini Sacerdotibus, ut in hunc aliquis eorum cadat reatum, ut nova quadam uſurpatione*
C *tentando, inimica ſibi faciat ſcita majorum... Quoniam ſi locus exigit, ſi placet, recenſete canonum ſanctiones: reperietis quæ ſit poſt Eccleſiam Romanam ſecunda ſedes, quæve tertia. Servent Eccleſiæ magnæ prædictæ per canones dignitates, Alexandrina & Antiochena, habentes Eccleſiaſtici juris notitiam.* Xiſtus III. ad Illyricianos præſules ſcribens, ne Byzantino antiſtiti morem gererent, Conſtantinopolitanæ ſynodi decreta minimè recipienda monuit. *Nec his vos, fratres cariſſimi, conſtitutis*, ait, *quæ præter noſtra præcepta*
D *Orientalis ſynodus decernere voluit, credatis teneri, præter id quod de Fide nobis conſentientibus judicavit.* Leonis Magni Papæ Legatorum adverſus canonem iſtum in Chalcedonenſi concilio exceptiones alio loco recurrent.

Concilii CP.[ni] canones à Romana Eccleſia non admiſſi.

IV. Etſi tertio illo canone Conſtantinopolitano regiæ hujus Urbis antiſtitis dignitas admodum augebatur, Heracleæ tamen epiſcopi Thracicæ Diœceſis Primatis juribus non derogabatur; quin Conſtantinopolitanus ordinationi illius obnoxius manſit, quemadmo-
E dum Hieroſolymitanus, cui quartus olim inter Præſules locus adſignatus erat, Cæſarienſi Palæſtinæ Metropolitæ. Id quod adparet ex eo quod Paulus Heracleæ in Synodo ad Quercum Chalcedonis ſuburbium, primum locum occupavit, ac de S. Joanne Chryſoſtomo ſententias cæterorum rogavit, προεδρεύσαντος τῆς συνόδου ἠξίωσεν αὐτοὺς ἀποφήνασθαι, quamvis Theophilus Alexandrinus præſens adeſſet, cui ſua quoque præſidentia ſervabatur. Jam ante à me dictum eſt Thracicæ

Servata interim Heracleenſi Præſuli in Thraciam omnem jura.

Diœcesis episcopos duos in Ephesina synodo priore Patres monitos voluisse, ut caverent ne Fritilas Heracleensis; qui Nestorii causam tutabatur, episcopos illius impietate imbutos per varias ejusdem Diœcesis provincias Primatiali suo jure constitueret. Quamobrem synodi secundæ Patres nihil præter primum post Romanum locum concesserunt, nulla adjecta in ullas provincias potestate.

Quorsum in illa synodo Thracica diœcesis Nectario CP. commendata.

V. Non me fugit illam synodum Nectario quem regiæ Urbis episcopum ordinaverat, Thracicæ Diœcesis curam demandasse. Non vero id ei munus creditum est, ut illam primario jure in posterum administraret, sed ut veram Fidem, quæ Constantio & Valente Impp. in ea regione impendia multa passa erat, redintegrare satageret; quem decreti illius, quod Sozomenus lib. 6. cap. 12. recitat, sensum genuinum fuisse ostendi superiùs, cap. 1. ubi de *Patriarchæ* vocabuli significantia.

Nulla Byzantino canone isto auctoritas accessit in alias diœceses.

VI. Plane tertio isto canone non magis Heracleensis Primas vel Exarchus cum Thracica Diœcesi Byzantino Præsuli subjectus fuit, quam Ephesinus Asianæ & Cæsariensis Ponticæ Primates, hactenus perinde αὐτοκέφαλοι, quos Constantinopolitani Archiepiscopi sibi postmodum subjecerant. Nam secundo, ut prædictum est, canoni ejusdem Concilii Patres firma esse voluerunt harum sedium, velut & cæterarum omnium prorsus pristina quæcumque jura, juxta atque Nicæni antea decreverant. Verum subsequente sæculo nondum medio regiæ Urbis Pontifices has tres Diœceses arrodere cœperunt, adsumto insigni *Patriarcharum* titulo, quo se Patrum, episcoporumve ac metropolitarum, principes & moderatores esse significarent. Id quod nonnulli, fateor, non ambitionis œstro, sed rerum statu postulante invitique factitare visi sunt.

Joannes Chrysostomus Thraciæ, Asiæ & Ponti ecclesiis providet.

VII. Nectarium, quoad superstes in vivis fuit, aliorum Ecclesias jurisdictioni suæ addicere curasse, non prorsus compertum est. Joannem vero Chrysostomum, qui successor illius proximus fuit, Theodoretus scribit, non Urbem dumtaxat quæ Imperii sedes erat, administrasse, sed totius etiam Thraciæ quæ præfecturis sex constabat, sollicitudinem gessisse, quin & Asiæ totius, cujus undecim præfecturæ sive provinciæ erant, itemque Ponticæ, quæ totidem provincias complectebatur, easque adeo æquissimis legibus instituisse. Καὶ ταύτην ἐποίησε τὴν προμήθειαν, οὐ μόνον ἐκείνης τῆς πόλεως, ἀλλὰ καὶ Θρᾴκης ἁπάσης· εἰς ἓξ δὲ αὕτη ἡγεμονίας διῄρηται· καὶ Ἀσίας ὅλης· ὑπὸ ἕνδεκα δὲ καὶ αὕτη ἀρχόντων ἰθύνεται· καὶ μέντοι καὶ τὴν Ποντικὴν τούτοις κατεκόσμει νόμοις· A ἰσαρίθμους καὶ αὕτη ἔχει τῆς Ἀσίας τοὺς ἡγουμένους. Quid causæ natum sit, ut Joannes Thracicæ & Ponticæ Diœcesibus jura dixerit, obscurum nobis est; at casu contigit, non ejus ambitu, ut Asiæ curam capesseret, illicque episcopos ordinaret.

Ecclesias Asiæ moderatur.

VIII. Quum ob varia negotia variarum regionum episcopi Constantinopolim ad Principis aulam accederent, mos jam invaluerat ut Constantinopolitanus præsul illos ad synodum vocaret, in qua difficiles aliarum Ecclesiarum causæ dirimebantur, eaque synodus B Ἐνδημοῦσα, ut jam dictum est, appellabatur, quasi in Urbe perpetuo manens, atque Archiepiscopo Urbis semper adsistens. Anno itaque 399. ea synodo congregata, Eusebius Valentinianopolis in Asia episcopus unà Sabbati, sive Dominica die adveniens, Libellos synodo, præposito Joannis præsidis nomine, obtulit, quibus Antonium Ephesi qui præsens aderat, multiplici crimine postulabat, quorum septimum & postremum erat, *quod pro lege & constituto haberet episcoporum ordinationes pro ratione redituum ve*C *numdare*. Addebat, synodo adesse, qui datis pecuniis ab eo essent ordinati, quemadmodum illum quoque ipsum qui acceperat. Postulationem hanc ægrè tulit Chrysostomus, nihilque non egit quo Eusebium à cœpto persequendo deterreret, sed frustrà. Re in diem alteram dilata, quum Patres denuò convenissent, episcopi tres seliguntur, qui in Asiam pergant, testes illic audituri. Interea moritur Antonius; tum Ephesinæ urbis clerus, episcopique Asiæ junctis suffragiis ad Joannem mittunt, horribilibus eum sacraD mentis obtestantes, ut ad sarcienda Ephesinæ Ecclesiæ damna proficiscatur, quibus, tum ab Arianis nuper, tum præsulum suorum avaritia & dominandi libidine afflicta erat. Horum obnixis precibus victus Chrysostomus, Ephesum pergit, ubi coacto Asiæ, Lydiæ, Cariæ & Phrygiæ septuaginta episcoporum concilio, Eusebius, productis in medium testibus, sex episcopos Simoniacæ nequitiæ convicit, qui ex consequenti fuerunt exauctorati. Ephesiis autem in factiones duas scissis, quorum alii alium, alterum alii E habere vellent episcopum, hos sanctissimus Joannes ita conciliavit, ut Diaconum ejus Heraclidam uno omnes consensu eligerent, quem ipse mox consecravit, sexque item alios pro illis qui destituti erant, suffecit. Imo tredecim ab eo in Asia consecratos refert Sozomenus, septemdecim verò Theophilus Alexandrinus in sua ad Quercum synodo numerabat: quod tamen Palladius esse falsum contendit, sed nec plures quam sex illos ab eo consecratos adserit. Extra dubium est,

Pallad. de vit. S. Joannis Chrysost. p. 128.

à Joanne Gerontium quoque Nicomediensem ad ordinem redactum esse, juxta atque S. Ambrosius Mediolanensis à Nectario jam antè postularat, eique Pansophium subrogatum: verum Bithyniæ caput erat Nicomedia, ac de Pontica Diœcesi. Quidquid id est, Theophilus Alexandrinus hoc quoque Joannem crimine oneravit, quod contra communes Ecclesiæ regulas, novo nec audito hactenùs exemplo, in Asiæ partibus quæ curis ejus obnoxiæ non erant, episcopos ordinarat. Ἐπηπιδῶντο Ἰωάννῃ, ait Sozomenus, ὡς ἀρχηγὸς νεωτερισμοῦ τῆς ἐκκλησίας ἐγένετο, καὶ τὰ δίκαια τῶν χειροτονιῶν κατὰ τοὺς πατρίους νόμους ἐκαινοτόμησεν. Quod in causa fuit, cur aliqui illorum qui à Joanne Chrysostomo dejecti fuerant, pristinas sedes repetierint.

Alienas Diœceses nequaquam invasit.

IX. Nequaquam vero sanctissimus Doctor alienas ditiones invasisse usurpasseque dici poterat. Nam Antonius Ephesinus, hoc ipso quod ad synodum illius cum episcopis aliis convenerat, illorum se judicio fecerat obnoxium. Unde nec causam suam coram Chrysostomo præside agitari detrectavit. Præterea non nisi synodi totius quæ ex variarum Orbis, Orientalis præsertim, provinciarum præsulibus conflata erat, nutu & sententia, ab Ephesino clero, & Asiæ episcopis obnixè postulatus illuc perrexerat. Quod certè eo jure extraordinario patratum fuit, quo S. Ambrosius Nectario Constantinopolitano scripserat, ut Gerontium, de quo mox dicebam, Nicomediensi episcopatu privaret, ut Sozomenus narrat lib. 8. cap. 6. Eodem, inquam, jure, quo rursùm Flavianus itidem Constantinopolitanus, controversiam inter Florentium Sardensem metropolitam, & Joannem ac Cassinum episcopos in simili synodo postea diremit; quo ante Chrysostomum Nectarius Agapii & Bagadii, qui de Bostrorum in Arabia episcopatu contendebant, causam judicare non dubitaverat.

Jur. Græco-Rom. p. 247.

Jure præventionis ista gesta sunt.

X. Atqui jus istud extraordinarium, *Jus præventionis* à legum peritis appellari monet nos Illustrissimus Parisiensium Archiepiscopus de Marca; quo etiam jure Atticum Byzantinum itidem antistitem, rursumque Flavianum, usos iterum esse Ecclesiæ monumenta produnt. Ibæ Edesseni, qui Nestorianismi postulabatur, causa, ad Joannem Antiochenum licet spectaret, agitata tamen est & judicata in Constantinopolitana Flaviani synodo. Anatolius quoque Byzantinus litem aliam ob Phœniciæ provinciæ divisionem inter Photium Tyri & Eustathium Beryti natam componendam suscepit, Photiumque uti contumacem à communione suspendit.

Synodi τῆς Ἐνδημούσης privilegium.

XI. Extraordinarium illud jus synodi hujus τῆς Ἐνδημούσης, Tryphon episcopus Chii commendavit in concilio Chalcedonensi act. 10. conventum illum episcoporum qui in Urbe occurrerent, *synodum merito nuncupari dixit, apud quam illi qui oppressione aliqua laborarent, sua jura reciperent.* Hunc etiam celebrandi in Urbe concilii morem Anatolius subinde coram Patribus exposuit, ut evinceret, nihil à se præter jus actum esse in causa Photii episcopi Tyri, quando illam in tali synodo diremerat. At vero propter ejusmodi synodum fiebat, ut Constantinopolitanus Pontifex magna jam tunc per Orientem auctoritate polleret, ut pote qui neminem præter Romanum superiorem se nosceret. Cæterum quum Ægyptii, Orientales, & Palæstini episcopi ob ecclesiarum suarum negotia convenire identidem cogerentur, singuli Patriarchæ similes synodos ἐνδημούσας apud se celebrabant; sed in quibus aliarum Diœcesium causæ minimè tractarentur.

Attici CP.[li] in Thraciam tentamenta.

XII. Ut autem ad id redeam quod dicere proposui; quod Joannes Chrysostomus nullo ambitu exstimulatus, sed justis de causis in Asia gesserat, & quæ in Thracia & Ponto, Theodoreto teste, hæc successoribus ejus occasioni fuerunt, ut in Asia & Ponto subinde ordinationes adtentarent episcoporum; unde viam sibi pararent ad illas Diœceses regimini suo subdendas: id quod in Chalcedonensi synodo factum esse dicemus. Quod Thraciam spectat, paulo post Chrysostomi obitum, Atticus ejus post Arsacium successor Silvanum Sophistam Philippopolis quæ Rhodopes caput fuit, sede donavit, ut fert Socrates lib. 7. c. 36. ac post tres annos, quum regionis illius asperiora frigora tolerare non posset, eumdem Troadensibus qui Constantinopolim episcopum petituri venerant, præsulem concessit, suffecto ab ipsomet Attico Philippopolis altero antistite. Enimvero, omissa Thracia, de ulterioribus Illyrici regionibus occupandis Atticus minimè cogitasset.



CAPUT V.

Episcoporum Constantinopolitanorum in Illyrici, Asiæque & Ponti provincias molimina.

Byzantinorum in Illyricum Orientale conatus.

I. THEODOSIO juniore Imp. Byzantini A provincias Illyrici, quas Romanus Pontifex à primis religionis temporibus regebat, addicere sibi moliti sunt. Circa annum 419. Perigene, qui Patrarum in Achaïa ordinatus erat episcopus, Corinthiorum metropolita renuntiato, quia à Patrensibus civibus admissus non fuerat, quidam Illyrici præsules promotioni ejus invidentes, de ea apud Rufum Thessalonicensem, ac subinde apud Bonifacium Papam expostularunt, translationem hanc regulis esse contrariam causantes. Quorum querimoniæ quia nulla B ratio habita est, Attici Constantinopolitani patrocinium implorarunt. Mox ejus nutu, qua apud Imperatorem valebat auctoritate, indicta Corinthi synodus fuit, in qua Perigenis causa tractaretur. Episcoporum illorum facinoris Bonifacium certiorem Rufus fecit, adjiciens delegationem suam, qua Romanæ sedis vicibus per Achaïam aliasque regiones fungebatur, in contemtum venisse. Quibus auditis Bonifacius irrita esse pronuntiavit Illyricianorum episcoporum molimina quia vetustati contraria, quodque minimè fas esset C causas ab Apostolica sede finitas in provinciis retractare, & concilia intra Illyricum cogi, aut episcopos ullos ordinari, Thessalonicensi Rufo inscio.

Theodosii jun. Imp. lex hanc in rem data.

II. Atticus interim cum Illyricianis qui sibi favebant, Legem à Theodosio ad Philippum Prætorio Illyrici Præfectum dari curavit, qua Illyricum Orientale Byzantino antistiti in posterum subderetur. Ea Lex exstat in Codice Theodosiano tit. *de episcopis & clericis* cap. 45. his verbis: *Omni innovatione cessante, vetustatem & canones pristinos ecclesiasticos, qui usque nunc tenuerunt, etiam per* D *Illyrici provincias observari præcipimus. Tum si quid dubietatis emerserit, id oportet non absque scientia sacræ hujus Legis antistitis Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quæ veteris Romæ prærogativa lætatur, conventui sacerdotali, sanctoque judicio reservari. Datum prid. Id. Jul. Eustathio & Agricola Coss.* hoc est anno 421.

Lex ista temerè lata.

III. In ista Lege, quam ab Attico dictatam fuisse verisimillimum est, hoc observatione dignum sese statim offert, quod vetustas & pristini canones obtenduntur, quæ tamen ea aperte violabantur, quando nulla vetustate, nullo pristino canone Ecclesiastica Illyrici negotia ad Byzantinum antistitem spectabant. Hæc vero præsertim verba attendenda sunt, *Ecclesiæ Constantinopolitanæ quæ Romæ veteris prærogativa lætatur,* quibus immoderata Byzantini præsulis Attici alienas ditiones invadendi libido se prodit, qui eadem ipsa sibi jura arrogaret, quibus Romanus potiebatur; ac si omnium Ecclesiarum sollicitudo ad ipsum perinde & ex æquo adtineret. Sic nempe Byzantinus Pontifex primum sibi post Romanum Papam locum à Constantinopolitana synodo attributum parvi pendebat, nisi alienas ecclesias moderandas usurparet.

Bonifacius Papa I. reclamat.

IV. De his omnibus Rufus Thessalonicensis Bonifacium Papam certiorem per literas fecit, qui continuò apud Honorium Imp. egit, ut lata à Theodosio Lex abrogaretur. Honorii ad Theodosium epistolam Lucas Holstenius publici juris fecit cum Theodosii Rescripto, quo declaratur prædictam legem *fuisse latam supplicantium episcoporum per Illyricum subreptione*, tacito scilicet Attici ambitu & nomine. Quocirca saniori consilio antiquum ordinem à se servatum iri pollicetur. *Secundum formam oraculi perennitatis tuæ*, inquit, *apud viros illustres Præfectos Prætorii Illyrici nostri scripta porreximus, ut cessantibus episcoporum subreptionibus antiquum ordinem specialiter faciant custodiri, ne venerabilis Ecclesia sanctissimæ Urbis privilegia à veteribus constituta amittat, quæ perenne nobis sui nominis consecravit Imperium.* Hoc rescripto res Illyrici pristinum statum receperunt, ac Perigenes Corinthi quietior egit; velut etiam ex Xisti Papæ ad eumdem Perigenem & Illyrici synodum epistolis constat. Quamquam sub eodem Xisto Illyrici episcopos aliquot, quin ipsummet Perigenem subtrahere se tentasse auctoritati Thessalonicensis episcopi, adeoque Romani Pontificis, cujus ille vicarius erat, ut ad Constantinopolitanum se transferrent, idem Xistus epistola ad Proclum Constantinopolitanum innuit. *Discant omnes illius Provinciæ* (Illyrici) *sacerdotes tantæ fraternitatem tuam esse censuræ, ut non permittas fieri quod non licet tentari.*

Constantinopolitanorum iterati conatus in Illyricum.

V. Paucis post annis Anatolius quoque Constantinopolitanus Illyricianos adigere studuit, ut postremo canoni, de quo mox dicemus, Chalcedonensi subscriberent, quo

Alexandrinæ, Antiochenæ & Hieroſolymitanæ ſedem ſuam præferri curaverat. Id ſibi certo teſtimonio conſtare Leo magnus ſignificavit Apocriſiario ſuo Juliano Coënſi epiſcopo. Nihil verò illum profeciſſe certum eſt. Nihilo ſubinde felicior fuit Epiphanii itidem Conſtantinopolitani ad eaſdem provincias invadendas conatus, quum Stephanum Lariſſæ Theſſaliæ metropolitam in ſua ſynodo exauctoraſſet. Stephanus ſiquidem re ad Sedis Apoſtolicæ judicium relata, Bonifacii II. Papæ ſententia reſtitutus fuit in Concilio Romano, in quo Theſſaliæ epiſcopi palam conteſtati ſunt, Byzantinis hoc præſertim ſtudii eſſe, *ut ſub ordinationem & jus ſanctæ regiæ civitatis Eccleſiæ ipſos miſeros efficiant.* Ad hæc, quum idem Epiphanius Achillem quemdam, neſcio cujus urbis Illyrici epiſcopum ordinaſſet, Juſtinianum Auguſtum adhibuit qui facinus ſuum excuſaret, ceu Imperatoris juſſione admiſſum. Quapropter vani illius conatus fuerunt.

Leo M. epiſt. 88.

Juſtinianus Imp. Romano Pont. regimen Illyrici adſerit.

VI. Quinimo Juſtinianus Imp. qui Achridam patriam ſuam Dardaniæ Europeæ oppidum provinciæ totius eſſe metropolim voluerat, eamque *Juſtinianam primam* nuncupari, ab Agapeto Papa & ab ejus ſucceſſore Vigilio petiit, ut diviſa Theſſalonicenſis antiſtitis vicaria per Illyricum poteſtate, *Juſtinianæ* epiſcopo Dacia utraque, Mediterranea & Ripenſis, Prævalis quoque, Myſia ſuperior & Pannonia cum Dardania adſignaretur. Novi hujus Romanæ ſedis vicariatus meminit ipſe Novella 451. cap. III. quam dedit anno 541. *Per tempus autem beatiſſimum primæ Juſtinianæ noſtræ patriæ Archiepiſcopum habere ſemper ſub ſua juriſdictione epiſcopos provinciarum Daciæ mediterraneæ & Daciæ ripenſis, & Prævalis, & Dardaniæ, & Myſiæ ſuperioris, & Pannoniæ, & ab eo hos ordinari; ipſum verò à proprio ordinari concilio, & in ſubjectis ſibi provinciis locum obtinere eum ſedis Apoſtolicæ Romanæ, ſecundum ea quæ definita ſunt à ſanctiſſimo Papa Vigilio.* Hoc pacto ſpes omnis Conſtantinopolitano Patriarchæ adimebatur regiones iſtas ſibi ſubjugandi, quas novæ Imperatoris ſanctiones Romano Papæ adſererent. Iſque fuit Eccleſiarum Illyrici ſtatus ad Bulgarorum uſque paganorum impreſſionem, nec non Leonis Iſauri Imp. tempora, à quo Romanæ omnes Sedi ereptæ ſunt quas Theſſalonicenſis Præſul illius nomine moderabatur; quum Gregorium utrumque II. & III. Pontifices ſuo erga ſacras imagines furori minimè faventes comperiſſet. Sed de his infra: interim alia Attici CP.ni tentamenta perſequi intereſt.

Atticus, Siſinniuſq; alia lege obtenta Aſianos aggrediuntur: cauſa cadunt.

VII. Atticus itaque ſpe ſua Illyrici Orientalis invadendi depulſus, alio ſe convertit, A atque à Theodoſio Legem alteram impetravit, ne quis *citra ſententiam auctoritatemque Epiſcopi Conſtantinopolitani epiſcopus ordinaretur.* Quo factum eſt, ut multos Aſiæ & Ponti epiſcopos hinc inde conſecraverit; quumque Nicæam epiſcopi conſtituendi cauſa veniſſet, extremum in ea diem obiit. Ex Socrate jam narravi, Troadenſibus, qui ab ipſo epiſcopum petierant, datum fuiſſe Silvanum, quem Philippopolis in Thracia epiſcopatu antea donaverat: Theodoſium & Agapetum de Synnadarum Phrygiæ Paca- B tianæ metropoli contendentes, judicaverat, adſignato epiſcopatu Agapeto, γράφει Ἀγαπητῷ ἔχεσθαι τῆς ἐπισκοπῆς, inquit idem Socrates. Qui rurſum narrat Cyzicenos in Helleſponto, quum Proclum ſibi à Siſinnio Attici ſucceſſore antiſtitem eſſe deſignatum accepiſſent, adventum illius prævertentes, Dalmatium ſibi quamprimum ordinari curaſſe, obtendiſſeque Legem illam, quam modo dixi, à Theodoſio ſoli Attico privatim conceſſam, non ut jus idem ſucceſſoribus ejus adtribueret. Verum paulatim ſubinde uſu venit, C ut Aſiæ & Ponti Antiſtites Conſtantinopolitani præſulis nutu conſtituti, ejuſdem proinde ſedi clientes fierent, quin & ipſe Cyzici metropolita. Nam Chalcedonenſis concilii act. XI. in qua *Stephani* & *Baſſiani* qui de Epheſino epiſcopatu litigabant, cauſa agitata eſt, amborum ordinationibus reſciſſis, quum de loco ubi Epheſi epiſcopus alter eligeretur & conſecraretur, inter Patres quæſtio eſſet, Diogenes Cyzici dixit: *Si Conſtantinopoli fuiſſet ordinatus epiſcopus, hæc non accidiſſent. Illic enim Salagamarios ordinant, unde per-* D *turbatio contigit.* Quibus verbis ſe ipſe Conſtantinopoli ordinatum innuebat, qui alios, ipſumque Epheſinum illius ſedis ordinationi ſubjiciendum cenſeret. Leontio Magneſiæ reſpondenti à S. Timotheo & deinceps viginti ſeptem exſtitiſſe Epheſi epiſcopos qui illic ordinati eſſent, præter unum Baſſianum qui Conſtantinopoli, unde multæ cædes contigerant; Philippus regiæ Urbis preſbyter regeſſit, Joannem Chyſoſtomum epiſcopos in Aſia quindecim depoſuiſſe, alioſque pro eis ordinaſſe; Memnonem fuiſſe Conſtantino- E poli confirmatum. Imo Aëtius archidiaconus adjecit: *Et Caſtinus hic ordinatus eſt: Heraclides itidem & alii cum ſententia & auctoritate Archiepiſcopi ordinati ſunt. Baſilium beatæ memoriæ Proclus ordinavit, cujus ordinationi faverunt Theodoſius Imp. & Cyrillus Alexandrinus.* Reclamantibus ex adverſo epiſcopis ut canones obſervarentur, clerici Byzantini ad canonem tertium ſecundæ Synodi provocarunt, rogantes ne Conſtantinopolitanæ ſedis privilegia perirent, ſed

Socr. l. 7. c. 3.

Ib. c. 28.

ordinatio Epheſini præſulis ab archiepiſcopo ſuo fieret; quaſi nimirum ſecunda Synodus canone illo quo dumtaxat ſecundus Byzantino tribuebatur locus, vicinas Diœceſes ejus juriſdictioni feciſſet obnoxias, quum honoraria ſolummodo præſidentia ei decreta eſſet. Ex quo apparet quanto ſtudio Conſtantinopolitani clerici adniterentur, ut, tum tertius ille ſecundi concilii Canon à numeroſâ ſynodo Chalcedonenſi confirmaretur, tum tres proximæ Diœceſes ſedis ſuæ antiſtiti irrevocabili ſanctione ſubderentur: ſed nihil tunc adhuc confecerunt, uti nec actione XXIII. in cauſa Baſilinopolitani, quem, tametſi nulla dignitate metropolitica fulgeret, à Conſtantinopolitano potiùs, quàm à Nicomedienſi metropolitâ ordinandum Aëtius clamavit.

Cur demum Thracica, Aſiana & Pontica Diœceſes Conſtantinopolitanæ ſedi ſubjectæ.

VIII. Cæterum variis de cauſis, nec ſane contemnendis, factum eſt ut provinciæ illæ fermè omnes ſeſe paulatim Conſtantinopolitanæ ſedi dediderint, ejuſque Pontifex ampliſſimi patriarchatus juriſdictionem ſit adeptus, quam ſubinde Anatolius cum ſuis clericis in concilio Chalcedonenſi ratam fieri curavit. Planè ex iis quæ in poſtremo illius ſynodi conventu canonis vigeſimi octavi cauſa hinc inde dicta geſtaque ſunt, diſcimus Euſebium Ancyræ ſeſe cum epiſcopis ſuæ provinciæ Byzantinæ ſedis ordinationi jam antehac addixiſſe. Quocirca palam proteſtatus eſt, ſe nihil curare ordinationes epiſcoporum; quumque Gangrenſes ad ſe de more veniſſent Callinici electionis decretum ferentes, noluiſſe illum conſecrare niſi acceptis à Proclo Conſtantinopolitano Litteris, ne in litem cum eo incurreret. Cæterum defuncto poſt dies aliquot Callinico, Gangrenſibus ab eo epiſcopum poſcentibus, ordinationi illius omnino renuntiaſſe; illos verò regiam in Urbem profectos, inde Petrum, qui in Concilio ſedebat, ſecum deduxiſſe. Adjecit ſe non ab alio niſi ab ipſomet Proclo conſecratum. Magna quoque pars aliorum metropolitarum Aſiæ ultrò declararunt, ſeſe Conſtantinopolitanæ ſedi ſubdidiſſe, ut Eccleſiarum ſuarum commodo & utilitati conſulerent; quum Epheſinam ſedem vix ulli homines frugi tenerent. Quinimò Thalaſſius ipſe Cæſarienſis totius Ponticæ Primas & ἔξαρχος, ordinatus à Proclo fuerat, quem Cæſarienſes, Firmo præſule ſuo defuncto, adierant, ut ipſis antiſtitem deſignaret.

Socr. l. 7. c. 47.

Speciale jus Conſtantinopolitano præſuli datum à concilio Chalcedonenſi.

IX. Quia igitur Conſtantinopolitanus Epiſcopus ea jam, nec modica prorſus, per Orientis provincias valebat auctoritate, idcirco canone ſexto Chalcedonenſi is honos ei decretus eſt, ut *ſi epiſcopus vel clericus cum ſuo metropolitano controverſiam habeat, ad Diœceſis Exarchum pergat*, ἢ τὸν τῆς βασι- A λευούσης Κωνσταντινουπόλεως θρόνον, *vel ad Imperatoriæ Urbis Conſtantinopolis thronum*, apud quem cauſa diſceptetur. Rurſum canone XVII. *ſi quis injuria afficitur à metropolitano ſuo, apud Exarchum ſuæ Diœceſis*, ἢ τῷ Κωνσταντινουπόλεως θρόνῳ δικαζέσθω, καθὰ προείρηται, *vel apud Conſtantinopolis thronum, cauſa judicetur, ut dictum eſt.* Quos quidem canones quidam ſic ſunt interpretati, ac ſi cujuſcumque Patriarchatus clericorum aut epiſcoporum adverſus metropolitanos ſuos negotia vel lites ad Conſtantinopolis antiſtitem referri B debuerint, & apud illum retractari. Quod prorſus verum non eſt: nam iſti canones ad Aſiaticos dumtaxat & Ponticos ſpectant, quorum primates ſive Exarchi hactenùs αὐτοκέφαλοι, ſuive juris hactenùs fuerant, Epheſinus ſcilicet & Cæſarienſis. Horum proinde judicia declinare permittebatur, & Conſtantinopolitanum Pontificem potius adire. Vix enim ac ne vix quidem repereris Patriarchatuum aliorum ulla negotia Conſtantinopoli agitata fuiſſe, niſi extraordinaria forſan commiſſione. Quod nempe fiebat in ea ſynodo, C quam Ενδημοῦσαν vocitabant, quæ, quum ex omnium penè gentium Orientis epiſcopis qui Principem variis de cauſis conveniebant, conflata eſſet, generalis ferè Concilii vices ſupplere videbatur.

Servata Patriarcharum jura.

X. Cæterum ne illius Conſtantinopolitanæ ſynodi Ενδημούσης judiciis Patriarcharum aliorum auctoritati detraheretur, eaque paulatim peſſumiret, Juſtinianus Imp. illorum in ſuarum Diœceſium metropolitas & provincias juriſdictionem ſartam tectam manere curavit, data Novella 123. cujus cap. 22. D ſancitur, ut, ſi contra metropolitam provocare velit, vel epiſcopus, vel clericus, vel alia quæcumque perſona, ipſe illius Patriarcha cauſam judicet, ὁ τῆς διοικήσεως ἐκείνης μακαριώτατος Πατριάρχης τὸ πρᾶγμα κρινέτω. Id quod Photius in Nomocanone, tit. IX. c. I. confirmat Novellâ 137. εἰ δὲ μητροπολίτης κατηγορεῖται, ὁ πατριάρχης αὐτοῦ σκοπεῖ. *Quod ſi metropolitanus accuſatur, illius Patriarcha cauſam cognoſcit.* Quocirca Zonaras, Balſamon, & Matthæus Blaſtares declarant, Conſtantinopolitano antiſtiti minimè licere ut negotia E aliarum Diœceſium ſive Patriarchatuum judicet, ſed unumquemque Patriarcham debere ditionis ſuæ cauſas omnes finire; quod de ſolito more intelligendum eſt, quando conſtat poſterioribus etiam noſtris temporibus graviora identidem Patriarchatuum reliquorum negotia ad Conſtantinopolitanam ſynodum referri, ut ſuo iterum loco dicemus. Hæc porrò de ſexto & decimo ſeptimo canone Chalcedonenſi dicta ſunto, qui in generali illa ſynodo Chalcedonenſi ab Orientalibus

omnibus sunt admissi. Nunc de vigesimo octavo, quo ampliora Constantinopolitanæ sedi privilegia accesserunt, agendum nobis est.

CAPUT VI.

Constantinopolitani Patriarchatûs institutio.

Canon XXVIII. Chalcedonensis concilii.

I. ABSOLUTIS in Chalcedonensi Concilio, quæ ad Eutychianam Nestorianamque hæreses, eorumque auctores & patronos proscribendos opus esse Patribus visa erant, edita Fidei definitione, nonnullisque causis aliis minoris pretii finitis, quum nullus Alexandrinus Præsul adesset, nullus Ephesinus; quum maxima pars episcoporum Chalcedone discessissent, nec quidquam aliud amplius statuendum videretur; actione postrema, quæ die ultimâ Octobris habita est, Constantinopolitanæ Ecclesiæ clerici Patres qui remanserant, numero circiter ducentos, ac præsertim Leonis Magni Legatos & proceres synodi moderatores rogaverunt, ut de quibusdam quæ ad Ecclesiam spectarent suam decerneretur. Legati Romani horum participes esse nolentes à conventu discesserunt, quinetiam proceres; qui tamen hoc negotium à Patribus qui aderant, peragendum dixere. His recedentibus, canon vigesimus octavus editus est, quem integrum Græcè Latinèque recitare interest, quippe quo Archiepiscopo Constantinopolitano in tres amplissimas Diœceses jura contineantur & declarentur. Πανταχοῦ τοῖς τῶν ἁγίων πατέρων ὅροις ἑπόμενοι, τὸν ἀρτίως ἀναγνωσθέντα κανόνα τῶν ρν΄. θεοφιλεστάτων πατέρων τῶν συναχθέντων ἐπὶ τοῦ εὐσεβοῦς τὴν μνήμην Θεοδοσίου τοῦ γενομένου βασιλέως, ἐν τῇ βασιλίδι Κωνσταντινουπόλει νέᾳ Ῥώμῃ, γνωρίζοντες τὰ αὐτὰ καὶ ἡμεῖς ὁρίζομεν καὶ ψηφιζόμεθα περὶ τῶν πρεσβείων τῆς ἁγιωτάτης ἐκκλησίας τῆς αὐτῆς Κωνσταντινουπόλεως νέας Ῥώμης. καὶ γὰρ τῷ θρόνῳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην, οἱ πατέρες εἰκότως ἀποδεδώκασι τὰ πρεσβεῖα, καὶ τῷ αὐτῷ σκοπῷ κινούμενοι οἱ ρν΄. θεοφιλέστατοι ἐπίσκοποι, τὰ ἴσα πρεσβεῖα ἀπένειμαν τῷ τῆς νέας Ῥώμης ἁγιωτάτῳ θρόνῳ, εὐλόγως· κρίναντες τὴν βασιλείᾳ καὶ συγκλήτῳ τιμηθεῖσαν πόλιν, καὶ τῶν ἴσων ἀπολαύουσαν πρεσβείων τῇ πρεσβυτέρᾳ βασιλίδι Ῥώμῃ, καὶ τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ὡς ἐκείνην μεγαλύνεσθαι, δευτέραν μετ᾽ ἐκείνην ὑπάρχουσαν. καὶ ὥστε τῆς Ποντικῆς καὶ τῆς Ἀσιανῆς καὶ τῆς Θρᾳκικῆς μητροπολίτας μόνους, ἔτι δὲ καὶ τοὺς ἐν τοῖς βαρβαρικοῖς ἐπισκόπους τῶν προειρημένων διοικήσεων χειροτονεῖσθαι ὑπὸ τοῦ προειρημένου ἁγιωτάτου θρόνου τῆς κατὰ τὴν Κωνσταντινούπολιν ἁγιωτάτης ἐκκλησίας, δηλαδὴ ἑκάστου μητροπολίτου τῶν προειρημένων διοικήσεων μετὰ τῶν τῆς ἐπαρχίας ἐπισκόπων χειροτονοῦντος τοὺς τῆς ἐπαρχίας ἐπισκόπους,

A καθὼς τοῖς θείοις κανόσι διηγόρευται· χειροτονεῖσθαι δὲ καθὼς εἴρηται τοὺς μητροπολίτας τῶν προειρημένων διοικήσεων παρὰ τοῦ ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως, ψηφισμάτων συμφώνων κατὰ τὸ ἔθος γενομένων, καὶ ἐπ᾽ αὐτὸν ἀναφερομένων. *Definitiones sanctorum Patrum ubique, & regulam quæ relecta est centum & quinquaginta episcoporum, qui congregati sunt sub piæ memoriæ Theodosio in regia civitate Constantinopoli nova Roma, recognoscentes & nos, eadem definimus de privilegiis ejusdem sanctissimæ ecclesiæ novæ Romæ. Etenim sedi senioris Romæ propter imperium civitatis illius Patres merito*
B *privilegia reddiderunt, & eadem intentione permoti, centum quinquaginta Dei amantissimi episcopi æqua sanctissimæ sedi novæ Romæ privilegia tribuerunt, rationabiliter judicantes, Urbem imperio & senatu ornatam & æqualibus seniori Romæ privilegiis fruentem, in ecclesiasticis negotiis sicut illam majestatem habere, & secundam post illam existere: & illos qui de Pontica, Asiana & Thracica Diœcesibus sunt Metropolitanos solos, itemque illos qui inter barbaros sunt, prædictarum Diœcesium Episcopos ordinari à prædictæ sanctissimæ Constantinopolitanæ sedis sanctissima*
C *Ecclesia; nimirum ut unusquisque Metropolitanus prædictarum Diœcesium cum Episcopis provinciæ suæ ordinet suæ regionis episcopos, sicut divinis canonibus est præceptum: ordinari autem Metropolitas, sicut dictum est, præfatarum Diœcesium à Constantinopolitano Archiepiscopo, decretis consonis secundum morem factis, & ad eum relatis.*

II. Canonem istum, cui Maximus Antiochenus, Juvenalis Hierosolymitanus, Thalassius Cæsariensis, cum multis de Syria, Palæstina, Ponto, Galatia, Bithynia & Lycia, nec non Asianis quibusdam subscripserant, — Adversus hunc canonem Legati Romani interpellant.
D ubi Romanæ sedis Legati post suam discessionem editum intellexissent, revocari episcopos ad synodum postularunt, relectoque canone adversus illum interpellarunt. Quibus proinde succenturiati sunt Illyriciani præsules, uti par erat, quos etiam anteriori sessioni non adfuisse recte colligitur, quando nomina ipsorum inter subscriptiones non apparent. Illis addi possunt Eusebius ille Ancyræ Galatiæ metropolita, Leontius Magnesiæ & Asiani complures, quibus solenne

erat nihil niſi Epheſino Pontifice metropolita A & Primate ſuo duce patrare, quique, ut prædiximus, Epheſinum epiſcopum Chalcedone coram Synodo, vel Conſtantinopoli præter morem eligere recuſarant, ne à Byzantino antiſtite conſecratus, ejus in poſterum cum provinciis ſuis ordinationi ſubjectus fieret. Atqui Leonis Papæ Vicarii epiſcopos circumventos, vique ad ſubſcribendum adactos fuiſſe cauſati ſunt: contra verò illorum complures ſe lubentiſſimè Conſtantinopolitano throno obnoxios fieri velle dixerunt. Tum Lucentius Legatorum unus Nicænos canones poſthabitos B queſtus, Synodi verò Conſtantinopolitanæ decretum in canone appellatum nullius eſſe roboris cauſatus eſt, quippe quod inter Synodorum regulas minimè cenſeretur. Non enim à Romana ſede Apoſtolica, neque ab Alexandrina, aliiſque multis Eccleſiis admiſſum erat. *Cæterum,* adjecit ille, *ſi his temporibus eo beneficio uſi ſunt* (Byzantini) *quid nunc requirunt, ac ſi non illo, ut fert canonum præſcriptum, potiti ſint! ſin verò numquam uſi ſunt, quare nunc requirunt!* Deinde Aëtio Conſtantinopolitano Archidiacono, C qui condendi canonis magna pars fuerat, roganti, ut ſi quid à Leone mandati hanc in rem acceperant, palam coram Patribus efferrent, Bonifacius preſbyter Apoſtolicæ ſedis Legatorum alter, hoc ſibi inter cætera à Leone Papa injunctum reſpondit, quod è chartula recitavit: *Sanctorum quoque Patrum conſtitutionem prolatam nulla patiamini temeritate violari, vel imminui, ſervantes omnibus modis perſonæ noſtræ in vobis quos vice noſtra tranſmiſimus dignitatem: ac ſi qui forte civitatum ſuarum ſplendore confiſi, aliquid ſibi tentaverint D uſurpare, hoc qua dignum eſt conſtantia retundatis.* Mox proceribus adnuentibus ut regulæ legerentur, Paſchaſinus Legatus canonem ſextum Nicænum ut in Romanæ Eccleſiæ Codice ferebatur, recitavit; quo nempe, uti ſua Alexandrinæ & Antiochenæ eccleſiis privilegia inviolata ſervari præcipiebatur, ita & ad ampliorem civitatum honorem primatus omninò ſervandos; adeò ut etiam de more veteri Æliæ, ſive Hieroſolymorum epiſcopo ſuus honos deferatur, ſalva metropolitani ipſius dignitate. Eumdem vero E canonem Conſtantinus à ſecretis Conſiſtorii legit ut jacebat in Codicibus Græcis, perinde ſaltem atque in Codice Romano, quo Eccleſiarum primatus & prærogativas tuendas eſſe præſcribebatur.

Epiſcopi complures de Ponto & Aſia ei ſuffragantur.

III. His hinc inde dictis propter Alexandrinæ, Antiochenæque, & Hieroſolymitanæ ſedium dignitatem, optimates rogarunt, ut Ponticæ Aſianæque Diœceſium epiſcopi palam edicerent, num ſponte aut neceſſitate coacti canoni illi ſubſcripſiſſent. Tum metropolitani qui ſubſcripſerant, in medium prodeuntes, nullam ſibi vim injectam affirmavere. Euſebius vero Ancyranus excepit, metropolitæ Gangrorum ordinationem ſui juris eſſe, quo tamen vitandæ litis gratiâ Proclo Conſtantinopolitano ceſſerat, quum minus curaret epiſcopos ordinare. Allato enim ſibi à Gangrenſibus electionis Callinici decreto, noluiſſe illum ordinare, niſi acceptis à Proclo literis; ac Callinico poſt paucos dies defuncto, Gangrenſibus qui ad ſe epiſcopum alterum poſtulaturi venerant, nequaquam adnuiſſe; quamobrem illos Conſtantinopolim profectos, Petrum à Proclo conſecratum in urbem ſuam deduxiſſe. Adjecit ſe à Proclo perinde conſecratum eſſe. Quæ quidem moroſiori animo ſic Euſebius retulit, ut ſibi nihilominùs non arridere ſignificaret novellum illum canonem, quo Eccleſiæ ſuæ jura in totum exſcindebantur. Quocirca Thalaſſius Cæſarienſis nulla mora paucis ſtrictim dixit: *Pergimus ad Dominum Anatolium Archiepiſcopum, idque ratum habemus.* Quo audito, optimates pronunciarunt: *Omnem quidem primatum & honorem præcipuum ſecundum canones antiquæ Romæ Dei amantiſſimo archiepiſcopo conſervari debere; oportere autem ſanctiſſimum archiepiſcopum regiæ Conſtantinopolis novæ Romæ iiſdem prærogativis honoris frui, & poteſtatem habere ordinandi metropolitas in Aſiana, Pontica & Thracica Diœceſibus: hoc ſcilicet modo, ut decreto facto ab uniuſcujuſque metropolis clericis & poſſeſſoribus ſeu civibus atque clariſſimis viris, inſuper & reverendiſſimis epiſcopis provinciæ omnibus vel pluribus, eligatur is quem præfatæ metropolitanæ Eccleſiæ epiſcopum dignum eſſe probaverint: referatur autem ab omnibus eligentibus ſanctiſſimo Archiepiſcopo regiæ Conſtantinopolis, ut penes eum ſit, ſi velit, hunc qui electus erit, advenire & hic ordinari, aut ſecundum ejus permiſſionem in provincia ex decreto epiſcopatum conſequi. Uniuſcujuſque tamen civitatis ſanctiſſimos epiſcopos ordinari ab omnibus vel pluribus provinciæ reverendiſſimis epiſcopis, poteſtatem habente metropolitano ſecundum Patrum regulas definitam, etiam nihil communicante in illorum ordinationibus ſanctiſſimo archiepiſcopo regiæ Conſtantinopolis.* Ita quidem illi Synodi Imperatoris nomine moderatores canonem conditum exponendo, jus Patriarchale quod metropolitarum præſertim ordinatione conſtabat, Byzantino epiſcopo adſeruerunt. His porrò ſic dictis, epiſcopi omnes qui aderant manibus pedibuſque ſtatim ſuffragati ſunt.

Leonis Papæ Legatorum conſtans renitentia.

IV. Tum Lucentius ſedis Apoſtolicæ vicarius his palam verbis ex adverſo interceſſit:

Sedes

Sedes Apostolica præsentibus nobis non debet humiliari, (Actorum synodi Græca phrasis habet : *Sedes Apostolica cuncta nobis præsentibus peragi præcepit*) *& ideò quæcumque in præjudicium canonum hesterna die gesta sunt nobis absentibus, sublimitatem vestram petimus ut auferri jubeatis ; sin verò contradictio nostra his gestis inhæreat, ut noveritis, quid Apostolico & universæ Ecclesiæ primario Episcopo referre debeamus, ut ipse de suæ sedis injuria, aut de canonum eversione possit ferre sententiam.* Atqui Lucentius præter Nicænarum regularum, imò pristini ordinis eversionem, sedi Apostolicæ irrogatam injuriam meritò causabatur, tum quia in illo conventu nulla interpellationis suæ suorumque sociorum, sedisque adeo illius cujus vices gerebant, haberi ratio videbatur; tum etiam quod Aëtius aliique clerici Constantinopolitani in illo canone cujus primi auctores erant, Romanæ Ecclesiæ Primatum, quem valde commendare simulabant, admodum deprimerent. Hunc enim ab Urbis Romæ quæ caput Imperii erat dignitate & excellentia arcessebant, non ab ipso Apostolorum principe Petro qui illius institutor pastorque primus fuerat; eo utique consilio ut Constantinopolitanam suam sedem Romanæ, etsi modis omnibus inferiorem, Apostolicæ æquipararent.

Patres canonis illius confirmationem à Leone flagitant.

V. Hæc tamen Romanorum Legatorum interpellatio & protestatio, in causa tamdem fuit, cur Patres in Synodali sua quam ad Leonem Papam in hoc postremo conventu scripserunt, quæque ab his verbis incipit, Ἐπλήσθη χαρᾶς τὸ στόμα ἡμῶν. *Repletum est gaudio os nostrum*, postremi illius decreti sui confirmationem ab ipso enixe postularunt. Γνωρίζομεν δὲ, inquiunt, ὡς καὶ ἕτερα τινὰ τῆς τῶν πραγμάτων εὐταξίας, καὶ τῆς τῶν ἐκκλησιαστικῶν θεσμῶν εὐταξίας ἕνεκα ὡρίσαμεν, πεπεισμένοι καὶ τὴν ὑμετέραν ἁγιωσύνην ἀποδέχεσθαί τε ταῦτα καὶ βεβαιοῦν. τὸ γὰρ ἐκ πολλοῦ κρατῆσαν ἔθος ὅπερ εἶχεν ἡ Κωνσταντινουπολιτῶν ἁγία τοῦ Θεοῦ ἐκκλησία εἰς τὸ χειροτονεῖν μητροπολίτας τῶν διοικήσεων τῆς Ἀσιανῆς καὶ Ποντικῆς καὶ Θρακικῆς, καὶ νῦν κατὰ συνοδικὴν ἐκυρώσαμεν ψῆφον· οὐ τοσοῦτον τῷ θρόνῳ Κωνσταντινουπόλεώς τι παρέχοντες, ὅσον ταῖς μητροπόλεσι τὴν εὐταξίαν πρυτανεύοντες, διὰ τὸ πολλοὺς πολλάκις τελευτώντων τῶν ἐπισκόπων, ἀνακύπτειν θορύβους, ἀνηγεμονεύτων ὄντων τῶν ἐν αὐταῖς κληρικῶν τε καὶ λαϊκῶν, καὶ τὴν ἐκκλησιαστικὴν τάξιν συγχεόντων· ὅπερ οὐδὲ τὴν ὑμετέραν ἔλαθεν ἁγιότητα, μάλιστα τῶν Ἐφεσίων ἕνεκεν πλεονά ς ὑμῶν διενοχληθέντων. ἐβεβαιώσαμεν δὲ καὶ τὸν τῶν ρν΄. ἁγίων τῶν ἐν Κωνσταντινουπόλει συναθροισθέντων ἐπὶ τῆς εὐσεβοῦς μνήμης τοῦ μεγάλου Θεοδοσίου κανόνα τὸν διαγορεύοντα μετὰ τὸν ὑμέτερον καὶ ἁγιώτατον καὶ ἀποστολικὸν θρόνον τὰ πρεσβεῖα τὴν Κωνσταντινουπόλεως ἔχειν· *Notum vero facimus, quia & alia pro rerum ipsarum recto ordine, & propter Ecclesiasticorum statutorum firmitatem definivimus, scientes vestram quoque Sanctitatem hæc approbaturam esse & confirmaturam. Quum enim consuetudine quæ ex longo tempore obtinuit, quam habuit Constantinopolitana sancta Dei ecclesia ordinandi metropolitanos provinciarum, tam Asiæ, quam Ponticæ & Thracicæ, & nunc synodali decreto firmavimus, non tam sedi Constantinopolitanæ aliquid præstantes, quam metropolitanis urbibus rectum ordinem providentes; eo quod frequenter defunctis episcopis multæ turbæ nascantur, clericis & populis qui per easdem sunt civitates, absque rectore manentibus, & ecclesiasticum ordinem confundentibus. Id quod nec vestram latuit sanctitatem, maximè propter Ephesios, quorum causâ molestia sæpe affecti estis. Confirmavimus insuper centum & quinquaginta episcoporum regulam, qui Constantinopoli congregati sunt sub piæ memoriæ magno Theodosio, qua præceptum est, ut post vestram sanctissimam sedem, prærogativam habeat Constantinopolitana.* Pergunt Constantinopolitanam sedem à Romana multis frequentibusque beneficiis auctam profitentes : Πεπεισμένοι, ὡς τῆς ἀποστολικῆς παρ' ὑμῖν κρατούσης ἀκτῖνος, καὶ ἐπὶ τὴν ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐκκλησίαν συνήθως ἐκδιδόμενοι, πολλάκις αὐτὴν ἡπλώσατε διὰ τὸ ἄφθονον ὑπάρχειν ὑμῖν τῶν οἰκείων ἀγαθῶν πρὸς τοὺς γνησίους μετάδοσιν. *Persuasi scilicet, quod micante apud vos Apostolico radio, usque ad Constantinopolitanam ecclesiam pro solita vestra erga eam sollicitudine illum sæpius explicuistis; ut pote qui absque invidia vestrorum bonorum participatione illos locupletis, qui sincere vobis conjuncti sunt. Quæ igitur ad tollendam omnem deinceps confusionem, confirmandum verò ordinem ecclesiasticum definivimus, hæc veluti propria & amica, atque ad decorem convenientissima, amplecti dignare, sanctissime & beatissime Pater. Qui enim locum vestræ sanctitatis obtinent, sanctissimi episcopi Paschasinus & Lucentius, & qui cum illis est reverendissimus presbyter Bonifacius, his ita constitutis vehementer resistere tentarunt; proculdubio hoc quoque bonum volentes à vestra Beatitudine inchoari. Nos enim obsequentes, non modo piissimis & christianissimis Imperatoribus, quibus id gratum erat, verum etiam clarissimo Senatui, totique, ut ita dicamus, regiæ civitati, opportunum esse credidimus, honoris ejus confirmationem ab universali Concilio celebrari, & tamquam hæc à tua sanctitate fuerint inchoata, per ea quibus hanc fovere semper studuisti, roborare ausi sumus, scientes quidquid à filiis rectè geritur, id ad proprios ipsorum patres recurrere.* His præmissis quibus nihil ad Pontificem Romanum demulcendum, &

persuadendum aptiùs & urgentiùs efferri poterat, hæc alia subjungunt ad suam erga Romanam sedem reverentiam significandam. Παρακαλοῦμεν τοίνυν, τίμησον καὶ ταῖς σαῖς ψήφοις τὴν κρίσιν ἡμῶν. ὥσπερ ἡμεῖς τῇ κεφαλῇ τὴν ἐν τοῖς καλοῖς συμφωνίαν εἰσενηνόχαμεν, οὕτω καὶ ἡ κορυφὴ τοῖς παισὶν ἀναπληρούτω τὸ πρέπον. *Rogamus igitur, tuis decretis nostrum honora judicium; & sicut nos Capiti consensum inbonis præstitimus, sic & verticalis summitas tua in filiis quod deest, impleat. Sic enim & religiosis principibus gratum illud erit, qui sanctitatis tuæ judicium veluti legem firmaverunt, & Constantinopolitana sedes suscipiet præmium, quæ omne semper studium vobis ad causam pietatis explevit, & semetipsam vobis ad concordiam eodem zelo conjunxit. Ut autem cognoscatis quia nihil alicui donando gratiam fecimus, aut per inimicitias aversando* (nempe propter Dioscorum Alexandrinum, quem proscripserant,) *sed ut nutu gubernati divino*, πᾶσαν ὑμῖν τῶν πεπραγμένων τὴν δύναμιν ἐγνωρίσαμεν εἰς σύστασιν ἡμετέραν, καὶ τῶν πεπραγμένων βεβαίωσίν τε καὶ συγκατάθεσιν, *omnem vobis gestorum vim notam facimus ad comprobationem nostræ sinceritatis, & ad eorum quæ gesta sunt confirmationem & consensionem.*

Qua demum de causa.

VI. Epistolæ huic, quam proculdubio Constantinopolitani clerici multa arte composuerunt ut à Patribus admitteretur, episcopos complures qui aderant subscripsisse nullus dubito, quum non satis prospicerent quo demum progressura essent Anatolii & Byzantinorum consilia. Alioqui verò apprimè noverant, informe illud statutum, cui Romanæ sedis Vicarii jam strenuè repugnarant, nisi à Romano Pontifice totius ovilis Christi præside, & cui Occidentalis omnis tractus, amplissima nobilissimaque Christiani orbis pars, obnoxia erat, speciali sanctione ratum fieret, nihil prorsus valiturum; quando non Leonis modo Legati, quinetiam Illyriciani, sed nec Ægyptii atque Ephesii illi adstipulati erant; quorum tamen privilegia quæ Nicæna synodus sarta tecta manere voluerat, pessumdabantur. Omitto, ex sexcentis & ampliùs Patribus, qui Chalcedonem ad synodum convenerant, post Fidem Catholicam definitam & adsertam, post Eutychem & Dioscorum, ut par erat, damnatos, vix ducentos post sextam actionem remansisse, reliquis, præcipuo negotio propter quod vocati erant, confecto, ad suas sedes regressis.

Marcianus Imp. canonem à Leone confirmari rogat.

VII. Non solum autem episcopi qui canoni suffragati erant, à Leone Papa confirmationem postularunt, sed & Imperator ipse Marcianus hunc sibi arridere significavit, data ad eumdem Pontificem maximum suo Valentinianique III. Imp. nomine epistola Sacra, quam per Lucianum episcopum & Basilium diaconum misit. Ἐπειδὴ καὶ τοῦτο ἐτυπώθη, inquit, ὥστε τὰ παρὰ τῶν ρν'. ἐπισκόπων ἐπὶ τῆς θείας λήξεως προέδρου Θεοδοσίου τῆς ἡμῖς ἕνεκα τῆς σεπτῆς ἐκκλησίας τῶν Κωνσταντινουπολιτῶν τυπωθέντα, καὶ ἅτινα νῦν ὑπὸ τῆς ἁγίας συνόδου περὶ τοῦ αὐτοῦ πράγματος τετύπωται, βέβαια φυλαχθέντα, ἵνα μετὰ τὸν ἀποστολικὸν θρόνον, ὁ τῆς Κωνσταντινουπόλεως εὐθέως ἐπίσκοπος δεύτερον ἔχῃ τόπον· ἐπειδὴ περιφανεστάτη πόλις δευτέρα Ῥώμη προσαγορεύεται, καταξιώσῃ ἡ σὴ ἁγιωσύνη καὶ τῷ μέρει συναινέσαι· εἰ καὶ οἱ εὐλαβέστατοι ἐπίσκοποι εἰς τόπον τῆς σῆς θεοφιλείας ἐν τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ ἀντεῖπον· σφοδρότατα γὰρ ἐκώλυον περὶ τῆς σεπτῆς ἐκκλησίας τυπωθῆναί τι ἐν τῇ συνόδῳ. ἐλπίζομεν δὲ ὡς συμφωνούντων τῶν τοῦ παντὸς κοσμοῦ ἱερέων τὰ τοῖς Ῥωμαϊκοῖς πράγμασι λυσιτελοῦντα ἡ θεία πρόνοια παρασχεῖν καταξιώσει. διὸ δὲ διὰ Λουκιανοῦ ἐπισκόπου καὶ Βασιλείου τοῦ διακόνου πάντα ὑμῖν γνωρισθῆναι ἐθεσπίσαμεν, καὶ αἰτοῦμεν τὰ παρὰ τῆς ἁγίας συνόδου τυπωθέντα ἵνα καὶ ἡ σὴ εὐσέβεια εἰς τὸ διηνεκὲς παραφυλαχθῆναι προστάξῃ. *Quoniam autem & hoc statutum est, ut ea quæ centum & quinquaginta episcopi sub divinæ memoriæ Theodosio principe de honore venerabilis ecclesiæ Constantinopolitanæ statuerant, & quæ nunc à sanctâ synodo ea de re statuta sunt, firma serventur, scilicet ut post sedem Apostolicam, Constantinopolitanæ urbis antistes secundum obtineat locum: quoniam & eadem splendidissima civitas junior Roma nuncupatur, dignetur Sanctitas tua etiam huic parti adhibere consensum; quamvis reverendissimi episcopi, qui tuam vicem agentes ad sanctam synodum convenerunt, contradixerint. Vehementer enim prohibuerunt de venerabili ecclesiâ à synodo aliquid ordinari. Speramus autem quod concordantibus toto corde sacerdotibus, ea quæ Reip. Romanæ proderunt, divinus favor præstare dignabitur. Qua de re per Lucianum religiosissimum episcopum & Basilium Diaconum harum latores omnia vobis insinuari oportere censuimus & petimus, ut ea quæ sancta synodus statuit, religio tua in perpetuum jubeat observari.* Data epistola est Constantinopoli XV. *Kal. Jan. anno 452.* Hæc modestissime scribebat religiosissimus princeps, Anatolii proculdubio ejusque clericorum votis annuens, quum nec ipse omnino perspectum haberet quo tamdem spectarent illorum consilia & molimina, quamque ecclesiastico ordini adversaria essent; quibus meliùs posthac cognitis, cœptis desistendum judicavit.

CAPUT VII.

S. Leonis Papæ adversus Canonem XXVIII. Chalcedonensem conatus.

Canoni XXVIII. Chalcedonensi Leo Papa refragatur: Marciano rescribit.

I. LEO Papa acceptis, tum synodi, tum Imperatoris literis, per earum latores Lucianum episcopum & Basilium Diaconum, Marciano, Pulcheriæ, & Anatolio de synodi exitu felici rescripsit. At Marciano quidem, postquam gratulatus est de partâ catholicæ Fidei victoriâ, mox nimiam Anatolii ambitionem acri stylo perstrinxit, in memoriam revocans ejus ordinationem, cujus vitium, etsi ab Eutychianis Dioscoro annuente, facta erat, assensu tamen suo benignè ipse correxerat. Cæterum, *etiamsi præcipuis meritis, optimoque judicio solenniter fuisset ordinatus; contra reverentiam tamen canonum paternorum, contra statuta Spiritûs sancti, contra antiquitatis exempla, nullis posset*, inquit, *suffragiis adjuvari. Habeat, sicut optamus* (pergit sanctissimus vereque apostolicus Pontifex) *Constantinopolitana civitas gloriam suam, & protegente dexterâ Dei diuturno clementiæ suæ fruatur imperio. Alia tamen ratio est rerum sæcularium, alia divinarum; nec præter illam petram quam Dominus in fundamento mirè posuit, stabilis erit ulla constructio, sed propria perdit, qui indebita concupiscit. Satis sit prædicto, quod vestræ pietatis auxilio, & mei favoris assensu episcopatum tantæ urbis obtinuit. Non dedignetur regiam civitatem, quam Apostolicam non potest facere sedem: nec ullo speret modo, quod per aliorum possit offensiones augeri.* Dioscori scilicet Alexandrini immania adversus Fidem catholicam & sedem Romanam facinora postremis hisce vocibus Leo significabat; propter quæ, quum ille à synodo exauctorari meruisset, exinde Constantinopolitani opportunum sibi tempus adesse putaverant, secundum inter Ecclesiæ præsules locum Alexandrino episcopo adimendi, suoque antistiti vindicandi. Hujus porro consilii vanitatem hoc modo statim confutat: *Privilegia enim ecclesiarum sanctorum Patrum canonibus instituta, & venerabilis Nicænæ synodi fixa decretis, nullâ possunt improbitate convelli, nulla novitate violari. In quo opere, auxiliante Christo, fideliter exequendo, necesse est me perseverantem exhibere famulatum: quoniam dispensatio mihi credita est, & ad meum tendit reatum, si paternarum regulæ sanctionum quæ in synodo Nicæna ad totius Ecclesiæ regimen Spiritu Dei instruente sunt conditæ, me (quod absit) connivente violentur, & major sit apud me fratris voluntas quam universæ*

A *domus Domini communis utilitas.* Quamobrem Imperatoris clementiam obsecrat, ut improbis, & unitati Christianæ & paci contrariis ausibus omnino non assentiatur, ac fratris Anatolii nocituram ipsi, si perstiterit, cupiditatem salubriter comprimat; ne ea quæ gloriæ Principis atque temporibus inimica sint, cupiens, decessoribus suis fieri major contendat: consultiùs eum fuisse facturum, si quum sedis Romanæ Legati adversus canonem illum intercederent, ab illicito appe- B titu ob illorum saltem salutarem interpellationem cessasset: at inexcusabiliorem ejus præsumtionem evasisse, quæ se nec increpata cohibuerit. Quamobrem Augusti Fidei convenire, ut sicut hæresis Deo per illum agente destructa erat, ita etiam ipsius opera ambitus omnis retundatur. Christianæ siquidem ac regiæ ipsius probitatis ac solicitudinis esse, ut Anatolius Patribus pareat, paci consulat; sed nec id sibi existimet licuisse, quod Antiochenum episcopum sine ullo exemplo con- C tra statuta canonum ordinare præsumserit: *quod*, inquit, *amore reparandæ Fidei, & pacis studio retractare cessavimus.* Nimirum, quum Domnus Antiochenus à Dioscoro in spuriâ synodo Ephesina episcopatu dejectus esset, in ejus locum Maximus Constantinopoli ab Anatolio suffectus ordinatusque erat, contra statuta majorum, atque conciliorum, tum Nicæni, tum etiam Constantinopolitani. Tamdem Pontifex hoc epistolæ suæ caput his verbis absolvit, quibus se illum, nî resipis- D cat, communionis suæ extorrem facturum minatur: *Abstineat ergo ab ecclesiasticarum injuriâ regularum, & illicitos declinet excessus, ne se ab universali ecclesiâ, dum inimicâ paci tentat, abscindat; quam opto magis irreprehensibiliter agentem diligere, quàm in hac præsumtione, quæ illum ab omnibus separare poterit, perdurare.* Cæterum Imperatorem certiorem esse vult Leo, Lucianum episcopum, quem Romam cum Basilio diacono missum vidimus ut negotium istud gereret, E omni curâ & devotione injunctæ legationis partes implevisse, *nec æstimandum negotio defuisse, quem potiùs causa deseruit.* Data est epistola hæc *undecimo Kal. Junii, Herculano viro clariss. Cos.* seu anno 452.

II. Ad Pulcheriam itidem Augustam Leo, eodem quo ad Marcianum stylo scripsit. Fratrem coëpiscopum suum Anatolium — Pulcheriæ Augustæ.

» ingrati perinde animi taxat, qui parùm conſiderans, quanto pietatis beneficio, ſuique favoris aſſenſu Conſtantinopolitanæ eccleſiæ ſacerdotium eſſet conſequutus, non tam de gratiis acceptis, quam de immodicis ſupra menſuram ſui honoris appetendis accenſus eſſet, *credens huic tam intemperanti cupiditati prodeſſe, quod ei quorumdam conſenſum ſuum præbuiſſe dicitur extorta ſubſcriptio.* En Auguſtæ renuntiare non dubitat, quod Vicarii ſui coram proceribus totaque ſynodo inſinuaverant, pleroſque epiſcoporum invitos decreto illi nomina ſua adjeciſſe; ſed de ea vi Patribus illata ſuus iterum ſermo erit. Pergit Pontifex: *Conſtantinopolitanæ præſul eccleſiæ quid ampliùs quam aſſequutus eſt, concupiſcit! aut quid illi ſatisfaciet, ſi tantæ Urbis magnificentia & claritudo non ſufficit! ſuperbum nimis eſt & immoderatum ultrà proprios terminos tendere, & antiquitate calcata, alienum jus præripere: atque ut unius creſcat dignitas, tot metropolitanorum impugnare primatus, quietiſque provinciis, & olim ſanctæ ſynodi Nicænæ moderatione diſpoſitis, bellum novæ perturbationis inferre: atque ut venerabilium Patrum decreta ſolvantur, quorumdam epiſcoporum proferre conſenſum, cui tot annorum ſeries negavit effectum. Nam ſexageſimus fere annus hujus conniventiæ eſſe jactatur, quâ ſe prædictus epiſcopus æſtimat adjuvari, fruſtra cupiens id ſibi prodeſſe, quod etiamſi quiſquam auſus eſt velle, nullùs tamen potuit obtinere.* Quibus verbis canonem, qui in ſecundâ ſynodo pro ſede Conſtantinopolitanâ editus erat, admiſſum hactenus non fuiſſe declarat. Mox vero divini Flaviani modeſtiam ſummam objicit, quam ſucceſſor ejus Anatolius imitari debuiſſet, *non ambiendo humana,* inquit, *ſed promerendo divina.*

S. Flaviani CP. modeſtia laudatur.

III. Enimvero, ut inſignis modeſtiæ S. Flaviani ſpecimen aliquod demus, tametſi in Conſtantinopolitanâ ſuâ ſynodo *τῇ ἐνδημούσῃ*, in qua Eutyches primùm damnatus fuit, Eunomii Nicomedienſis cum Anaſtaſio Nicæno definire litem poſſet; (quum nempe Nicænus epiſcopi Baſilinopolis ordinationem ſibi vellet arrogare) ipſomet Anaſtaſio coram Chalcedonenſe Concilio teſtificante, Flavianus utrique ſcripſit, ne quis amborum aliquid innovaret, ſed priſci mores tenerentur. *ὅτι μηδεὶς ὑμῶν μηδὲν καινοτομείτω, ἀλλὰ στοιχεῖτε τοῖς ἀρχαίοις. οἶδα γὰρ ἐγὼ*, inquit, *πῶς ὀφείλω τοὺς μητροπολίτας ὑμῶν. Novi ſiquidem quanto debeam honore metropolitas proſequi:* adeoque procul aberat, ut in metropolitas præter fas auctoritatem ſibi vindicaret. Hæc quidem Flavianus: contrà vero Anatolii archidiaconum Aëtium, Baſilinopolitani quoque epiſcopi, quamlibet hic metropolita prorſus non eſſet, ordinationem ad Conſtantinopolitanum antiſtitem pertinere in Chalcedonenſi Concilio effutire non puduit. Sic enim Optimates alloquutus legitur: *Suggerimus veſtræ magnificentiæ, rogantes, ut nullum præjudicium Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſanctiſſimæ ſedi fiat, ex his quæ nunc proferuntur. Sanctiſſima enim Conſtantinopolitana ſedes, aut ordinationem ipſa facit in Baſilinopoli, aut eam permittit fieri, ſicuti literis quæ ſiunt, vel factæ ſunt ſæpiùs, oſtendere poſſumus.* Qua Archidiaconi Byzantini confeſſione hoc etiam adiſcimus, Urbis regiæ præſules jam antehac, non metropolitarum dumtaxat, verum & inferioris ordinis epiſcoporum conſecrationibus inhiaſſe, poſthabitis juribus quibuſcumque metropoliticis.

Chalced. ſyn. act. 13.

Anatolii ambitum redarguit.

IV. Leo ſubinde in ſua ad Pulcheriam epiſtola, ſuum Anatolio animum copulandum, necnon Apoſtolicæ ſedis dilectionem, quam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſemper impendit, nulla mutatione violandam ſpondet & pollicetur. Mox vero, canonem illum, Chalcedonenſem, & eum qui Conſtantinopoli ſtatutus fuerat, his ex toto verbis proſcribit: *Conſenſiones verò epiſcoporum, ſanctorum canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, unitâ nobiſcum veſtræ Fidei pietate, in irritum mittimus, & per auctoritatem B. Petri Apoſtoli generali prorſus definitione caſſamus; in omnibus eccleſiaſticis cauſis his legibus obſequentes, quas ad pacificandam obſervantiam omnium ſacerdotum per trecentos decem & octo antiſtites Spiritus ſanctus inſtituit; ita ut, etiamſi modo plures aliud quam alii ſtatuère decernant, in nulla reverentiâ ſit habendum, quidquid fuerit à prædictorum conſtitutione diverſum.* Cæterum Lucianum Epiſcopum & Baſilium Diaconum legatione ſuâ omni ſolicitudine functos eſſe Auguſtæ perinde atque Imperatori teſtatus eſt, epiſtolamque concludit adhortando, ut Anatolium ad ſaniorem ſententiam revocet.

Quem ab eo deponi ſuadet.

V. Demum ad Anatolium ipſum ita ſcripſit, ut, paucis de Eutychis impietate univerſæ Eccleſiæ ſynodo profligata, necnon de ipſiuſmet Anatolii ſincera Fide quam præter exſpectationem profeſſus erat, præmiſſis, *Catholicum virum, & præcipue Domini ſacerdotem, ſicuti nullo errore implicari, ita nulla oportere cupiditate violari,* ſubjungat. Quamobrem « poſt illa ordinationis ejus non inculpata principia, poſt conſecrationem Antiocheni epiſcopi, quam ipſe ſibi contra canonicam regulam vindicaverat, dolere ſe, quod ſacratiſſimas etiam Nicænorum canonum conſtitutiones infringere conaretur, *ac ſi opportunum tempus advenerit, quo ſecundi honoris privilegium ſedes Alexandrina perderet, &*

Antiochena proprietatem tertiæ dignitatis. Antiochenam dicit, ob consecratum nuper in Domni, qui injustè depositus erat, locum Maximum, quâ ordinatione, Byzantinus hunc sibi inferiorem reddiderat. Quamobrem consultò sibi caverant, non episcopi solùm Ægyptii, ne Alexandrinum præsulem Constantinopoli durante synodo eligerent, verum etiam Asiani, ne Ephesinum pro Stephano aut Bassiano. Regula quippe ecclesiastica ferebat, ut qui ab altero ordinatus esset, eidem subditus obnoxiusque censeretur. Nicænorum deinde decretorum auctoritatem extollit Leo tanquam à Spiritu sancto dictatorum; ita ut trecentis decem & octo Patribus qui eos ediderunt, nullus quamlibet copiosior numerus sacerdotum, nec comparare se audeat, nedum præferre. Queritur insuper, quod fratres seu collegas suos episcopos, qui idcirco dumtaxat Chalcedonem vocati erant, ut Fidei causam finirent, officio perfunctos suo, ad sibi consentiendum, aut depravando traduxisset, aut terrendo compulisset, quum alioqui Legati sui, ipsomet fatente in epistola Anatolio, illicitis ejus ausibus irrito conatu repugnarent. Rursum declarat Nicænorum Patrum regulas perpetuò valituras, ut si quid uspiam aliter at-
» que illi statuerunt, præsumatur, sine cuncta-
» tione cassetur. Quamobrem minime convel-
» lenda provincialium jura primatuum, nec
» privilegiis antiquitùs institutis metropolita-
» nos antistites fraudandos. *Nihil,* inquit, *Alexandrinæ sedi, ejus quam per sanctum Marcum Evangelistam Petri discipulum meruit, pereat dignitatis; nec Dioscoro impietatis suæ pertinaciâ corruente, splendor tantæ Ecclesiæ tenebris obscuretur alienis. Antiochena quoque Ecclesia, in quâ primum prædicante Petro Apostolo Christianum nomen exortum est, in paternæ constitutionis ordine perseveret, & in tertio gradu collocata, numquam se fiat inferior. Aliud enim sunt sedes, & aliud præsidentes, & magnus unicuique honor est integritas sua.* Monet ut, deposita ambitione, spiritu potiùs ferveat caritatis, quæ non est ambitiosa, nec quærit quæ sua sunt. *Unde si caritas non quærit propria, quantùm peccat, qui concupiscit aliena! à quibus volo ut te potiùs abstineas, memorque sis ejus sententiæ quæ dicit, Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Nam si inconcessa quæsieris, ipse te tuo opere atque judicio, universalis Ecclesiæ pace privabis.* Denique idem quod in duabus aliis ad Marcianum & Pulcheriam literis, declarat, Lucianum & Basilium quan- «
« tum in ipsis fuit, causam, cujus gratiâ missi «
« erant, diligentissime gessisse, injustitiam verò «
« eorum actioni effectum denegasse. «

Juliano Apocrisiario suo de eadem re scribit.

VI. Datæ sunt tres istæ literæ undecimo Kal. Junii, Herculano Cos. hoc est 21. Maii 452. quo etiam die rescripsit Juliano Coënsi episcopo, qui quum Responsalis ejus esset apud Imperatorem, per Lucianum & Basilium epistolam quoque miserat, enixè rogans, ut concessa Byzantino episcopo privilegia confirmarentur; id quod ipse Pontifex sanctissimus summopere sibi displicere significavit. Anatolio quippe, si divina beneficia, & sedis Apostolicæ assensum, quo episcopatus ejus ratus habitus est, sapienter intelligat, «
« sufficere quod obtinuerit, ut de honore epis- «
« copatûs sui Deo gratias referat. Quicumque «
« enim eum specialiter diligunt, nequaquam «
« debere sibi talia concupiscendo nocere. *Quia nullis,* inquit, *apud me patrociniis ita poterit adjuvari, ut his quæ postulat, calcata Patrum constitutione consentiam.* Quamobrem majoris sibi ait faciendum universalis ecclesiæ statum, quam ut in cujusquam gratiam à se velit pos- «
« tulari, quæ non sine reatu utriusque, nec sibi «
« concedere, nec illi liceat obtinere. Hæc Leo «
« verè Magnus dignâ Pontifice Romano con- «
« stantiâ scribebat, ut pro eâ solicitudinis, quæ primæ atque Apostolicæ sedis antistitem decet potestate, sacrorum canonum qui toti Ecclesiæ sanciti erant observationem auctoritatemque tueretur.

CAPUT VIII.

Leo Papa Canonem XXVIII. Chalcedonensem in totum rejicit.

Anatolius Leonis epistolam celat: hinc grave scandalum.

I. VERUM enimvero, quia Leo Papa ad episcopos simul omnes qui Chalcedonem convenerant encyclias Literas non dederat, quibus significaret, se ea probasse quæ de Fide definita erant, Anatolius epistolam quam acceperat, celandam censuit, ut pote suis ausibus contrariam: quo factum est, ut Eutychiani in vulgus spargerent, Pontificem Romanum Chalcedonensem synodum rejecisse. Quamobrem Marcianus Imperator, Leoni significavit, mirari se, quod missis à synodo Chalcedone celebrata venerabilium episcoporum ad ejus pietatem literis, per quas cunctorum quæ in Concilio gesta essent, seriem exponebant, responsoriam ejusmodi epistolam Sanctitas sua neutiquam dedisset,

quæ in sacris ecclesiis lecta ad singulorum notitiam perventura esset. ἅτινα δηλονότι ἐν ταῖς ἁγιωτάταις ἐκκλησίαις ἀναγνωσθέντα, εἰς τὴν ἁπάντων ὀφείλει γνῶσιν ἐλθεῖν (ubi per transennam observare interest, quanti ponderis, & pretii essent tunc temporis apud cunctas Orbis Ecclesias Romanorum Pontificum epistolæ: imo quanta per Orbem universum Romani Pontificis auctoritas, cujus epistolæ encycliæ per singulas ecclesias, etiam Orientis legi deberent) *unde aliquibus qui falsam Eutychis opinationem pravitatemque sectantur, magnus injectus scrupulus est, utrum beatitudo tua quæ synodus decrevit, confirmasset...* Ἐκεῖνο δηλαδὴ ὡς ἔπρεπεν ἐπίσκοπον ἀποστολικοῦ θρόνου, ἐξόχως ἡ σὴ ἁγιωσύνη ἐποίησεν, ὅτι τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς κανόνας φυλάττουσα, οὐδὲν τῶν ἀπὸ τοῦ παλαιοῦ ἔθους καὶ τῆς τάξεως τῆς ποτὲ τετυπωμένης καὶ ἀσαλεύτου μέχρι καὶ σήμερον διαμενούσης, ἠνέσχετο καινοτομηθῆναι. *Illud nimirum quod Apostolicæ sedis episcopum decet, tua Sanctitas præstitit egregie, dum ecclesiasticos canones custodiens, nihil antiqui moris & ordinis olim constituti, atque in hunc usque diem constanter conservati, novitate quavis aboleri passa est.*

Leonis animum Marcianus approbat.

II. His verbis Marcianus Imp. significavit se ea ultro approbare quæ adversus ambitiosiorem Anatolii præsumtionem sibi, Pulcheriæ, & ipsimet Anatolio Pontifex Leo rescripserat, adeoque procul abfuisse à fovendis defensandisque Byzantini antistitis moliminibus, quibus vetustus Ecclesiæ ordo inverteretur. Quocirca ex alterâ Leonis ad Julianum Coënsem epistola, quæ data est V.° Id. Martii, Opilione Cos. hoc est anno 453. apparet Imperatorem & Pulcheriam Augustam Anatolium, quemadmodum ipse rogaverat increpasse, propter illa de quibus adversus eum expostulabatur.

Leo epistolam dat episcopis qui Chalcedonem convenerant.

III. Cæterum ex priore Marciani epistolæ loco, aut fortè etiam ex aliorum relationibus Leo Papa comperit, Anatolium consultò illam quæ ad ipsum scripta erat, occultasse. Quapropter in responsoriis suis ad eumdem Imperatorem, ad Pulcheriam, & ad Julianum Coënsem declarat, nullam fuisse ambigendi causam, quin ea quæ Chalcedone de Fide definita erant, approbaret, *nisi quia in iisdem literis, ea quæ per occasionem synodi malè attentata, reprehenderet; ut maluerit prædictus antistes ejus gratulationem tacere, quam sui ambitûs repulsam publicare.* Verum ut Imperatoris votis ac monitis obsecundaret, encycliam ad Episcopos qui synodo interfuerant, epistolam dedit, qua declaravit se Concilii definitionem toto corde complexum esse. *Hoc autem*, inquit, *non solum ex ipso beatissimæ consensionis effectu, sed etiam ex epistolis meis, quas post reditum meorum ad Constantinopolitanæ sedis antistitem dedi, possetis agnoscere, si vobis responsionem sedis Apostolicæ manifestare voluisset.* Quapropter iterum irrita esse pronuntiat, quæ contra Nicænos Canones in gratiam Constantinopolitani Episcopi sancita erant. *Nam de custodiendis sanctorum Patrum statutis*, inquit, *quæ in Nicæna synodo inviolabilibus sunt fixa decretis, observantiam vestræ sanctitatis admoneo, ut jura ecclesiarum sicut ab illis trecentis decem & octo Patribus divinitùs inspiratis sunt ordinata, permaneant. Quantumlibet enim extortis assentationibus se instruat vanitatis elatio, & appetitus suos Conciliorum existimet nomine roborandos, infirmum atque irritum erit quidquid à prædictorum Patrum canonibus discrepaverit. Quorum regulis Apostolica sedes quàm reverenter utatur, scriptorum meorum, quibus Constantinopolitani antistitis conatus retuli, poterit sanctitas vestra lectione cognoscere, & me auxiliante Domino, Catholicæ Fidei & paternarum constitutionum esse custodem.*

Epistolæ dumtaxat partem CP. clerici legi sinunt.

IV. Epistolam hanc Constantinopolitani quum accepissent, eam dumtaxat partem, in qua de Fide Chalcedone confirmata sermo erat, legi curaverunt, non itidem posteriorem, quâ sanctissimus Pontifex præposteram ipsorum ambitionem retuderat, statutumque canonem irritum esse vellet, non sine excommunitationis comminatione. Id quod Julianum Coënsem sibi per literas renuntiasse testatur ipse epistola alterâ quam eidem Juliano scripsit: in cujus tamen fine subjicit, Imperatorem apud se intervenisse pro Anatolio, cujus correctionem polliceretur. Quocirca Pontifex epistolis duabus ad eumdem Imperatorem sincere & ex animo spopondit, se pacem & communionem servaturum cum Anatolio, si fideliter illius acquiescat hortalibus: sin vero, *salva*, inquit, *mansuetudinis vestræ reverentia, utar cum omnibus, & pro omnibus, vobisquoque adnitentibus, adversum superbientem liberiore constantia.* Epist. 100

Canonem illum Anatolius abrogari permittit.

V. Anatolius vero alteram quoque scripsit ad Leonem epistolam, quâ in primis animi sui anxietatem obtendebat de intermisso mutuo inter ipsos literarum commercio, quum nihil ipsi antiquius esset, quàm ut ei obediendo illa præstaret, quæ perfectissimis ejus omnifariè sensibus placita viderentur. Ait subinde Christianissimum Principem, lectis Beatitudinis ipsius literis, adhortatum esse, ut ea curaret quæ illis continebantur: quæ nempe vel communis pacis utilitas exigeret, vel condecere videbantur. Se idcirco Aëtium archidiaconum quondam suum (quem temerè Presbyterum fecerat) pristino honori restituisse, cujus item causa inter ipsos dissidium ortum esset: quasi vero sola Aëtii destitutio materiam præcipuam litis dedisset. Mox tamen

addit: *De his autem quæ Constantinopolitanæ sedis gratia sancita sunt in Chalcedonensi nuper universali synodo, pro certo Beatitudo vestra habeat, nullam esse culpam in me, homine qui semper otium & quietem, in humilitate me continens, ab ineunte ætate dilexi: sed Constantinopolitanæ ecclesiæ clerus est, qui studium hoc habuit, & istarum regionum religiosissimi sacerdotes, qui in hoc fuere concordes, & sibi pariter adjutores; quum & sic omnis gestorum vis & confirmatio vestræ Beatitudini fuerit reservata.*

Hunc à Leone confirmari egere concedit.

VI. Atqui postrema hæc epistolæ pars ea composita arte videtur, ut, quum Anatolius Leonis *auctoritati vis omnis & confirmatio* illius decreti reservata dicatur, nihilominus nequaquam disertè prorsùs declararet, se cœptis tamdem ex animo & in totum destiturum. Id tamen Pontifex optimus in responsoria sua ad eumdem Anatolium sic intellexisse significavit, ac si ille jam verè agnovisset, in canonum injuriam esse illa tentata, quæ scandalum Ecclesiis generabant. Quamquam majorem ab eo postulat in confitenda culpa sinceritatem, quam ad sola clericorum consilia minimè transferret, quod tentari sine ipsius voluntate non poterat. Alioqui verò sufficere sibi in gratiæ communis regressum, dilectionis ejus professionem & attestationem Principis Christiani. *Abjiciatur,* inquit, *inconcessi juris, qui dissensionem fecerat appetitus. Sufficiant limites, quos sanctorum Patrum providentissima decreta posuerunt, ut quieta sit tuis meritis & antiquissimis privilegiis dignitas omnium sacerdotum.* Alia quæ subjicit de renovanda Dominicæ caritatis affectione cum Juliano Coënsi, hoc significant, Anatolium iniquo animo tulisse, quæ Julianus, qui Pontificis sui cujus vices Constantinopoli explebat, præceptis ejus obsecundans, hâc in causa gesserat.

Epist. 106

Marciani Lex ob Anatolii ambitum.

VII. Tamdem Leo in altera ad Marcianum Imperatorem epistola declarat iterum, A se ea conditione cum Anatolio reconciliari, ut memor limitum paternorum salubritatem canonum ad pacem universalis Ecclesiæ conditorum, ea quâ debet in posterum observatione custodiat. Data hæc epistola est, ut & altera, quam mox retuli ad Anatolium antea scriptam, *IV. Kal. Junii, Aëtio & Studio VV. CC. Coss.* hoc est anno 454, quo Marcianus æquissimi Pontificis querelarum & votorum respectum habens, publicam Legem dedit, quâ sanctiones omnes quæ contra canones ecclesiasticos per ambitionem elicitæ essent, cassas B irritasque pronunciavit: eaque refertur in Codice Justinianeo, tit. 12. *de Sacrosanctis Ecclesiis,* sed, uti Baronius conjicit, ab ipsomet Justiniano seu Codicis ejus compilatoribus Byzantinis in priori parte truncata; quippe quum idem Justinianus concessum canone Chalcedonense Episcopo suo Constantinopolitano privilegium, speciali Novella firmare voluerit. Marciani porro Lex sic habet; *Impp. Valentinianus & Marcianus Palladio Præfecto Prætorio. Privilegia quæ generalibus constitutionibus universis sanctis ecclesiis orthodoxæ religionis C retrò principes præstiterunt, firma & illibata in perpetuum decernimus custodiri. Omnes sane pragmaticas sanctiones, quæ contra canones ecclesiasticos interventu gratiæ & ambitionis elicitæ sunt, suo robore & firmitate vacuatas esse præcipimus. Et quia humanitatis nostræ est egenis prospicere, & dare operam ut pauperibus alimenta non desint, &c. Data Aëtio & Studio Coss.* hoc est anno, ut dixi 454. Plane sub Marciano Augusto Palladius Constantinopoli Præfectus Prætorio fuit, atque inter Optimates censetur, qui Chalcedonensem synodum D moderabantur, nec alius memoratur præter Anatolium C P.^{um} episcopus, propter quem de vacuandis sanctionibus, *quæ interventu gratiæ & ambitionis essent elicitæ*, ejusmodi Legem Præfecto Prætorio Constantinopolis dare oportuerit.

CAPUT IX.

S. Leonis Papæ adversùs Canonem XXVIII. Chalcedonensem iterati conatus vani non fuerunt.

Leo Papa Maximo Antiocheno scribit ut Ecclesiæ suæ jus tueatur.

I. INTERIM, dum Marciano, Pulcheriæ, E & Juliano Coënsi Leo Papa assiduè scribebat de Constantinopolitani episcopi fastu compescendo, literas accepit à Maximo Antiocheno, de novis tentamentis Juvenalis Hierosolymitani, qui aliquas identidem Orientalis Diœcesis portiones hinc inde subripere conaretur. Illi rescribens Pontifex, occasionem sumit suadendi, ut se Apostolicæ sedis in Ecclesiarum solicitudine consortem præbeat, tertiaque Sedes privilegia prærogativasque suas agnoscat, quæ nulla in re ambitu cujusquam violanda essent. *Quia tanta apud me est,* inquit, *Nicænorum Canonum reverentia, ut ea quæ sunt à sanctis Patribus constituta, nec permiserim, nec patiar aliqua novitate violari. Etsi enim diversa nonnunquam sunt merita præsulum, tamen jura permanent sedium: quibus*

etsi possunt perturbationem aliquam fortassis inferre, non tamen possunt minuere dignitatem. Tum varios Juvenalis ausus recitat, quibus in Ephesina synodo deincepsque, invito etiam Cyrillo, Palæstinæ primatum usurpaverat, cunctaque cassa esse debere censet. Mox subjungit: *Si quid, sive ab his fratribus, quos ad sanctam synodum vice mea misi, præter id quod ad causam Fidei pertinebat, gestum esse perhibetur, nullius erit firmitatis: quia & ad hoc tantùm ab Apostolica sede sunt directi, ut excisis hæresibus catholicæ essent Fidei defensores. Quidquid enim præter speciales causas synodalium Conciliorum ad examen episcopale defertur, potest aliquam dijudicandi habere rationem, si nihil de eo est à Patribus apud Nicæam definitum. Nam quod ab illorum regulis & constitutione discordat, Apostolicæ sedis numquam poterit obtinere consensum.*

Juvenalis Hierosolymitani ambitus.

II. Nimirum Maximus, quum in Urbe regia ab Anatolio esset Antiochiæ archiepiscopus ordinatus, melius inspectis, ut par erat, Diœcesis suæ juribus & finibus, quædam à Juvenali Hierosolymitano sibi erepta, in synodo Chalcedonensi, uti Domnus decessor suus in Ephesinâ, dimiserat: de quo Juvenalis facinore subinde apud Romanum Pontificem reclamavit, sperans fore, ut, quemadmodum Leo Anatolii ambitioni obsistebat, ita nec rata fieri permitteret, quæ Hierosolymitano præsuli Chalcedone concessa essent contrà quàm Nicæni Patres decreverant. Horum enim canon VII. ferebat, ut Episcopus Æliæ seu Hierosolymorum, de pristino more, honorem suum, seu quartum locum teneret inter Ecclesiæ præsules, salva tamen Cæsariensis metropolis dignitate; ut nulla proinde in Palestinæ ecclesias auctoritate polleret. Quamobrem Pontifex Maximo declarat, Juvenalis usurpationes stare non posse, sed amputandas esse, ut & quas Constantinopolitanus occeperat. *Quanta vero hoc diligentia custodiatur à nobis*, inquit, *exemplaribus epistolæ quam ad episcopum Constantinopolitanum, refrænantes ejus cupiditatem direximus, instrueris, quam in omnium fratrum & consacerdotum nostrorum facies notitiam pervenire, ut noverint pacem Ecclesiasticam per concordiam beneplacitam servari.*

De eadem causa scribit Theodoreto.

III. Consimili modo, quum ipse antehac à Theodoreto literas accepisset, quibus à Latrocinii Ephesini adversus se judicio ille provocabat, in responsoriis suis hoc etiam interjecerat, *se de his quæ in supradicto Concilio illicitâ contra canones Nicænos præsumtione tentata sunt, ad fratrem & coepiscopum Antiochenæ ecclesiæ præsulem scripsisse.* Has Leo magnus Theodoreto, quinetiam Maximo literas dedit *III. Id. Junii, Opilione Cos.* hoc est anno 453. quo tempore Theodosius pseudomonachus Liciniæ Eudoxiæ Augustæ quam deceperat, fretus operâ, fugato Juvenali, Hierosolymorum sedem invaserat. Verum Theodoretus ipse cum suis Antiochenis ultrò jam olim assensus erat, ut Constantinopolitanus præsul Alexandrino, atque adeo Antiocheno præponeretur, juxta atque canone Constantinopolitano tertio ferebatur. Id quod superiùs à me cap. III. allato ejusdem Theodoreti testimonio ostensum est. *Theod. ep. 86.*

Proterio Alexandrino.

IV. Quum itaque Leo Magnus Alexandriæ præsertim, tum aliarum quoque sedium jura strenuè defenderet, hujus suæ sollicitudinis certiorem fieri Proterium Alexandrinum voluit. Epistolam illi dedit *sexto Idus Martii, Aëtio & Studio Coss.* hoc est anno 454. *Per omnia igitur*, inquit, *& in Fidei regula, & in observantia disciplinæ, vetustatis norma servetur, & dilectio tua constantiam providi rectoris exerceat; ut prosit Alexandrinæ Ecclesiæ, quod improbæ quorumdam ambitioni, servato verorum privilegiorum jure sollicitus obviavi, & metropolitanis omnibus illæsam manere volui dignitatem, sicut & epistolarum mearum, quas ad sanctam synodum, vel ad christianissimum Principem, sive ad Constantinopolitanum episcopum misi, tenore cognosces; manifesteque perspicies hoc specialis esse sollicitudinis meæ, ut neque à Fidei regula in ecclesiis Domini devietur, neque in privilegiis aliquid cujusquam improbitate minuatur.* Hæc Apostolicæ sedis Pontifex Leo, quod sui muneris erat implens, sollicitudinem scilicet Ecclesiarum, ut tum Fides, tunc statuta pridem disciplina nullo novo decreto mutaretur.

Ægyptii orthodoxi Canonem illum nesciunt.

V. Leonis utique repetiti assiduique conatus Proterio Alexandrino arriserunt, ut canonem suæ sedi noxium neutiquam probaret: sed nec illum admisere successores ejus Alexandrinæ Ecclesiæ præsules orthodoxi, qui Melchitarum nomine à Jacobitis seu Monophysitis nuncupantur. Exstat Josephi Ægyptii Melchiticæ Ecclesiæ quæ sancitam Chalcedone Fidem profitetur, alumni *Paraphrasis Arabica Canonum, quos quatuor priora Concilia generalia ediderunt;* quæ Chalcedonenses viginti septem dumtaxat repræsentat, omisso in totum vigesimo octavo, de quo nunc disputo. Id quod certo argumento est Ægyptios, non heterodoxos solos, sed orthodoxos quoque illum omnino tamquam Alexandrinæ suæ Ecclesiæ iniquum & injuriosum repudiasse. Schismaticos alios Alexandrinos omitto, quando jam constat Timotheum Ælurum, qui post Dioscorum Alexandrinam sedem arripuit, illi eidem canoni totis viribus sub Basilisco Imp. repugnasse.

VI.

Exceptiones adversus hunc Canonem.

V. Præterea adversus illius canonis auctoritatem militat quod à me jam observatum est, minimam partem episcoporum, qui ad synodum convenerant, hanc demum admisisse, seu subscriptionibus suis firmavisse. Nullus, ut dixi, Dioscoro Alexandrino exauctorato Ægyptius assensus fuit; nullus Ephesinæ Ecclesiæ nomine. Illyrici quoque Episcopos subscriptionem denegasse certo certiùs est, tum quia nullius eorum nomen inter subscriptiones apparet; tum quia quum Romanæ Diœcesis essent, è re ipsorum erat à Leonis Legatis non dissentire; tum denique hoc evincitur ampliùs ex altera magni Leonis ad Julianum Coënsem epistolâ, quâ refert Anatolium in suæ præsumtionis temeritate adeo perstare, ut Illyricianos ad sibi subscribendum convenerit. *Quod nobis*, inquit, *episcopus qui à Thessalonicensi ordinationis nuntius missus est, intimavit.* Hactenus ergo Anatolius ab Illyrici episcopis nequaquam obtinuerat, ut ausibus suis faverent. Thalassius vero Cæsariensis, Ponticæ Diœcesis Primas & Exarchus, canoni illi ex animo suffragatus non est, cui nec ipse subscripserat: unde nec ejus nomen legitur inter subscriptiones epistolæ quæ ad Leonem Papam hujus canonis causa data est. Quinimo successor ejus Alypius, quum Leoni Imperatori suam de Chalcedonense synodo speciali, ut alii metropolitæ, epistola sententiam efferret, disertissime declaravit, se ea quæ *particulariter examinata sunt, atque gesta à sanctis episcopis in Chalcedonensi civitate collectis, non legisse (neque enim à sanctæ memoriæ tunc episcopo Thalassio, qui interfuit sancto Concilio aliquid hic amplius est allatum, ex his quæ gesta noscuntur) sed tantummodo definitionem Fidei expositam ab illo sancto Concilio, ab eo delatam inspexisse.* Hoc ipso Alypii Cæsariensis testimonio Pelagius Papa II. in epistola III. ad Episcopos Istriæ, *de Tribus Capitulis* disputans, evicit Thalassium ejusdem Alypii decessorem, *præter causam Fidei nihil de Chalcedonensi synodo tenuisse*, sive ratum habuisse; tametsi privatis aliis episcoporum causis dirimendis interfuerat. Quæ quum ita sint, neque decretum illud quo Cæsariensis sedes Byzantinæ obnoxia fiebat, neque canones alios disciplinæ sanciendæ gratia in ea synodo editos, ac præsertim duos illos quibus clericorum & episcoporum cujusvis Diœcesis causæ coram Episcopo Constantinopolitano agitari, & ab eo judicari permittebantur, ad Ecclesiam suam Thalassius nullatenus retulit; quippe quæ successor ejus Alypius ignoraverit.

Leo ep. 88.

Cur Maximus Antioch. illi assensus sit.

VI. Ad hæc, Maximus quidem Antiochenus illegitimo illi decreto nomen apposuisse legitur, quum nempe Anatolio à quo A fuerat ordinatus, palam repugnare ausus non sit. Quid vero si posthac reclamavit; uti forsan ex Leonis ad ipsum epistola non absurde quispiam intulerit? Ita quippe Pontifex scribit: *Si quid sanè ab his fratribus, quos ad sanctam synodum vice mea misi, præter id quod ad causam Fidei pertinebat, gestum esse perhibetur, nullius erit penitus firmitatis: quia ad hoc tantum ab Apostolica sede sunt directi, ut excisis hæresibus, Catholicæ essent fidei defensores.* Quibus verbis significare videtur, Maximum adversus ejus vicarios expostu- B lasse, non solum quod Juvenalis Hierosolymitani usurpationibus non ea qua par erat constantia obstitissent, sed & quod alia fieri permisissent, quæ quorumdam ac præsertim Anatolii ambitioni nimium faverent. Et certè, dum actione I. ejusdem synodi, prædatorii conventûs Ephesini gesta legebantur, Orientalibus aliisque conclamantibus Flavianum in illo conciliabulo, uti jam damnatum, quinto loco sedisse, Paschasinus dixit, *Ecce nos, Deo volente, dominum Anatolium primum habemus, hi quintum posuerunt beatum* C *Flavianum.* Quæ vox hoc dumtaxat sensu dicta erit, quod Anatolius inter synodi præsides potiorum præsulum primus sederet statim post Leonis Apocrisiarios, quum antehac Flavianus a Dioscoro tamquam reus ad inferiorem locum detrusus esset. Atqui Leo in epistola ad Maximum mox subjungit: *Quidquid enim præter speciales causas synodalium conciliorum ad examen episcopale defertur, potest aliquam dijudicandi habere rationem, si nihil de eo est à sanctis Patribus definitum. Nam quod ab illorum regulis & consti-* D *tutione discordat, Apostolicæ sedis numquam poterit obtinere consensum.* Quæ prorsus conformia sunt illis omnibus quibus ambitiosos Anatolii ausus ab eo variis in epistolis perstrictos vidimus. Quin Maximum quoque à subscriptione sua resilivisse exinde rursus intulero, quod in Collectione canonum quam Theodoretus disposuit, quamque Joannes Scholasticus dum Antiochenus presbyter esset postmodum auxit, canon iste de quo nunc disputamus, inter Chalcedonenses censitus non sit, sed viginti septem dumtaxat nume- E rentur. *Τῶν ἐν Χαλκηδόνι συνελθόντων πατέρων, ὑφ' ὧν ἐξετέθησαν, κανόνες κζ'.* Plures profecto Theodorus, Lector itidem Antiochenus, Joanni Scholastico superior, non noverat, quum viginti septem canones Chalcedone sancitos dixerit, *καὶ κζ'. κανόνων ἔκθεσις*.

Huic canoni confirmando necessarius fuit universæ Ecclesiæ assensus.

Rursum, quando in isto canone statuendo de prisco Ecclesiæ totius ordine, veterique disciplinâ, quæ à primario, & præ cæteris à venerabili Concilio Nicæno constituta erat, mutandis agebatur, universi proinde Christiani

Orbis consensio requirebatur, nec aliquorum tantummodo Orientis episcoporum suffragia sufficiebant, sed Romani præsertim, nostrorumque Occidentalium. Id quod ipsimet Orientales aperte testati sunt, statuti sui confirmatione à Leone Papa obnixe efflagitatâ. Imo Anatolius ipse, qui ad Leonem scribens, fateri non dubitavit, omnem vim eorum quæ suâ causâ decreta erant, auctoritati Beatitudinis Leonis fuisse reservatam, quum ipse interim Illyricianos sollicitaret, uti canonem illum suffragio suo communirent, quo proinde indigebat ut firmus staret.

Perperam in hoc canone Patrum definitiones allegatæ.

VII. Denique canonis illius auctores perperam in eo causati sunt, se paternas definitiones sequi, & præcipue regulam synodi Constantinopolitanæ generalis. Siccine enim Patrum sanctiones sequebantur, qui sancita à Nicænis Patribus sedium jura mutarent ac inverterent! Quinimo, tametsi in postremo conventu Constantinopolitano secundo primus post Romanum Pontificem locus Byzantino esset tertio canone adtributus; at canone secundo decretum erat, ne Primates ulli aliarum Diœcesium administrationem sibi arrogarent. Quamobrem non sine hujus synodi cujus auctoritatem prætexebant, statutorum violatione, jus Diœcesium Thraciæ, Ponti, & Asiæ metropolitas ordinandi, easque ecclesias regendi usurpabant.

Gravissima mala Ecclesiæ propter canonem illum acciderunt.

VIII. Merito igitur Marcianus Imperator Leoni Papæ annuit, ut Anatolius Constantinopolitanus statuto canoni abrenunciaret, qui, ut narrationis hujus series declarabit, Chalcedonensis synodi auctoritati, & ecclesiarum paci & tranquillitati maximo detrimento fuit. Ex illo utique Ægyptii, Dioscoro suo Alexandrino ad ordinem redacto, colores & prætextus petierunt, ut definitam in eo Concilio Fidem respuerent. Item, quum Leo Imperator Marciani successor, Proterio Alexandrino occiso, literas ad universos Orientalis Imperii metropolitas misisset, ut suam de Chalcedone celebrata synodo sententiam darent, Joannis Ephesini, ad quem Imperator, velut aliis, scripserat, epistola non exstat in Epiphanii quæ hodieque superest Collectione; quod videtur argumento esse, Ephesinos cavisse, ne synodum illam approbando, suæ sedis juribus derogasse putarentur. Cæsariensem primatem Alypium, qui eumdem canonem ignoravit, quo sedes ipsius Byzantini pontificis ordinationi obnoxia facta erat, verisimillimum est ab Anatolio Constantinopolitano, ejusve nutu & decreto consecratum non esse. Ex his omnibus concludo, canonem vigesimum octavum Chalcedonensem primâ illâ quâ conditus est ætate, exsequutioni minime

A mandatum esse, sed Marciani Imperatoris operâ antiquatum.

Leo nunquam probavit quod illo canone sancitum est.

IX. Non me fugit scriptores quosdam nostræ ætatis Leoni magno animi parùm sibi constantis labem inurere, ceu nervos omnes contenderit, uti canon ille rescinderetur, quem ipse quondam approbaverat. Eusebium siquidem Dorylæi episcopum in consessu postremo Chalcedone hujus decreti causâ habito, quum Proceres synodi moderatores episcopos Thraciæ, Asiæ, & Ponti rogassent, num liberè & sponte canoni B quo Byzantinæ sedi adstringebantur, assensi essent, palam dixisse, Pontificem sanctum, *regulam istam, dum ipsi, præsentibus clericis Constantinopolitanis, in urbe Roma relegeretur approbasse, καὶ ἀπεδέξατο αὐτόν.*

Hoc equidem Eusebius Romæ gestum asseverabat, sed in privatis cum Leone Papa colloquiis, absque diligentiori examine; quin, ut conjectari fas est, silentio potiùs, quàm ullo, ut aiunt, *vivæ vocis oraculo*, aut certâ declaratione, quæ non nisi in synodo Romanâ dari tunc consueverat. Quînam verò C fieri potuerit, ut Leo Papa canonem qui conditus nondum erat, coram se lectum approbaret: hoc certè non capio. Sed hoc ad summum forsan Byzantinorum clericorum votis annuerit, ut ordinationes quas Constantinopolitanus præsul precariò identidem variis necessariisque de causis hinc inde faciebat, ratæ & legitimæ haberentur, non autem ut ad illum pleno deinceps jure pertinerent.

Ephesinæ Sedis prærogativa.

X. Noverat plane regularum tenacissimus Pontifex, secundum veteres regulas Ephesi- D nam sedem quam Joannes apostolus instituerat, ab ejusmodi subjectione immunem esse, & ejus episcopo pro tanti Apostoli & Evangelistæ memoriâ præ aliis metropolitis honorabiliorem in synodis locum deberi, quintumve, ac Hierosolymitano proximum. Insuper Eusebius Dorylæi ista narrabat, dum de secunda tantum decreti parte sermo erat, quâ Episcopo Byzantino, Asiæ, Ponti, & Thraciæ Diœceses ex toto & in posterum subdebantur, ac non de priore alterâ, qua idem præsul Alexandrino & Antiocheno præpo- E nebatur, ceu Romano æqualis habendus esset, illiusque privilegiorum socius. At non is erat Leo magnus, qui alterum episcopum sedis suæ prærogativas sibi vindicare æquo animo audiret. Quid si etiam familiare illud Leonis cum Eusebio & Byzantinis colloquium in causa fuerit, cur Pontifex ob prætensam illam quam audierat regulam, re attentiùs apud se consideratâ, vicarios suos, qui ad synodum proficiscebantur, speciali commonitione præmuniendos duxerit, ne illam approbari à

Patribus finerent. Bonifacium enim Presbyterum, Legatorum postremum, hoc Leonis Papæ documentum in postremo illo conventu Chalcedonensi ex chartula recitasse jam narratum est: *Sanctorum quoque Patrum constitutionem nullâ patiamini temeritate violari, servantes in omnibus personæ nostræ in vobis, quos vice nostrâ transmisimus dignitatem. Ac si qui forte civitatum suarum splendore confisi, aliquid tentaverint usurpare, hoc qua dignum est constantia retundatis.*

Scriptor recens à Blondello Calviniano deceptus.

XI. Hic mihi tantisper succensere liceat viro cuidam pererudito, cujus alioqui eximiam religionem suspicio, qui existimavit Orientales episcopos canonem illum πολυθρύλλητον, adversus quem Leo Papa acriter adeo interpellavit, condidisse, quum ipsis omnino non placuisset Legatorum Romanorum in synodo præsidentia. Cujus opinationis suæ argumento esse ait, quod Optimates Concilii rectores Anatolium illis veluti deditâ operâ identidem prætulerint. Varias subinde affert, quæ antehac acciderant, simultates Orientalium adversus Occidentales; ita ut Gregorio quoque Nazianzeno admodum displicuerit, quod illi honori ducerent nulla in re Occidentalibus decedere: auctam porro invidiam, quum Marciani Imperatoris & Pulcheriæ Augustæ operâ, summa jam evasisset Leonis Papæ auctoritas, ex quo hæresim Eutychianam prostraverat, Dioscori ferocitatem superbiamque compresserat, & pseudosynodum Ephesinam pessumdederat; exhinc siquidem accidisse ut præsules Græci è re sua esse duxerint, auctâ firmatâque Constantinopolitanæ sedis dignitate & potestate, Romanæ auctoritatem quæ in dies crescere videbatur, certis carceribus coërcere.

Canonis conditores Byzantini clerici.

XII. Sic nimirum vir doctus in re apertissima, suggestis à Calviniano quem legebat scriptore præjudiciis stupefactus, vanas causas conditi canonis divinare conatus est, ac si ipsa Leonis ætate Orientis episcopi animo illo ac livore eodem erga Romanum Papam perciti fuerint, quo Blondellus Minister ejusque hæresis socii. Verum ex his quæ ex ipsismet synodi gestis exscripsi, exploratissimum est, non Episcopos canonis illius auctores & conditores fuisse, sed solos prorsus Constantinopolitanæ ecclesiæ clericos, præsertimque Aëtium Archidiaconum; qui nimirum per singulas fere Concilii actiones, proceribus qui aderant annuentibus faventibusque, incredibili studio & contentione curaverant, ut Byzantinæ sedis dignitas, usurpataque aut precariò ad tempus concessa in varias ecclesias auctoritas novis juribus ac sanctionibus augeretur. Id quod perspicuum fit cuilibet legenti quæ actione IX. in causa Bassiani & Stephani, qui de episcopatu Ephesino litigabant; nec non actione X. in causa ecclesiæ Basilinopolitanæ, de cujus ordinatione quum Nicænus episcopus adversus Nicomediensem metropolitam contenderet, Aëtius, qui illius episcopum ab Urbis regiæ antistite consecrari debere pertenderat, causâ tamen ceciderat, synodo definiente canones observandos esse, veluti superiùs à me narratum fuit.

Causæ nonnullæ cur clerici Constantinopolitani canonem hunc edi curaverint.

XIII. Ad hæc, quisquis rerum æquus æstimator erit, omnino fatebitur, clericos Constantinopolitanos cavisse potiùs, ne ecclesia sua Alexandrinorum præsulum deinceps impressionibus pateret, quàm ut Romani pontificis auctoritatem excuterent, quam sibi infestam nunquàm hactenùs senserant, sed benignam potiùs & salutarem. Quamobrem illo canone non Romanæ sedis primatum minuere voluisse illos crediderim, sed ejus participes consortesque fieri; quippe quum Constantinopolis altera Roma esset, ut sicut Alexandrina sedes Romanam subjicere sibi non poterat, ita nec in posterum Constantinopolitanæ dominaretur.

Vani Byzantini cleri conatus in synodi Chalcedonensis multis actionibus.

XIV. In primis vero Constantinopolitani Clerici majori fœnore canone isto recuperare contenderunt, quæ in legitimis ejusdem Concilii conventibus sive actionibus obtinere non potuerant. Act. IV. leguntur quæ 13. Kal. Novemb. gesta erant in causa Photii metropolitæ Tyri & Eustathii Beryti. Eustathius Eutychianæ factionis opera à Theodosio Juniore Imp. metropolitica jura civitati suæ impetraverat, utque sibi episcopatus sex addicerentur. Photius nihilominus harum urbium episcopos aliquot ordinaverat, ne sua jura obsolescerent. Re ab Eustathio ad synodum Anatolii ἐνδημούσαν relata, episcopi illi quos, Photius consecrarat, ad presbyterorum ordinem redacti sunt, ipseque Photius qui procul aberat, communione indicta causa privatus. Ejus causam Concilium Chalcedonense retractavit, Anatoliique sententia rescissa est. Act. XI. Stephano & Bassiano qui de Ephesino episcopatu jurgabantur, ea sede destitutis, quum proceres à Patribus quæsissent, ubinam censerent Ephesinum Episcopum vita & moribus probatum ordinari, clerici Byzantini, ut alibi diximus, cum Diogene metropolita Cyzici, illum in regia Urbe ordinandum clamarunt, propter statutum quod obtendebant centum & quinquaginta Patrum, ne Constantinopolis privilegia perirent: nihil vero confecerunt. Act. XIII. Anastasio Nicæno metropolitica sibi jura in ecclesiam Basilinopolis sibi vindicante, in qua decessores sui bis ordinaverant episcopos à tempore, ut jactabat, Chrysostomi, cujus etiam epistolam ostentabat ad Nicænum episcopum ut

eam ecclesiam emendaret tamquam sibi competentem; aliaque illo subjiciente quibus Basilinopolim Eunomio Nicomediensi obnoxiam non esse probabat; quum Ponticæ Diœcesis episcopi, totaque mox synodus Basilinopolis ecclesiam Nicomediensi subesse definisset, nulla ratio habita est Constantinopolitanorum, qui ejusdem urbis & reliquarum Bithyniæ ordinationes ad suam sedem spectare querebantur; quin potius pronuntiatum est ut *canones veteres tenerent*. Atqui Eunomius ille Nicomediensis minime subscripsisse reperitur canoni XXVIII.

Leonis Papæ causâ conditus non est.

XV. Quam vero Chalcedonensis synodi Patres alieni essent à morosâ illâ Protestantium, vel etiam Schismaticorum Græcorum erga Romanam sedem indole, compertissimum ingenuo cuilibet efficietur, ex illorum quam retuli ad Leonem Papam epistolâ, quâ decreti illius cui subscripserunt, confirmationem judicio ejus in totum submiserunt: quod quidem ipsummet Anatolium agnovisse superiùs ostensum fuit. Quantum rursùs Orientis episcopi subsequutis temporibus eidem Romanæ Petri sedi detulerint, hujus loci non est enarrare: longiùs quippe nos extra propositæ materiæ fines protraheret oratio.

Anatolius magnas in synodo partes habuit; cur.

XVI. Exigui, imo nullius momenti est, quod objicitur, Optimates identidem Anatolium potiùs quàm Romanos Legatos ad dirimenda patrandaque negotia quædam designasse. Quum enim omnes norint Leonis vicarios sanctitate magis morum & sinceritate Fidei, quàm literaturâ rerumque humanarum gerendarum scientiâ excelluisse, & quod observatione dignissimum est, linguæ Græcæ ignaros prorsus fuisse; hinc nemo non perspexerit, quid causæ fuerit, cur Anatolius illis quandoque sit prælatus, ubi de præcipuâ Concilii causâ non agebatur. Huic Legatorum Græci idiomatis imperitiæ adscribi debet, quod Anatolius cum quibusdam episcopis, Romanis Legatis omissis, à proceribus sit designatus ut Fidei expositionem conscriberet, quæ tamen, quum synodo non arrisisset, quod Eutychis hæresim disertè satis non proscriberet, alteri formulæ condendæ Legati Romani adesse jussi sunt, quæ mox unanimi Patrum consensu approbata est. Huic vero item quam dixi Leonis Legatorum Græci sermonis, quin & morum Orientis ecclesiarum inscitiæ, adscribendum venit, quod aliquibus quæ in synodo dicta gestaque fuere, assensum non denegarint, quæ Pontifici cujus personam gerebant, admodum displicuere.

CAPUT X.

Acacius Constantinopolitanus Chalcedonensem Canonem XXVIII. instaurari curat.

Acacius CP. Canonem Chalcedonensem instaurare aggreditur.

I. ANATOLIO defuncto ejusque successore Gennadio, quum Acacius Constantinopolitanam teneret sedem, circa annum 472. Leonis Imperatoris operâ prætensa ecclesiæ suæ jura instaurare aggressus est. Verum Probus Canusinus, qui Simplicii Papæ Apocrisiarius seu Responsalis in Urbe regiâ agebat, adversus illum intercessit, quemadmodum narrat Gelasius Papa in prolixiore sua ad Dardaniæ episcopos de eodem Acacio epistola. *Si sibi de Imperatoris potentia blandiuntur*, inquit, *& inde putant Constantinopolitanæ civitatis episcopi potiorem fieri posse personam, audiant Marcianum ejusdem civitatis principem, posteaquam pro augmento Urbis ipsius sacerdotis intercessor accedens, contra regulas obtinere nihil potuit, sanctæ memoriæ Papam Leonem summis laudibus prosequutum, quod canonum regulas violari nulla fuerit ratione perpessus. Audiant Anatolium ejusdem urbis antistitem, clerum potiùs Constantinopolitanum, quàm se, tentasse talia confitentem, atque in Apostolici præsulis totum dicentem positum potestate. Eaque nihilominùs etiam sub sanctæ memoriæ Simplicio Legatum sedis Apostolicæ sanctæ memoriæ Probum Canusinæ urbis episcopum, Leone principe tunc petente præsente, docuisse nullatenus posse tentari, neque his prorsùs præbuisse consensum: atque adeo non ad civitatis cujuslibet respiciant qualitatem, sed modum dispensationis ecclesiasticæ paterna traditione firmatum convenienter observent.*

Ephesinam ecclesiam adoritur.

II. Nihilominus Acacius cœptis nequaquam putavit desistendum; sed Ephesinam ecclesiam aggressus, episcopum illic ordinavit, expulso Paulo, qui ea in urbe de more veteri fuerat ab episcopis Asiæ consecratus. Huc spectant ista Felicis Papæ III. verba in ejus ad clerum & populum Constantinopolitanum epistola de eodem Acacio. *Alienarum quoque provinciarum sibi jura defendens, sanctorum trecentorum decem & octo patrum canones illicitarum sibi ordinationum præsumtor est conatus evertere.* Quocirca in sententia qua eidem Acacio sacerdotium abrogaverat, hoc primum prævaricationis ejus caput

allegavit: *Multarum transgressionum reperiris* A *obnoxius, & in venerabilis Concili Nicæni contumelia sæpe versatus, alienarum provinciarum jura tibi temerarie vindicasti.* Præterea aliorum quoque Patriarcharum jura præripere non dubitavit Acacius, dum Joannem Apamenum, qui Antiochenam sedem Petro Cnapheo abstulerat, quemque ipse antehac velut hæreticum damnaverat, *Tyriorum fecit Ecclesiæ præsidere*, ut post auctorem Breviculi historiæ Eutychianistarum, Liberatus cap. 18. loquitur: quod synodus Romana sub Felice Papa *ad clericos & monachos Orientales* de B Acacii depositione declaraverat.

Ejus conatibus resistitur à Basilisco Imp.

III. Quod vero Acacii in Ephesinam sedem conatum adtinet, quùm Basiliscus, Zenone Imp. fugato, purpuram arripuisset, subindeque synodum Chalcedonensem proscriberet, Timotheus Alexandrinus, Monophysitarum princeps, Paulum, qui, ut dicebam modò, ab episcopis Asiæ electus olim consecratusque antistes Ephesiorum fuerat, suæ sedi restituit. Quin & iidem Asiæ præsules Basilisco scribere non dubitarunt adversus sanctissimam synodum Chalcedonensem, C cui proinde infensi erant, ceu quâ priscis Asianarum ecclesiarum primariæ sedis juribus esset derogatum. Insuper à Basilisco petierunt ut Acacius episcopatu Byzantino, quo illum nequissime fungi aiebant, justo, canonico & ecclesiastico judicio ejiceretur. Quapropter Zacharias Rhetor, Dioscoritarum factionis patronus, quem Evagrius citat & exscribit, hæc Timothei Æluri gesta sic retulerat, ut profanus iste Alexandrinorum schismaticorum & hæreticorum præsul, Constantinopoli tamdem digressus, quum Ephesum appulisset, D Paulum hujus urbis episcopum, qui, ut prædictum à me est, ab episcopis Asiæ consecratus, Acacio nihilo seciùs agente, sede posthac exciderat, episcopatui demùm suo restituerit. αὐτός φησι, τὸν Τιμόθεον ἐξορμήσαντα τῆς βασιλίδος, τὴν Ἐφεσίων καταλαβεῖν, ἐνθρονίσαι τε Παῦλον ἀρχιερέα τῶν Ἐφεσίων, ὃς ἤδη κεχειροτόνητο μὲν ἀνὰ τὴν ἀρχαιοτέραν συνήθειαν ὑπὸ τῶν τῆς ἐπαρχίας ἐπισκόπων· ἐκπεπτώκει δὲ τοῦ θρόνου. Addit Evagrius ex eodem Zacharia Rhetore: ἀποδίδωσι δὲ τῇ Ἐφεσίων καὶ τὸ πατριαρχικὸν δίκαιον, ὅπερ αὐτὴν ἀφεῖλεν ἡ ἐν Χαλκηδόνι σύνοδος. E *Reddit verò Ephesinæ ecclesiæ patriarchica jura, quibus Chalcedonensis synodus eam spoliaverat.* Atqui Patriarchica jura appellat in primis metropolitanorum ordinandorum potestatem; quo nempe sensu Theophanes refert Theodorum Lectorem *Patriarchæ* titulo donasse Thessalonicensem episcopum, ut pote qui Romani Pontificis vice omnes Illyrici, Orientalis præsertim, metropolitas consecraret. τὸν Θεσσαλονίκης ἐπίσκοπον Θεόδωρος ἰσοεικὼς

Evagr. lib. 3. hist. cap. 6.

πατριάρχην ὀνομάζει, μὴ εἰδὼς διὰ τί. Quia vero Asiæ episcopi Acacium tamquam prisci ordinis inversorem habebant, in gratulatoriis suis ad Basiliscum literis, ejus depositionem postularunt, ceu qui, ut prædixi, episcopatum indignè gereret. δεόμεθα τῆς ἐπενεχθείσης αὐτοῖς δικαίας καὶ κανονικῆς καὶ ἐκκλησιαστικῆς καθαιρέσεως, καὶ μάλιστα τοῦ τὴν βασιλεύουσαν οὐχ ὁσίως ἐπισκοπεῖν φωραθέντι. *Obsecramus, ut illi, præcipue qui regiæ Urbis episcopatu impiè fungi deprehensus est, justo, canonico & ecclesiastico judicio ad ordinem redigatur.*

Qui cœpto posthac destitit.

IV. Posthac autem Basiliscus, quum res suas non sine Acacii nutu & consiliis pessumire sentiret, brevique Zenonem recepturum Imperium; ut Patriarcham sibi infensum conciliaret, edictum dedit, quod Evagrius perinde refert, quò literas quas adversus synodi Chalcedonensis Fidem & decreta dederat, quodammodo revocavit, dictoque anathemate Nestorio, Eutychi, eorumque sociis ac universis hæresibus, subdidit, *Provincias etiam reddi debere sanctissimo religiosissimoque Patriarchæ & archiepiscopo Acacio, quarum episcoporum electionem consecrationemque imperantis & inclytæ Urbis thronus habuit; ita ut videlicet Dei amantissimi episcopi, qui provinciis illis præessent, in sedibus nihilominus suis manerent, neque post illorum obitum præjudicium aliquod adversus ordinationum jura sacri throni regiæ & inclytæ Urbis creetur:* ἀποδοθῆναι δὲ κατὰ τὰς ἐπαρχίας τῷ εὐλαβεστάτῳ καὶ ἁγιωτάτῳ πατριάρχῃ καὶ ἀρχιεπισκόπῳ Ἀκακίῳ, ὧν τὴν χειροτονίαν εἶχεν ὁ θρόνος ταύτης τῆς βασιλίδος καὶ ἐνδόξου πόλεως· δηλαδὴ τῶν νῦν ὄντων θεοφιλεστάτων ἐπισκόπων μενόντων ἐπὶ τὸν οἰκεῖον θρόνον, μηδενὸς ἐκ τούτου προκρίματος γινομένου μετὰ τὴν τούτων τελευτὴν τῷ δικαίῳ τῆς χειροτονίας τοῦ εὐαγοῦς θρόνου ταύτης τῆς βασιλίδος καὶ ἐνδόξου πόλεως. Ex hoc edicti Basilisci loco inferre licet, quanto studio Acacius ordinationes metropolitarum sibi vindicare satageret, ut Basiliscus tyrannus hac ratione illum placare posse putaverit, si eas illi, etiam omissâ Chalcedonensis synodi expressa mentione, literis suis restitueret.

Evag. lib. 3. cap. 7.

Cedunt tamdem Ephesii.

V. Vicissim vero, quum Zeno, redacto ad ordinem Basilisco, Imperium recepisset, illa Asianorum Ephesiorumque molimina male tamdem ipsis cesserunt. Acacio siquidem scribere quamprimùm epistolam coacti sunt, quâ eum *sanctissimum religiosissimumque Patriarcham Constantinopolis novæ Romæ* appellantes, petitâ veniâ quod Basilisci literis assensi essent ac subscripsissent, se synodi Chalcedonensis decreta suscipere & complecti declaraverunt. Nimirum Imperator, qui Acacium sibi addictissimum esse experiebatur, in grati animi significationem Legem ante

Evagr. l. 3. cap. 9.

tulerat, quæ concessa canone vigesimo octavo A Chalcedonense antistiti Constantinopolitano privilegia restituerat. Ea Lex exstat in Codice Justinianeo, titulo *de Sacro-sanctis ecclesiis*, cap. 16. *Decernimus*, inquit, *ut antiquatis & infirmatis iis quæ contra ipsum orthodoxæ religionis Deum quodammodo facta sunt, in integrum restituantur universa, & ad suum ordinem revocentur quæ ante professionem nostræ mansuetudinis de orthodoxæ religionis Fide & sanctissimarum ecclesiarum & martyriorum statu firmiter obtinebant. His quæ contrà hoc tempore tyrannidis innovata sunt, tam contra venera-* B *biles ecclesias, quarum sacerdotium gerit beatissimus & religiosissimus episcopus Patriarcha, nostræ pietatis pater, Acacius, quam contra cæteras quæ per diversas provincias collocatæ sunt, necnon & reverendissimos earum antistites, seu de jure sacerdotalium creationum, seu de expulsione cujusdam episcopi à quolibet his temporibus facta, seu de prærogativâ in episcoporum concilio, vel extra concilium ante alios residendi, vel de privilegio metropolitano vel patriarchico, sub iisdem impiis temporibus penitus antiquandis; ut cassatis & rescissis quæ per* C *hujusmodi sceleratas jussiones, aut pragmaticas sanctiones aut constitutiones impias sive formas subsequuta sunt, quæ à divæ recordationis retrò Principibus ante nostrum imperium, & deinceps à nostrâ mansuetudine indulta vel constituta sunt super sanctis ecclesiis & martyriis & religiosis episcopis, & clericis, aut monachis inviolata serventur. Sacrosanctam quoque hujus religiosissimæ civitatis ecclesiam & matrem pietatis, & christianorum orthodoxæ religionis omnium, & ejusdem regiæ Urbis sanctissimam Sedem, privilegia & honores omnes super episcoporum* D *creationibus, & jure ante alios præsidendi, & cætera omnia, quæ ante nostrum Imperium, vel nobis imperantibus habuisse dignoscitur, habere in perpetuum firmiter regiæ Urbis intuitu judicamus & sancimus. Datum XVI. Kal. Jan. Armatio v. c. Cos.* hoc est anno 476. Ista Zenonis Lege prætensa jura sua omnia majori cumulo recepit Acacius, quàm illi prius Basiliscus spoponderat, atque episcopos quos Timotheus Ælurus restitui curaverat, aut in propriis Ecclesiis ordinari, sedibus suis pellendi facultate ab Imperatore donatus fuit.

Patriarchatus CP. Imperatoriâ Lege constituitur.

VI. Hinc apparet quantùm æquis ecclesiarum juribus illa nocuerint, quæ sub Basilisco tyranno, eoque favente, adversùs Chalcedonense Concilium impius Ælurus & Asiani patraverunt; ut inde Constantinopolitanus præsul occasionem arripuerit, Zenone restituto, privilegiorum ecclesiæ suæ omnium, quæcumque tamdem illa essent, nullo examine adhibito, instaurationem impetrandi, ac si cuncta prorsùs quæ ab hæreticis aut schismaticis propter postremum in ea synodo editum canonem gesta essent, perinde proscribi meruissent. Ea itaque Zenonis Lege Asiani episcopi cum Ephesino primate & exarcho suo, Byzantino antistiti cervices submittere coacti sunt. Id quod statim præstiterunt, dato ad Acacium Libello supplice, de quo jam dictum est, quo veniam exorarunt eorum quæ ab ipsis hac in causa admissa erant. Libelli illorum partem Evagrius recitat cap. 9. quâ significabant, se non ex animo, sed invitos Basilisci literis subscripsisse. *διὰ δὲ τῶν λιβέλλων γνωρίζομεν ὑπογεγραφηκέναι, οὐ κατὰ πρόθεσιν, ἀλλ' ἐξ ἀνάγκης, γράμμασιν, ἀλλ' οὐ καρδίᾳ συνθέμενοι τούτοις.* Acacius verò eorum quæ inprimis ambiebat, compos factus, Concilii Chalcedonensis decreta posthac parùm curavit; cujus etiam nec in famoso illo Henotico Zenonis, quod ipse condiderat, mentionem honorificam fieri voluit. Tum pro ea quam sibi arrogabat secundæ Sedis episcopi dignitate, quum reverentiam omnem erga Romanam ecclesiam detractâ larvâ posuisset, subjugatis cum Ephesina sede Asianis ecclesiis, Antiochiæ episcopos creare & constituere, atque ad libitum destituere, imo & Alexandriæ, abstento Johanne catholico, Petrum Mongum hominem hæreticum, Chalcedonensis Fidei & synodi apertissimum hostem restituere non dubitavit. Quamobrem Acacius omnium primus sit, à quo verè & propriè Patriarchatus Constantinopolitanus, sæculari Imperatoris Zenonis potestate adhibita, constitutus fuerit.

CAPUT XI.

Antiochenam Sedem & Alexandrinam Acacius Constantinopolitanus suæ subjicere aggreditur.

Acacius CP. Antiochenum Patriarcham ordinat.

I. ANNO 482. ubi Constantinopoli auditum est, ab hæreticorum qui Petri Cnaphei seu Fullonis partibus addicti erant, factione, Stephanum II. pontificem Antiochenum necatum esse, Acacius, Zenone Imperatore jubente vel annuente, Calendionem illius urbis, seu tertiæ Sedis episcopum creavit & consecravit. Cæterùm Antiochenses

Imperatoriæ juſſionis, & eorum quæ in Urbe regiâ gerebantur, neſcii, Joannem Codonatum ſibi præfecerant antiſtitem, qui adventanti Calendioni ſede cedere coactus fuit; ſubinde verò epiſcopatu Tyri, qui poſt Antiochenum Diœceſis Orientis totius primus erat, donatus eſt. Calendio concilio Antiochiæ celebrato, communibus ſuffragiis admiſſus fuit, moxque adeò ſynodicam inaugurationis ſuæ epiſtolam de more ad Simplicium Papam miſit.

Ordinatio illa ægrè à Simplicio Papâ probatur.

II. Simplicius Calendionis quidem ordinationem ab Acacio, ut olim Leo Maximi ab Anatolio, factam, improbandam non cenſuit, propter perduelles illos Antiochenos hæreticos, quos Imperatoris, à quo Calendio datus erat, timore coërcere oporteret; quum inſuper Zeno ipſe Auguſtus pollicitus eſſet, nihil tale in poſterum contrà Nicænæ ſynodi decreta patratum iri. Hoc nempè Pontifex ſignificat epiſtolâ ſuâ 14. quam ad Imperatorem ſcripſit: *Et quoniam*, inquit, *ſeditiones Antiochenas religioſiſſimo propoſito ſedandas non aliter exiſtimaſtis, niſi præter judicium venerandi illius Concilii Nicœni, apud Conſtantinopolim, iiſdem petentibus, ordinaretur antiſtes, quod in ejus tantummodo perſonâ ſic memoraſtis aſſumtum, ut deinceps ſecundum definitiones Patrum Orientali ſynodo creatio Antiocheni antiſtitis reſervetur; nec haberi loco vultis injuriæ, quod diſſenſionis gratiâ factum eſt auferendæ. Tenet hanc pietatis veſtræ B. Petrus ſponſionem, & chriſtianiſſimi fideliſſimique Principis mentem in hæc verba juraſſe, quod poſthac in Antiochena urbe, veteri more ſervato, à comprovincialibus ſuis epiſcopis ordinetur; ne, quod nec frater & coepiſcopus meus Acacius vobis eſt jubentibus exſequutus, in uſum poſteritatis veniat, & ſtatuta Patrum, quæ præcipuè præſtatis, illæſa confundat.*

Acacii fraudes & mendacia.

III. Sic quidem Zenoni Simplicius Papa candido ſinceroque animo de Calendionis ordinatione ſcribebat. Ubi vero ait, Antiochenis poſtulantibus, *apud Conſtantinopolim eſſe ordinatum antiſtitem,* annon diſertè innuit, Acacium, cujus nutu Regia in aula cuncta quæ ad Eccleſias ſaltem ſpectarent gerebantur, hoc Imperatori inſinuaſſe, quod Antiocheni epiſcopum ſibi ab ipſo dari poſtulaſſent? Id quod apertiſſimum mendacium erat; quandoquidem, ut ex Theophane & Theodoro Lectore prædictum eſt, quum ea quæ Conſtantinopoli ſui causâ fiebant, ignorarent, Joannem Codonatum eligi & conſecrari curaverant. Sed hæ verſutiſſimi Acacii artes erant, qui Calendionis ordinatione viam ſibi parabat, ut Antiochenam ſedem legibus regiminique ſuo ſubjiceret.

Simplicius de Acacio jure queritur.

De hac autem Calendionis conſecratione, A quæ idem Pontifex Romanus Acacio reſcripſerit, hic intereſt adtexere. *Clementiſſimi Principis literis, tuæque dilectionis de ſacrilega & funeſtiſſima cæde quæ apud Antiochiam facta eſt, ſauciatus, & nimium affectus mœrore, reſpondeo adſtruens, ſi quod jamdudum de Petro & aliis complicibus eorum ſcripſeram, &, ut pietati ejus cum cæteris qui aderant fratribus ſuggerere poſtularam, ut oportuerat ordinatum fuiſſet, hæreticorum temeritas ad tantum facinus non veniret, nec aliquid neceſſitatis exſiſteret, ut non aliter prædictæ ſubveniretur eccle-* B *ſiæ, niſi ut aliquid de jure ejus curatio ipſa minueret. Quamvis enim profecerit ob quietem, quod chriſtianiſſimi Principis juſſione, vel ſine præjudicio canonum à tuâ caritate fuerit Antiochenus epiſcopus ordinatus, tamen non eſt ſine invidiâ factum, cujus cavendum deinceps etiam ille teſtatur, qui præcepit, exemplum.* Sic Acacius ſibi à Zenone imperatum cauſabatur, ut Antiochenum epiſcopum crearet; quum nihil niſi ipſo ſuggerente Princeps adtentaret. Sed interim ambitionem ſuam multiplici arte, inprimiſque ſimulata erga Impe- C ratoris juſſiones obſequentiâ, occultare curabat. Quocirca veteratoris hujus deluſus dolis Pontifex optimus, ſtatim addit: *In quo pietati ejus gratias dignum eſt nos referre, quoniam ita gloriæ ſuæ moderatus eſt poteſtatem, ut fideliſſima devotione Patrum regulis ſubmittere voluerit, quæ juberet, nec in auctoritatem recipi quod ſequenti conſtituit ætate prohiberi: ut ſcilicet in hac tantummodo perſona, quam juſſu ejus, & ſtudio quietis Antiochenſibus, non tuâ uſurpatione, antiſtitem conſecraſti, quod factum eſt neceſſitate, ſufficeret.* Mox Acacii exi- D miam modeſtiam laudat, ceu Principis mandatis non continuò, ſed ægrè tamdem annuiſſet. *In quo tuæ dilectionis non irrationabilem cognoſcimus fuiſſe famulatum; quia eccleſiarum jura proſpiciens, diu te non immeritò ſuſpendiſſe teſtaris, ne videreris ambire, quod tanto Principi, & in tam gravi causâ non poteras abnegare.* Sic vaferrimus Patriarcha ludificatus Simplicio fuerat, qui eruditum ſimulatoriis artibus ejus ingenium nondum ſatis agnoverat.

Zeno Imp. Acacio adſtipulatur.

IV. Verum, nec Zeno, nec ejus inſtiga- E tor Acacius, promiſſis ſteterunt ſuis. Hic enim, Imperatore annuente, Calendionem, quaſi Illo qui tyrannidem in Oriente arripuerat, conſenſiſſet, Antiocheno throno poſt annos tres, multoſque item alios epiſcopos expulit. Atqui Antiochenis quidem Petrus Fullo redditus fuit, Alexandrinis vero Petrus Mongus, ambo hæretici unius in Chriſto naturæ adſertores. Quæ quidem Acacium in utraque Eccleſiâ illa, quum ſe ſecundæ Sedis epiſcopum cenſeret, nullâ

coactâ synodo patrasse testatur Gelasius Papa, cujus verba mox recitabo, itemque Breviculi Eutychianorum historiæ auctor, ac Liberatus.

Lib. cap. 17.

PP. de Acacio querelæ, quod Alexandrinæ & Antioch. sedes sibi subjugaret.

V. Ut porro Acacius Petrum Mongum ceu legitimum pontificem Alexandrinum habuerit, hæc causa fuit, quod Joanni Talaïæ, qui post Timothei Salofacioli obitum Alexandrinus episcopus consecratus fuerat, admodum succenseret, quia statim ab ordinatione sua nullas ad ipsum synodicas literas miserat, sed Zenoni dumtaxat Imperatori, per Ellum Magistrum, quem Constantinopoli tunc commorari existimabat. Scripserat itidem de more Romano Pontifici Simplicio, & Antiocheno Calendioni. Quamobrem, ut Gelasius prolixiore sua ad Dardaniæ præsules epistola perhibet, Acacius in Alexandrinam & Antiochenam ecclesias idcircò grassatus est, quod suæ solicitudini & auctoritati Orientis eccclesias omnes subjectas jactitaret. *Risimus autem*, inquit Gelasius, *quod prærogativam volunt Acacio comparari, quia episcopus fuerit regiæ civitatis. Numquid apud Ravennam, apud Mediolanum, Sirmium, apud Treveros, multis temporibus non constitit Imperator? Numquidnam harum urbium sacerdotes ultra mensuram sibi antiquitùs deputatam quidpiam suis dignitatibus usurparunt? Numquid Acacius, ut Joannem, qualemlibet hominem, Catholicum tamen à Catholicis ordinatum, de Alexandria excluderet, Petrumque in hæresi jam detectum atque damnatum, absque sedis Apostolicæ consultatione reciperet, aliquâ synodo saltem illic habitâ, hoc audacter arripuit ut Calendionem de Antiochia pelleret, hæreticumque Petrum, quem ipse quoque damnaverat, absque notitiâ sedis Apostolicæ rursùs admitteret, aliqua synodo id fecisse monstratur? Si certè de dignitate agitur civitatum, secundæ & tertiæ* (Alexandrinæ scilicet & Antiochenæ) *major est dignitas sacerdotum, quàm ejus civitatis, quæ non solum inter sedes minimè numeratur, sed nec inter metropolitanorum jura censetur. Nam quod dicitis, Regiæ civitatis, alia est potestas regni sæcularis, alia ecclesiasticarum distributio dignitatum. Sicut enim quævis parva civitas prærogativam præsentis regni non minuit, sic imperialis præsentia mensuram dispensationis religiosæ non mutat.* Sic Gelasius acri argumentatione amplificat, quod paucis hisce verbis in epistola ipsius ad Orientales episcopos perstrictum legimus: *Nam quum Acacius nullo privilegio fulciretur, ut de secunda Sede posset ferre judicium, non potuit jure quemquam damnare. Simili modo, nisi primæ Sedis auctoritate receptâ, nec examinandi Petri jus habuit, nec recipiendi penitùs potestatem.* In alterâ autem epistolâ vanam Byzantini episcopi jactantiam carpendo

A pergit, allato exemplo Marciani Imp. qui posteaquàm pro augmento Urbis, sacerdotis ipsius intercessor accedens, contra regulas obtinere nihil potuit, sanctum Papam Leonem summis laudibus est prosequutus, quod eas violari passus non esset: Anatolii ejusdem sedis antistitis, qui clerum potius Constantinopolitanum, quàm se, talia tentasse confessus est, & in Apostolici præsulis totum potestate positum dixit; Leonis, à quo quidquid peroccasionem synodi Chalcedone congregatæ præter Nicænos canones tentatum esset, B competenti refutatione vacuatum erat; denique Leonis Augusti, quo præsente Probus Canusinus Romanæ sedis Nuntius, evicerat nullatenùs eadem quæ Acacius denuò petierat, obtineri posse. Tum, *sin forsan dicatur*, inquit, *de Alexandrino & Antiocheno episcopis, certis de causis Principem magis illa quæ gesta sunt, quàm Acacium præcepisse; sed Christiano Principi decuerat suggerere sacerdotem, maxime cujus familiaritate fruebatur, salvam fore de ejusdem injuria contumeliaque vindictam, tantùm ut Ecclesiæ sineret Christia-* C *nus princeps regulas custodiri.* Objicit deinde quid apud Davidem Nathan gesserit, quid Ambrosius apud Theodosium seniorem, quid Leo Papa apud juniorem Theodosium occasione Latrocinii Ephesini, Hilarius item Papa apud Anthemium, Simplicius & Felix apud Basiliscum & ipsummet Zenonem, quem Acacii accensum instinctu fuisse asserit. Neque id temerè: nam paulò post Imperatoris ipsius testimonium subdit: *Hic autem vir bonus Acacius, & sacerdos eximius in tantum se ei suggerere potuisse monstravit, & no-* D *luisse depromsit, imò favisse patefecit; ut & Imperator cuncta se ex ejus gessisse consilio non taceret, & ipse Imperatorem magnis præconiis elevaret ista facientem, seque prodidit his agendis rebus fuisse participem.* En ergo Acacium totius nequitiæ, ipsomet Augusto attestante, vaferrimum auctorem & architectum, qui suis artibus quos vellet communione suâ donando, ac suscipiendo, Patriarchas Orientis sedi suæ obnoxias reddere satagebat.

VI. Enimvero anno 519. dum Justinus Imperator in Severi Antiocheni præsulis hære- E tici locum, quemdam Paulum subrogandum censuisset, Constantinopolitani nihil non obtenderunt, ut is in Urbe regia ordinaretur ab Epiphanio antistite suo. Verum Dioscorus Romani Pontificis Legatus ex adverso intercessit, effecitque, ut de more veteri Antiochiam illic consecrandus pergeret. Cæterum anno 538. Theodosio Patriarcha Alexandrino hæretico exulare jusso, Paulus Tabennesiota Alexandrinus præsul Constantinopoli electus est, & à Mennâ Constantinopolitano consecratus,

Utram[illegible] que sede[illegible] Acacii [illegible] cessores [illegible] subduct[illegible]

consecratus, Pelagio Romanæ sedis Responsali præsente, necnon apocrisiariis Ephræmii Antiocheni & Petri Hierosolymitani; id quod tamen pro Ægyptiacæ Ecclesiæ statu tunc temporis fieri permissum est. Anno 572. Joannes Scholasticus Patriarcha Constantinopolitanus Joannem quartum Alexandriæ episcopum ordinavit, & idcircò præsertim, ut ex Theophane conjicio, Anastasium Antiochenum à Justino II. exauctorandum curavit, quia ordinationi ejus assentiri noluerat. *Eodem anno* (Alexandrino 562. & vulgaris æræ 572.) *quum Anastasius magnæ Antiochiæ episcopus in responsoriis suis literis synodicas Joannis Constantinopolitani qui Joannem Alexandriæ episcopum ordinaverat, & illum qui erat ordinatus, reprehendisset,* καθαψάμενος ἐν τοῖς ἀντιγράφοις τῶν συνοδικῶν Ἰωάννου τοῦ ΚΠ. τοῦ χειροτονήσαντος Ἰωάννην τῆς Ἀλεξανδρείας, καὶ τὸ τοῦ χειροτονηθέντος, *episcopatu pulsus est.* Paulò post verò Gregorius qui Anastasio sublectus erat, incesti accusatus, coram numerosa synodo totius Orientis Joannis Jejunatoris Constantinopolitani præsulis literis encycliis, quibus se Patriarcham *Oecumenicum* appellabat, collecta, causam dicere, seseque purgare coactus est: de qua synodo & illegitimis Jejunatoris ausibus, suus brevi dicendi locus erit. Sæculo quoque septimo, dum propter Mohammedanorum tyrannidem Macedonius & Macarius Patriarchæ Antiocheni Monotheletæ Constantinopolim se recepissent, deposito tamdem à sexta Synodo Macario, Theophanes orthodoxus ea in Urbe à Georgio patriarcha consecratus fuit, ejusque adeò successor Thomas. Ita quoque anno 970. expugnata à Nicephoro Phocâ Imp. receptaque ex Saracenis Antiochiâ, Polyeuctus Constantinopolitanus Antiochenum pontificem Theodorum eremitam consecravit. Vixque in dubium vocavero, quin quandiu Antiochia Græcorum deinceps potestatis fuit, ejus perinde præsules ab Urbis regiæ antistitibus dati sint & ordinati.

Antiochenam præsertim sæquiori ævo.

VII. Planè tempore Belli sacri, quod nostrates Franci in Syria gesserunt, Boamundus ab Alexio Commeno Imperatore Antiochiæ Princeps renuntiatus fuit, multiplici injuncta conditione, quarum hæc una erat, Antiochenum Patriarcham, non ex Francorum genere accipiendum, sed ex alumnis Ecclesiæ Constantinopolitanæ; ut nempè Constantinopolitani episcopi perpetuò ordinationi subderetur. Συμφωνῶ δὲ καὶ ἐπόμνυμι, τὸν ἐν ἐκκλησίᾳ Ἀντιόχου πρεσβευόμενον Θεὸν, ὡς οὐκ ἐκ τοῦ ἡμετέρου γένους πατριάρχης ἔσται Ἀντιοχείας, ἀλλ᾽ ὃν ἂν προβαλεῖται ἡ βασιλεία ὑμῶν, ἐκ τῶν θρεμμάτων τυγχάνοντα τῆς κατὰ τὴν Κωνσταντινούπολιν μεγάλης ἐκκλησίας. ὁ τοιοῦτος γὰρ καὶ τοῦ θρόνου τοῦ κατὰ τὴν Ἀντιόχου ἐπιβαίη, καὶ πάντα πράξει ἀρχιερατικῶς ἔν ταῖς τε χειροτονίαις, καὶ ταῖς λοιπαῖς ἐκκλησιαστικαῖς ὑποθέσεσι, κατὰ τὰ τοῦ θρόνου προνόμια. *Assentior & juro per eum qui in ecclesiâ Antiochiæ oratur & adoratur Deus; non futurum Antiochiæ Patriarcham ex nostro genere, sed eum quem vestra Majestas in hanc dignitatem promoverit, qui fuerit ex alumnis magnæ ecclesiæ Constantinopolitanæ. Hic talis ejusmodi observatione electus, Antiochenum thronum ascendat, omniaque gerat quæ ad Pontificem spectant, tam in ordinationibus, quam in reliquis functionibus, secundum Sedis hujus privilegia.* Verum quia utrique genti alterius mores non arridebant, hinc factum est, ut Græci Patriarchæ Antiocheni & Hierosolymitani, qui in Urbe regia eligebantur, & consecrabantur, in ea manserint toto sæculo duodecimo, usque ad illud tempus quo tamdem Franci ex omni Syria & Palæstina à Mohammedanis pulsi sunt.

Canonis illius auctoritas solâ Imperatorum potestate valuit.

VIII. His itaque modis omnibus quos recensui, Constantinopolitani episcopi per Orientem auctoritas crevit, propter canonem præsertim Chalcedonensem, *Cui licet,* inquit Liberatus, *sedes Apostolica nunc usque contradicat, quod à synodo firmatum est, Imperatoris patrocinio permanet usque modò.* Quocirca nequam occasionem Byzantini præsules omitterent prætensi illius juris sui, primi, inquam, loci supra reliquos Orientis Patriarchas tenendi, canonem illum Trullano trigesimosexto confirmandum curarunt. Sed quam sublesta sit fides synodi istius Trullanæ, invictissimis argumentis luberet hic evincere, nisi à proposito viderer aberrare. Quia vero Imperatoriis potius jussionibus, quam Ecclesiæ sanctionibus honorem illum Constantinopolitani Patriarchæ mordicùs sibi vindicarunt, mirari subit quod Theodorus Balsamon in expositione canonis XXVIII. Chalcedonensis fateatur, in Basilicis quæ longo deinceps tempore scripta repurgataque sunt, nullas exstare leges quæ definiant Constantinopolitanum Archiepiscopum iisdem ac Papa Romanus prærogativis potiri; quod nonnullis in causa fuit, cur eum antiquatum esse intulerint, καὶ ἀπὸ τοῦ μὴ καταστρωθῆναι εἰς τὰ Βασιλικὰ τὰ μεταγενεστέρως κατὰ πολὺ συγγραφέντα καὶ ἀνακαθαρθέντα, τοὺς νόμους τοὺς διορίζομένους ἔχειν τὸν Κωνσταντινουπόλεως τὰ προνόμια τοῦ πάπα Ῥώμης. Id quod se alibi animadvertisse subdit.

Innocentius Papa III. canonem admittit.

IX. Cæterum Innocentius Papa III. ab illa decessorum suorum adversùs illum Chalcedonensem Canonem renitentia descivit, captaque sæculo decimo tertio ineunte à Francis Constantinopoli, illicque Latini ritus constituto Patriarcha, indulsit tamdem ut

ſecundum ille locum inter pontifices teneret, poſtpoſitis illi Alexandrino, Antiocheno, & Hieroſolymitano, quando in primis harum ſedium antiſtites ſuis jam pridem juribus ultro ceſſerant. Quod quidem ratum factum eſt in Concilio Lateranenſi anno 1215.

CAPUT XII.

De Οἰκουμενικοῦ Oecumenici, *ſive Univerſalis Patriarchæ nuncupatione.*

Epiſcopus CP. Oecumenici Patriarchæ titulo donatur.

I. POST tentatam, ac penè jam uſurpatam ab Acacio ejuſque ſucceſſoribus, juriſdictionem, ſeu potiùs tyrannidem in ſecundam & tertiam ſedem, hoc unum illis deeſſe videbatur, ut ſpeciali quodam titulo ſeſe Romano Pontifici per omnia æquales ſignificarent. Quocirca, quia in Chalcedonenſis ſynodi actis legerant, uti antehac in Latrocinio Epheſino Dioſcorum ab Evazorum epiſcopo Olympio, ſic & Leonem Magnum Papam ab Athanaſio Alexandrinæ eccleſiæ preſbytero, Theodoro item & Iſchyrione diaconis, & à Sophronio laïco, in Libellis ipſorum adverſus eumdem Dioſcorum, *univerſalis Archiepiſcopi & Patriarchæ* nuncupatione donatum, οἰκουμενικῷ ἀρχιεπισκόπῳ καὶ πατριάρχῃ τῆς μεγάλης Ῥώμης Λέοντι, quinetiam ab ejuſdem vicariis cum ſubſcriberent, *univerſalis eccleſiæ urbis Romæ epiſcopum & Papam appellatum*, τοῦ ἀποστολικοῦ τῆς οἰκουμενικῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπου πόλεως Ῥώμης· Monachos item Syriæ eodem titulo Hormiſdam Papam in ſuo adverſus Severum ſupplice libello ſalutaſſe, *Sanctiſſimo & beatiſſimo univerſæ orbis terræ Partiarchæ Hormiſdæ, &c.* idcirco eodem illi honoris vocabulo Patriarcham ſuum inſigniri curaverunt Byzantini. Juſtinianus nimirum Imperator in reſcripto ad Epiphanium Conſtantinopolitanum, quod exſtat in ejus Codice, tit. *de Sanctiſſima Trinitate,* hunc Patriarcham *œcumenicum* appellavit. Αὐτοκράτωρ Ἰουστινιανὸς Ἐπιφανίῳ τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ τῆς βασιλίδος ταύτης πόλεως, καὶ οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ. Neque ſuſpicari licet poſtremas haſce duas voces, καὶ οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ à Græculis quibuſdam ævi ſequioris adjectas eſſe. Facundus ſiquidem Hermianenſis inſcriptionem hanc perinde ſic Latine ediderat. *Imperator Juſtinianus Auguſtus, Epiphanio ſanctiſſimo & beatiſſimo archiepiſcopo regiæ hujus urbis, & univerſali Patriarchæ.* Eamdem variis novellis ſuis vocem idem Imperator præfixit, quas ad Epiphanium, Anthimum, Mennam, Byzantinos antiſtites dedit, quemadmodum & aliis quibuſdam ad Agapetum Pontificem Romanum ſcriptis: quanquam monere intereſt eam abeſſe prorsùs in tranſlationibus Latinis epiſtolarum illarum ad Agapetum. Monachos Syriæ in epiſtola ad Joannem Epiphanii deceſſorem hunc pari modo quo Hormiſdam Papam, Patriarcham οἰκουμενικὸν *univerſalem* nuncupaſſe legimus. Tum ſubinde in actionibus aliquot ſynodi quæ Conſtantinopoli anno 536. celebrata eſt, Mennas perindè *Oecumenicus Patriarcha* dicitur, quemadmodum & antehac à Joanne Cappadoce in concilio quod eadem in urbe ſub Juſtino I. habitum eſt anno 518. Quamquam concilii ſub Menna habiti Acta Græca à recentiore Græculo nonnullis in locis adulterata eſſe conſtat.

Fac. l. 2. cap. 11.

A Juſtiniano Imp. ſancitur.

II. Ambitioſo illo titulo auctus ab Imperatore Epiphanius, Joanni Papæ, qui Conſtantinopolim à Theodorico Italiæ rege miſſus erat, priorem ſedendi locum denegare non dubitavit: ſed Pontifex nullum cum eo congreſſum habere voluit, niſi primus ipſe ſederet. Quem tamen ſubinde honorem Epiphanius ſapientior factus Pontifici Romano detulit, Imperatore, ut conjicere licet, ita factitari præcipiente. Cæterùm Juſtinianus etſi ſummam erga Apoſtolicam ſedem reverentiam variis in legibus ſuis præferebat, nihilominus ſub Vigilio Papa irrevocabili Novella ſanxit, ut Byzantinus ſecundus eſſet poſt Romanum Papam: Καὶ διὰ τοῦτο θεσπίζομεν, inquit, κατὰ τοὺς αὐτῶν ὅρους τὸν ἁγιώτατον τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης πάπαν πρῶτον εἶναι πάντων τῶν ἱερέων, τὸν δὲ μακαριώτατον ἀρχιεπίσκοπον Κωνσταντινουπόλεως τῆς νέας Ῥώμης, τῶν δὲ ἄλλων πάντων προτιμᾶσθαι. *Ideoque ſancimus ſecundum eorum* (Patrum) *definitiones ſanctiſſimum ſenioris Romæ Papam primum eſſe omnium ſacerdotum: beatiſſimum autem archiepiſcopum Conſtantinopolis novæ Romæ ſecundum habere locum poſt ſanctum apoſtolicum thronum ſenioris Romæ, aliis autem omnibus præponi.* Data hæc Novella fuit *XV. Kal. April. DD. Juſtin. PP. Aug. & Baſil v. c. Coſſ.* Id eſt anno 541. Hæc porrò prærogativa ſecundæ ſedis, quam Zeno Imperator, & ſubinde Juſtinianus Byzantino epiſcopo ſuo confirmarunt, in cauſa fuit, cur tanquam univerſi Chriſtiani Orbis Patriarcha haberi voluerit.

Nov. 131. cap. 2.

Joannes Jejunator CP. Patriarcha hunc ſibi vindicat titulum.

III. Quum igitur Conſtantinopolitanus præſul multiplici Principum Lege omnibus Orientis Patriarchis prælatus eſſet, ac præ

illis *Oecumenicus* seu *universalis* patriarcha salutatus; Joannes Jejunator, qui eam sedem sub Tiberio II. capessivit, potestatem quoque sibi arrogavit generalem synodum, totius præsertim Orientis, Constantinopolim convocandi, in qua de impactis Antiocheno Patriarchæ Gregorio criminibus judicium ferret, sibique adeo tertiam ecclesiæ catholicæ sedem esse subjectam palam ostentaret. Convocationis autem literas subscriptione suâ muniendo, *Oecumenici Patriarchæ* titulum adjecit.

Ejus synodus à Pelagio Papa II. proscribitur.

IV. Inauditum hactenùs Jejunatoris ausum Illyrici præsules, ad quos ille literas istas suas tractorias mittere non dubitaverat, Pelagio II. Pontifici Romano primati suo confestim detulerunt. Qui nullâ morâ epistolam ad bellam illam synodum dedit, cum hâc inscriptione: *Dilectissimis fratribus, universis episcopis, qui illicita vocatione Joannis Constantinopolitani convenerunt, Pelagius.* Tum quibusdam de more præmissis, ait: *Relatum est ergo ad Apostolicam sedem Joannem Constantinopolitanum episcopum se Universalem subscribere, vosque ex hac sua præsumtione ad synodum convocare generalem, quum generalium synodorum convocandi auctoritas, Apostolicæ sedi B. Petri privilegio sit tradita.* Adductis deinde Scripturæ locis, quibus Petrum à Christo Ecclesiæ præfectum fuisse edocemur, hoc subjungit: *Multis denuò Apostolicis atque ecclesiasticis regulis, non debent absque sententia Romani Pontificis concilia celebrari.* Ac multis interjectis, addit, non sine comminatione: *Modo verò ideò suspenditur ultio, ut locum possit habere correctio.* Tum sic pergit: *Prædecessor verò Joannis, & ipse Joannes non semel, sed sæpissimè epistolas atque libellos propriâ manu subscriptos sanctis prædecessoribus nostris miserunt, quibus coram Deo protestati sunt, nihil unquam protervè contra apostolicam sedem agere, nec de illius, aut aliorum privilegiis quidquam usurpare; qui hactenùs in archivo sanctæ Romanæ Ecclesiæ sub sigillis & chirographis eorum roborati, habentur integri.* Hæc quidem Pelagius Papa, audita synodi convocatione, scripsit, à quo subinde synodus ista, excepta Gregorii Antiocheni absolutione, proscripta fuit, ut docet nos Magnus Gregorius Pelagii ipsius successor in epistola ad eumdem Joannem Jejunatorem, cujus verba hîc recitare interest. *Et quidem hac de re*, inquit, *sanctæ memoriæ decessoris mei Pelagii ad sanctitatem vestram scripta transmissa sunt, in quibus synodi quæ apud vos de fratris quondam & coepiscopi nostri Gregorii causâ congregata est, propter nefandum elationis vocabulum, acta dissolvit, atque archidiaconum, quem ad vestigia dominorum transmiserat, Missarum vobiscum solennia celebrare prohibuit.*

Greg. l. v. Ind. XIII. ep. 18.

Jejunatori Gregorius M. Papa resistit.

V. Quum hæc à Pelagio II. scripta gestaque essent adversus ambitiosam Joannis Jejunatoris præsumtionem, Gregorius deinde narrat quid ipse posthac egerit: *Post ejus vero* (Pelagii) *obitum*, inquit, *quum indignus ego ad Ecclesiæ regimen adjunctus sum, & ante per alios Responsales meos, & nunc per communem filium Sabinianum diaconum alloqui fraternitatem tuam, ut se à tali præsumtione compesceret, non equidem scripto, sed nudo sermone curavi; & si emendare nolles, eum Missarum solennia cum fraternitate vestra celebrare prohibui.* Mox eum adhortatur ad deponendam ambitionem, utque sincera potius humilitate universalis Ecclesiæ unitati consulat. *Si Paulus*, inquit, *membra Dominici corporis certis extra Christum capitibus, & ipsis quidem apostolis subjici partialiter evitavit; tu quid Christo, universalis scilicet Ecclesiæ Capiti, in extremi judicii es dicturus examine, qui cuncta ejus membra tibimet conaris* universalis *appellatione supponere!* Mox facinoris gravitatem augens, *Quid enim*, ait, *fratres tui omnes universalis Ecclesiæ episcopi, nisi astra cœli sunt, quorum vita simul & lingua inter peccata erroresque hominum, quasi inter noctis tenebras lucent, quibus dum cupis temetipsum vocabulo elato præponere, eorumque nomen tui comparatione calcare, quid aliud dicis, nisi in cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum!* Quibusdam interjectis, pudorem ei conatur injicere, divinique judicii atque ultionis timorem: *Quæ cuncta ego quum flens conspicio*, inquit, *& occulta Dei judicia pertimesco, augentur lacrymæ, & gemitus se in corde meo non capiunt, quod ille vir sanctissimus domnus Joannes, tantæ abstinentiæ atque humilitatis, familiarium seductione linguarum ad tantam superbiam erupit, ut in appetitu perversi nominis illi esse conetur similis, qui, dum superbe esse similis Deo voluit, etiam donatæ similitudinis gratiam amisit: & ideò veram beatitudinem perdidit, quia falsam gloriam quæsivit. Certè quid Petrus apostolorum primus! membrum sanctæ universalis ecclesiæ. Paulus, Andreas, Joannes, quid aliud, nisi singularium plebium capita! & tamen sub uno capite omnes membra.* His modestiâ præcipuâ plenis, responsionem subdit, quâ diluatur objectiuncula ista Græcorum, qui Romanum Pontificem identidem esse dictum *universalem Papam* obtenderent, propter Sedis ipsius primatum. *Numquid non*, inquit, *ut vestra fraternitas novit, per venerandum Chalcedonense Concilium hujus apostolicæ sedis antistites, cui Deo disponente deservio,* Universales *oblato honore vocati sunt! Sed tamen*

nullus sibi hoc temerarium nomen arripuit, ne A *si sibi in pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegasse videretur.* Tamdem, postquam de humilitate multa præclarè dixit, hoc modo concludit: *Ego autem per Responsales meos semel & bis verbis humilibus hoc quod in totam ecclesiam peccatur, corripere studui: nunc per meipsum scribo, quidquid facere humiliter debui, non omisi: sed si in mea correptione despicior, restat ut Ecclesiam debeam adhibere. Hæc itaque dicens, omnipotens Deus fraternitati vestræ indicet, quanto circa vos amore* B *constringor, quantumque in hac causa, non contra vos, sed pro vobis lugeo, in qua tamen præceptis Evangelicis, institutionibus canonum, utilitatibus fratrum, personam præponere non possum, nec ejus quem multùm amo.* Hæc Gregorius Joanni illi Jejunatori.

Greg. l. v. Ind. XIII. ep. 19.

Sabiniano Responsali suo de illo scribit.

VI. Interim vero epistola ad Sabinianum diaconum Responsalem suum apud Imperatorem, indicat quid causæ exstiterit, uti Joanni Constantinopolitano de *Universalis patriarchæ* titulo deponendo iterum scriberet. Cæterum Diaconum monet se binas literas C mittere, alias quidem ob reverentiam Imperatoris, mansuetudinis & blanditiæ plenas, alias verò ejusmodi, de quibus Patriarchæ superbia non lætetur. *Ad hoc enim usque pervenit, ut sub occasione Joannis presbyteri gesta huc transmitteret, in quibus se penè per omnem versum* οἰκουμενικὸν *Patriarcham nominârat. Miror autem quomodo dilectionem tuam fallere potuit, ut permitteres Domino Imperatori persuaderi, quatenus ad me scripta transmitteret, in quibus admoneret, ut cum eo pacem habere debuissem: qui si justitiam tenere vult, illum* D *debuit admonere, ut se à superbo vocabulo compesceret, & protinùs pax fieret. Idcircò enim hoc ille fecit, ut audiretur Dominus Imperator, & ille in sua vanitate confirmatus esse videretur, ut non à me audiretur, & ejus animus contra me irritaretur.* Atqui hoc ipsum quod postremum Gregorius augurabatur, evenit. Nam Mauritius Imperator sanctissimi Papæ in Jejunatoris confutando fastu constantiam atque perseverantiam indignissime tulit, seque ei hac de causa infensissimum deinceps præbuit. E

Mauritio Imp.

VII. Gregorius itaque acceptis Augusti literis, eidem ita rescripsit, ut laudato primum illius erga Ecclesiam universalem studio, exsufflatoque vano asperioris vitæ Joannis obtentu, se quidem pacis amantissimum significarit, serenissimis alioqui ejus jussionibus obsequentem. *Quia verò non mea causa, sed Dei est*, inquit, *& quia non solus ego, sed tota turbatur Ecclesia: quia piæ leges, quia venerandæ synodi, quia ipsa etiam Domini nostri Jesu Christi mandata, superbi atque pompatici sermonis inventione turbantur, piissimus Dominus locum secet vulneris.* Tum paucis interjectis, modestiam Apostolorum principis proponit quo Joannis ambitum acriùs retundat. *Ecce claves regni cælestis accepit* (Petrus) *potestas ei ligandi & solvendi tribuitur: cura ei totius ecclesiæ & principatus committitur, & tamen* Universalis *apostolus non vocatur: & vir sanctissimus consacerdos meus Joannes vocari* Universalis *episcopus conatur! Exclamare compellor, ô tempora! ô mores!* Et Rursum facinoris gravitatem auget: *Quis iste est, qui contra statuta Evangelica, contra Canonum decreta, novum sibi usurpare nomen præsumit! Utinam vel sine aliorum imminutione primus sit, qui vocari appetit* Universalis. *Et certè multos Constantinopolitanæ in hæreseos voraginem incidisse novimus sacerdotes, & non solum hæreticos, sed etiam hæresiarchas factos. Inde quippe Nestorius, qui mediatorem Dei & hominum duas esse personas existimans, quia Deum fieri hominem posse non credidit, usque ad Judaïcam perfidiam erupit. Inde Macedonius, qui consubstantialem Patri & Filio Spiritum sanctum Deum esse denegavit. Si igitur illud nomen in eâ Ecclesiâ sibi quisquam arripit, quod caput se bonorum omnium facit: universa ergò Ecclesia, quod absit, è statu suo corruit, quando is qui appellatur* Universalis, *cadit, sed absit à cordibus Christianis nomen istud blasphemiæ, in quo omnium sacerdotum honor adimitur, dum ab uno sibi dementer arrogatur.* Mox illud repetit, quod Joanni Jejunatori scripserat, quodque objici sibi posset ex illo Chalcedonensis Concilii loco, in quo Leo Magnus *universalis Archiepiscopus* dictus fuerat, hocque momentum sic resolvit: *Certè pro beati Petri Apostolorum principis honore per venerandam Chalcedonensem synodum Romano Pontifici oblatum est, sed nullus unquam hoc singularitatis nomine uti consensit, ne dum privatum aliquid daretur uni, honore debito privarentur sacerdotes universi.* Hactenus Mauritio Imperatori Gregorius.

Constantinæ Augustæ.

VIII. Quia verò sanctissimus Pontifex ex Sabiniani literis Constantinam Augustam Jejunatoris ambitioni minimè favere noverat, ad eam quoque scripsit, hypocrisim illius & malas artes explicans. Cæterùm se dolere significat, quod expostulationibus suis spretim habitis, nihil aliud Imperator reposuisset, nisi ipsum oportere pacem cum fratre & consacerdote suo Joanne colere. *Et quidem*, inquit, *sic religiosum Dominum decuit, ut ista præciperet sacerdotibus: sed, cum se nova præsumtione atque superbiâ idem frater meus se* Universalem *episcopum affirmet, ita ut sanctæ memoriæ decessoris mei tempore,*

adscribi se in synodo tali hoc superbo vocabulo faceret, quamvis cuncta acta illius synodi, sede contradicente apostolica, soluta sint, triste mihi aliquid serenissimus Dominus innuit, quod eum non corripuit, qui superbit: sed nunc magis ab intentione mea declinare studuit, qui hac in causâ Evangeliorum & canonum, humilitatis & rectitudinis veritatem defendo. Qua in re à prædicto fratre & consacerdote meo contra Evangelicam sententiam, contra beatum quoque Petrum, & contra omnes ecclesias, contràque statuta canonum agitur.

Eulogio Alexandrino & Anastasio Antiocheno.

IX. Atqui Joannes Constantinopolitanus titulum illum sibi pertinaciùs vindicando, Patriarcharum in primis Alexandrini & Antiocheni jura lædebat. Quocirca Gregorius Papa è re sua esse cognovit ad Eulogium Alexandrinum & ad Anastasium Antiochenum epistolam dare, qua suaderet ut sedium suarum dignitatem tuerentur. Exemplaria adjecit synodicarum literarum, quibus Pelagius decessor suus synodi Constantinopolitanæ acta auctoritate Sancti Petri rescindebat, in quibus Joannes Jejunator sese Patriarcham *Oecumenicum* vocitarat. Pelagium quidem prohibuisse ait, ne diaconus suus Responsalis Missarum solennia cum Joanne celebraret; se vero sententiam quam ille tulerat sequendo, similia scripta transmittere, *ut hac re quâ ex novâ superbiâ tota universalis Ecclesiæ viscera perturbantur, priùs sæpe fati fratris animus modesta intentione pulsetur. Sicut enim veneranda mihi vestra sanctitas novit, per sanctam Chalcedonensem synodum Pontifici sedis Apostolicæ, cui Deo disponente deservio, hoc* Universalis *nomen oblatum est; sed nullus unquam decessorum meorum hoc tam profano vocabulo uti consensit. Quia videlicet si unus Patriarcha* Universalis *dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Quum ergo nos hunc honorem nolumus oblatum suscipere, pensate quam ignominiosum sit hunc sibi quempiam usurpare voluisse. Propterea sanctitas vestra in suis epistolis neminem unquam* Universalem *nominet, ne sibi debitum retrahat, quum alteri honorem offert indebitum.* Quia vero Imperatorem æquissimis, modestissimisque conatibus suis non prorsus favere compererat, ambos subinde Patriarchas admonet, ut timorem omnem ponant, quia *Princeps ipse omnipotentem Dominum metuit, & contra statuta & sanctissimos canones nullo modo consentit.* Quocirca in epistolæ fine eos adhortatur, ut constanti animo novellæ præsumtioni obsistant, quâ universæ ecclesiæ status inverteretur. *Oportet ergo*, ait, *ut constanter & sine præjudicio servetis, sicut cœpistis, ecclesias, & nihil sibi vobis hæc tentatio diabolicæ usurpationis admittat. State, fratres, state securi. Scripta cum* Universalis *nominis falsitate nec dare unquam, nec suscipere præsumatis. Omnes episcopos curæ vestræ subjectos, ab hujus elationis inquinatione prohibete, ut universa vos Ecclesia Patriarchas, non solum in bonis operibus, sed etiam in veritatis auctoritate cognoscat. Si qua autem adversa subsequuntur, unanimiter persistentes, etiam moriendo debemus ostendere, quia in damnando Generalitatis nomine, nostrum specialiter aliquid non amamus.*

Lib. 7. Ind. V. ep. 43.

Ægre Gregorio assentiuntur.

X. Quum hæc ad utrumque Patriarcham Gregorius scripsisset, nihil tamen admodum confecit. Nam Anastasius, veritus, ut reor, ne iterum eadem de causa in iram Imperatoris incurreret, propter quam sede pulsus suâ fuerat, sanctissimo Papæ persuadere voluit, non esse cur tantopere repugnare deberet, quominùs Constantinopolitanus episcopus *Oecumenici* seu *Universalis* nuncupatione ornaretur. Eulogius verò responsionem diutiùs distulit, ne Principi displiceret; cujus nempè subsidio & favore prorsùs indigebat, ut inquieta hæreticorum Ægypti cohiberetur indoles, à quibus indesinenter lacessebatur.

Cyriaco Jejunatoris successori scribit.

XI. Interim Joannes Jejunator moritur, ejusque successor Cyriacus in synodicis de ordinatione sua ad Gregorium Papam literis, sese perinde *Oecumenicum patriarcham* dixit. Quamobrem ad illum rescribens Pontifex, epist. 31. admonuit, ne per *typum*, (imo *typhum*,) superbiæ unitatem Ecclesiæ de repente, ipso statim episcopatûs sui initio rumpi permittat. Præterea Anastasium Antiochenum certiorem epistolâ alterâ fieri voluit eorum quæ primâ vice Cyriaco Constantinopolitano scripserat: cum vero insuper est adhortatus ne causam communem de qua tunc agebatur, nihili adeo faceret. *Quia si hanc æquanimiter portamus*, inquit, *universæ Ecclesiæ Fidem interrumpimus. Scitis enim, quanti, non solum hæretici, sed etiam hæresiarchæ de Constantinopolitana ecclesia sunt egressi.* Sed sanctissimi Pontificis temporibus, nondum eruperat series illa Monotheletarum, qui Cyriaco paulo post successerunt, uti nec Iconoclastarum, qui sexcentis malis & calamitatibus ovile Christi afflixerunt.

Mauritio Imp. iterum.

XII. Ad Mauritium quoque Gregorius, Cyriaci compescendi causâ, epistolam rursùm scribere non dubitavit, quâ primum quidem significabat, se, ut jussionibus ejus obtemperaret, ne quid tamdem scandali ex sacerdotum dissensione gigneretur, Responsales, nunciosve fratris sui Cyriaci benignè suscepisse, eosque ad remeandum citiùs relaxasse: cæterùm se tamquam indiscretum nullo suo merito & culpâ à Principe reprehensum *Numquidnam*, inquit, *si ex superbo & profano*

vocabulo meus non in modico est animus vulneratus, tantæ indiscretionis esse potui ut nescirem quid unitati Fidei, quid concordiæ ecclesiasticæ deberem, & fratris mei Responsales & synodicam epistolam suscipere cujuslibet causæ amaritudine recusarem! Aliud est quod conservandæ unitati Fidei, & aliud quod debemus compescendæ elationi. Unde Responsales ejus cum magno affectu suscepi: quidquid debui caritatis exhibui, meliusque eos quàm consuetudo prisca fuerat, honoravi, & mecum feci eos sacra Missarum solennia celebrare. Quia sicut meus diaconus ad exhibenda sacra mysteria ei non debet ministrare, qui elationis culpam, aut commisit, aut commissam ab aliis ipse non corrigit, ita ministri illius in celebratione Missarum mihi adesse debuerunt, qui custodiente Deo in superbiæ errorem non cecidi. Eumdem verò fratrem & coëpiscopum meum studiose admonere curavi, ut si habere pacem & concordiam omnium desiderat, à talis vocabuli se appellatione compescat. De qua re mihi in suis jussionibus Dominorum pietas præcepit, dicens, ut pro appellatione frivoli nominis inter nos scandalum generari non debeat. Sed rogo ut Imperialis pietas penset, quia alia sunt frivola valdè innoxia, atque alia vehementer nociva.

Eximia S. Gregorii modestia.

XIII. Ex ista porrò sanctissimi Pontificis ad Imperatorem epistolâ, discimus ipsum tamdem Responsali suo qui Constantinopoli agebat, injunxisse ut à Cyriaci Patriarchæ communione abstineret. Quod quidem perinde rursùm significat in alterâ epistolâ quam ambobus Patriarchis Eulogio & Anastasio scripsit. Cæterùm in secundâ quam ad Cyriacum dedit, ingenuè candideque declarat, quantùm eâ in causâ alienus esset ab ulla aliis imperitandi libidine, eximiumque singularis modestiæ suæ specimen præbet, hac obtestatione. *Ego enim Jesum testem invoco in anima mea, quia à summo usquè ad ultimum nulli hominum dare scandali occasionem volo. Omnes esse magnos & honorabiles cupio, quorum tamen honor honori Omnipotentis non detrahat.*

CAPUT XIII.

Gregorii Magni adversus Universalis Patriarchæ *titulum perseverans renitentia: quo demum exitu.*

Ejus monitis votisque Eulogius Alexandr. annuit.

I. POST aliquantum temporis ex quo Gregorius Alexandrino & Antiocheno Patriarchis scripserat, epistolam tamdem accepit ab Eulogio, in qua ille ut in aliis literis suis multus erat in Apostolorum Principis commendandâ cathedrâ, ceu Petrus ipse in ea nunc per successores suos perpetuò sederet. Quod quidem Gregorius consuetâ illâ sua modestiâ eò libenter à se lectum ait, quod Eulogius ipse de Petri cathedra loquutus esset, qui Petri cathedram pari modo teneret. *Quum multi sint Apostoli*, inquit, *pro ipso tamen principatu sola Apostolorum Principis sedes in auctoritate convaluit, quæ in tribus locis unius est. Ipse enim sublimavit sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est. Ipse decoravit sedem, in qua Evangelistam discipulum misit. Ipse firmavit sedem, in qua septem annis, quamvis discessurus sedit.* Quibus profecto verbis magnus Gregorius secundæ Sedis dignitatem nequaquam Episcopo Byzantino congruere posse evincebat, quippe quum Byzantinæ Ecclesiæ institutor Petrus non fuisset, sed Alexandrinæ prorsùs; ne triplicis illius cathedræ conjunctio extraneæ cujusvis interjectione rumperetur. Quapropter planum faciebat, quo tamdem jure Alexandrina Sedes secunda, proxime post Romanam, habenda esset, tertiaque Antiochena.

Quod aliis literis spondet idem præsul.

II. Posthac verò Eulogius datis iterùm aliis ad Gregorium literis sancte pollicitus est, se numquam in posterùm admissurum, ut Constantinopolitanum præsulem tanquam *Oecumenicum Patriarcham* habeat aut salutet. Verùm sanctissimo Papæ admodùm displicuit, quod Alexandrinus in epistola sua ejusmodi voce usus esset, *sicut jussistis. Quod verbum jussionis*, inquit, *peto, à meo auditu removete; quia scio quis sum, & qui estis. Loco enim mihi fratres estis, moribus patres. Non ergo jussi, sed quæ utilia visa sunt, indicare curavi.* Continuò subjungit, se indignissimè tulisse quod ipsum Eulogius *Universalem Papam* appellasset, quandoquidem suis ipse literis significaverat, nec sibi *Universalis* titulum convenire, tametsi apostolicam Petri sedem occuparet, totique adeo Ecclesiæ præsideret. *Non tamen invenio*, inquit, *vestram beatitudinem hoc ipsum quod memoriæ vestræ intuli, perfectè retinere voluisse. Non dixi, nec mihi vos, nec cuiquam alteri tale aliquid scribere debere: & ecce in præfatione epistolæ, quam ad meipsum qui prohibui, direxistis, superbæ appellationis verbum,* Universalem *me Papam dicentes, imprimere curastis. Quod peto, dulcissima mihi sanctitas vestra ultrà non faciat: quia vobis subtrahitur, quod alteri plusquam ratio exigit, præbetur. Ego enim non verbis quæro prosperari, sed moribus: nec honorem esse*

deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere agnosco. Meus namque honor est honor universalis Ecclesiæ. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego verè honoratus sum, quum singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim Universalem *me* Papam *vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse quod me fatetur Universum.* Post istud candidissimi pectoris sui, æquissimique ergà fratres suos episcopos animi argumentum, hoc rursùm subdit & inculcat, quod eidem Eulogio aliisque jam ante scripserat, in sancta Chalcedonensi synodo, atque à Patribus qui posthac vixerunt, hoc nominis, *Oecumenici*, seu *Universalis* suis oblatum decessoribus fuisse, nullum verò illorum eo uti voluisse, ut, *dum in hoc mundo honorem sacerdotum diligerent omnium, apud Omnipotentem custodirent suum.*

L. VII. Ind. VII. ep. 29.

Epistolam ad Orbis episcopos Gregorius scribit.

III. Hic demùm non omittam, sanctum Pontificem epistolam quoque aliam antea scripsisse ad Ecclesiæ totius episcopos encycliam, quâ de Constantinopolitani antistitis præpostero fastu certiores faciebat omnes, narrabatque, quid decessor suus Pelagius II. hac in causa, ac ipse subinde, egissent. Quamobrem adhortabatur, ne quisquam titulum illum *Patriarchæ Universalis* approbaret, aut reciperet, nullus assentiretur, nullus ubi subscriptus esset vel subscriptioni nomen apponeret. Hæc ambo Pontifices Pelagius & Gregorius adversus Byzantinorum episcoporum nimiam ambitionem: nec verò, quoad Mauritius Imperator superstes in vivis fuit, obtinere potuerunt, ut *Universalis Patriarchæ* nuncupationem deponerent. Quinimò magnus Gregorius nihil ab Imperatore retulit, nisi ludibria atque convitia.

Phocas Imp. *Occumenici Patriarchæ* titulum C P.° adimit.

IV. Interim verò dùm Sabinianus Gregorii diaconus & Responsalis, & alii subindè Romanæ sedis apud Imperatores nuntii, à Cyriaci communione sacrâ, ut sibi injunctum fuerat, abstinere persisterent; postquam Phocas, dejecto occisoque Mauritio, summam rerum arripuit, hoc demum Bonifacii III. Papæ, qui post Sabinianum Gregorio, nondum elapso ab ejus obitu biennio, successerat, urgentibus querelis & postulationibus annuit, ut Cyriacus Constantinopolitanus se *Patriarcham œcumenicum* appellare desineret. Jussio quidem Phocæ hodie non exstat, rescissis utique actis illius ab ejus successore Heraclio: ea verò colligitur ex ejusdem Bonifacii vitâ, in quâ hæc leguntur. *Hic obtinuit apud Phocam Principem, ut sedes Apostolica caput esset omnium ecclesiarum, id est ecclesia Romana: quia ecclesia Constantinopolitana primam se omnium ecclesiarum scriberet.* Idem edictum esse à Phocâ Paulus Diaconus refert, lib. 4. Historiæ Langobar-

A dorum cap. II. Atqui verba hæc auctoris vitæ Bonifacii non hoc sensu accipienda sunt, quasi Phocas Romanæ Ecclesiæ præ Constantinopolitana primatum attribuerit (hoc enim nemo in dubium vocabat) sed ut, quum Byzantinus episcopus sese *Patriarcham œcumenicum* appellando, universi orbis Christiani primarium antistitem statuere videretur, eo abstinere titulo ab Imperatore jussus sit, adeoque Romanum Pontificem solum ecclesiarum omnium esse caput Phocas declaraverit.

Hunc resumunt Byzantini Patriarchæ.

B V. Illud porro edictum Phocæ, quo Cyriacum Constantinopolitanum adegit, uti demum Romano Papæ morem gereret, statim ab ejus nece sub Heraclio nihil curatum fuit; ex quo præsertim Byzantini præsules Monotheleticum errorem amplexati, à Romanâ Ecclesiâ desciverunt. Nam in actis synodorum, in quibus Heraclii Ecthesis, & Constantis Typus admissa sancitaque sunt, Sergius Cyriaci post Thomam successor, & Pyrrhus iterum atque iterum *Oecumenici Patriarchæ* nuncupati sunt. Quamquam
C in subscribendo ab hocce titulo assumendo sibi temperarunt, contrà quàm Joannes Jejunator & Cyriacus, Gregorio Magno teste, fecerant. In Sexta synodo nusquam Georgius CP.nus sese *Patriarcham œcumenicum* dixit. Hoc honoris vocabulo quum post Septimam synodum Constantinus Imperator ejusque mater Irene Augusta, in suis ad Hadrianum Papam literis Tarasium Patriarcham suum honestassent, id reprehensione dignum censuit Pontifex in suâ quam ad Imperatores rescripsit epistola. *Et valdè mirati sumus*,
D inquit, *quod in vestris Imperialibus jussis pro Patriarcha regiæ Urbis* (scilicet Tarasio) *directis universalem ibidem eum reperimus exaratum: Sed utrum per imperitiam aut schisma, vel hæresim iniquorum, scriptum est, ignoramus. Sed deinceps suademus vestræ clementissimæ imperialique potentiæ, ut minimè in suarum exarationum serie* Universalis *describatur: quia contra Sanctorum Canonum instituta, seu Sanctorum Patrum traditionem decreta esse videtur. In secundo autem ordine, si non per sanctæ nostræ catholicæ & apostolicæ Ecclesiæ
E auctoritatem (sicut omnibus patet) numquam valuit nomen habere* (periodus ista manca videtur, quia obscura prorsus) *quod nimirum* Universalis *super prælatam sibi sanctam Romanam ecclesiam, quæ est caput omnium Dei ecclesiarum describatur, tamquam sanctarum synodorum rebellem atque hæreticum manifestare se certum est. Quia si universalis est, etiam Ecclesiæ nostræ primatum habere dignoscitur; quod ridiculum omnibus fidelibus Christianis apparet. Quia in toto orbe terrarum ab ipso*

redemptore mundi beato Petro Apostolo principatus & potestas data est, & per eumdem Apostolum, cujus vel immeriti vices gerimus, sancta catholica & apostolica Romana ecclesia usque hactenùs & in ævum tenet principatum & potestatis auctoritatem: quatenùs (quod non credimus) si quispiam eum Universalem *nuncupaverit, vel assensum præbuerit, sciat se orthodoxæ Fidei esse alienum, & nostræ sanctæ catholicæ & apostolicæ Ecclesiæ rebellem.* Hæc Hadrianus, quæ tamen lecta non sunt in Septima synodo, Nicæna secunda, quum postrema ejus epistolæ pars Græcè versa non fuerit, non modo quia, ut Anastasius Bibliothecarius effutiit, illâ epistolæ parte Tarasii ex laïco ordinatio improbabatur, ut potè præter canones facta; sed omninò quia illis quæ modò recitavi, Constantinopolitanorum præsulum superbia arguebatur, quâ sese pro Patriarchis œcumenicis venditarent. At verò Tarasius in Septima synodo ab hoc titulo usurpando penitùs abstinuit, velut etiam Sanctus Ignatius in Octavâ.

Eo deinceps titulo usi sunt.

VI. Theodorus quidem Balsamon, ex eo quod Byzantini Patriarchæ in subscriptionibus suis aliquando sibi temperaverint ab ea ambitiosiori voce *Patriarchæ Oecumenici* assumenda, fucatam ipsorum modestiam Romanis objicere non dubitavit: at vero sexcentas Byzantinorum præsulum, qui Photiano schismate posteriores fuerunt, literas præ manibus habemus, in quibus sese *Oecumenicos* dicere non dubitarant.

Titulus iste vera schismatis demum fuit causa.

VII. Plane verò schismatis quod Michaëlis Cerularii ætate firmatum est, causa alia non fuit, nisi quia Romani Pontifices Constantinopolitanis repugnaverunt, ne vocabulum hoc sibi arrogarent. Quocirca Nicetas Nicenus, necnon Anonymus alter apud Allatium, disertè affirmarunt, discidium Romanos inter & Græcos sæculo undecimo ineunte recruduisse, non ritûs aut doctrinæ alicujus causâ, sed propter sedium prærogativas. *δοκεῖ μοί τοι διὰ τῶν θρόνους.* Et certè Glaber Radulfus, Antissiodorensis monachus lib. 1. historiarum cap. I. narrat, *Circa annum Domini millesimum vigesimum quartum, Constantinopolitanum præsulem cum suo Principe Basilio, aliosque nonnullos Græcorum, consilium iniviße, quatenùs cum consensu Romani Pontificis liceret Constantinopolitanam in suo orbe, sicut Romam in universo,* Universalem *dici & haberi. Qui statim miserunt qui deferrent multa & diversa donorum xenia Romam, tam Pontifici, quàm cæteris quos suæ parti favere conspicerent.* Addit parùm abfuisse, quin Romani *fulgidis Græcorum opibus conspectis,* vincerentur; nisi tandem Guillelmi Abbatis monasterii sancti Benigni Divionensis suasionibus & literis ab eorum postulatione concedenda deterriti essent. Hugo quoque Flaviniacensis, qui Glabro suppar ac pænè æqualis fuit, in Chronico quod *Virdunense* dicitur, non Guillelmum dumtaxat Græcorum petitioni statim obstitisse ait, verùm & ejus causâ *omnem vehementissimè commotam esse Italiam, Galliarum insuper episcopos & abbates his obviare conatos esse, quosdam in personâ suâ, quosdam missis literis, Sedem apostolicam visitantes, & tantum opprobrium & dedecus, auctoritatibus in medium prolatis, quibus contradicere fas non esset, ab Ecclesia Romanâ propulsantes. Nec defuit* (pergit Hugo) *patris Richardi,* (Flaviniacensis Abbatis) *authentica præsentia: imo omninò sategit, ut Constantinopolitana præsumtio confutata quiesceret. Inter alios quoque Willelmus* (Divionensis) *eximius epistolam Papæ misit.*

Quod Patriarchas alios hoc titulo CP^us sibi inferiores faceret.

VIII. Atqui hic Eustratii Patriarchæ Constantinopolitani apud Joannem XVIII. Papam conatus fuit, quo mox Ecclesia C.P.^na à Romanâ & Occidentali infausto pervicacique schismate sejuncta est, quod sanari deinceps non potuit. Michaël Cerularius, qui Eustratii post Alexium successor creatus fuerat, epistolam ad Leonem IX. scripsit, qua in primis (Leone ipso teste) Romanos adhortabatur ut concordiæ & unitati ecclesiarum consulerent. Ejus studium longas & perniciosas discordias finiendi laudi dignum esse reposuit Pontifex; cæterum *intolerabile esse, quod nova ambitione Alexandrinum & Antiochenum Patriarchas antiquis suæ dignitatis privilegiis privare contendens, contra fas & jus suo dominio subjugare conaretur.* Huc spectabant alterius epistolæ Leonis quâ Petri Antiocheni synodicis respondebat, verba hæc, quibus commendatâ primùm Apostoli Petri Fide, de Antiochena sede subjunxit: *Pro cujus* (Fidei) *excellentiâ tertiam à Romanâ Ecclesia dignitatem retinet Antiochena, quam te defendere summoperè monemus; non tuæ gloriæ causâ, sed pro sedis cui ad tempus præsides, antiquâ honorificentiâ. Nec revoceris ab hac intentione cujuslibet pompâ vel arrogantiâ, quin constanter defendas honorem, quem Antiochenæ ecclesiæ reliquerunt omnia Patrum concilia. Ad quod utique, si oportuerit, maxima mater, Romana scilicet, atque prima Sedes, tam dilectæ sibi filiæ & consociæ, nusquam & numquam deerit. Quod totum ideo dicimus, quia quosdam conari minuere antiquam dignitatem Antiochenæ ecclesiæ audivimus.* In epistolâ rursùm secundâ ad Imperatorem Constantinum Monomachum, Michaëlem Patriarcham perinde notat, quod Alexandrinum & Antiochenum *antiquâ dignitate suâ privare contendens, contra fas & jus*

Leo ep. 6.

jus sibi subdere novâ ambitione appetat. Nusquam equidem expressè declarat Pontifex quo tamdem pacto Alexandrinum & Antiochenum Michaël subdere sibi moliretur, & quibus privilegiis minuere: quadantenùs verò id colligi possit ex epistolâ ad ipsummet Michaëlem, cujus jam aliqua delibavi; videlicet quod *Universalis Patriarcha* omnino vellet appellari; ac proinde non sine quadam aliorum potestatis imminutione. *Qualis verò,* inquit, *& quàm detestabilis atque lamentabilis est illa sacrilega usurpatio, quâ te* Universalem Patriarcham *jactas ubique, & scripto & verbo, quùm omnis Dei amicus hujusmodi hactenùs horruerit honorari vocabulo! Quis post Christum convenientiùs posset insigniri hoc vocabulo, quàm cui dicitur divinâ voce, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam! Verumtamen, quia ille non invenitur* Universalis apostolus *dictus, quamvis Princeps apostolorum sit constitutus, nullus successorum ejus tam prodigioso prænomine consensit appellari penitùs, licet magno Leoni prædecessori nostro & successoribus ipsius hoc sancta decreverit synodus Chalcedonensis.* Tum paucis narrat Pelagii Papæ II. & Gregorii Magni disceptationes cum Joanne Jejunatore & Cyriaco, de quibus satis diximus, ut epistolæ Leonis seriem ex integro recitare nequaquam necesse sit.

Quo sensu à quibusdam admissus sit hic titulus.

IX. Ex relatione Glabri Radulfi usurpatæ à Constantinopolitano præsule appellationis *Patriarchæ œcumenici* invidiam minui posse quispiam sibi forsàn finxerit, dum ille nimirum narrat Græcos postulasse, quatenùs liceret *Ecclesiam Constantinopolitanam in suo dumtaxat orbe* Universalem *dici, ut Romanam in universo;* ac si revera orbis totius Christiani primatum neutiquam ambierint, sed quamdam super Ecclesias Orientis præeminentiam: quæ quidem suspicio adstrui potest Anastasii Bibliothecarii testimonio, qui in Præfatione ad Latinam translationem suam actorum Septimæ synodi, quam Joanni VIII. Papæ nuncupavit, eamdem vocem simili interpretatione excusare non dubitavit. *In eo sanè,* inquit, *quod frequenter* Universalem *hac in synodo Patriarcham suum inconvenienter appellant, Apostolatus vester adulationi veniam det, sæpè prælatis suis non sine reprehensione placere studentium. Verùm quùm apud Constantinopolim positus, frequenter Græcos super hoc vocabulo reprehenderem, & fastus & arrogantiæ redarguerem, asserebant, quod non ideo* Oecumenicum, *quem multi* Universalem *interpretati sunt, dicerent, Patriarcham, quod totius Orbis teneret præsulatum; sed quod cuidam parti Orbis, quæ à Christianis inhabitatur præsit. Nam quod Græci* Oecumenen *vocant, à Latinis,*

οἰκουμένην.

non solùm Orbis à cujus universitate Universalis *appellatur, verùm etiam habitatio vel locus habitabilis nuncupatur.*

Vera vocis hujus apud Græcos veteres & recentiores significatio.

X. Quasi verò quivis alter Patriarcha, quivis Exarchus, quivis Metropolita, aut simplex episcopus, non perinde sese tamquam *Oecumenicum* potuisset vel posset ostentare & appellare; quippe quum cuidam habitabilis Orbis parti præsideat! Utinam verò sincera, nec ludicra fuisset hæc Græcorum interpretatio; eâ admissâ & receptâ, tolerabile forsitan visum esset illud *Oecumenici Patriarchæ* vocabulum. At perversum sensum suum ipsi aliàs disertè nimis aperuerunt, ut minimè ambigi queat, quo Byzantinorum præsulum spectaret libido. Theophylactus siquidem Simocata, qui res à Mauritio Imper. gestas literis consignavit sub Phoca vel Heraclio Impp. in dialogo Philosophiæ & Historiæ, quem historiæ suæ præfixit, Sergium Constantinopolitanum vocat *magnum totius quantumcumque exporrigitur Orbis Pontificem & præsulem,* τὸν μέγαν τῆς ἁπανταχόθεν οἰκουμένης ἀρχιερέα καὶ πρόεδρον. Ex quo manifestum fit, quam juste Joanni Jejunatori & Cyriaco paucis ante annis Gregorius Magnus succenseret, quorum profanam mentem non satis assequutus erat piissimus Imperator Mauritius. Planè Jejunator universi Orbis episcopos, tam Orientis, quàm Occidentis, ad synodum suam tractoriis literis suis vocare non adtentasset, nisi Christiani orbis primarius præsul haberi voluisset. Continuator item Historiæ Byzantinæ post Constantinum Porphyrogennetum scriptor, ubi de S. Ignatii Constantinopolitani ordinatione loquitur, *Hunc,* inquit, πρὸς τὸν τῆς πατριαρχείας θρόνον ἀναβιβάζουσιν, καὶ τῆς οἰκουμένης οἴακας ἐμπιστεύουσιν, *in Patriarchalem thronum provehunt, Orbisque gubernacula illi committunt.* Sed & sequioris subinde ævi schismatici eò dementiæ venerunt, ut Romano Pontifici primas denegandas scripserint, quod Roma vetus caput Orbis esse desiisset, prærogativâ istâ ad Urbem suam regiam translatâ, quæ Imperii metropolis esset. Ita planè disputabant Doxapatrius Nilus, & ante illos Anna Comnena lib. I. Alexiados pag. 31. quibus tamen cordatiores alii adstipulati non sunt. Macarius Ancyranus, quem Leo Allatius citat lib. I. de Consens. cap. 18. N.° xx. hoc præ aliis quatuor sedibus Patriarchalibus Constantinopolitanæ solius privilegium fuisse ait, *ut aliarum sedium appellationes obtineret,* καθὸ καὶ οἰκουμενικὸς πατριάρχης φημίζεται ὁ τούτου ἐπίσκοπος, *quippe cujus episcopus Patriarcha œcumenicus nuncupetur.*

Photii de illa voce sensus.

XI. Photius schismaticorum princeps posterioribus istis præluserat in epistola quam


Michaelis & Basilii Imp. nomine adversus Nicolaum Papam, Romanamque Ecclesiam scripserat, quemadmodum Pontifex idem Nicolaus perhibet in epistola 70. quæ *Hincmaro Remensi & episcopis in regno Caroli constitutis* inscribitur. *Sed quid mirum, quod hæc ipsi prætendunt* (Græci scilicet) *quum etiam glorientur & perhibeant, quando de Romana Urbe Imperatores Constantinopolim sunt translati, tunc & primatum Romanæ sedis ad Constantinopolitanam ecclesiam transmigrasse, & cum dignitatibus regiis etiam Ecclesiæ Romanæ jura translata fuisse; ita ut ejusdem invasor ecclesiæ, Photius etiam ipse, se in scriptis suis Archiepiscopum atque* Universalem Patriarcham *appellet!*

Quibus omnibus addere interest, Rusticum Romanæ Ecclesiæ quondam, sæculo sexto diaconum, ad eum pseudosynodi Ephesinæ locum quo Olympius Evazorum episcopus suffragium pro Eutyche ferens, Dioscorum Alexandrinum *Sanctissimum Patrem & œcumenicum archiepiscopum* nuncuparat, codici suo annotationem hanc apposuisse: *Nota Universi Archiepiscopum mundi,* ut significaret, *Archiepiscopi œcumenici* nuncupatione suo ævo nihil aliud intellectum esse, nisi summum Orbis universi præsulatum. Vivebat Rusticus ipsamet Pelagii Papæ II. ætate.

Doctoris Oecumenici in Urbe regia C P. collegium.

XII. Propter illum quem Byzantinus episcopus assumsit *Oecumenici Patriarchæ* titulum, in Urbe regia institutum esse Collegium illud arbitror, in quo duodecim viris rerum divinarum & ecclesiasticarum peritissimis Doctor unus tanquam discipulis præesset, qui *Oecumenicus* appellaretur, διδάσκαλος οἰκουμενικὸς, ceu universi Orbis magister habendus esset. Hi porrò res divinas eâ auctoritate tractabant & decernebant, ut sine consilio ipsorum nequidem Imperatoribus temerè aliquid suscipere aut aggredi fas esset. Ita refert Cedrenus, qui illos habitasse tradit in augusto quodam palatio juxta Cisternam regiam. Πρὸς τῇ λεγομένῃ βασιλικῇ κινστέρνῃ παλάτιον ἦν σεμνὸν, ἐν ᾧ κατὰ τόπον ἀρχαῖον Οἰκουμενικὸς ἐκάθητο διδάσκαλος, ἔχων μαθητὰς λόγῳ καὶ βίῳ σεμνοὺς, τὸν ἀριθμὸν δώδεκα. οὗτοι πᾶσαν λογικὴν ἐπιστήμην τάχει τε καὶ μεγέθει φύσεως μετερχόμενοι, οὐχ ἥκιστα τὴν ἐκκλησιαστικὴν μετήεσαν φιλοσοφίαν, ὧν τῆς γνώμης χωρὶς οὐ θεμιτὸν ἦν ποιεῖν ἐδόκει, οὐδὲ τοῖς βασιλεῦσιν αὐτοῖς. Similia de Oecumenico illo Doctore Zonaras tradiderat lib.

A 15. §. 111. *Domus erat in Basilica proximè forum ærarium regia,* inquit, *in qua codices multi humanæ, generosiorisque & divinæ sapientiæ asservabantur, à pristinis temporibus illi ad habitandum attributa, qui eruditione omnibus præcellebat,* ὃν Οἰκουμενικὸν ἐκάλουν διδάσκαλον, *quem* Oecumenicum Doctorem *appellabant. Hic duodecim alios conturbernales habebat eximiæ eruditionis, quibus publicus victus præbebatur. Ad eos proinde quicumque disciplinæ & scientiæ avidi essent, accedebant, quos etiam Imperatores ad rerum gerendarum consilia adhibebant.* Constantinus Manasses in
B Chronico pag. 87. Zonaræ concinit, ubi præsertim ait, in his ædibus confertissimam fuisse bibliothecam, in qua triginta sex millia voluminum asservarentur. Doctorem verò illum *Oecumenicum* cum Sole comparare non dubitat, ejusque socios cum duodecim Zodiaci signis. Cæterùm tres isti rerum Byzantinarum scriptores narrant, eo tempore quo Leo Isaurus imagines sacras frangebat, *Oecumenicum Doctorem,* qui ejus hæresi refragaretur, cum duodecim sociis, universaque illa librorum supellectile, ignibus absumtum esse. Quamquam sequiori ævo Collegium illud
C Oecumenici Doctoris instauratum videtur. Nam continuator ille Historiarum Constantini Porphyrogenneti in *Theophilo,* versuum quorumdam meminit, qui ab Oecumenico Doctore, cui nomen Ignatio esset, conditi fuerant: Οἱ κατὰ τὸν τοῦ Σίγμα περίδρομον ἐγκολαφθέντες τοῦ Οἰκουμενικοῦ διδασκάλου, Ἰγνάτιος οὗτος ἐκαλεῖτο, τυγχάνουσιν. An quidem Ignatius iste Leone Isauro posterior fuerit, assequi non possum: verùm sæculo duodecimo, Joanne Conmeno Imperatore, Nicetas Nicomediensis metropolita, quîcum Anselmus Havelbergensis colloquium habuit, ipsomet
D Anselmo teste, *Oecumenicus Doctor* erat; Ansel. Havelb.
quandoquidem *ipse inter duodecim electos Didascalos, qui studiis Græcorum ex more solent præesse, tunc temporis fuerat præcipuus.* Non malè doctissimus Cangius ex illo Codini loco, quo Collegium *Doctoris Oecumenici* à Leone Isauro exstinctum esse post annos centum & quadraginta ab ejus institutione narratur, Mauritium Imp. ejus erigendi auctorem fuisse intulit; cujus nempè ætate Joannes Jejunator universi Orbis patriarchatum deditiori studio & operâ sibi arrogabat.



CAPUT XIV.

Constantinopolitani Archiepiscopi Ecclesias apud Barbaras gentes institutas suæ sedi subjiciunt; Bulgariam inprimis.

Barbaricæ regiones CP. Patriarchæ subjectæ.

I. CANONE illo de quo multa jam dicta sunt, XXVIII. Chalcedonensi, ecclesiæ inter barbaras nationes institutæ Urbis regiæ præsuli subditæ fuerunt; quod de illis utique intelligendum veniebat, quæ Thraciæ vicinæ essent; ut puta Scythiæ cis Istrum, quæ hodie *Bulgaria* appellatur, quam unus Episc. Tomitanus olim moderabatur. Erulos qui Anastasio Imperatore Istrum seu Danubium trajecerant, ac subinde sub Justiniano seniore Christi Fidem sunt amplexi, Constantinopolitano patriarchatui addictos statim fuisse nullus dubito. Ita quippe Abasgi qui Ponti Euxini littora ultrà Chersonesum Tauricam incolebant, Christianâ religione iisdem temporibus susceptâ, non nisi à Constantinopolitanis sacerdotes obtinuere, à quibus de divinis mysteriis erudirentur. Hi ad Fidem conversi sunt Euphratæ cujusdam ex eunuchis aulicis, Abasgi genere, opera: ac Justinianus apud illos Templum in Deiparæ honorem exstruxit. In Notitiâ ecclesiastica Leonis Sapientis Imperatoris Provincia Abasgiæ, ἐπαρχία Ἀβασγίας legitur, cujus metropolita ὁ Σεβαστοπόλεως, *Sebastopolis* antistes, inter αὐτοκεφάλους censetur. Eodem quoque Romanis imperante Justiniano, Alani Tanaïdis fluvii accolæ & Sani episcopos perinde qui ipsos docerent impetrarunt. Quæ quidem omnia ex Procopio refert Evagrius lib. 4. Hist. Eccl. cap. 19. 21. & 22. Quinetiam in Notitia mox allegata inter Patriarchatûs Byzantini provincias Zicchia numeratur, quæ Procopio teste lib. 4. de bello Gotthico cap. 4. ad oram maritimam Ponti Euxini posita erat, Abasgiæ & Alaniæ finitima, è regione Bosphori Taurici, haud procul etiam à Tanaïde. Notitiæ deniquè Græcæ provinciis istis Gotthiam accensent, quæ Christiana primum facta est sub Constantino Magno, mox Ariana sub Valente; postmodum verò rursùm, ab Hunnis subjugata fuit. Hæc Dacia antiqua constabat, quam hodie incolunt Transilvani, Blachi quoque seu Valachi & Moldavi, seu Moldoblachi; qui Constantinopolis Patriarchæ parent: à quo verò tempore, mihi non certo admodum constat. Putaverim tamen à sæculo decimo, postquam Bulgarorum ac Russorum gentes Christo nomen dederunt, quemadmodum Slavi, Servii, aliique item Barbari, qui regiones cis Istrum seu Danubium positas occupavere.

Evag. L. IV. hist. cap. 22. Theophan. CP.

Constantinopolitana Diœcesis plurium provinciarum accessione aucta.

II. Inprimis verò Leone Isauro imperante novis accrementis Constantinopolitana Diœcesis aucta est, Romani Pontificis ditionis direptione. Quum enim Gregorius II. Papa ejusque proximus successor & cognominis, Leonis hæresi, quâ adversùs Christi & Sanctorum imagines sæviebat, obsisterent, ille Calabriam & Siciliam, quæ Romano episcopo uti metropolitano suo à primis Ecclesiæ temporibus parebant, Illyricique provincias omnes, quæ eidem etiam tamquam Primati suo subjectæ fuerant, avulsit, ut illas Constantinopolitano præsuli obnoxias faceret. Id porrò tunc temporis esse patratum discimus ex Hadriani I. Papæ epistolâ ad Carolum Magnum, quæ ad calcem exstat Septimæ synodi generalis, ubi refert, se diu Byzantinos Imperatores obtestatum esse, non solum *ut imagines erigerent, sed & simili modo de Diœcesi sanctæ catholicæ & apostolicæ Romanæ ecclesiæ, ei restituerent quæ cum patrimoniis abstulerunt, quando sacras imagines deposuerunt: illos verò nullum responsum dedisse. Quocirca eos ex uno capitulo ab errore reversos, ex aliis duobus in eodem illos errore permanere. Si enim ubique Christianorum Ecclesiæ canonicæ intactas suas possident Diœceses, quandò ampliùs sancta catholica & apostolica Romana ecclesia, quæ est caput omnium Dei ecclesiarum, suam Diœcesim, videlicet Archiepiscoporum & Episcoporum; imo & patrimonia pro luminarium concinnatione atque alimoniis pauperum, irrefragabili jure, & tenere, & possidere omnibus modis debet!* Plane in postremâ epistolæ parte, quam idem Hadrianus Papa ad Constantinum & Irenen Impp. de Septimâ synodo celebranda scripserat, patrimonia B. Petri restitui postularat, *imò & consecrationes Archiepiscoporum sive episcoporum, sicut olitana constat traditio, suæ Diœcesis exsistentes penitùs ecclesiæ.* Sed hanc epistolæ Hadriani partem in Septima synodo non esse recitatam observavi, quia Græcè reddita non est, quum Byzantinis non satis arrideret. Quod in causa fuit, cur Pontifex Constantinopolitano Imperatori scripserit, se illum velut hæreticum habiturum, nisi tum patrimonia, tum archiepiscoporum Illyrici, tum Calabriæ & Siciliæ episcoporum ordinationes, sanctæ Romanæ ecclesiæ reddat; quemadmodum

ipse subjungit in sua quam modo citavi ad A Carolum Regem epistola. *De Diœcesi sanctæ nostræ Romanæ Ecclesiæ, tam archiepiscoporum, quam episcoporum, seu de patrimoniis, iterum increpantes commonemus, ut si noluerit ea sanctæ nostræ Romanæ Ecclesiæ restituere, hæreticum eum pro hujusmodi erroris perseverentiâ esse decernemus.* Hæresim scilicet vocabat quamlibet ecclesiastici ordinis & disciplinæ veteris inversionem. At verò nihil literis, nihil comminationibus suis confecit Hadrianus. Epistolam quoque habemus Nicolai I. Papæ harum provinciarum, ut & patrimoniorum S. B Petri, Calabritani & Siculi, restitutionem rogantis, utque Syracusano archiepiscopo à sua sede Romana consecratio impendatur pro traditione ab Apostolis instituta; sed infelici prorsùs conatu. Atqui patrimonia S. Petri, Siculum & Calabritanum, erepta quoque à Leone Isauro, anno Alexandrinæ Æræ 721. refert Theophanes, sive vulgaris nostræ 730.

Græcorum de Romanæ Diœcesis minutione vani prætextus.

III. Græci scriptores provinciarum illarum regimen penes Romanam sedem olim fuisse ultrò fatentur in variis quas edidere C majorum quinque Diœcesium Notitiis: eas verò avulsas esse Leonis Isauri edicto, quia Romani Pontifices ejus impietati non faverent, hoc alto silentio premunt: aiuntque non aliam mutationis hujus fuisse causam, nisi quod Romanæ Urbis Papa Barbararum gentium (sic Francos vocitare amant, ut & Langobardos) jugo tunc subjectus esset. οὗτοι προσετέθησαν τῇ συνόδῳ Κωνσταντινουπόλεως, διὰ τὸ ὑπὸ τῶν ἐθνῶν κατέχεσθαι τὸν πάπαν τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης. Ita planè scriptum legimus in Notitia priore episcopatum Patriarchatûs D Constantinopolitani, quam vir doctissimus Carolus à S. Paulo ad calcem Geographiæ sacræ edidit, quæ concinit alteri vetustiori, quam Leo Sapiens Imperator concinnavit, cui cæteri deinceps adstipulati sunt. Verum illi omnes suam rerum gestarum inscitiam nimis produnt. Nam quo tempore provinciæ illæ Romanæ sedi ablatæ sunt, Urbs Roma Græcis adhuc Imperatoribus Leoni Isauro, ejusque filio Copronymo parebat. Quinimo certissimum est Gregorium utrumque II. & III. Pontifices Romanos noluisse E umquam Byzantinorum Augustorum dominatum, quamlibet durissimus esset, excutere: sed hujus Notitiæ scriptor rerum gestarum ac temporum inscitiâ has provincias illo tempore Constantinopolitano throno attributas putavit, quo Franci seu potius Normanni, occupata Sicilia & Apulia, Leonem IX. Papam commisso prælio ceperunt.

Romanæ Diœcesis provinciæ aliæ ad Byzantinos translatæ.

IV. Anno circiter 968. Nicephoro Phoca Græcis imperante, Polyeuctus Patriarcha Constantinopolitanus Hydruntinum episcopum metropolitana dignitate atque auctoritate auxit, cui facultatem dedit, veluti Luitprandus Cremonensis in sua ad eumdem Nicephorum Legatione narrat, *Episcopos consecrandi Acirentilæ* (hoc est Acheruntiæ) *& Tursi, & Gravinæ & Maceriæ* (lege Materæ) *in Apulia qui ad Romani Pontificis ordinationem pertinebant.* Addit Luitprandus, eumdem Patriarcham Hydruntino præsuli injunxisse, ne permitteret in omni Apuliâ, seu Calabriâ, Latinè ampliùs, sed Græce, mysteria celebrari. Atqui Hydruntinam ecclesiam in metropolim, Polyeucto Patriarcha institutore, evasisse perinde scripsit Paulus diaconus. Utroque proinde auctore, ac præsertim Luitprando, oculatissimo teste & rerum gestarum æquali, confutantur illi, qui id factum dicunt sub Leone Isauro. Nec valet objicere, Leonem Sapientem dudum ante Polyeucti ætatem Hydruntinum præsulem inter archiepiscopos recensuisse. Nam qui Græcis *Archiepiscopus*, non continuò *Metropolita* est, neque vicissim qui *Metropolita*, is proinde *Archiepiscopus*. Pauci siquidem, velut olim monuimus, apud Græcos metropolitæ *Archiepiscopi* audiunt, atque archiepiscopi complures sunt, qui nullis episcopis præficiuntur. Id quod nullo negotio ex ipsamet Leonis Notitia quilibet assequi possit; in qua nimirùm præter octoginta & octo metropoles quæ Constantinopolitanæ sedi subjectæ erant, quadraginta & unus archiepiscopatus numerantur. Quocircà *Archiepiscopi* nomen dignitatis est, non potestatis, illisque vulgò attribuitur qui insignem quemdam locum ante episcopos cæteros tenent, & post metropolitas ante illos sedent, Patriarchæ proximè, nullique metropolitæ obnoxii.

V. Sub eodem Leone Isauro contigisse verisimillimum est, quod in iisdem Notitiis addi solet, ut nempè Seleucia Pamphyliæ, imo Isauriæ caput & metropolis cum viginti tribus ejusdem provinciæ episcopatibus à Diœcesi Orientali, seu Antiochenâ, avulsa, Constantinopolitanæ perindè adjiceretur. Καὶ ἀπὸ τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως ὁ Σελευκείας Παμφυλίας (alii meliùs, Ισαυρίας) μετὰ τῶν ὑπ' αὐτοῦ κγ'. ἐπισκόπων. Hujus autem avulsionis non alia fuisse causa censenda est, quam quod Antiochia, cui Isauria antehac parebat, cum majore Diœcesis suæ parte Saracenorum imperio tunc subdita esse. Sed & hac concessione Leo Isaurus Byzantino pseudopatriarchæ quem creaverat, gratificari voluisse nullus dubito; quippè qui ex eâ ipse provinciâ oriundus esset. Modo dicendum de iis quæ sæculo nono gesta sunt propter novæ

Isauria quoque Antiochenæ sedi erepta.

Bulgariæ regiones, quas Photius spurius alter Patriarcha Byzantinus suæ Diœcesi attributas voluit.

Photius Bulgariam occupat.

VI. Bulgaria nova Illyrici Orientalis portio quædam fuit; quum nempè Bulgarorum gens, trajecto Istro Dardaniam occupasset. Anno itaque 861. imperante apud Græcos Michaële Theophili ac Theodoræ filio, Christianæ Fidei doctrinâ imbui Bulgari cœperunt, Bogore ipsorum rege, qui à Barda Cæsare victus, Constantinopolim ductus fuerat, baptizato, & *Michaële* de nomine Imperatoris vocato. Scripserunt alii Bogorim Regem à Theodoro Cuphara monacho, quem Theodora Augusta sororis suæ captivæ reducendæ causâ illuc miserat, Christianæ Fidei rudimenta accepisse. Atqui Methodius quoq; presbyter eodem circiter tempore Bulgaris Evangelium prædicasse fertur; qui tamen perpaucos illic tunc baptizavit. Joannes enim Papa VIII. disertè narrat Nicolaum Pontificem Romanum per episcopos quos ad Bulgaros miserat, totam illorum Diœcesim Baptismi aquis lavisse, omnique ecclesiasticâ disciplinâ, prout oportet, instituisse. Quod confirmatur & declaratur amplius locupletissimo Anastasii Bibliothecarii qui hac ipsa ætate florebat, testimonio, in Præfatione Latinæ translationis suæ actorum Octavæ synodi, ubi ait, *Regem Vulgarorum cum propria gente Fidem suscepisse per hominem Romanum, id est per quemdam presbyterum Paulum nomine, atque adeò documentum & mysterium habuisse à sede Apostolica, ut non modo Fidei regulam, sed & sanctæ legis disciplinam sumeret.* Quæ omnia sic accipienda sunt, ut Bulgarorum rex, acceptâ primùm, vel à Methodio, vel à Theodoro Fidei notitia, tametsi Constantinopoli à Photio baptizatus esset, post reditum in patriam, quum nullum sacerdotem Græcum secum adduxisset, à Paulo Romano presbytero religionis mysteria ceremoniasque omnes accuratiùs sit edoctus, ejusque subditi ab eodem Paulo subindè baptismi aquis tincti.

Contin. hist. Byzant. post Theoph. Cedr.

Joan. Pap. ep. 199.

Bulgari à Romanis prædicatoribus Christi leges edocti.

VII. Testantur quoque Annales Bertiniani, Metenses, & Fuldenses, aliique horum temporum scriptores Latini, Bogorim, qui Michaëlis nomen, ut prædictum est, assumserat, missa ad Ludovicum Germaniæ regem & Imperatorem Legatione, episcopum & presbyteros postulasse, qui gentem suam erudirent. Ratisponam Oratores venere, dicentes regem suum cum populo non modico ad Christum esse conversum. Quorum petitionibus Rex Ludovicus annuens, Ermenrichum episcopum cum presbyteris & diaconis ad propagandam Fidem catholicam illi genti destinavit. Ubi verò illuc pervenerunt, Episcopos quos Romanus Pontifex miserat, totam illam regionem ad Christi Fidem traduxisse repererunt. Quamobrem accepta à Rege licentia redierunt in sua. Hæc quidem Annales præsertim Fuldenses.

Romanæ sedi se subdunt.

VIII. Quinetiam Michaël Rex Romam filium misit, qui Nicolaum Papam de variis disciplinæ ecclesiasticæ capitibus consuleret. Principi in patriam redeunti Nicolaus episcopos iterum duos comites dedit, Paulum Populoniensem, & Formosum Portuensem, qui Responsa ad Bulgarorum Regis quæsita ferrent, suasque eo in regno vices gererent. *Hi ad Regem pervenientes*, inquit Anastasius, *totamque mox memoratam Vulgarorum patriam peragrantes, terram cordium linguæ vomere præscindendo, & Christum exstirpatis errorum vepribus in hominum mente plantando, fluentis sacri baptismatis rigando, atque impositione manuum & super Deo dicata templa vel altaria incrementum perfectionis, Spiritum sanctum invocando, dum apostolicus ille Pontifex superstes habitus est, minimè cessaverunt. In tantum autem pietas creverat Principis, & abundabat erga beatum Petrum venerationis afflatu, ut quâdam die manu propriâ capillos apprehenderet, & contemplantibus cunctis, se Romanis missis tradiderit, dicens: Omnes primates & populi Vulgarorum terræ cognoscent, ab hodierno die me servum fore beati Petri & ejus vicarii.* Formosus & Paulus episcopi peractâ Legatione Romam reversi, Hadrianum II. qui Nicolao suffectus fuerat, certiorem faciunt Bulgaros, ut Christianæ Fidei, ita & Romanæ sedis religiosissimos esse cultores, ac Pontifici regis Oratorem sistunt, qui Principis literas exhibet efflagitantis, uti vel Marinum Diaconum, archiepiscopum consecratum ad se remittat; sin autem è Cardinalibus quempiam archiepiscopatu dignum. Quia verò Marinus ad synodum Octavam generalem, quæ Constantinopoli celebrabatur, destinatus erat, ut Pontificis vices expleret, Papa Silvestrum quemdam Bulgaris direxit eligendum, cum Leopardo Anconitano, & Dominico Tarviensi episcopis; quæ quidem posteriora Guillelmus Bibliothecarius refert in vitâ Hadriani secundi.

Photii malæ artes ut Bulgaros à Romana sede avertat.

IX. Interim verò Photius, qui Ignatii Constantinopolitani sedem occupaverat, quum Bogorim sive Michaelem regem jam baptizasset, Bulgarorum gentem omnem Ecclesiæ Byzantinæ addicere moliebatur, missis illuc presbyteris qui multiplici crimine Romanam Ecclesiam adspergerent, eorumque auribus insusurrarent, Bulgariæ regimen stricto jure ad Constantinopolitanum Patriarcham spectare: quibus ut fidem adstrueret, Michaëlis & Basilii Impp. nomine epistolam

ſcripſerat, quam rex Bulgarorum Romam ad Nicolaum Papam tranſmiſit. Criminationes Photii, ejuſque conſilia Nicolaus in epiſtola ad Hincmarum Remenſem exponit, ubi totum nefas ſolis Imperatoribus tribuit; ceu illi invidiâ & odio erga Romanam ſedem accenſi, ejus honori & famæ detrahere ſtatuiſſent. *Invidia*, inquit, *quia Bulgarorum regem, Michaëlem nomine, cùm gente ſua Chriſti Fide ſuſceptâ, à ſede B. Petri inſtitutores & doctrinam expetiiſſe audierunt: volentes quidem & nimiùm anhelantes eoſdem Bulgaros à B. Petri ſubjectione ſubducere, talia de ſancta Romanâ Eccleſiâ, non habente rugam, neque maculam, aut aliquod hujuſmodi, prædicant, quatenùs illi, ut pote rudes, hæc audientes, nos quaſi noxios, & diverſarum hæreſium ſqualore reſperſos vitent, atque penitùs deſerant.* Eum quem Photius ſperaverat, exitum, res tamdem habuit, etiam poſtquam ille exauctoratus fuit. Anno quippe 869. Bulgarorum rex; quum propter continuos Græcorum ſuſurros anxius conſilii hæreret, ad ſynodum generalem quæ Ignatii reſtituendi causâ Conſtantinopoli celebrabatur, Oratores delegavit, qui tertia poſt abſolutam ſynodum die, collectis ſimul, tam Romanæ Eccleſiæ, quàm Orientalium ſedium vicariis, rogaverunt, uti decerneretur, cujuſnam demùm Eccleſiæ, Romanæ, an Conſtantinopolitanæ, curis obnoxii forent.

Bulgaria Conſtantinopolitanæ ſedi obnoxia fit.

X. Præcipuum cauſæ Græcorum hoc momentum fuit, regionem quam Bulgari tunc incolebant, Conſtantinopolitano quondam imperio præreptam eſſe, in quâ proinde Græcos ſacerdotes illi dum venerant, repeririſſent. Ubi altum de Methodio, deque Theodoro Cuphara, quos Bulgaris prima Fidei rudimenta dediſſe illorum ſcriptores ferunt, ſilentium eſt. Romani autem ex adverſo tria hæc oppoſuerunt. 1.° Sedem Apoſtolicam, quemadmodum priſcis Romanorum Pontificum decretalibus literis ſignificabatur, utramque Epirum, novam & veterem, Theſſaliam omnem, & Dardaniam, quæ modo *Bulgaria* appellabatur, antiquitùs obtinuiſſe & ordinaſſe. 2.° Bulgaros ſeſe Apoſtolicæ ſedis patrocinio & ordinationi dediſſe. 3.° Sanctam ſedem Apoſtolicam, tam per aliquos eorum qui huicce colloquio aderant (Marinum puta è Legatis Romanis unum) multas illic Eccleſias conſecraſſe, & ſacerdotes creaſſe, quam per Paulum, Dominicum, Leopardum, & Formoſum venerabiles epiſcopos, necnon per Grimoaldum itidem epiſcopum, quem cum multis ſacerdotibus aliis Bulgari apud ſe tunc temporis agere fatebantur, eam gentem ad catholicæ Fidei veritatem traduxiſſe, atque etiamnùm tenere, ordinare, & diſponere.

A

Tum Ignatium compellarunt, ut ſi quid querimoniæ haberet erga Romanam Eccleſiam reſtitutricem ſuam palàm ſignificaret. Ignatius verò hoc reſponſum dedit: *Abſit à me, ut ego his præſumtionibus contrà decorem ſanctæ ſedis Apoſtolicæ implicer, qui nec ita juveniliter ago, ut mihi ſubrepi valeat, nec ita ſeniliter deliro, ut quod in aliis reprehendere debeo, ipſe committam.* Hæc Patriarchæ reſponſio Imperatoribus diſplicuit, ut & Romanorum Legatorum conſtantia; qui ſubindè multis variiſque modis vexati afflictique ſunt, quaſi de finibus Imperii res ageretur.

B

Hadriani II. & Joannis VIII. Pontif. Rom. conatus ad vindicandam ſuæ ſedi Bulgariam, irriti.

XI. Hadrianus acceptis S. Ignatii, atque Imperatorum literis; quibus de Octavæ ſynodi exitu certior fiebat, quum aliunde comperiſſet quid in ea de Bulgariæ regimine ſtatutum actumque eſſet quin & ab Ignatio conſecratum gentis illius antiſtitem; apud Imperatores expoſtulavit, quod frater coepiſcopuſque ſuus Ignatius id facinoris ipſis annuentibus admiſiſſet. *Unde mirati ſumus*, inquit, *& quia à piâ intentione veſtrâ retrò reverſi eſtis, admodum obſtupuimus: verumtamen ſaltem hunc reverendiſſimum præſulem ab illius regionis diſpoſitione, ſalubribus monitis, quæſumus coercete. Alioqui nec ipſe canonicam effugiet ultionem, nec ii qui præſulatûs aut alterius officii ſibi nomen illic uſurpant, cum excommunicatione quâ jam tenentur adſtricti, etiam proprii gradûs jacturâ carebunt.* Sed his comminationibus nihil obtinuit Pontifex; quinimò Latini omnes epiſcopi & clerici è Bulgariâ pulſi ſunt. Quocirca Joannes VIII. qui Hadriano ſucceſſit, Michaëli Bulgarorum regi ſubinde per Urſum diaconum ſcribit, ut, Græcis amandatis qui variis jam erroribus laborabant, ad ſedem rediret Apoſtolicam, quæ ſedes alias, ac præcipuè Byzantinam, ſæpiſſimè antehac reprehenderat, & ad ſaniorem doctrinam revocarat: alioqui partem ejus cum illis ponendam qui primam Fidem irritam faciunt.

C

Joan. VIII. ep. 75.

D

Joannis Papæ VIII conatus ut Bulgarorum gentem ad ſuæ ſedis obſequium revocet.

XII. Quum itaque Joannes epiſcopos duos, Paulum Anconitanum, & Eugenium Oſtienſem Conſtantinopolim, indeque in Bulgariam delegaret, tres per illos epiſtolas dedit, ad Petrum nempè Comitem, illum Regis cognatum, qui olim cum Joanne & Marino ad Nicolaum Papam miſſus fuerat, ut ad gentem ſuam revocandam operam poneret, necnon ad Bulgaros ipſos, & ad Ignatium, quem hac tertiâ vice commonebat ut à Bulgariâ retinendâ deſiſteret. *Neminem enim*, aiebat, *ignorare, Bulgariam regionem à ſanctæ memoriæ Damaſo & deinceps uſque ad paganorum irruptionem à ſedis Apoſtolicæ præſulibus moderatam. Id diverſorum Romanorum Pontificum ſcripta quæ in Eccleſia Romana*

E

Ep. 76.

Ep. 77. 78.

archivis servarentur, clariùs attestari. Ingrati eum animi insimulat erga sanctam Sedem quæ de ipso benè adeò meruerat. Jubet ut intrà triginta dierum spatium nullus episcopus, nullus clericus ordinationis ipsius illic inveniatur: sin verò, post duos menses ab eo die quo epistolam hanc acceperit, numerandos, pretiosi corporis & sanguinis Christi communione privatum iri, ac si obstinatiorem se præbeat, à Patriarchatûs dignitate omnique Apostolicæ sedis favore alienum futurum. Simili epistolâ episcopis & clericis Byzantinis qui in Bulgaria agebant, excommunicationem est comminatus, sed casso quoque conatu, Rursùm literas alias Michaëli regi dedit, ejusque consiliariis, quorum potiores erant Petrus ille de quo dictum est, Cerbulas & Sandicas: earumque latorem

Ep. 192. Petrum Branimirum Slavorum principi, sacerdotibus, plebique commendavit: Atqui Michaël quidem crebris urgentibusque Papæ monitis inductus, Oratorem Romam misit Junticam nomine; qui tamen de subjiciendâ Apostolicæ sedis ordinationi Bulgariâ omninò tacuit. Quapropter Joannes ipsum denuò adhortandum duxit, ut ad sanctam matrem suam *Romanam Ecclesiam reverteretur, quæ ipsum religioso utero genuerat, & per quam totius religionis & justitiæ formam sancto prædecessore suo Nicolao præsule mittente susceperat.* Quibus planè verbis (obiter quidem dicam) haud obscurè nobis innuitur, Michaëlem Bulgariæ regem non nisi à Romanæ Ecclesiæ alumnis sacerdotibus sacris undis expiatum fuisse, vanaque adeò esse falsaque monstrantur quæ, Byzantini de Bogoris seu Michaëlis baptismo apud se celebrato venditarunt.

Photius Byzantinæ sedis ea lege compos ut Bulgariam Rom. sedi restituat.

XIII. Interim Ignatio mortuo, Photius thronum ex quo extrusus jure merito fuerat, Basilio Imp. favente, repetiit, ejusque restitutioni ea lege Joannes Papa assensus est, *si ipse Patriarcha Bulgarorum Diœcesim,* inquit, *quam piæ memoriæ præcessor noster Nicolaus, ipsorum Rege petente, Apostolicis literis docuit, & per venerabiles episcopos suos lavit undâ baptismatis, & disciplinâ prout oportet instruxit, amodò suo juri vindicare vel retinere nullo modo præsumserit.* Idem alterâ ad eumdem Imperatorem epistolâ declarat, inque aliis etiam quas Constantinopolitano clero, ipsique Photio dedit. Basilius quidem Imperator, cui synodus illa, quæ Photii restituendi causâ coacta erat, act. IV. reliquerat, ut motam de Bulgaria litem decerneret, spem Joanni Papæ fecerat, gentem illam Apostolicæ sedis regimini reddendam. Nam Pontifex idem in alia quam sub-

Ep. 251. inde ad ipsum scripsit epistolâ, *Tertiò grates multas referebat, quia Bulgarorum Diœcesim gratanti animo, sancto Petro, ut justum erat, permiserit habere.* Verum promissis Imperator non stetit, Joannemque Photius more suo ludificabatur. Literas alias ejusdem Papæ ad Bulgarorum monarcham habemus, quibus instabat, ut legatos Oratores uti pollicitus erat, ad se mitteret, qui suæ Sedis in Bulgaria ordinationem instaurandam sponderet. Hic vero conatus ejus alter futilis & vanus evasit. Quinetiam Photius Eugenium & Paulum Joannis nuntios fraude circumvenit, ne in Bulgariam transirent, eaque adeo ibi patrarent, quæ in mandatis acceperant à Pontifice.

Imperatorum interesse videbatur ut Bulgaria Byzantinæ sedi obtemperaret.

XIV. Atqui veluti Byzanti Patriarcharum ambitioni arridebat, ut Bulgariæ Ecclesiæ sub ipsorum dispositione essent, ita quoque Byzantinorum Imperatorum maximè interesse videbatur, ut gens illa, quam diu sibi infestam senserant, religionis sacratissimis nexibus Constantinopolitanæ sedi adstringeretur. Alioqui verò ex his quæ hactenùs à me allata sunt, compertum sit, Imperatores illos jam tunc sibi potestatem arrogasse ecclesiasticas Diœceses & provincias, ad libitum definiendi, amplificandi, & imminuendi. Quamobrem Bulgaria Nicolao I. Hadriano II. & Joanne VIII. Romanis Pontificibus nequidquam obnitentibus, Byzantino episcopo, Latinis ejectis, Imperatorum Græcorum nutu, obnoxia mansit, subindeque Achrida civitas, quæ Justinianopolis olim dicta erat, inter Constantinopolitanæ Diœcesis metropoles censeri cœpit; quæ tamen subsequutis temporibus αὐτοκέφαλος ipsa quoque evasit, propter gravissima frequentissimaque bella, quibus Byzantini & Bulgari mutuo pugnabant.

Episcopi nefarii Bulgaris dati.

XV. Joannes Papa VIII. in fine epistolæ suæ prioris ad Michaëlem Bulgariæ regem, eum admonet, Sergium eunuchum, qui genere Slavus erat, multis pravitatibus irretitum, & pòst aliorum etiam excessuum conscium convictumque, atque ab Episcopo tunc suo depositum, indignè à Georgio qui falsò sibi Episcopi nomen usurparet, ad episcopatum Belogradensem provectum; etsi Apostolorum Principum & sanctorum canonum auctoritate, suique sententia decreti, omni gradu dejectus erat. *Quod tam vobis,* inquit, *quam vestræ omnium generalitati canonice patefacimus, ut hi qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur; ne quod non optamus, simili cum eis pœna judicii teneantur adstricti.* Ubi Sergium illum, non Tauruni seu Belogradi ad Danubii & Savi fluminum confluentiam jacentis, episcopum fuisse constitutum queritur Pontifex; sed Beligradi alterius Bulgaricæ ditionis, quæ hodieque civitas episcopalis & Achridensi archiepiscopo obnoxia.

Quamquam Belogradi illius alterius episcopum Achridensi quoque paruisse, recentiores Notitiæ significant.

Photius Moravos sibi subjicere tentat.

XVI. Non hic omittendum puto, quum SS. Cyrillus & Methodius, Romano Papa annuente, relicta Bulgaria in Moraviam Christum annunciaturi perrexissent, magnamque gentis illius partem ad Christianam religionem traduxissent, Photium quo æstuabat invidentiæ livore, hanc quoque suæ sedi A subjicere tentasse, creato Moravorum episcopo Agathone, quem inter Archiepiscopos vel metropolitas in ipsius synodo sub Joanne Papa VIII. sedisse ludicri illius conventûs acta perhibent: Ἀγαθῶνος Μωράβων, Ἀγάθων Μωράβων. Verum illa Photii ad Moraviam subigendam molimina futilia fuerunt, eaque regio Romanæ sedi deinceps addicta mansit ad hæc novissima usque tempora, quibus in eam Lutheri impietas irrepsit.

CAPUT XV.

De Bulgarica Diœcesi altera.

Bulgarorum Diœcesis altera ab Innocentio Papa III. instituta, Trinovitano Primate.

I. CENTUM circiter annis elapsis ex quo Bulgari Christo nomen dederant, Basilius II. Imperator, qui propter illos multiplici prælio prostratos, Βουλγαροκτόνος, *Bulgaricida* audivit, magnam partem regionis Illyrici quam occupaverant, eis ademit, effecitque ut intra Mœsiæ secundæ & Scythiæ Romanæ veteris fines se continerent; quo factum est, ut Achridensis Archiepiscopi potestas ac jurisdictio admodùm imminuta sit. Hi namque alterum sibi Archiepiscopum crearunt, qui nulli statim sedi addictus erat, donec Innocentio Papa III. Trinobus Bulgaricæ gentis metropolis anno 1204. facta est, atque Romanæ sedis ordinationi obnoxia. Postquam enim Calojoannes, alias Joannicius, Blachorum & Bulgarorum rex Constantinopolitani Imperatoris Græci, cujus Urbem regiam nostrates Franci expugnaverant, jugo exemtus erat, Innocentius misso ad eum Dominico archipresbytero Brundusino, viro Latinæ Græcæque linguæ perito, hunc cum omni gente ipsius, eorumque inprimis archiepiscopo Basilio, ad Apostolicæ sedis communionem revocavit. Quo Pontifex accepto nuntio, Regi & Archiepiscopo rescripsit per Joannem capellanum suum, Romanæ sedis Legatum, cui *Pallium*, ceu Pontificalis potestatis plenitudinis insigne, mitram atque annulum dedit, Archiepiscopo Basilio tradenda. Legatus itaque, recepto Basilii erga sedem Romanam obsequentiæ sacramento, metropolitas duos *Belleburdensem & Pothavensem*, sive potius Præstlavensem, instituit, quos Zagorensi sive Trinovitano præsuli, tamquam gentis Primati, subjecit. Legatum, postea alterum Papa illuc misit, Leonem tituli Sanctæ Crucis presbyterum Cardinalem, qui Joannicium suo nomine totius nationis Regem renuntiaret, coronâque redimiret, datisque rursùm Basilio archiepiscopo literis, illi Primatum, imo & Patriarchatum B Bulgarorum confirmavit. *Te quoque in regno Bulgarorum & Blachorum Primatem*, inquit, *statuimus, & ecclesiæ Trinovitanæ præsenti privilegio auctoritatem concedimus Primatiæ; ut ipsi tibi, & eis juxtà formam canonicam reverentiam Primati debitam exhibeant, & honorent fraternitatem tuam, scire volentes, quòd apud nos hæc duo nomina Primas & Patriarcha penè idem sonent, quum patriarchæ & primates teneant unam formam, licet eorum sint nomina diversa.* Quocirca Trinovitano episcopo facultatem dedit Bulgarorum & Blachorum reges creandi, sive inungendi, electos metro- C politas ordinandi, Chrisma & oleum tam Catechumenorum, quam infirmorum consecrandi; quum nempè de Græcorum & Orientalium cæterorum more, Patriarcha solus Chrisma consecret, quod per totam ejus Diœcesim distribuatur. Mandat vero præterea, ut quamvis Ecclesiæ Græcæ ritus non sit, ut Episcopi & presbyteri inungantur, hunc tamen deinceps observent, velut Ecclesiæ Romanæ consuetudo ferebat. Atqui unctionem Basilius ab episcopo Brandizu- D berensi, quem Joannicius rex Romam miserat, cum suis episcopis reliquis recepturus erat, prout ipse Pontifex literis aliis significavit. Quæ quidem omnia tunc lubentissimè à Bulgaris admissa sunt.

Bulgari ad Byzantinam communionem redeunt, & Trinovitanus sui juris fit.

II. Verum post annos aliquot illa Bulgarorum erga Romanam sedem reverentia obsolevit, ac Byzantinorum artibus deliniti, Constantinopolitanæ communionem iterum repetierunt, ab eaque potiùs quàm ab Apostolica patriarchalibus illis privilegiis ornari maluerunt. Ac primùm quidem Bulgarorum E rex Francos qui Constantinopolitanâ Urbe potiebantur, infesto bello lacessivit: tum deinde, quum Joannes Ducas Græcorum Imperator Theodorum Lascarim juniorem Helenæ Joannis Bulgarorum regis filiæ nuptui daret, his nuptiis Lampsaci in Hellesponto benedixit

benedixit Germanus hujus nominis secundus Byzantinus Patriarcha *Tunc*, inquit Georgius Acropolita, ὁ Τορνόβου μητροπολίτης ὑπὸ τὸν Κωνσταντινουπόλεως τελῶν, αὐτονομίᾳ τετίμητο, καὶ πατριάρχης ἀναγορεύεσθαι κέκριται βασιλικῷ καὶ συνοδικῷ θεσπίσματι, *Ternobi metropolita eo honore auctus est, ut sui juris esset, utque Patriarcha nuncuparetur Imperatorio synodalique decreto præceptum est.* Quod proinde contigit quo tempore post Honorium III. Innocentii successorem Gregorius IX. Romanæ Ecclesiæ præerat. Ephræmius Constantinopolitanus Chronographus, Germanum illum qui Theodori & Helenæ nuptiis Ternobi benedixit, ipsummet etiam innuit fuisse, qui in Constantinopolitanum Patriarcham assumtus Trinovitanam postmodum sedem illis prærogativis honestavit. Id enim versibus qui sequuntur significavit:

Ἐπευλόγει δὲ τοῖς γάμοις ἀρχιθύτης
Θεῖος Γερμανὸς συμπαρών, τελούμενος,
Τὸ τηνικαῦτα ποιμενάρχης Τερνόβου,
Τῷ Βουλγαρείας ὑποκείμενος θρόνῳ·
Οὐκ οἶδ᾽ ὅπως κέκριτο συνόδου κρίσει,
Θεσπίσματι τοῦ κρατοῦντος Αὐσόνων
Τιμὴν πατριάρχου γε καὶ κλῆσιν ἔχων·
Κήδους ζυνιόντων τῶν κρατούντων οἱ χάριν.

Nuptiis autem benedicebat Pontifex divinus Germanus, qui unà aderat, eo tempore Ternobi summus Pastor, Bulgariæ tunc subditus throno. Qua ratione nescio, synodi decreto, Romanorumque Principis sanctione, honor illi Patriarchatus & nomen asserta sunt, hanc ei gratiam affinitatis ergò Imperatoribus deferentibus. Verùm Ephræmius Acropolitam quem exscribebat, non satis intellexerit, quando Georgius rei gestæ æqualis Theodori & Helenæ celebratas esse nuptias scripsit, Germano Constantinopolitanum patriarchatum gerente. *Joannes*, inquit, *Imperator cum uxore & filia Helena Lampsacum, ubi erat Irene Imperatrix, remeat, adolescentiumque nuptias peragunt, Germano Patriarchâ divinam ceremoniam agente*, καὶ πληρῶσι τὴν τῶν παίδων συνάφειαν, τοῦ πατριάρχου Γερμανοῦ τὰ τῆς ἱερολογίας τελέσαντος.

Blachi utrique Byzantinæ sedi proximè subjecti.

III. Jam inde itaque ab illo tempore, Bulgariæ & Blachiæ utriusque Christiani Constantinopolitanæ sedi addictissimi manserunt, ita tamen ut Trinovitani Archiepiscopi potestas intrà solius Bulgariæ fines coërcita sit, quum Blachi interim Byzantinorum legibus omninò pareant. Ac certè à synodi Chalcedonensis temporibus regio omnis trans Istrum Ponto Euxino vicina, quæque Barbarica & Scythica dicebatur, Constantinopolitanæ sedi obnoxia facta est propter canonem illum

A ejusdem synodi vigesimum octavum, de quo prolixè suprà disputatum est.

Græcorum conatus in Ecclesias Dalmatiæ.

IV. Ex epistolâ 190. Joannis Papæ VIII. data Vitali Adrensi, Dominico Absorensi, & reliquis Dalmatiæ Episcopis, Joanni quoque Salonitanæ ecclesiæ archipresbytero, apparet Græcos illo sæculo nono conatos rursùm esse Dalmatiam omnem à Romanæ sedis regimine subtrahere, ac suæ Constantinopolitanæ addicere. Nam suis hisce literis illos Joannes adhortabatur, uti more decessorum suorum ad B. Petri sedem, quæ caput & ma-
B gistra est omnium Ecclesiarum, toto animo libentique voluntate reverti studerent: *ut electus à vobis canonicè archiepiscopus*, inquit, *unà cum vestro omnium consensu voluntate ad nos veniens, gratiam episcopalis consecrationis, sacrumque Pallium à nobis more pristino percipiat.* Mox addit quæ consilia moliminaque Byzantinorum explicant. *Porrò si aliquid de parte Græcorum vel Slavorum super vestra ad nos reversione, aut de Pallii susceptione dubitatis, scitote pro certo, quoniam nos secundum sanctorum Patrum decessorumque nostrorum*
C *Pontificum statuta vos adjuvare auctoritate nostra curabimus.*

Russorum ad Christianam religionem accessio, Chazarorum scilicet.

V. Photius in Encycliâ quam ad Alexandrinum & alios Orientis Patriarchas & metropolitas contra Latinos anno 866. scribebat, uti Bulgaros, ita & Russos Christo nomen dedisse significabat. Ἀλλά γε δὴ τὸ παρὰ πολλοῖς πολλάκις θρυλλούμενον, καὶ εἰς ὠμότητα καὶ μιαιφονίαν πάντας δευτέρους ταττόμενον· τοῦτο δὴ τὸ καλούμενον τὸ Ῥῶς· οἱ δὴ καὶ κατὰ τῆς Ῥωμαϊκῆς ἀρχῆς τοὺς πέριξ αὐτῶν δουλωσάμενοι, ἀλλ᾽ ὅμως νῦν καὶ οὗτοι Χριστιανῶν καθαρὰν καὶ ἀκίβδη-
D λον θρησκείαν τῆς Ἑλληνικῆς καὶ ἀθέου δόξης, ἐν ᾗ κατείχοντο πρότερον, ἀντηλλάξαντο: *Ad hæc, famosissima illa gens, quæ reliquis sævitia & homicidiis antecellit; illa quæ Rhos vocitatur: qui adversùs Romanum Imperium elati, quaqua versum subditos ejus captivos agebant, hi quoque nihilominùs in præsenti puram & immaculatum Christiana religione Gentilem Deique nesciam opinionem commutarunt: adeo ut qui nostra priùs prædabantur, iidem summa illa ipsorum pervicacia posita, sese benevolos nunc præbeant; quin Fidei ardore ac studio incen-*
E *dantur*, ὥστε καὶ ἐπίσκοπον καὶ ποιμένα δέξασθαι, καὶ τὰ τῶν Χριστιανῶν θρησκεύματα διὰ πολλῆς σπουδῆς καὶ ἐπιμελείας ἀσπάζεσθαι, *ut episcopum pastoremque susceperint & Christianos ritus promto animo multaque cura amplexi sint.* Atqui Russos Photius appellat communi nomine illos quos *Chazaros* alioqui vocabant, Chersonnesi Tauricæ accolas, quos ambo vitæ SS. Moraviæ Apostolorum Cyrilli & Methodii scriptores Latini Michaële Theophili & Theodoræ filio Imperatore, ab eodem

Cyrillo, cui tunc *Constantino* nomen erat, ad Christi Fidem adductos tradunt. Quamobrem Bollandus in Annotationibus ad Cyrilli vitam, rectè censet Constantinum, non à Photio, sed ab Ignatio Patriarcha Michaëlis Imp. nutu ad Chazaros esse missum. Ac certe, quum Photii ad Patriarchas epistola Michaële Imp. in vivis superstite scripta sit, extra dubium est, Russorum illam conversionem malè à Græcis auctoribus aliis, ac Constantino præsertim Porphyrogenneto, illi tempori assignari, quo Basilius Macedo peremto Michaële solus imperabat. Illi itaque firmata cum Russis pace, eis suaserunt, *ut sacri Baptismi participes fierent, Archiepiscopumque ab Ignatio patriarchâ ordinatum susciperent*; καὶ ἀρχιεπίσκοπον παρὰ τοῦ πατριάρχου Ἰγνατίου χειροτονίαν δεξάμενον δέξασθαι. Cæterùm dolet Combesisius in suis ad Constantini Porphyrogenneti historiam Annotationibus, omissum ab eodem Constantino nomen primi illius Russorum episcopi: quod etiam perinde tacuit Anonymus ille Græcus, cujus amplum satis de Russorum conversione fragmentum edidit doctissimus D. Anselmus Bandurius in commentario in librum ejusdem Porphyrogenneti *De administrando Imperio*: quum tamen socios ejus Cyrillum & Athanasium prodat, à quibus triginta quinque Alphabeti Russici literas, quibus utuntur qui Slavorum idioma tenent, esse excogitatas narrat.

Quod quidam putant Russos istos aliquanto post à Fide descivisse, quippe quum sub sæculi decimi finem Evangelium Russis prædicatum sit, apud quos nullum appareret Christiani ritus vestigium; hi Russos Chazaros ab eis non secernunt, qui ulteriorem regionem mediterraneamque, Russiam, inquam, Albam & Nigram hodie vocitatam, Septemtrionem versùs positam, incolebant, de quibus nobis nunc dicendum est.

Russorum ulteriorum Moschorumque conversionis præludia.

VI. Ulterioris hujus Russiæ ad Christum conversioni præiverat Elga sive Helena ipsorum Regina, cujus hodie apud illam gentem clarissima memoria est, quam Constantinopoli sacris undis tinctam Reginonis Continuator, aliique Germaniæ scriptores ferunt. Cæterùm in Chronico Hildenshemensi ad annum 959. fertur, ad Germanorum regem Othonem venisse Russicæ gentis legatos, rogantes, ut episcoporum suorum aliquem transmitteret, qui viam veritatis ipsos doceret; ab Othone verò Adalbertum episcopum illuc missum, qui Magdeburgensem posthac ecclesiam rexit. Hic verò nihil apud Russos proficiens, ad suos redire coactus est, quemadmodum & episcopus alter *Libatius* nomine, qui Hamburgensi posthac ecclesiæ præfici meruit.

Christi religionem suscipiunt.

VII. Demum anno 987. vel 988. Basilio & Constantino Porphyrogennetis fratribus Imperatoribus, Volodimerus Russorum Moschorumque Dux & Dynasta à Michaële quodam sacerdote Græco, quem Nicolaus Chrysoberges Constantinopolitanus antistes ad illam gentem miserat, Christianis mysteriis initiatus fuit, Imperatorumque sororem Annam duxit uxorem. Quumque Michaël presbyter à Nicolao subinde Patriarcha Kioviæ, quæ regionis caput erat, antistes esset ordinatus, ab eo tempore usque ad sæculi fere decimi sexti exitum, Russorum Ecclesia Constantinopolitanæ sedi obnoxia mansit. Cæterum Nicetas Choniates sæculi decimi tertii scriptor lib. 1. Thesauri cap. 5. testatur, ævo suo unum dumtaxat in Russiâ episcopum fuisse, velut olim in Scythiâ cis danubiana; cujus proindè verba hìc lubet recitare: *Quum nondum civitatibus omnibus episcopus suus obtigisset, eo factum est, ut plures id temporis Nicæam non convenerint. Provinciarum enim alia uni tantum parebat, ut Scythia seu Russia in hodiernum usque diem: aliæ duos, aut ad summum tres habebant, ut Dalmatia. Posteriore verò tempore plerisque non civitatibus tantum, sed etiam oppidis sui dati sunt episcopi.* Verum insequenti ævo crevit apud Russos episcoporum numerus, quorum Kioviensis summus Metropolita fuit, donec Moschuæ civitatis episcopo Patriarchæ nomen atque auctoritas data sunt, isque immunis factus est à Constantinopolitani Patriarchæ ordinatione; quod quidem Hieremia II. Patriarcha Constantinopolitano contigisse suo loco dicetur, ubi de Moschica Diœcesi sermo erit.

Turci transdanuviani Christo nomen dant.

VIII. Circa annum quoque 944. Occidentales Turci, qui ultrà Istrum & Euxinum mare sedes fixerant, quum in Byzantinum Imperium diù grassati essent, Christianam demum religionem susceperunt: atque horum quidem Dynasta, cui *Belosudes* nomen, simulato quidem animo Constantinopoli baptizatus fuit, tum subinde Patricii dignitate, magnisque donis affectus: sed domum regressus, rescissis pactis quæ cum Deo & Imperatore inierat, Græcos iterum, moxque Germanos lacessere non dubitavit. Captus verò ab Othone Imperatore, ob proditam Fidem editaque sævitiæ immanissimæ multa facinora, palo suffixus fuit. Gylas verò successor illius Constantinopolim veniens, Christo perinde nomen dedit, iisdemque honoribus ornatus fuit, tum deinde suæ gentis in patriam secum adduxit monachum, quem Theophylactus Patriarcha episcopum creaverat. Ac Gylas quidem Princeps Christo fidelis manens, nullas deinceps

in Byzantinorum regiones impressiones fecit. Turcorumque suorum complures ab errore barbarico ad Christianam Fidem traduxit, quos gentis episcopus sacris mysteriis initiavit: quinimo Gylas omni curâ Christianos captivos undique redimebat, quos liberos faceret. Hæc narrant Joannes Scylitzes Curopalata, & Georgius Cedrenus.

CAPUT XVI.

Constantinopolitani Patriarchæ jura atque privilegia.

Metropolitas omnes suæ Diœcesis C P. Patriarcha consecrat.

I. EX his quæ hactenus dicta sunt, ac præsertim propter illum Chalcedonensis Concilii canonem vigesimum octavum, præcipuum Constantinopolitani Patriarchæ jus apparet fuisse, ut uniuscujusque provinciæ sui tractûs, sive Diœcesis, metropolitas ordinaret; aut saltem electionum decreta ei referrentur; quæ ipse approbaret & confirmaret, χειροτονεῖσθαι δὲ, καθὼς εἴρηται, τοὺς μητροπολίτας τῶν προειρημένων διοικήσεων παρὰ τοῦ ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως, ψηφισμάτων συμφώνων κατὰ τὸ ἔθος γινομένων, καὶ ἐπ' αὐτὸν ἀναφερομένων. Quam canonis partem vocibus hisce aliis à proceribus qui adfuerunt, enarratam vidimus: *Ut electio referretur ab omnibus eligentibus archiepiscopo regiæ Constantinopolis; ut penès eum sit, si velit, hunc qui electus est accedere, & hîc ordinari, aut secundum ejus permissionem in provincia, & decreto ipsius episcopatum consequi.* Quocirca, quum anno circiter 1087. prisci metropolitæ ordinationes episcoporum illarum civitatum quæ in metropoles recens erectæ erant, ad se spectare contenderent, sancitum à Byzantina synodo est, metropolitas quoscumque omnes à solo Patriarcha oportere ordinari. Atqui illius quoque juris sunt Archiepiscoporum consecrationes, qui per diversas provincias instituti fuere, à metropolitarum potestate avulsi.

Tributorum pensitationes pro ordinationibus quæ C P. agebantur.

II. Cæterum episcoporum ordinationes non sine tributi pensitatione deinceps fiebant, sive fieri concedebantur à Patriarchis. Jam certe in Chalcedonensi Concilio Eusebius Ancyranus act. 6. palàm dixerat, ordinationes quæ in Urbe Regia identidem factæ fuerant, à Simoniacâ labe puras omninò non fuisse; pro quibus nempè pecuniarum summæ expensæ essent. Quum enim declarasset se nullo cujusquam ordinandi desiderio teneri, monitos tamen Patres voluit, omninò cavendum esse, *ne quid civitates pro ordinationibus* Constantinopolitano episcopo *in posterum solverent:* Ἐὰν μὴ γὰρ ἐν ταῖς πόλεσιν αὐταῖς ψηφιζόμενοι παρὰ τῆς πόλεως χειροτονοῦνται παρὰ τῆς συνόδου τῆς κατὰ τὴν ἐπαρχίαν δοκιμαζόμενοι, λύονται αἱ οὐσίαι. *Nisi enim qui à civitate eliguntur, postquam à synodo provinciæ sunt probati, in ipsismet civitatibus ordinantur, solvuntur substantiæ*, sive certæ summæ penduntur ex Ecclesiæ bonis, καὶ ἀπὸ πείρας εἰμὶ, inquit, *atque id expertus novi;* ἐπειδὴ τοῦ πρὸ ἐμοῦ πολλὴν ὁλκὴν ἀπέδωκα, *quoniam pro decessore meo multam summam persolvi.*

Novella Justiniani de ea tributi pensitatione.

III. Plane sæculo insequente, quum mos idem Constantinopoli perseveraret, Justinianus Imp. ad levandam Simoniæ suspicionem, Novella sua 123. *De sanctissimis episcopis* Cap. 3. edixit: *Si quis episcoporum, sive ante suam ordinationem voluerit res proprias, aut partem earum, ecclesiæ offerre, cujus sacerdotium accepit, non prohibemus... quia hoc non est emtio, sed oblatio.* Tum subinde decernit annui redditûs ecclesiæ cujus episcopus ordinatur, partem Patriarchæ pro literis inthronizationis offerendam; ubi ejusmodi consuetudo recepta erit. *Pro consuetudinibus autem*, inquit, *illa sola permittitur præberi ab ordinatis episcopis, quæ præsenti legi inserta subsequuntur. Jubemus igitur beatissimos archiepiscopos & patriarchas, hoc est senioris Romæ, & Constantinopolis & Alexandriæ, Theopolis* (Antiochiæ) *& Hierosolymorum, siquidem consuetudo ferat, episcopis & clericis in ipsorum ordinatione non minus quam viginti auri libras dari, ipsa solummodo præberi, quæ consuetudo recognoscit. Sin vero plus antea solvebatur, nihil supra viginti libras dari. Metropolitas autem à propria synodo, aut à beatissimis patriarchis ordinatos, & alios omnes episcopos qui, aut à patriarchis aut à metropolitis ordinantur, dare pro inthronizationis quidem literis, solidos centum; notariis autem ordinantis & aliis ministrantibus ei, ut & illis qui solenniter aliquid accipiunt, solidos trecentos. Si vero ecclesiæ redditus, minus quidem quam triginta auri libras per annum reddunt, non minus autem quam decem, dari pro inthronisticis solidos centum; aliis autem omnibus qui ex more capiunt, solidos ducentos. Sin minus quam decem, non minus autem quam quinque auri librarum ecclesiæ redditus esse contigerit; pro inthronisticis quidem literis dari solidos quinquaginta, omnibus autem aliis ex consuetudine percipientibus, solidos ducentos. Si autem minus quam*

quinque, non minus autem duabus auri libris Eccleſiæ redditus habeat, pro inthroniſticis ſolidos decem & octo, omnibus autem ex conſuetudine percipientibus, ſolidos viginti quatuor. Si autem minus tribus, non autem minus quam duabus auri libris quantitas redditium Eccleſiæ comperiatur, dari pro inthroniſticis quidem ſolidos duodecim: pro omni alia conſuetudine ſolidos ſex. Epiſcopum enim eccleſiæ minus quam duas auri libras habentis, neque pro inthroniſticis, neque pro alia quacumque ulla conſuetudine, percipientibus dare aliquid permittimus. Hæc autem quæ præberi diſpoſuimus, primus preſbyter ordinantis epiſcopi & archidiaconus ſuſcipientes, ex conſuetudine percipientibus dividant. Igitur jubemus hæc omnibus modis obſervari, ut non ex talibus occaſionibus eccleſiæ debitis prægraventur, & ſacerdotia venalia fiant. Si quis autem ultra quantitatem à nobis definitam pro inthroniſticis conſuetudinibus quolibet modo præſumat accipere, jubemus quidquid plus acceperit, triplum ex rebus ejus venditari pro eccleſia dantis. Hæc quidem Juſtinianus ſancienda duxit; ex quibus apparet, quo jure Orientis patriarchæ & metropolitæ pecuniæ ſummas aliquot pro ordinationibus hodieque exigere pergant: atque tributum iſtud ſeu vectigal, Ἐμβατικὸν vulgo dicunt. Ita quoque Iſaacius Comnenus Imp. ſolvendas pro ordinatione preſbyteri, aut inſtitutione curionis vel curati, expenſas Novella ſua conſtituit, quæ exſtat in Jure Græco-Romano, ubi etiam Alexii Comneni Imp. Novella altera additur, quâ priſtinæ patrui ſui ſanctiones confirmantur.

Diœceſis gravia negotia ad Patriarcham relata & coactis ſynodis finita.

IV. Illi ordinandorum metropolitarum per Diœceſim omnem Patriarchæ juri ſucceſſit aliud, ut ad Conſtantinopolitanam ſedem undique ob gravia quæque negotia recurſus fieret; quæ quidem pro vetere, inſtitutoque ab Apoſtolis more, non niſi coacta ſynodo expendebantur aut finiebantur. Id quod diſertè ſignificatur in variis epiſcopatuum Notitiis, atque, ut alias ſileam, in ea quæ Leonem Sapientem Imperatorem auctorem præfert, in qua ſingulorum præſulum locus aſſignatur, quem in conciliis Patriarchalibus tenerent. Quod quidem ad calcem alterius Notitiæ diſertis verbis ſignificatur, ubi de epiſcopatibus qui Romanæ Diœceſi erepti, & Conſtantinopolitanæ adjecti ſunt; Οὗτοι προσετέθησαν τῇ συνόδῳ Κωνσταντινουπόλεως, διὰ τὸ ὑπὸ τῶν ἐθνῶν κατέχεσθαι τὸν πάπαν τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης. *Hi adjecti ſunt ſynodo Conſtantinopolis, eo quod Papa veteris Romæ à gentibus obtineretur.* Atqui ſimili jure utebantur Patriarchæ alii, quod etiamnum hodie perinde per omnem Orientem viget.

Præſulum, clericorum, & monachorum quæcumque cauſæ ad Patriarchæ judicium referuntur.

V. Suo jam loco à me dictum eſt de A Conſtantinopolitana ſynodo quam Ἐνδημοῦσαν appellitabant; in qua Patriarcha collectis epiſcopis qui complures vulgò in Urbe Regiâ variorum negotiorum causâ agebant, aliiſque de vicinia, eccleſiaſticas quaſcumque Orientalis tractûs cauſas finiebat. Heraclius decimo nono imperii ſui anno, Chriſti verò 629. in gratiam Sergii Conſtantinopolitani legem dedit, quam Juſtellus tom. II. veteris Juris Canonici p. 1361. edidit: « Ut clerici & monachi Urbis Auguſtæ, necnon præſules, clerici & monachi civitatum, quæ B Byzantinæ ſedis regimini ſubeſſent, dum civiliter convenirentur, apud Sergium (ejuſque adeò ſucceſſores) vel apud eos quos ille deputaret, cauſas dicerent; ac ſi appellatio ſequeretur, ad illum itidem recurrerent, adjectâ prohibitione, ne ad civile vel militare tribunal traherentur; quinimo Diœceſium aliarum præſules, clerici & monachi, qui ad Urbem Auguſtam adventarent, eodem hocce privilegio, ſi eis luberet, εἴ γε βούλοιντο, fruerentur, magiſtratus autem civiles & militares huic legi refragari omni modo caverent. » C Cæterum noſſe intereſt, ex variis, quæ ſuperſunt, undecimi præſertim ſequentiumque ſæculorum monumentis apparere in Patriarchalibus illis ſynodis, ſolos, ut plurimum metropolitas, & quos *Archiepiſcopos* vocant, conſidere ſolitos eſſe: qui mos etiam hodie perſeverat; quamvis non omiſſis epiſcopis, ſi quos in Urbe adeſſe contigerit.

Relationes cauſarum ex omnibus Orientis Diœceſibus ad ſedem Conſtantinop.

VI. Uſus porrò jampridem inolevit per Orientales eccleſias, ut ad Conſtantinopolitanam ſedem, non Diœceſis ſolùm illius metropolitarum, verùm & aliorum patriar- D charum, Alexandrini, Antiocheni, & Hieroſolymitani judicia iterùm poſtremoque diſcutiendare ferantur. Quod privilegium Canoniſtæ Græci triplici titulo illi conantur adſtruere; quorum primus eſt, quod canonibus nono & decimo ſeptimo Chalcedonenſis Concilii ſancitum olim ſit, ut à metropolitarum judiciis ad Diœceſis Exarchum (quo nempe nomine quivis Primas ac Patriarcha indicatur) vel ad Conſtantinopolitanum thronum cauſa referri poſſit, & apud illum cauſæ iterum examinari & finiri queant. E Secundus eſt, quod Conſtantinopolitana ſedes Romanæ juribus canone 28. ejuſdem Concilii aucta fuerit, adeoque ad illam perinde atque ad Romanam, cauſarum præcipuarum iteratum examen pertineat. Tertius demùm, quod Conſtantinopolitanus epiſcopus Patriarcha *Oecumenicus* & *Univerſalis*, haud ſecùs ac Romanus evaſerit (ita illum appellante variis in edictis ſuis Juſtiniano Imp.) Tribus hiſce argumentis jus appellationum Byzantino antiſtiti vindicare contendit

Macarius Ancyranus apud Allatium Lib. 1. de Consens. c. 18. n. 11. quibus & hunc subjungit Matthæi Blastaris locum ex ejus Alphabetico Canonum syntagmate Lit. Π. tit. 9. » Omnium metropolium & episcopatuum, monasteriorum & ecclesiarum cura & » providentia, necnon judicium, condemnatio » & absolutio ad Patriarcham proprium ipsorum pertinet. At in Constantinopolitani » antistitis potestate est, in aliorum quoque thronorum Diœcesibus, in quibus non præcessit » templorum consecratio, *Stauropegia* concedere. Οὐ μὴν pergit Blastares, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς B ἄλλοις θρόνοις γινομένας ἀμφισβητήσεις ἐπιτηρεῖν καὶ διορθοῦσθαι, καὶ πέρας ἐπιτιθέναι ταῖς κρίσεσιν· ὡσαύτως μετανοίας, καὶ ἐπιστροφῆς ἁμαρτημάτων, καὶ αἱρέσεων αὐτὸς καὶ μόνος καθίσταται διαιτητής τε καὶ γνώμων. *Quinimo exortas quoque in aliis sedibus controversias animadvertere & corrigere, judicioque suo dirimere: similiter pœnitentiæ & conversionis à peccatis & hæresibus ipse solus arbiter & regula est.* Quod certè eminentissimam Sedis illius prærogativam innuit, ceu Constantinopolitanus potuerit, possitque, non aliorum modo Patriarcharum C judicia apud se iterum discutere & finire; sed & in eorum ditionibus *Stauropegia* ecclesiarum impunè facere. Quo autem jure, hæc sibi Byzantini illi arrogarint, non aliter definiam, nisi quia arrepta ambitiosa illa *Oecumenici* Patriarchæ nuncupatione, summam quoque in omnes Universi Orbis, Orientis præsertim, partes ac Diœceses potestatem sibi competere pertenderunt. Quando autem mihi hic juris *Stauropegii* facta est mentio, nunc de illo mihi dicere interest.

Stauropegii ritus.

VII. Vetus Ecclesiæ consuetudo est, ut D ubi templum aliquod Omnipotenti Deo exstruendum sit, ædificationi illius præeat ritus figendæ Crucis eo in loco qui Mensæ sacræ, sive altari primario erigendo destinatur, illaque solennis defixio Crucis Σταυροπήγιον, *Stauropegium,* Græca voce dicitur. Cujus defixionis ritum videre licet pag. 608. Euchologii Græcorum, quem eruditis annotationibus explicavit doctissimus editor Jacobus Goar, atque à Jacobi Gretzeri critica Martinum Crusium, Lutheranum licet, ulcisci non dubitavit; Meursii vero rursum oscitantiam perstrinxit, allato Germani Patriarchæ sigillo, quod exstat l. 3. Jur. Græco-Rom. cap. 3. in quo, ut in appendice & summa, totum illud *Stauropegii* jus accurate effertur.

Patriarcharum jus Stauropegii.

VIII. Atqui Crucis illa defixio non nisi episcopali auctoritate peragitur, tumque nova illa ecclesia illius in posterum præsulis potestati ac jurisdictioni obnoxia est. Patriarchæ autem Orientis omnes, unusquisque in Diœcesi sua ea auctoritate potiuntur, ut *Stauro- A pegio* suo prævio ecclesiæ ac præsertim monasteria condantur quo fit ut ea illorum omnino regimini subsint, & ab omni ordinarii episcopi potestate libera.

Exarchi monasteriorum Patriarchalium.

IX. Propter illud itaque Patriarchæ Byzantini jus defigendæ Crucis per cunctas sui Orbis provincias, quod vetustissimum profecto est, exstructas extra Urbem Stauropegio suo ecclesias per Exarchos seu lustratores suos visitari curabant atque etiamnum curant: id quod etiam jam olim in Palæstinæ Diœcesi, institutionis ejus initio fiebat. Tunc B nempe supremum omnium Palæstinæ monasteriorum regimen ad Patriarcham Hierosolymorum Juvenalem ejusque successorem creditum est, ejusque nomine ab uno vel duobus archimandritis administrabatur, quos etiam Ἐξάρχους, *Exarchos* appellabant, uti subinde Constantinopoli: de quo legenda vita S. Sabbæ N. XXX. Sed & eumdem disciplinæ tenorem in Ægyptiaca sive Alexandrina Diœcesia viguisse, nec non in Antiochena & Orientali, suis aliisque locis ostendetur. Exarchi autem monasteriorum dignitas insti- C tuta primum mihi videtur fuisse in Ephesinâ synodo priore, quæ sancto Dalmatio vel Dalmato, ἡγουμένῳ sive Præposito monasterii permarii Constantinopolitanæ Urbis, reliquorum civitatis & viciniæ cœnobiorum curam injunxit; cujus etiam posthac Hegumenus quoque sive Præpositus insignis fuit Marianus, ut fertur in actis Constantinopolitani concilii quod præside Mennâ Patriarchâ celebratum est. Talis quoque fuit dignitas Præpositi monasterii S. Maronis in Cælesyria, cui adnexus erat *Exarchatus monasteriorum sanctorum se-* D *cundæ Syriæ,* τῆς μονῆς τῆς ἐξαρχούσης τῶν ἁγίων μοναστηρίων δευτέρας Συρίας. Exarchi itaque monasteriorum visitatores erant, qui ad Patriarchas referrent, aut suapte potestate emendarent, quæ in illis cœnobiis & ecclesiis corrigi oportebat.

Prædia monasteriorum patriarchalium, episcopis ordinariis obnoxia.

X. In Jure Græco-Romano p. 289. synodale decretum exstat Germani II. Patriarchæ Constantinopolitani, quo fertur, prædia, sive loca monasteriis illis patriarchalibus adjacentia ac pertinentia, eorumque colonos quoslibet, ordinariis pagorum in quibus sita E sunt, obnoxia esse, nec ullâ Exarchum patriarchalem in eos auctoritate pollere: quod statutum innovatum etiam fuit post Germani obitum. Atqui non ita pridem, ante Germani tempora, in synodo Constantinopolitana sub Georgio Xiphilino, quum Michaël Limnæ in Pisidia episcopus questus esset, sacerdotes locorum quæ ad patriarchalia monasteria pertinerent, nullam præsulum ordinariorum memoriam in sacris Missarum solenniis, aliisve officiis ecclesiasticis agere, nec

consuetum κανονικὸν, *Canonicum*, sive tributum pendere, sancitum fuit, sola monasteria ab utroque libera esse, dummodò *Stauropegio* Patriarchæ ab initio exstructa essent, non item prædiorum illorum presbyteros.

Jura Stauropegii Michael Palæologus abolere tentat.

XI. Nihilominus Michaël Palæologus Imp. jus illud patriarchale, quod ordinariis locorum nequaquam arridebat, abolere voluit, Joanne Becco Patriarchatu fungente. Quod ut tentaret, Isaaci prorsus metropolitæ Ephesi monitis inductus erat, cui tamquam Patri Spirituali suo morem in omnibus gereret: nimirum, si Georgio Pachymeri credimus, Isaac ille Ephesinus hoc versabat animo, ut circumscripta intra Regiam Urbem patriarchæ Byzantini jurisdictione, Orientem sibi suæque sedi Ephesinæ submitteret, & monasteriorum quæ intra ditionis suæ fines continerentur, aliarumque quarumlibet ecclesiarum curam ordinarii civitatum episcopi in omnibus gererent. Quocirca Michaël Imp. Novellâ datâ, *Stauropegia* proscripsit; qua Lege, ait Pachymeres, *Oecumenici patriarchæ* titulum inscius pulsabat, μηδὲ τοῦτο εἰδότος τοῦ λέγοντος, ὡς κωλύει τὸν πατριάρχην τὸ οἰκουμενικόν. Quamobrem illo defuncto, *Stauropegium* Constantinopolitano episcopo redditum est. Quod colligere licet ex Matthæo Blastare, ad Literam Π. cap. 3. Μόνῳ τῷ πατριάρχῃ Κωνσταντινουπόλεως ἐκ συνηθείας ἐφίεται, inquit, μακρὰ σταυροπήγια διδόναι, καὶ τὴν ἀναφορὰν, καὶ μνήμην τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ ἔχειν, οὐ μόνον ἐν οἷς κέκτηται ἰδίοις χωρίοις, ὁπουδήποτε κειμένοις, καὶ τοῖς ἀκινήτοις κτήμασι τῶν ὑποκειμένων αὐτοῦ μοναστηρίων. *Soli patriarchæ Constantinopolis antiqua consuetudine permittitur ampla Stauropegia concedere, oblationem & commemorationem sui nominis habere, non tantum in propriis suis locis quibuslibet & in immobilibus bonis monasteriorum, quæ ipsi subsunt, &c.* Ubi non negatur eodem jure potiri patriarchas alios, sed metropolitas quosvis Diœcesis ipsius. Rursùm cap. 9. Τῷ δὲ Κωνσταντινουπόλεως προέδρῳ ἔξεστιν καὶ ἐν ταῖς τῶν ἄλλων θρόνων ἐνορίαις, ἐν αἷς ἔστι καθιέρωσις ναῶν, σταυροπήγια διδόναι. *Constantinopolitanus præsul in aliarum sedium ditionibus, ubi nulla præcessit templorum consecratio, Stauropegia potest dare.* Ubi illud videtur innuere quod superiùs observabam ex Macario Ancyrano, Byzantinum episcopum illo *Stauropegii* jure in aliorum quoque patriarcharum Diœcesibus potitum esse. Atqui Blastares circa annum 1335. & quinquagesimum ab obitu Michaëlis Palæologi scribebat, suæque proinde ætatis, non priscæ, morem efferebat. Ac sanè Martinus Crusius in Turco-Græc. lib. IV. epistolas tres recitat sub Hieremia II. Patriarchâ post annum 1575. scriptas, quibus eadem Stauropegii potestas commendatur quâ Byzantini antistites etiamnum fruuntur.

Patriarchæ potestas in omnia prorsùs monasteria.

XII. Rursùs in Jure Græco-Romano lib. II. cap. VIII. ex Theodoro Balsamone edictum affertur Alexii Comneni, quo Patriarchæ jurisdicundi potestas vindicatur in omnia suæ ditionis monasteria, seu illa sæcularibus aliisve personis elocata sint, seu dono concessa (de qua elocatione & donatione posthac alibi dicetur) ut delictum omne aut scelus quod in eis admissum audiverit, ipse per se diaconosve suos emendare possit; quin & eos qui monasteria tenent, cogat ad sarcienda damna quæ evenerint, aut à Beneficiariis istis illata fuerint.

Monasteria Romani Pontificis jurisdictioni subdita Constantinopoli.

XIII. Ut verò Byzantinus Patriarcha Stauropegii illo jure summam in Diœcesis suæ ecclesias potestatem ostentabat, ita Romanorum quoque Pontificum in Byzantinam ipsam Ecclesiam potestas ex eo commendatur, quod intrà ejusdem Regiæ illius Urbis muros ad tempora usque Photii, deincepsque monasterium S. Sergii proprio jure suo tenebat ac gerebat. Id quod quidem Joannes VIII. epist. 251. Basilio Imp. ejusque filiis data, significat. Illis grates agit, quod illud monasterium, *quod Ecclesia Romana jure proprio quondam retinuit, divina inspiratione repleti, pro honore Principis Apostolorum nostro præsulatui restituistis.* Vigilium Papam Justiniani Imp. iram veritum ad S. Sergii Basilicam confugisse tradit Theophanes ad ejusdem Justiniani ann. 20. Domum Placidiæ cum altari quod sanctæ Sedis dicebatur, Romani Pontificis Responsalibus propriam in vita S. Martini Papæ I. legimus. Omitto monasterium Ordinis Benedictini Cluniacensis, quod in suburbio Constantinopolis exstructum erat. Nimirum par erat ut Constantinopoli sua Stauropegia Romanus Pontifex haberet, qui potiori jure Oecumenicus Papa appellandus esset, imo ab ipsismet Orientis episcopis appellatus esset in Chalcedonensi synodo, aliisque deinceps.

Constantinopolitanus alienos clericos & monachos jure admittit & promovet.

XIV. Theodorus Balsamon ad canonem 83. Carthaginensem quo vetatur, ne Episcopus monachum ex alieno monasterio venientem admittat, vel ad clerici gradum promoveat, aut monasterio suo præficiat; ac qui ad hæc officia promotus erit, clero & præfectura amovet; ab hac lege Constantinopolitanum eximit, quemadmodum & Carthaginensem archiepiscopum suum Africani. *Quod fit hodie,* inquit, *monasteriorum præfectis, qui suos ascetas cum literis dimittunt ut in alieno monasterio monachi esse queant, non est, ut mihi videtur, firmum & cautum. Episcopi enim dimissoriis magis opus est illi qui migrare velit, quando episcopis magis subjiciuntur monachi,*

quàm monasteriorum præfectis. Hæc autem locum habebunt in reliquis episcopis, οὐ μὴν καὶ εἰς τὸν πατριάρχην Κωνσταντινουπόλεως, non tamen etiam in Constantinopolis patriarcha. Huic enim, ut sæpè dictum est, fas est clericos & monachos ex alienis territoriis, & illis etiam quæ sedi ipsius non subjiciuntur, accipere: at non perinde Antiocheno & Hierosolymitano aut aliis.

Solus unguentum sacrum in sua Diœcesi conficit.

XV. Quemadmodum Orientis patriarcharum cujuscumque generis sint, ita & Constantinopolitani privilegium est, ut ipse solus in sua Diœcesi Chrisma sanctum conficiat & consecret, ac per omnes suæ ditionis ecclesias distribuat. Hunc porro morem ob multarum Græciæ, Asiæ, & Orientis ecclesiarum inopiam Goarus noster invaluisse putat, quando sacrum illud unguentum non sine magnis expensis pro illarum ritu parari potest. Addit vir doctus, *hoc jus recens invectum non esse, quum longè ante deplorandam Photii divisionem id sibi Patriarchæ reservaverint, atque ipsa Photii historia referat, Bulgaros priùs ab ejus sacerdotibus Chrismate sacrilego tinctos, denuò, vel ritè potius primùm, à Nicolai I. summi Pontificis Legatis confirmatos; eo quod pontificalis juris & potestatis exsors, nec Chrisma consecrandi, nec illud ad exteras provincias mittendi privilegium esset assequutus.*

Vanus Græcorum prætextus circa sacrum unguentum.

XVI. Quando itaque vetusta adeò consuetudo est, ut Constantinopolitani præsules Chrisma sanctum pro omni sua ditione conficiant, non satis capio, unde schismatici Græci acceperint, quod FF. Prædicatores ad illos sæculo decimo tertio medio missi, sibi ab illis privatis in colloquiis dictum scripsere. *Tertiam schismatis causam fuisse, quod quando Legati summi Pontificis ab ipsa sede Apostolica annuatim Constantinopolim Chrisma deferebant, nisi octoginta libræ auri annuatim à clero & Urbis populo, præter alia dona & munuscula eisdem impenderentur, non recedebant.* Quæ tamen in nullis schismaticorum criminationibus quas legi, reperiri permirum est: quod planè certissimum falsitatis argumentum est. Joannicius Bulgarorum Dynasta Innocentio Papæ III. de sua quam narravimus cum Romana Ecclesia reconciliatione scribens, hoc in primis petierat, ut Chrisma fieret ex præcepto suæ Sanctitatis *in sancta & magnâ ecclesiâ civitatis Trinovæ pro baptismate Christianorum. Sciat enim*, inquit, *Sanctitas tua, quod quum sciverint Romani* (Constantinopolitani, qui Romanorum nomine admodum gloriabantur) *quod receperimus consecrationem à Sanctitate tuâ, non dabunt nobis Chrisma.* Ex quibus apertum fit, ne ipsis quidem metropolitis, aut potiorum sedium quamlibet remotiorum episcopis Byzantinos Patriarchas concessisse, ut sanctum unguentum sacrarent.

Non nisi coacta episcoporum synodo Patriarchæ graves causas finiunt.

XVII. Quamlibet præcipua quæque negotia ecclesiarum Constantinopolitanæ Diœcesis ad Patriarcham referrentur; ea tamen, ut jam dictum est, non ipse solus adhibito quorumdam consilio ea finiebat, sed synodo vocatâ metropolitanorum, necnon episcoporum, si qui fortè in Urbe agerent. Ad eam autem synodum spectabant, si quæ Patriarcha ipse contrà regulas admiserat, adeò ut ubi gravius facinus foret, re probata, ab eadem synodo exauctorari deberet, etiam non vocatis aliarum Christiani Orbis, etiam Orientis Patriarchis; quod quidem olim, ne dicam nuperis hisce sæculis, frequentissimè accidisse, Ecclesiasticæ historiæ monumenta sexcenta testantur. Quocirca Leo Allatius lib. 3. de Consens. c. XI. Cyrilli Lucaris Calvinianam Confessionem injuste à Protestantibus Orientali ecclesiæ adscriptam ridet, quando nullo synodico decreto admissa sancitaque fuit. Nihil quippe ratum fixumque apud Græciæ Christianos haberi, nisi in legitima synodo episcoporum tractatum finitumque fuerit. Quando jam satis dictum videtur, de Constantinopolitani Patriarchatûs institutione, accrementis, ac juribus, mea jam refert alia subjicere de Patriarchæ ipsius promotione, insignibus, prærogativis & privilegiis.

CAPUT XVII.

Patriarchæ Constantinopolitani promotionis ritus, illius insignia & prærogativæ.

Singulis ecclesiis episcopi eligendi potestas à temporibus Apostolorum.

I. AB initio Christianæ religionis morem hunc fuisse ab Apostolis sancitum omnes norunt, ut unaquæque Ecclesia Pastorem episcopumve suum eligeret; quæ quidem electio à clero sive Presbyterio fiebat, præsente faventeque populo. Consimili modo perpetuum quoque Byzantini cleri jus fuit ut Patriarcham suum eligerent; cæterùm ob sedis dignitatem usus etiam invaluit, ut suas in illius electione partes haberent

episcopi qui in Urbe agerent, & vicinarum regionum metropolitæ, atque archiepiscopi. Quocirca mortuo vel amoto Patriarchâ, Imperatoris literis, annuente clero, duodecim ad minus Episcoporum synodus cogebatur, ut ecclesiæ de Pastore, ut dicitur, provideretur.

A synodo tres electi, è quibus unum Imperator designaret.

II. Omnem electionis & promotionis Patriarchæ ritum accuratè satis narrant Georgius Codinus lib. de Officiis magnæ Ecclesiæ & aulæ Constatinopolitanæ cap. XX. & Symeon Thessalonicensis, ubi de mysteriis & ritibus Ecclesiæ fusè disputat. Horum longos textus huic tractatui subjungemus. Byzantinâ igitur sede vacante episcopi, clerus & populus unà conveniebant, non in magnâ Ecclesiâ quæ *Verbo divino, Sapientiæ æternæ* dicata erat, quippe quam Episcopo nulli ante novi Patriarchæ promotionem ingredi fas erat, ne vacuam adire sedem videretur: sed in ea quæ Sanctorum Apostolorum dicebatur. Ibi communibus episcoporum, clerique suffragiis, applaudente populo, eligebantur, electionisque instrumentum, quod Μήνυμα dicitur, à duobus Episcopis, magnoque Chartophylace Imperatori ferebatur, ut unum è tribus ipse designaret. Τοῦτο δὲ ἀνεῖται ἄνωθεν, inquit, Symeon, ἀπὸ τῶν πατέρων ὡς κεχρισμένῳ βασιλεῖ, ἡ ἀπὸ τῶν τριῶν ἐκλογή. *Hoc vero à Patribus Imperatori, ut potè sacro unguento delibuto concessum est, ut unum ex tribus eligat.*

Prisca illa consuetudo intermissa.

Quamquam obiter dicendum, aliquantum ante Symeonis ætatem, omissa trium à synodo & populo electione, invaluisse morem, uti Princeps quem vellet Patriarcham renuntiaret. Quocirca Matthæus Cantacuzenus Joannis Cantacuzeni filius, arrepto Imperio, ut episcoporum amorem sibi conciliaret, Callisto I. patriarchæ successorem dandum declarans, pristinum illud jus tres viros eligendi synodo cleroque restituit. Τὴν ἀρχαίαν ἐλευθερίαν ἀποδίδωμι, inquit Joannes ejus parens, ὕστερον, ὡς ἔθος, ἕνα τῶν τριῶν ὑποψηφιοῦμαι.

Quæ intermissionis illius causa.

III. Illius verò ecclesiæ Constantinopolitanæ servitutis, hæc inprimis causa, nec certè alia, fuit, teste Georgio Acropolitâ hist. p. 43. *quod Imperatores ejusmodi habere Patriarchas studebant, qui moribus & ingenio abjectiores essent, suisque jussionibus facilè succumberent; quod rusticioribus, qui loquendi fiduciâ minimè pollent, potissimum accidit: qui vero sapientiam colunt, austeriores habentur, nec decretis studiisque illorum obsistere dubitant.* Eamobrem in Manuëlis Patriarchæ defuncti locum, pro Nicephoro Blemmydâ, qui multorum suffragiis postulabatur, Arsenium à Theodoro Lascari Imp. renuntiatum, subdit, *ineptum prorsùs hominem, Grammaticâ dumtaxat arte instructum.* Similia alia sufdèque habitæ ab Imperatoribus priscæ illius disciplinæ exempla recitare liceret, nisi rem nemini ferè non compertam probare viderer velle.

Electionis Decretum alterum.

IV. Quem igitur Imperator è tribus eligeret, is coram episcoporum, cleri, archimandritarum, cœnobiorum præfectorum, Senatûs & populi conventu post fusas ad Deum preces renuntiationis suæ Decretum à præcipuis senatoribus, qui Principis personam gerebant, accipiebat. Decreti verò hujus quod illi palàm recitabant, hæc forma erat: Ὁ κραταιὸς καὶ ἅγιος ἡμῶν αὐθέντης καὶ βασιλεὺς, καὶ ἡ θεία καὶ ἱερὰ καὶ μεγάλη σύνοδος προσκαλοῦνται τὴν ἁγιωσύνην σου εἰς τὸν ὑψηλότατον θρόνον τοῦ πατριάρχου τῆς Κωνσταντινουπόλεως, μαρτυροῦντες, ὡς οὐχ ὁ βασιλεὺς παρ' ἑαυτοῦ, ἀλλὰ τὰ τῆς συνόδου μετὰ τῆς συνόδου μηνύει, καὶ μόνον ὑπηρετεῖ. *Potens, sanctusque noster Princeps & Imperator, necnon divina & sacra, magnaque synodus Sanctitatem tuam advocant & invitant ad sublimissimum thronum Patriarchatûs Constantinopolis, testificantes, Imperatorem non à seipso, sed quæ synodus decrevit, unà cum synodo renuntiare, eique tantummodo obsecundare.* Quocircà Symeon illos nugari ait, qui Patriarcham ab Imperatoribus creari non sine invidia asserunt; Imperatorem enim suffragia synodi tueri & exsequi dumtaxat, tamquam unctum Domini atque Ecclesiæ defensorem ac ministrum.

Non tantæ olim Imperatoris partes in electione Patriarchæ.

V. Quamquam pristina ætate, quando Ecclesiæ leges accuratiùs custodiebantur, tantæ non erant in Patriarchæ electione Imperatoris partes: ad quam nec vocari episcoporum synodum necessarium prorsus erat; quod perspicuum fit ex Decreto, quo Germanus I. Leone Isauro Imp. in Patriarcham promotus fuit: quod nempè Theophanes integrum in Annalibus ad hunc modum recitat. Ψήφῳ καὶ δοκιμασίᾳ τῶν θεοσεβεστάτων πρεσβυτέρων καὶ διακόνων, καὶ παντὸς τοῦ εὐαγοῦς πλήθους, καὶ τῆς ἱερᾶς συγκλήτου, καὶ τοῦ φιλοχρίστου λαοῦ τῆς θεοφυλάκτου ταύτης καὶ βασιλίδος πόλεως, ἡ θεία χάρις, ἡ πάντοτε τὰ ἀσθενῆ θεραπεύουσα, καὶ τὰ ἐλλείποντα συμπληροῦσα, μετατίθεται Γερμανὸν τὸν ὁσιώτατον μητροπολίτην καὶ πρόεδρον τῆς Κυζικοῦ μητροπόλεως, εἰς ἐπίσκοπον ταύτης τῆς θεοφυλάκτου καὶ βασιλίδος πόλεως. *Calculo & consensu publico religiosissimorum presbyterorum & diaconorum, totiusque sanctæ plebis, tam sacri Senatûs, quam Christi amantis populi hujus custoditæ à Deo regiæque civitatis, Divina gratia quæ ubique infirma sanat, & ea quæ desunt adimplet, Germanum sanctissimum metropolitam Cyzici metropolis ac præsulem, transfert in episcopum hujus custoditæ à Deo ac regiæ civitatis.* Quod tamen decretum ab Imperatore, prout illi allubebat, vel admitti, vel rejici solitum fuisse non inficior.

VI.

Honor electo Patriarchæ exhibendus.

VI. Jam verò, ubi Patriarcha electus quæ viſa eſſent, reſponderat, atque tamdem Decretum admiſerat, ad eum ſtatim epiſcopi clericique omnes ac laïci accedentes procumbebant, atque, ut Symeonis voce utar, adorabant, καὶ προσκυνοῦσιν ἀπονέμουσιν, ὁμοίως κληρικοὶ καὶ λαϊκοί. Tunc ſi pontifex jam conſecratus erat, in throno collocabatur: ſin autem tantummodo preſbyter, primum epiſcopus conſecrabatur, tum deinde throno imponebatur. Sin verò nondum preſbyterii gradum aſſequutus erat, non ante electionis ſuæ Decretum recipiebat, quam ſacerdotio initiatus eſſet.

Ritus promotionis Patriarchæ.

VII. Poſt renuntiationem, Decretive quam diximus recitationem, priuſquàm Electus ordinaretur, vel throno imponeretur, προέλευσις fiebat, ſive *Promotio*, qua Imperator ſignificabat, quo Electum & eccleſiam à quâ electus ille erat, amore & reverentia coleret. Quod quidem miſſis ad illum, ſtatim ab electionis renuntiatione, Mandya, ſive pallio fluviis, faſciiſve candidis rubeiſque adſutis ornato, & Encolpio ſive theca Sanctorum reliquis plena, collo ejus, Crucis pectoralis inſtar, appendenda innuebat. Pedum ſubinde, ſeu baculum paſtoralem aureum lapillis & margaritis diſtinctum, quem Δικανίκιον dicunt, è manibus ipſe Imperatoris accipiebat. Quem quidem morem veterem ſatis fuiſſe Nicephorus Gregoras monet l. 6. hiſt. c. 3. ubi de Gregorii Cyprii in Patriarcham provectione ſcribit: καὶ τὴν ποιμαντικὴν ῥάβδον ἐπὶ τοῦ βασιλικοῦ βήματος, παρὰ τῆς τοῦ βασιλέως εἴληφε χειρὸς, κατὰ τὸ πάλαι κρατῆσαν ἔθος. *Et paſtoralem baculum in Imperatoris ſuggeſtu pro veteri more de manu Imperatoris accepit.*

Promotionis ritus.

VIII. Ceremoniam iſtam Georgius Phranza hoc ordine fieri ſolitam narrat l. 3. hiſt. c. 19. *Sedente*, inquit, *in regio ſolio Imperatore, univerſaque procerum corona nudatis capitibus adſtante, magnus Protopapas palatii benedictionem magnam pronuntiabat, ſubindeque parvam. Tum magnus Domeſticus pſallebat illud:* Ubi enim Regis præſentia, &c. *Deinde,* Gloria, &c. *Tunc ex altero clero Lampadarius:* Et nunc & ſemper, &c. *Itemque:* Rex Cælorum &c. *Quo finito Tropario, ſurgebat Imperator manu dextera pedum tenens, ad eumque Electus accedebat, cujus latus unum Cæſar, vel quivis alter ſecundus ab Imperatore, alterum Heracleæ metropolita, tegebant, terque corpus coram Imperatore inclinans conſueta illum adoratione venerabatur; Imperator verò paulatim attollens pedum aiebat:* Sancta Trinitas, quæ Imperio me donavit, te in Patriarcham eligit novæ Romæ; *ſicque adeò de Imperatoris manu Patriarcha poteſtatem ſumebat, eique gratias agebat.*

A *Deinde chori pſallebant:* Ad multos annos, Domine; *idque tertio; tuncque* ἀπόλυσις, *ſive dimiſſio ſequebatur.* His ita geſtis, Patriarcham electum Imperator equo de ſuis ſtabulis ſella & phaleris regio more magnificè ornato, albis, inquam, aureiſque ſtratoriis tecto donabat; cui ille inſidens, è palatio univerſo procerum ſtipante cœtu, habenas equi Comite primario vice Imperatoris tenente, Imperiique proceribus ſolenni pompa poſt illum equitantibus, in Patriarchalem Baſilicam ducebatur: quem, ſi jam Epiſcopus conſecratus B erat, metropolitæ duo præcipui, ac quidem inprimis Heracleenſis, in ſolio collocabant, epiſcopis & ſacerdotibus accinentibus Ἄξιος, *Dignus:* hancque vocem cantores & alii clerici ter repetebant. Mox ἡ φήμη, *Acclamatio* fiebat; hoc eſt, ut Theſſalonicenſis exponit, *Sacra Chriſti victoris ceremonia,* ſive illud, ὁ Χριστὸς νικᾷ, *Chriſtus vincit.* Sin verò Patriarcha electus epiſcopali nondum ordine pollebat, ab Heracleenſi primum, epiſcopiſque qui aderant, conſecrabatur, ſpecialibus quibuſdam hinc inde ritibus admiſtis, quos C Symeon recitat, ſuoque more interpretari ſatagit. Inprimis autem monet, epiſcopos quidem alios, dum ordinantur, præmiſſa Fidei profeſſione, obedientiam Patriarchæ profiteri, nullam verò ſpondere Patriarcham. *Eccuinam enim ille ſubjiciatur,* inquit, *niſi canonibus! ipſiſque dumtaxat, quorum ſe obſervantem fore pollicetur!* ἐπεὶ καὶ αὐτὸς πατριάρχης χειροτονούμενος ἐστι, τίνι ὑποταγήσεται, ἀλλ' ἢ κανόσι; καὶ μόνον, οὓς καὶ αὐτὸς ὁμολογεῖ φυλάττειν;

Non ſtricto jure Patriarchæ conſecratio ad Heracleenſem epiſc. ſpectat.

IX. Quamvis Conſtantinopolitanum Patriarcham ab Heracleenſi metropolitâ ordiD nari debere, aut Eccleſiæ throno imponi, Byzantini ſcriptores ferant, id tamen de ſtricto jure ſemper factitatum eſſe negant Canonum apud illos interpretes; quippe cui, veteri licet conſuetudini, identidem ab Imperatoribus derogatum eſt, prout illis videbatur. Quocirca Polyeuctum Theophylacti, qui Romani Lecapeni Imp. filius fuerat, ſucceſſorem, à Baſilio Cæſarienſi ordinatum legimus, quum Nicolaus Heracleæ in Conſtantini Imp. quibuſdam de cauſis odium incurriſſet. Heracleenſis porrò inter metropolitas E locum primum minimè tenebat in Patriarchæ ſynodis, ſed tertium dumtaxat poſt Epheſinum, omnibus poſt Patriarcham præeunte Cæſarienſi, qui idcirco Primæ ſedis Diœceſis epiſcopus, ac πρωτόθρονος, *Protothronus* dicebatur. Unde omnium primus in Notitiis metropolita Cæſarienſis legitur, ut & in ſynodorum generalium geſtis, quæ poſt Chalcedonenſem deinceps celebratæ fuerunt. Quinimò in Notitia Andronici Palæologi Imp. Heracleenſis in quintum locum poſt

Nicomediensem & Nicænum relegatur: quæ tamen prisci ordinis inversio diu non permansit, pristinisque suis juribus Heracleensis restitutus fuit. Superius dictum est qua de causa ad Heracleensem archiepiscopum spectet Constantinopolis Patriarchæ ordinatio, quia nempe Byzantina sedes priscis temporibus Heracleensi obnoxia, subjectaque fuit.

Patriarchæ ad Ecclesiam magnam pompa.

X. Ex Symeone Thessalonicensi narravi, Patriarcham, statim atque electioni suæ assensu dato, pastorale pedum de Imperatoris manu accepit, equum egregiè phaleratum conscendere, ac primario Comite, quin ipsomet Imperatoris filio, Imperatoris ipsius vice habenas equi tenente, ad magnam Basilicam deduci. Quod quidem ille fieri ait, ad eum modum, quo quondam Romæ Silvestrum Constantinus ipse deduxerat. Hoc autem modo Patriarchæ promotionem peragi subdit, *ad Ecclesiæ honorem qui ad Christum refertur.* Atqui officio isto Michaelem Palæologum erga Arsenium patriarcham esse functum, dum magnus Dux erat, juniorisque Imperatoris curator, narrat Pachymeres l. 1. c. 26. Verum iste ritus tunc temporis omninò recens erat; nam Joannes Cinnamus lib. 5. n. 20. Romano Papæ crimini vertit, quod is qui Occidentalis Imperii majestatem tenet, illi solenniter equitanti, habenas equisonis instar tenendo, indignè circumcursaret, ὁ μὲν γὰρ τοῦ τῆς βασιλείας ἐπεμβαίνων μεγαλείῳ, ἀναξίως αὐτοῦ ἱππευσαμένῳ, πεζῇ τῷ ἀρχιερεῖ παραθέει, καὶ ὅσα καὶ ἱπποκόμος αὐτοῦ γίνεται. Si enim ea pompa quam Thessalonicensis describit, Byzantinus antistes Cinnami ævo deduci consueverat, nequaquam hunc vitio daturum fuisse reor honorem, quem occidui tractûs Principes atque Imperatores Romano Papæ Christi causa præstare non dedignabantur.

Investiturarum origo Græcis & Latinis.

XI. Quemadmodum autem Constantinopolitanus Imperator Patriarchæ recens electo, quin etiam, episcopis nuper consecratis, dum ab eis salutabatur, pastorale pedum, quod Δικάνικον vocant, in manus tradebat; sic Germaniæ quoque Imperatoribus in more aliquando fuit, ut baculi pastoralis & annuli traditione ditionis ipsorum episcopi renuntiarentur; quam ceremoniam *Investituram* appellabant. Quod in causa fuit, cur, veluti Græcis nonnullis, ita & Latinis plerisque visum sit, utriusque tractûs Principes, ejusmodi ritibus significasse, sibi potestatem adesse episcopos pontificia auctoritate & jurisdictione donandi. Planè baculus ille pastoralis regiminis signum tesseraque est: id quod Græci præsules palàm in Octava synodo generali testati sunt, pastorale pedum, quod Photius in Concilii locum ingressus coram illis gestabat, ex ejus manibus auferendum inclamantes, βακτηρεῖόν ἐστι σημεῖον ἀξίας ποιμαντικῆς. Ex quo apparet, non sic absurdas Romanorum Pontificum querimonias fuisse, quibus videbatur baculi pastoralis & annuli porrectione spiritualem pascendarum Christi ovium potestatem à laïco Principe conferri. Id enimvero Henricus V. Imperator in Wormaciensi Ordinum Imperii conventu, moxque in Bambergensi anno 1122. ultrò verum esse agnovit, ac subinde ratum habitum est in Concilio Lateranensi secundo. Alioqui verò ex his quæ dicta sunt colligitur Imperatores Græcos illa ceremonia (quidquid sibi velit Symeon Thessalonicensis) viam sibi paravisse ad summam illam potestatem, quam in Christi Ecclesiam suosque patriarchas exercuerunt.

Insignia Constantinopolis Patriarchæ.

XII. Theodorus Balsamon in expositione II. canonis XXVIII. Chalcedonensis observat, à quibusdam existimatum esse, canonem istum, quo Constantinopolitano Episcopo privilegia eadem assignabantur quibus Romanus gaudebat, antiquatum ideo fuisse, quod caput ejus Imperatorio diademate non cingitur, quod Imperiali sceptro non utitur, nec cum signis vexillisque regiis graditur, nec alia supremæ Majestatis ornamenta præfert, quod purpureis vestibus non induitur, & nec eo apparatu equitat, qui in decreto fertur, quod à sancto magnoque Constantino Silvestro Papæ Romano, ejusque successoribus concessum est. Se verò desiderare subdit, ut pote qui Constantinopolis sit civis, Constantinopolitanoque throno addictus, ut illius Urbis Archiepiscopus, citra tamen ullum offendiculum, privilegiis omnibus potiatur, quibus per divinos canones auctus fuit. Cæterum idem auctor in Meditatis suis (lib. VIII. Jur. Græco-Rom.) ubi Patriarcharum, maximèque Byzantini, insignia describit, hoc primum affert, quod intra Diœcesis suæ fines lampades, seu faces ardentes duæ illi in publicum procedenti præferrentur perinde atque Imperatori, hoc uno discrimine, quod Imperatoriæ faces binis corollis auratis ornarentur, una vero dumtaxat Patriarchales, velut & illæ quæ Imperatrici præibant. Quamquam fatetur, Bulgariæ & Cypri Archiepiscopos, ut pote αὐτοκεφάλοις, hoc idem sibi honoris insigne suis in ditionibus vindicasse. Similiter quum baculum, *Saccum* sive *Sagum* πολυσταύριον, nec non στιχάριον διὰ γαμμάτων, id est tunicam signo Crucis literis *Gamma* Γ conjunctis efformato aspersam, patriarchalem dumtaxat sanctitatem exornare scribat, idemque rursùm asseveret in Resp. 37. ad Marci Alexandrini quæstiones; attamen ex variis Græcorum monumentis explorata res est,

ejuſmodi indumenta metropolitis & Archiepiſcopis communia eſſe. De quo legendus Goarus noſter in Annotationibus ad Euchologium Græcorum pag. 113. col. 1.

Saccus præcipuorum Pontificum indumentum.

XIII. Enimverò ex Demetrii Chomateni Bulgariæ Archiepiſcopi reſponſione 3. ad Conſtantini Cabaſilæ quæſita, p. 318. Juris Græco-Rom. ſuperioris ordinis pontifices *Saccum* quoque induunt, in potioribus ſolennitatibus, Paſchæ ſcilicet, Pentecoſtes, Natalis Domini, Epiphaniæ, at non purpureum. Purpureis ſiquidem veſtibus ſacris non utuntur Græci, niſi in diebus jejunii & memoriis defunctorum, iiſque minime clavatis, aut fluviis, quos vocant, ullove aliomodo variegatis.

Qui Græcis *Saccus*.

XIV. Quod porrò *Saccum* dicunt, vel plane *Sagum*, colobii prælongi Dalmaticæ inſtar genus quoddam eſt, vetus plane epiſcoporum indumentum, cujus mentio eſt in epiſtola quæ Pii Papæ I. nomen præfert ad Juſtum Viennenſem: verane illa ſit, an ſubjectitia ſit, parum refert, quando ex illa conſtat, octavo, nonoque ſæculo ſaltem inter priſca pontificum ornamenta colobium cenſitum fuiſſe. *Tu verò*, inquit, *apud Senatoriam Viennam ejus loco à fratribus conſtitutus, & Colobio epiſcoporum veſtitus, &c.* Veteres Imperatores Sagos identidem geſtaſſe hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores produnt; quin ejuſmodi veſtem præcipuam Byzantinorum fuiſſe certum eſt, qua Patriarchas quoque ſuos ornari voluerunt.

Nova alia Patriarchæ ornamenta.

XV. Sub Joanne Palæologo I. Imp. Apocaucus Joannis Cantacuzeni æmulus, Joannem Aprenum Patriarcham demulcens, ut ad ſuas partes traheret, ei inprimis ſuggeſſit, ut dignitatem pontificalem ſuam novis honoribus augere ſtuderet; ut non atramento, ſed cyaneo colore diplomatis literiſque ſuis ſubſcriberet, capitis tegmen laneum in ſericum auro intextum mutaret, nec conſuetis calceis, ſed coccineis uteretur. Μήτ᾽ ἐν ὑπογραφαῖς, μήτ᾽ ἐν καλύπτρᾳ κεφαλῆς ἕπεσθαι τοῖς παλαιοῖς ἐθισμοῖς, μήθ᾽ ὑποδήμασι τοῖς οἰκείοις κεχρῆσθαι, ἀλλ᾽ ἐρυθροῖς μὲν αὐτοῖς, σηρικοῖς δὲ, καὶ χρυσοῖς τὴν κεφαλὴν ὑφάσμασι κεχρῆσθαι· χρώματι δὲ ὑακινθίνῳ τὰς τῶν ἐπιστολῶν τε καὶ ψηφισμάτων ἐγχαράττειν ἐπισημασίας· Quod narrat Gregoras lib. XIV. cap. III. Quocirca Cantacuzenus lib. 3. cap. 36. ubi de Joannis ejuſdem Palæologi Imp. coronatione agit, Patriarcham Joannem auguſtiori prodiiſſe apparatu refert, ad ſubſcriptiones cyaneum cerulæumve colorem adhibuiſſe, capitis tegmen, quod Patriarchæ ſuperiores, qui de monaſtico ordine aſſumti non eſſent, geſtare priùs conſueverant, linteo albo conſtans, auro ornaſſe adjectis acupictis imaginibus

A Salvatoris, genitriciſque ejus, Joannis-Baptiſtæ. Cauſabatur Apocaucus Conſtantinopolim à Conſtantino magno fundatam, tranſlatoſque ad eam unà cum Imperio veteris Romæ honores, ita quoque ad illius Urbis eccleſiam Romanæ Eccleſiæ honores & prærogativas quas patriarchæ Joannis deceſſores neglexerant. His ſuggeſtionibus Joannes morem geſſit, ut tegmen iſtiuſmodi auro intextum & acupictum capiti apponeret, hyacinthinoque colore nomen ſuum diplomatis ſubſcriberet. Cæterùm à calceis cocci-

B neis conſultò abſtinuit, ob novitatis inſolentiam, διὰ τὸ τῆς καινότητος ἔθος. Sperabat tamen, duobus illis prioribus ſibi aſſertis, tertium quoque ſibi facile indultum iri. Hæc verò illi malè ceſſerunt, ait Gregoras, ut, quum honeſtam illam & optime conſtitutam auctoritatem cujus erat compos, ad contrarias regulas torqueret, eo etiam exciderit, quod aſſequi peroptabat, quin & ipſomet Patriarchatu; ut qui Dominus & paſtor eſſet, nihil ſubinde à mancipio diſcreparet.

Patriarchalis mitra, ſive tiara.

XVI. Illo quidem de quo mox dixi, ca-

C pitis tegmine aureis figuris intertexto Patriarchæ utebantur, dum in publicum prodibant: verum in eccleſia pileum oblongum geſtabant, qualis deſcribitur in imaginibus quæ in multis Byzantinæ hiſtoriæ Regiæ Typographiæ voluminibus Patriarcham in Florentino Concilio ſedentem repræſentant. Altero autem capitis tegmine Patriarcham à Turcorum Sultano donatum fuiſſe ſuo loco narrabimus. Hoc nempe poſteriori ævo in eccleſiis aurea corona, Imperatoriæ ſimili, ſive cidari, operiuntur, quam Doſitheus Hie-

D roſolymitanus lib. XI. hiſt. Patriarcharum Hieroſolymitanorum pag. 1195. deſcribit, ubi narrat quæ Paiſius nuperorum deceſſorum ſuorum unus, ſimilis coronæ quoque ſuæ, quam in ſarcinis habebat, cauſa, à Turcorum proceribus toleraverit; quippe qui putarent illam Moſchorum Imperatoris regiam coronam eſſe. Re ad Sultanum delata, & probe cognita, conceſſum tamdem eſt patriarchæ illi, ut ea ornaretur. Atqui cidaris, ille utique pileolus Patriarchalis erat, quem Joannes Leunclavius in Pandecte hiſt. Turc.

E p. 132. Theolepti Patriarchæ Conſtantinopolitani capiti dum inaugureretur, à Silveſtro Alexandrino & Michaële Antiocheno narrat impoſitum die x. Martii 1585. Hoc utique capitis ornamento, Papalis Tiaræ Byzantini antiſtites ſimilitudinem ambierunt, quod ipſis ab Imperatoribus conceſſum pene dixiſſem. Obiter addam, jampridem Patriarchas Alexandrinos mitram geſtare ſolitos, epiſcoporum noſtrorum mitræ ſimilem, qua Cyrillum magnum à Cæleſtino Papa tempore Concilii

PATRIARCHATUS

Ephesini donatum jactant: de quo legendus Balsamon in *Meditatis*.

Michael Cerularius coccineos calceos gestare proposuit.

XVI. Quod calceos coccineos spectat, quos Apocaucus à Joanne Apreno assumi suadebat, Joannes Scylitzes Curopalata, Cedrenus, & alii Græciæ scriptores tradunt, Michaelem Cerularium Patriarcham, ut se Romano Papæ omni modo parem ostentaret, coccineos quoque calceos usurpare voluisse, veteris sacerdotii (Judaïci utique) morem fuisse obtendendo tales gestare: nihil quippe sacerdotium inter ac regnum esse discriminis; quin sacerdotium potiore forsan honore habendum. Quia verò è præcipuis Imperatorum ornamentis & insigniis hoc unum erat, ut rubris calceis uterentur, in quibus aquilæ opere Phrygio pictæ essent; hic Cerularii Patriarchæ ambitus, in causa fuit cur ab Isaacio Comneno Imp. Byzantinâ sede deturbatus sit. Id quod nempe Balsamon etiam in Nomo-canonem Photii tit. 8. c. 1. his verbis innuit: *Quia autem secunda synodus*, inquit, *Archiepiscopo Constantinopolis omnia Papæ Romani privilegia attribuit*, ἐπεχείρησαν τινὲς τῶν πατριαρχῶν, ὡς ὁ Κηρούλλας ἐκεῖνος καὶ κύριος Μιχαὴλ, καὶ ἕτερός τις τοῖς αὐτοῖς ἀποσεμνύνεσθαι προνομίοις· οὐ γέγονε δὲ αὐτοῖς εἰς καλὸν ἡ ἐπιχείρησις, *conati sunt Patriarchæ quidam, velut ille Cerullas Dominus Michael & alter etiam, eadem sibi privilegia arrogare: hoc vero cœptum eis male cessit.*

Constantinopolitanæ ecclesiæ clericorum quorumdam insignia, prærogativæ.

XVII. Atqui Balsamon idem subdit, Constantinopolitanæ ecclesiæ clericos honoribus augeri vetitum non esse, eorum verò dignitates integras non esse, sed mutilas. Cæterum jus habet Chartophylax, inquit, equitandi in SS. Notariorum solennitate equo patriarchali, cum albo linteamine, capitis scilicet tegmento, ὡς Καρδιναρίου πατριαρχικοῦ, σκέπεσθαι μετὰ χρυσῆς τιάρας, ἥτις καὶ ἐν χαρτοφυλακίῳ ἀπόκειται, *ut pote Cardinalis Patriarchalis, aureaque illa tiara tegi, quæ in Chartophylacio servatur.* Sic sæquioris ætatis Græci clericos qui suo Patriarchæ proxime adstant, *Cardinales* appellare non dubitarunt, propter insigne S. Romanæ Ecclesiæ collegium. Priscum autem Chartophylacis sive Chartularii privilegium fuit, ut, tametsi ille vel Diaconus dumtaxat esset, post Patriarcham tamen ante episcopos & metropolitas omnes sederet; quod quidem illi ab Alexio Comneno Imperatore Novella speciali concessum est, quæ exstat lib. 2. Jur. Græco-Rom. p. 145. Quamquam Balsamon Meditato II. hanc Chartophylacis prærogativam longa consuetudine non scripta illi constitisse asserit; alioqui verò Chartophylax quartus dumtaxat ordine censebatur inter præcipuos Patriarchæ officiales, cui præirent Magnus Oeconomus, Magnus Sacellarius, Magnus Scevophylax. Interim verò Patriarchæ Syncello, quamlibet metropolita esset, ante metropolitas alios, quorum primus erat Cæsariensis, minimè sedere fas erat. Nam quum Romanus Argyrus Imp. Cyriacum Ephesi, Demetrium Cyzici, Michaëlem Euchaïtorum, & Joannem presbyterum syncellos creasset, die sancto Pentecostes, tumultu magno reliqui metropolitæ repugnarunt, ne prima illi loca in consessu tenerent, dum divina Liturgia agenda esset. Ἐγένετο δὲ κατὰ τὴν ἡμέραν τῆς ἁγίας Πεντηκοστῆς ταραχὴ διὰ τὴν καθέδραν ἐν τῇ λειτουργίᾳ, μὴ καταδεξαμένων τῶν μητροπολιτῶν προκαθίσαι αὐτῶν τοὺς συγκέλλους. Quæ quidem narrat post Scylitzen Cedrenus.

Presbyteri & clerici Ecclesiæ CP.

XVIII. Presbyterorum & clericorum Magnæ Ecclesiæ, qui Byzantino Patriarchæ adsistunt, numerum, ac singulorum officia variis ex codicibus recensita nobis exhibet Georgius Codinus, in libro *de Officialibus Palatii Constantinopolitani & magnæ Ecclesiæ*, quem noster Jacobus Goar rerum Græcorum quam qui maxime peritus, eruditis annotationibus in editione Regia Parisiensi illustravit. De illis etiam idiomate Græco vulgari nuper scripsit præstantissimus, nec sine laude mihi nominandus, Hierosolymorum hodiernus Patriarcha Chrysanthus, libro περὶ τῶν ὀφφικίων. Quo demum quisque illorum ordine Patriarchæ & Ecclesiæ ministrent, & assideant, Leo Allatius strictim recitat lib. 3. de perpet. consens. c. VIII. n. VI. quem hic juvat exscribere.

Singulorum ordo & officia.

XIX. Patriarcha nunc quoque sua officia habet & dignitates, quas ipse ad libitum donat, & à quibus in rebus Ecclesiæ curandis adjuvatur, & dum Patriarchalia exercet ipsi assident. Nos ordine quo sedent recensebimus. Ex parte dextra, *Magnus Oeconomus, Magnus Sacellarius, Magnus Scevophylax, Chartophylax, Sacellarius, Protonotarius, Castrensis, Referendarius, Logotheta, Commentariorum scriptor, Protecdicus, Hieromnemon. A genibus, Hypomimnescon*, * *Magister.* Ex sinistra. *Protopapas, Deutereuon, Præfectus ecclesiis, Exarchus, Exdici* duo, *Domestici* duo, *Laosynactæ* duo, *Primicerii* duo, *Protopsalta, Deputatus. Magnus Archidiaconus, & Diaconorum secundus* sunt officia tantum, non dignitates. Hæc vero officia & dignitates Magnæ Ecclesiæ ad antistitis tantum ministerium factæ sunt, necnon ad causas decernendas eorum qui in sæculo vivunt, Quid alio atque alio tempore nomina hæc significarent, & cuinam addicerentur ministerio, alii ante me ex antiquorum penu exposuerunt. Quum verò non tantum nomina, sed ministeria quoque sæpius immutata sint, & in dies mutentur, ipse præsens tantum, &

* *Ex Codino tres olim Magistri erant, Evangelii, Apostoli & Psalterii.*

» quod nunc in usu est breviter aperiam; quamvis certus sim illud quoque non multo post pro libidine antistitum immutandum.

Singulorum ministeria.

» Magnus Oeconomus à dextris sacræ mensæ astat, quum Antistes sacrum facit, reddituum & expensarum episcopalium rationem habet, & reliquæ supellectilis & possessionum curam gerit, notatque res omnes quæ ad episcopatum veniunt, bisque in anno Antistiti rerum administratarum rationem reddit. Judiciis quoque deservit; à morte etiam Episcopi, quoad alius suffectus fuerit, episcopatûs res administrat, primusque suffragium in eligendo episcopo dat, & quæ ex episcopatu aliis suggerenda sunt, distribuit.

» Magnus Sacellarius à sinistra parte sacræ mensæ stat, judiciis operam navat, & promovendum ad sacerdotium defert.

» Magnus Scevophylax, quum sacrum Antistes facit, ante Scevophylacium stat, si quid ex Scevophylacio opus fuerit, sive vas, sive liber, sive candelæ, sive vestis, sive aliud exhibet, cujus ipse curam gerit, ut & ejus in quo suppellex Ecclesiæ conservatur. Sub ejusdem etiam cura sunt ecclesiæ præsulibus orbatæ, & res earum sacræ omnes. Judiciis etiam incumbit, & ut sua quisque in Ecclesia habeat, procurat.

» Chartophylax, in sacra communione ipse dicit, *Sacerdoti accedite, &c.* & suffragia pro Episcopo ad antistites defert, & personam induens Antistitis in omnibus causis sententiam dicit: recognoscit matrimoniales omnes controversias.

» Sacellarius servit primæ dignitatum Pentadi, & episcopatum custodit.

» Protonotarius in Ecclesia Antistiti ministrat, tenensque atramentarium, stat ante ipsum, & si quid scripto opus fuerit, scribit. Scribit præterea ordinationes, manumissiones, edicta, & similia.

» Castrensis, vestes Præsulis mutat, gestat thuribulum & velum quo sancta teguntur, dum canitur hymnus Triadicus: jura & dignitatem Antistitis tuetur.

» Referendarius mittitur ad Principes & in dignitate constitutos viros, quibus omnia significat quæ jusserit Antistes.

» Logotheta habet in facultate sigillum Antistitis, quo epistolas signat.

» Hypomnematographus suffragia episcoporum notat, scribitque quidquid illi præceperit Antistes: servit secundæ Pentadi.

» Protecdicus ex persona antistitis causas, sed parvi momenti, quæ ad Episcopum pertinent, cum duobus Ecdicis audit & decernit.

» Qui à genibus est, quum Antistes sacrum facit, gestat Supergenuale illius.

» Hypomimnescon supplicationes & monita accipit quæ in Ecclesia deferuntur, atque Antistiti suggerit. «

Hieromnemon in propria facultate habet Breviculum quo minores moduli continentur, & Contacium Ecclesiæ in quo continentur ordinationum ritus. «

Magister interpretatur Evangelium, si tantum virium habeat, & Psalterium, & servit tertiæ Pentadi «

A sinistris verò Protopapas, quum Antistes Missam celebrat; super omnes Ecclesiæ principes locum habet, & in sacra Missa Antistiti sacram communionem impertitur; similiter & Episcopus primo sacerdoti (Protopapæ) Primas etiam obtinet in privilegiis Ecclesiæ, & in Ecclesia locum habet Antistitis. «

Deutereuon, quum abest Protopapas, ipse locum ejus occupat. «

Præfectus ecclesiis notat Antimensia & Stauropegia. «

Exarchus quærit si causa quæ judicata est in Ecclesia, rectè sit judicata. «

Ecdici duo cum Protecdico causas non ita graves decernunt. «

Domestici ex utraque parte stant & canunt cum Protopsaltâ. «

Laosynactæ diaconos congregant & intimant ne quis ex ipsis absit; convocant & Principes & populum ad Ecclesiam. «

Primicerii locum habent super diaconos, & cum Protopsaltâ concinunt. «

Protopsalta in medio ecclesiæ stat, & cantum exorditur; eum sequuntur Domestici & Primicerii. «

Deputatus Principes ad Antistitem accersit, semovetque populum in itinere ne viam impediat. «

Et hæc sunt officia & dignitates magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, à qua etiam in alias metropoles & episcopatus, saltem majore sui parte, &, ut loci amplitudo patitur, influxerunt. Ne ipse nimius sim, quærat ista lector ab aliis. «

Hucusque Allatius, qui lectorem monitum voluit, hinc inde dignitates illas & officia pro temporum ratione ab iis discrepasse, quæ Codinus & alii Byzantini scriptores identidem de Magnæ Ecclesiæ officiis descripsere; de quibus proinde nihil certi statui valeat. Una cum Officiorum illorum serie quam Georgius Codinus descripsit, eorumdem catalogos tres Goarus noster edidit, inter se diversos, duos ex Biblitheca Regia, tertium ex codice Mazarineo, nunc etiam Regio, quos studiosus lector consulat cum viri doctissimi exquisitissimis Annotationibus.

Imperatores à Patriarcha inaugurabantur.

XX. Hic non omittam Constantinopolitani Patriarchæ privilegium hoc fuisse, ut Principem Imperii coronâ redimiret. Quocirca

Georgius Acropolita in Hiſtoria N.° 53. narrat, Theodorum Ducam juniorem, qui ſummam rerum, non coronam capeſſiverat, hominem ſacerdotio dignum quæſiviſſe, quem in Manuëlis Patriarchæ defuncti locum ſufficeret, & à quo Imperii diadema acciperet, ἵν᾽ ἐπὶ τῷ βασιλεῖ τὴν στεφηφορείαν ἐν τῷ ἱερῷ τελεσιουργήσῃ τεμένει. Superiùs nempe dicebam, Byzantina ſede vacante, epiſcoporum nemini fas fuiſſe magnam Sophiæ divinæ Eccleſiam adire; unde neceſſarium prorſus erat ut Patriarcha à juniore Imperatore deſignaretur, à quo ille de more ſacraretur.

Ipſi quoque Latini Imperatores CP.i

XXI. Quapropter priſcum iſtud Imperatorem inaugurandi jus Latini quoque Patriarchæ ſibi vindicarunt, quum Urbs Regia Conſtantinopolis in Francorum poteſtatem veniſſet, ne quidquam de ſedis illius juribus hac reipublicæ mutatione detractum videretur. Quocirca Honorius Papa III. qui Romæ Petrum Antiſſiodorenſem Imp. coronaverat, Thomæ Mauroceno Patriarchæ factum excuſare non dubitavit, data illi epiſtola, qua aiebat: *Nos, licet id pluries denegaſſemus eiſdem, ne quis poſſet de ſuperfluo ſuſpicari, quod in eccleſiæ Conſtantinopolitanæ præjudicium faceremus; quia fingebatur à multis, ne, ſi ibi à nobis confuſus abſcederet, non ſolum ſibi, ſed univerſo Imperio grave diſpendium immineret; condeſcendentes tamdem, ipſos ſine tuo vel alterius præjudicio vel contemtu, in Eccleſia B. Laurentii foris muros Urbis duximus ſolenniter coronandos.*

Quo id ritu fieret.

XXII. Præcipua olim in Imperatoris inauguratione ceremonia erat, ut Patriarcha Principi manus primùm imponeret: quo quidem ritu Juſtinianum ſeniorem ab Epiphanio Patriarcha inauguratum legimus in vita S. Sabbæ archimandritæ, quæ ab ejus diſcipulo Cyrillo conſcripta eſt: Τριῶν δὲ χρόνων διαγενομένων, ὁ Ῥωμαίων βασιλεὺς Ἰουστῖνος, πρεσβύτης ὢν, καὶ ἀῤῥωστίᾳ σωματικῇ κατεχόμενος, ψήφῳ Θεοῦ καὶ συναινέσει πάσης τῆς συγκλήτου βουλῆς, Ἐπιφανίου ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως ἐπιθέντος τὰς χεῖρας, προβάλλεται εἰς τὴν βασιλείαν Ἰουστινιανὸν τὸν θεοφύλακτον ἡμῶν βασιλέα. *Triennio tranſacto Juſtinus, affectæ jam ætatis, & adverſa valetudine utens, divino calculo, totiuſque Senatus annuente concilio, Epiphanio archiepiſcopo Conſtantinopolis manus imponente, ad Imperium provehit Juſtinianum cuſtoditum à Deo Imperatorem, qui fratris ipſius filius erat, Patricius & Conſul, atque exercitus Dux & prætor.*

Unctio adhibita.

XXIII. Tunc porro impoſitionem illam manuum, unctionis inſtar fuiſſe nullus dubito, quando Græci Doctores ſancti, Nazianzenus & alii epiſcopalem ipſam manuum impoſitionem quæ in ſacris ordinationibus

A adhibetur, unctionem diſertè vocant. Verum ſubſequutis temporibus ſacrum quoque unguentum Imperatorum capitibus infuſum eſſe Codinus teſtatur l. *de Officialibus*, c. 17. n. XVII XVIII. *Divina Liturgia dum peragitur*, inquit, *ante Triſagium hymnum è Sanctuario Patriarcha egreditur, & aſcendit in ambonem, unaque cum illo digniores è ſacris Eccleſiæ proceribus amicti ſtolis. Tum per templum omne, magno facto ſilentio, Patriarcha Imperatores* (ſeniorem ſcilicet, ſi in vivis eſt ſuperſtes, & qui recèns deſignatus eſt) *ac-* B *cerſit, qui in ambonem quoque ad Patriarcham vadunt. His præſentibus, Patriarcha inſtitutas ad Imperatorum unctionem preces legit, partim ſubmiſſa, partim alta voce. Supplicat apud Deum pro eo qui in Imperatorem eſt inungendus, eumque illi propitium reddere contendit. Tum novus Imperator capitis tegmen deponit, qualecumque illud ſit, & quotquot in Templo reperiuntur, nudatis capitibus adſunt.* ὁ δὲ πατριάρχης χρίει σταυροειδῶς τὴν κεφαλὴν τοῦ βασιλέως τῷ θείῳ μύρῳ. *Patriarcha verò Imperatoris caput unguento divino in Crucis modum* C *inungit, clara voce accinens*, Ἅγιος, Sanctus. *Similiter reliqua populi multitudo eamdem vocem reſonant.* Neque verò mihi ſolus unctionis hujus teſtis eſt Codinus, ſed Symeon quoque Theſſalonicenſis. Μετὰ τὴν προσευχήν, ait, τῇ κεφαλῇ αὐτοῦ σταυροειδῶς ἐκχέει τὸ μύρον, δεικνὺς ὡς Χριστὸς αὐτὸν ἔχρισεν. *In Crucis figuram unguentum capiti infundit, oſtendens eum à Chriſto inunctum.* Quocirca perperam à Græculis aliis vitio olim Latinis verſum eſt, quod apud illos reges & Imperatores inungantur, ceu ritu Judaïco. Quin etiam eo uſque nugati D ſunt, ut aſſererent Carolum Magnum ejuſque ſucceſſores à capite ad pedes à Pontificibus inunctum eſſe. Neſciebant illi Romano more Regum unctionem in capite non fieri, ſed in brachio dextro, non ſacro Chriſmate, ſed oleo Catechumenorum. Reges Galliæ unguento ſacro capite unguntur, quem morem Angli à nobis acceperunt. Nec mihi dubium eſt, quin unctionem ſacram Imperatores Græci adhiberi ſibi voluerint, qualem Carolum magnum, quin & Imperatores Francos in ſua inauguratione arripere ſolitos audierant.

Fidei profeſſio Patriarchæ danda.

E XXIV. Codinus addit, illum qui ad Imperium aſſumitur, Fidei profeſſionem ſua manu ſcriptam ſubſcriptamque Patriarchæ, ejuſque ſynodo tradere, adjectis ſacramentis, quibus ſe legum divinarum & humanarum obſervantem fore ſpondeat. Sic Anaſtaſius Imperator legitur non priùs ab Euphemio Patriarchâ ad ſummam rerum provectus, quam data ſcripto pollicitatione nihil ſe contra Fidem in Chalcedonenſi Concilio ſancitam & Eccleſiæ ſtatum moliturum. Cui

conditioni, Ariadne conjuge & Senatu suadentibus urgentibusque annuens, coronam obtinuit, ait Theophanes: βιαζομένης δὲ αὐτὸν τῆς βασιλίδος Ἀριάδνης καὶ τῆς συγκλήτου, ἔλαβεν αὐτοῦ τὸ ἰδιόχειρον, ὡς ἀποδέχεται εἰς ὅρον πίστεως τὰ δόγματα τῆς ἐν Χαλκηδόνι συνόδου· καὶ οὕτω στεφθεὶς ὑπ' αὐτοῦ, Ἀριάδνην ἄγεται εἰς γάμον. Quamquam confessionem istam suam, quam Euphemius apud se tenebat, post triennium ab eo illata vi abstulit, ut Chalcedonensis Fidei professores liberiùs insectaretur. Patriarchas alios similes confessiones ab Imperatoribus quibus coronam imponebant, exegisse, Byzantini scriptores sæpè narrant, quos Goarus in Annotationibus ad Codinum recenset. Ad hæc, Fidei formula à novo Imperatore recitatâ, Patriarcha clypei, quo ille in altum tollebatur, anteriorem partem una cum parentibus cognatisve illius, nec non Imperatore seniore, si superstes esset, manibus quoque suis tenebat. Demum stemma regium sive coronam illius capiti, unà cum seniore illo Imperatore, aut, si nullus erat, Patriarcha solus, in ambone statim unctione factâ apponebat, clara voce insonans, Ἄξιος, *Dignus*.

Marcianus Imperatorum primus coram Patriarchâ coronatus.

XXV. Atqui Marcianus Imp. omnium primus Patriarcham accersivisse legitur, ut eo adstante ac Senatu Imperii coronam acciperet. Quum enim, ait Theophanes, Pulcheria Augusta sponsum illum ducere nollet nisi ab eo servandæ sibi virginitatis fidem obtineret; id ille se facturum spopondit, atque Patriarcha Anatolius, Senatusque advocati, rem totam, illum in Imperatorem provehendo coronandoque, sanxerunt. τοῦ δὲ συνθεμένου τοῦτο ποιεῖν, μετακαλεῖται τὸν Πατριάρχην καὶ τὴν σύγκλητον, καὶ ἀναγορεύει αὐτὸν βασιλέα Ῥωμαίων. Leonem I. Marciani proximum successorem ab eodem Anatolio Imperii coronâ redimitum testatur idem Theophanes: id quod subinde ab aliis deinceps regiæ Urbis Archiepiscopis vulgò factitatum fuit. Quinimò subsequutis temporibus, neque majores Imperii infulæ aut dignitates ulli cuipiam apud Byzantinos tribuebantur, nisi

A fusis coram illis à Patriarcha ad Deum precibus; quæ singulæ legi possunt in Euchologio Græcorum.

Non tamen omnes prorsus deinceps ab Urbis Patriarchis.

XXVI. Non tamen tacendum, aliquando contigisse, ut Byzantini Principes ab aliarum sedium Patriarchis coronari maluerint. Sic nempe Nicephorus Botaniates, nihil reclamante, imo statim approbante Cosmâ Constantinopolitano, ab Æmiliano Antiocheno Imperii stemma accepit. Sæculo decimoquarto medio Matthæus Cantacuzenus Joannis Cantacuzeni filius à Lazaro Hierosolymitano inauguratus fuit; quam tamen ob causam Lazarus à Joanne XIII. Patriarcha CP. anathemati supponi meruit. Thomam omitto, tyrannum illum qui Antiochiæ ab illius urbis Patriarcha Job adversus Michaelem Rangabum Imperii stemmate ornatus fuit. Georgius Logotheta narrat quoque Theodorum Comnenum impunè fuisse coronatum à Bulgariæ archiepiscopo Achridano. Ὁ δὲ Βουλγαρίας ἀρχιεπίσκοπος τὸ βασιλικὸν αὐτῷ περιτίθησι σχῆμα καὶ διάδημα, ὡς ἔφασκεν, αὐτόνομος ὢν, καὶ μηδενὶ εὐθύνας ὀφείλων διδόναι, καὶ διὰ τοῦτο ἔχειν ἐξουσίαν βασιλέα στέφειν. *Achridanus vero Bulgariæ Archiepiscopus regium illi ornatum & coronam imponit; quippe qui se sui juris esse, ac nemini subditum dicebat, nec teneri cuiquam facti pœnas dare, summaque adeo coronandi Principis potestate pollere.* Jam scilicet anteà narravimus Achridæ pontificem à Byzantini jurisdictione se submovisse, ita ut Patriarchis pene accenseretur, imò à quibusdam *Patriarcha* nuncupatus sit, ut potè qui sui juris & αὐτοκέφαλος esset. Quibus addam Joannem Cantacuzenum lib. 3. hist. cap. 27. fateri se Thessalonicæ Imperii insignita sumsisse, quumque nullus illic adesset Patriarcha à quo redimiretur, Imperialem coronam, ante immaculatæ Virginis Dei-genitricis imaginem, humi positam, manibus suis acceptam suo imposuisse capiti. τὸν δὲ βασιλικὸν πῖλον παρὰ τῆς ἀχράντου καὶ θεομήτορος εἰκόνος κείμενον ἐφ' ἐδάφους, αὐτοχειρίᾳ λαβόντα, αὐτὸν ἐπιτεθῆναι τῇ κεφαλῇ.

CAPUT XVIII.

Imperatorum Constantinopolitanorum in Patriarchas suos & ecclesias auctoritas & dominatus.

Quæ principum in rebus Ecclesiasticis potestas.

I. SACERDOTII Christiani & Imperii concordia hac lege salva stat, ut Principes hujus sæculi ecclesiarum paci provideant, illarum patroni atque defensores sint, quæ ab Apostolis tradita, tum quæ deinceps à Conciliis definita constitutaque sunt, nullo E pacto violari aut mutari, sed intemerata teneri atque observari curent, & invigilent; refractarios etiam ubi opus sit, adhibitis pœnis coerceant & ad ordinem redigant. Id quod quidem Constantinus ipse magnus, Christianorum Augustorum primus, palàm

ſignificatum voluit in Nicæna ſynodo, in qua, non in ſublimi ſolio imperatorio more ſedit, ſed in ſuppedanea ſella, tamquam auditor ac teſtis eorum quæ gerebantur; ſe præſto adeſſe ſignificans ad ea exſequenda quæ à Patribus ſancita eſſent. Quocircà Marcianus religioſiſſimus Imperator alter, coram numeroſiſſima ſynodo Chalcedonenſi, ultro declaravit, ſe illi non intereſſe dominatoris inſtar, qui vim inferret, ſed quæ judicata geſtaque eſſent, auctoritate ſua firmaret, id eſt per omnem ditionem ſuam ratam haberi diſtrictimque obſervari curaret.

Imperatorum C P. in Eccleſias auctoritas nimia.

II. Poſt verò ſucceſſu temporum Byzantinorum Principum in Chriſti Eccleſiam poteſtas in immenſum crevit, ſeu innata in hominum animis in alios dominandi libidine, ſeu Orientis Epiſcoporum adulatione, maximè Patriarcharum, qui hanc adhibendam cenſuerunt, ut Diœceſis ſuæ limites magis dilatarent, ſediſque ſuæ dignitatem augerent. Horum porrò in Eccleſiam dominatum Demetrius Chomatenus Bulgariæ Archiepiſcopus, adulatorum illorum unus, paucis hiſce verbis perſtringit in Reſponſione I. ad Conſtantini Cabaſilæ quæſtiones. *Imperator,* inquit, *ut qui communis eccleſiarum* ἐπιστημονάρχης, *Sapientiæ princeps ſit & dicatur, ſynodalibus ſententiis præeſt, roburque tribuit, eccleſiaſticos ordines diſponit, leges figit vitæ & politiæ illis qui altari ſerviunt; quin & ipſis quoque epiſcoporum & clericorum judiciis, & vacantium eccleſiarum electionibus leges ſancit.* Ὁ βασιλεὺς γὰρ οἷα κοινὸς τῶν ἐκκλησιῶν ἐπιστημονάρχης, καὶ ὢν, καὶ ὀνομαζόμενος, καὶ συνοδικαῖς γνώμαις ἐπιστατεῖ, καὶ τὸ κῦρος ταύταις χαρίζεται, ἐκκλησιαστικὰς τάξεις ῥυθμίζει· καὶ νομοθετεῖ βίῳ καὶ πολιτείᾳ τοῦ βήματος, καὶ μὲν καὶ δίκαις ἐπισκόπων καὶ κληρικῶν, πρός γε χηρευουσῶν ψήφοις ἐκκλησιῶν.

Vanus eorum prætextus.

III. Non me fugit, ſcriptores Græcos hunc Principum ſuorum in Eccleſiam dominatum defendiſſe exemplo Davidis & Salomonis, aliorumque regum Juda, qui res ad Dei cultum pertinentes, Sacerdotibus maximis adſtantibus, ſummo, ut apparet, jure ſanciebant, ſacerdotumque & miniſtrorum Templi munia decernebant. Verum neſcierunt illi aliam Hebraïcæ reipublicæ quam Deus per Moyſem inſtituit, rationem fuiſſe, aliam Chriſtianæ. Hebraïcæ reipublicæ inſtitutio ad populum unum dumtaxat ex Iſraële propagatum ſpectabat; reſque publica illa hujuſmodi erat, ut quum leges ejus omnes, tam quæ ad religionem, quam quæ ad ſtatum politicum civilemve pertinerent, divini perinde generis haberentur, ut pote ab uno auctore Deo profectæ & ſancitæ, penès illum qui reipublicæ illi præſideret, ſumma poteſtas

A eſſet, qua utrarumque exſequutioni intenderet, remque publicam omnem quantum ad utraſque gereret; hoc uno ſolùm excepto quod, ſi Princeps ipſe de ſtirpe Aaron prognatus non erat, ſacerdotum propria munia obire ipſi non liceret. Verum aliud reipublicæ genus Chriſtus inſtituit, ſpiritualis prorſus, nec ullo pacto temporalis; quæ unius dumtaxat populi non foret, ſed omnium prorſus gentium; quæ non aliis legibus gereretur, niſi ſui generis, ſpiritualibus, inquam, quæ animis ad Deum dirigendis unicè conB ducerent. Quia regnum ejus non erat de hoc mundo, civiles nullas leges ſanxit, ſed ut ubique locorum religio ſua propagaretur, fideles ſuos politicis regionum ſuarum inſtitutis & legibus vivere juſſit, quæ divinis ſuis, legique naturali ſingulorum animis inſitæ non repugnarent. Imperatoribus verò & ſæculi Principibus aut magiſtratibus minimè conceſſit, ut ſpiritualem illam ovium ſuarum regendarum poteſtatem, quam Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus tribuebat, ullo ſibi pacto vindicarent aut arrogarent.

Conſtantinopolitani Imperatores Patriarchas ſuos indignè habent.

C IV. Quantiſlibet privilegiis & inſigniis Patriarchas ſuos Imperatores ornare viſi ſint, eorum tamen ſæpe honori detraxerunt. Nimium illum Pontificalis Patriarchaliſque dignitatis contemtum redarguere carpereque non dubitavit Innocentius Papa III. epiſtola quam Alexio Imperatori dedit, de Imperatoriæ ac Pontificalis dignitatis diſcrimine diſputans. *Hoc autem,* inquit, *ſi prudenter attenderet Imperatoria celſitudo, non faceret, aut permitteret venerabilem fratrem noſtrum Patriarcham Conſtantinopolitanum juxta ſcabel*D *lum pedum ſuorum in ſiniſtra ſedere, quum alii Reges & Principes archiepiſcopis & epiſcopis ſuis, ut debent, aſſurgant, & eis juxta ſe honorabilem ſedem aſſignent. Nam & piiſſimus Conſtantinus, quantum honoris exhibuerit ſacerdotibus, tua, ut credimus, prudentia non ignorat.*

Patriarchæ ipſi ſibi ludibriorum cauſæ.

V. Enimvero quanto Imperatoribus identidem illis ludibrio Patriarchæ fuerint, neminem fugit qui illorum hiſtorias evolverit. Hos quippe illi, ut ſuperiùs ex Georgio Acropolita narrabam, ad libitum, ac certè E libidinem, ſæpè inſtituerunt, quos frequentiſſime quoque indicta cauſa ejiciebant. Id quod non ſic forſan accidiſſet, niſi Romanæ ſedis abnegata auctoritate ac primatu, aditum ſibi omnem Patriarchæ illi præcluſiſſent priſcum certumque illud & commune epiſcoporum male vexatorum perfugium invocandi. Quamobrem Principum illi ſuorum poteſtate abutentes, eò demum ambitioſos ſuos conatus perduxere, ut poſthac mera ipſi eorum mancipia ludibriaque potiùs evaderent, quam

quam primarii sacrorum, divinæque legis antistites.

Nicolaus Papa I. hanc tyrannidem luget.

VI. Quam quidem etiam Imperatorum illorum in ecclesias tyrannidem jam olim Nicolaus Papa I. Clero Constantinopolitano de Photii in eorum sedem intrusione scribens, his verbis conquestus erat: *Nam impietas in tantum caput extulit, ut ecclesiarum præsulibus postpositis, & ordine canonico conculcato, laïci nunc ecclesiastica moderamina teneant, & pro libitu proprio, modo istos removeant, modo illos in eorum locum promoveant, & rursus quos nunc approbant, post modicum mentis victi levitate repellant. Ut enim sæculares ac laïci homines quælibet scelera valeant licenter committere, & pro his à nullo pontificum, qui ex clero promotus hæc summa poterat auctoritate compescere, libere redarguantur. Nec de clericorum catalogo permittant ad sacros ordines provehi, qui vitam eorum tantò audaciùs, quantò diutiùs ac familiariùs, sub Christo duce forte militantes fortiùs comprimere possent; sed ex seipsis eligunt, qui facta eorum tantò minus præsumant arguere, quantò se paulò ante de horum cœtu favore ipsorum promotos meminerint.* Ubi Imperatores profectò innuebat, quorum nomen, ut horum temporum prudens ratio ferebat, consultò tacendum duxit. Nec recentia tunc deerant Imperatoriæ illius libidinis, seu tyrannidis exempla, quæ nimirum Leo Isaurus, ejusque successores sacrarum imaginum eversores, ediderant.

Imperatorum multorum in Ecclesiam tyrannis.

VII. Quid enimvero, ut rem altiùs repetam, tot illos Patriarchas recenseam, quos Imperatores levissimis, imo iniquis de causis sua sede detruserunt, haud secùs atque olim Herodes Ascalonita, Romanique Præfecti Pontifices Judæorum! Eam nempè Augusti illi sibi potestatem arrogabant, ut non ecclesiasticam disciplinam modo, sed Fidei quoque capita sua auctoritate sancirent. Cui tyrannidi præluserunt primùm Constantius & Valens Ariani, Basiliscus ipse tyrannus, qui Chalcedonensem synodum edicto proscribere non dubitavit. Aliud Zeno, famosum scilicet illud dedit, quod Ἑνωτικὸν *Henoticum*, *Unitivum* appellabat, sarciendæ unionis colore sinceræ Fidei professionem auctoritate sua vacuans. Impurus Zenonis successor Anastasius, Monophysiticæ hæresis patronus, imo, si illius ævi testibus credimus, Manichæus potiùs quàm Christianus, tres Byzantii pontifices, qui erga synodum Chalcedonensem non sic malè affecti erant, Ecclesiæ solio deturbavit, Antiochenum quoque, subjecto illius in locum mortalium nequissimo Severo hæretico. Justinianus Imp. de Tribus famosis capitulis, uxore Theodora impellente,

A Theodori Cæsariensis hæresis multiplici nomine suspecti instinctu, legem tulit, cui Patriarchas quatuor nolentes subscribere prius coëgit, quam Quinta synodus de illis sententiam diceret. Norunt omnes quot malis Silverius Papa, quin & ejus successor Vigilius ab eo vexati fuerint, quod Tria illa capitula damnare cunctarentur. Eutychium Constantinopolitana sede ejecit, quod Incorrupticolarum impietatem statuere nollet. Heraclius Sergii Constantinopolitani consiliis Monotheletarum hæresim condidit, editâ
B hanc in rem *Ecthesi*, quam Constans ejus nepos novo edicto quod *Typum* appellabat, confirmavit. Justinianus II. canones, quos *Trullanos* vocant, quasi à synodo in Byzantini palatii Trullo editos, auctoritate potiùs sua, quàm synodali ulla, ecclesiis sancivit. Istis decretis nomen ille suum ante Patriarcharum, imo ante Romani Papæ & episcoporum nomina, apponi voluit. Iconoclastarum impietas, Imperatorum potius furore atque sævitia, quam episcopali constitutione grassata est, præsertim Patriarchis qui sibi repugnarent
C extrusis, intrusisque aliis quos nutibus suis faventiores nossent. Photius insani quoque Principis nutu, sanctissimo Patriarchæ Ignatio Constantinopolitanam sedem eripuit. Sexcenta alia nimiæ hujus Imperatorum in res ecclesiasticas dominationis exempla in Byzantinorum annalibus passim prostant, à quibus recitandis mihi supersedendum est. Dicam solum, ob illam Photii in Byzantinam sedem intrusionem, veterem sanctionem in Octava synodo innovatam esse, ne quis in posterum potentiâ Principum ad episcopa-
D lem ordinem promoveretur. Nihilominus brevi subinde ab Imperatoribus institutum est, ut in synodis Imperii proceres cum Patriarcha & episcopis sederent, paresque partes cum illis in Ecclesiæ negotiis decernendis haberent.

Metropoles ecclesiasticas ad libitum mutant & instituunt.

VIII. Quamvis in synodo Chalcedonensi, propter Photium Tyri metropolitam & Eustathium Berytensem, qui, Phœnicia provincia à Theodosio juniore in duas divisa, episcoporum secundæ Phœniciæ ordinationes sibi vindicabat, quin etiam propter similem Nicæni
E episcopi ambitum, ob factam Bithyniæ in provincias duas sectionem, liberè palamque à Patribus conclamatum esset, *Pragmaticam ejusmodi sanctionem Imperatoris contra regulas non valituram; oportere ut regulæ Patrum teneant*, quin & ab ipsismet optimatibus qui aderant, declaratum esset, *quæ placita sunt sanctæ synodo, in omne tempus firma custodienda:* licet, inquam, canone duodecimo sancitum ab eadem sanctâ synodo fuerit, ut quamlibet novæ novarum quas Principes per

» pragmaticas sanctiones crearent, provinciarum metropoles civiles instituerentur, nihil tamen idcirco in ecclesiarum dispositione mutaretur, sed recentium illarum metropolium episcopi, metropolitano suo pristino subessent: licet Justinianus ipse Augustus Novella sua XXXI. hoc idem, dum Armenias quatuor instituebat, ratum firmumque stare edixisset; nihilominùs successores illius posteriori ævo, ab Iconomachico deincepsque, penes se tantummodo esse, ac non penes Patriarchas eorumque synodos, voluerunt potestatem, ullas ecclesiasticas provincias instituendi, & episcopatus in metropoles, quos juberet, augendi. Id quod demum certa lege pronunciatum est ab Alexio Comneno in Constantinopolitana synodo, anno Orbis conditi 6595. Christi 1097. in causa novorum metropolitarum, Basilæi in Thracia, & Madytorum in Galatia. Διάγνωσις γέγονε βασιλικὴ κατὰ παρουσίαν καὶ τῆς συνδιαγνωμονούσης συνόδου, ἐφειμένον εἶναι τῷ βασιλεῖ προεδρίας θρόνον ταῖς ἐκκλησίαις χαρίζεσθαι, καὶ τὰς ἐπισκοπὰς καὶ τὰς ἀρχιεπισκοπὰς εἰς μητροπόλεις ἀνάγειν, καὶ τὰ περὶ τῶν ψήφων αὐτῶν, καὶ τῆς ἄλλης διευθετήσεως ἀποτυποῦν κατὰ τὸ αὐτῷ θελητὸν, μὴ ἐμποδιζομένῳ πρὸς τοῦτο ἐκ τοῦ κανόνος τοῦ διορίζομένου φυλάττεσθαι τῇ μητροπόλει τὸ κατὰ τῆς τιμηθείσης ἐπισκοπῆς προσόντα αὐτῇ ἄρχηθεν δίκαια. *Lata est imperatoria sententia, præsente, communique suffragio decernente synodo, penes Imperatorem esse præsidentiæ thronum ecclesiis largiri, episcopatusque & archiepiscopatus in metropoles erigere, quæque pertinent ad electiones faciendas, cæteraque recte constituenda, pro libitu suo disponere, citra ullum ob canonem illum* (Chalcedonensem XII.) *impedimentum, quo decernitur, ut metropoli cuilibet prisca sua jura salva sint erga episcopalem civitatem quæ honore novo augetur.* Sic nimirum synodo τοπικῇ *locali* coactâ, regulæ ab œcumenico Concilio sancitæ Imperatores illi derogare non dubitarunt. Cæterum Alexius declarat, non debere Patriarcham breve, seu diploma regium, institutionis novæ metropolis à quovis recipere, nisi re ad Imperatorem relata certò cognoverit Principem motu proprio, justisque de causis dignitatem ejusmodi ecclesiæ illi contulisse. Hæc habentur l. 2. Jur. Græco-Rom. p. 130. ex Balsamone, qui eadem refert & approbat, velut & Zonaras, in enarratione canonis duodecimi Chalcedonensis.

Jus illud Quinisextæ synodi auctoritate statuebant.

IX. Atqui priscæ disciplinæ invertendæ, & novæ illius introducendæ præluserat Quinisextæ, quam vocant, sive Trullanæ illius synodi, imo potius Justiniani II. Imp. canon 38. quo præceptum erat, *ut si qua civitas ab Imperatore innovata aut instaurata sit, vel* A *posthac innovanda, similem formam ecclesiasticarum rerum ordo sequatur.* In Notitia episcopatuum Constantinopolitani patriarchatûs à Leone Sapiente Imp. concinnata, ut exstat p. 88. lib. 2. Juris Græco-Rom. Scholiastæ Græci in marginibus indicare curaverunt episcopatus complures, qui ab eodem Imperatore Comneno, & abnepote ejus Isaacio Angelo in metropoles provecti sunt, ut & alios quosdam sub Constantino Lichude patriarcha, qui Michaeli Cerulario proxime successerat. Ante Alexium Romanus Dio- B genes Imp. Nazianzum civitatem ejusque sedem metropolitica dignitate & privilegiis auxerat, ut narrat Scylitzes. ὁ βασιλεὺς καὶ τὴν ἐπισκοπὴν Ναζιανζοῦ εἰς μητροπολιτικὸν ἀνεβίβασε θρόνον. Nec dubium est, quin propter illum quem mox dixi canonem Trullanum, tot illæ metropoles novæ ab Imperatoribus Iconomachis ac deinceps institutæ sint, atque archiepiscopatus, quos in antiquioribus Notitiis episcopatuum recensitos legimus.

Hujus synodi canon perperam intellectus.

X. At verò canone illo Trullano non sic perspicuè Imperatoribus jus illud tribuebatur, C ut suapte auctoritate quos vellet metropolitas ecclesiarum constitueret; sed nihil aliud ille sonabat, nisi postremam Chalcedonensis canonis XVII. partem qua ferebatur, ut si qua civitas ab Imperatore renovata sit, τοῖς πολιτικοῖς τύποις ἀκολουθείτω, καὶ ἡ τῶν ἐκκλησιαστικῶν παροικιῶν τάξις, *civiles dispositiones sequatur ecclesiasticarum quoque parochiarum ordo.* Quibus decretis non continuò concedebatur, ut Imperator suopte edicto episcopatus institueret, sed ut Exarchus, aut metropolita, in illa civitate episcopum creare cu- D raret. Quamobrem Alexius Imperator canones illos, Trullanum & Chalcedonensem, frustrà obtendebat, ac si nihil præter statutos pridem mores sibi de ecclesiastica potestate vindicaret.

Ea non regeram quæ de variis Europæ provinciis solo Leonis Isauri Imp. arbitrio Romanæ atque Apostolicæ sedi ereptis fusè satis superiùs dixi. Hoc unum addam, Andronicum Palæologum priscum metropolium Byzantinæ Diœcesis ordinem eadem qua decessores sui auctoritate invertisse, edi- E ta Notitia quæ ejus nomine inscripta multiplici editione prodiit.

Ipsi nullis præviis suffragiis Patriarchas & episcopos designabant.

XI. Is porrò erat Byzantini Imperatoris in ecclesias dominatus, ut ipse solus, nullâ regularum habitâ ratione, Matthæo Blastare in Pandecte canonum c. 32. teste, episcopos & patriarchas ipsos absque episcoporum clerique suffragiis designaret. τῶν μὲν κανόνων τῶν τὰς τῶν ἐπισκόπων ψήφους τοῖς ἐπισκόποις τῆς ἐπαρχίας ἀνατεθέντων, ἄρχοντι δὲ μηδενὶ τούτων ἐξεῖναι κελευόντων, οἱ βασιλεῖς, καὶ τῆς ψήφου τῶν

ἐπισκόπων χωρὶς, καὶ πατριάρχας καὶ ἐπισκόπους προβάλλειν. *Quum canones episcopis provinciæ episcoporum designationes attribuant, declarentque Principi nemini fas esse in earum partem venire; Imperatores nihilominus, tum patriarchas, tum episcopos promovent, neglectis episcoporum suffragiis.* Septimæ & Octavæ synodorum decreta innuit, quibus id districtè prohibitum fuerat.

Monasteria laïcis concessa ab Imperatoribus.

XII. Joannes Antiochenus ille Patriarcha, qui undecimo labente sæculo, duodecimoque inchoato, in Oxia insula haud procul Constantinopoli vixisse fertur, specimen aliud nobis suppeditat iniqui illius Imperatorum in ecclesias dominatus; opusculo scilicet suo quod Cotelerius Tom. I. Monum. Eccl. Gr. evulgavit. Principum suorum impietatem arguit, qui virorum ac mulierum monasteria, domosque pauperibus & peregrinis alendis destinatas, earumque bona, proceribus suis, aliisque laïcis personis, annuentibus licet patriarchis, donarent. Cujus facinoris pensandam atrocitatem monet; quippè quod earum fundatores & erectores horrendis admodum imprecationibus in instrumentis suis eos submiserant, qui ea loca servituti ulli manciparent. καὶ ταῦτα τῶν κτητόρων ἀραῖς φρικωδεστάταις ὑποβεβληκότων ἐν ταῖς διατάξεσιν τοὺς καταδουλοῦντας αὐτά. Tanti verò mali auctorem primum fuisse significat Leonem Isaurum, tum deinde ejus Imperii, hæresisque successores, ac præ reliquis Copronymum, qui tum Christi Dei nostri incarnationem, tum monachorum ordinem abolere proposuerat. Cæterum *iniquitas*, inquit, *sive irrogata Deo injuria, seu alio quovis nomine ob mali nimietatem appelletur*, ἤρξατο μὲν ὡς πάντες ἴσασιν, ἀπὸ τῆς εἰκονομαχικῆς αἱρέσεως, καὶ τοῦ διαπύρου αὐτῆς προστάτου, ὡς δεδήλωται, τοῦ Κοπρωνύμου φημὶ, διὰ τὴν πρὸς τοὺς μοναχοὺς αὐτοῦ ἄσπονδον ἀπέχθειαν, *cæpit, ut omnes norunt, ab hæresi sacris imaginibus infensa, ejusque inprimis ardentissimo, uti prædictum est, antesignano, Copronymo inquam, quo implacabili odio monasticum ordinem insectabatur.* Quamquam Patriarcha Joannes iniquitatem hanc extinctâ hæresi aliquandiu quievisse fatetur, propter decimum quartum Septimæ synodi generalis canonem, quo sancitum fuit, *ut episcopales ædes & monasteria, quæ diversoria communia facta erant, pristino statui restituantur*: paulò post tamen recruduisse subdit, quum Imperatores & patriarchæ non modo monasteria & xenodochia destructa vel labentia, proceribus aulicisve suis traderent, non donationis modo, vel ob temporale lucrum, sed ut ab illis instaurarentur & ornarentur; quin etiam posteriori ævo, quum Principes & patriarchæ ea jam refecta & integra, imo auctiora & locupletiora, laïcis etiam perinde donarent. Sisinnium II. Patriarcham malum hoc abolendum censuisse ait, etsi nondum eò jam malitiæ provectum; ejus vero successores illud negligentia sua innovasse & auxisse. Plane Sergius II. proximus illius successor decretum dederat, quo licere Principi ferebatur monasteria laïcis impertiri, à quibus instaurarentur, & conservarentur. Quocirca Theodorus Balsamon, Antiochenus ipse quoque patriarcha, in expositione canonis XIII. Septimæ synodi, animum non attendendum esse censet ad ea quæ à decessore suo Joanne hac in causa scripta sunt, εἰς τὸ μὴ προσέχειν τοῖς παρὰ τοῦ πατριάρχου Ἀντιοχείας κυροῦ Ἰωάννου γραφεῖσι, frustraque ab eo concessiones illas impietatis taxari, sed ejus sententiæ præstare Sergii Patriarchæ definitionem. Atqui istiusmodi donatarios monasteriorum, aliarumque sacrarum domorum χαριστικαρίους, sive *beneficiarios* vocitabant: quod hominum genus Latini nostri apud quos etiam frequentes fuerunt, in Gallia præsertim nostra, *Abbacomites* vel *Abbicomites* dixere, post vero Commendatarios.

Jur. Gr. Rom. pag. 203.

Idem olim fiebat in occiduis partibus.

XIII. Enimverò hujus inversi moris apud nos Vedastini Chronici scriptor ad annum 866. auctorem facit Carolum II. Imp. *Carolus calvus*, inquit, *ad omnes fortunæ blandientis & adversæ impetus ferendos natus, variam admodum eam, animo tamen infracto expertus est. Maximarum virtutum laudem ei tribuunt, passum tamen aliquid humanitus adnotant, fuisseque ultra modum ambitiosum, atque ejus permissu laïcos in monasteriis pro Abbatibus versatos, seipsum tamen pro Abbate gessit undecim annis, tribus solis cæteris, adscito quasi potestatis consorte, non æquali tamen auctoritate.* Ac certè Lupus Ferrariensis Abbas multis literis suis apud eum expostulavit, quod S. Judoci Quentavicense monasterium homini laïco contra leges concesserat. Imo verò inter Caroli Magni Capitularia, unum exstat datum anno Christi 793. *De causis regni Italiæ*, in quo n. 6. legitur. *De monasteriis & xenodochiis quæ per diversos comitatus videntur, & regalia sunt, & quicumque ea habere voluerit, per beneficium Domini Regis habeat.* Hæc lex non nisi confirmatio fuit alterius, quæ sub Langobardis regibus in Italia obtinuerat, ut conferenti patebit cum lib. 3. Langob. legum tit. 10. c. 31. unde colligitur pravam illam consuetudinem, tum à Langobardis, tum à Græcis, acceptam à Gallis nostris fuisse, ipsa Caroli Magni ætate. Ac tunc quidem, ut alios sileam, famosus ille Fridegosus Anglus vivebat, cui Imperator idem celebre S. Bertini cœnobium perinde contulerat.

Ineptissima Græcorum de illo Imperatorum suorum dominatu nugamenta.

XIV. Plura non congeram de enormi illa Imperatorum Constantinopolitanorum in suæ ditionis ecclesias dominatione, cujus, non Patriarchæ, nec synodi, sed *sola jussio*, aiebat loco superius appellato Demetrius Chomatenus, *mutandi atque innovandi potestatem habet.* Quod certum fieri perperam adserit, *ex sacrorum divinorumque canonum serie, necnon Justiniani Novella constitutione, quæ exstat libro* III. *Basilicorum, quo fusè continentur quæ ad episcopos & clericos attinent, eorumque privilegia, vitæ statum, criminales causas atque pecuniarias.* Quod quum ille persuasissimum habeat, mox subjungit: *Atqui, ut uno verbo dicam, solo sacrificandi excepto munere, reliqua pontificalia munia palam Imperator repræsentat, & in illis legitime & canonicè agit.* Quod eruditus ille Bulgarorum Archiepiscopus ut confirmet magis, ad hunc modum pergere non dubitat: *Invenitur* XIX. *libro Antiquitatum Flavii Josephi subscriptio Imperialis sic habens: Tiberius Claudius Cæsar, Augustus, Germanicus, Pontifex Maximus, Tribunitiâ potestate, Cos. II. Quoniam igitur unctus Domini est qui pro tempore Imperator est, propter unctionem Imperii: Christus autem & Deus noster, velut & alia, noster quoque Pontifex est factus & prædicatur, merito & ille Pontificalibus gratiis decoratur.* Elegans assumtio! ut quia Tiberius Imperator Romanus Gentilis religionis Pontifex Maximus erat, ita perinde Christianus Imperator Christianæ. Nesciebat ille Constantinum Magnum, postquam Christo Deo nostro nomen dedit, *Pontificis Maximi* appellationem abjecisse. Plura non addo quibus Archiepiscopi illius schismatici futilia argumenta, seu nugas potius, refellam.

CAPUT XIX.

Constantinopolitani Patriarchatus status à captâ à Turcis urbe.

Constantinopolis à Turcis capta.

I. QUUM fuse hactenus dixerim de Constantinopolitani Patriarchatus primordiis, accrementis variis, receptaque administrationis ejus disciplina, quoad nova illa Roma Christianis principibus paruit, nunc paucis dicere interest de posteriori, ipsoque ejus hodierno statu, ex quo ea Urbs in Turcorum Mohammedanorum potestatem redacta est. Expugnata illa est à Sultano Mahomete II. anno Mundi, ut Græci numerant, sexies millesimo trecentesimo sexagesimo-primo, Vulgaris vero Æræ nostræ 1453. die vigesima nona mensis Maii, feriæ tertiæ post Pentecostes hebdomadem sacram initio. Musulmani illi sine mora in Christianorum templa impie more suo grassati sunt, illudque inprimis quod Christo Dei Sapientiæ æternæ dicatum erat, miserandum in modum direptum profanatumque est, ac deletis, quotquot in eo erant Christiani ritus vestigiis, in suæ superstitionis delubrum, quod *Meschitam* dicunt, sive adorationis domum, illud converterunt. Ea vero interim fuit per civitatem omnem Christianorum incolarum strages, ut mox civibus penitus vacua apparuerit. Quam amplissimæ civitatis ruinam Sultanus ut sarciret, ex diversis provinciis quas Turcica sua gens subjugarat, colonos undique, ipsosque Christianos, accersere non dubitavit, à quibus incoleretur.

Mahometes II. Christianum cultum instaurari jubet.

II. Interim quum ad regiones alias ditioni suæ adjiciendas Mahometes properasset, in Urbem regressus, ut Christianorum benevolentiam sibi conciliaret, palam significavit, velle se, ut in Urbe sacros conventus de more pristino agerent per ecclesias quas illis adire concedebat. Mirari se dixit, ad se hactenus non accessisse sacrorum Christianorum antistitem, sive Patriarcham, qui sibi tamquam principi atque Imperatori suo debitum reverentiæ obsequium exhiberet ac sponderet. Ubi vero à Græcis rescivit, à multo jam tempore Byzantinam vacare sedem, Magnæ Ecclesiæ clero & episcopis, facultatem indulsit eligendi Patriarchæ.

Patriarcha eligitur.

III. Vir tunc erat apud Græcos sapientiæ laude celebris, ac certe rerum humanarum divinarumque callentissimus, qui sub postremis Palæologinæ gentis Imperatoribus præclara munia obierat: nec sane in omni Græcia eo prorsus doctior inveniebatur. Huic dum in sæculo ageret, nomen *Georgio Scholario* erat, quod tamdem monastico suscepto habitu in *Gennadium* mutaverat. Vocatis itaque à Constantinopolitano clero vicinarum metropolium præsulibus & archiepiscopis, unanimis omnium calculis ac suffragiis, parvo magnoque de more facto Decreto, Gennadium Patriarcham elegerunt, quem reluctantem cella in qua se recondiderat exstractum Heracleensis metropolita aliique simul consecraverunt in ecclesia Apostolorum, quam Sultanus eis, ut & alias quasdam, tenendas reliquerat.

Patriarcha à Sultano inauguratus; quo ritu.

IV. Ordinationis peracto ritu pontifices ad Imperatoris audientiam novum Patriarcham

deduxerunt, qui illum solito gentis Turcicæ more pronus in terram adoravit. Quæsivit ab illis Sultanus, quænam antehac Christianorum Imperatori partes in Patriarchæ electione erant. Hi vero pretioso primùm pileo veloque, necnon Mandya, sive pallio nigro undulato à Principe donari, deque ejus deinde manu baculum accipere dixerunt. Quod ubi Mohammedanus ille Imperator audivit, eodem illo ritu Gennadium inaugurari voluit. Tradito itaque illi pastorali baculo, quem Δικανικὸν dicunt, argento deaurato undique tecto, aulæ suæ primariis injunxit, ut eum per civitatem egregie phalerato equo vectum ad ecclesiam usque comitarentur.

Immunitatis literæ à Sultano Patriarchæ datæ.

V. Inprimis vero eidem Patriarchæ literas immunitatis dedit, quas Georgius Phranza in sua horum temporum historia recitat, subscriptionibus auctoritatis Regiæ munitas, » quibus illum ab omni exactione & calumnia tutum esse jubebat; ut nihil quidquam ab ipso tributi nomine exigeretur, nec ulla vis illi à quocumque adversario vel inimico afferretur; quin & à vectigalibus publicisque contributionibus ipse omnesque successores ejus Christianæ legis antistites in perpetuum liberi & immunes essent. Quod quidem Sultanus ille, ait Phranza, qui nulla Christianæ religionis reverentia ducebatur, alio animo non sanxit, nisi ut Christiani suis pollicitationibus auditis, libentiùs jugum suum admitterent, & ad desolatam Urbem incolendam properarent. Quamquam Gennadium patriarcham multo deinceps honore à Mahomete Sultano habitum scriptores Græci ferunt, ex quo præsertim semel atque iterum in privatis cum illo colloquiis, ipsum divinæ legis mysteria edisserentem audivit; ita ut, Christianam Fidem deinceps à veritate non abhorrere æstimaret.

Patriarcha ab Apostolorum Templo discedit.

VI. Atqui Patriarcha Gennadius in sacra illa SS. Apostolorum æde pauco tempore divinis officiis functus est, utque ab illa discesserit, in causa fuit ingens metus quo Christiani perculsi sunt, reperto in ea Musulmani cujusdam interemti cadavere, cujus necem, vel Patriarchæ, vel familiarium ejus alicui imputari jure timuerunt. Quocirca rem Gennadius ipse Patriarcha ad Sultanum quantociùs retulit: quumque illa Apostolorum ecclesia, in ejusmodi parte Urbis exstructa esset, quæ incolis vacua erat, obnixe rogavit, ut sibi fas esset aliò migrare atque ad Pammacaristæ Deiparæ ædem se conferre, quippe cujus vicinia Christianis habitatoribus plena esset. Petitioni ejus benigne annuit Imperator: quocirca sanctimonialibus virginibus, quarum cœnobii pars illud templum erat, ad alium locum translatis, Byzantini patriarchæ ibidem deinceps sedes fuit.

Synodos de more cogit.

VII. Rebus itaque Christianorum in Urbe regia ad hunc modum compositis, Gennadius ejusque successores pristino more ecclesiastica negotia gessere, consimili quoque modo episcopi quilibet, qui Turcicæ dominationis jugum subierant, ac Patriarchæ deinceps, consuetas habere synodos cœperunt, vocatis ad eas, ut olim ditionis suæ metropolitis & archiepiscopis quorum consiliis, calculisque ecclesiæ totius suæ causas tractant & finiunt.

Synodus Patriarchalis: ejus auctoritas.

VIII. Dum Constantinopolis à Christianis Principibus tenebatur, eorum, ut antehac narrabam, nutu jussisque episcoporum concilia à Patriarchis cogebantur; eâ vero ab infidelibus occupatâ, synodorum vocatio penes solum Patriarcham mansit; aut, ubi sedes quovis modo vacare contingeret, aut necessitas alia urgeret, abnuente etiam licet Patriarcha, penes Byzantinum clerum. Id quod exempli gratia, Theolepto postea Patriarcha contigit, qui, ut Historiâ Turco-Græciæ fertur, quum carnalis libidinis admissæ insimularetur, indicta à clero synodus est, quæ causam illius excuteret & judicaret. Atqui synodus illa Patriarchalis, episcopis Orientis & Occidentis constare vulgo dicitur, quod ad eam conveniant Asiæ & Europæ præsules: atqui Asia Constantinopoli ad Orientem exstat, Europa ad Occidentem. Ea vero synodi illius auctoritas est hodie, ut olim fuit, ut, dum graves causæ suppetunt, ipsum quoque Patriarcham, si prævaricator reperiatur, ad ordinem redigat & destituat. Quod ut impunè faciat, aliorum patriarcharum, Alexandrini, Antiocheni & Hierosolymitani assensus suffragiumque minime requiritur, quo synodi sententia rata firmaque constet; nisi forsan quis eorum, aut simul omnes in Urbe tunc adsint.

Alexandrinus Patriarcha CP. sedis vacantis procurator.

IX. Cæterum novæ nescio cujus legis præscripto, cujus nullum mihi indicium occurrit, at postremis certe hisce sæculis anteriori, Constantinopolitana sede vacante, ecclesiæ administratio ad Alexandrinum Patriarcham transfertur, donec Patriarchæ defuncti vel amoti successor sit institutus. Sic nempe Meletius Pigas Alexandrinus Pontifex Theophane II. Byzantino mortuo; sic famosus ille Cyrillus Lucaris, Neophyto I. in Rhodum insulam amandato, illius ecclesiæ curatores fuerunt.

Tributum promovendi Patriarchæ causa institutum.

X. Atqui Constantinopolitanæ ecclesiæ res aliquandiu tranquillæ satis fuere sub Turcis principibus, Gennadio II. Isidoro II. Joasaph I. & Marco Patriarchis, quod præsertim eorum electionem & promotionem attinet;

donec Trapezuntiorum quibus Urbis portio incolenda data erat, factio, Marco illi insidias struxit, quem sua sede ejici procurarunt, ut in eam Simeonem gentilem suum obtruderent. Ut ergo Simeon locum illius occuparet, Sultani filio mille aureos obtulerunt, unde ortum tributum illud est quod Χαράτζιον, *Charatzium* & Πεσκέσιον, *Pescesium* vocant; cujus in dies ultra modum augendi, alii deinceps qui Simeoni successere, protervæ ambitionis æstu perciti, auctores fuerunt, adeo ut, Ricalto Anglo equite teste, eo usque illud creverit, ut 35000. nummos Anglicæ monetæ solvere oporteat illum qui ad dignitatem hanc evehitur; quo etiam fit, ut qui plus aulicis quoque Turcicis offerat, is æmulum competitorem superet.

Quæ mala inde nata sunt.

XI. Quæ inde mala in Constantinopolitana ecclesia nata sint, nullus enarrare sermo sufficiat. Inde fit inprimis, ut, quum Patriarchæ supremam hanc sedem maximo pretio, nec sine Simoniæ scelere, emerint, Ordines sacros quoscumque, aliaque ecclesiastica munia non nisi aureorum exactione conferant: ut in patriarchas provehantur homines eo honore indignissimi, nullius scientiæ, nullius virtutis aut religionis, nullius prorsus meriti. Sed etiam propter illas Patriarcharum nundinationes, Byzantina ecclesia in maximo semper ære alieno est, quod si forte quis frugi Patriarcha persolvere contigerit, brevi subinde eo defuncto vel amoto, debita denuo crescant. Quam ob causam vulgo fit, ut Patriarcha qui sua sede pellitur, custodiæ mancipetur uti facultatibus suis quas quocumque modo comparaverit, Patriarchatûs alienum æs solvi possit.

Simoniæ labes exinde apud illos grassata est.

XII. Alio loco superiùs jam dixi de honorariis donis, quæ cujuscumque ordinationis causa Patriarchis, metropolitis & episcopis, illorumque notariis, Christianorum Imperatorum sanctionibus pendere vel exigere fas esset; quod quidem pensitati tributi genus Ἐμβατικὸν, *Embaticum* vocitant. Hoc avidi præsules nequaquam contenti, munera quoque alia ordinationum causa, vel exigebant, vel ultro oblata accipiebant. Cujus criminis reus factus Joasaph I. patriarcha, frequenti synodo à clero coacta, Byzantino throno exactus est. Tum vero episcopi qui convenerant, ut hoc demum malum ingens ab ecclesia sua amandarent & exstinguerent, non prius de illius successore eligendo cogitarunt, quam sanctiones Sanctorum Patrum & conciliorum adversus Simoniacos latas instaurarent; quibus, inquam, districtissime prohibitum semper fuit, ne pecunia ulla, munus ullum pro quacumque ordinatione penderetur, aut alio pacto præberetur.


A Cæterum in isto conventu de veteri illo quod dixi, pretio vel honorario *Embatico* nihil ab illis statutum; quod tamen Manuël Malaxus, qui hæc narrat in Historia sua Turco-Græciæ, uti simoniacum etiam habere non dubitat, malæque arboris illius cujus folia excusserant, imo lignum exciderant, radicem. Τοῦ κακοῦ δένδρου, inquit, ἐτίναξαν αὐτὰ φύλλα, καὶ ἔκοψαν τοὺς κλάδους, καὶ τὴν ῥίζαν, τουτέστι τὸ ἐμβατικὸν, ἀφῆκαν. *Quinimò rursum pullulat,* ait iterum, *& crescit arbor illa, supplicio digna,* καὶ πάλιν βλαστάνει καὶ αὐξάνει. Addit quoque, B pontifices aliquot sibi quidem temperasse ne munera deinceps acciperent, verum Ἐμβατικὸν, *Embaticum* duplex sibi solvi voluisse; quod non sine supremi numinis irrisione factum jure queritur.

Honorarium Embaticum proscribitur.

XIII. Huic alteri malo medelam quoque voluerunt adhibere: nam statim atque Metrophanes, qui Joasapho suffectus fuerat, patriarchatum abdicavit, Hieremias II. ex Larissæ metropolita ejus successor factus, « divino zelo instinctus, ait Malaxus, ut pessimam putridamque illam ex inferno prognaC tam arborem, ac non ramos dumtaxat, vel truncum, sed radicem ipsam funditùs evelleret, igneque admoto combureret, concilium eam in rem coëgit, in quo lectis Apostolorum & Sancti Basilii præsertim sanctionibus, districto decreto constitutum est, ut quicumque pontifex, accepta pro ordinatione quavis pecunia ullove munere, canones illos violaret, sacerdotio amoveretur. » Ὅτι ὁποῖος ἀπὸ τοὺς ἀρχιερεῖς παρέβη τοὺς θείους ἄνωθεν κανόνας, νὰ εἶναι καθῃρημένος. Hoc pacto Malaxus ab ecclesia sua Byzantina radicitùs evulsam SimoD niacam omnem nundinationem causatur, ipsumque *Embaticum* abolitum asserit, ἐξεσπάσθη καὶ ἐξερριζώθη τὸ σιμωνιακὸν, καὶ τὸ ἐμβατικόν.

Simonia apud Græcos perseverat.

XIV. Hæc quidem Malaxus Hieremia II. Patriarcha constituta esse testatur. Cæterum uno omnium qui Græciam invisere, ac de hodierno Ecclesiæ Græcæ statu scripsere testimonio constat, in illis regionibus recruduisse, ac perseverare illam Simoniæ luem; cujus causam esse fatentur nimiam illarum ecclesiarum inopiam, quarum præsules consuetis aliis statisque redditibus victitare miniE me possint, unaque tributa pendere quibus ab Othomanis onerantur. Enimvero non Patriarchæ modo, sed unusquisque etiam episcoporum, dum ordinantur, aut quivis alius qui ad dignitatem ullam ecclesiasticam evehitur, Aulæ Turcicæ *Charatzium*, itemque Patriarchæ *Embaticum* illud solvere tenetur, pro sedis majoris aut minoris suæ ratione, sive metropolitana, sive archiepiscopalis, sive episcopalis sit. Idem vero etiam, non Græci dumtaxat, sed Latini quoque ritûs episcopi,



quotquot Othomanici Imperii ecclesiis præficiuntur, tributum quod *Charatzium* vocatur, prius pendent quam ordinentur; quippe qui literis indigent quas *Chatasceriph* appellant, uti sacerdotalia munia liberè apud suos exsequantur. Ut autem Patriarcha ac præsules alii pecuniarum summas habeant, quibus tot gravaminibus exactionibusque faciant satis, per provincias, per urbes & pagos Exarchos ablegant, quorum id muneris est, tum ut, quemadmodum diximus aliàs, ecclesias sui antistitis proprias visitent, tum stipes corrogent, Patriarcharum, metropolitanorum & episcoporum sumtibus necessarias.

Vocis Ἔξαρχος multiplex Græcis significantia.

XV. Quando autem nunc iterum Exarchorum facta est mentio, mea referre puto, hoc tamdem loci edisserere multiplicem vocis ἔξαρχος, *Exarchus*, apud Græcos tam veteres, tam recentiores acceptionem. Primùm itaque, quando vox ista idem Græce sonat, quod *Præfectus* Latine, in Ecclesia Christiana usus invaluit olim, ut quilibet primarius cujusvis provinciæ præsul ἔξαρχος, *Exarchus* diceretur, juxta atque Sardicensi sexto canone fertur; quo nimirum statuitur, ut, si episcopus unus aliquis ad ordinationem alterius suæ provinciæ cum aliis convenire cunctetur, Exarchus provinciæ, sive metropolis antistitis literis commoneatur, vacantis ecclesiæ plebem postulare ut episcopus sibi constituatur: *χρὴ πρότερον τὸν ἐναπομείναντα ἐπίσκοπον ὑπομιμνήσκεσθαι διὰ γραμμάτων τοῦ ἐξάρχου τῆς ἐπαρχίας· λέγω δὲ τοῦ ἐπισκόπου τῆς μητροπόλεως.* Obiter autem monebo, canonis istius voces à me nunc recitari, velut à Græcis ad suos usus, receptamque apud ipsos disciplinam adornatus fuit; quando illius aliorumque ejusdem synodi canonum contextus Græcus, admodum discrepat à Dionysii Exigui editione Latina. At certè familiare fuit potioribus Orbis ecclesiis, ut conciliorum, etiam œcumenicorum sanctiones, nonnullis vocibus demtis, vel mutatis, aut etiam interjectis, ad suos mores accommodarent.

Metropolitæ Exarchi.

Potiorum sedium antistites Exarchi.

Post Sardicensis concilii tempora, non metropolitæ omnes, sed præstantiorum sedium antistites præsertim, Exarchorum nuncupatione donati sunt, ut puta Ephesi, Cæsareæ Cappodociæ, Heracleæ & Thessalonicæ, quemadmodum & alii primarii, qui soli subinde insigniori Patriarcharum titulo aucti sunt. Id quod inspectis Ephesinæ utriusque Chalcedonensisque synodorum gestis statim constat. In Chalcedonensi enim, Domnus Antiochenus, Orientalis Diœcesis *Exarchus* plus una vice appellatus legitur. Posteriori autem, ac nostro hoc ævo Ephesinus, Cæsariensis, Heracleensis & Thessalonicensis Exarchi quoque audiunt, veteri retenta nuncupatione, ac fere titulo tenus, ut dicitur, sine re; quippe quibus Patriarcha hoc ad summum concedat, ut in provinciis aliquot vices ipsius tamquam delegati judices gerant.

Exarchi alii.

Verum Exarchorum quoque appellatione ornantur clerici ecclesiæ Constantinopolitanæ, quibus Patriarcha potestatem facit, ecclesias & monasteria lustrandi & visitandi, quæ per diversas ditionis ejus provincias patriarcali *Stauropegio* exstructa sunt, & quæ nec locorum in quibus exstant episcopis ordinariis ullo pacto subjiciuntur. Clericorum vero etiam illorum hoc munus est, ut dum visitationis officio funguntur, simul corrogent colligantque pecuniarum summas, quas illæ ecclesiæ Constantinopolitanæ sedi pendere jubentur.

CAPUT XX.

De Constantinopolitani Patriarchatus decrementis.

Patriarchatus CP. Mohammedanorum impressionibus imminutus.

I. CONSTANTINOPOLIS Patriarchatus, qui ex tribus primum amplissimis Diœcesibus veluti concretus fuerat, aliisque rursum provinciis, atque Illyrici præsertim, imo Sicilia quoque & Calabria, quin & variarum gentium ad Christianam Fidem accessione, admodum auctus erat, Saracenorum atque Othomanorum subinde in Byzantini Imperii regiones impressionibus & victoriis paulatim imminutus est. Inprimis vero, præter barbaras illas gentes, quarum Constantinopolitano præsuli difficillimis illis temporibus ob nimiam distantiam, curam gerere fas non fuit, ecclesiæ fere omnes quæ in ulteriori tractu ultra Propontidem, & quod Archipelagum vocant mare, Orientem versus magno numero exstabant, Ponticæ quondam scilicet & Asianæ Diœcesium, in totum interierunt. Vastis illis regionibus desolatis, atque in solitudines, ut plurimum redactis, vix jam in eis Christiani cultus residuum aliquid superest, si paucas illas ecclesias excipias quæ hinc inde in urbibus ad Ponti Euxini & Ægæi maris oras positis visuntur. Nihilo fere melior est occidui tractus, Thraciæ, Macedoniæ, Græciæ, vicinarumque illis ecclesiarum status, decrescente in dies per illas quoque regiones propter Turcorum immane jugum

Christianorum numero. In Notitiis recentioribus episcopatuum Græcis metropoles sat multæ apparent, sed quarum non paucæ solo titulo fulgent, quamplurimis earum nullas sibi obnoxias episcopales sedes agnoscentibus.

Byzantini Imperii occasus causæ.

II. Byzantini itaque Imperii imminutione & decremento Byzantini Patriarchatûs finibus angustioribus paulatim factis, illo quoque occidente & exstincto, ad nihilum fere redactus fuit. Illius vero, & Imperii decrescentiæ, causæ variæ à viris rerum Orientis peritis afferuntur, injuriæ scilicet, calumniæque & exactiones quibus Imperatores subditos suos vexabant. Quæ mala cœperunt à tempore Michaëlis VI. quem Parapinacium cognominabant, quique anno 1075. summam rerum capessivit; tum deinde sub Alexio Comneno illius post annos aliquot successore, qui ab anno 1084. deincepsque diu satis Imperii compos, cuncta ad libitum effreni potestate gerens, hominum facultates exhauriebat, ac, neque ecclesiarum thesauris parcens, neque à sacra ipsa earum supellectile abstinens, pecuniarum plaustra, ministris suis familiaribusque effundebat. Huic Principi, nulla reliquæ nobilitatis cura fuit; quinimo Reipublicæ ordines omnes invertit, novis è suo cerebro editis dignitatibus, quibus antiquæ viluerunt. Ad hæc, veteres leges institutaque convellens, Senatum, quem suis cœptis, novitatibusque repugnantem sentiebat, nullo non modo deprimere studebat. Id quod Zonaras, aliique ejus ætatis Byzantinæ historiæ scriptores, suis in annalibus graphice describunt. His addenda Parapinacii illius, aliorumque subinde ut plurimum Imperatorum mollities & ignavia; principum & ducum Imperii dominandi libido, qua sibi mutuò summam rerum præripere moliebantur; qua fiebat, inquam, ipso Niceta Choniate teste, ut uno Imperatore constituto, alii statim de eo extrudendo cogitarent. Nemo nescit mutua ipsorum dissidia & odia in causa fuisse, cur Franci nostri qui in Palæstinam Belli sacri adversus infideles gerendi causa properabant, Constantinopolitanam Urbem obsidere & expugnare coacti sint, vicinasque, tum Europæ, tum Asiæ quoque, provincias & insulas subjugare; quod ad Byzantini Imperii lapsum non parum contulit. Istæ igitur causæ præcipuæ fuerunt, cur facilis perviusque adeo fuerit Turcorum armis in Asiæ & Europæ provincias aditus, quum regionum illarum civitates à propriis suis Principibus vexatæ, Barbarorum illorum Christianæ legis hostium jugum subire magis elegerint, quam tyrannicum Imperatorum suorum dominatum ultra sustinere. Hinc rursum frequentia apud Græcos dissidia, bellaque intestina, quibus Imperii vires in dies fatiscebant, ac quibus sub Palæologis in Europæ provincias Turcorum Sultanis trajecto mari patuit ingressus. Joannes Cantacuzenus summam rerum suis artibus assequutus, ab Amurato Sultano suppetias poscere & admittere, omni posito pudore, non dubitavit, quo se adversus Joannem Palæologum Imperatorem tueretur; sed vicissim quoque Joannes idem Imperator, æmulum istum suum ut ad ordinem redigeret, paria ab eodem Othomanorum Dynasta auxilia postulavit & accepit: sicque proinde ambo illi viam Turcis straverunt, quâ, multis præcipuisque Occidui seu tractûs civitatibus, inprimisque nobilissima Græciæ urbium Thessalonica, subjugatis, Regia demum Constantinopoli potirentur.

Bulgari & Servii à Byzantina sede subtracti.

III. Antehac dixi magnam Illyrici partem à Bulgaris olim Græcorum Imperio ademtam, Byzantinæ quoque sedi ab eorum regibus subtractam fuisse, Achridam regionis illorum metropolim in αὐτοκέφαλον, sive quæ sui, non alterius juris esset, ac Patriarchali similem sedem evectam esse. Servii quoque posthac à Byzantini pontificis jugo se subduxere, Pecio primaria regionis quam incolebant, civitate in archiepiscopatum itidem sui juris perinde instituta. Quod quidem eo contigisse tempore dixi, quo, Francis Constantinopolim, aliasque circum provincias tenentibus, Theodorus Lascaris Græcorum Imperator Nicæam Imperii sui regiam fecerat.

Moschici Patriarchatûs institutio.

IV. Centesimo trigesimo sexto anno ab expugnata Turcorum armis Constantinopoli, Russia major & minor, quæ uni Principi Moschorum parebat, perinde à Byzantinæ sedis jurisdictione immunis evasit. Quum enim Hieremias II. Patriarcha in Moschoviam Imperatoris invisendi, lustrandæque regionis gratia anno 1581. profectus esset, hunc monasteriorum Moschuæ Urbis vicinorum præpositi & archimandritæ agmine facto convenientes, omnibus modis, nec sine comminationibus, apud ipsum egerunt, ut civitatem illam, quæ regni jam totius caput habebatur, Archiepiscopali sede ornaret, sed cujus etiam antistes patriarchali jure in universam utramque Russiam ac reliquas Moschicæ dominationis plagas potiretur. Huic institutioni Hieremias assensus demum est, quam mox dato diplomate, Theodoro Joanne Cæsare sive Imperatore applaudente, sanxit.

Præsules duo refragantur.

V. Hieremiæ Patriarchæ in Moschicam ditionem itineris comites erant Hierotheus Monembasiæ metropolita, & Arsenius Elassonis archiepiscopus, qui innovationi illi suffragari prorsus renuerunt; novi hujus Patriarchæ

Patriarchæ creatione ecclesiam suam scissum iri non immerito causantes. Horum vero consilia monitaque nihil Patriarcha curavit, sed Liturgia solenni ritu cum regni episcopis, archimandritis, aliisque magnæ Russiæ cœnobiorum præpositis Moschuæ celebrata, *Jobum* Rostovii tunc præsulem, in Moschici Imperii totius quàm late pateret, aut subinde cresceret, Archiepiscopum & Patriarcham promovit, magnæque urbis illius ecclesiæ throno imposuit. Quod gestum aiunt anno Mundi 7096. sive Christi 1589.

Rata fit ab omnibus Patriarchis Orientis.

VI. Constantinopolim reversus Hieremias, post annos quatuor, anno scilicet Mundi 7101. Christi 1593. synodum habuit, cui Meletius Alexandriæ Patriarcha interfuit, vices præterea gerens Joacim Antiocheni, & Sophronii Hierosolymitani, cum numerosissimo aliorum episcoporum cœtu. Adfuit etiam Moschorum Imperatoris apud Turcicam aulam Orator, cujus nimirum nutu cuncta gererentur. Synodus itaque institutum à Constantinopolitano Moschici Imperii in Moschua urbe archiepiscopatum atque Patriarchatum solenni sanctione approbavit, ratumque fecit: quamquam ea lege, ut quisquis deinceps Jobi successor designaretur, is Byzantini Patriarchæ assensum suffragiumque poscere teneretur. Cæterum insequenti, nuperove sæculo medio elapso, Dionysio II. Constantinopolitanum patriarchatum gerente, quatuor patriarchæ Byzantinus, Alexandrinus, Antiochenus & Hierosolymitanus, Moschorum Imperatori rursus indulserunt, ut Moschuæ patriarcha à postulanda electionis ordinationisque suæ à Constantinopolitano confirmatione in posterum immunis esset. Sic nempe boni illi Orientis patriarchæ, qui à suis sacrorum Canonum enarratoribus, ipsisque schismatis sui sociis, didicerant, à quinque dumtaxat patriarchis Christianum Orbem administrari debere, à Romano, Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno & Hierosolymitano, simili modo atque corpus humanum quinque sensuum opera geritur, sextum nihilominus patriarcham invehere non dubitarunt, Romano Papa cum omni Occidentali tractu inscio.

Byzantini, eorumque socii, vere Schismatici.

VII. Sed longe magis temerario ausu, à multis jam sæculis Constantinopolitanus Romanum eumdem Pontificem, omnemque simul Latini ritus ecclesiam à catholica communione segregare solus ipse aggressus est, absque aliorum patriarcharum assensu; quin etiam causa in nulla synodo generali, uti certe par fuisset, agitata, imo contra Antiocheni, Hierosolymitanique sententiam, addam & Alexandrini, veluti certo jam à me olim demonstratum est. Perperam excipiunt, successores trium illorum isti sententiæ suffragatos demum esse. Ecquinam enim illi fuere? Plane homines è Byzantino schismaticorum grege ad illas dignitates assumti. At meminisse debuissent, illius veterum Patrum adagii tritissimi, nulla Ecclesiæ decreta sancire fas esse, citra Romanæ sedis assensum; quodque non ita pridem orthodoxæ Fidei adversus Monotheletas & Iconomachos propugnatores propter hæretica illorum concilia contendebant, concilia nulla, quamlibet numerosa, œcumenica & legitima habenda esse, eorumque decreta nihili facienda, ad quæ Patriachatus quinque non concurrerint; adeo ut, si unus absit, vel refragetur, nihil roboris atque auctoritatis habeant. Sic adversus Leonem Armenum S. Nicephorus Constantinopolitanus Patriarcha disputabat: sic contra Constantinum Caballinum sive Copronymum, eruditus ille auctor, qui Joannes Damascenus putatus fuit. Quis, aiebat, Patriarcharum ad Caballini synodum vocatus est, cui interesset! Romanus ire noluit: Alexandrinus adesse non sustinuit: Antiochenus quoque & Hierosolymitanus. *Σύνοδός ἐστιν, ὅτε τὰ πέντε πατριαρχεῖα θεσπίσουσι μίαν πίστιν, καὶ ἕνα λόγον. εἰ δὲ καὶ ἐκ τούτων κἂν εἷς ἀπολείψῃ, καὶ οὐχ ὑποκύψειε τῇ συνόδῳ, αὕτη σύνοδος οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ παρασυναγωγὴ καὶ συνέδριον ματαιότητος. Synodus est, ubi quinque patriarchatus unam Fidem, unumque sermonem statuunt. Si unus illorum abest, aut annuere ac subjici synodo recusat, hæc minime synodus est, sed profanus conventus, vanitatis concilium.* Quod si ita est, profani igitur conventus, profana & concilia vanitatis fuerunt illa Byzantinorum, quæ nobilissimum patriarchatum amplissimamque Ecclesiæ portionem anathemati devoverunt: jureque Schismatici habendi sunt, qui Romanam Latinamque ecclesiam, indicta causa, nedum ut par erat tractata ac discussa, à communione sua præcidendo, sese ipsi præciderunt. Verum, quo pervicaciori erga Romanam & Apostolicam Petri sedem, Occidentalemque ecclesiam odio flagrarunt, eo majora damna sibimet attulerunt, quod Christianos Europæ principes in suppetiis eis adversus Othomanos ferendis segniores reddiderint.

Maxim. Dial. cum Pyrrho.

Schismatis colores quos obtendunt.

VIII. Quas lugendæ illius scissionis suæ causas obtendant Græci, norunt omnes; quarum hæ potiores fuerunt: nempe quod Latina ecclesia Constantinopolitano Fidei symbolo, ubi Spiritus sancti processio ex Patre effertur, vocem *Filioque* adjecerit, quodque adeo Spiritum sanctum, tum ex Patre, tum ex Filio quoque procedere doceat. Ad hæc, quod azymum, seu fermento vacuum panem ad Eucharistiam adhibeat; quod fidelium

defunctorum animas Purgatorio igne ex- A
piari doceat; atque, ut nonnullos uſus conſuetudineſque ab Orientalium moribus diſcrepantes omittam, & quæcumque alia identidem nobis cavillando objecerunt, Romanæ ſedi ſubjici refugiunt, ex quo Pontifices Maximos ambitioſis auſibus ſuis refragari paratos experti ſunt, dum illis per omnia pares eſſe contenderent. Quocirca Nicetas Chartophylax, qui Nicææ metropolita fuit, in opuſculo quod ex codice Regio 2503. pridem deſcripſi, in quo quærit, quando & quibus de cauſis Romana Eccleſia à Conſtantinopo- B
litana ſciſſa ſit, recenſitis variis diſſidiis quæ diverſis temporibus inter utramque eccleſiam acciderunt, de poſtremo ſchiſmate agens, cujus auctorem fuiſſe ait Sergium II. Patriarcham, expuncta è ſacris Diptychis Romani Papæ commemoratione, hoc non contigiſſe fatetur, *niſi Sedium cauſa, δοκεῖ μέντοι διὰ τοὺς θρόνους*: Byzantino utique honores eoſdem, prærogativas & jura ambiente, quibus Romanus potiebatur; imo, quemadmodum ſuperiùs ſuo jam loco evictum eſt, præfractè ſibi *Univerſalis patriarchæ* appellationem ar- C
rogante. Id quod etiam fuſiùs pridem, deditiori opera oſtenſum eſt in Panoplia contra Schiſma Græcorum, adverſus Nectarium Hieroſolymorum nuperum Patriarcham. Sed & in illo opere explicatiùs refelluntur prætextus & colores alii, quos Michael Cerularius fœdifragus ille alter Patriarcha, attulit, ut in Latinorum eccleſiam debaccharetur; dum in ſynodo viginti duorum dumtaxat epiſcoporum Leonis Papæ IX. Legatis anathematis ſententiam intorquens, immedicabilem illam ſciſſionem ſancivit.

Reconciliatio Græcorum cum Romanis nulla durabilis fuit.

IX. Sæpe quidem ſubinde actum eſt de D
Byzantina ſede concilianda cum Romana, ſed infelici ſemper conatu. Dicam tamen, nec ſine dolore, manſuram forſitan fuiſſe concordiam quæ in Lugdunenſi concilio ſecundo, Michaele Palæologo Imp. & Gregorio X. Papa ſanctiſſimo, inita eſt, niſi pactis conventis illius quibuſdam, ſub Nicolao Papa III. illius paucis poſt annis ſucceſſore, Caroli Siciliæ regis inſtinctu, aliorumque nonnullorum ſuggeſtionibus derogatum eſſet. Quum enim à Patribus indultum eſſet Græ- E
cis ut ſymbolum ſacrum Conſtantinopolitanum apud ſe, abſque interjectione vocis *Filioque*, de more ſuo veteri recitarent (id quod etiam eiſdem rurſum Florentina ſynodus ultrò conceſſit) ab altero illo Pontifice divini Petri ſedem tenente, hanc ipſam vocem perinde atque Latini ſolebant, pronuntiare juſſi ſunt. Id quod Græcorum animos adverſus Romanos ſic exaſperavit, ut nulla deinceps via patuerit, qua ad ſinceram nobiſcum concordiam inſtaurandam adduci potuerint. De his quæ tunc temporis ſub Michaele Palæologo acciderunt, legenda prorſus Georgii Pachymeris hiſtoria toto libro ultimo, quo res poſtremis illius Imperatoris annis geſtas recitat, ut & illam quam de Andronici filii ejus Imperio ſcripſit. In Florentina ſynodo, quæ poſt ducentos fere annos ejuſdem eccleſiarum concordiæ ſarciendæ cauſa habita eſt, nihil durabile confectum eſt; ad quam nimirum Græci contentionis potius & vincendi avidum animum attulerunt, quam unitatis paciſque Chriſtianæ ſtabiliendæ ſtudium.

Palamitarum profana capita à Græcis ſancita.

X. Ad hæc, novorum jurgiorum occaſionem auxerunt profana Gregorii Palamæ deliria, illudque inprimis fanatici illius Theſſalonicenſis archiepiſcopi præcipuum doctrinæ caput, quo Deum Lucem ſibi coævam à ſuimet ſubſtantia diverſam prorſus inhabitare, ejuſque item operationem reipſa ab ipſius eſſentia diſtinctam eſſe cogitaverat. Hanc in plenariis ſuis conciliis, Joanne Cantacuzeno Imp. acriter agente, & ineptiſſime ſuo more urgente, approbarunt, tenendamque definierunt, illis anathemati devotis qui contraria ſentirent. Quam nova hæc dogmata unioni eccleſiarum inſtaurandæ nocitura eſſent, probe intellexit Joannes II. Palæologus Imperator, dum in Italiam ad ſynodum cum noſtris Occidentalibus iterum celebrandam ſuorum ſtipatus cœtu perrexit. Acta ſiquidem Florentini concilii Græca ferunt, eum Græcos ſuos diligenter monitos voluiſſe, ne quid inter diſputandum cum Latinis proferrent, quo ſuam de Lucis operationiſque divinæ à Deitate ſive divini numinis eſſentia reali diſcrimine ſententiam ſignificarent, unde novi concordiæ quam vehementer optabat obices injicerentur, nova oblata diſputandi materia de qua noſtri nondum ſatis audierant.

Falſi de Græcis ſparſi rumores.

XI. Cæterum, quod quidam è noſtris in vulgus ſparſerunt, Græcos pontifices quotannis, in die Cœnæ Domini anathema Romanæ Eccleſiæ palam pronuntiare, falſiſſimum prorſus eſſe monſtravit doctiſſimus, deque Eccleſia optime meritus gentilis eorum Leo Allatius lib. 3. de utriuſque Eccleſiæ perpetua conſenſione cap. 17. ubi & alia objecta diluit, quæ Latinorum nonnulli, præſertimque Antonius Caucus Corcyrenſis Latini ritus archiepiſcopus, & Guido Carmelita illis, non ſine calumniis impegerunt. Quinimo idem auctor in Addendis ad tertium huncce librum tamquam vanum futileque commentum explodit & confutat, neſcio cujus ſynodi acta, in quibus Athanaſius quidam Byzanti Patriarcha electus, unà cum tribus aliis patriarchis initam Florentiæ inter

utramque ecclesiam unionem ejurasse fingitur. Vir equidem ille pereruditus, uti genuinum habet synodale decretum aliud Orientis Patriarcharum, quo Metrophanem Constantinopolitanum, qui Florentinam synodum commendaret, & apud suos sancitam in ea concordiam propagare studeret, anathemate, Arsenii Cæsariensis suggestionibus, perculerunt: at nullas in illo eorum decreto diras animadvertere est, in Romanum Papam Latinamve ecclesiam intortas. Quinimo Joannes Gobelinus in suo de Pii Papæ II. rebus commentario testatur, illius Pontificis tempore Moysem Archidiaconum Antiochenum, virum Græcis & Syriacis literis eruditum, magni apud Orientales nominis, ad Pontificem Romanum à tribus Patriarchis Antiocheno, Alexandrino & Hierosolymitano, aliisque plurimis principibus Christianis missum; cujus legatio hujusmodi fuit: Venisse olim ad Pontificem Eugenium Imperatorem & Patriarcham Constantinopolitanum, & in Concilio Florentino, nomine Orientalis ecclesiæ de unione cum Occidentali, de processione Spiritus sancti, de igne Purgatorio, de Pane azymo, & de Primatu Romanæ Ecclesiæ, & aliis plerisque, de quibus antea disceptaverant, convenisse. Decretum deinde factum, quod Patriarchæ qui miserant, non susceperunt, satore zizaniorum impediente. Deinde bono commotos Spiritu, conventu subditorum habito, suscepto per omnia Decreto, soli Romano Pontifici se commisisse, velleque illi tamquam Christi Vicario obtemperare, atque ad ea enuntianda se missum. Audivisse autem Pontificem legationem, & privatim, & publice; & collaudatis Patriarchis, scripta quæ Moyses attulerat, in Latinum translata, in archivis Romanæ Ecclesiæ recondi jussisse, ipsumque legatum ad propria remisisse. Hæc quidem illi tres Patriarchæ, tunc gesserunt; sed nec desunt ex episcopis Græcis, qui hinc inde Europæ & Asiæ, nec non reliqui Orientis ecclesias tenent, qui quantum ipsis per calamitosum hocce tempus licet, quo barbarorum, Christianique nominis hostium jugo premuntur, Romanæ Ecclesiæ, clam saltem, quin & palam, ubi se dat opportunitas, se obsequentes testantur.



EXCERPTA
EX QUIBUSDAM SCRIPTORIBUS GRÆCIS,
DE PATRIARCHA
CONSTANTINOPOLITANO.

EX GEORGII CODINI CUROPALATÆ LIBRO
de Officialibus Palatii Constantinopolitani, & magnæ Ecclesiæ.

CAPUT XX.

De Electione & inauguratione Patriarchæ, aliorumque Patriarcharum & Episcoporum.

I. CONGREGANTUR qui tunc Constantinopoli agunt episcopi, licet plures fuerint; sin minùs duodecim : quin etiam è vicinis ecclesiis evocati. Si verò neque ex iis qui peregrè advenerunt, neque ex finitimis ecclesiis duodenarius numerus episcoporum confici nequeat, tunc necessariò in loco suffragii ferendi sedent tot quot reperti erunt, tresque in Patriarchas eligunt, quos scilicet Deus ipsis inspiraverit. Quorum nomina scripto consignata deferunt selecti Ecclesiæ proceres ad Imperatorem, qui ex illis eligit aliquem, quem Deus ei in mentem miserit.

II. Deinde ablegat Imperator principes, qui simul cum ecclesiasticis illis proceribus perferunt electionem ad electum, electum, inquam, ab Ecclesia & Imperatore. Si electus electioni annuat, benè est; si abnuat, eunt ad alterum: si neque iste consentiat, ad tertium se conferunt. Si forsan tertius recuset, rursùs de integro, & alio quasi initio sumto suffragia feruntur. Postquam electus assensum præbuit, hunc in modum ab Imperatore renuntiatur.

III. Exstructa lignea anabathra, ad initium Triclinii, opertaque coccineis pannis sericis, in qua stat talis Imperatoris thronus, qualis in coronatione Imperatoris descriptus est, triclinium quidem intersepitur ejusmodi velis & pannis, quales in inauguratione Despotæ adhiberi dictum est.

IV. At Imperator stemma & alia insignia

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ κ'.

A [a] Περὶ προβλήσεως Πατριάρχου, καὶ περὶ χειροτονίας τοῦ αὐτοῦ, καὶ ἄλλων πατριαρχῶν τε καὶ ἐπισκόπων.

1. ΣΥΝΑΓΟΝΤΑΙ οἱ ἐπιδημοῦντες τῆς [b] Κωνσταντινουπόλεως ἀρχιερεῖς, εἰ μὲν καὶ πλείους τύχοιεν ὄντες, [c] εἰ δ' οὔ, καὶ δώδεκα· ἔτι δὲ καὶ ἀπὸ τῶν πλησιοχώρων ἐκκλησιῶν μετακεκλημένοι. [d] εἰ δὲ μήτε ἐπιδημοῦντες τύχοιεν, μήτε ἐν ταῖς πλησιοχώροις ἐκκλησίαις ὦσιν ἀρχιερεῖς δώδεκα, κάθηνται ἐν τῷ ψηφοφορείῳ ἐξ ἀνάγκης ὅσοι ἂν εὑρεθῶσι, καὶ ἐκλέγονται εἰς Πατριάρχην πρόσωπα τρία, οὓς ἂν ὁ Θεὸς χορηγήσῃ εἰς τὴν γνῶσιν B αὐτῶν· [e] τὰ ὀνόματα διακομίζουσιν ἐγγράφως τῷ βασιλεῖ οἱ τῶν ἀρχόντων τῆς ἐκκλησίας ἔκκριτοι· καὶ ὁ βασιλεὺς ἐκλέγεται ἀπὸ τούτων, ὃν ἂν ὁ Θεὸς ἐμβατεύσῃ εἰς τὴν γνῶσιν αὐτοῦ.

2. Εἶτα ἀποστέλλονται ἄρχοντες παρ' αὐτοῦ οὓς ἂν διακρίνοι, καὶ οἱ δηλωθέντες ἐκκλησιαστικοὶ ἄρχοντες, καὶ διακομίζουσι τὸ [f] ψήφισμα πρὸς τὸν ψηφισθέντα καὶ ἐκλεγέντα [g] ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας τε καὶ τοῦ βασιλέως. κἂν μὲν δέξηται τοῦτο, ἤδη καλόν· εἰ δὲ μή, ἀπέρχονται εἰς τὸν ἕτερον· εἰ δὲ καὶ οὐχ οὗτος, εἰς τὸν λοιπόν. εἰ δ' ἴσως οὐδ' C ὁ [h] τρίτος, γίνονται αὖθις ψῆφοι, ὡς ἐξ ἄλλης ἀρχῆς· καὶ μετὰ τὸ δέξασθαι τὸν ψηφισθέντα τὸ μήνυμα, προβάλλεται τοῦτον ὁ βασιλεὺς οὕτως.

3. Γινομένης ἀναβάθρας διὰ ξύλων εἰς τὴν ἀρχὴν τοῦ τρικλίνου, περισκεπομένης διὰ βλατίου κοκκίνου, ἐφ' ἧς ἵσταται θρόνος βασιλικός, ὁποῖος ἐν τῇ τοῦ βασιλέως στεφηφορείᾳ εἴρηται· ὁ μὲν τρίκλινος ἐστὶ διαπεφραγμένος βλατίοις, καθὰ καὶ ἐν τῇ τοῦ Δεσπότου προβλήσει δεδήλωται.

4. Ὁ δὲ βασιλεὺς τό, τε στέμμα, καὶ τὰ λοιπὰ

[a] *Desunt sequentia in Regio 2. 1. legit* Περὶ προβλήσεως Πατριαρχῶν καὶ Ἀρχιεπισκόπων. [b] τῇ Κωνσταντινουπόλει. [c] εἰ δ' οὖν. [d] ἢ εἰ μήπω. [e] ὧν τὰ ὀνόματα. [f] μήνυμα. [g] ὡς ἀπό. [h] τρίτος οὗτος.

φορῶν [a] καθίζει ἐπὶ τοῦ θρόνου ἐρχόμενος ἐκ τοῦ κελλίου αὐτοῦ, πάντων τῶν ἀρχόντων παρεσταμένων ἔξω τοῦ διαφράγματος, μετὰ τῶν παρασήμων καὶ φορεμάτων αὐτῶν. καὶ θρόνου οὐρανέου τεθέντος, κατὰ τὸ τοῦ τρικλίνου τρίτον μέρος ἀπὸ τοῦ τοίχου πρὸς τὸν βασιλέα, περισκεπομένου διὰ βλατίου χρυσοῦ, ἔρχεται ὁ ὑποψήφιος πατριάρχης (ὑποψήφιος γὰρ μέχρι τότε λέγεται) καὶ καθίζει ἐπ' αὐτοῦ.

5. Εἶτα τῶν βλατίων τοῦ διαφράγματος αἰρομένων, ἀνίστανται ἀμφότεροι, καὶ πάντες αὐτίκα πολυχρονίζουσι.

6. Καὶ μετὰ τοῦτο, οὐκ ἀπὸ τῶν ἀξιωμάτων τις, τοῦτ' ἔστιν ἢ Δεσπότης, ἢ Σεβαστοκράτωρ, ἢ Καῖσαρ, φέρει τὸν ὑποψήφιον (οὐδὲ γὰρ ἐνδημοῦσιν οὗτοι ταῖς τῶν Πατριαρχῶν προβλήσεσι· τῇ αἰτίᾳ, ὅτι τοῦ Πατριάρχου καθημένου ἀνοικεῖόν ἐστιν ἵστασθαι τούτους. πάλιν δὲ τῆς τῶν βασιλέων εὐφημίας γινομένης, οὐκ [b] ἀφεῖται τούτους καθῆσθαι· διὰ τοῦτο καὶ οὐ πάρεισιν) ἀλλ' ἀπὸ τῶν ἀρχόντων ὁ κρείττων καὶ διαφορώτερος ἐπαίρων διὰ χειρὸς, φέρει τοῦτον ἔμπροσθεν τῆς ἀναβάθρας.

7. Τοῦ οὖν [c] Πατριάρχου δικανίκου ἐκεῖσε ἐν τῷ ῥηθέντι διαφράγματι εὑρισκομένου, λαβὼν τοῦτο ὁ βασιλεὺς διά τινος τῶν μὴ φορούντων σκιάδια εὐγενῶν, ἱσταμένου καὶ τοῦ βασιλέως καὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, εἰ
» πάρεστιν ἐκεῖσε, μεγάλῃ φωνῇ λέγει οὕτως· Η ἁγία
» τριάς, [d] διὰ τῆς παρ' αὐτῆς δωρηθείσης ἡμῖν βασι-
» λείας, προβάλλεταί σε ἀρχιεπίσκοπον Κωνσταντινου-
» πόλεως, νέας Ρώμης, καὶ οἰκουμενικὸν Πατριάρχην.
» καὶ οὕτως αὐτίκα πολυχρονίζουσι πάντες.

8. Εἶτα ὁ Πατριάρχης ἐπὶ τῆς ἀναβάθρας ἀνελθὼν, λαμβάνει τὸ δικανίκιον ἀπὸ τῆς τοῦ Βασιλέως χειρὸς· καὶ εὐλογῶν αὐτὸν, εὐθὺς κατέρχεται.

9. Καθεσθέντων οὖν ἑκατέρων ἐπὶ τῶν θρόνων αὐτῶν, γίνεται ἡ εὐφημία τῶν βασιλέων καὶ τοῦ Πατριάρχου.

10. [e] Καὶ μετὰ τῆς εὐφημίας κλεισθέντος τοῦ διαφράγματος, ὁ μὲν βασιλεὺς εἰς τὸ κέλλιον αὐτοῦ, ὁ δὲ Πατριάρχης ἀπέρχεται ἱππότης εἰς τὴν ἁγίαν Σοφίαν, τοῦ ἵππου αὐτοῦ περισκεπομένου σαγίσματι ἐκ πανίου λευκοῦ μέχρι τῆς κεφαλῆς· συναπέρχονται δὲ καὶ οἱ ἄρχοντες μετ' αὐτοῦ τὰ ἑαυτῶν ἐνδεδυμένοι παράσημα.

11. Ιστέον δὲ, ὅτι ὑποψήφιος ἔτι ὢν, καὶ ἐρχόμενος προβληθῆναι, ἔξω τῆς τοῦ Παλατίου αὐλῆς πεζεύει· μετὰ δὲ τὴν πρόβλησιν, ἐντός. σκεπάζουσι δὲ καὶ τὸν ἵππον αὐτοῦ σαγίσματι, καθὼς εἴρηται.

12. [f] Επελθὼν οὖν εἰς τὴν ἁγίαν Σοφίαν, μετὰ τὸ προβληθῆναι, ὡς δεδήλωται, εὐωχεῖται μετὰ τῶν ἀρχιερέων καὶ τῶν ἀρχόντων τῆς ἐκκλησίας. ἐν δὲ τῷ τῆς αὐτοῦ χειροτονίας καιρῷ, ἔρχεται μὲν ὁ βασιλεὺς εἰς τὴν ἁγίαν Σοφίαν, τὴν καθ' ἡμέραν συνήθη φέρων στολήν. χειροτονεῖται δὲ ὁ Πατριάρχης ὑπὸ τοῦ Ηρακλείας· ἐπεὶ τῆς Ηρακλείας ἐπισκοπὴ ἦν τὸ Βυζάντιον.

A gestans, egressus è conclavi suo in throno sedet, cunctis proceribus extra septum consistentibus, cum suis insignibus & ornamentis, positoque cæruleo throno circa tertiam Triclinii partem Imperatorem versus, à pariete aureis velamentis instrato, venit Patriarcha Electus, (eo usque enim hoc adhuc nomine appellatur,) & sedet in illo.

V. Deinde sublatis septi velamentis, surgit uterque, & mox omnes *Multos annos* apprecantur.

B VI. Post hæc, non aliquis summa in dignitate constitutus, puta vel Despota, vel Sebastocrator, vel Cæsar, sistit Electum (neque enim isti Patriarcharum promotionibus intersunt; hac nempè de causa, quod Patriarchâ sedente insolitum est eos stare: rursumque fausta acclamatio Imperatoribus facta non sinit eos sedere, idcircò non adsunt,) sed è proceribus dignior & eminentior manu apprehensum ducit ante Anabathram.

VII. Reperto autem intra septum patriarchali Pedo, Imperator ministerio nobilis ado-
C lescentis ex iis qui retecto capite in aula agunt, accipit illud, stansque tam ipse, quàm filius ejus, si adsit, magna voce ita affatur: *Sancta Trinitas quæ nobis Imperium concessit, constituit te Archiepiscopum Constantinopolis novæ Romæ, & Oecumenicum Patriarcham.* Et mox universi *Multos annos* accinunt.

VIII. Dein Patriarcha conscensâ Ana-
D bathrâ, de Imperatoris manu pedum accipit, eoque benedicto, statim descendit.

IX. Sedentibus igitur ambobus in thronis suis, fausta acclamatione tam Imperatorem, quàm Patriarcham prosequuntur.

X. Post acclamationem, clauso septo, Imperator abit in conclave suum: Patriarcha eques se confert ad sanctam Sophiam, & equus illius tegitur operimento ex candido panno usque ad caput: quem comitantur principes suis quisque insignibus spectabiles.

XI. Sciendum est Patriarcham, dum adhuc tantummodò electus est, extra palatium pedibus ambulare, quandò ad renunciationem suam venit: post renunciationem verò
E tantum in palatio pedes graditur. Tegunt autem & equum ejus velamento, ut dictum est.

XII. Profectus igitur ad sanctam Sophiam post suam renunciationem, ut ostensum est, epulum init cum Episcopis & proceribus Ecclesiæ. In ordinatione ejus venit Imperator ad sanctam Sophiam ferens consuetam sibi diebus singulis stolam. Ordinatur verò Patriarcha ab episcopo Heracleæ, quia Byzantium olim episcopatus erat Heracleæ obnoxius.

[a] ἐλθὼν ἐκ τοῦ κελλίου αὐτοῦ καθίζει ἐπὶ τοῦ θρόνου. [b] ἐφεῖται. [c] Πατριαρχικοῦ. [d] ἡ τὴν βασιλείαν δωρησαμένη ἡμῖν. [e] καὶ μετὰ τὴν εὐφημίαν. [f] ἀπελθών.

A XIII. Scire oportet, alios quidem episcopos duplici Crucis consignatione ordinari; quarum primam *Parvam* appellant, alteram *Magnam,* quæ ipsa est ordinatio. Patriarcha verò unâ consecratur, quoniam Imperatoris renunciatio parvæ consignationis vicem supplet.

XIV. Ad eumdem modum sine ulla variatione fit aliorum Patriarcharum renunciatio, nimirum Alexandriæ, Antiochiæ, & Hierosolymorum; quin & Archiepiscopi primæ Justinianæ Achridis, totiusque Bulgariæ: B nam Justiniana secunda est Cyprus, tertia, Carthago.

XV. Episcopi postquam electi & à Patriarchâ consecrati sunt, conferunt se post dies aliquot ad Palatium, vota ibi, precesque pro Imperatoribus & subjecto populo facturi, Imperatoremque veneraturi. Recitat unusquisque precationem illam circumstante comitatu.

C XVI. Archimandritæ verò & Protosyncelli, sed & præpositi venerabilium monasteriorum, postquam à Patriarchâ electi sunt, abeunt & ipsi ad palatium, Imperatoremque venerantur, & ab Imperatore pastorale pedum accipiunt. Episcopi quidem ad Imperatorem venerandum, ut dictum est, pergentes, illum venerantur, undulatis palliis suis induti. Ecclesiæ verò proceres cum capitum tegminibus, suisque tunicis.

13. Δεῖ δὲ γινώσκειν, ὅτι οἱ μὲν ἄλλοι ἀρχιερεῖς χειροτονοῦνται σφραγιζόμενοι ἐκ δευτέρου· τὴν μὲν πρώτην σφραγῖδα καλοῦσι μικρὰν, τὴν δὲ δευτέραν, μεγάλην, ἥτις ἐστὶ χειροτονία. ὁ δὲ Πατριάρχης χειροτονεῖται μόνον, ἐπεὶ ἡ τοῦ βασιλέως προβλησις ἀντὶ τῆς μικρᾶς λογίζεται σφραγῖδος.

14. Ομοίως καὶ ἀπαραλλάκτως γίνεται καὶ ἡ τῶν ἑτέρων Πατριαρχῶν προβλησις, τοῦ τε Αλεξανδρείας, τοῦ Αντιοχείας καὶ τοῦ Ιεροσολύμων· ἀλλὰ δὴ καὶ τοῦ ἀρχιεπισκόπου πρώτης Ιουστινιανῆς Αχρίδος, καὶ πάσης Βουλγαρείας· ἐπεὶ δευτέρα Ιουστινιανή ἐστιν ἡ Κύπρος, καὶ τρίτη ἡ Καρχηδών.

15. Οἱ μέντοιγε ἀρχιερεῖς μετὰ τὰς ψήφους αὐτῶν χειροτονούμενοι παρὰ τοῦ Πατριάρχου, [a] καθ' ἡμέρας τινὰς τῆς χειροτονίας αὐτῶν, [b] ποιῶν εὐχὴν ἕκαστος ὑπὲρ τῶν κρατούντων καὶ ὑπηκόου, ἀπέρχεται προσκυνῶν τὸν βασιλέα, καὶ ἀναγινώσκει ταύτην, τῆς παραστάσεως ἱσταμένης.

16. Οἱ δέ γε Αρχιμανδρῖται καὶ Πρωτοσύγκελλοι, ἀλλὰ δὴ καὶ καθηγούμενοι τῶν ἐντίμων μοναστηρείων, μετὰ τὸ τὴν σφραγῖδα παρὰ τοῦ Πατριάρχου λαβεῖν, ἀπέρχονται, καὶ προσκυνοῦσι καὶ οὗτοι, καὶ λαμβάνουσι τὸ δικάνικον ἀπὸ τῆς τοῦ Βασιλέως χειρὸς, καὶ οἱ μὲν ἀρχιερεῖς εἰς προσκύνησιν τοῦ βασιλέως, ὡς εἴρηται, ἐρχόμενοι μετὰ τῶν ἐχόντων μανδύων αὐτῶν ποταμοὺς προσκυνοῦσιν αὐτόν· οἱ δέ γε τῆς ἐκκλησίας ἄρχοντες, μετὰ τῶν ἐπιρριπταρείων καὶ ἱματίων.

[a] μεθ'. [b] ἕκαστος ποιῶν.

EX SIMEONE METROPOLITA THESSALONICÆ.

CAPUT CCXXIV.

De institutione & Ordinatione Patriarchæ.

QUIA verò Patriarcha episcopus est, jam quæ ad ipsum spectant vidimus in Episcopi consecratione. Patriarcha ad Deum profecto, episcoporum nemo magnam ecclesiam ingreditur, ne tamquam invasor habeatur. Imperatoris verò est episcoporum sacrum Concilium cogere, hac potestate pridem donatus à divinis Patribus, utpotè qui defensor est Ecclesiæ. Quocircà Imperator ipse vicinarum regionum episcopos mandatis suis advocat. Qui omnes, sivè priùs in magna civitate agant, sivè aliundè convenerint, quotquot accedere poterunt; si quidem singulorum conditio sacris regulis conformis sit, Imperatorio decreto in uno sacro loco congregantur. Atque antiquus hic mos est, ut non soli conveniant, ne schismata quædam, turbasque fieri contingat; at non in magno Patriarchali templo coguntur, quoniam nullus Patriarcha est, & nemini licet

D

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ σκδ'.

Περὶ καταστάσεως καὶ χειροτονίας Πατριάρχου.

ΕΠΕΙ δὲ καὶ ὁ πατριάρχης ἐπίσκοπος, εἴδομεν καὶ τὰ κατ' αὐτὸν ἐν τῇ χειροτονίᾳ τοῦ ἐπισκόπου. Πατριάρχου πρὸς θεὸν μεταστάντος, οὐδεὶς τῶν ἀρχιερέων τῇ μεγάλῃ ὅλως ἐκκλησίᾳ παραβάλλει, ἵνα μὴ ὡς ἐπιβάτης λογισθῇ. τοῦ βασιλέως δὲ ὡς ἐκδίκου τῆς ἐκκλησίας προτροπὴν ἄνωθεν ἔχοντος τῶν θείων πατέρων, σύνοδον ἱερὰν τοῦτου χάριν συνάγει ἀρχιερέων. αὐτὸς δὲ ὁ βασιλεὺς E τοὺς πλησιοχώρους προσκαλεῖται διὰ προσταγμάτων ἀρχιερεῖς. καὶ συναχθέντων αὐτῶν, πάντες, εἴτε πρότερον ὄντες ἐν τῇ μεγάλῃ πόλει, εἴτε συναθροισθέντες ἔξωθεν, ὅσοι δυνατὸν ἐλθεῖν· ἐπεὶ καὶ εἴπερ πάντες ἦσαν κανονικοί· τοῖς βασιλέως προστάγμασιν ὁμοῦ συνάγονται ἐν ἱερῷ τόπῳ ἑνί. καὶ τοῦτο δὲ ἀρχαῖον ἔθος τὸ μὴ μόνους συνάγεσθαι, ἵνα μὴ σχίσματά τινα συμβαίη γενέσθαι, καὶ ταραχάς· συνάγονται δὲ οὐκ ἐν τῷ μεγάλῳ ναῷ τοῦ πατριαρχείου, ὅτι πατριάρχης οὐκ ἔστι, καὶ οὐ τινι ἄδεια ἐκεῖσε

παραβάλλειν, ἀλλὰ ἐν τῷ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων θείῳ σηκῷ, διὰ τὴν χάριν τῶν ἀποστόλων, καὶ ὅτι ἀποστολικὸν τὸ λειτούργημα· καὶ κύκλῳ δὲ αἱ ἅγιαι εἰκόνες τῶν ἀποστόλων, ὡς καὶ ἐν τῷ ψηφοφορείῳ οἱ ἀπόστολοι ἀνιστόρηνται, ἄνωθεν τὸ πνεῦμα δεχόμενοι. τῆς εὐχῆς οὖν καὶ τῶν τριῶν φώτων, καὶ τοῦ θυμιάματος, καὶ τοῦ μνημοσύνου, καὶ τῆς ἀπολύσεως παρὰ τοῦ πρώτου ἀρχιερέως τελεσθέντων, καὶ συμψαλλόντων, καὶ συνευχομένων καὶ τῶν λοιπῶν, κατὰ τάξιν καθῆνται, μόνον τοῦ χαρτοφύλακτος αὐτοῖς συμπαρόντος, καὶ ὡς ἔθος αἱ ψῆφοι ἐν τρισὶ προσώποις, ὡς εἰρήκαμεν, γίνονται. καὶ τὰς ψήφους πάντας ὁ χαρτοφύλαξ μετὰ δύο ἀρχιερέων προσκομίζει τῷ βασιλεῖ. τοῦτο δὲ ἀνεῖται ἄνωθεν ἀπὸ τῶν πατέρων ὡς κεχρισμένῳ βασιλεῖ, ἡ ἀπὸ τῶν τριῶν ἐκλογὴ, ὅτι ἐκλελεγμένοι εἰσὶ παρὰ τῆς συνόδου καὶ οἱ τρεῖς κεκριμένοι ἄξιοι.

illuc accedere; ſed in ſacra divinorum Apoſtolorum eccleſia, tum in gratiam Apoſtolorum, tum quia de Apoſtolico munere & officio agitur: ac circà ipſos ſanctæ Apoſtolorum imagines exſtant, ut & in loco qui ferendis ſuffragiis deſignatur, Apoſtoli quoque depicti viſuntur, Spiritum deſuper accipientes. Precibus igitur recitatis, luminaribus accenſis, thurificatione, commemoratione & dimiſſione à primario epiſcopo factis, reliquis iterum unà pſallentibus & precantibus, omnium conſeſſio fit, ſoluſque illis adeſt Chartophylax, & pro more in perſonas, ut prædictum eſt, ſuffragia feruntur; quæ ſuffragia omnia Chartophylax Imperatori defert. Quod quidem ei pridem à Patribus conceſſum eſt, utpotè uncto Regi. Fit porrò unius è tribus electio, quum illi à ſynodo ſelecti ſint, treſque ab ea digni judicati.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ σκε΄.

Ὅτι ὁ βασιλεὺς δι᾽ ἑαυτοῦ ἀξιοῖ τὸν ψηφισθέντα τὴν Πατριαρχείαν καταδέξασθαι.

Ὁ οὖν ἐκ τριῶν ἐκλεγεὶς, καὶ διαμηνυθεὶς, ἢ παρ᾽ αὐτοῦ ἀξιωθεὶς, παραγινομένου βασιλέως· τοῦτο γὰρ καὶ ἐπιπλέον γίνεται διὰ τὸ μέγα τοῦ ἔργου, καὶ τὸ παραιτεῖσθαι τὴν μεγάλην ἐγχείρησιν τοὺς εἰδότας, ὡς εὐλαβουμένους αὐτήν· ὁ πεισθεὶς, καὶ καταδεξάμενος ἐν ὡρισμένῃ ἡμέρᾳ, τὸ Μήνυμα δέχεται, πάντων συνηγμένων ἐκεῖσε ἀρχιερέων, ἱερέων, ἀρχιμανδριτῶν, ἡγουμένων, τοῦ κλήρου, καὶ πλείστου λαοῦ, ὡς τοῦ κοινοῦ προχειριζομένου πατρὸς καὶ ἀρχόντων λαμπάδας φερόντων ἁπάντων, καὶ τῆς εὐχῆς γινομένης, ὡς εἴρηται, παρὰ τοῦ ὑποψηφίου πατριάρχου, καὶ ἀπολύοντος, τὸ Μήνυμα δίδοται παρὰ τῶν ἀρχόντων, συγκλητικῶν τῶν μεγίστων· τοῦ βασιλέως γὰρ φέρουσι τὸ πρόσωπον· ὁ βασιλεὺς δὲ τὰ τῆς συνόδου ὑπηρετεῖ, ὡς χριστὸς κυρίου, καὶ δεφένσωρ, καὶ ὑπηρέτης ἐκκλησίας καταστὰς ἐν τῷ χρίεσθαι, καὶ τοῦτο καθυποσχεθείς.

Κεφαλ. σκς΄. Διὸ καὶ οἱ τὸ Μήνυμα λέγοντες οὕτω φασίν·
» Ὁ κραταιὸς καὶ ἅγιος ἡμῶν αὐθέντης καὶ βασιλεὺς
» καὶ ἡ θεία καὶ ἱερὰ μεγάλη σύνοδος προσκαλοῦνται
» τὴν ἁγιωσύνην σου εἰς τὸν ὑψηλότατον θρόνον τοῦ
» πατριαρχείου τῆς Κωνσταντινουπόλεως· μαρτυροῦντες, ὡς οὐχ ὁ βασιλεὺς ἀφ᾽ ἑαυτοῦ, ἀλλὰ τὰ τῆς συνόδου μηνύει, καὶ μόνον ὑπηρετεῖ.

Κεφαλ. σκζ΄. Κατὰ τῶν λεγόντων ὅτι ὁ βασιλεὺς τὸν πατριάρχην ποιεῖ.

Φλυαροῦσι τοίνυν οἱ λέγοντες καινοτόμοι φθόνῳ βαλλόμενοι, ὡς ὁ βασιλεὺς τὸν πατριάρχην ποιεῖ· οὐδαμῶς γὰρ ὁ βασιλεὺς, ἀλλ᾽ ἡ σύνοδος ἐνεργεῖ, ἐξυπηρετουμένου μόνου τοῦ βασιλέως εὐσεβοῦς ὄντος, ὡς δέδεικται· οὐ μόνον ὅτι ἔκδικός ἐστι καὶ βασιλεὺς χρισθεὶς ἐκ τῆς ἐκκλησίας, ἀλλ᾽ ἵνα συνεργῶν εἴη καὶ ὑπηρετῶν, καὶ στέργῃ, καὶ βέβαια τηρῇ τὰ τῆς ἐκκλησίας, ὀφειλομένου ἐν τοῖς ὀρθοδόξοις τηρεῖσθαι διὰ τὴν εἰρήνην τῆς ἐκκλησίας.

CAPUT CCXXV.

Quod Imperator ipſe Electum invitat ut Patriarchatum ſuſcipiat.

Qui itaque è tribus electus eſt, & decreto firmatus, atque ab Imperatore præſente dignus pronuntiatus (hoc enim fit ut plurimum, propter operis magnitudinem, quodque ii qui muneris gravitatem noverint, ejus reverentiâ ducti, illud recuſent) electioni conſentire perſuaſus, ea accepta, indicta die Decretum recipit, coactis omnibus, qui illic agunt, epiſcopis, preſbyteris, archimandritis, hegumenis, clero, & populi magna parte, veluti promoto communi patre, principibus lampades geſtantibus, factâ, ut dictum eſt, ab electo Patriarchâ prece, necnon dimiſſione, ſolennis illa electi Patriarchæ declaratio, decretumve à maximis ſenatoribus pronuntiatur. Illi namque Imperatoris perſonam gerunt; Imperator vero quæ ſynodi ſunt præſtat, tamquam unctus Domini, & defenſor, & miniſter Eccleſiæ ſuapte unctione conſtitutus, idque tum pollicitus.

Quapropter qui decretum pronunciant, ſic aiunt: *Fortis & ſanctus noſter Dominus & Imperator, divinaque & ſancta magna ſynodus advocant ſanctitatem tuam ad celſiſſimum thronum patriarchatûs Conſtantinopolitani.* Teſtantur utique Imperatorem, non à ſeipſo, ſed quæ ſynodus ſtatuit, ſimul cum ſynodo pronuntiare, ſolumque miniſterium præſtare. Cap. 226.

Unde nugantur illi novarum rerum inventores, qui, invidiâ perciti, dicunt ab Imperatore Patriarcham creari. Id nullo modo facit Imperator, ſed ſancta ſynodus religioſi Imperatoris miniſterio, ut oſtenſum eſt, non tantum quia defenſor eſt & Imperator unctus ab Eccleſia, ſed etiam ut cooperetur, miniſtret, dirigat, & firma conſervet quæ ad Eccleſiam ſpectant. Tenetur enim eccleſiaſticæ pacis gratia hæc inter orthodoxos obſervare.

Cap. 227. Adverſus eos qui dicunt ab Imperatore Patriarcham creari.

Postquam igitur electus sese ab onere subeundo modestè & honestè excusavit, Ecclesiamque suscepit, episcopi omnes illum adeunt, & adoratione colunt. Similiter clerici & laïci accepta ab eo benedictione, quia sponsus est Ecclesiæ. Si igitur Electus ille Patriarcha episcopus est, ordinatione non eget, sed tantum inthronizatione. Sin verò presbyter, ordinatur, & in throno collocatur.

Cap. 228. Si autem Electus non erat presbyter, postquam electionem admisit, secundum ordinem quem habuerit promotus, in presbyterum ordinatur, ordinatusque solenni decreto renuntiatur. Post decretum verò, & paulò ante quàm Episcopus consecretur, vel inthronizetur, fit quod Promotio dicitur; quod quidem est confessio Imperatoris ex ore ipsius, qua testificatur se electum ab Ecclesia diligere, qui à synodo institutus sit ut Ecclesiam pascat, habereque illum & agnoscere in nomine Sanctæ Trinitatis à quâ Imperium accepit, in Archiepiscopum Constantinopolitanum novæ Romæ, & Oecumenicum Patriarcham. Non igitur creat illum Imperator, neque ei dat aliquid, sed operi jam facto consentit, & obsequitur, & clarum est nihil illi ab eo dari, sed potiùs ab accipere, & ministri instar esse ecclesiæ. Ubi verò Electo baculum sacrum propria manu tradidit, ad eum accedit, & ei caput inclinat, aperitque, &, ut moris est, benedictionem accipit, osculaturque Patriarchæ manum.

Cap. 229. At manifestiùs patet Imperatorem nihil illi dare, sed hæc facere, ut ostendat, se Ecclesiam diligere, ac quæ acta sunt confirmare: quia si Electus Patriarcha episcopus est, nulloque episcopali ministerio ordinationis causa eget, illud tamen fieri solet. Id præterea facit Imperator, ut demonstret à se Ecclesiam honorari, non ut ei dominetur. Imperator enim Electum nondum à se visum, blandè excipit venientem, pallium ei undulatum mittit, & Encolpium Ecclesiæ, quod vice arrhabonis est, uti minister custosque conservat. Ideò baculum, tamquam honorabilius pastoralis potestatis symbolum ipse manu tradit, honorem præstando & securitatem, utque significet, se pastorem quem elegit Deus amplexari. Id quod quidem evidentissime testatur jubens parari equum egregiè phaleratum, cui Electus insideat, frenaque equi Imperatoris vice a Comite prehendi, qui pedes incedat, velut olim S. Sylvestro fecit magnus Imperator Constantinus, & sic pedibus gradiatur per aulæ regiæ aream, viamque publicam usque ad patriarchales ædes. Sed & si Imperatoris filius est, eques sequitur, omnisque Senatus. Sic porrò ad Ecclesiæ honorem fit ea quæ Promotio dicitur; sed hæc omnia ad Christum referuntur.

A Ἀπολογουμένου οὖν καὶ τοῦ ὑποψηφίου τὰ εἰκότα, καὶ καταδεξαμένου τὴν ἐκκλησίαν, πάντες ἀρχιερεῖς προσέρχονται τούτῳ, καὶ προσκυνήσιν ἀπονέμουσιν, ὁμοίως κληρικοί τε καὶ λαϊκοὶ ἀπολαβόντες εὐλογίαν, ὅτι μνήστωρ τῆς ἐκκλησίας ἐστίν. οὗτος οὖν, εἰ μὲν ἐκ τῶν ἀρχιερέων ἐστὶν, οὐ δεῖται χειροτονίας, ἀλλὰ μόνον ἐνθρονισμοῦ. εἰ δὲ ἱερεὺς, χειροτονεῖται, καὶ ἐνθρονίζεται.

Εἰ δὲ ψηφισθεὶς οὐκ ἦν ἱερεὺς, καταδεξάμενος γενέσθαι, κατὰ τάξιν καὶ βαθμὸν προαγόμενος, πρῶτον χειροτονεῖται εἰς ἱερέα, καὶ οὕτω τὸ Μήνυμα B δέχεται. μετὰ δέ γε τὸ Μήνυμα καὶ ὕστερόν τι γίνεται πρὸ τῆς χειροτονίας, ἢ τοῦ ἐνθρονισμοῦ, ὃ καλεῖται πρόβλησις. τοῦτο δὲ ἔστιν ὁμολογία τοῦ βασιλέως διὰ στόματος οἰκείου, καὶ τιμὴ πρὸς τὴν ἐκκλησίαν, ὡς στέργει τὸν ἐκλεχθέντα παρ' αὐτῆς ἐψηφισμένον τὴν ἐκκλησίαν ποιμαίνειν καταδεξάμενον, καὶ ἐν τῇ ἁγίᾳ τριάδι τῇ δωρησαμένῃ τούτῳ τὴν βασιλείαν· ἔχει καὶ οὗτος ἀρχιεπίσκοπον Κωνσταντινουπόλεως νέας Ῥώμης, καὶ οἰκουμενικὸν πατριάρχην, οὐ μὴν ἐνεργεῖ αὐτὸν αὐτὸς, οὐδὲ δίδωσιν αὐτῷ τι, ἀλλὰ συμφωνεῖ, καὶ ἐπακολουθεῖ τῷ ἔργῳ. καὶ δῆλον ὅτι οὐ δίδωσιν, C ἀλλὰ λαμβάνει μᾶλλον, καὶ ὡς ὑπηρέτης τῆς ἐκκλησίας ἐστιν, ὅτι τὴν ἱερὰν ῥάβδον τῷ ὑποψηφίῳ ἐγχειρίσας οἰκείᾳ χειρὶ, προσέρχεται καὶ ὑποκλίνει τούτῳ τὴν κεφαλὴν, καὶ ἀποκαλύπτων αὐτὴν, ὡς ἔθος, εὐλογίαν δέχεται καὶ ἀσπάζεται τὴν τοῦ ὑποψηφίου χεῖρα. Κεφαλ. σκη'.

Φανερώτερον δὲ ὅτι οὐ δίδωσιν αὐτός τι, ἀλλὰ τοῦτο ποιῶν τὰ τῆς ἐκκλησίας στέργει τε καὶ βεβαιοῖ· ὅτι καὶ ὄντος ἀρχιερέως τοῦ ὑποψηφίου πατριάρχου, καὶ μηδενὸς εἰς χειροτονίαν ἀρχιερατικοῦ χρείαν ἔχοντος, τοῦτο γίνεται. καὶ ἔτι τοῦτο διὰ τὸ τι- D μᾶν ἐστι τὸν βασιλέα τὴν ἐκκλησίαν, οὐκ ἄρχειν, ὅτι ἐλθόντα τὸν ὑποψήφιον ὁ βασιλεὺς πρὸ τοῦ ἰδεῖν φιλοφρονεῖ, καὶ μανδύαν μετὰ ποταμῶν ἀποστέλλει, καὶ τὸ τῆς ἐκκλησίας ἐγκόλπιον, ὅπερ ὡς ἀῤῥαβών ἐστι, καὶ ὡς ὑπηρέτης καὶ φύλαξ αὐτὰ φυλάσσει. διὸ καὶ τὴν ῥάβδον ὡς τιμιωτέραν, καὶ ποιμαντικῆς ἐξουσίας σύμβολον, αὐτὸς δίδωσι, διὰ τιμὴν καὶ τὸ ἀσφαλέστερον, τῇ χειρί· καὶ δείκνυσι πᾶσιν, ὅτι καὶ αὐτὸς τοῦτον ποιμένα στέργει, ὃν ἐξελέξατο ὁ θεός· καὶ τὸ ἀνώτερον τοῦτο μαρτυρῶν, κελεύει καὶ ἵππος παρασήμοις τισὶ κοσμεῖσθαι, καὶ ἐπ' αὐτῷ ὁ ὑποψήφιος E κάθηται, καὶ ὑπὸ πεζοῦ τοῦ κόμητος τὸν χαλινὸν τοῦ ἵππου κατέχοντος, ἀντὶ τοῦ βασιλέως αὐτοῦ, ὡς ὁ μέγας ἐν βασιλεῦσι Κωνσταντῖνος τῷ ἱερῷ πεποίηκε Σιλβέστρῳ, προπέμπεται, διά τε τῆς βασιλικῆς πάσης αὐλῆς, καὶ τῆς δημοσίας ὁδοῦ ἄχρι καὶ αὐτοῦ τοῦ πατριαρχείου. εἰ ἔστι δὲ καὶ τῷ βασιλεῖ υἱὸς, ἕπεται ἔφιππος, καὶ ἡ σύγκλητος πᾶσα. οὕτω μὲν οὖν καὶ διὰ ταῦτα ἡ καλουμένη πρόβλησις γίνεται, διὰ τὴν τῆς ἐκκλησίας τιμὴν, ἡ εἰς Χριστὸν ἀναφέρεται. Κεφαλ. σκθ'.

Καὶ

Καὶ εἰ μὲν ὁ ψηφισθεὶς ἀρχιερεύς ἐστιν, ὡς ἔφημεν, μετὰ τὸ μήνυμα, εὐθὺς πατριάρχης ἐστὶν, καὶ οὐδενὸς ἄλλου δέεται, εἰ μὴ τοῦ ἐνθρονισμοῦ μόνου. καὶ ὁ προβληθεὶς εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἔρχεται, καὶ εἰσελθὼν τὸν ναὸν καὶ τὸ θεῖον θυσιαστήριον, Ἐπιτραχήλιον καὶ Ὠμοφόριον περιτίθεται· καὶ θυμιατήριον λαβὼν, καὶ τὸ θυμίαμα εὐλογήσας, κύκλῳ θυμιᾷ τὴν ἱερὰν τράπεζαν, καὶ τὸν ἄνω ἅγιον θρόνον, ὡς δεδομένον αὐτῷ, καὶ πάλιν τὴν ἱερὰν τράπεζαν. καὶ ἀσπάζεται τὸ ἱερὸν εὐαγγέλιον, καὶ αὐτὴν, ὡς τὸν Χριστὸν, καὶ τὴν ἐκκλησίαν ἣν παρέλαβε, καὶ τὸ θυμιατήριον δοὺς τῷ διακόνῳ, θυμιᾶται παρ' αὐτοῦ. καὶ καιροῦ γινομένου εὐλογεῖ τὸν Θεὸν, τὸν τῶν τηλικούτων αὐτὸν ἀξιώσαντα. καὶ ὅτι ἀπὸ τῆς προσευχῆς δεῖ ἄρχεσθαι, τὴν ἐκκλησίαν παραλαβών· ἐπειδὴ καὶ ἕνωσις πρὸς Χριστὸν, οὗ ἡ ἐκκλησία, ἡ προσευχή· ὅθεν καὶ προσευχῆς Τρισαγίου γινομένης, ὁ διάκονος τὰ τῆς ἐκτενοῦς ἐπὶ τοῦ ἄμβωνος ποιεῖται δεήσεως, καὶ μνημονεύει τῶν τε βασιλέων καὶ τοῦ πατριάρχου αὐτοῦ. ὁ δὲ πατριάρχης τὴν εὐχὴν εἰπὼν καθ' ἑαυτὸν τῆς ἐκτενοῦς ἱκεσίας, ἐκφωνεῖ, Ὅτι ἐλεήμων. καὶ ἀπόλυσιν ποιησάμενος τοῦ, Εἰς πολλὰ ἔτη, ᾀδομένου, ὑπὲρ τοῦ διαμένειν τὴν ἀρχιερωσύνην, σφραγίσας ἀπέρχεται.

Τῇ αὐρίᾳ δὲ ἡμέρᾳ τῶν βασιλέων συνηγμένων καὶ ἀρχόντων, καὶ σχεδὸν παντὸς τοῦ λαοῦ, ἡ λειτουργία μεγαλοπρεπῶς τελεῖται παρὰ τοῦ πατριάρχου, συνόντων αὐτῷ τῶν ἀρχιερέων ἁπάντων καὶ τοῦ κλήρου, καὶ τῶν τῆς πόλεως ἱερέων. δεῖ γὰρ πάντας παρεῖναι ἐπὶ τῷ τοῦ ποιμένος αὐτῶν ἐνθρονισμῷ, καὶ ἰδεῖν αὐτὸν ἐπὶ τῆς καθέδρας, ὡς τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, καὶ εὐλογηθῆναι παρ' αὐτοῦ τότε μᾶλλον καὶ καταρχὰς, καὶ τὴν εἰρήνην παρ' αὐτοῦ δέξασθαι ἀπὸ τοῦ ἱερωτάτου θρόνου, καὶ προσφωνῆσαι ταύτην αὐτῷ. αὕτη δέ ἐστιν ἡ εἰρήνη τοῦ σωτῆρος ἡμῶν, ἡ πάντα νοῦν ὑπερέχουσα, ἡ κληρονομία ἡμῶν, τὸ γλυκὺ πρόσρημα, ἡ αἰώνιος προσδοκία, ἵν' ὦμεν ἓν μετ' αὐτοῦ καὶ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, καὶ τοῦ πνεύματος, ὥσπερ ηὔξατο. αὕτη οὖν καὶ τῷ θεῷ καὶ τοῖς ἀγγέλοις ἡμᾶς συνάπτουσα, καὶ τὰ ἀγαθὰ ἡμῖν χορηγοῦσα, καὶ ἐν τῷ παρόντι καὶ ἐν τῷ μέλλοντι· ἧς εἰρήνης τοῦ Ἰησοῦ ὅρον οὐκ ἔστιν οὐδὲν, ἣν καὶ πρὸς τὸ πάθος ἐρχόμενος, κληρονομίαν ἀφῆκεν ἡμῖν, ὡς εἴρηται, καὶ ἀναστὰς πρῶτον εἴρηκέ τε, καὶ δέδωκε, καὶ ἐφύτευσεν ἐν ἡμῖν. ἧς ἐπιθυμοῦντες ἀκοῦσαι παρὰ τοῦ ἱεράρχου θείας εἰρήνης, οἱ ἐξ ἀρχῆς ζηλωταὶ τῆς πίστεως, καὶ ὄντως χριστιανοὶ, εἰδότες τί ἐστι τὸ πρόσρημα τῆς εἰρήνης, καὶ ζώντων τῶν ἱερῶν ἀρχιερέων ἐδέοντο ἐπὶ τοῦ θρόνου καθίσαι, καὶ τὴν εἰρήνην αὐτοῖς εἰπεῖν· ὡς καὶ ἐν τῷ βίῳ τοῦ μεγάλου Πέτρου Ἀλεξανδρείας γέγραπται· ὃς καὶ πολλάκις ᾐδεῖτο τοῦτο ποιεῖν, τὴν ἐν τῷ θρόνῳ εὐλαβούμενος δύναμιν, ἣν καὶ πολλάκις ἑώρα καρδίαν καθαρός· καὶ μετὰ τέλος

A Si Electus episcopus est, ut dixi, post solennem declarationem statim est Patriarcha, nec alio indiget nisi solo Enthronismo. Promotione facta, ad ecclesiam venit, templumque ingressus & sanctum altare, Epitrachelium & Omophorium ei circumponuntur; tum accepto thuribulo & thure, prece facta suffumigat circum circa sacram mensam, & thronum sanctum superiorem, ut potè sibi concessum, rursumque sacram mensam, & sanctum Evangelium osculatur, ipsamque mensam, quin & ecclesiam quam accepit. B Tum reddito thuribulo diacono, ab eo suffumigatur, & dum tempus est, Deum benedicit, à quo tantis donis dignatus est, quia ab oratione quoque incipere debet ille qui ecclesiam accipit, quandoquidem oratio unionem Ecclesiæ cum Christo, cujus caput est, significat. Quamobrem oratione Trisagii factâ, Diaconus ambonem conscendit, ibique protensam supplicationem pronuntiat, in qua & Imperatoris, & ipsius Patriarchæ meminit. Patriarcha verò dicta apud se protensa illa supplicatione, exclamat, *Quia misericors, &c.* C & dimissione factâ, faustaque *Ad multos annos* acclamatione decantata, ut sacerdotium incolume perseveret, Crucis signo dato abit.

Crastina die, congregatis Imperatore, principibus, & omni ferè populo, Liturgia magno apparatu celebratur à Patriarcha, adsistentibus illi episcopis omnibus, & clero totiusque Urbis sacerdotibus; oportet enim adesse omnes pastoris sui Enthronismo, eumque in cathedra cernere velut ipsum Dominum nostrum Jesum-Christum Filium Dei viventis, & ab ipso tum his maximè in initiis D benedici, pacemque ab eo de sacerdotali throno suscipere, eamque ei adprecari. Hæc enim est pax Salvatoris nostri, quæ superat omnem sensum, hæreditas nostra, suavis compellatio, æterna expectatio, ut, quemadmodum ipse precatus est, unum cum ipso & patre & Spiritu sancto simus. Hæc igitur est quæ nos Deo Angelisque conjungit, quæ bona nobis suppeditat, tum in præsenti, tum in futuro sæculo; cujus pacis Jesu terminus nullus est; quam ad passionem vadens in hæreditatem nobis reliquit, ut dictum est, quamque E post resurrectionem primùm pronuntiavit, & dedit, nobisque insevit. Hanc divinam pacem qui ab initio studiosi Fidei sunt & verè Christiani, audire à pontifice desiderant: quique norunt quæ sit illa salutatio pacis, orant ut in throno sacro sedeant episcopi quamdiu vivunt, pacemque sibi dicant; ut scribitur in vita sancti magni Petri Alexandrini, qui sæpè hoc facere verecundabatur, virtutem reverens throno episcopali insidentem, quam frequenter corde puro conspiciebat. Post mortem etiam

magno desiderio petierunt pastores suos defunctos in throno suo sedere, quum crederent hoc modo se divina pace frui. Quod quidem Alexandriæ accidit in divino illo Petro post ejus cædem. Sed & in regia & Christi amante Urbe in sancto Chrysostomo patre, quem longo post obitum ipsius tempore in throno suo collocaverunt, quique tunc, ut ferunt, divinâ gratiâ labiis apertis illud, *Pax vobis*, pronuntiavit.

Nunc autem nescio quî demùm fiat, ut contemnatur, quamvis thronus adsit, & signum crucis desuper exprimatur, & cathedra sacra subsistat, pronuntieturque ab episcopo, *Pax vobis*, quin diaconus priùs inclamet, *Attendamus*. Nemo tamen ad hoc mentem advertit, neque audire cupit, ac neque respondet, *Et cum spiritu tuo*. At Gregorius Theologus vocem hanc amat, ambitque, & amicam pacem vocat, *rem*que & *nomen dulce*, quam dare & percipere per orationem procurat. Sed, ut probabile est, vox ista maximè potens efficaxque eò ignoratur, quod exigua est, & obtinuit consuetudo, ut nec audita percipiatur, frustràque adeò diaconus dicat, *Attendamus:* quin Episcopus ipse languidè demissèque, non datâ operâ & studio, pronuntiet illud, *Pax omnibus*, vel *Pax vobis*. Sed his seriò advertendum est, & quæ tradita sunt nobis, custodienda, præsertim quæ à Christo, qui est pax nostra, cujus pacem nobis apprecatur Petrus, & ubique Paulus, discipulorumque omnium & sacerdotum chori. Attendendum quoque est, ne hoc pigritia quadam fiat, aut contemtu muneris, aut maximi beneficii ignorantiâ, aut demùm versutiâ inimici, qui nos à pacis cogitatione, & inquisitione velit avertere; quippè qui caritatem, nostrique cum Christo unionem frigescere amet. Quocirca Episcopo sedente in throno, qui ei subsunt homines Deo sacri, & clerici stantes fixis in eum oculis, ac si Christum in cælo insidentem intueantur; & Diacono dicente, *Attendamus*, quum Episcopus dicat alta voce, *Pax omnibus*, vel *Pax vobis*, omnes capita inclinantes respondent, *Cum spiritu tuo*. Hæc pax illa est quæ nos unit Christo & sanctis ejus. Sic igitur Episcopum quidem hoc pronuntiantem sedere oportet, stare verò reliquos ordine suo.

A ἐζήτουν ἐν ἐπιθυμίᾳ πολλῇ καὶ νεκροὺς ἐπὶ τοῦ θρόνου ἰδεῖν αὐτῶν τοὺς ποιμένας, ὡς καὶ οὕτως πιστεύοντες τυχεῖν τῆς θείας εἰρήνης. ὃ δὴ καὶ μετὰ τὴν σφαγὴν ἐπὶ τῷ θείῳ ἐκείνῳ Πέτρῳ γέγονεν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ· καὶ ἐν τῇ βασιλίδι δὲ πόλει τῇ φιλοχρίστῳ ἐπὶ τῷ Χρυσορρήμονι πατρὶ, ὃν καὶ νεκρὸν ἐπὶ πολὺ ὄντα ἐπὶ τὸν θρόνον ἐκάθισαν, καὶ, ὥς φασὶ, χάριτι θείᾳ διάρας τὰ χείλη, καὶ τὸ, Εἰρήνη ὑμῖν, εἰπεῖν.

Νῦν δὲ οὐκ οἶδ᾽ ὅπως τοῦτο καταπεφρόνηται, καίτοιγε τοῦ τε θρόνου ὄντος, καὶ τῆς σφραγῖδος B ἄνωθεν τελουμένης, καὶ τῆς ἱερᾶς γινομένης καθέδρας, καὶ παρὰ τοῦ ἀρχιερέως τὸ, Εἰρήνη πᾶσιν, λεγομένου, καὶ τοῦ διακόνου πρότερον τὸ, Πρόσχωμεν βοῶντος. ἀλλ᾽ οὐδεὶς ἐπὶ τούτῳ φροντίζει, οὐδὲ ἀκοῦσαι ποθεῖ, οὐδὲ ἀντιφωνεῖ, Καὶ τῷ πνεύματί σου. καίτοι γε Γρηγόριος ὁ Θεολόγος φωνὴ ἐρᾷ τε καὶ ἐπιποθεῖ τὴν φίλην εἰρήνην, καὶ γλυκὺ καὶ πρᾶγμα καὶ ὄνομα ταύτην καλεῖ, καὶ δοῦναι καὶ ἀντιλαβεῖν δι᾽ εὐχῆς ποιεῖται. ἀλλ᾽ ὡς ἔοικε τῷ μικρὰν εἶναι τὴν φωνὴν ἀγνοηθῆναι τὴν τὰ μέγιστα δυναμένην, καὶ πρὸς ἔθος ἐλθεῖν τοῦ μηδὲ αἰσθάνε- C σθαι ταύτης, καὶ τὸν διάκονον ὡς εἰκῇ λέγειν τὸ, Πρόσχωμεν, καὶ τὸν ἀρχιερέα δὲ καθ᾽ ἑαυτὸν, καὶ ἀνειμένως πῶς, καὶ οὐκ ἐν φροντίδι τὸ, Εἰρήνη πᾶσι λέγειν, ἢ τὸ, Εἰρήνη ὑμῖν. ἀλλὰ προσεκτέον, καὶ τὰ παραδεδομένα φυλακτέον, καὶ μᾶλλον τὰ παρὰ τοῦ Χριστοῦ, ὅς ἐστιν ἡ εἰρήνη ἡμῶν. οὗπερ τὴν εἰρήνην καὶ Πέτρος ἡμῖν εὔχεται, καὶ Παῦλος πανταχοῦ, καὶ τῶν μαθητῶν ἁπάντων καὶ ἱερέων οἱ χοροί. καὶ προσεκτέον μήποτε ῥᾳθυμίᾳ ἢ καταφρονήσει τοῦ δώρου καὶ ἀγνοίᾳ τῆς μεγίστης εὐεργεσίας, ἢ καὶ ἐπηρείᾳ ἐχθροῦ, τῆς ἐννοίας καὶ ζητήσεως ἀπάγειν ἡμᾶς βουλομένου τῆς εἰρήνης, ὡς D ψυγῆναι τὴν ἀγάπην ἀεὶ ζητοῦντος, καὶ τὴν ἐν Χριστῷ ἕνωσιν, τοῦτο γίνεται. ὅθεν καὶ καθεσθέντος ἐπὶ τοῦ θρόνου τοῦ ἱεράρχου, πάντες οἱ ὑπ᾽ αὐτὸν ἱερώμενοί τε καὶ λαϊκοὶ, ἐντενεῖς εἰς αὐτὸν, ὡς εἰς Χριστὸν ἐν τῷ οὐρανῷ καθήμενον, ἱστάμενοι καθοράτωσαν. καὶ τοῦ διακόνου τὸ, Πρόσχωμεν, λέγοντος, ὁ μὲν ἀρχιερεὺς τὸ, Εἰρήνη πᾶσιν, ἢ τὸ, Εἰρήνη ὑμῖν, ἐκφώνως λεγέτω. πάντες δὲ, Καὶ τῷ πνεύματί σου, ἀποκρινέσθωσαν, τὰς κεφαλὰς ὑποκλίνοντες. καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ μετὰ Χριστοῦ καὶ τῶν ἁγίων αὐτοῦ ἕνωσίς τε καὶ εἰρήνη. καὶ οὕτως οἱ μὲν ἀρχιερεῖς καθεζέσθωσαν, οἱ λοιποὶ δὲ κατὰ τὴν τάξιν συνε- E στώσαν.

Ritus Enthronismi Patriarchæ, si Electus episcopus est; ejusque mystica expositio.

CAPUT CCXXXII.

PATRIARCHÆ autem *Enthronismus*, sive in cathedra collocatio, hoc modo fit. Si episcopus jam ordinatus est, promotione ejus factâ, accedit ad magnum Sapientiæ Dei tem-

Ὁ ἐνθρονισμὸς τοῦ πατριάρχου, εἰ ὑποψήφιος ἐστὶ καὶ ἐπίσκοπος, καθ᾽ ἕκαστα διηγεῖται, καὶ μυστικὴ τούτων θεωρία ἐκπονεῖται.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ σλβ´.

Ὁ Δὲ τοῦ πατριάρχου ἐνθρονισμὸς γίνεται οὕτως. εἰ ἀρχιερεύς ἐστι κεχειροτονημένος, μετὰ τὴν πρόβλησιν παραγενόμενος εἰς τὸν μέγαν τῆς Θεοῦ Σοφίας ναὸν, καὶ προσευξάμενος, καὶ τοῦ

μνημοσύνου γινομένου, ὡς εἴρηται, ἄνεισι. καὶ τῆς κυρίας ἐπιστάσης, πάντων συνηθροισμένων κάτεισι, καὶ τὰ ἀρχιερατικὰ μετὰ τοῦ σάκκου ἐνδύεται, καὶ τῆς λειτουργίας ἀπάρχεται, κατὰ τὸ ἔθος τῶν μητροπολιτῶν προσκυνούντων, καὶ ἐν τῷ συνήθει τόπῳ τὰς ἱερὰς περιβαλλομένων στολάς, καὶ προσκαλουμένων συνήθως ἐν τῷ καιρῷ τῆς εἰσόδου. μετὰ τὴν εἴσοδον δὲ ἡ φήμη κάτω οὐ γίνεται, ἀλλ᾽ ὡς ἐν ἀρχιερέως χειροτονίᾳ, ἐν συνθρόνῳ. μετὰ γὰρ τὸ τρισάγιον καὶ τὴν εὐχὴν κηροδοσία γίνεται, ἀναπτομένων φώτων πολλῶν διὰ τὴν χάριν τοῦ πνεύματος, ἐγκαινιζομένην τῷ ἱεράρχῃ πρὸς τὴν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας οἰκονομίαν τε καὶ ἐγχείρησιν, διὰ τῆς ἐν τῷ θείῳ θρόνῳ τῷ πατριαρχικῷ ἱερᾶς καθιδρύσεως. ἐπιφοιτᾷν γὰρ δαψιλέστερον αὐτῷ πιστευτέον, ὡς ἐνισχύειν πρὸς τὸ μεῖζον ὑπὲρ πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν ἔνθεον ἔργον καὶ ὑπηρέτημα· ὅτι καὶ ἔλλαμψις μείζων, καὶ χάρις, καὶ δύναμις κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς διακονίας ἑκάστῳ χορηγεῖται. » Ἔχοντες δέ, φησι, χαρίσματα κατὰ τὴν χάριν » τὴν δοθεῖσαν ἡμῖν, διάφορα, εἴτε προφητείαν κα- » τὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως, εἴτε διακονίαν ἐν » τῇ διακονίᾳ, καὶ τὰ λοιπὰ ἔτι καταλέγει.

Κεφ. σλγ'. Λοιπὸν ὁ πατριάρχης εἰ καὶ ἐπίσκοπος, ἀλλ᾽ οὖν κατὰ τὴν διακονίαν καὶ μείζω λαμβάνει χάριν, καὶ μᾶλλον ἐν τῷ ἀποκαθίστασθαι. ὅθεν καὶ ἐναπτομένων τῶν φώτων, πάντων ἱσταμένων ἐν ταῖς βαθμίσιν κατὰ τὴν τάξιν, ὑπὸ δύο τῶν πρώτων ἀρχιερέων ἐγκαθιδρύεται, λαμβανόντων αὐτὸν ἑκατέρωθεν, καὶ τῷ θείῳ θρόνῳ ἐγκαθιζόντων, καὶ ἐκβοώντων τό, Ἄξιος· ὃ δὴ καὶ ψάλλεται τρὶς παρὰ τῶν ἐντὸς πάντων ἱερωμένων, καὶ τρὶς παρὰ τῶν ἐκτός, ψαλτῶν τε καὶ κληρικῶν. καὶ δεύτερον αὖθις ἀνιστῶσί τε καὶ καθίζουσι βοῶντες τὸ Ἄξιος· καὶ πάλιν τοῦτο τρίς, ἐντὸς καὶ ἔξωθεν ψάλλεται. καὶ τρίτον ὁμοίως ἐνθρονίζεται παρ᾽ αὐτῶν, καὶ τὸ Ἄξιος λέγεται, καὶ ψάλλεται τρὶς παρὰ τῶν ἱερωμένων ἐντός, καὶ πάλιν τῶν ψαλτῶν ἐκτός· καὶ τότε ἡ φήμη γίνεται, ἥτις καὶ ἱερά ἐστι τελετὴ τοῦ Χριστοῦ νικήσαντος τῷ σταυρῷ καὶ θανάτῳ, καὶ ἀναστάντος σαρκί, καὶ ἀνυψωθέντος, τὸν κόσμον ἑλκύ- » σαντος τῇ πίστει αὐτοῦ, ὅτι καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ νίκη, » ἡ νικήσασα τὸν κόσμον, ἡ πίστις ἡμῶν, ὁ ἠγαπημένος φησίν· ἥτις καὶ διὰ τοῦ ἀρχιερέως Χριστοῦ βασιλείαν τὴν τὸν Χριστὸν πρὶν διώκουσαν τῷ Χριστῷ καθυπέταξε. διὸ καὶ βασιλεῖς ἀνακηρύττονται εὐσεβεῖς, οὐκ ἄπιστοι, οὐδὲ ἑτερόφρονες· καὶ τούτων πολλὰ λέγονται ἔτη, εἰς τὸ διαμένειν ἀεί, ὅτι καὶ τῆς βασιλείας Χριστοῦ οὐκ ἔστι τέλος. καὶ ἡ ἀρχιερωσύνη δὲ σὺν τῇ βασιλείᾳ ἀναγορεύεται, ὅτι καὶ ἡ ἀρχιερωσύνη τὴν βασιλείαν Χριστῷ καθυπέταξε, καὶ αὕτη τὴν χριστιανῶν βασιλείαν καθιστᾷ. καὶ ἡ τοῦ Χριστοῦ ἀρχιερωσύνη αἰώνιος. Σὺ ἱε- » ρεὺς γάρ, φησιν, εἰς τὸν αἰῶνα, τουτέστι διὰ τοῦ

A plum, ibique precatur, factaque commemoratione, quæ prædicta est, recedit. Die verò dictâ instante, omnibus congregatis, accedit, episcopalibusque vestibus, Saccoque indutus, Missam incipit; quem postquam metropolitæ de more venerati sunt, in loco consueto sacris stolis vestiuntur, tum subinde introitûs Missæ tempore advocantur. Introitu facto, fausta acclamatio inferiùs non fit, sed velut in episcopi ordinatione, in Synthrono. Trisagio cantato, & oratione finita, cerei traduntur, & plurimi accenduntur, propter Spiritûs gratiam B significandam, quæ in pontifice innovatur, administrationis Ecclesiæ Catholicæ committendæ gratiâ, per collocationem sacram in divino patriarchali throno. Credendum quippè est gratiam in eum profusiùs advenire, ut eâ virtute valeat, quâ majus illud & divinum opus, & ministerium pro omnibus ecclesiis obeat. Nam pro ratione demandati ministerii, major unicuique illuminatio, gratiaque, & virtus à Deo suppeditatur. *Habentes*, ait, *donationes differentes secundum gratiam quæ data est nobis, sive prophetiam secundum rationem fidei, sive* C *ministerium in ministrando*, & reliqua quæ numerat Apostolus. Rom. 12. 16.

Cæterùm Patriarcha, etsi episcopus est, attamen secundum ministerium quo fungitur majorem gratiam accipit; maximè dum ea in dignitate constituitur. Quocircà luminaribus accensis, cunctisque secundum ordinem suum stantibus in gradibus suis, duo primi episcopi prodeunt, & Electum ex utroque latere accipientes, in divino throno collocant, hac voce exclamantes, *Dignus*. Quod posthac ter cantatur ab omnibus sacri ordinis hominibus, qui D intrà Sanctuarium sunt, terque rursum ab iis, qui extra sunt, cantoribus & clericis. Iterùm secundò surgunt, ac sedent, clamantes, *Dignus*, quod denuò ter intùs & extrà canitur. Tertiò demùm in throno collocatur, & *Dignus* dicitur, quod ter canitur intùs ab iis qui sacri ordinis sunt, & extrà à cantoribus. Tunc acclamatio fit, quæ sacra cæremonia est Christum spectans, qui per crucem, mortemque victor fuit, resurrexit carne, exaltatusque est, mundum fide sua ad se trahens. *Hæc est enim victo-* E *ria quæ vincit mundum, Fides nostra*, inquit dilectus Christi discipulus. Hæc nempè per Christum Pontificem Imperium, quod Christum antehac insectabatur, subegit. Quocircà Imperatores pii prædicantur, non infideles, aut qui aliena sentiant, iisque *Multos annos* adprecamur, uti perpetuò maneant; ut potè quia regni Christi non est finis: atque Pontificatui unà cum Imperio fausta acclamatio fit; quia Pontificatus Imperium Christo subjecit, eoque Christianorum Imperium subsistit. Christi porrò summum sacerdotium æternum est; ait enim: *Tu es sacerdos in æternum*, hoc est perpetuò, Cap. 233. 1. Joan. 5. 4. Psal. 109. 4.

secundum ordinem Melchisedec, non secundum legem. Quocircà clamante diacono: *Sapientiâ, attendamus,* mox Patriarcha alta dicit, *Pax omnibus.* Ad quod omnes advertere debent; debent, inquam, episcopi advertere, & sacerdotes stare, eique respondere, *Et cum spiritu tuo,* sicque sedere. Et populus accepta pace, *Et cum spiritu tuo* resonare. Hæc enim est hæreditas nostra à Salvatore, & donum, postremaque precatio, ut unum cum ipso simus: prima etiam ipsius vox post resurrectionem, *Pax vobis.* Quapropter inthronizatio tam magnifico fit apparatu, ut, quemadmodum Salvator in cælis sedens pacem indè omnibus impertitur, & prædicat, ita Patriarcha è sua sede Tricerio benedicit, velut è cælesti throno per Salvatorem præbens Trinitatis gloriam & illuminationem.

παντὸς, κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ, καὶ οὐ κατὰ νόμον. Καὶ οὕτω, Σοφία, πρόσχωμεν, κράζοντος τοῦ διακόνου, τὸ, Εἰρήνη πᾶσιν, ὁ πατριάρχης ἐκφωνεῖ. περὶ οὗ, ὡς εἰρήκαμεν, ἔδει φροντίζειν πάντας, καὶ δεῖ φροντίζειν καὶ ἀρχιερεῖς, καὶ ἱερεῖς ἵστασθαι, καὶ ἀντιφώνειν αὐτῷ, Καὶ τῷ πνεύματί σου, καὶ οὕτω καθέζεσθαι· καὶ τὸν λαὸν ὁμοίως δεξάμενον τὴν εἰρήνην, Καὶ τῷ πνεύματί σου, βοᾷν· τοῦτο γὰρ ἡ τοῦ σωτῆρος πρὸς ἡμᾶς κληρονομία καὶ δωρεὰ, καὶ ἡ τελευταία εὐχὴ, τὸ ἓν εἶναι μετ᾽ αὐτοῦ, καὶ ἡ πρώτη φωνὴ μετὰ τὴν ἀνάστασιν, Εἰρήνη ὑμῖν. Καὶ διὰ τοῦτο οὕτω λαμπρὰ καὶ ἡ ἐν τῷ συνθρόνῳ ἐγκαθίδρυσις, ἵνα καθεσθεὶς, ὥσπερ ὁ σωτὴρ εἰς τοὺς οὐρανοὺς, τὴν εἰρήνην ἐκεῖθεν ἅπασι δῷη τε καὶ κηρύξῃ. ὡς καὶ ἐκεῖθεν τῷ τρικηρίῳ εὐλογεῖ, ὡς ἀπὸ τοῦ οὐρανίου θρόνου, τὴν τῆς τριάδος παρέχων χάριν καὶ ἔλλαμψιν διὰ τοῦ σωτῆρος.

Consueti ritus Ordinationis, Consecrationisque Patriarchæ Constantinopolitani, quum Electus episcopus non est, & quorumdam eorum mysticæ rationes.

Τὰ συνήθη τῆς χειροτονίας καὶ καθιερώσεως τοῦ Πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως, ὅταν ὑποψήφιος οὐκ ἔστιν ἐπίσκοπος, καὶ τινῶν λόγοι μυστικοί.

CAPUT CCXXXIV.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ σλδ´.

QUÆ sequuntur, perinde atque in omnibus Liturgiis peraguntur, si quidem ille episcopus est. Sin verò Electus, presbyter est & non episcopus, episcopus primùm ordinatur, ac tum throno imponitur. Thronus enim episcopi est, quia episcopus Christi potestate abundè pollet. Sic verò illius ordinatio peragitur.

Ingressus Patriarcha electus sanctum tribunal, sacram mensam adorat, & osculatur, & ad divini Synthroni gradus accedens ter ad Orientem adorat, tumque vestibus episcopalibus induitur; ecclesiæ verò diaconi sacris tunicis induti, benedictionem primùm ab eo accipiunt, ac tum ei ministrant; episcopi cum Mandyis tantum stant. Mox pontificales vestes omnes induit, * Sticharium undulatum puritatis & doctrinæ signum, gratiæ supernè advenientis symbolum; * Epitrachelium, & zonam, supergenuale, temperantiæ & fortitudinis contra mortem indicia; supermanicalia & saccum, divinam actionem, & per passionem immortalitatem significantia. Solo * Omophorio non induitur; quia episcopi proprium est.

*Στιχάριον, *Sticharium* vocant, quia variegatum.

* Id est *Orarium.*

* Sive *Pallio.*

Stans igitur cum sacco, & hoc habitu demonstrans se nondum esse episcopum, stantibus quoque episcopis & clericis, quæ supersunt de canone (sive officio Ecclesiæ diurno) complet, & confessionem suam coram omnibus recitat, rectam Fidem tradens, uti purum desponsationis suæ donum. Qui enim episcopus in Patriarcham transit, quia confessionem initio dedit dum ordinaretur, non opus habet eam iterum proferre: sed quia non-

ΤΑ ἐφεξῆς, ὡς ἐν πάσαις ταῖς λειτουργίαις γίνεται, εἰ μὲν ἀρχιερεὺς ἦν ἐστί. εἰ δὲ πρεσβύτερος, καὶ οὐδὲ ἀρχιερεὺς ὁ ὑποψήφιός ἐστι, χειροτονεῖται πρῶτον ἐπίσκοπος, ἔπειτα ἐνθρονίζεται. ἐπισκόπου γὰρ ὁ θρόνος, ὅτι καὶ ἐπίσκοπος τὴν τοῦ Χριστοῦ πλουτεῖ δύναμιν. καὶ γίνεται οὕτως ἡ χειροτονία.

Εἰς τὸ ἁγιώτατον εἰσελθὼν βῆμα, προσκυνεῖ τὴν ἱερὰν τράπεζαν, καὶ ἀσπάζεται ὁ ὑποψήφιος πατριάρχης, καὶ περὶ τὰς βαθμίδας τοῦ θείου συνθρόνου γινόμενος προσκυνεῖ κατὰ ἀνατολὰς τρὶς, καὶ τὰ ἀρχιερατικὰ ἐνδύεται, τῶν ἐκκλησιαστικῶν διακόνων, ὡς ἀγγέλων τὰς ἱερὰς ἐνδεδυμένων στολὰς, πρῶτον εὐλογίαν λαβόντων παρ᾽ αὐτοῦ, καὶ οὕτω ὑπηρετούντων αὐτῷ. οἱ ἀρχιερεῖς δὲ μετὰ μανδύων ἵστανται μόνον. πάντα οὖν ἐνδυσάμενος τὰ ἀρχιερατικὰ, στιχάριον μετὰ ποταμῶν διὰ τὸ ἁγνόν τε καὶ διδασκαλίαν, διὰ τὴν ἄνωθεν χάριν· ἐπιτραχήλιον, καὶ ζώνην, καὶ ἐπιγονάτιον, διὰ τὴν σωφροσύνην, καὶ ἰσχὺν τὴν κατὰ τοῦ θανάτου, καὶ νίκην· ἐπιμανίκια τε καὶ σάκκον διὰ τὴν θείαν ἐνέργειαν, καὶ τὴν διὰ τοῦ πάθους ἀφθαρσίαν· ὠμοφόριον μόνον οὐ περιβάλλεται· τοῦτο γὰρ ἴδιον ἐπισκόπων.

Μετὰ τοῦ σάκκου οὖν στὰς, δεικνὺς ὡς οὔπω ἐπίσκοπος, πάντων ἱσταμένων ἀρχιερέων καὶ κληρικῶν, τὰ τοῦ κανόνος ἐκπληροῖ, καὶ τὴν ὁμολογίαν αὐτοῦ ἐνώπιον λέγει πάντων, τὴν πίστιν ὀρθὴν διδοὺς ὡς δῶρον τῆς νυμφεύσεως καθαρόν. ὁ μὲν γὰρ ἀρχιερεὺς εἰς πατριάρχην μετατιθέμενος, δοὺς ἐξ ἀρχῆς τὴν ὁμολογίαν ἐν τῷ χειροτονεῖσθαι, οὐκ ἔχει χρείαν αὖθις λέγειν αὐτήν. οὗτος δὲ μήπω ἐπίσκοπος γεγονὼς, ἀνάγκη ταύτην

δοῦναι περὶ τῆς χειροτονίας τῇ ἐκκλησίᾳ, καὶ ἐντὸς ταύτην λέγειν τοῦ βήματος, ὡς πάντων ἐν τῷ βήματι ἄρχων ἐν πνεύματι καθιστάμενος καὶ πατήρ. αὐτὴν δὲ λέγει, ἣν καὶ πάντες οἱ ὑποψήφιοι ἀρχιερεῖς λέγουσι, χωρὶς μόνον τοῦ ὑποτάσσεσθαι τῷ πατριάρχῃ. ἐπεὶ γὰρ αὐτὸς πατριάρχης χειροτονούμενός ἐστι, τίνι ὑποταγήσεται, ἀλλ᾽ ἢ τοῖς κανόσι καὶ μόνον, οὓς καὶ ὁμολογεῖ φυλάσσειν;

Τῆς ὁμολογίας οὖν τελεσθείσης μετὰ τῆς οἰκειοχείρου ἐπιγραφῆς, καὶ ὑπογραφῆς, οἱ ἀρχιερεῖς προσκυνοῦσι διὰ τὴν ὑποταγὴν, ὅτι μνήστωρ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας ἐγένετο. καὶ εὐλογούμενοι παρ᾽ αὐτοῦ, εἰς τοὺς συνήθεις ἔξωθεν τοῦ βήματος ἀπέρχονται τόπους, καὶ τὰ ἀρχιερατικὰ ἀμφιέννυνται ἅπαντες. τῶν πρεσβυτέρων δὲ λαβόντων καὶ αὐτῶν εὐλογίαν, τοῦ τῶν ἱερέων δευτερεύοντος τε ποιησαμένου τὴν προσκομιδὴν, ὡς ἔθος ἡ λειτουργία ἄρχεται, καὶ τῆς πρώτης εἰσόδου γινομένης, οἱ μὲν διάκονοι καὶ ἱερεῖς διὰ τοῦ ναοῦ ἐξελθόντες, καὶ τὴν εὐχὴν ἐκτελέσαντες τῆς εἰσόδου, συνήθως κατὰ συζυγίαν εἰς τὸ θεῖον βῆμα εἰσέρχονται. οἱ ἀρχιερεῖς δὲ παρὰ τοῦ χαρτοφύλακος καὶ τῶν σὺν αὐτῷ προσκαλούμενοι, καὶ προοδηγούμενοι διὰ τῆς πλαγίας τῆς δεξιᾶς εἰσέρχονται τὸ θυσιαστήριον, καὶ προσκυνοῦντες κατὰ συζυγίαν τῷ ἔτι ὑποψηφίῳ, ἵστανται κατὰ τάξιν. κηροδοσίας δὲ γινομένης, καὶ φώτων ἀναπτομένων πολλῶν εἰς δεῖγμα τοῦ θεοῦ φωτισμοῦ, ὡς πολλάκις εἰρήκαμεν, καὶ τῆς ἐπιδημίας τοῦ πνεύματος, καὶ ἐλλάμψεως, καὶ τῆς μεγίστης ὑπὲρ τούτου ἐν οὐρανῷ καὶ ἐν γῇ λαμπρότητος καὶ χαρᾶς, ὁ ὑποψήφιος, ὑπὸ τῶν δύο πρώτων ἑκατέρωθεν λαμβάνεται ἀρχιερέων, οἱ λοιποὶ δὲ ἕπονται, καὶ οἱ κληρικοὶ πάντες πορεύονται ἔμπροσθεν. καὶ λαμπρῶς ᾀδομένου τοῦ, Ἅγιοι μάρτυρες, ἡ χορεία γίνεται τελεστὴ κύκλωθεν τῆς ἁγίας τραπέζης κατὰ τὸ ἔθος, διὰ τὴν εὐφροσύνην τὴν ἐπουράνιον, κατὰ χορείαν προσκυνῶσιν ἐν τῇ ἱερᾷ τραπέζῃ, ὡς ἐν τῷ θρόνῳ τοῦ Θεοῦ, ποιουμένων ἁπάντων, καὶ τοῦ ὑποψηφίου.

Καὶ εὐθὺς, εἰ μὲν Ἡρακλείας ἐστὶν ἀρχιερεὺς, οὗτος τὰ τῆς χειροτονίας ἐνεργεῖ τοῦ πατριάρχου. ἐπεὶ ὥς φησι, τὸ Βυζάντιον ἀπὸ Σεβήρου τοῦ βασιλέως ὑπὸ τὴν Ἡράκλειαν γέγονε, καὶ ἐπισκοπὴ ἦν τῆς Ἡρακλείας ἄχρι καὶ τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου. ἀνελθὼν οὖν ἐπὶ τῆς κρηπῖδος τῶν ἀρχιερέων πάντων συνεργούντων αὐτῷ καὶ συνεφαπτομένων τῷ χειροτονουμένῳ τε, καὶ ἀλλήλοις δεικνύντες ὡς συμφωνοῦσι πάντες, ἐπεὶ καὶ συνεψηφίσαντο, καὶ συγχειροτονοῦσιν ὁμοῦ ἐν ἁγίῳ πνεύματι τὸν χειροτονούμενον. σφραγίζει τοῦτον ὁ Ἡρακλείας πρῶτον κατὰ τὸ ἔθος τρὶς, τὴν ἀπαρχὴν ποιῶν τῆς χειροτονίας. εἰ δὲ οὐκ ἔστιν Ἡρακλείας, ἕτερος ἀρχιερεὺς τῶν ἄλλων πρῶτος τὴν χειροτονίαν σὺν τοῖς λοιποῖς ἐνεργεῖ. εἶτα κλίνοντος τὰ γόνατα, καὶ ἐπὶ τῆς θείας τραπέζης τὸ μέτωπον ἔχοντος τοῦ χειροτονουμένου, καὶ τὴν κεφαλὴν ἐπ᾽ αὐτῇ, τὴν χεῖρα τίθησιν ὁ χειροτονῶν, καὶ οἱ λοιποὶ συνεφάπτονται, καὶ

A dum epiſcopus factus eſt, neceſsè eſt, ut ante ordinationem edat illam in Eccleſia & intra Sanctuarium, ceu qui omnium illic præſentium princeps & pater ſit in Spiritu conſtitutus. Hanc autem edit dum omnes electi epiſcopi edere ſolent, excepto quod Patriarchæ ſubſint. Quum enim Patriarcha ordinetur, cuinam ipſe ſubjiciatur, niſi canonibus, iiſque ſolis quos ſe ſervaturum ſpondet?

Factâ confeſſione, propriâ ipſius manu ſcriptâ & ſubſcriptâ, epiſcopi ſubjectionis teſtandæ gratiâ adorant; quippè qui magnæ Ec-
B cleſiæ ſponſus eſt factus; acceptaque ab illo benedictione ad conſueta loca extrà ſanctuarium redeunt, omneſque pontificales veſtes induunt, & omnes preſbyteri benedictionem accipiunt, quorum illo, qui ſecundas tenet, *Deutereon.*
oblationem, præparante, Liturgia, ut moris eſt, inchoatur. Tum primo introitu facto, diaconi & preſbyteri per templum egrediuntur, & oratione introitûs completa, bini de more in Sanctuarium ingrediuntur. Epiſcopi verò à Chartophylace, & iis qui cum ipſo ſunt, advocantur, illiſque præeuntibus, per ſiniſtram
C ad dextram pergunt Sanctuarii, binique Electum adorantes, ſtant ſecundum ordinem ſuum. Cereorum fit diſtributio, multiſque luminaribus accenſis, in divinæ, ut ſæpè diximus, illuminationis, adventûs & fulgoris Spiritûs demonſtrationem, maximæque propter hoc in cælo & in terra claritatis & gaudii; Electus à duobus primis epiſcopis hinc inde aſſumitur, cæterique ſequuntur, clericis omnibus præcedentibus: dumque clara voce canitur hymnus, *Sancti Martyres*, ter chorea pro more circum ſacram menſam ducitur, cæleſtis
D lætitiæ causâ; tum cuncti demùm, ipſeque etiam Electus in unaquaque chorea ad ſacram menſam, velut ante Dei thronum ſeſe proſternunt.

His peractis, ſtatim, ſi Heracleæ adeſt epiſcopus, hic ordinationem Patriarchæ exſequitur: quoniam, ut ferunt, Byzantium à Severo Imperatore Heracleæ ſubjectum fuit, epiſcopatuſque fuit Heracleæ metropoli obnoxius ad magnum uſque Conſtantinum. Aſcendit igitur Patriarcha ſuper crepidinem, epiſcopis omnibus ipſum juvantibus & contingentibus,
E ut ſuum in ejus ordinatione conſenſum ſignificent, quam nempè ſimul tum ediderint, ordinandumque ſimul omnes in Spiritu ſancto conſecrant. Hunc Heracleæ archiepiſcopus primùm ter cruce ſignat, hac actione primitias ordinationis delibans. Sin verò non adeſt Heracleenſis, epiſcopus alter reliquorum primus cum cæteris ordinationem peragit. Tum Patriarchæ, flexis genibus fronte capitis ad ſacram menſam incumbenti, ordinator manum apponit, illumque cæteri ſimul tangunt, &

quæ alâ, Spiritûs symbolo, sunt scripta Ordinator legit, nempè *Divina gratia.* Deinde secundò signum crucis edit ad *Kyrie eleïson.* Post, Evangeliorum librum apertum super caput & cervicem suscipit ille qui ordinatur, ac pronuntiatur prima oratio, manu ordinantis ipsi imposita. Oratione completa, secundus episcopus supplicationes profert, & mox iterum Ordinator secundam orationem complet. Quâ finitâ, tertio illum qui ordinatur cruce signat in figuram Trinitatis & ordinationis consummationem; sola quippè Trinitas consummationem & perfectionem operatur. Statim ab eo tollit Evangelium, quod imponit altari, atque ordinatum erigit, ceu jam gratiâ exaltatum, acceptumque Omophorium ei qui est ordinatus circumponit, exclamans, *Dignus;* ut potè quem Crucifixus dignum effecit. Id porrò intra & extra Sanctuarium clarè & egregiè concinitur, cunctis exultantibus, & gratiæ opus confirmantibus.

Tunc Ordinator de crepidine descendit, quam Patriarcha ordinatus ascendit, uti jam perfectè sacratus episcopus, & omnium primus. Quocircà eo manum sacræ mensæ apponente, Ordinator ipse venit, uti jam illi subjectus, sacramque mensam & manum osculatur, genam quoque, sive os, tum suo subinde ordine episcopi omnes. Mox ipse Patriarcha, illique omnes sacram mensam iterum, uti gratiæ fontem & monumentum exosculati, in Synthronum ut in cælum & sacros gradus, supernorum Ordinum causa, conscendunt, fitque eo qui expositus est modo Enthronismus. Post Enthronismum acclamatio fit Patriarchæ & Imperatorum, velut dictum fuit. Deinde legitur Apostolus, benedictionem accipiente Heracleensi, & pacem adprecante. Divinum item Evangelium legitur, pacem tunc dante Patriarcha, ac divina Liturgia consequenter ab ipso Patriarcha, ut moris est, celebratur.

Hæc quidem fratres de sacris ordinationibus à nobis, ut cognoscere valuimus, exposita sunt, magnaque ex parte historico modo descripsimus, ad majorem vestri qui rogastis, & eorum qui jam illa noverunt, instructionem. Sufficiant igitur quæ dicta sunt.

A τὰ τοῦ πτεροῦ, ἤτοι τοῦ πνεύματος, ὁ χειροτονῶν ἀναγινώσκει, τὸ, Η θεία χάρις. καὶ μετὰ τοῦτο τὴν δευτέραν ποιεῖται σφραγῖδα εἰς τὸ Κύριε ἐλέησον. εἶτα τὸ εὐαγγέλιον ἀνεῳγμένον δεχομένου τοῦ χειροτονουμένου ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τε καὶ τοῦ τραχήλου, ἐπικειμένης καὶ τῆς χειρὸς τοῦ χειροτονοῦντος, ἡ πρώτη εὐχὴ λέγεται. ἧς τελεσθείσης ὁ δεύτερος ἀρχιερεὺς τὰς αἰτήσεις ποιεῖται. καὶ οὕτω πάλιν ὁ χειροτονῶν καὶ τὴν δευτέραν εὐχὴν ἐκπληροῖ, καὶ σφραγίσας τὸ τρίτον εἰς τύπον τῆς Τριάδος, καὶ τῆς χειροτονίας τελείωσιν, ὅτι μόνη ἡ Τριὰς τελειοποιὸς, B τὸ εὐαγγέλιον αἴρει, καὶ τίθησι τῇ τραπέζῃ, καὶ τὸν χειροτονηθέντα ἀνίστησιν, ὡς ὑψωθέντα τῇ χάριτι. καὶ λαβὼν τὸ ὠμοφόριον, καὶ σφραγίσας, τῷ χειροτονηθέντι περιτίθησιν, ἐκφωνῶν, Ἄξιος. ἄξιον γὰρ αὐτὸν ὁ σταυρωθεὶς ἐκτετέλεκεν. ὃ δὴ καὶ λαμπρῶς, τοῖς ἔνδον τε ᾄδεται καὶ ἐκτὸς, συμφωνούντων καὶ ἀγαλλιωμένων ἁπάντων, καὶ βεβαιούντων τὰ τῆς χάριτος.

Καὶ οὕτως ὁ μὲν χειροτονήσας τῆς κρηπῖδος κατέρχεται τελέσας τὸ ἔργον. ἀνέρχεται δὲ εἰς αὐτὴν ὁ χειροτονηθεὶς πατριάρχης, ὡς τελεσθεὶς καὶ C ἐπίσκοπος, καὶ πρῶτος ἁπάντων ὤν. διὸ τῆς τάξεως σωζομένης, ἐπιθέντος τούτου τὴν χεῖρα ἐπὶ τῆς τραπέζης τῆς ἱερᾶς, αὐτός τε ὁ χειροτονήσας ἔρχεται, ὡς ὑπ' αὐτὸν ὤν, καὶ ἀσπάζεται τὴν ἱερὰν τράπεζαν καὶ τὴν χεῖρα ἀσπάζεται αὐτοῦ τοῦ χειροτονηθέντος ὑπ' αὐτοῦ, καὶ τὴν παρειὰν, ἢ τὸ στόμα, καὶ καθεξῆς οἱ λοιποὶ ἀρχιερεῖς ἅπαντες, καὶ οὕτως ὅ, τε πατριάρχης, καὶ αὐτοὶ πάντες, ὡς πηγὴν χάριτος, καὶ μνῆμα Χριστοῦ. αὖθις τὴν ἱερὰν ἀσπαζόμενοι τράπεζαν, ἄνω ἀνέρχονται ἐν τῷ συνθρόνῳ ὡς ἐν οὐρανῷ, καὶ ταῖς ἱεραῖς βαθμίσι διὰ τὰς ἄνω τάξεις, καὶ τὰ τοῦ ἐνθρονισμοῦ, ὡς προγέγραπται γίνεται. D μετὰ δὲ τὸν ἐνθρονισμὸν τὰ τῆς φήμης τῶν τε βασιλέων καὶ τοῦ νέου πατριάρχου, ὡς εἴρηται, καὶ οὕτως ὁ ἀπόστολος λέγεται, εὐλογίαν λαβόντος τοῦ Ἡρακλείας, καὶ εἰρηνεύοντος, καὶ τὸ θεῖον ἀναγινώσκεται εὐαγγέλιον, εἰρηνεύοντος ἐν τούτῳ τοῦ πατριάρχου, καὶ ἡ θεία λειτουργία καθεξῆς ὡς ἔθος παρ' αὐτοῦ τοῦ πατριάρχου τελεῖται.

Ταῦτα καὶ περὶ τῶν θείων χειροτονιῶν ὡς ἐξισχύσαμεν γνῶναι, ἐξεθήκαμεν, ἀδελφοὶ, καὶ ὡς ἐν ἱστορίας μέρει τὸ πλέον ἐγράψαμεν. καὶ τοῦτο δὲ ὑμᾶς ἐρωτῶντας, καὶ τῶν εἰδότων εἰς δήλωσιν. ἀρκείτω οὖν τὰ εἰρημένα.



EX DELECTU LEGUM COMPENDIARIO, *facto à Leone & Constantino sapientibus Augustis ex Institutis & Digestis & Codice & Novellis magni Justiniani Constitutionibus.*

ΤΙΤΛΟΣ Γ'.

A

Περὶ Πατριάρχου.

α'. ΠΑΤΡΙΑΡΧΗΣ ἐστὶν εἰκὼν ζῶσα Χριστοῦ καὶ ἔμψυχος, δι' ἔργων καὶ λόγων ἐν ἑαυτῇ χαρακτηρίζουσα τὴν ἀλήθειαν.

β'. Σκοπὸς τοῦ πατριάρχου πρῶτον μὲν οὓς ἐκ Θεοῦ παρέλαβεν, εὐσεβείᾳ καὶ σεμνότητι βίου διαφυλάξαι· ἔπειτα δὲ καὶ πάντας τοὺς αἱρετικοὺς κατὰ τὸ δυνατὸν αὐτοῦ πρὸς τὴν ὀρθοδοξίαν καὶ τὴν ἕνωσιν τῆς ἐκκλησίας ἐπιστρέψαι· αἱρετικοὶ δὲ τοῖς νόμοις B καὶ τοῖς κανόσι καλοῦνται καὶ οἱ τῇ καθολικῇ οὐ κοινωνοῦντες ἐκκλησίᾳ· ἔτι δὲ τοὺς ἀπίστους διὰ τῆς λαμπρᾶς καὶ περιφανεστάτης καὶ θαυμασίας αὐτοῦ πράξεως ἐκπλήττων μιμητὰς ποιῆσαι τῆς πίστεως.

γ'. Τέλος τοῦ Πατριάρχου, ἡ τῶν καταπεπιστευμένων αὐτοῦ ψυχῶν σωτηρία, καὶ τὸ ζῆν μὲν Χριστῷ, ἐσταυρῶσθαι δὲ τῷ κόσμῳ.

δ'. Ἴδια Πατριάρχου, τὸ εἶναι διδακτικὸν τὸ πρὸς πάντας, ὑψηλοῖς τε καὶ ταπεινοῖς, ἀστενοχωρήτως ἐξισοῦσθαι, καὶ πρᾶον μὲν εἶναι ἐν δικαιοσύ- C νῃ, ἐλεγκτικὸν δὲ πρὸς τοὺς ἀπειθοῦντας· ὑπὲρ δὲ τῆς ἀληθείας καὶ τῆς συντηρήσεως τοῦ δικαίου καὶ τῆς εὐσεβείας λαλεῖν ἐνώπιον βασιλέων, καὶ μὴ αἰσχύνεσθαι.

ε'. Τὰ παρὰ τῶν παλαιῶν κανονισθέντα, καὶ παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων ὁρισθέντα, καὶ παρὰ τῶν ἁγίων συνόδων ἐκτεθέντα τὸν πατριάρχην μόνον δεῖ ἑρμηνεύειν.

ς'. Τὰ παρὰ τῶν ἀρχαίων πατέρων ἐν συνόδοις, ἢ ἐν ἐπαρχίαις ἰδικῶς καὶ καθολικῶς πραχθέντα καὶ οἰκονομηθέντα τὸν πατριάρχην δεῖ διαι- D τᾷν καὶ διακρίνειν.

ζ'. Οἱ προγενέστεροι κανόνες καὶ εἰς τοὺς μεταγενεστέρους ἕλκονται· ὡσαύτως δὲ καὶ αἱ προγενέστεραι πράξεις καὶ οἰκονομίαι, καὶ εἰς τοὺς μεταγενεστέρους ἕλκονται, καὶ κρατοῦσιν· ἐπὶ τῶν ὁμοίων δηλονότι προσώπων τε καὶ πραγμάτων.

η'. Τῆς πολιτείας ἐκ μερῶν καὶ μορίων ἀναλόγως τῷ ἀνθρώπῳ συνισταμένης, τὰ μέγιστα καὶ ἀναγκαιότατα μέρη, βασιλεύς ἐστι, καὶ πατριάρχης· διὸ καὶ ἡ κατὰ ψυχὴν καὶ σῶμα τῶν ὑπηκόων εἰ- E ρήνη, καὶ εὐδαιμονία βασιλείας ἐστὶ καὶ ἀρχιερωσύνης καὶ ἐν πᾶσιν ὁμοφροσύνῃ καὶ συμφωνίᾳ.

θ'. Ὁ Κωνσταντινουπόλεως θρόνος, βασιλείᾳ ἐπικοσμηθεὶς, ταῖς συνοδικαῖς ψήφοις πρῶτος ἀνῃρέθη, αἷς καὶ οἱ θεῖοι κατακολουθοῦντες νόμοι καὶ τὰς ὑπὸ τοὺς ἑτέρους θρόνους γινομένας ἀμφισβητήσεις, ὑπὸ τὴν ἐκείνου προστάττουσι διάγνωσιν ἀναφέρεσθαι καὶ κρίσιν.

TITULUS III.

De Patriarcha.

1. PATRIARCHA est Christi viva & animata effigies, verbis omnibus factisque exprimens veritatem.

2. Scopus Patriarchæ propositus, est, primùm quidem, pietate & gravitate tenere quos à Deo tuendos suscepit, deinde & omnes hæreticos pro virili ad rectam doctrinam & Ecclesiæ unionem convertere. Hæretici autem & ex legibus & ex canonibus vocantur illi quoque, qui à catholicæ Ecclesiæ communione exclusi sunt, & præterea infideles, quos ille manifesta & clara vitæ sanctitate in sui admirationem convertens, accendet ad Fidei imitationem.

3. Finis Patriarchæ propositus, est salus animarum, quæ ipsi concreduntur: & vivere quidem Christo, crucifigi autem mundo.

4. Propria Patriarchæ sunt, idoneum esse ad docendum, æqualem se omnibus ultrò præbere, tum altioris, tum humilioris fortunæ hominibus; & mitem quidem esse in judicando, inobedientibus verò asperum: adhæc pro veritate & sacrorum dogmatum defensione coram Principibus loqui, neque verecundari.

5. Quæ ab antiquis constituta sunt, & à sanctis synodis exposita, solum Patriarcham interpretari decet.

6. Quæ ab antiquis Patribus, in synodis, aut in provinciis specialiter vel universaliter facta vel constituta sunt, Patriarcham dijudicare decet.

7. Antiquiores canones etiam ad posteriores trahi solent, similiter & priores actiones ad posteriores trahuntur, obtinentque, in similibus videlicet personis & rebus.

8. Quum Respublica ex partibus suis & membris proportione quadam ad hominem constituta sit; maximæ ejus & inprimis necessariæ partes sunt Princeps & Patriarcha: quapropter & subditorum quies & felicitas, tam animalis, quam corporalis, consistit in consensione & concordia regni cum summo pontificatu.

9. Sedes Constantinopolitana, quam Regia exornat, synodorum suffragiis primatum obtinet, quibus divinæ leges suffragantes, controversias in aliis sedibus motas ad hujus notionem referri præcipiunt.

10. Omnium Metropolium & episcopatuum, monasteriorumque & ecclesiarum cura & judicium ac sententia ad proprium Patriarcham spectat: Constantinopolitano verò licet etiam in aliarum sedium territoriis, in quibus templum consecratum non est, crucium fixiones concedere: neque hoc solum, sed & controversias in aliis sedibus exortas dirimere ac dijudicare potest.

11. Ad Patriarcham spectat cura omnium rerum ad animæ salutem pertinentium; transfertur verò & ad alios quibus ipse mandaverit: similiter & pœnitentiæ, & conversionis à peccatis & hæresibus. Ipse autem solus constituitur disceptator & judex, tum & ii quibus ipse mandaverit: sed & per metropoles & episcopatus, metropolitis & episcopis eadem potestas & prærogativa servatur.

TITULUS VIII.

De episcopis & ordinationibus & promotionibus omnis generis ecclesiasticorum.

1. EPISCOPUS est animarum omnium quæ ipsi creditæ sunt, curator & conservator, habens in episcopatu suo absolutam potentiam in Presbyteros, Diaconos, Anagnostas, Psaltas, & Monachos.

2. Proprium Episcopi est, cum humilibus quidem conversari, despicere autem eos qui animo elato sunt, tum etiam verbis factisque arrogantium superbiam ad humilitatem trahere. Quævis pericula pro grege suo subire, & illius angustias propriis doloribus deputare.

3. Jubemus ut, si Episcopus ordinandus sit, conveniant clerici, & in illa civitate primi, ut super tribus personis decreta faciant, & unusquisque manu sua subscribat, quod neque pretio, neque pollicitatione, neque amicitia, aut gratia, aut alio quovis affectu inducti sint, sed compertum habeant ipsos rectæ & catholicæ Fidei, vitæque inculpatæ esse, & jamque trigesimum annum supergressos: scireque se, quod neque uxorem, neque liberos habeant, neque pellicem aut liberos naturales; sed si quis ex ipsis priùs uxorem habuit, eam unicam fuisse, eamque nec viduam, neque à viro dimissam; neque illos esse sacris canonibus prohibitos: tumque ex tribus personis, de quibus decretum factum est, optimus ordinetur. Adjiciatur præterea judicio ordinantis, ut libello ab ipso facto cum propria subscriptione, continente testimonium de recta ejus Fide, attestetur & divinam oblationem in sacra communione factam, & precationem in sacro baptismate, reliquasque deprecationes: sed & ipse qui ordinatus propria manu subscribat, quod neque per seipsum, neque per aliam personam dederit, aut promiserit, aut posthac daturus sit, vel illi

A ί. Πασῶν τῶν μητροπόλεων καὶ ἐπισκοπείων, μοναστηρίων τε καὶ ἐκκλησιῶν ἡ πρόνοια καὶ φροντὶς, ἔτι δὲ καὶ κρίσις καὶ κατάκρισις, καὶ ἀθώωσις τῷ οἰκείῳ πατριάρχῃ ἀνάκειται. τῷ δὲ Κωνσταντινουπόλεως προέδρῳ ἔξεστι καὶ ἐν τῶν ἄλλων θρόνων ἐνορίαις, ἐν αἷς οὐκ ἔστι προκαθιέρωσις ναοῦ, σαυροπήγια διδόναι. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τὰς ἐν τοῖς ἄλλοις θρόνοις γινομένας ἀμφισβητήσεις ἐκτηρεῖν καὶ διορθοῦσθαι, καὶ πέρας ἐπιτιθέναι ταῖς κρίσεσιν.

ια'. Τῶν ψυχικῶν ἁπάντων ἡ πρόνοια, τῷ πατριάρχῃ ἀνάκειται. ἀναφέρεται δὲ καὶ εἰς τοὺς ἑτέρους οἷς ἂν ἐκεῖνος ἀναφέρεσθαι δοκιμάσῃ. ὡσαύ-

B τως δὲ καὶ μετανοίας καὶ ἐπιστροφῆς, ἀπό τε ἁμαρτημάτων καὶ αἱρέσεων, αὐτὸς καὶ μόνος καθίσταται διαιτητής τε καὶ γνώμων, καὶ οἷς ἂν αὐτὸς ὁρίσῃ. κατὰ τὰς μητροπόλεις δὲ καὶ ἐπισκοπὰς τοῖς μητροπολίταις τε καὶ ἐπισκόποις ἡ αὐτὴ φυλάττεται τάξις καὶ ἐξουσία.

ΤΙΤΛΟΣ ή.

Περὶ ἐπισκόπων καὶ χειροτονιῶν, καὶ προβολῶν ἐκκλησιαστικῶν παντοίων.

α'. ΕΠΙΣΚΟΠΟΣ ἐστι, καὶ ἐπιτηρητὴς, καὶ

C ἐπιμελητὴς πασῶν τῶν ἐκκλησιαζομένων ψυχῶν, τῶν ἐν τῇ αὐτοῦ ἐπαρχίᾳ δύναμιν ἔχων τελεστικὴν, πρεσβυτέρου καὶ διακόνου, καὶ ἀναγνώστου, καὶ ψάλτου καὶ μοναχοῦ.

β'. Ἴδιον ἐπισκόπου, τοῖς μὲν ταπεινοῖς συγκατέρχεσθαι, καταφρονεῖν δὲ τῶν ἐπαιρομένων, καὶ πρὸς ταπείνωσιν ἔργῳ καὶ λόγῳ τῶν ὑπερηφανῶν τὸ φρόνημα καθέλκειν, καὶ προκινδυνεύειν τοῦ ποιμνίου, καὶ τὴν ἐκείνου στενοχωρίαν, οἰκείαν ὀδύνην ποιεῖσθαι.

γ'. Κελεύομεν, εἰ μέλλει ἐπίσκοπος χειροτονεῖσθαι, συνεληλυθέναι τοὺς κληρικοὺς, καὶ τοὺς

D πρώτους τῆς πόλεως, καὶ ἐπὶ τρισὶ προσώποις ψηφίσματα ποιεῖν, καὶ ἕκαστον αὐτῶν χειρογραφεῖν, ὅτι οὐδὲ διὰ δόσιν, οὔτε ὑπόσχεσιν, ἢ φιλίαν, ἢ χάριν, ἢ ἄλλην οἱανδήποτε προσπάθειαν, ἀλλ' εἰδότες αὐτὸν τῆς ὀρθῆς καὶ καθολικῆς πίστεως καὶ σεμνοῦ βίου, καὶ ὑπὲρ τὸ τριακοστὸν ἔτος τοῦτον εἶναι. ἐπελέγξονται καὶ ὅτι οὐδὲ γαμετὰς, οὐδὲ παῖδας ἴσασι τινὰς ἐκ τούτων ἔχειν, ἢ παλλακὴν ἢ παῖδας φυσικούς. ἀλλ' εἰ καὶ πρότερόν τις ἐξ αὐτῶν γαμετὴν εἶχεν, καὶ αὐτὴν μίαν, καὶ οὐδὲ χήραν, οὐδὲ ἀνδρὸς ἀποζευχθεῖσαν, οὐδὲ τοῖς ἱεροῖς

E κανόσιν ἀπηγορευμένην. καὶ ἐκ τῶν τριῶν προσώπων τῶν ψηφιζομένων ὁ βελτίων χειροτονείσθω ἐπιλογῇ καὶ κρίματι τοῦ χειροτονοῦντος, λιβέλλου παρ' αὐτοῦ γινομένου μεθ' ὑπογραφῆς ἰδίας, περιέχοντος περὶ τῆς ὀρθῆς αὐτοῦ πίστεως. ἀπαγγέλλειν δὲ τοῦτον καὶ τὴν θείαν προσκομιδὴν, τὴν ἐπὶ τῇ ἁγίᾳ κοινωνίᾳ γινομένην, καὶ τὴν ἐπὶ τῷ ἁγίῳ βαπτίσματι εὐχὴν, καὶ τὰς λοιπὰς εὐχάς. ἰδιόχειρον δὲ ὑπέχειν καὶ αὐτὸν τὸν χειροτονούμενον, ὡς οὔτε δι' ἑαυτοῦ, οὔτε δι' ἑτέρου προσώπου δέδωκεν καὶ ὑπέσχετο, οὐδὲ μετὰ ταῦτα δώσει, ἢ αὐτῷ

ἢ αὐτῷ τῷ χειροτονοῦντι αὐτὸν, καὶ τοῖς τὰ ψηφίσματα ποιησαμένοις, ἢ ἑτέρῳ τῶν πάντων τινὶ ὑπὲρ τῆς εἰς αὐτὸν γινομένης χειροτονίας.

δ'. Κελεύομεν τοὺς ψηφιζομένους, εἴ τινα κοσμικὸν ἄξιον τῆς προειρημένης ἐπιλογῆς εἶναι νομίσωσι, τὸν τοιοῦτον ἅμα ἄλλοις τρισὶ κληρικοῖς ἢ μοναχοῖς ἐπιλέξασθαι. οὕτω μέντοι, ἵνα ὁ κοσμικὸς τούτῳ τῷ τρόπῳ εἰς ἐπίσκοπον ἐπιλεγεὶς, μὴ ἐπίσκοπος χειροτονηθῇ, ἀλλὰ πρότερον τοῖς κληρικοῖς οὐκ ἔλαττον τριῶν μηνῶν συναριθμηθῇ, καὶ οὕτω τοὺς ἁγίους κανόνας, καὶ τὴν ἱερὰν τῆς ἐκκλησίας λειτουργίαν διδαχθεὶς, ἐπίσκοπος χειροτονηθῇ, ὁ γὰρ ἄλλοις ὀφείλων διδάσκειν, παρ' ἑτέρων μετὰ τὴν χειροτονίαν διδάσκεσθαι οὐκ ὀφείλει, εἰ μέντοιγε ἤδη διδακτικός ἐστι, καὶ ἐν τῷ λαϊκῷ ἀριθμούμενος τάγματι, καὶ μηδὲν ἐλλείπων ὅσαγε εἰς ἑτέρων ὠφέλειαν καὶ καταρτισμὸν, ἐπ' αὐτοῦ τὸν τοιοῦτον μὴ παρατηρεῖσθαι χρόνον, ἡ πεῖρα παρέχει ἀκίνδυνον.

ε'. Ἐὰν κατηγορηθῇ ὁ μέλλων χειροτονεῖσθαι ὡς ἀνεπιτήδειος, ἀναβαλλέσθω τέως ἡ χειροτονία, καὶ προβαινέτω ἡ ἐξέτασις, παρόντος τοῦ ἀντιδίκου ἢ ἀπόντος, ἐντὸς τριῶν μηνῶν, καὶ κωλυέσθω ἡ χειροτονία· καὶ εἰ εὑρεθῇ ὁ χειροτονούμενος ὑπαίτιος κατὰ νόμους, ἢ κατὰ κανόνας, κωλυέσθω. εἰ δὲ ἀνεύθυνος εὑρεθῇ, χειροτονείσθω. εἰ δὲ χειροτονηθῇ παρὰ τὰ εἰρημένα, καὶ ὁ αὐτὸς, καὶ ὁ χειροτονούμενος τῆς ἐκκλησίας ἐπιβάλλονται. ἐὰν δὲ ὁ κατήγορος παρὼν μὴ δείξῃ ἃ διεβεβαιώσατο, ἢ ἀπολειφθῇ, εἰ μὲν κληρικός ἐστι, τῆς ἐκκλησίας ἐκβάλλεται· εἰ δὲ λαϊκὸς εἴη, δεόντως σωφρονίζεται.

ϛ'. Εἴ τις τῶν ἐπισκόπων, εἴτε πρὸ τῆς ἰδίας χειροτονίας, εἴτε μετὰ τὴν χειροτονίαν βουληθῇ τὰ ἴδια πράγματα, ἢ μέρος ἐξ αὐτῶν προσαγαγεῖν τῇ ἐκκλησίᾳ, ἧς τὴν ἱερωσύνην λαμβάνει, οὐ μόνον οὐ κωλύομεν, καὶ πάσης καταδίκης καὶ ποινῆς τοῦ παρόντος νόμου ἐλεύθερον αὐτὸν εἶναι θεσπίζομεν, ἀλλὰ καὶ παντὸς ἐπαίνου ἄξιον κρίνομεν. ἐπειδὴ τοῦτο οὐκ ἔστιν ἀγορασία, ἀλλὰ προσφορά.

ζ'. Πρεσβύτερος χειροτονείσθω, μὴ ἧττον τριάκοντα χρόνων, ἐν παρθενίᾳ μεμαρτυρημένος, ἢ μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ ὢν, ἢ γεγονὼς, τῆς ταύτης σεμνοτάτης, καὶ τῶν ἄλλων ἀπηγορευμένων ἔργων ἐλευθερωμένος, καὶ τῇ κανονικῇ ἀδωροδοκήτῳ μαρτυρίᾳ κατησφαλισμένος.

η'. Διάκονος ὀφείλει χειροτονεῖσθαι μὴ ἧττον τῶν εἴκοσι πέντε χρόνων, καὶ αὐτὸς ἐν παρθενίᾳ μεμαρτυρημένος, ἢ μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ ὢν, ἢ γεγονὼς, καὶ ταύτης σεμνοτάτης, καὶ τῶν ἄλλων ἀπηγορευμένων ἔργων ἐλευθερωμένος, καὶ τῇ κανονικῇ καὶ ἀδωροδοκήτῳ μαρτυρίᾳ κατησφαλισμένος.

θ'. Ὑποδιάκονος χειροτονείσθω μὴ ἧττον τῶν εἴκοσι χρόνων, κατὰ τὰς προειρημένας διατυπώσεις. ἀπηγορεύομεν δὲ τοῦ λοιποῦ, τὰς ὑπὸ τὸν ὅρον τοῦτον χειροτονίας. ἄτοπον γὰρ μετὰ τὴν χειροτονίαν πρὸς γαμικὰς ἔρχεσθαι συναφείας.

A qui eum ordinavit, vel illis qui suffragio suo eum juverunt, aut denique omni cuiquam, pro ordinatione in ipso facta.

4. Jubemus episcopos creatos, si quem laïcum prædicta electione dignum censuerint, hunc talem unà cum aliis tribus clericis aut monachis allegere: ita quidem ut laïcus hac ratione in episcopum allectus, non quidem episcopus creetur, sed primum clericis non minùs quàm trium mensium spatio annumeretur, & sic sanctos canones, sacrasque Ecclesiæ Liturgias edoctus, episcopus ordinetur. Qui
B enim alios docturus est, non convenit eum post ordinationem ab aliis discere. Sed si quidem etiam dum laïcis connumeraretur, jam sufficienter omnia edoctus fuerit ad aliorum institutionem, in tali tempus præfinitum non servari, experientia sine periculo esse docuit.

5. Si is qui ordinandus est, tamquam non idoneus accusetur, differatur ordinatio & procedat inquisitio, seu presente, seu absente adversario, idque intra tres menses; ac si ordinandus inveniatur obnoxius culpæ, vel ex legibus, vel ex canonibus, ordinari prohibea-
C tur; si verò innocens inventus sit, ordinetur. Quod si contrà prædicta ordinatus fuerit, & ipse, & eum qui ordinavit, extrà ecclesiam ejiciuntur. Si verò adversarius præsens non ostenderit quæ affirmabat, aut deficiens fuerit; si quidem clericus est, ex ecclesia ejicitur; si verò laïcus, competenter castigatur.

6. Si quis episcoporum, vel ante, vel post ordinationem suam, voluerit bona sua, vel partem eorum adjicere ecclesiæ, cujus episcopatum suscipit; non solum non prohibemus, liberumque jubemus esse ab omni ac-
D cusatione & pœna præsentis legis, sed & ipsum omni laude dignum judicamus: quoniam hæc non est nundinatio, sed oblatio.

7. Presbyter eligatur non minor triginta annis, testatæ virginitatis, quique unius tantum mulieris vir, aut sit, aut fuerit, ejusque integerrimæ modestissimæque: sitque immunis à crimine omnis facti prohibiti, integrique & incorrupti pecuniis animi testimonio munitus.

8. Diaconus ordinari debet non minor viginti quinque annis, & ipse spectatæ virgini-
E tatis, quique unius tantum mulieris, ejusque modestissimæ, vir sit, aut fuerit: sitque immunis à culpa omnis prohibiti facti, integri præterea & incorrupti pecuniis animi testimonio munitus.

9. Subdiaconus ordinetur non minor viginti annis, secundum prædictas constitutiones. Prohibemus verò in reliquum ordinationes intra hunc terminum factas. Absurdum enim fuerit post ordnationem venire ad copulas nuptiales.

10. Lector ordinetur ab eo tempore, A quo novit & potest legere.

11. Psaltes ordinetur ab eo tempore, quo canere noverit.

12. Quod si Lector secundam uxorem duxerit, aut primam quidem, sed aut viduam, aut à viro separatam, aut aliquam denique cujus nuptiæ legibus, aut sanctis canonibus prohibitæ sunt, numquam postea ad alium aliquem ecclesiasticum gradum promoveatur.

13. Quemadmodum clericum cujuscumque gradûs sit non permittimus pecuniâ datâ ordinari; sic neque Xenodochum aut Pto- B chotrophum, aut Nosocomum, aut alicujus denique venerabilis loci præfectum, aut quodcumque ecclesiasticum munus sustinentem. Quod si verò id contigerit, & qui dedit ei qui accepit pecuniam, & mediator, sacerdotio, aut quavis alia administratione ipsi concredita privabitur, iis quæ data sunt venerabili loco vindicatis, cujus talis persona, aut ordinationem, aut curam, aut administrationem accepit. Si verò laïcus sit acceptor aut sequester pecuniæ, ejus quod datum erit duplum repetetur, & restituetur venerabili loco, cujus ta- C lis persona ordinationem aut curam accepit.

14. Si quis clericus cujuscumque gradûs, sive administrator venerabilis loci, vel ante ordinationem vel concreditam ipsi qualemcumque administrationem aut curam, vel postea voluerit aliquid ex propriis facultatibus conferre in ecclesiam in quâ ordinatus est, aut locum cujus administrationem aut curam suscepit, non solum non prohibemus id fieri, sed etiam adhortamur.

15. Jubemus ut si episcopus mediantibus aliquibus ad pecuniæ pensionem ordinatus D sit, & is qui dedit, & is qui accepit, & sequester removeantur à sacerdotio, vel à cleri honore, secundum sanctos canones. Quod autem talem ob causam datum est, ecclesiæ illi vindicetur, cujus sacerdotium mereari voluit. Si verò laïcus sit, qui talem ob causam aliquid accepit, aut qui mediator in hoc negotio fuit, pecuniæ datæ in duplum repetitionem esse volumus.

TITULUS IX.

De officio episcoporum, presbyterorum, E diaconorum, & in genere omnium ecclesiasticorum & monachorum.

1. DEO amantissimos episcopos nullà ratione tutores aut curatores qualiscumque personæ fieri permittimus.

2. Presbyteros & diaconos, & hypodiaconos solo agnationis jure ad tutelam aut curatelam vocatos ministerium obire permittimus.

ι'. Ἀναγνώστης χειροτονείσθω ἀφ' ὅτουοῦν χρόνου δύναται καὶ ἐπίσταται ἀναγινώσκειν.

ια'. Ψάλτης χειροτονείσθω ἀφ' ὅτουοῦν χρόνου καὶ αὐτὸς δύναται ψάλλειν.

ιβ'. Εἰ ἀναγνώστης δευτέραν γαμετὴν ἀγάγεται, ἢ προτέραν μὲν, χήραν δὲ ἢ διαζευχθεῖσαν ἀνδρὸς, ἢ τοῖς νόμοις, ἢ τοῖς ἱεροῖς κανόσιν ἀπηγορευμένην, μηκέτι εἰς ἄλλον ἐκκλησιαστικὸν βαθμὸν προβαινέτω.

ιγ'. Ὥσπερ κληρικὸν οἱουδήποτε βαθμοῦ ἐπὶ χρήμασι προβάλλεσθαι οὐκ ἀνεχόμεθα, οὕτως οὐδὲ Ξενοδόχον, ἢ Πτωχοτρόφον, ἢ Νοσοκόμον, ἢ ἄλλου οἱουδήποτε εὐαγοῦς οἴκου διοικητὴν, ἢ οἱονδήποτε ἐκκλησιαστικὸν φρόντισμα χειρίζοντα. εἰ δὲ τοῦτο γένηταί ποτε, καὶ ὁ διδοὺς, καὶ ὁ λαμβάνων, καὶ ὁ μεσίτης, τῆς ἱερωσύνης, ἤτοι τῆς ἐμπιστευθείσης αὐτῷ οἱασδήποτε διοικήσεως, γυμνωθήσεται, τὸ δὲ δόμαν * ἐκδικουμένων τῷ εὐαγεῖ τόπῳ, οὗτινος τὸ πρόσωπον τὴν χειροτονίαν, ἢ φροντίδα, ἢ διοίκησιν ἔλαβεν. εἰ δὲ κοσμικὸς ᾖ ὁ λαβὼν, ἢ μεσίτης γενόμενος, τὸ δοθὲν διπλοῦν ἀπαιτηθήσεται, καὶ ἀποκατασταθήσεται τῷ εὐαγεῖ τόπῳ, ὃν τὸ τοιοῦτο πρόσωπον τὴν χειροτονίαν, ἢ φροντίδα ἔλαβεν.

* Lego δομάτι.

ιδ'. Εἰ δὲ τις κληρικὸς οἱουδήποτε βαθμοῦ ἢ διοικητὴς εὐαγοῦς τόπου πρὸ τῆς χειροτονίας, ἢ τῆς ἐμπιστευθείσης αὐτῷ οἱασδήποτε διοικήσεως, ἢ φροντίδος, ἢ μετὰ ταῦτα βουληθῇ τι τῶν ἰδίων πραγμάτων προσαγαγεῖν τῇ ἐκκλησίᾳ, ἐν ᾗ χειροτονεῖται, ἢ τῷ τόπῳ οὗ τινος τὴν διοίκησιν, ἢ τὴν φροντίδα ὑποδέχεται, οὐ μόνον οὐ κωλύομεν τοῦτο γίνεσθαι, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον ἐπιτρέπομεν.

ιε'. Θεσπίζομεν, ἐὰν ἐπίσκοπος μεσιτευόντων τινῶν ἐν χρυσίῳ καταβολῇ χειροτονηθῇ, καὶ τὸν διδόντα, καὶ τὸν λαμβάνοντα, καὶ τὸν μεσιτεύοντα, τῆς ἱερωσύνης καὶ τῆς τοῦ κλήρου τιμῆς κατὰ τοὺς ἱεροὺς κανόνας ἀποκινεῖσθαι. τὸ δὲ ὑπὲρ ταύτης τῆς αἰτίας δοθὲν τῇ ἐκκλησίᾳ ἐκείνῃ ἐκδικείσθω, ἧς ἠβουλήθη τὴν ἱερωσύνην ὠνήσασθαι. εἰ δὲ κοσμικὸς εἴη ὁ ὑπὲρ ταύτης τῆς αἰτίας τι λαβὼν, ἢ μέσος τῷ πράγματι γενόμενος, τὰ δοθέντα χρήματα ἐν διπλῷ ἀπαιτεῖσθαι αὐτὸν κελεύομεν.

ΤΙΤΛΟΣ θ'.

Περὶ τῶν ἁρμοζόντων ἐπισκόποις, καὶ πρεσβυτέροις, καὶ διακόνοις, καὶ ἁπλῶς πᾶσιν ἐκκλησιαστικοῖς, καὶ μοναχοῖς.

α'. ΤΟΥΣ θεοφιλεστάτους ἐπισκόπους ἐκ μηδενὸς νόμου ἐπιτρόπους ἢ κουράτορας οἱουδήποτε προσώπου γίνεσθαι συγχωροῦμεν.

β'. Τοὺς πρεσβυτέρους καὶ διακόνους καὶ ὑποδιακόνους τῷ δικαίῳ καὶ νόμῳ τῆς συγγενείας εἰς ἐπιτροπὴν ἢ κουρατορείαν καλουμένους, τὴν λειτουργίαν ὑποδέχεσθαι συγχωροῦμεν.

γ΄. Ἐπίσκοπον ἢ οἰκονόμον, ἢ ἄλλον κληρικὸν, A οἱουδήποτε βαθμοῦ, ἢ μοναχὸν, ἐκλήπτορα ἢ ἀπαιτητὴν δημοσίων συντελειῶν, ἢ μισθωτὴν τελῶν, ἢ ἀλλοτρίων κτήσεων κουράτορα καὶ οἴκου, ἢ ἐντολέα δίκης, ἢ ἐγγυητὴν γίνεσθαι οὐ συγχωροῦμεν.

3. Epiſcopum aut œconomum, aut alium clericum cujuſcumque gradûs, aut monachum, conductorem exactoremve publicorum vectigalium, aut alienarum facultatum & domûs curatorem, aut procuratorem in litem, aut ſponſorem fieri non permittimus.

δ΄. Τοῖς θεοφιλεστάτοις ἐπισκόποις τὰς οἰκείας καταλιμπάνειν ἐκκλησίας, καὶ εἰς ἄλλων ἐπαρχίας παραγίνεσθαι ἀπαγορεύομεν. εἰ δὲ ἀνάγκη τις ἀπαιτεῖ, μὴ ἄλλως, ἢ μετὰ γραμμάτων τοῦ μακαριωτάτου αὐτῶν πατριάρχου ἢ μητροπολίτου, ἢ κατὰ βασιλικὴν δηλαδὴ κέλευσιν, τοῦτο ποιείτωσαν. οὕτω μέντοιγε ἵνα μηδὲ ἐκείνοις τοῖς ἐπισκό- B ποις, οἵ τινες ὑπὸ τὸν μακαριώτατον ἐπίσκοπον Κωνσταντινουπόλεως καὶ πατριάρχην εἰσὶν, ἐξείη δίχα ἐπιτροπῆς αὐτοῦ, ἢ ἡμετέρας κελεύσεως, κατὰ τὴν βασιλίδα πόλιν ἐλθεῖν. εἰ γὰρ καὶ κατὰ τὸν τρόπον τοῦτον ἐπίσκοπος οἱοσδήποτε ἀποδημήσει, μὴ πλέον ἑνὸς ἐνιαυτοῦ τὴν ἰδίαν ἀπολιμπανέτω ἐκκλησίαν. τοὺς δὲ ἐπισκόπους τοὺς κατὰ τὴν βασιλίδα πόλιν, ὡς εἴρηται, παραγινομένους οἱασδήποτε εἶεν διοικήσεως, πρὸ πάντων ἀπιέναι πρὸς τὸν μακαριώτατον ἀρχιεπίσκοπον Κωνσταντινουπόλεως καὶ πατριάρχην, καὶ οὕτως δι᾽ αὐτοῦ πρὸς τὴν ἡμετέραν εἰσιέναι γαληνότητα. τοῖς δὲ παρὰ C ταύτην ἡμῶν τὴν διατύπωσιν ἀποδημοῦσιν, ἢ ὑπὲρ τὸν ὡρισμένον τοῦ ἐνιαυτοῦ χρόνον ἔξω τῆς ἰδίας ἐκκλησίας ποιοῦσιν, πρῶτον μὲν μὴ χορηγεῖσθαι παρὰ τῶν οἰκονόμων τῆς ἰδίας ἐκκλησίας δαπάνας, ἔπειτα δὲ ὑπομιμνήσκεσθαι αὐτοὺς διὰ γραμμάτων τῶν ἀρχιερέων ὑφ᾽ οὓς τελοῦσιν, ὥστε ἐπανελθεῖν εἰς τὰς ἰδίας ἐκκλησίας, ἑαυτοὺς μὲν τῆς ἐπισκοπῆς ἐξωθεῖσθαι γνώμῃ, καὶ κρίσει, καὶ δοκιμασίᾳ τοῦ οἰκείου ἀρχιερέως. ἑτέρους δὲ ἀντ᾽ αὐτῶν χειροτονεῖσθαι κατὰ τὴν τοῦ παρόντος νόμου δύναμιν· τούτου αὐτοῦ καὶ ἐπὶ τῶν κληρικῶν κρατοῦντος, οἱουδήποτε βαθμοῦ εἶεν, ἢ ἐν ὑπηρεσίᾳ. D

4. Amantiſſimos Deo epiſcopos, proprias relinquere eccleſias, & in aliorum provincias abire vetamus. Si verò neceſſitas aliqua id exegerit, non aliter quàm cum literis beatiſſimi ipſorum patriarchæ, aut metropolitæ, aut Principis mandato id faciant; ita quidem ut nec illis epiſcopis, qui ſub beatiſſimo Conſtantinopolitano epiſcopo & patriarcha ſunt, liceat ſine ipſius permiſſu, aut noſtro juſſu in regiam Urbem venire. Nam ſi etiam hoc modo epiſcopus, qualiſcumque fuerit, exceſſerit, non amplius uno anno eccleſiam ſuam relinquat. Epiſcopos verò qui in regiam Urbem (ita ut dictum eſt) venerint, ex quacumque fuerint Diœceſi, ante omnia abire jubemus ad beatiſſimum Conſtantinopolis archiepiſcopum & patriarcham, atque ita ad noſtram venire ſerenitatem. Quicumque autem contra conſtitutionem hanc noſtram exceſſerint, aut ſupra definitum anni ſpatium, tempus aliquod extra propriam eccleſiam fecerint, primum quidem non ſubminiſtrari ſumtus ab œconomis ejus eccleſiæ ipſis volumus, deinde ſignificari ipſis per literas ſacerdotum quibus parent, ut ad proprias eccleſias redeant; ut ſe ipſi quidem epiſcopatu ſubmoveant, ſententia & judicio proprii archiepiſcopi, alii verò in ipſorum locum ex præſentis legis vi & poteſtate creentur: eadem hac lege obtinente & in clericos cujuſcumque gradûs fuerint aut miniſterii.

ε΄. Τοὺς ἐπισκόπους καὶ πρεσβυτέρους ἀπαγορεύομεν μὴ χωρίζειν τινὰς τῆς ἁγίας κοινωνίας, πρὶν ἡ αἰτία δειχθείη, δι᾽ ἣν οἱ ἐκκλησιαστικοὶ κανόνες τοῦτο γίνεσθαι κελεύουσιν. εἰ δέ τις παρὰ ταῦτα τῆς ἁγίας κοινωνίας τινὰ χωρίσει, ἐκεῖνος μὲν ὡς * ἄδικος ἀπὸ τῆς κοινωνίας ἐχωρίσθη, λυόμενος τοῦ χωρισμοῦ ὑπὸ τοῦ μείζονος ἱερέως, τῆς ἁγίας ἀξιούσθω κοινωνίας. ὁ δὲ χωρίσαι τολμήσας, πᾶσι τρόποις ὑπὸ τοῦ μείζονος ἱερέως τῆς ἁγίας * ἀξιούσθω κοινωνίας, ἐφ᾽ ὅσον χρόνον ἐκεῖνος συνίδοι, ἵνα ὅπερ ἀδίκως ἐποίησεν, δικαίως ὑπομείνῃ. E

* Imò ἀδίκως.

* Imò χωριζέσθω.

5. Epiſcopos & Preſbyteros prohibemus, ne à ſanctâ communione quempiam excludant, non probata cauſa propter quam eccleſiaſtici canones illud fieri jubeant. Si quis autem contra prædicta à ſacra communione quempiam excludat, ille quidem quoniam injuſtè à communione excluſus eſt, ſolutus excommunicatione à ſuperiore ſacerdote, communione dignus habebitur: qui verò eum excommunicare auſus fuit, omnibus modis à ſacerdote cui ſubeſt, excludetur à communione quanto tempore ipſi viſum fuerit, ut quæ injuſtè fecit, juſtè erga ſe fieri patiatur.

ϛ΄. Θεσπίζομεν καὶ τοὺς κληρικοὺς τῆς ὑφ᾽ ἑτέρᾳ ἐνορίᾳ τεταγμένους, μηδαμῶς παρὰ γνώμην τοῦ οἰκείου ἐπισκόπου ἢ μητροπολίτου εἰς ἑτέραν ἐνορίαν μεταπίπτοντας, ἢ ἐν ἐκκλησίᾳ καταλέγεσθαι, ἢ χειροτονίαν ἀναδέχεσθαι. ἐκ γὰρ τοῦ μὴ τὰ τοιαῦτα παραφυλάττεσθαι, πολλῆς ἀταξίας καὶ πλάνης πολλαὶ τῶν ἐκκλησιῶν ἐπληρώθησαν. εἰ δέ τις φωραθείη τὴν παροῦσαν διάταξιν ἀθετῶν, εἰ μὲν τὴν οἰκείαν ἐνορίαν ἀπολιπὼν ἐν ἑτέρᾳ

6. Jubemus etiam ne clerici ſub alio territorio collocati contra voluntatem proprii epiſcopi aut metropolitæ in aliud territorium venientes, aut in eccleſiam allegantur, aut ordinationem accipiant. Namque ob iſta non obſervata multæ eccleſiæ confuſionibus & erroribus impletæ ſunt. Si quis verò deprehenſus fuerit hanc conſtitutionem violaſſe, ſi quidem proprium territorium relinquens, in

aliam tantum ecclesiam allectus fuerit, nullum adhuc gradum ordinis adeptus, ad proprium episcopum redire debebit, expulsus ex ecclesia in qua initio allectus fuerat. Si verò & ordinem aliquem accepit, hunc per triennium à Liturgia vacare, & in reliquum pro judicio episcopi sui ipsius veniam relinqui jubemus.

7. Quæcumque quidem bona episcopus habuit ante episcopatum, ea & donare, & alienare, & de iis disponere, prout velit, potest. Quæcumque autem acquisivit post episcopatum, ea ecclesiæ illius sunt, neque de iis disponere potest; nisi à parentibus aut patruis aut fratribus ipsius ad ipsum devoluta sint.

TITULUS X.

De judiciorum ordine.

Jur. Gr. Romani pag. 98.

6. PATRIARCHÆ sententia appellationi non subest, neque retractatur ab alio, ut potè ecclesiastici judicii princeps: ex ipsa enim omnia ecclesiastica judicia, & in ipsam resolvuntur & revertuntur: ipsa verò ob principatum, nec ab aliquo, nec ad aliquem refertur: judicatur verò spiritualiter ipsa à seipsa.

9. Præsidiales sententiæ appellationi subjacent, retractanturque, & ab Imperatore & à Patriarcha, sed & à Præfecto & Quæstore. Quanto enim longius absunt à Principe, tanto majore auxilio & plurium correctione, retractationeque indigent.

11. Neminem in ecclesiastico aliquo gradu constitutum, vel episcopum, vel presbyterum, vel diaconum, vel quemvis alium ex catalogo sacerdotali volentem vel invitum sæcularibus judiciis sisti sustinemus. Si enim quis aliquem ecclesiasticorum invitum ad sæculare judicium trahat, à nostra serenitate competentem sustinebit coërcitionem. Si verò aliquis sacerdotum sæculari judicio se stiterit, aut etiam prior ipse sententiam illic latam ecclesiastico auditorio prætulerit; tametsi sibi jus inde reddi putet, à sacris canonibus condemnatur: ubi enim dignus esset consequi quæ desiderat qui ab initio controversiæ à divinis decretis contumelia dignus judicatus sit!

μόνον καταλέγῃ ἐκκλησίᾳ, μηδένα βαθμὸν χειροτονίας προσλαβὼν, ἐπαναστρέφεσθαι τοῦτον εἰς τὸν οἰκεῖον ἐπίσκοπον τῆς προτέρου ἐκκλησίας, ἐν ᾗ καὶ ἀπ' ἀρχῆς κατελέγη, ἐλαυνόμενον. εἰ δὲ καὶ χειροτονίαν προσείληφε, τοῦτον ἐπὶ τριετίας τῆς λειτουργίας ἀργοῦντα μένειν, τὸ λοιπὸν ἐπὶ τῇ κρίσει τοῦ οἰκείου ἐπισκόπου τὴν αὐτοῦ συγγνώμην καταλιμπάνεσθαι.

ζ'. Ὅσα πράγματα εἶχεν ἐπίσκοπος πρὸ ἐπισκοπῆς, δωρεῖται καὶ ἐκποιεῖται ὡς θέλει, οὐ μὴν, ἀλλὰ καὶ διατίθεται εἰς αὐτά. ὅσα δὲ ἐκτήσατο μετὰ τὴν ἐπισκοπὴν, τῇ ἐκκλησίᾳ αὐτοῦ διαφέρει, καὶ οὐδὲ διατίθεται εἰς αὐτά, * εἰ μὲν ἄρα ἀπὸ γονέων, ἢ θείων, ἢ ἀδελφῶν αὐτοῦ εἰς αὐτὸν περιῆλθον.

* Lego εἰ μὴ, nisi.

ΤΙΤΛΟΣ ί.

Περὶ τάξεως κριτηρίων.

ϛ'. ΤΟ τοῦ πατριάρχου κριτήριον ἐκκλήτῳ οὐχ ὑπόκειται, οὐδὲ ἀναψηλαφᾶται ὑφ' ἑτέρου, ὡς ἀρχὴ καὶ αὐτὸς τῶν ἐκκλησιαστικῶν κριτηρίων. ἐξ αὐτοῦ γὰρ πάντα τὰ ἐκκλησιαστικὰ κριτήρια, καὶ εἰς αὐτὸν ἀπολύει, καὶ ἀναστρέφεται. αὐτὸ δὲ οὔτε ἔκ τινος, οὔτε πρὸς ἕτερον. τοιοῦτον γὰρ ἡ ἀρχὴ, ἐπανακρίνεται δὲ πνευματικῶς καὶ αὐτὸ ὑφ' ἑαυτοῦ.

θ'. Τὰ ἀρχοντικὰ κριτήρια ἐκκλήτῳ ὑπόκειται καὶ ἀναψηλαφᾶται ὑπό τε τοῦ βασιλέως, ὑπό τε τοῦ πατριάρχου, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ τοῦ ἐπάρχου, καὶ τοῦ Κοιαίστωρος. ὅσον γὰρ πόῤῥω ἀφίστανται τῆς ἀρχῆς, τοσοῦτον πλείονος καὶ τῆς βοηθείας, καὶ πλειόνων τῶν διορθουμένων καὶ ἀναψηλαφώντων δέονται.

ια'. Οὐδένα τῶν ἐκκλησιαστικῶν βαθμῶν, ἢ ἐπίσκοπον, ἢ πρεσβύτερον, ἢ διάκονον, ἢ ἁπλῶς τινὰ τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ, ἄκοντα, ἢ ἑκόντα κριτηρίοις κοσμικοῖς παρίστασθαι ἀνεχόμεθα. εἰ γὰρ ἄκοντά τις ἄγοι τινὰ τῶν ἐκκλησιαστικῶν πρὸς κριτήριον κοσμικὸν, παρὰ τῆς ἡμετέρας γαληνότητος τὴν πρέπουσαν ὑποστήσεται παίδευσιν. εἰ δὲ ἑκὼν ὁ ἱερατικὸς τῷ κοσμικῷ κριτηρίῳ παραστῇ, ἢ καὶ πρῶτος τὴν ἐκεῖθεν κρίσιν τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ ἀκροατηρίου προτιμήσαιτο, οὗτος κἂν ἐκεῖθεν νομίσῃ τὸ δίκαιον λαβεῖν, ὑπὸ τῶν ἱερῶν κανόνων καταδικάζεται. ποῦ γὰρ ἄξιος τυχεῖν ὧν ζητεῖ, ὁ τὴν ἀρχὴν τοῦ ἀγῶνος ἀπὸ τῆς τῶν θείων καταβαλλόμενος ὕβρεως;



PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI.

ECCLESIA CONSTANTINOPOLITANA.

BYZANTUS sive Byzantium, nobilis pridem Thraciæ civitas fuit, à Pausania Spartanorum duce, ut quidam volunt, vel, ut alii, à Byza Megarensium classis præfecto, ad Bosphori Thracici ostium & Propontidis fines condita; quîcum nulla situ altera comparanda sit. Priscum ejus nomen *Ligos* erat; posteriori autem ævo, Severo Imperatore, à quo, Didio Juliano ad ordinem redacto, post longam obsidionem capta fuit, ejusque filio Antonino Caracalla, qui eximiis eam ædibus ornaverunt, *Antoniæ* vel *Antoninæ* nomen habuit. Demum à Constantino Magno Imperatore instaurata & aucta ut altera Roma esset, Imperiique metropolis, *Constantinopolis* est appellata. De hujus urbis ecclesiæ primordiis multa dicenda non suppetunt, quippe quæ obscurissima sunt, uti jam ostensum est in superiori tractatu de Patriarchatu Constantinopolitano, moxque rursum compertum fiet. Sanctum Andream Apostolum Evangelium Christi in Thracia ac Byzanti quoque prædicasse ferunt quicumque ejus gestorum libri apud Græcos circumferuntur, ibique episcopum constituisse aiunt *Stachyn* illum, cujus Paulus epist. ad Rom. cap. 16. v. 9. meminit, *Salutate*, inquiens, *Urbanum adjutorem nostrum in Christo Jesu, & Stachyn dilectum meum.* Ejus successorum viginti & unius laterculus exstat S. Nicephori Constantinopolitani nomine insignitus, singulorumque Chronographia ad calcem Chronici Georgii Syncelli, in quo hoc ordine recensentur.

EPISCOPI BYZANTINI
EX PSEUDO-DOROTHEO TYRI.

I. ANDREAS APOSTOLUS.

II. STACHYS.	III. ONESIMUS.	IV. POLYCARPUS I.
V. PLUTARCHUS.	VI. SEDECION.	VII. DIOGENES.
VIII. ELEUTHERIUS.	IX. FELIX.	X. POLYCARPUS II.
XI. ATHENODORUS.	XII. EUZOIUS.	XIII. LAURENTIUS.
XIV. ALYPIUS.	XV. PERTINAX.	XVI. OLYMPIANUS.
XVII. MARCUS.	XVIII. CYRILLIANUS.	XIX. CASTINUS.
XX. TITUS.	XXI. DOMITIUS.	XXII. PROBUS.
	XXIII. METROPHANES.	

ATQUI prolixa hæc Byzantinorum Præsulum series non alio auctore prodiit, quam illometipso futili nulliusque fidei scriptore, qui Dorothei Episcopi Tyri & Martyris assumta larva, simul quoque *Synopsim* edidit *de vita & morte Prophetarum, Apostolorum & discipulorum Christi,* quam sæquioris ævi Græculi avide susceperunt. Nec alio autem ille consilio episcoporum Byzanti seriem istam obtendere ausus est, quam ut Constantinopolis ecclesiam Romana antiquiorem, & ab Apostolo Andrea fundatam & institutam, adeoque inter Apostolicas habendam suaderet. Ejus porrò de illis narrationis partem ex duobus MSS. Græcis Bibliothecæ Bodleianæ Baroccianis ab Henrico Dodwello exscriptam, Latineque versam Guillelmus Cave Anglus Græcis Latinisque typis anno 1688. edendam curavit in Scriptorum Ecclesiasticorum Historia literaria; quum interim ementiti auctoris opus eodem ipso anno ex Regio codice Græce quoque & Latine integrum evulgaret vir apud nos spectatissimus Carolus Cangius, ad calcem Chronici Paschalis, quod typis Regiis excudebatur. Illam vero partem quæ de Byzantinis episcopis agit, operæ pretium mihi visum est hic utraque lingua inserere, ne quid omitterem eorum quæ de illis apud Græcos multis sæculis passim jactata sunt.

A

Tractatus ecclesiasticus de LXX. Domini discipulis, conscriptus à Dorotheo Tyri Episcopo, antiquo admodum viro & Dei Spiritu pleno, qui Martyr fuit temporibus Licinii & Constantini Imperatorum.

CELEBRIS hic vir varias, tum Latinas, tum Græcas post se lucubrationes reliquit. Nam utriusque linguæ peritus & multarum rerum gnarus propter ingenii dexteritatem fuit. Post mortem verò Diocletiani & B Licinii exsilio liberatus, & ipse parœciam suam recepit; ecclesiam enim Tyri ad Julianum usque tyrannum rexit. Quoniam verò Julianus non propalam per se, sed clam per præfectos suos Christianos occidebat, iterum Dorotheus ad Odyssum civitatem venit, ubi à Juliani præfectis prehensus, multaque verbera passus, in grandæva senectute propter Christi confessionem, inter ipsa tormenta, quum annorum esset 107. mortuus est. Igitur in commentariis ecclesiasticis, quos magnus hic senex post se reliquit, LXX. C Salvatoris nostri discipulorum historiam contexuit, & ubi unusquisque Prophetarum & Apostolorum vitam finierit.

Inprimis itaque illos fuisse LXX. discipulos refert, &c.

Σύγγραμμα ἐκκλησιαστικὸν περὶ τῶν ό. μαθητῶν τοῦ Κυρίου, Δωροθέου ἐπισκόπου Τύρου, ἀρχαίου ἀνδρὸς πνευματοφόρου, καὶ μάρτυρος γεγονότος ἐν τοῖς καιροῖς Λικινίου καὶ Κωνσταντίνου τῶν βασιλέων.

ΟΥΤΟΣ ὁ θεολεχθεὶς ἀοίδιμος ἀνὴρ, ὃ συγγράμματα καταλέλοιπεν Ῥωμαϊκά τε καὶ Ἑλληνικὰ, ἐπειδήπερ καὶ ἑκατέρων τῶν γλωσσῶν ἔμπειρος ὑπῆρχεν, γέγονεν δὲ καὶ πολύϊστωρ δι' B εὐφυΐαν. μετὰ τὴν τελευτὴν Διοκλετιανοῦ καὶ Λικινίου κατέλαβεν καὶ αὐτὸς τὴν ἰδίαν παροικίαν, καὶ ἦν ἰθύνων τὴν ἐν Τύρῳ ἐκκλησίαν μέχρις Ἰουλιανοῦ τοῦ τυράννου. καὶ ἐπειδήπερ οὐκ αὐτοφανῶς, ἀλλὰ κρυπτῶς διὰ τῶν ἀρχόντων Ἰουλιανὸς ἀνῄρει τοὺς Χριστιανοὺς, πάλιν ὁ Δωρόθεος κατέλαβεν τὴν Ὀδύσσου πόλιν, ἔνθα καὶ συσχεθεὶς ὑπὸ τῶν Ἰουλιανοῦ ἀρχόντων, καὶ πολλοὺς αἰκισμοὺς ὑπομείνας, ἐν βαθυτάτῳ γήρᾳ διὰ τὴν εἰς Χριστὸν ὁμολογίαν ταῖς βασάνοις ἐναπέθανεν, ἑκατὸν καὶ ἑπτὰ ἐτῶν ἤδη τυγχάνων. οὗτος τοίνυν ὁ μέγας πρεσβύτης, καὶ συγγράμματα ἡμῖν C ἐκκλησιαστικὰ καταλέλοιπεν, ἐν οἷς καὶ τὰ περὶ τῶν ό. μαθητῶν τοῦ σωτῆρος ἱστόρησεν, καὶ ἔνθα ὁ καθεὶς τῶν προφητῶν καὶ τῶν ἀποστόλων τὸν βίον ἐτέλεσεν.

Ἐν πρώτοις μὲν τοὺς ό. ἐκείνους εἶναι λέγει, κ. τ. έ.

Ejusdem Dorothei episcopi & martyris de Byzanto urbe, ejusque episcopis commentarius.

MAGNUS itaque iste præsul Dorotheus scriptis retulit venerandam sanctæ & gloriosæ martyris Euphemiæ ædem à Tito D quodam primùm in Petrio constructam esse: qui quidem Titus sedi Byzantinæ præfuit, & post obitum in æde dicta propè veteres muros depositus fuit. Post Christi resurrectionem Andreas Apostolus locis hisce pedem intulit, multaque Christianorum millia ad partes suas pertraxit, adeò ut aliis in locis tanta discipulorum multitudo neutiquam inveniretur. Omnes enim præceptores Byzantini patientia constantes facti, tyrannicas quidem minas humiliter effugerunt, divinum autem verbum apud Ethnicos & Judæos propaga- E verunt, Tito præsertim miracula edente, qualia & ipse Salvator noster perficere solebat.

Porrò Licinii ac Diocletiani tyrannide obtinente, in isto rerum statu interficitur Carus Imp. una cum binis ipsius filiis Carino & Numeriano. Quibus è medio sublatis, timorem deposuerunt tyranni, & audaciùs deinceps ad Christianorum cædem sese contulerunt, milliaque illorum aliquot quotidie trucidarunt. Inter hos Adrianus Probi

Τοῦ αὐτοῦ Δωροθέου ἐπισκόπου καὶ μάρτυρος περὶ τοῦ Βύζαντος καὶ τῶν ἐπισκόπων αὐτοῦ.

ΟΥΤΟΣ οὖν ὁ μέγας ἀρχιερεὺς Δωρόθεος διηγήσατο ἐγγράφως, ὅπερ ὁ σεπτὸς D οἶκος τῆς ἁγίας καὶ καλλινίκου μάρτυρος Εὐφημίας ἐν τῷ Πετρείῳ ὑπὸ Τίτου τινὸς ἐκτίσθη ἀπὸ τῆς πρώτης, ὅστις Τίτος γεγονὼς ἐπίσκοπος τοῦ Βυζαντίου, τελειωθεὶς ἐν αὐτῇ, ἀπετέθη, πλησίον τῶν παλαιῶν τειχῶν. ἐξότε ὁ Ἀνδρέας ὁ ἀπόστολος καὶ τοῖς τόποις ἐπέστη, καὶ πολλὰ πλήθη Χριστιανῶν παρ' αὐτῷ συντρέχειν παρεσκεύασεν, ὡς μήτε τοσούτους ἐν ἄλλοις τόποις εὑρίσκεσθαι. ἅπαντες γὰρ οἱ τοῦ Βυζαντίου διδάσκαλοι καὶ ὑπομονητικοὶ γενόμενοι, διὰ τὴν καρτεροφροσύνην, τὰς μὲν τυραννικὰς ἀπέφυγον ἀπειλὰς, τοῖς δὲ ἐξ E ἐθνῶν, ἢ ἐξ Ἰουδαϊσμοῦ, τὸν ἔνθεον ἐπέσπειρον λογισμὸν, εἰ καὶ μάλιστα τοῦ Τίτου θαυματουργίας ἐπιτελοῦντος, οἷα τε καὶ ὁ σωτὴρ ἐπετέλεσεν.

Ἔτι καὶ τῆς τυραννίδος Λικινίου καὶ Διοκλητιανοῦ κρατούσης, ἐν τῇ ὑποθέσει ταύτῃ ἀναιρεῖται καὶ Κάρος ὁ βασιλεὺς, καὶ οἱ τούτου δύο υἱοὶ Καρῖνος καὶ Νουμεριανός. λοιπὸν ἐν ἀδείᾳ οἱ τύραννοι γενόμενοι, ἀναιδεστέρως πρὸς τὰς ἡμαρτίας τῶν Χριστιανῶν ηὐτομόλουν, εἰς χιλιάδας τὸ καθ' ἡμέραν ἐκ τούτων ἀναιροῦντες· μεθ' ὧν Ἀδριανὸς ὁ τοῦ Πρόβου υἱὸς θανεῖν

ἔσπευσεν. γενόμενος γὰρ ἐν τῇ Νικομηδέων πόλει μετὰ τὴν Κάρου ἀναίρεσιν, καὶ ἰδὼν τὰ πλήθη τῶν χριστιανῶν ὑπὸ Λικινίου ἀναιδῶς ἀναιρούμενα, προσελθὼν πρὸς βῆμα, ἔλεγεν τῷ Λικινίῳ· διατί οὕτως ἀναιδῶς τὸ στράτευμα τῶν Ῥωμαίων ἀναιρεῖται, καὶ ἰδοὺ τὰ πλεῖστα τῶν Ῥωμαίων βάρβαροι κατέχουσιν; ὁ δὲ Λικίνιος πρὸς αὐτόν· μὴ καὶ μὴν χριστιανὸς εἶ; ὁ δὲ Ἀδριανὸς πρὸς αὐτόν· καὶ μὲν εὔχομαι ἐν τῇ ὁμολογίᾳ ταύτῃ τελειωθῆναι, ἢ τὸ ἀρνήσασθαι τὸν Χριστόν. Λικίνιος δὲ πολλὰς μὲν βασάνους, πολλὰς δὲ καὶ θωπείας καὶ ἐπαγγελίας πρὸς αὐτὸν προσήγαγεν. ὡς δὲ ἑώρα αὐτὸν τῇ τοῦ χριστιανοῦ ὁμολογίᾳ ἐνιστάμενον, θυμομαχήσας κατ᾽ αὐτοῦ, ἐκέλευσεν τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ἀποτμηθῆναι.

Τοῦ δὲ ἐν τῇ ὁμολογίᾳ ταύτῃ τελειωθέντος, ὁ Μητροφάνης γνοὺς, ἄρτι τῆς ἐπισκοπῆς ἐναρξάμενος, ἅμα τοῖς συνοῦσιν αὐτῷ καταλαμβάνει τὴν Νικομήδειαν, καὶ ὑποκλέψας τοῦ καλλινίκου μάρτυρος Ἀδριανοῦ τὸ λείψανον, ἀπεκόμισεν αὐτὸς, καὶ ἀπέθετο ἐν τῇ πρώτῃ αὐτοῖς ὑπαρξούσῃ ἐκκλησίᾳ διακειμένῃ πλησίον τοῦ Βυζαντίου, ἐπὶ λεγομένου τόπου Ἀργυροπόλεως. ἔνθα καὶ Τίτος πρῶτος ἡγησάμενος ἐπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως ἀπέθετο τὸ λείψανον Ἀδριανοῦ τοῦ ἐπὶ Μαξιμιανοῦ μαρτυρήσαντος, ὅπου τὸ λείψανον ἐπέκειτο Στάχυος τοῦ ἑνὸς τῶν ο. μαθητῶν, ὃς ὑπὸ Ἀνδρέου τοῦ ἀποστόλου ἐν τῷ αὐτόθι τόπῳ πρῶτος ἐπίσκοπος τοῦ Βυζαντίου κατέστη.

Ὁ γὰρ Ἀνδρέας τὰ τὸν τόπον διαπεραιούμενος, ἔθελε τοῖς ἐν τῷ Βυζαντίῳ τὸν Χριστὸν καταγγεῖλαι. ἀλλ᾽ ἐπειδήπερ Ζεύξιππος, ὁ τὸν τόπον τότε ἡγεμονεύων, ὠμόβορός τις ὤν, πάντας τοὺς προσβάλλοντας τοὺς ξένους τῷ Βυζαντίῳ πρότερον διερωτώμενος τὰ περὶ Χριστοῦ. εἶθ᾽ οὕτως εἰσιέναι συνεχώρησε, καὶ ἐάν τις ὡμολόγησε τὸν Χριστὸν εἰδέναι, τοῦτον εὐθὺς καὶ παρ᾽ αὐτὰ δεσμωθέντα πόδας τε καὶ χεῖρας θανατοῦσθαι προσέταττε, διὰ τὴν τοιαύτην οὖν ὠμότητα παραπλεύσας ὁ Ἀνδρέας τὸ Βυζάντιον, κατῴκησεν ἐπὶ διετῆ χρόνον πλησίον τοῦ Βυζαντίου ἐν τῷ Θρᾳκίῳ μέρει, ὡς ἀπὸ σταδίου ἑνὸς τῆς Ἀργυροπόλεως, ἐκεῖ ἐπὶ τὴν συναγωγὴν τῶν ἐνθέσμων καὶ φιλαλήθων ἀνδρῶν ποιούμενος. ὡς οὖν περὶ τοὺς διχιλίους ἐπισυνάξας, θυσιαστήριον τῷ Χριστῷ ἥδρασεν ἐν τῇ Ἀργυροπόλει. καὶ τὸν Στάχυν ἐπίσκοπον καταστήσας, εἰς Σινώπην τοῦ Πόντου μεθίσταται.

Τοῦ δὲ Στάχυος διαγενομένου τοῖς αὐτοῦ, ἓξ καὶ δέκατον ἔτος ἐν τῇ ἐπισκοπῇ, Ὀνήσιμος μετὰ τοῦτον γίνεται, περὶ οὗ Παῦλος ὁ ἀπόστολος τῷ Φιλήμονι ἔγραψε. καὶ τούτου δὲ τέσσαρες καὶ δέκατον ἔτος διανύσαντος ἐν τῇ λειτουργίᾳ, Πολύκαρπος μετὰ τοῦτον τρία ἔτη ἐπίσκοπος ἐν Βυζαντίῳ καθίσταται. διαγενομένου δὲ καὶ τούτου δέκα πρὸς τοῖς ὀκτὼ ἔτεσι, Πλούταρχος μετέρχεται τὴν ἱερωσύνην. καὶ αὐτοῦ δὲ διανύσαντος ἔτη ις. Σεδεκίων διάδοχος αὐτοῦ καθίσταται ἐπὶ ἐνναετῆ χρόνον. μεθ᾽ ὃν Διογένης

A filius morte affici data opera quæſivit. Nicomediæ enim poſt Cari necem præſens factus, viſa Chriſtianorum à Licinio ſine ullo pudore interfectorum multitudine, tribunal accedens, Licinium ſic affatus eſt: Quamobrem tanta væſania exercitus Romanus à te plectitur, dum plurimas interim Romanorum provincias Barbari tenent! Cui Licinius: Tune etiam Chriſtianus! Reſpondit Adrianus: Imò verò; malim enim ob iſtam confeſſionem mori, quam Chriſtum negare. Licinius multa tormenta, plurimas quin etiam blanditias ac promiſſa illi propoſuit; B ut vero illum Fidei Chriſtianæ confeſſioni conſtanter adhærentem vidit, ira ardeſcens, caput illi amputari juſſit.

Poſtquam ille martyrium in iſta confeſſione conſummaſſet, Metrophanes, qui epiſcopatum recens ſuſceperat, re cognitâ, aſſumtis, qui ſibi præſto erant amicis, Nicomediam venit, & glorioſi martyris Adriani reliquias furtim elatas, in primaria Byzantinorum Chriſtianorum eccleſia in loco Argyropoli dicto prope urbem ſito depoſuit. In eadem Titus, qui priùs Conſtantinopolis epiſcopus fuit, C depoſuit reliquias Adriani qui ſub Maximiano martyrium obiit, & Nataliam uxorem ejus, alioſque martyrii ejus comites. Ibidem adhuc depoſitæ ſunt reliquiæ Stachys è LXX. diſcipulis unius, qui ab Andrea ibidem primus Byzantii epiſcopus conſtitutus erat.

Andreas enim illum ad locum trajiciens Byzantinis Chriſtianis prædicare in animo habuit. Quum vero Zeuxippus urbis eo tempore præfectus, truculenti ingenii vir, peregrinos omnes Byzantium appellentes, non niſi poſt examen de religione Chriſtiana fa- D ctum, urbem ingredi permitteret, ac quod ſi ſe quis Chriſtum noſſe confiteretur, illum confeſtim manus pedeſque vinctum in mare projici juberet; ſævitiam illam devitans Andreas, Byzantium præter navigavit, & in Thraciæ partibus haud ita longe à Byzantio, unico vero ab Argyropoli urbe ſtadio, ſedes per biennium poſuit; ibique loci piorum ac veritatis ſtudioſorum hominum cœtum collegit. Conflatis itaque bis mille circiter diſcipulis, quum altare Chriſto in Argyropoli erexiſſet, ordinato Stachy epiſcopo, ad Sino- E pen Ponti diſceſſit.

Stachys è decimo ſexto epiſcopatûs anno è vivis migravit, cui ſuccedit *Oneſimus* de quo Paulus Apoſtolus ad Philemonem ſcripſit. Quatuordecim ille annos ſedi præfuit; poſt quem *Polycarpus* epiſcopatum Byzantinum triennio obiit. Hic quum annos octodecim exegiſſet, *Plutarchus* ſacerdotium capeſſivit, quod ſexdecim annos geſſit. Succeſſor illius *Sedecion* fuit annos novem. Hunc *Diogenes* excepit, qui exactis in epiſcopatu

Stachys. Oneſimus. Polycarpus I. Plutarchus. Sedecion. Diogenes.

Eleutherius. Felix. Polycarpus.

annis quindecim, mortem obiit. *Eleutherius* A post illum septem annos præfuit: dein *Felix* annos quinque: mox *Polycarpus*, qui ad duodecimum usque annum pervenit.

In æde igitur prædicta istorum corpora in cista lapidea fuerunt tumulata: ibidem etiam Nataliæ, & Adriani qui martyrium posthac obiit, corpora sunt posita. In alio autem sarcophago in dextera parte tredecim martyrum reliquiæ sunt inclusæ. In plumbeo verò sarcophago seorsim depositus est Adrianus Nataliæ maritus, ut & ad hanc usque diem omnium oculis conspiciendi jacent in subterranea B spelunca, in qua Andreas altare posuit.

Jam verò non exigua discipulorum multitudine ad Fidem conversa, & desinente post Zeuxippi obitum Byzantina tyrannide, plurium locorum copiam nacti ecclesiæ Argyropolitanæ præsules, quum nimiæ multitudinis turbam, Græcorumque ac Judæorum conflictum vitare vellent, aliam in patenti campo ecclesiam prope Argyropolim exstruxerunt, quam postea Constantinus Magnus Imp. ampliorem fecit, & in crucis figuram formavit, quum suum ipsius corpus in ea deponendum C vellet. Postquam verò res Byzantinæ incrementum acceperant, Constantino aulici persuaserunt, minime consentaneum esse ut Imperatorum corpora extra urbem efferrentur. Idcircò alius quidem locus Imperatorum sepulturæ designatus est; ista verò ædes fortissimis, divinaque prudentia plenis legis Mosaïcæ septem pueris, & Eleuzaro pontifici nuncupata est: quæ tamen etiam priscam locorum illorum appellationem etiam obtinuit; quum nempe ab antiquis temporibus locus ille *Elæon*, sive *Olivetum* vocaretur. Quam quidem publicis D precibus dicatam ædem *Athenodorus* Polycarpi in episcopatu successor, primùm ædificare cœpit, qui episcopatum gessit annis quatuor. Post hunc undecimus Byzantii episcopus constitutus est *Euzoïus*, qui sex annis sacerdotio functus, illud *Laurentio* reliquit. Hunc porro exactis annis undecim & mensibus sex, *Alypius* excepit, totos tredecim annos cum dimidio.

Athenodorus. Euzoïus. Laurentius. Alypius. Pertinax.

Ad hæc, illi *Pertinax* successit, episcopatum gerens novem-decem annis. Atqui Pertinax Consularis & Prætoris muneribus Romæ perfunctus, immedicabili morbo laborans, E dum in Thraciæ partibus ageret, quamplurima Byzantii miracula à Christianis fieri audiens, ad Alypium episcopum in Elæonis sive *Oliveti* ecclesia sedentem accessit, illiusque precibus, manuumque appositione ab ægritudine liberatus, idololatricum errorem simulque præfecturam suam abdicavit, susceptoque in Christi Fidem baptismo, quum constanter Alypio adhæreret, presbyteri dignitate auctus, singulis diebus compunctionis

ἐν ἔτει ιε΄. τῇ ἱερατείᾳ προσμείνας τελειοῦται. μετὰ δὲ τοῦτον Ἐλευθέριος ἐπὶ ἑπταετῆ χρόνον. μεθ' ὃν Φίλιξ ἐπὶ πέμπτου ἔτους· καὶ μετὰ τοῦτον Πολύκαρπος ἕως ἐτῶν ιβ΄.

Ἔνθα τοίνυν τὰ τούτων σώματα ἀπετέθη λιθίνῳ σήκῳ, ἐκεῖ καὶ τὸ τῆς Ναταλίας σῶμα ἀπετέθη, καὶ Ἀδριανοῦ τοῦ μετέπειτα μαρτυρήσαντος. ἐν δὲ τῷ ἑτέρῳ λάρνακι ἐξ εὐθείας τότε ποιηθέντι, τῶν ιγ΄. μαρτύρων τὰ λείψανα ἀπεβλήθη. ἐν δὲ τῷ μολιβδίνῳ λάρνακι καθ' ἑαυτὸν ἀπετέθη Ἀδριανὸς ὁ Ναταλίας ἀνὴρ, ὡς καὶ μέχρι τῆς δεῦρο ἐμφανῶς πρόκειται ἐν τῷ ὑπογαίῳ σπηλαίῳ, ἔνθα ὁ ἀπόστολος Ἀνδρέας τὸ θυσιαστήριον ἥδρασεν.

Ἤδη δὲ πλήθους ἱκανοῦ συναθροισθέντος τῶν εἰς Χριστὸν ἠλπικότων, παυσαμένης δὲ καὶ τῆς τυραννίδος τοῦ Βυζαντίου μετὰ τὴν Ζευξίππου τελευτὴν, ἐγκρατεῖς τε τόπων πλειόνων γινόμενοι οἱ τῆς ἐν Ἀργυροπόλει ἐκκλησίας προεστῶτες, τὴν τῶν πολλῶν ὄχλησιν καὶ τὴν τῶν ἐθνῶν καὶ Ἑβραίων προσβολὴν ἐκφυγεῖν βουλόμενοι, ἐν τοῖς μεσογείοις πλησίον τῆς Ἀργυροπόλεως ἐκκλησίαν ἄλλην ἀνηγείρασιν, ἣν Κωνσταντῖνος ὁ μέγας βασιλεὺς μετέπειτα μειζοτέραν πεποίηκε, σταυροειδῆ αὐτὴν διαγραψάμενος, βουλόμενος καὶ τὸ αὐτοῦ σῶμα ἐκεῖ ἐγκατατιθέναι. ἀλλ' ἐπειδὴ λοιπὸν τὰ τοῦ Βυζαντίου ηὐξήθη, συνεβούλευσαν οἱ συνόντες τῷ Κωνσταντίνῳ μὴ δεῖν ἔξω τῆς πόλεως τὰ τῶν βασιλέων σώματα ἀποκομίζεσθαι. τούτου οὖν χάριν ἕτερος μὲν τόπος εἰς ταφὴν τῶν βασιλέων ἐγένετο. ὁ δὲ γεγονὼς οἶκος ἀφιερώθη τοῖς ἐν τῷ νόμῳ καρτερικοῖς καὶ θεόφροσιν ἑπτὰ παισὶν, καὶ Ἐλεαζάρῳ τῷ ἀρχιερεῖ, τὴν ἀρχαίαν ἐπωνυμίαν τοῦ τόπου ὁ οἶκος κληρωσάμενος. Ἐλαίων γὰρ ἐξ ἀρχαίων τῶν χρόνων ὁ τόπος κέκληται, ὅνπερ εὐκτήριον οἶκον Ἀθηνόδωρος ὁ μετὰ Πολύκαρπον ἐπίσκοπος γεγονὼς, πρῶτος ἐνήρξατο. ἔχει τὴν ἐπισκοπὴν ἐν ἔτεσι τέσσαρσιν, μεθ' ὃν ἐν τοῖς αὐτοῦ ἑνδέκατος ἐπίσκοπος τοῦ Βυζαντίου καθίσταται Εὐζώϊος, ὃς καὶ αὐτὸς ἐν ἔτεσιν ἓξ τοῖς αὐτοῦ ἱερατεύσας, Λαυρεντίῳ τὴν ἱερωσύνην καταλέλοιπεν. Καὶ αὐτοῦ δὲ ἕνδεκα ἔτη καὶ μῆνας ἓξ πληρώσαντος, Ἀλύπιος ἡγεῖται τῆς ἱερωσύνης ἔτη ιγ΄. ἥμισυ.

Πάλιν μετὰ τοῦτον Περτίναξ ἐγένετο ἔτη ιθ΄. κρατήσας τὴν ἱερωσύνην. οὗτος δὲ ὁ Περτίναξ ὑπατικὸς τῶν ἐν Ῥώμῃ καὶ στρατηλάτης γεγονὼς, πάθει τῷ ἀφύκτῳ περιπεπτωκὼς, διάγων ἐν τοῖς Θρᾳκικοῖς μέρεσιν, ἔμαθεν πλείστας δυνάμεις γενέσθαι ἐν τῷ Βυζαντίῳ ὑπὸ τῶν χριστιανῶν. παραγενόμενος δὲ πρὸς Ἀλύπιον τὸν ἐπίσκοπον ἐν τῇ ἐπὶ Ἐλαίας λεγομένῃ ἐκκλησίᾳ, καὶ διὰ τῆς αὐτοῦ ἐντεύξεως, καὶ τῆς τῶν χειρῶν αὐτοῦ ἐπιθέσεως ῥυσθεὶς τῶν ἀλγηδόνων, ἀπαρνεῖται τὴν τῶν εἰδώλων πλάνην, καὶ τὴν τῆς στρατείας ὑπεροχὴν, καὶ βαπτισθεὶς, τῇ εἰς Χριστὸν ἐλπίδι ἣν προσκαρτερῶν τῷ Ἀλυπίῳ, τῆς τοῦ πρεσβυτέρου ἀξίας μετειληφὼς, ἐν δάκρυσι κατανύξεως ἑκάστην ἡμέραν

ἡμέραν διατελῶν, καὶ μετὰ τὴν Αλυπίου τελευ- A τὴν εἰς ἐπίσκοπον αὐτὸν ἐχειρίσαντο. πλούσιός τε σφόδρα ὑπάρχων ὁ Περτίναξ, πάλιν αὐτὸς ἐκκλησίαν ἀνίστησι παρ᾽ αὐτοῖς, τὸ θαλασσίδιον ἐν τῷ ἐπιλεγομένῳ Σύκαις, Εἰρήνην τὸν οἶκον προσαγορεύσας· ὅνπερ τόπον οἱ χριστιανοὶ εἰς μίαν τῶν πόλεων ἐτέλεσαν, οἴκους διαφόρους καὶ πλείστους ἀναστήσαντες. διόπερ καὶ μετέπειτα Κωνσταντῖνος ὁ εὐσεβέστατος τείχεσι τὸν τόπον ἐτίμησε.

Μετὰ δὲ τὸν Περτίνακα καὶ Ολυμπιανὸς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τῇ ἐπιλεγομένῃ εἰρήνῃ καθίσταται ἐπίσκοπος, αὐτὸς ἱερατεύσας ἐπὶ ιά. ἔτος. μετὰ B τοῦτον διάδοχος γίνεται Μάρκος, ἐπὶ ιγ΄. ἔτος. μετὰ τοῦτον Κυριλλιανὸς ἐν ἔτεσιν δέκα ἕξ. μετὰ τοῦτον Καστῖνος ἕως ἐτῶν ἑπτά.

Ο δὲ Καστῖνος ἐν τῷ πρώτῳ αὐτοῦ ἔτει ἐκκλησίαν ἄλλην ἀνίστησιν ἔσωθεν τοῦ Βυζαντίου κατὰ τὸ Βόρειον μέρος, ἔνθα καὶ οἱ ἡγεμονεύσαντες τοῦ Βυζαντίου κατέκειντο, Εὐφημίας τῆς μάρτυρος τὸν οἶκον προσαγορεύσας, κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν μαρτυρησάσης αὐτῆς. ἐκεῖ τοίνυν τὸν ἐπίλοιπον χρόνον, τῆς ἱερατείας Τίτον διάδοχον καταλιμπάνει, εἰς ἔτη λέ, καὶ μῆνας ἕξ πληρώσας, Δομέτιον τὸν ἀδελφὸν Πρόβου τοῦ βασι- C λέως, διάδοχον καθίστησι. καὶ τούτου δὲ κδ΄. ἔτη πρὸς μῆσιν ἕξ τελέσαντος, Πρόβος ὁ Δομετίου υἱὸς διαδέχεται τὴν ἱερωσύνην ἕως πληρώσεως ἐτῶν ιβ΄. μεθ᾽ ὃν Μητροφάνης ὁ ἀδελφὸς Πρόβου, καὶ Δομετίου υἱὸς, ἐπίσκοπος τοῦ Βυζαντίου καθίσταται, δέκα ἔτη προσμείνας τῇ ἱερατείᾳ.

Εφ᾽ οὗπερ καὶ Κωνσταντῖνος ὁ ἀεὶ σέβαστος ἕνεκεν τῆς πρὸς Λικίνιον παρατάξεως καταλαβὼν τὸ Βυζάντιον, καὶ ἀρεσθεὶς τῇ τοῦ ᾽ανδρὸς σεμνότητι, καὶ τὴν τῶν τόπων εὐκοσμίαν νοήσας, τέως ταῖς εὐχαῖς τοῦ Μητροφάνους ἐγκρατὴς τοῦ κατὰ D Λικίνιον πολέμου ἐγένετο, καὶ εὐθὺς τὰ τῆς Ρώμης βασίλεια εἰς τὸ Βυζάντιον μετατίθησι, τείχεσί τε αὐτὴν ὀχυρώσας καὶ ὀροφαῖς, παροχάς τε δαψιλεῖς τοῖς πολίταις χαρισάμενος, κατὰ τὴν αὐτοῦ ἐπωνυμίαν Κωνσταντινούπολιν ταύτην ἐπωνόμασεν.

Ταῦτα ὁ πανάριστος Δωρόθεος ἐν Ρωμαϊκοῖς συγγράμμασι καταλέλοιπεν· ἀντεβλήθησαν τε καὶ παρ᾽ ἡμῶν ἐν τῇ ὑπατείᾳ Φιλοξένου καὶ Πρόβου, ὁπηνίκα Ιωάννης ὁ ἐπίσκοπος Ρώμης ἦλθεν ἐν Κωνσταντινουπόλει. προτραπεὶς γὰρ ὑπὸ τοῦ τῆς πόλεως ἀρχιεπισκόπου συλλειτουργῆσαι αὐτῷ ἐν τοῖς E γενεθλίοις τοῦ Χριστοῦ, ἀπηγόρευσε τοῦτο ποιῆσαι, ἐὰν μὴ πρῶτος τοῦ τῆς πόλεως ἐπισκόπου ἱερατεύσῃ, ὅσα δὴ τῆς Ρώμης πρὸ Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον δεξαμένης. κινήσεως οὖν ἐκ τούτου γενομένης, ἐκ τῶν συγγραμμάτων τοῦ μεγάλου Δωροθέου τὴν σύστασιν ἐποιοῦντο, δεικνῦντες πρεσβυτέραν τῆς Ρώμης τὴν τῆς Κωνσταντινουπόλεως εἶναι ἐπισκοπὴν, καὶ τὴν χειροτονίαν τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Ανδρέου. Ιωάννης δὲ ὁ Ρωμαίων ἐπίσκοπος, τὸ μὲν σύγγραμμα Δωροθέου ἀληθὲς εἶναι διεβεβαιοῦτο,

A lacrymas effundere non desinens; tandem post Alypii mortem episcopus est ordinatus. Ut verò opulentus valdè Pertinax erat, aliam apud Argyropolitas ecclesiam construxit, juxta littus maritimum, in loco *Sycis* appellato, cui Irenes seu pacis nomen indidit: quem locum christiani multi variis ædificiis exstructis ad justam urbis magnitudinem ampliarunt: ideoque Constantinus Imperator religiosissimus locum postea muris ornavit.

Post Pertinacem quoque *Olympianus* in ecclesiâ *Irene* appellata episcopus est ordina- B tus, qui annos undecim sacerdotium obiit. Illi successor datus est *Marcus*, qui tredecim annos; dein *Cyrillianus*, qui sexdecim; post quem *Castinus*, qui septem annos sedit.

Olympianus. Marcus. Cyrillianus. Castinus.

Atqui Castinus primo sui episcopatûs anno ecclesiam alteram ædificavit intra Byzantium, in Boreali illius regione, in qua etiam Byzantini Præfecti depositi fuere, ædique appellationem dedit Euphemiæ Martyris, quæ sub hoc tempus martyrium obierat. Ibi igitur Castinus reliquum episcopatûs tempus egit, ac *Titum* reliquit post se successorem, qui C post annos triginta-quinque & menses sex, *Domitium* Probi Imp. fratrem successorem suum instituit. Quum verò *Domitius* annos viginti-quatuor ac dimidium episcopatu functus esset, *Probus* Domitii filius sacerdotium suscepit, annisque duodecim integris administravit. Post illum *Metrophanes* Probi frater & Domitii filius, Byzantii episcopus ordinatur, sedemque per decennium tenuit.

Titus. Domitius. Probus. Metrophanes.

Sub istius episcopatu Constantinus semper Augustus, quo pugnam adversùs Licinium instrueret, Byzantium occupavit, & viri gra- D vitate delectatus, optimumque locorum situm contemplatus, Licinio Metrophanis precibus devicto, protinus Romani Imperii sedem Byzantium transtulit, urbem muris tectisque communivit, liberalesque largitiones civibus donavit, illamque de suo nomine Constantinopolim nuncupavit.

Hæc optimus Dorotheus Latino sermone conscripta reliquit, Græce à nobis conversa sub consulatu Philoxeni & Probi, quando Joannes Romæ Episcopus Constantinopolim venit. Rogatus enim ab Archiepiscopo E Constantinopolitano ut secum in Natali die Christi sacra celebraret, abnuit ille, nisi ante Urbis episcopum sacris operaretur, quippe quia Roma ante Constantinopolim episcopum acceperat. Quæstione itaque hac de re mota, ex Dorothei martyris scriptis argumenta nostri hauserunt, probantes sedem Constantinopolitanam, & S. Andreæ ordinationem (institutionem) Romana antiquiorem fuisse. Quocirca Romæ episcopus Joannes Dorothei scriptum verum esse agnovit:

cæterum epiſcopo Conſtantinopolitano præire voluit, eo quod Apoſtolorum ſummi principis locum teneret: ob quam demùm rationem loci prioritas illi conceſſa eſt, non quod Romana ſedes antiquior eſſet Conſtantinopolitana.

Dein è diverticulo quaſi rediens S. Dorotheus, in commentarii ſui calce mentionem fecit duodecim Apoſtolorum, ubi unuſquiſque illorum prædicaverit, enarrans, &c.

προτιμᾶσθαι δὲ τοῦ τῆς πόλεως ἐπισκόπου ἔλεγεν διὰ τὸ τοῦ κορυφαιοτάτου τῶν ἀποστόλων τὸν τόπον ἐπέχειν, καὶ τούτου ἕνεκεν τὰ πρωτεῖα αὐτῷ παρεχωρήθη, οὐ μὴν διὰ τὸ προϋπάρχειν τὴν Ῥώμης ἐπισκοπὴν τῆς Κωνσταντινουπόλεως.

Ὑποκατιὼν δὲ ἐν τοῖς τελευταίοις τοῦ συγγράμματος αὐτοῦ ὁ ἱερὸς Δωρόθεος, μνήμην ποιεῖται καὶ τῶν δώδεκα ἀποστόλων, ἐκβαίνων ἔνθα ὁ καθεὶς αὐτῶν ἐκήρυξεν εἰπών. κ. τ. ε'.

Verum, quia ad rem noſtram non ſpectant quæ de Apoſtolis tamquam à Dorotheo accepta ſubjiciuntur, ab illis hic rurſum edendis abſtineo. Quando vero Guillelmus Cavæus huic Pſeudo-Dorothei narrationi obſervationes nonnullas ſubjecit, quibus mendacis ſcriptoris larva facile detrahitur, ab illis etiam exſcribendis ſuperſedebo, quippe quæ eadem prorſus, nec plura, oggerunt, quæ in Prolegomenis de Patriarchatu Conſtantinopolitano, ubi de Byzantinorum Præſulum immoderato ambitu diſſerui; quo nempe, ut prædixi; ſedem ſuam Apoſtolicam facere, invito Leone Magno, poſteriori ævo contenderunt.

EPISCOPORUM BYZANTINORUM

SERIES ALTERA.

I. Philadelphus.

PRÆTER illam quam ex ementito illo Dorotheo Tyri deſcripſi Byzantinorum epiſcoporum ſeriem, alteram mihi ſuppeditavit Symeon Magiſter Logotheta, qui vulgò *Metaphraſtes* audit, ſæculi decimi ſcriptor minime ſuſpectus, in Annalibus ſuis, ex quibus hiſtoriam ſuam ad illud uſque ſæculum decimum Georgius Cedrenus concinnavit. Apud Logothetam ſcilicet, primus Byzantinæ eccleſiæ epiſcopus *Philadelphus* nominatur, quam totos viginti & amplius annos preſbyter priùs curaverat, quam in pontificem ab Heracleenſi metropolitâ promoveretur. Quod quidem Severo Imp. ejuſque filio Antonino Caracallâ accidiſſe prodit: Ἐπὶ τούτου πρῶτος ἐπίσκοπος κατέστη Βυζαντίου Φιλάδελφος, ἔτη τρία. πρότερον γὰρ προΐστατο τῆς ἐκκλησίας ἔτη κ'. καὶ πρὸς, διὰ τὸ μὴ εἶναι ἐπίσκοπον. *Hoc Imperatore primus Byzantii epiſcopus conſtitutus eſt Philadelphus tribus annis. Antehac enim eccleſiæ illi præfuerat annos viginti & ſupra: quum nemo illic epiſcopus eſſet.*

II. Eugenius.

Philadelpho à Symeone Logotheta ſucceſſor aſſignatur: *Eugenius annos viginti quinque*, à tertio Gordiani Imp. anno. Τὸ δὲ τρίτον ἔτος Γορδιανοῦ, δεύτερος ἐπίσκοπος Βυζαντίου Εὐγένιος γέγονεν, ἔτη κε'. Quo fit ut aliquandiu poſt Philadelphi obitum Byzantina ſedes vacua manſerit. Quamquam minime mihi tacendum eſt, Logothetæ Chronologiam admodùm accuratam non eſſe. Atqui tertius Gordiani annus, Chriſti fuit 240.

III. Rufinus.

Tertius, eodem auctore Logotheta, Byzantii epiſcopus eſt *Rufinus* qui Numeriano Imp. ſedebat, annoſque novem præfuit. Εἶτα ἐβασίλευσε Νουμεριανὸς, inquit, δοὺξ τυγχάνων τῆς Μυσίας. ἐπὶ τούτου μαρτυρεῖ ὁ ἅγιος Γεώργιος, καὶ ὁ ἅγιος Βαβύλας ἐν Ἀντιοχείᾳ. τῆς δὲ ἐν Βυζαντίῳ ἐκκλησίας προΐσταται Ῥουφῖνος ἔτη θ'. *Deinde* (Caro, Carinoque necatis) *Numerianus Dux Myſiæ Imperium capeſſit. Sub eo S. Georgius martyrio fungitur, & S. Babylas Antiochiæ. Rufinus autem Eccleſiæ Byzantinæ præfuit annis novem.* Hæc ille, quæ alioqui multiplici emendatione indigent. Ac quidem quod S. Babylam Antiochiæ epiſcopum ſpectat, jam ante Decio Imp. martyr occubuerat, ut ſuo loco dicetur.

IV. Metrophanes.

V. Alexander.

Metrophanem Conſtantino M. Imperat. Byzantinæ eccleſiæ clavum tenuiſſe, comperimus primum ex Socrate, lib. I. hiſtor. cap. 37. ubi ait, eo tempore quo Arius Alexandriæ turbarum auctor erat, *Alexandrum* Byzanti epiſcopatum geſſiſſe, qui jam pridem Metrophani ſucceſſerat, Μητροφάνην πάλαι διαδεξάμενος. Hunc Chronicon quod Paſchale dicitur & Alexandrinum, primum Byzantinæ eccleſiæ pontificem ponit, τῆς ἐν Βυζαντίῳ ἐκκλησίας ἡγεῖται πρῶτος Μητροφάνης. Quod tum Theophanis, tum vetuſtioris alterius auctoris teſtimonio confirmatur. Baronius nimirum ad annum 536. refert exſtare in Bibliotheca Vaticana, de rebus Agapeti Papæ geſtis Conſtantinopoli, deque ejus obitu &

funere priſcum monumentum ab aliquo Latino ſcriptore editum, qui itineris ejus comes fuerat. Hic auctor obitum referens Epiphanii epiſcopi qui Anthimum præceſſerat, hunc vigeſimum fuiſſe ait Urbis regiæ præſulem, deceſſores ejus numerans à Metrophane deceſſore Alexandri, qui Magni Conſtantini tempore ſedebat. Ab illo enim, demtis hæreticis & ſchiſmaticis, uſque ad Epiphanium totidem Conſtantinopolis epiſcopi habentur. Metrophani annos epiſcopatus decem aſſignat Nicephorus, quem Domitii quoque fuiſſe filium addit, Probi deceſſoris ſui fratrem, & Probi Imp. nepotem. Quæ utinam monumenta alia probarent. Nihilo quoque his veriora videntur eſſe, quæ in compoſitis à Gelaſio Cyziceno Concilii Nicæni actis leguntur, tamquam ex libro 3. Euſebii de vita Conſtantini Imp. accepta, non ſolum *Oſium in eo ſacro conventu locum obtinuiſſe magnæ Romæ epiſcopi Silveſtri, cum preſbyteris Romanis Vitone & Vincentio; ſed & Urbis quæ deinceps imperavit, epiſcopum, Metrophanem nomine, propter ſenectutem quidem non adfuiſſe, ipſius vero locum ſuppleviſſe preſbyteros illius, quorum unus erat Alexander, qui urbis epiſcopatum poſt Metrophanem adeptus eſt.* Quæ à Gelaſio, vel ab altero nugatore conficta eſſe nemo ſanus inficiabitur, quemadmodum & ejuſdem Metrophanis ad Alexandrum acta, quorum ſummam Photius dedit in Bibliotheca cod. 256. Euſebius equidem l. 3. de vita Conſtantini c. 7. ſcribit, *Ex Hiſpanis virum illum omnium ſermone celebratum cum patribus conſediſſe, abfuiſſe autem Imperantis urbis,* τῆς βασιλευούσης πόλεως *antiſtitem, ob affectam ætatem, ſed præſto fuiſſe preſbyteros, qui vices ejus explerent.* Ibi vero Silveſtrum Papam, ſeu Romanæ urbis Pontificem ſignificavit, quum Roma ſola tunc Imperii metropolis & caput eſſet. Sic Euſebium intellexit Theodoretus lib. 1. cap. 8. Sozomenus quoque, qui tamen oſcitantiùs *Julium* pro *Silveſtro* poſuit; quin etiam Theophanes, quem Simeon Logotheta exſcribebat. At certè Metrophanem ipſo Nicænæ ſynodi anno Byzantinæ eccleſiæ non præfuiſſe, ſed Alexandrum potius, non indiligentis ſcriptoris, Theodoreti ſcilicet, teſtimonio conſtat: qui lib. 1. cap. 3. ubi præcipui nominis recenſet epiſcopos, qui ſub Arianæ hæreſis primis temporibus ſedebant, poſt Silveſtrum Romanum, Philogonium Antiochenum, & Macarium Hieroſolymitanum, Alexandrum Conſtantinopolitanum memorat, τῆς δὲ Κωνσταντινουπόλεως κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν Ἀλέξανδρος ἠξιοῦτο λειτουργίας, ἀποστολικοῖς χαρίσμασι λαμπρυνόμενος. *Hoc ipſo tempore Conſtantinopoli pontificali munere dignatus erat, vir donis plane apoſtolicis ornatus.* Sed & Theodoretus idem cap. 4. *Alexandri Alexandrini ad Alexandrum Conſtantinopolitanum epiſtolam* recitat integram, quæ ſcripta fuit ſtatim atque Arius Alexandriæ damnatus eſt, dudum proinde ante celebratam ſynodum Nicænam: Ἀλεξάνδρου ἐπισκόπου Ἀλεξανδρείας ἐπιστολὴ πρὸς Ἀλέξανδρον ἐπίσκοπον Κωνσταντινουπόλεως. Qua in inſcriptione *Conſtantinopolis* nomen à Theodoreto per πρόληψιν, uti ſæpe hiſtoriarum auctores ſolent; adhibetur. Sed ad annum quoque 324. qui Nicænam ſynodum præceſſit, viri docti illud referunt, quod narrat Sozomenus lib. 1. hiſt. Eccl. cap. 18. de Philoſopho qui Byzanti coram Imperatore Conſtantino de religione cum Alexandro epiſcopo diſputaturus accedens, à ſancto Pontifice nomine Jeſu invocato, vocem mutus factus amiſit. Alexander poſt Fidei cauſam ſtrenuè geſtam, quam & ſcriptis, Athanaſio magno teſte, tutatus eſt; poſtquam à Deo impetraverat, ne Arius in eccleſiam ſuam admitteretur, diem poſtremum obiit anno 340. quarto à Conſtantini obitu, quum Byzantinæ eccleſiæ præfuiſſet annis 23. εἴκοσι τρία μὲν ἔτη πάλιν διατελέσας, veluti Socrates, Sozomenus, Theophanes, cæterique Græci tradunt; ut proinde Metrophani ſucceſſerit anno 316. vel 317. Ac profecto quidem, Theodoretus ab Alexandro Alexandrino, ut Alexandro Conſtantinopolitano, ita & Philogonio Antiocheno datas adverſus Arium literas ſcripſit. Philogonius vero anno 319. vivere deſiit. Quæ cuncta certo certius evincunt, Metrophanem diu ante Nicænam ſynodum fatis conceſſiſſe. Socrates & Sozomenus Alexandrum noſtrum vitam ad annum uſque ætatis nonageſimum octavum produxiſſe aſſerunt.

VI. Paulus.

VII. Eusebius intruſus, hæreticus.

Alexander morti proximus, quum ab ipſo quæreretur, quemnam ſibi deſignandum ſucceſſorem duceret, hoc reſpondiſſe fertur: ſi pietate ſpectabilem, & ad docendum idoneum vellent, *Paulum* preſbyterum eligerent; ſin vero hominem ejuſmodi, qui ſui venerationem incuteret, & ad res civiles apud principes gerendas aptum, Macedonium conſtituerent. Populo in diverſa erga utrumque ſtudia diviſo, prævaluit demum ea pars quæ pro Paulo ſtabat, frendentibus licet Arianis qui Macedonium malebant. Quocirca Conſtantius Imp Antiochiâ veniens, nullâ morâ Paulum ſacerdotio amovet, inque locum ejus *Euſebium* Nicomediâ transfert. Euſebius.

Euſebius Arianicæ factionis ſignifer anno inſequenti 341. Antiocheno concilio, quod eccleſiæ conſecrandæ cauſa habebatur, inter-

fuit, unde Constantinopolim regressus anno 342. interiit, Constantii Aug. V. Marcello & Probino coss. Quod Socrates testatur lib. 2. cap. 6. Sozomenus quoque & alii. Non ergò ibi plus duobus annis sedit, nec prorsus duodecim, invitis Nicephori & aliorum Græcorum numeris.

VIII. PAULUS iterum.

IX. MACEDONIUS intrusus, hæreticus.

X. PAULUS tertiò.

XI. MACEDONIUS denuò.

Post Eusebii mortem Catholici Paulum restituunt; Ariani verò Macedonium Eusebio suo sufficiunt; quod Socrates à Theognio Nicææ, Mari Chalcedonis & Theodoro Heracleæ factum refert, necnon ab Ursacio Singedonis & Valente Mursæ. Dum verò Hermogenes præfectus instaret ut Paulus sede ejiceretur, populi coitione facta, ipse interimitur. Quæ gesta sunt Constantio III. & Constante II. Augg. coss. anno proinde ipso 342. Quibus Constantius auditis, Paulum Urbe exegit, qui, Romam, velut alii episcopi orthodoxi perrexit, Julium Papam de omnibus quæ gerebantur, certiorem facturus. Observat Socrates, Sabinum Macedonianorum episcopum, quum res hoc tempore gestas describeret, & malorum quæ contigerunt causam in Athanasium transferret, nulla de Macedonio suo, quin nec de ejus electione prodidisse; quod argumento sit eum contra regulas, ac non sine cruoris effusione fuisse promotum. Paulus Julii literis munitus, quibus sedi suæ restituebatur, Constantinopolim rediit, sed confestim Imperatoris jussu per Philippum præfectum amandatus, Thessalonicam ex qua erat oriundus, secessit. Post Thessalonicâ elapsus, Corintho in Italiam trajecit ad Constantem Imp. sed & à synodo Sardicensi rescissa sunt, quæ in ipsum decreta erant. Quocirca Constante apud fratrem suum agente, Athanasius, Paulusque & alii episcopi sedes suas repetierunt anno 347. verum anno quarto ex quo Sardicæ synodus habita erat, Constante Aug. mortuo, Constantius Paulum denuo exegit, quem Cucusum deductum, impiè strangularunt. Macedonius interim Urbis regiæ episcopatum tenuit ad annum usque 360. quo ab Arianis post Seleuciensem synodum in conciliabulo Constantinopolitano ad ordinem redactus fuit, eo quod non satis ipsis faveret. Exauctorationis verò causas fuisse allegarunt illas cædes quarum ipse conscius, ac forsan auctor ferebatur, quodque diaconum in furto deprehensum, communionis nihilominus suæ consortem admiserat. In Chronico Paschali sive Alexandrino amotus

A dicitur Constantio Aug. XII. & Juliano Cæsare III. coss. eique suffectus *Exdoxius* Antiochenus.

XII. EUDOXIUS hæreticus.

Chronicon Paschale igitur eo quem mox dicebam anno, Christi scilicet 360. hæc habet de amotione Macedonii & *Eudoxii* ex Antiochena ad Byzantinam translatione: τούτῳ τῷ ἔτει μηνὶ περιτίῳ ιε΄. καθιερώθη ἡ μεγάλη ἐκκλησία Κωνσταντινουπόλεως. Μακεδόνιος Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπος καθῃρέθη ἐπὶ πολλοῖς ἰδίοις B αὐτοῦ ἐγκλήμασι, καὶ κατέστη ἀντ' αὐτοῦ Εὐδόξιος τῆς αὐτῆς ἐκκλησίας ἐπίσκοπος. *Hoc anno, mensis Peritii 15. magna ecclesia Constantinopolis dedicata est. Macedonius Constantinopolitanus multorum criminum reus exauctoratus fuit, & Eudoxius illius in locum ejusdem ecclesiæ constitutus episcopus.* Ex quibus apparet, conciliabulum illud Arianorum, quod in Macedonium, & in multos Seleuciensis synodi præsules animadvertit, à Constantio coactum fuisse ad præcipuam Urbis regiæ ecclesiam consecrandam, quæ dedicata est decima quinta C mensis Peritii, sive septimâ Januarii, adeoque in crastino Epiphaniæ Domini, ineunte anno 360. moxque Macedonio exacto, Eudoxium ipso mense Januario ei suffectum esse. Id tamen Socrates l. 2. c. 42. contigisse fert post consecratum divinæ Sapientiæ Templum, adeoque post V. Kal. Martias, seu 24. Feb. Atqui lib. 4. cap. 14. Eudoxium interiisse ait, Valentiniano III. & Valente III. Augg. Coss. id est anno 370. ut proinde 19. annos minimè sederit; quod tamen hoc ipso capite scribit. Sed & eumdem postremum Eudoxii D annum Philostorgius perhibet lib. 9. n. 8. Quinimo Sozomeno lib. 6. c. 13. Eudoxius eo defunctus est anno, quo Valens Orientem versus profectionem iniit, hoc est Christi 370. annis decem Byzantini episcopatûs absolutis; quot certè illi Theophanes quoque & Nicephorus assignant.

XIII. EVAGRIUS catholicus

XIV. DEMOPHILUS hæreticus.

Eudoxio Ariani Demophilum BerrhϾ Thraciæ episcopum statim suffecerunt, Theo- E phane ad quintum Valentiniani annum, aliisque testibus; qui addunt orthodoxos itidem sibi præfecisse *Evagrium*, ac quidem ordinatum à sacro Antiochiæ quondam præsule Eustathio, qui nempè ab exsilio Constantinopolim sub Joviano Imp. reversus, in Urbe clam morabatur. Atqui Valens Imp. qui Marcianopoli tunc agebat, auditâ Evagrii promotione, Eustathium quidem Cyzicum relegavit, Evagrio autem Urbe regia ejecto, ecclesias Demophilo suo commendavit. Τούτῳ τῷ χρόνῳ

Εὐδοξίου τελευτήσαντος, Δημόφιλον Ἀρειανὸν προέβαλον ἐπίσκοπον· οἱ δὲ ὀρθόδοξοι Εὐάγριόν τινα, ὃν ἐχειροτόνησεν Εὐστάθιος ὁ ἱερὸς Ἀντιοχείας, λαθραίως διάγων ἐν Κωνσταντινουπόλει, ἐπανελθὼν ἐκ τῆς ἐξορίας ἐπὶ Ἰοβιανοῦ..... Τὴν δὲ Εὐαγρίου χειροτονίαν ἀκούσας Οὐάλης ἐν Μαρκιανουπόλει διάγων, Εὐστάθιον μὲν τῆς ἱερᾶς πόλεως ἐκβαλὼν, Δημοφίλῳ τὰς ἐκκλησίας παρέδωκε τοῖς Ἀρειανοῖς. Hæc etiam Socrates lib. 4. cap. 14. & 15. ac Sozomenus lib. 6. cap. 13. qui hoc ſolummodo à Theophane diſcrepant, quod Valentem ferunt, dum Conſtantinopoli Nicomediam vaderet, Evagrii promotionem reſciviſſe. Addit Sozomenus, Nicomediæ Imperatorem conſtitiſſe, atque populi ſeditionem veritum, miſſâ in Urbem militum manu, Euſtathium juſſiſſe Byziam Thraciæ amandari. Tum verò Arianis in catholicos ſævientibus, octoginta eccleſiaſtici ordinis viri ſinceræ Fidei cultores, Imperatorem ſupplice libello rogant, ut manſuetiùs ſecum agatur; quos tamen ille omnes navi impoſitos vivos juſſit in medio mari comburi. Ex qua utriuſque ſcriptoris narratione corrigendus quoque Theophanes venit, apud quem, ut prædiximus, legitur Euſtathium à C Valente *Cyzicum* eſſe relegatum. Quando itaque Socrates & Sozomenus in hoc conſentiunt, ut Demophili in urbem Regiam tranſlationem illi tempori aſſignent, quo Valens Antiochiam verſus iter arripuit, hinc evincitur, Eudoxium non niſi anno 370. defunctum eſſe, tranſactis Conſtantinopolitani ſui epiſcopatûs, ſive tyrannidis, annis decem, hocque eodem anno Demophilum ſuam inchoaſſe, qua demum graſſari ceſſavit, ubi Valente exſtincto, Theodoſius Imp. Theſſalonica veniens, Conſtantinopolim eſt ingreſſus XVIII Kal. Decemb. ſive 14. Nov. anno 380. Quo fit, ut Demophilus quoque tot annos ſederit, quot deceſſor ſuus Eudoxius.

XV. Gregorius Theologus.

Maximus Cynicus.

Marinus Arianus

Dorotheus Arianus.

Anno 379. Valente Imp. mortuo complures epiſcopi catholicæ Fidei inſtaurandæ cauſa Antiochiam convenientes, Gregorium Nazianzenum deſignarunt, qui Byzantinam eccleſiam curaret: hic verò religionem ea in Urbe penè exſtinctam brevi tempore inſtauravit, ut ideo eccleſia in qua docebat, *Anaſtaſia* nuncupata ſit. Verum Petrus Alexandrinæ eccleſiæ præſul Maximum quemdam Cynicæ ſcholæ alumnum, ſed Chriſtianum, Conſtantinopolim cum Ægypti epiſcopis aliquot miſit, à quibus urbis Regiæ antiſtes conſtitueretur. Gregorius inſcius eorum quæ Petrus

A decreverat, Maximum, qui *Heronis* quoque nomen ſumſerat, amanter excipiens, in ſolenni concione laudavit, ut pote qui anno 372. ab Arianis Fidei cauſa cæſus, in Oaſim deportatus fuerat. Verum Cynicus noctu cum Ægyptiis ſuis Anaſtaſiam eccleſiam invadit, ſed à fidelibus prohibitus, fugatuſque, in *Choraulia* domo tonſus, epiſcopus eſt ordinatus: qui tamen Theodoſium ſibi minimè faventem nactus, Alexandriam reverſus eſt. Tum obtentis à Petro literis, Occidentales adiit; Damaſus verò Papa ordinationem ejus ceu B contra regulas factam, improbavit, ſimulque vero Gregorii in urbem Regiam tranſlationem, quem alterius ſedis epiſcopatum geſſiſſe audierat. Maximus, libro quem contra Arianos olim ediderat, Gratiano Imp. oblato, Italici tractûs epiſcopos ſibi conciliavit, quem Gregorio anteponendum ducerent. Verum Petrus Alexandrinus, re meliùs cognita, Gregorio epiſcopatum ſuis jam literis firmaverat: quod Gregorius ipſe perhibet in carmine de vita ſua.

Πῶς Πέτρος αὐτὸς ὁ βραβεὺς ποιμένων,
Πρῶτον μὲν ἡμᾶς ἐγκαθίστα γράμμασιν
Οὕτω προδήλως διπλόης ἐλευθέροις,
Ὡς αὐτὰ πείσῃ τὰ πρὸς ἡμᾶς γράμματα,
Καὶ συμβόλοις ἐτίμα τῆς ἱδρύσεως.

Qui Petrus ipſe præſulum arbiter,
Prius quidem nos literis liberrimis,
(Cujus rei ipſæ literæ adſtruunt fidem)
Aliiſque ſignis, ſacro honorat throno.

Anno ſubinde 381. coacta Conſtantinopoli D ſynodo generali, à Patribus Regiæ urbis præſul iterum renuntiatur: at paucis hebdomadibus tranſactis, nonnullorum, ac præſertim Ægyptiorum, obmurmurationes non ferens, habita ad ſynodum oratione quæ editarum trigeſima ſecunda eſt, ſedi ſponte ceſſit. Tum deliberantibus epiſcopis, quemnam ejus in locum ſufficerent, negotium in alterum annum dilatum fuit. Quæ omnia, quum erudito nemini comperta non ſint, audiendi non ſunt tot illi ſæquioris ævi ſcriptores Græci qui S. Gregorio duodecim Byzantini epiſcopatûs E annos aſſignare non dubitarunt. Interim, etſi Demophilus Arianus Conſtantinopolitana eccleſia à Theodoſio abactus erat, ſuæ tamen ſectæ hominibus præerat: cui defuncto, Marinum quemdam è Thracia accerſitum ſuffecerunt, qui tamen à ſuis etiam ejectus eſt, quod Deum prius fuiſſe diceret Patrem, quam Filius exſtaret; eique ſubrogatus Dorotheus, quem Antiochia evocarant. Cæterùm quum Marinus ſeorſim cum paucis aſſectatoribus ſuis conventus ageret, octo inter ipſum &

Marinus. Arianus.

Dorotheus. Arianus.

Agapium, quem Ephesi præsulem designarat, diſſidio, multi ab eorum communione ad Eccleſiæ unitatem redierunt.

XVI. Nectarius.

Poſt dimiſſos anno 381. Conſtantinopolitanæ ſynodi Patres, Diodorus Tarſenſis Meletio Antiocheno, qui in Urbe remanſerat, auctor fuit, uti Nectarius civitatis Tarſenſis Senator, eorum qui urbis Regiæ ſacerdotio idonei putabantur, ultimus in ſcheda ſcriberetur; huncque Theodoſius Aug. pontificem renuntiavit. Quia verò non niſi catechumenus erat, ſacro baptiſmo initiatus, & à Cyriaco Adanorum in Cilicia præſule epiſcopalia munia edoctus, regreſſis Conſtantinopolim epiſcopis, in generali ſynodo conſecratns antiſtes fuit. Quocirca, quia Maximus Cynicus Byzantinum epiſcopatum ſibi arrogabat, definitum eſt, eum non eſſe prorſus, nec unquam fuiſſe epiſcopum. Ea omittto quæ in Occidente ordinationis Nectarii causâ dicta geſtaque fuerunt. Nonnullæ ſynodi ab eo habitæ ſunt, tum ad revocandos ad Eccleſiam Arianos, Macedonianos & Novatianos, tum in cauſa Agapii & Bagadii, qui de Boſtrorum in Arabia epiſcopatu litigabant, anno 394. Arcadio Aug. III. & Honorio Aug. II. Coſſ. III. Kal. Oct. Poſt triennium obiit, Cæſario & Attico Coſſ. V. Kal. Octobr. Socrate teſte lib. 6. cap. 2. anno 397. Cui proinde Nicephorus CP. annos pontificatus 16. & menſes 3. aſſignat.

XVII. Joannes Chrysostomus.

XVIII. Arsacius.

Nectario defuncto, aliquandiu de ejus ſucceſſore deſignando deliberatum eſt. Joannes Antiochenæ eccleſiæ preſbyter, eloquentiæ, ut pietatis laude inſignis, communibus cleri populique ſuffragiis poſtulatus, ab Arcadio eligitur, quem Theophilus Alexandrinus volens nolens conſecràvit anno 398. IV. Kal. Martii, Honorio & Eutychiano coſſ. anno 400. Decreto ſynodi quæ in urbe Regia convenerat, propter Antoninum Epheſi epiſcopum, qui multorum criminum reus agebatur, in Aſiam perrexit ad hujus regionis eccleſiæ componenda negotia; ubi in frequenti ſynodo alterum Epheſi epiſcopum aliſque paſſim ordinavit. Anno 403. Theophilus Alexandrinus unà cum Heracleæ metropolita, Eudoxia favente Auguſta, in Chalcedonis ſuburbio, quod Δρῦς, *Quercus* dicebatur, ſynodum vocavit, à quâ Joannes ſede ſua deturbatus eſt, mox vero populo tumultuante reſtitutus fuit: ſed anno inſequenti in altera ſynodo paulò ante feſtum Paſchæ amotus iterum eſt, & poſt duos menſes in exſilium deportatus, Cucuſum primò in Armeniæ minoris civitatem, inde Pityuntem, demum Comana ad Euxinum Pontum, ubi ærumnis obtritus vivere in terris deſiit XVIII. Kal. Oct. Honorio VII. & Theodoſio II. Augg. coſſ. ſive anno 407. annos 60. natus, decimo ab inito epiſcopatu, exſilii ſui tertio. Ex quo emendandus Nicephorus eſt, qui annos ei quinque, ſexque menſes dumtaxat attribuit. Pauca hæc de ſanctiſſimo Archiepiſcopo, cujus vitam multi eruditè ſcripſerunt.

Joanne ſecunda vice ſuâ & ſede extruſo, ejus in locum Arſacius Nectarii germanus frater, Magnæque eccleſiæ preſbyter ſuffectus fuit, Dæſio menſe, VI. Kal. Jul. ſive XXVI. Junii, anno 404. qui accuſatorum ejus unus fuerat. Annos octoginta natus erat, annoque inſequenti Socrate teſte, Stilicone & Anthemio Coſſ. III. Id Novemb. fatis conceſſit. Non ergo duos pontificatus annos egit, quot Nicephorus ac Theophanis tabulæ numerant; ſed annum unum, menſes quatuor, dies ſeptemdecim. Palladius verò in Dialogo de vita Sancti Joannis Chryſoſtomi, quatuordecim ſolùm ei menſes tribuit, διακρατήσας δὲ τὸ ζῆν ἑαυτοῦ δεκακαιτέσσαρας μῆνας, ἀποθνήσκει. Arſacius.

XIX. Atticus.

Bardas Arianus.

Arſacio defuncto, & Chryſoſtomo in vivis adhuc ſuperſtite, Atticus Byzantinæ eccleſiæ preſbyter in epiſcopum provectus eſt, Arcadio Aug. VI. & Anicio Probo coſſ. ut fert Socrates cap. 20. ſeu anno 406. utque Sozomenus ait lib. 8. cap. 27. quarto ab Arſacii obitu menſe, τετάρτῳ μηνὶ τῆς αὐτοῦ τελευτῆς. Hunc Sebaſte in Armenia oriundum ſubdit, & Euſtathio ejuſdem olim urbis epiſcopo inſtitutore, aſceticam vitam coluiſſe, vafri ingenii hominem, uti ſuus præceptor, qui eruditus haberi vellet potius, quam revera eſſet. Quocirca Palladius Atticum perhibet fuiſſe inſidiarum quæ in ſanctum Joannem ſtructæ ſunt architectum, πάσης μηχανῆς τεχνίτης τῆς κατὰ Ἰωάννου, cui epiſcoporum Orientis nemo, neque Conſtantinopolitana plebs, urgente licet ſuis reſcriptis Imperatore, communicare prorſus voluit, donec ſanctiſſimi Doctoris nomen ſacris Eccleſiæ tabulis reſtitutum eſſet. Cæterùm Socrates, qui erga Chryſoſtomum optimè affectus non erat, lib. 7. cap. 26. Atticum à prudentia & manſuetudine commendat; ſed & à Græcis inter ſanctos habetur, & ſalubris doctrinæ magiſtros. Multa ſui pontificatûs toto tempore molitus eſt, ut ſedis ſuæ juriſdictionem ampliaret. Obiit decimo Octobris, Theodoſio Aug. X. & Valentiniano Cæſare Conſulibus.

epiſcopatûs anno 20. (Chriſti 426.) Apud Socratem legitur anno 21. ἐν τῷ εἰκοστῷ πρώτῳ ἔτει. At quando ex eodem Socrate ordinatus eſt epiſcopus anno 406. currente, vigeſimum prorſus non abſolvit. Unde Nicephorus rectè 20. annos numerat, ut & Tabulæ Theophanis.

Attico catholicam Urbis eccleſiam gerente, Dorotheus Arianorum præſul annos centum & octodecim natus obiit, Honorio VII. & Theodoſio juniore II. Coſſ. hoc eſt anno Dom. 407. VIII. Id. Oct. Quem excepit
Bardas. *Bardas* ejuſdem factionis antiſtes. Ita Socrates lib. 7. cap. 6.

XX. Sisinnius. I.

Atticum poſt menſes ab ejus obitu quatuor ac dies ſeptemdecim excepit *Siſinnius*, 28. Febr. inſequentis anni ordinatus, Theodoſio XII. ut Socrates auctor eſt, & Valentiniano II. Aug. Coſſ. καὶ χειροτονεῖται Σισίννιος τῇ εἰκάδι ὀγδόῃ τοῦ Φεβρουαρίου μηνὸς, τῇ ἑξῆς ὑπατείᾳ, ἥτις ἦν Θεοδοσίου τὸ δωδέκατον, καὶ Οὐαλεντινιανοῦ τοῦ νεωτέρου τὸ δεύτερον. Addit Siſinnii æmulum fuiſſe Philippum Sidenſem preſbyterum, qui, quum Byzantina ſede quam prenſabat, excidiſſet, in eccleſiaſtica hiſtoria quam condebat, inſulsè in illum deblateravit: contrà vero Siſinnium ab eximiis dotibus quibus pollebat, ac virtute præſertim & pietate, mirè commendat. Hunc cap. 28. ſecundo pontificatus anno nondum abſoluto, vivere deſiiſſe ait, Hierio & Artaburio coſſ. 24. Decembris. καὶ οὐδὲ δύο ὅλους ἐνιαυτοὺς ἐπιβιοὺς τῇ ἐπισκοπῇ, ἐτελεύτησεν ἐν ὑπατείᾳ Ἱερείου καὶ Ἀρταβουρείου, τῇ εἰκάδι τετάρτῃ τοῦ Δεκεμβρίου μηνός. Non ergo integri fuerunt anni duo, quos Nicephorus & Theophanis Tabulæ ei tribuunt.

XXI. Nestorius hæreticus.

Poſt Siſinnium, aliis Philippum, aliis Proclum poſtulantibus, Theodoſius Imp. Antiochiâ accerſivit hominem eloquentiæ laude celebrem, *Neſtorium*, Germaniciâ Euphratenſis provinciæ civitate oriundum, qui trimeſtri ſpatio à Siſinnii obitu expleto, epiſcopus eſt ordinatus, 10. die Aprilis, Felice & Tauro coſſ. χειροτονηθεὶς τῇ δεκάτῃ τοῦ Ἀπριλίου μηνὸς, ἐν ὑπατείᾳ Φίληκος καὶ Ταύρου, anno proinde 428. Quamquam Liberatus in Breviario, ipſo primo die Aprilis ordinationem ejus peractam tradit; quæ certè eo anno in Dominicam incidebat, qua ſolenni die Byzantini epiſcopos conſecrare ſuos, quemadmodum & alii vulgo, ſolebant. Neſtorius Arianos, Macedonianos, Novatianoſque & Apollinariſtas exagitare incipiens, in impietatem alteram impegit, Mariam Virginem Deum peperiſſe negans, ſed hominem Dei
A Verbi numine perfuſum. Quamobrem ſynodo Epheſi anno 431. coacta, actione ejus prima, die 22. Junii ob contumaciam exauctorari meruit, moxque ob pertinaciam procul amandari, atque in Oaſim Ægypti tamdem deportari, ubi miſerè periit. Nicephoro autem & Theophani, annos tres, duoſque menſes ſedit.

XXII. Maximianus.

Neſtorio eodem anno 431. ſuffectus eſt *Maximianus* monachus & preſbyter die 25.
B Oct. Baſſo & Antiocho coſſ. ἐν ὑπατείᾳ Βάσσου καὶ Ἀντιόχου, περὶ τὴν εἰκάδα πέμπτην τοῦ Ὀκτωβρίου μηνὸς, ait Socrates cap. 27. qui, eodem ſcriptore teſte cap. 40. duos annos & menſes quinque epiſcopatum tranquillè geſſit; atque Areobindo & Aſpare coſſ. obiit die 12. Aprilis, anno utique 434. Μαξιμιανὸς δὲ δύο ἐνιαυτοὺς πρὸς τοῖς πέντε μησὶν ἡσυχῶς τῆς ἐκκλησίας προστὰς, ἐτελεύτησεν ἐν ὑπατείᾳ Ἀρεοβίνδου καὶ Ἄσπαρος, τῇ δωδεκάτῃ τοῦ Ἀπριλίου μηνός, quin etiam ipſa feria majoris hebdomadis. Totidem annos & menſes habet Nicephori Laterculus.

XXIII. Proclus.

Maximiano hebdomade ſacra defuncto ac nondum ſepulto, Theodoſius Imp. veritus populi tumultum, nullâ morâ Proclum ſucceſſorem deſignavit, qui, quum Cyzici pridem epiſcopus ab Attico conſecratus eſſet, nec à Cyzicenis admiſſus, ab epiſcopis qui Conſtantinopoli agebant, pontificali throno impoſitus fuit, ſtatimque Maximiani deceſſoris ſui exequias peregit. Hæc Socrates, qui eximias quoque Procli virtutes jure prædicat.
D Multa ſiquidem pro Fide & Eccleſia præclare geſſit annis tredecim & menſibus tribus, quibus Byzantino pontificatu functus eſt, ac non duodecim dumtaxat, quot Nicephorus numerat. Obiit anno 447. ac die 24. Oct. ut Menologia ferunt.

XXIV. Flavianus.

Anno Theodoſii junioris Aug. 40. ſecundum Theophanem, Chriſti 447. Conſtantinopolitanam ſedem Flavianus capeſſivit, quo anno Flavio Zenone & Poſthumiano coſſ.
E V. Idus Nov. ſynodum habuit epiſcoporum triginta, vel, ut Theophanes ſcribit, quadraginta. In ea Euſebius Dorylæi in Phrygia epiſcopus Eutychem Archimandritam accuſavit, negare Chriſtum, aſſumtâ carne, nobis conſubſtantialem eſſe. Vocatus Eutyches impietatem confeſſus eſt, quam quia retractare noluit, à Patribus proſcribi meruit. Per amicos, quorum maxima apud Imperatorem auctoritas erat, obtinuit, ut judicium contra

ſe latum in conventu altero coram Thalaſſio Cæſarienſi, Flaviano quoque preſide, ad examen revocaretur: palàm verò errorem iterùm ſuum affirmavit, nec ejurare prorſus voluit, Romanam Papam appellans. Cuncta Flavianus quæ geſta erant literis duabus retulit Leoni Papæ, qui illam ei reſcripſit quæ rectæ deinceps de Verbo carne facto Fidei teſſera habita eſt, data *Id. Jan. Aſterio & Protogene coſſ.* anno 449. quo Epheſina ſynodus ſecunda convenit, VI. Id Aug. In quo profano conventu, Dioſcorus Alexandrinus nihil non prædatorio more gerens, Eutyche abſoluto, Flaviano ſacerdotium abrogavit, effecitque ut Hypæpam in Lydiæ oppidum amandaretur, ubi ſtatim, ſeu ſuperveniente, ſeu ingeſta morte, ut ſcribit auctor Breviculi hiſtoriæ Eutychianiſtarum, fato functus eſt.

XXV. Anatolius.

Dioſcorus Conſtantinopolim Epheſo profectus, non prius Alexandriam iter arripuit, quàm urbi Regiæ pro Flaviano epiſcopum præfeciſſet, *Anatolium* ſcilicet, qui apud Imperatorem apocriſiarii ipſius munere fungebatur. Id quod illo eodem anno 440. patratum eſt: quo vero menſe vel die incertum. Anatolius prava hæc initia ſua emendare ſtatim ſtuduit, datis ad Leonem Papam literis, quibus communionem ejus ambiebat: quas tamen ut ſcriberet, auctorem Marcianum Auguſtum fuiſſe licet augurari. Reſcripſit ad Anatolium Leo Idibus Aprilis *Adelphio v. c. coſ. Indict. IV.* Diximus ubi de Patriarcha Conſtantinopolitano, quæ Anatolius molitus ſit, ut ſubreptitio canone 28. Chalcedonenſi ſuæ ſedis prærogativas & juriſdictionem amplificaret. Anno 457. quo Leo Imp. metropolitis provinciarum Orientalis Imperii de nece Proterii Alexandrini ſacras literas dedit, inprimiſque *Anatolio epiſcopo Conſtantinopolitano*, epiſtolam eidem ſcribebat Leo Papa de Andrea preſbytero Conſtantinopolitano, qui Eutychis hæreſi favere ferebatur, non inſequenti, quo Leone & Marciano coſſ. è vita migravit Anatolius, quum annos octo, totidemque menſes ſediſſet, ſecundum Nicephori Chronologiam, à qua Theophanis Tabulæ non diſcrepant, quæ novem annos habent, incompletos ſcilicet.

XXVI. Gennadius.

Anno 2. Leonis Imp. Chriſti 458. Anatolium excepit *Gennadius* preſbyter Conſtantinopolitanus; qui anno inſequenti ſynodicum decretum edidit contra Simoniacos, à quamplurimis epiſcopis ſubſcriptum, inter quos illi Ægypti præſules occurrunt, qui, graſſante in Alexandrinam eccleſiam impio A Timotheo, Æluro, Conſtantinopolim ſeſe receperant. Theophanis tabulæ tredecim ei epiſcopatûs annos aſſignant, totidem Nicephorus ac menſes duos. Unde ſequitur illum obiiſſe anno 471. Matthæus Cygala in ſerie patriarcharum Conſtantinopolitanorum hunc in Cypro inſula, quum Hieroſolymis reverteretur, vita functum narrat.

XXVII. Acacius.

Gennadio ſucceſſit *Acacius* magnæ Eccleſiæ preſbyter, ac domûs orphanorum in Urbe B præfectus, qui anno 472. canonem 28. Chalcedonenſem inſtaurari ſtuduit ſub Marciano, Leone Papa inſtante, antiquatum. Voti tamen compos non evaſit, niſi Zenone Imperatore, à quo legem XVI. cod. Juſtinianei *De ſacro-ſanctis eccleſiis* impetravit anno 477. quo, Baſiliſco tyranno ad ordinem redacto, Imperium Zeno recepit. Baſiliſco illi ſtrenuè reſtitit, ejuſque ſynodo Epheſinæ, cui Timotheus Ælurus præfuerat anno 476. Poſt, veritatis causâ relictâ, auctor Zenoni Imp. fuit uti decretum Ἑνωτικὸν ſive *Unitivum* ferret C Chalcedonenſi concilio injurioſum; quippe cujus auctoritas in dubium eo vocaretur. Inſuper & Petri Mongi Alexandrini, nec non Petri Fullonis Antiocheni epiſcoporum hæreticorum profana communione fœdatus eſt; quam quia abjicere nolebat, à Felice Papa III. catholica Eccleſia excluſus fuit, quum per annos quinque eſſet exſpectatum ut facta corrigeret. Quæ omnia, aliaque ad Acacium ſpectantia accurate ſatis ab Antonio Pagi tractata, digeſtaque ſunt in Critica ſua in Annales Baronii ab anno 471. ad 488. Duplici D porro in ſynodo Romana damnari Acacius meruit, prima vice anno 484. alterâ anno 485. Felicis ſententiam Jacobus Sirmondus poſt Appendicem codicis Theodoſiani primum edidit; quam iſthic recitare intereſt: *Acacius, qui ſecundò à nobis admonitus, ſtatutorum ſalubrium non deſtitit eſſe contemtor, meque in meis credidit eſſe: carcerizandum, hunc Deus, cælitus prolata ſententia, de ſacerdotio fecit extorrem. Ergo, ſi quis epiſcopus, clericus, monachus & laïcus, poſt hanc denuntiationem eidem communicaverit, anathema ſit, Spiritu* E *ſancto exſequente.* Obiit anno 489. *Euſebio conſule,* velut Chronico Victoris Tununenſis fertur. *Acacius*, inquit, *Conſtantinopolitanus epiſcopus ſub damnatione moritur: pro eo Flavianus epiſcopus ordinatur.* Ubi pro *Flavianus* ſcribendum *Flavitas* vel *Fravitas*. Quo teſtimonio Nicephori Chronographia adſtruitur, Acacium ſcilicet annos ſeptemdecim, novemque menſes ſediſſe. Theophanis quoque Tabulis pontificatûs illius ultra decimum ſeptimum annum prorogatur.

XXVIII.

XXVIII. Fravitas.

Acacio ſtatim ſuffectus eſt *Fravitas,* ſeu *Flavitas, preſbyter à S. Tecla,* ut Liberatus ſcribit (ſive, ut opinor, eccleſiæ S. Teclæ) *qui non conſenſit ſine Romano epiſcopo inthronizari, ſed tranſmiſit ſynodicam Papæ Romano Felici; qui modico tempore vivens, moritur, non accipiens epiſtolam ipſius,* Theodorus vero Lector, Theophane teſte, vafre cum Felice Fravitam egiſſe narrat, qui ſuis interim ad Petrum Mongum Alexandrinum literis ſignificaſſet, ſe cum eo communionem B habiturum, nullam cum Felice: quocirca Pontificem Romanum, de literis ad Ægyptium miſſis certiorem factum, Fravitæ nuntios nullo honore habuiſſe. Enimvero Evagrius lib. 3. cap. 28. Fravitæ ad Petrum, & Petri ad Fravitam exſtare epiſtolas refert, eaſque à ſe ob prolixitatem omiſſas: at Fravitæ quatuor epiſcopatûs annos, ſolus ex omnibus impertit: tres dumtaxat menſes Victor Tununenſis, à quo Flavianus dicitur.

XXIX. Euphemius.

Victor Tununenſis eodem loci ait: *Flaviano tertio promotionis ſuæ menſe mortuo, Euphemius Concilii Chalcedonenſis decretorum cuſtos, in epiſcopatu ſuccedit.* Liberatus eum genere Alexandrinum fuiſſe prodit, & ſcripta literaſve ſuſcepiſſe à Romano Papa; cujus nempe communionem ſinceriùs quàm deceſſor ſuus ambierat. Perinde quidem ſynodicas Petro Mongo miſit; in his verò Chalcedonenſem ſynodum commendabat: cui ſuæ profeſſioni quia Mongum minime adſtipulantem reperit, ejus communionem abjecit. D Biennio ab electione Euphemii Zenone Imp. mortuo, rerum ſummam Anaſtaſius capeſſivit, quem Silentiarii munere priùs fungentem Euphemius ipſe tamquam hæreticum exagitaverat. Quocirca Imperium adeptus catholicæ Fidei bellum indixit, maxime quum Euphemius, ut Theophanes auctor eſt, ipſo primo anno quo Anaſtaſius inauguratus fuit, coacta ſynodo Chalcedonenſe Concilium ſcripta Fidei confeſſione confirmaſſet. Hunc vero Princeps quia religionis tenacem experiebatur, Byzantina demum ſede deturbavit. Quod Marcellinus Comes in Chronico geſtum refert E *Indict. III. Viatore ſolo Conſule. Euphemius,* inquit, *Auguſtæ civitatis antiſtes, de quo ſuperius fecimus mentionem, falſo ab Anaſtaſio principe accuſatus atque damnatus, in exſilium ductus eſt:* anno ſcilicet 495. Ex Theophane vero, cui Euphemius annos ſeptem ſedit; ex Victore Tununenſi cui idem Pontifex Paulo coſ. deſtitutus fuit; imo ex Anaſtaſio Imp. ipſo, qui in ſuo cum Euphemio eodem colloquio Iſauricum bellum quod anno 492. inceperat, annos jam quinque duraſſe dixit, apparet Euphemium ante annum 496. expulſum non eſſe. Exſilii cauſam recitat Theophanes ad annum quartum Anaſtaſii: additque Imperatorem veræ Fidei confeſſionem quam ipſi quondam tradiderat, adhibita vi extorſiſſe, ne religionis perduellis probaretur. Septem circiter annos ſedit Euphemius, ut bene fertur apud Theophanem. S. Nicephorus ſex annos, totidemque menſes numerat: quod ſi ita eſt, non ſtatim à Fravitæ obitu ordinatus erit. Euchaïta in Helenoponti urbem deportatus Euphemius, ibidem interiit.

XXX. Macedonius II.

Locum Euphemii Macedonius tenuit, ait Marcellinus, ex Scevophylace, ſeu vaſorum ſacrorum cuſtode, ad epiſcopatum evectus: quem Theophanes à Gennadio quondam archiepiſcopo educatum prodit, ut pote qui fratris ejus eſſet filius, ἀδελφιδοῦς. Promotionem ejus refert ad annum ſextum Anaſtaſii Imp. Chriſti proinde 496. Atqui Macedonius, etſi Unitivum Zenonis decretum in ſua ordinatione admiſerat, bene ſe erga Chalcedonenſem ſynodum affectum præbuit, quumque ſynodicam ad Anaſtaſium Papam II. mittere meditaretur, ab hæretico principe prohibitus fuit. Sed quia edita Fidei formula Nicænam dumtaxat ſynodum, nec non Conſtantinopolitanam (Epheſina & Chalcedonenſi omiſſis) amplecti videbatur, magnam ſibi à catholicis accerſivit invidiam; de quo legenda epiſtola monachorum Palæſtinæ ad Alcyſonem Nicopolitanum apud Evagrium lib. 3. cap. 31. Cæterum ejus tempore Feſtus Senator Romanus, qui Imperatorem ob publica negotia convenerat, obtinuit ut SS. Petri & Pauli memoria majori quam antea ſolennitate Conſtantinopoli ageretur. Evagrius lib. 3. cap. 32. narrat unde Imperatoris odium Macedonius in ſe concitârit: nempe quum Ariadne Auguſta Zenonis conjux Anaſtaſium purpura donare conſtituiſſet, Euphemium epiſcopum ei aſſentiri noluiſſe, niſi chirographum ſacramento munitum daret, quo aſſeveraret ſe Fidem catholicam ſartam tectam conſervaturum. Quod quidem chirographum Euphemius Macedonio ſacri Theſauri cuſtodi commendavit. Imperator ſubinde cum à Macedonio chirographum fruſtra repeteret, inſidias ei ſtruere cœpit, ac tamdem epiſcopali throno abegit: quod Marcellinus Comes factum narrat Indict. IV. Secundino & Felice coſſ. ſive anno 511. *Macedonius,* inquit, *Auguſtæ urbis epiſcopus, licet olim Anaſtaſii dolis & fallaciis circumventus, pravorum teſtimoniis accuſatus, quoniam tomum SS. PP.*

apud Chalcedonem ſancitum dudum ſubſcriptione roboratum, eidem Principi dare diſtulit (ſic) *ab eodem Euchaïta in exſilium deportatus eſt.* Quibus in verbis nonnihil difficultatis occurrit, quando longè veriùs Theophanes narrat Macedonium amotum à ſede fuiſſe, quum proteſtatus eſſet ſe Chalcedonenſem ſynodum complecti, ὅτι δέχεται τὴν ἐν Χαλκηδόνι σύνοδον, καὶ τοὺς μὴ δεχομένους αὐτὴν αἱρετικοὺς ἔχει. Annos ſexdecim egit pontificatus, velut Tabulæ Theophanis ferunt, ſed non completos.

XXXI. Timotheus, hæreticus.

Marcellinus Comes innuere videtur *Timotheum*, amoto Macedonio nulla mora fuiſſe ſubrogatum, quandoquidem, ut ad eumdem annum continua ſerie pergit, locum Macedonii Timotheus preſbyter, vaſorum ſacrorum cuſtos, quem Λιτρόβολον, *Litrobolem*, & Κήλωνα, *Celonem*, à facinoribus quibuſdam quæ admiſerat, cognominabant, meridiano tempore ab Anaſtaſio Cæſare ordinatus invaſit; ceu in craſtinum mane ejus ordinatio dilata non fuerit, ſed ipſis ejuſdem diei meridianis horis patrata. Quæ turbæ eo ſedente acciderint, ob interpolatum præſertim hæretico more Triſagium, apud rerum eccleſiaſticarum ſcriptores legi poſſunt. Sex annos dumtaxat ſedit, uſque ad Chriſti 517. qui vigeſimus ſeptimus & ultimus fuit Anaſtaſii Imp. *Anaſtaſio Aug. & Agapeto Coſſ.* ait Tununenſis, *Timotheus Conſtantinopolitanus epiſcopus obtrectator ſynodi Chalcedonenſis, 5. die menſis Aprilis occubuit, & Joanni Cappadoci in cella propria, atque preſbytero, epiſcopatum tradidit.* Sexto itaque ſui ſacerdotii anno Timotheus fatis conceſſit.

XXXII. Joannes II.

Ex Victore Tununenſi apparet *Joannem* à Timotheo deſignatum fuiſſe qui ſibi ſuccederet. Id quod Anaſtaſio in vivis ſuperſtite patratum perhibet Theophanes, eumque ter-
» tio ſolennitatis Paſchalis die ordinatum. Ti-
» motheo, ait, Conſtantinopolitano epiſcopo
» defuncto, Joannem Cappadocem, preſbyte-
» rum, ſyncellumque, Conſtantinopolitanum
» epiſcopum inſtituerunt; & ordinatus tertio
» Paſchalis die, Apoſtolicum amictum induit,
οὗτος χειροτονηθεὶς τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ τοῦ πάσχα, τὴν ἀποστολικὴν ἐνεδύσατο στολήν. Tununenſis pergit: *Hunc Anaſtaſius ante ordinationem ſuam, ut ſynodum Chalcedonenſem prædamnaret, exigit.* Verum Theophanes ad eumdem annum ſubdit, *populum multa importunitate contendiſſe à Joanne, uti Severum anathemate feriret;* Antiochenum ſcilicet pervicacem hæreticum. Quod ille brevi poſtea præſtitit, Juſtino rerum

A potiente. Tunc in ſacris eccleſiæ tabulis reſtituta nomina ſunt Concilii Chalcedonenſis, Leonis Magni Papæ, Euphemii & Macedonii orthodoxorum præſulum. Legenda acta ſynodi Conſtantinopolitanæ ſub Menna archiepiſcopo, in quibus recitatur epiſtola Conſtantinopolitanæ ſynodi alterius, in qua Joannes cum epiſcopis 40. qui convenerant, cuncta hæc confirmavit. Anno inſequenti 518. quum Hormiſdas Papa Legatos ad Juſtinum miſiſſet, gratulatorias ei literas, tum Imperator, tum Joannes noſter reſcripſerunt. Anno
B vero 520. Joannes è vita migravit, elapſis ab ordinatione ſua annis duobus & menſibus decem.

XXXIII. Epiphanius.

Joanne Cappadoce Conſtantinopolitano «
præſule defuncto, ait Theophanes, *Epipha-* «
nius ejuſdem eccleſiæ preſbyter & ſyncellus «
menſis Februarii 25. archiepiſcopus eſt or- «
dinatus, ἐχειροτονήθη μηνὶ φεβρουαρίῳ κε΄. De «
qua ordinatione epiſcopi ſynodicam relationem dederunt ad Hormiſdam Pontificem,
C quæ Latine exſtat, ut & alia Hormiſdæ & Epiphanii, ſcripta de iis quæ tunc temporis in urbe regia & per Orientem compoſita fuerant. Quumque Hormiſdas Epiphanio vices ſuas ad tot illa negotia finienda commiſiſſet, hac poteſtate ille uſus, Euphemii & Macedonii deceſſorum ſuorum nomina, quæ Hormiſdas è ſacris diptychis eradi curaverat, ut pote virorum qui ad altare Acacii Conſtantinopolitani quondam archiepiſcopi nomen recitari permiſerant, iiſdem tabulis reſtituere non dubitavit. Ejus tempore anno 525. Conſtantino-
D polim Joannes Papa II. venit, Theodorici regis Italiæ Legatione fungens, multoque honore à Juſtino Imp. receptus fuit; *tumque ab Epiphanio invitatus*, inquit Theophanes, *congreſſum denegavit, donec ipſe, qui Romanus Pontifex eſſet, primum in conſeſſu locum obtineret*, καὶ οὐ κατεδέξατο, ἕως προεκάθισεν Ἐπιφανίου ὁ Ῥώμης. Id quod Marcellinus Comes coævus auctor his verbis recitat. *Indict. III. Philoxeno & Probo Coſſ. Joannes Romanæ Eccleſiæ Papa... Urbe digreſſus Conſtantinopolim venit; miro honore ſuſceptus eſt: dexter*
E *dextrum eccleſiæ inſidet ſolium, diemque Domini noſtri Reſurrectionis plena voce Romanis precibus celebravit.* Perſeveravit Epiphanius ad annum uſque 535. quo mortem obiit *quinta Junii, Indict. XV.* ut fert Theophanes, τούτῳ τῷ ἔτει Ἐπιφανίου ἐπισκόπου τελευτήσαντος μηνὶ Ἰουνίῳ ε΄. Ἰνδ. ιε΄. Errat tamen ſcriptor eximius, Epiphanii mortem conſignans cum decimo Juſtiniani Auguſti anno & Indictione XV. addenſque eum annis ſexdecim, treſque menſes ſediſſe, quando conſtat, eum fatis

concessisse anno 9. Justiniani Indict. XIII. adeoque anno Christi 535. quo Anthimus hæreticus, agente Theodorâ Augustâ, à Trapezuntina ad Byzantinam sedem statim ab Epiphanii obitu translatus fuit; atque anno insequente Mennam in Anthimi locum ab Agapeto Romano Papa suffectum. Annos ergo quindecim dumtaxat, tres menses & paucos dies episcopale onus gessit Epiphanius; quod optimè probat Pagius ad hunc annum 535.

XXXIV. Anthimus, hæreticus.

Marcellinus Comes in Chronico *Indict. XIII. Belissario solo cos. Epiphanius*, inquit, *episcopus Regiæ urbis ante adventum Romani præsulis* (Agapeti) *moritur; cujus episcopatum contra canones Anthimus, Trapezuntina ecclesia relicta, invadit.* Atqui *Anthimus* vix annum unum, ac certe menses dumtaxat decem, ut fert Theophanes, episcopus egit Constantinopolitanus. Nam statim atque Agapetus Papa in Urbem appulit, hunc pristinam ecclesiam repetere cœgit. *Indict. XIV. post consulatum Belissarii,* ait Marcellinus, *Agapetus Constantinopolim, ut diximus, de Roma adveniens, Anthimum mox ecclesia pellit, dicens eum contra regulam adulterum, qui, sua ecclesia dimissa, ambierat alienam.* Subdit, ipsum extremum diem obiisse *in Domino, in nullo tamen, sicut à Principe objiciebatur, sentientem contra Fidem.* Verum synodus ipsa quam Agapetus coëgerat, quæque mox, eodem Papa defuncto, Menna patriarcha præside habita est, Anthimum inter hæreticos habendum pronuntiavit; quum archimandritæ complures ægrè tulissent, hunc ab Agapeto hæresis suspicione liberatum. Evagrius verò lib. 4. hist. cap. 11. epistolas appellat Severi hæretici ad Justinianum & Theodoram, quibus testabatur se Constantinopolim tunc temporis venisse, & Anthimo persuasisse, ut, spreto sæculari honore, cathedram potiùs relinqueret, quàm opinioni suæ Chalcedonensi synodo contrariæ renuntiaret.

XXXV. Mennas.

Anthimo ejecto, *Mennas* presbyter genere Alexandrinus, & præpositus hospitii cui *Samson* nomen, Constantinopolitanæ ecclesiæ pontifex designatus, & ab ipsomet Agapeto ordinatus fuit anno 536. quo statim atque Agapetus fato functus est, synodum illam quæ jam vocata erat, celebravit; in cujus quatuor primis actionibus de Anthimo actum est, in quinta verò de Severo Antiocheno ejusque sociis hæreticis. Mennas episcopatum prorogavit ad annum usque 552. quo tempore de Tribus capitulis controversiæ fervebant, scilicet de Theodoro Mopsuesteno, de

A Ibæ Edesseni ad Marim Persam epistola, & de Antirrheticis Theodoreti episcopi Cyri adversus Cyrillum Alexandrinum. Anno 546. edicto priori Justiniani de Capitulis illis Mennas invitus subscripserat. Anno 551. Vigilius Papa, qui Constantinopoli aderat, XI. Kal. Septembr. sententiam tulit in Theodorum Cæsareæ episcopum, jurgiorum illorum incensorem, quem communione sua exclusit, sed & Mennam eidem sententiæ subjecit: *Teque Mennam Constantinopolitanæ civitatis episcopum, qui non dissimili culpâ constringeris.*

B Anno sequenti pridie Id. Maii, seu 14. ejusdem mensis, Vigilius *Constitutum* dedit de illis Capitulis; cui professionem præmisit, quam Mennas & Orientis episcopi complures sibi fecerant, dum in Basilica S. Euphemiæ morabatur. *In hac forma fecerunt*, inquit, *Mennas Constantinopolitanus episcopus, Theodorus Cæsareæ, &c.* Obiit igitur eodem anno mense Augusto, quum die 28. Julii Sanctorum Apostolorum ædem consecrasset, in quam ipse Mennas cum sanctis reliquiis progressus est curru Imperatorio aureo gemmis fulgente vectus.

C Id quod innuit rursum Theophanes, obitum ejus assignans anno, ut ipse numerabat, Incarnationis DXLIV. qui à Kalendis Septembris anni 551. inceperat. Quocirca memoria ejus à Græcis Latinisque recte recolitur die 25. Augusti: seditque proinde, ut bene fertur in Chronographia Theophanis, annos 16. & menses 6.

XXXVI. Eutychius, *primùm.*

Theophanes subjungit, Mennæ defuncto suffectum esse Amaseæ apocrisiarium, *presbyterum, & monasterii ejusdem urbis Amasenæ alumnum Eutychium.*

D Hujus vitam Eustathius presbyter Constantinopolitanus, & domesticus familiaris, seu certè syncellus, scripsit; quam ex codice Vaticano Græce Latineque inter Acta SS. ad diem 11. Aprilis ediderunt. Ipse nempe est qui & Eustratius ejus presbyter Constantinopolitanus, cujus librum vel libri magnam partem *De statu animarum*, (utinam integrum) Leo Allatius Romæ publici juris fecit anno 1655. magno Ecclesiæ commodo.

E Eutychius in synodo Constantinopolitana generali, quæ anno 553. celebrata est, primas tenuit, quum Vigilius Papa convenire recusasset. Anno 360. Justiniani Imp. Christi 562. die 24. Decembris, cui Dominicæ Nativitatis solennitas proximè succedebat, magnæ ecclesiæ, S. Sophiæ scilicet, dedicatio secunda celebrata est, restaurato ejus trullo, qui ante annos aliquot ceciderat. *Nocturnis vigiliis quæ ejusmodi dedicationi præmitti solent, apud S. Platonis peractis*, ait Theophanes, *inde sacro procedendi ritu, cui*

præsentem se præbuit Imperator, Eutychius Constantinopolitanus Patriarcha curru vectus, & Apostolico habitu ornatus, sacrum manibus tenens Evangelium, progressus est, populo omni concinnente: Tollite portas principes vestras, &c. Celeberrimum hocce templum die 24. Decembris dedicatum fuisse, Petri Silentiarii assertio est, necnon Chronici Paschalis sive Alexandrini. Anno 564. mense Martio Indict. XIII. mensis Aprilis die 12. Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus *à Justiniano destitutus fuit, & Amaseam relegatus*, ait Theophanes: cujus destitutionis hæc causa fuit, quod Justiniani edicto repugnabat, quo Domini corpus ante resurrectionem nulli corruptelæ obnoxium hæretice prorsus asserebatur. Annos duodecim menses quatuor, ac dies tredecim hac prima episcopatus sui vice Eutychius pontificatum gessit.

XXXVII. Joannes III.

Eutychio amoto, *Joannes* olim Scholasticus, qui magnæ Antiochiæ apocrisiarii in urbe Regia munere fungebatur, ejus in locum subrogatus est, ait Theophanes. Hic Canones synodorum in unum volumen eo modo quo ante Theodoretus, compegerat. Eo sedente, Justinianus Imp. mensis Novembris die undecima ejusdem anni 564. diem fatalem obiit, cui Justinus secundus successit. Anno Justini II. quarto Joannes Constantinopolitanus Joannem alterum Alexandriæ archiepiscopum consecravit: quorum synodalibus literis Anastasius Antiochenus acceptis in utrumque responsoriis suis invectus est; eo nempe quod ad Byzantinum præsulem minimè spectaret Alexandrini ordinatio. Quod in causa fuit, cur Anastasius à Justino sede sua pulsus sit. Anno 12. Justini junioris, Christi 577. die 31. Aug. *Indict.* X. *Joannes Constantinopolitanus obiit*, ex Theophane; adeoque duodecim annos & quinque menses sedit, sed utrimque incompletos.

XXXVIII. Eutychius *secundùm*.

Eodem anno Romano currente, die 13. Octobris Indict. XI. *Eutychius* Constantinopolitanum thronum recepit: hoc est anno 580. quia biennio ante Tiberii II. Imp. obitum. Quumque rursum Byzantinam ecclesiam annos 4. menses 6. & dies 3. administrasset, septuagenarius ad Deum migravit die 6. Aprilis anno 582. quod tradit Eustathius in vita ejusdem Eutychii, eique concinunt Nicephorus & Theophanes. Legendus doctissimus cardinalis Norisius in dissertatione historica *De Quinta synodo*. In vita S. Gregorii Papæ, Eutychius, quum circa futuram carnis resurrectionem aberraret, ad sanam mentem à Gregorio qui tunc Constantinopoli Responsalis Romani munere fungebatur, revocatus narratur.

XXXIX. Joannes IV.

Eutychio, Theophane teste, post dies sex successor datus est *Joannes* quartus magnæ Ecclesiæ diaconus, qui *Jejunator* dictus est; cujus proinde ordinatio incidit in diem 12. Aprilis quæ Dominica fuit. Anno 588. concilium generale totius Orientis coëgit in causa Gregorii Patriarchæ Antiocheni, cujus famæ falsis rumoribus detrahebatur, quumque in literis suis tractoriis *Patriarchæ Oecumenici* titulum sibi arrogaret, gravissimas ad ipsum & ad Mauritium Imp. epistolas S. Gregorius M. Papa scripsit, quibus ejus vanitatem retundebat. Concilii illius meminit Evagrius lib. 6. hist. cap. 7. Anno insequenti, die Martii 26. Ind. VIII. Theodosium Mauritii Imp. filium annos dumtaxat quatuor natum, Imperii corona redimivit. Vivere desiit anno 595. exactis tredecim pontificatûs annis, & mensibus quinque, quot Nicephorus in Chronico memorat. Obiit utique 2. Septembris, quo memoria ejus à Græcis colitur. De eo legendus Theophylactus Simocata lib. 7. hist. cap. 6. Gregorius Papa lib. 5. epist. 64. Indict. XIV.

XL. Cyriacus.

Joannem Jejunatorem excepit *Cyriacus* Constantinopolitanæ ecclesiæ presbyter & œconomus, qui annos duodecim sedit, si Chronico Paschali credimus. Nicephorus & Theophanes undecim dumtaxat annos habent. In illo Chronico Cyriacus anno 594. Indict. XII. ordinatus fertur: & mortualis dies ipsius consignatur cum Indict. IX. anno IV. post Phocæ consulatum, ejusdem Phocæ anno 4. Christi 606. *Hoc anno*, inquit, *Cyriacus Patriarcha CP. mense Hyperberetæo, sive Octobri Romano, die XXIX. Sabbato obiit, cujus funus curatum fuit ejusdem mensis die XXX.* μηνὶ ὑπερβερεταίῳ, κατὰ Ῥωμαίους Ὀκτωβρίῳ κθ'. ἡμέρᾳ, ζ'. *ipsaque Dominica; ejusque corpus depositum pro more fuit in æde Apostolorum.* Quarto sui pontificatûs anno, Christi 598. Cyriacus ecclesiam Sanctæ Dei-paræ Virginis construxit in compito Diaconissæ, ut fert Theophanes.

XLI. Thomas I.

Patriarcha Cyriaco è vivis erepto, ait Theophanes, *Thomas diaconus & sacellarius ejusdem ecclesiæ, illius in locum sufficitur, Oct. XI.* μηνὶ Ὀκτωβρίῳ ια'. In quo discrepat à Chronico Paschali, cui Thomas non nisi mense Januario anni sequentis Cyriaco subrogatur. Ἰνδ. ί. ί. μετὰ ὑπατ. Φωκᾶ Αὐγούστου τὸ γ'. τούτῳ τῷ ἔτει,

μηνὶ Αὐδυναίῳ, κατὰ Ρωμαίους κγʹ. Ιανουαρίου, γέγονε πατριάρχης ἐν Κωνσταντινουπόλει Θωμᾶς ἀπὸ Διακόνων τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, καὶ σακελλάριος, καὶ ἐπάνω τῶν χειροτονιῶν. *Ind. X. Phoc. V. post consulatum Phocæ Aug. III. hoc anno, mense Audynæo, secundum Romanos XXIII. Januarii, creatus est patriarcha Constantinopolitanus Thomas magnæ ecclesiæ diaconus, & Patriarchæ sacellarius, quique ordinationibus præpositus erat.* Diutius ergo quam Theophanes scripsit, Constantinopolitana sedes post Cyriaci obitum vacaverit, propter eos motus qui, Mauritio Imp. à Phoca interemto, acciderunt. Sedit itaque Thomas à 22. Januarii anni 607. ad 20. Martii anni 610. quo mortem obiit, ex eodem Chronico. *Ind. VIII. Phoc. VIII. post consulatum Phocæ Augusti VI. Hoc anno, mense Dystro, qui Romanis Martius est, die XX.* κατὰ Ρωμαίους κʹ. ἡμέρᾳ ςʹ. *moritur Thomas Patriarcha Constantinopolitanus, & die XXII. ejusdem mensis sepelitur.* Nicephorus Callistus lib. 28. cap. 44. hunc extruxisse ait triclinium illud, quod ab ipso Thomaïtes est dictum.

XLII. Sergius, hæreticus.

Ex Chronico Paschali ad annum VIII. Phocæ Imp. *Ind. XIII. octavo die Artemisii, sive Aprilis, Sabbato magno, Constantinopolis patriarcha creatus est Sergius magnæ Ecclesiæ diaconus, Ptochodochiorum præfectus, custosque portus & regionis trans urbem.* Petavius in annotationibus ad S. Nicephori Annales quos Græce Latineque edidit, pro VIII. legendum monet XVIII. ιηʹ. Jam vero anno 610. Sabbatum sanctum incidit in 18. Aprilis. Ex Theophane, Sergius à Jacobitis Syris parentibus originem duxisse ferebatur. Quocirca Heraclium Imp. in Monotheleticum errorem Monophysitico proximum induxit. Quo anno patriarchatum iniit, eodem, Phoca Augusto necato, Heraclium Imperatorem inauguravit in magna Ecclesia. Quamquam, ut obiter dicam, apud Theophanem coronatus legitur in oratorio S. Stephani, quod in Palatio conditum erat. Multa à Sergio patrata constitutaque fert Chronicon iidem Paschale, quæ singula recensere non vacat, uti neque alia plura quæ Theophanes, aliique Byzantini scriptores recitant, ac præsertim Theophylactus Simocata, à quo Sergius immodicè laudatur. Heraclius anno Imperii 12. Christi 621. solennitate Paschali peracta, adversus Persas proficiscens, filium suum Constantinopoli reliquit, qui res administraret de Sergii patriarchæ & Bonosi patricii consilio. Idem Imperator anno 629. imperii sui 20. quum in Orientis partibus ageret, colloquium habuit cum Athanasio Jacobitarum Patriarcha,

A cui Antiochenam sedem pollicitus est, si vellet Chalcedonensem synodum amplecti. Quod ille se facturum spopondit, dummodò à duabus in Christo voluntatibus prædicandis cessaretur. Rem Heraclius retulit Sergio, qui inito cum Cyro Phasidis præsule consilio; Imperatori auctor fuit ut Ecthesim ederet de subticendis duabus in Christo operationibus & voluntatibus. Ecthesis porrò prodiit anno 638. post habitam Constantinopoli synodum. Honorium insuper Romanum decepit, ut fraudulentæ œconomiæ suæ assentiretur,
B quam ille Papa Romanus non una solum, sed duabus tribusve epistolis confirmavit. Lectæ illæ sunt in Sexta synodo generali. Heraclius dissidiorum, quæ per ecclesias Ecthesis causâ nata erant, invidiam subinde retulit in Sergium cujus nutibus morem gesserat. Atqui Sergius vivere desiit 29. episcopatûs annum agens, Ind. XII. sub finem anni 638. Quod doctissimus Petavius demonstrat in notis ad S. Nicephori historiam, in qua legitur: κατὰ δὲ τὴν δωδεκάτην Ινδικτιῶνα ἐτελεύτα Σέργιος ὁ τοῦ Βυζαντίου πρόεδρος. *Indictione XII. Ser-*
C *gius Byzantii præsul moritur.*

XLIII. Pyrrhus, hæreticus.

Mox Nicephorus subjungit: *Et quia Pirrhum Heraclius amabat, adeo ut fratrem appellaret, quod Imperatoris sororem è sacro fonte susceperat, simul quod eumdem Sergii familiarem fuisse, & cum eo educatum esse cognoverat, in illius locum substituit.* In Chronico verò, seu Patriarcharum indice, hæc habet: Πύῤῥος πρεσβύτερος τῆς αὐτῆς, μοναχὸς καὶ ἄρχων τῶν μοναστηρίων, καὶ ἡγούμενος Χρυσοπόλεως. *Pyrrhus*
D *ejusdem ecclesiæ presbyter, monachus & præfectus monasteriorum, præpositus Chrysepolis.* Hic Heraclii Ecthesim confirmavit anno 639. coactâ Constantinopoli synodo, cujus meminit auctor libri de Synodis. Quin & hanc Pyrrhus ipse postea jactitabat in dialogo cum S. Maximo, à quo responsum hoc retulit: *Me mirari subit, quomodo Synodum vocas, quæ habita eo modo non est, quo leges, & canones & jura ecclesiastica jubent. Non enim epistola encyclia ex consensu patriarcharum edita est, neque locus, neque dies conveniendi designatus.*
E Heraclius morti proximus Constantinum & Heracleonam filios Imperii hæredes constituerat, Nicephoro teste in historiâ. Atqui Constantinum de religione rectè sentisse asserit Zonaras, atque hanc ob rem Pyrrhum Patriarcham conscium fuisse insidiarum, quæ in eum paratæ sunt. Scilicet Theophanes narrat, Constantinum menses quatuor post Heraclium parentem Imperium tenuisse, Martinæ verò novercæ quæ Heracleonæ genitrix erat, & Pyrrhi Patriarchæ opera, veneno

periiſſe; ὑπὸ Μαρτίνης τῆς αὐτοῦ μητρυιᾶς, καὶ Πύῤῥου πατριάρχου, ut emendatè legitur apud Symeonem Logothetam. Id quod jam diſertè Theophanes perinde priùs dixerat. Πύῤῥος σὺν τῇ Μαρτίνῃ τοῦτον ἀνεῖλεν, καὶ βασιλεὺς Ἡρακλεώνας ὁ τῆς Μαρτίνης υἱός. Ob hunc rumorem tumultuante plebe, Pyrrhus nocte magnam Eccleſiam ingreſſus, humerale è collo detractum in ſacra menſa depoſuit, adjectis hiſce verbis: *Non me ſacrificio abdico, ſed contumaci populo cedo*, Hæc S. Nicephorus in Chronico, additque eum hac prima vice ſediſſe ἔτη β′. μῆνας ε′, ἡμέρας θ′. *annos duos, menſes quinque, dies novem:* in Chronico vero ait eum ſediſſe *annos duos, menſes novem, dies quinque.* Anno ergo 641. ejectus fuit.

XLIV. Paulus II. hæreticus.

Amoto Pyrrho, *Paulus preſbyter & œconomus ordinatus fuit menſe Octobris, Indict. XV.* Seditque annos duodecim, ait Theophanes. Cui Nicephorus concinit in hiſtoria, quod menſem & Indictionem attinet: ſed pontificatûs annos tacuit: in Chronico verò duo anni & dies 26. habentur; quod amanuenſi tribuendum; quando Zonaras quoque duodecim annos numerat; de quo mox dicendum erit. Ordinatus itaque Paulus fuit anno 641. atque ſynodicam ſcripſit ad Theodorum Papam, ejus ambiens communionem; cui gratulabundus Pontifex reſpondit. Quia verò illius deceſſor Pyrrhus nullo ſynodi decreto depoſitus ferebatur, & chartam, ſive Ecthesim, Paulus è locis publicis hactenus non abſtulerat, nec antiquarat, eum communionis non continuò participem fecit; eo maxime quod epiſcopi à quibus ipſe Paulus ordinatus erat, Pyrrhum in ſynodica ſua *Sanctiſſimum* appellabant, nec niſi ob vulgi turbas & odium Conſtantinopolitanam ſedem abdicaſſe ſignificabant. *Nam turbatio & odium populi*, inquit, *epiſcopatus gradum neſcit auferre. Canonica enim vindicta ſuper ea debuerat prævenire, quo fraternitatis tuæ conſecratio irreprehenſibilis & firma conſiſtat. Vivente prædicto Pyrrho, & nondum natura vel culpa exſtincto, ne ſchiſma fieret, oportebat præcaveri.* Eadem Theodorus epiſtolâ ad epiſcopos pronuntiavit. Paulus anno 646. Theodoro reſcripſit, ſe Sergium & Honorium ſequi in una Domini voluntate & operatione adſtruenda. Sed & anno 648. Indict. VI. Conſtantis Imp. nomine pro Ectheſi quam è locis publicis abſtulit, Typum ſeu Fidei formulam aliam promulgavit, qua de una vel duabus voluntatibus diſputare vetabatur. Ex vita Theodori Papæ comperimus, Paulum à Theodoro tamdem *ſententia depoſitionis ultimè percuſſum*, quod per apocriſiarios ſuos Papa non obtinuerat, ut

A proprium commentum emendaret, & ad orthodoxam catholicæ Eccleſiæ Fidem remearet. Quæ ſententia confirmata fuit in ſynodo Lateranenſi ſub Martino Papa anno 649. Eorum quæ in ſanctum pontificem iſtum & martyrem patrata ſunt, Paulum fuiſſe participem, ambigere non licet. Cæterùm, dum Conſtantinopoli in Martinum ſæviebatur, Conſtans Imp. Paulum inviſit qui morti proximus erat: ea narravit quæ in ſanctiſſimum virum conſtituerat. Ingemiſcens Paulus, vultu ad parietem converſo, dixit: Hei mihi! & hoc ad abun-
B dantiam judiciorum omnium actum eſt. Tunc adjuravit Imperatorem, ſufficere illa quæ Papa paſſus erat, ut nihil amplius ſuſtineret. Quæ dicta ſunt decima nona menſis Decembris, qua S. Martinus in carcerem Diomedis tranſlatus fuit, ac Paulus octavo poſt die fatis conceſſit, velut legitur in narratione exſilii S. Martini Papæ & martyris: adeoque vigeſima ſexta ejuſdem menſis anno 654. interiit. Quo fit, ut duodecim & amplius annos ſederit, ac non duodecim dumtaxat, quot habent Byzantinorum hiſtoricorum ſcriptores.

XLV. Pyrrhus, iterum.

Apud S. Nicephorum in Hiſtoria, Pyrrhus, ubi Patriarchatum depoſuit, Chalcedonem navigio petiit, πρὸς τὴν Χαλκηδόνος ἀπῆλθε. Verùm pro Χαλκηδόνος emendo prorſus Καρχηδόνος *Charchedonem*, ſeu *Carthaginem;* quando conſtat illum in Africam continuò ſe contuliſſe, ubi cum ipſo S. Maximus dialogum habuit. Id quod & Nicephorus ipſe dicere pergit: *De cujus adventu*, inquit, *ſimul ac monachi qui illic erant, acceperunt, de his*
D *quæ ſub Heraclio Imp. & Sergio Patriarcha vulgata erant, duplici ſcilicet Domini voluntate & actione, percontati ſunt, quorum patroni & defenſores erant Maximus & Theodoſius, qui in Africa agebant.* Pyrrhus Romam inde profectus, errorem ejuravit, ideoque à Paulo anathemati ſuppoſitus fuit. Mox Ravennam veniens, ad vomitum rediit, & Conſtantinopolim reverſus, ejuſdem Urbis thronum recepit, tenuitque per menſes quatuor & dies viginti tres. In fine libri qui inſcribitur, *Exſilium S. Martini Papæ*, hæc feruntur: *De Pyrrho ſciendum eſt quo-*
E *niam, poſtquam certi facti ſunt à ter beato Apoſtolico, & Platone, quod ſponte fecerit libellum ſuum, locaverunt eum in throno iſto: quamquam Deus ſtatim juſto judicio delevit eum de terra viventium.* Ubi fateor me non capere, qui factum ſit, ut ab Imperatore & Byzantinis Pyrrhus reſtitutus eſſet, ex quo compertum fuit eum Romæ ſponte dediſſe libellum rectæ Fidei quam ad internecionem uſque inſectabantur: niſi forſan noluit Imperator Romanæ Fidei hoſtis haberi; at non ob alia crimina ſanctum

Martinum exagitando ceſſare. Quidquid id A eſt, Pyrrhus obierit oportet anno 655. menſe Maio vel Junio.

XLVI. Petrus hæreticus.

Pyrrho ſucceſſit Petrus, eodem utique 655. ex Eccleſiæ magnæ preſbytero, velut Nicephori Chronico fertur: in quo non niſi duo epiſcopatus anni & menſes ſeptem ei tribuuntur, quum ex Tabulis Theophanis & Zonara duodecim annos ſederit. S. Taraſius act. II. Septimæ ſynodi annos quindecim elapſos dixit à morte Petri ad Sextam ſynodum B uſque, ex quo apparet, Petrum interiiſſe anno 666. Utinam verò Taraſius accuratior fuiſſet temporum indagator, qui in aſſignando anno Quiniſextæ ſynodi, quamlibet Sexta longe recentioris, à veritate admodum aberravit. In colloquio S. Maximi cum principibus habito in ſecretario, diſcimus Petrum, qui vellet catholicus videri, nec ab hæreticis diſcrepare, tres in Domino voluntates finxiſſe, hypoſtaticam unam & duas naturales: in quam mentem Romani Papæ nuntios traxit. Hic conſcius cenſendus eſt eorum, quæ in ſanctum C confeſſorem Maximum, ejuſque ſocium Anaſtaſium impiè admiſſa ſunt.

XLVII. Thomas.

XLVIII. Joannes V.

XLIX. Constantinus I.

Petrum excepit *Thomas* Conſtantinopolitanæ eccleſiæ diaconus & chartophylax, quem S. Nicephorus in Chronico duos annos & menſes ſeptem ſediſſe prodit, tres vero annos Tabulæ Theophanis & Zonaras, at D certè non integros; ut fato functus ſit anno 668. vel 669.

Thomæ ſucceſſor fuit *Joannes* V. magnæ Eccleſiæ preſbyter & chartophylax annis tribus & menſibus novem, S. Nicephoro teſte. Tabulæ Theophanis annos ſex numerant; quod magis arridet, ut quindecim anni à morte Petri ad Sextam ſynodum uſque pro Taraſii ſupputatione reperiantur.

Joannem ſequutus eſt *Conſtantinus* ejuſdem eccleſiæ diaconus & ſcevophylax, ſeu ſacræ ſupellectilis cuſtos, annos duos & tres E menſes, ſecundum Nicephori chronicon.

Atqui Taraſius in ſua ad Septimam ſynodum alloquutione act. II. de Monotheletarum hæreſi ſermonem habens, à Petro Patriarcha ad Sextam ſynodum non plures annos tranſiiſſe, quam quindecim dixit, adjecitque, eo intermedio tempore quinque pontifices fuiſſe, qui à prædictis licet hæreticis ordinati, non propterea reprobati fuere. Verum Conſtantini Imperatoris & Theodori patriarchæ teſtimonio mox conſtabit, horum patriarcharum literas ſynodicas Romæ admiſſas non eſſe, maximè à Vitaliano Papa ac deinceps, ut pote quæ rectam Fidem non efferrent.

L. Theodorus I.

Poſt Conſtantinum *Theodorus* preſbyter Conſtantinopolitanæ eccleſiæ, ſyncellus & vaſorum cuſtos, ſedit annos duos, Nicephoro teſte, necnon Tabulis Theophanis. Atqui patriarchatu fungebatur anno 678. quo Conſtantinus Pogonatus Imperator pridie Id. Auguſti Dono Papæ epiſtolam dedit, in qua Theodori Patriarchæ ſui meminit, quem ſtatim atque eſt ordinatus, caviſſe ait, ne ſynodicam de more ad ipſum mitteret; ne ea forſan non reciperetur, velut prædeceſſoribus ſuis patriarchis acciderat; eum tamen Dono Papæ adhortatoriam ſcripſiſſe. Pergit Imperator, ſe quæſiviſſe ab eodem patriarcha & Macario Theopolitanæ civitatis, ſeu Antiochenæ, itidem patriarcha, quæ cauſa eſſet diſſidiorum inter Romanum pontificem & ipſos: ambos reſpondiſſe, quaſdam vocum novitates intromiſſas eſſe, & inter utramque ſedem conveniſſe, ut de veritate inquireretur. Quocirca Pontificem rogat, ut viros frugi & modeſtos mittat, qui Apoſtolicæ ſedis, ejuſque Concilii perſonam gerant, & cum Theodoro & Macario patriarchis cum omni manſuetudine veritatis inquiſitio fiat; cæterum Theodorum & Macarium inſtanter abs ſe poſtulaſſe, ut Vitaliani Papæ nomen e ſacris tabulis ejiceretur, ſervatoque Honorii nomine ob reverentiam Apoſtolicæ ſedis, reliquis deinceps omiſſis; ſe tamen eorum inſtantiis non acquieviſſe. Depoſitus quidem Theodorus fuit: an propter hæreſim, cum Baronio adfirmare non auſim; quando nullo id monumento apertè conſtat. Hoc doctiſſimus Cardinalis cogitavit, ut quam perinde finxerat actorum Sextæ ſynodi corruptelam, in Theodorum refunderet. Taraſius profectò Theodorum inter orthodoxos præſules habuit.

LI. Georgius.

Anno 678. labente *Georgius* preſbyter, ſyncellus, & vaſorum cuſtos pro Theodoro Conſtantinopolitanæ ſedi impoſitus fuit; quam, S. Nicephoro teſte in Chronico, annos tres, totidemque menſes tenuit: ſex annos ferunt Theophanis Tabulæ in editione doctiſſimi Goari. Nicephorus item Calliſtus annos ſex, totidemque menſes numerat. Theophanes ad annum 17. Conſtantini Pogonati, Sextam ſynodum *tertio Pontificatus ejus anno* celebratam perhibet, Γεωργίου ἔτος ἄρχοντος πατριαρχείας γ'. hoc eſt anno Chriſti 680. In ea itaque ſedit, ſubſcripſitque, *Georgius archiepiſcopus*

Conſtantinopolis; vir adprime catholicus, nec niſi poſt annum alterum ab abſoluta ſynodo vivere deſiit, ſi calculos Nicephori tenemus. Ex quo Pagius adverſus Baronium contendit & evincit, non potuiſſe acta Sextæ ſynodi à Theodoro, qui poſt Georgii obitum reſtitutus fuit, in illis locis depravari, in quibus damnatus fertur Honorius, quando jam in Occidente accepta approbataque a Leone Papa ſecundo fuerant, lataque ab ipſa in Honorium ſententia: quanto magis ſi Georgius ſex annos epiſcopatu functus eſt.

LII. Theodorus iterum.

Georgio itaque defuncto, Byzantinæ iterum compos ſedis fuit *Theodorus*, annum unum ac menſes tres, vel decem, pro alia atque alia Nicephoriani Chronici editione: at ſecundum Theophanis Tabulas annos tres, Θεοδώρου ἔτη γ΄. quibus Tabulis, credendum Pagius cenſet, ut Georgius obierit anno 683. non completis ſex epiſcopatus annis, ac Theodorus circa annum 686.

LIII. Paulus III.

Theodorum ſequitur *Paulus ex laïco à ſecretis, annos ſex, menſes octo*, ex Nicephoro: ille ſcilicet *Paulus à ſecretis*, quìcum Agatho in ſua peroratione de ſexta ſynodo quæ tom. II. Auctarii Bibliothecæ PP. Græc. edita eſt, teſtatur à ſe diligenter excepta eſſe, quæ Patres in ſacro illo conventu dixerunt, quum ambo Concilii ſcribæ ac Notarii eſſent. Obiit anno 692. quo celebratam ſynodum Quiniſextam diligentes critici cenſent; ejuſque canonibus ſubſcriptus legitur, Παῦλος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως ὁρίσας ὑπέγραψα. *Paulus indignus epiſcopus Conſtantinopolis definiens ſubſcripſi.* Theophanes, ubi diſputat de anno quo ſynodus hæc habita eſt, ſingulorum patriarcharum annos recenſens, ſeptem aſſignat Paulo, incompletos utique.

LIV. Callinicus I.

Poſt Paulum ſedit *Callinicus presbyter & cuſtos vaſorum eccleſiæ Blachernarum, annos 12.* ex Nicephoro & Theophane. Anno itaque 692. onus ſubiit, uſque ad 705. quo à Juſtiniano Imp. II. deſtitus fuit, Romamque oculis effoſſis relegatus, quia Leontio Tyranno faverat, à quo Juſtinianus naſo ſectus, in exſilium deportatus fuerat. Callinici autem erga Juſtinianum ſimultatis hæc cauſa fuit. Juſſit Imperator, ut Patriarcha precationes ſacras conderet, ad eccleſiam Dei genitricis, cui Metropolitæ nomen, quæque prope Palatium exſiſtebat, deſtruendam. Reſpondit epiſcopus, preces ad templum exſtruendum inſtitutas eſſe, nullas ad ſubruendum. Imperatore vero ardentius urgente, ſic ille precatus eſt: *Gloria Deo, qui etiam hæc patitur, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum:* quibus dictis, eccleſiam ſubverterunt. Anno inſequenti Juſtinianus Stephano patricio exercitûs Duci præcepit ut noctu in Urbis plebem graſſarentur, incipientes à Patriarcha. Leontius verò patricius alter, Orientalium olim Dux copiarum, plebem ad S. Sophiam convenire monet, ac patriarcham adit, ob ea quæ Stephano patricio mandata erant, non modicè turbatum, quem hortatur, ut ad baptiſterium deſcendens alta voce clamet, *Hæc dies quam fecit Dominus.* Tum populus in Juſtinianum converſus, comprehenſum naſo obtruncat, & in Cherſonam deportat, Leontium Imperatorem ſalutat. Hæc Theophanes, ſanctuſque Nicephorus in Hiſtoria, ubi & à Callinico in Principem nonnulla intemperantiùs & probroſiùs jactata ait. Cæterùm Græci in Menologiis *Callinici* memoriam recolunt die 23. Aug. cujus vitam Lambecius in Cæſareo codice exſtare ait lib. VIII. Bibl. pag. 210. ex cujus titulo apparet, eum in aliquo muro incluſum, miſeriis confectum interiiſſe.

LV. Cyrus.

Juſtinianus, Callinico ad ordinem redacto, ejus in locum *Cyrum* presbyterum & monachum conſtituit, qui Amaſtri in Paphlagonia ſolitariam vitam incluſus coluerat, ipſique Imperii reſtitutionem prænuntiaverat. Hic annos ſex ſedit, ex Nicephoro: Theophanes eum ſexto patriarchatus anno à Philippico ejectum narrat pag. 302. καὶ ἐξωσθέντος Κύρου τοῦ ς΄. ἔτει τῆς πατριαρχείας αὐτοῦ. Anno itaque 712. Philippicus ſummam rerum adeptus, Patriarchatum Cyro abrogavit, & monaſterio Choræ, ex quo aſſumtus erat, præpoſuit. Hunc quoque Græci inter Sanctos habent die VIII. Januarii, & in Menæis narrant Monotheletarum hæreſim ſtrenuè ab eo expugnatam, vindicataſque Quintam Sextamque ſynodos generales; quum nempe Philippicus Sextam proſcribere conaretur. Cui facinori viam ille ſtruxit ſibi, *Joanne* pro *Cyro* in patriarchale ſolium intruſo.

LVI. Joannes VI.

Cyro itaque ſuffectus *Joannes* fuit ex diacono & chartulario; de quo Theophanes ad annum I. Philippici Bardanis: Porrò Philippicus, inquit, adverſus ſanctam & univerſalem ſynodum Sextam invehi non erubuit, ſacra quæ illa ſanxerat dogmata ſtudens evertere. Qui in hanc ſuam ſententiam irent, Joannem C P. epiſcopum, quem, Cyro ejus deceſſore amoto, & in monaſterio Choræ truſo, creaverat, Germanum Cyzici, Andream Cretæ

& alios

& alios offendit, qui anathema in sanctam synodum Sextam intorserunt. Tot illi itaque magni nominis viri impiis tyranni hujus moliminibus morem tunc gesserunt, quibus non sat virium ad ei resistendum esse videretur. Verum Philippico detruso & excæcato, ejusque in locum inaugurato Artemio seu Anastasio, emendare curavit Johannes quod male gesserat, rescriptâ ad Constantinum Papam epistolâ, quam Combefisius publici juris fecit tom. II. Auctarii Bibl. PP. Græc. In ea factum excusat, conceptum de facinore dolorem effert, veniam obnixe postulans, atque Apostolicæ sedis communionem. Epistolæ Joannis Combefisius præmisit Agathonis diaconi, Sextæ quondam synodi scribæ & notarii, Perorationem de his quæ urgente Philippico in hoc sanctum Concilium patrata erant, in qua insuper libelli pœnitentiæ Joannis ad Constantinum Papam meminit. Ejusdem epistolæ seu libelli Joannis mentio fit ab Anastasio in vita Constantini, quem ad eum rescripsisse ait. Scripta Joannis epistola est anno 713. post Pentecosten. Scripsisse quoque fertur ad Gregorium Papam II. qui mense Maio anni 715. Pontificatum iniit. Sedit itaque Joannes ad medium saltem usque ejusdem anni, quo Theodosius VIII. imperabat. Quæ cum ita sint, perperam putavit Baronius Joannem hunc nostrum ob Monothelismum fuisse ab Artemio Imp. exauctoratum; quum nempè apud Theophanem hæc legisset ad annum 6. & ultimum Justiniani restituti: *Cyro patriarcha ejecto, Philippicus Bardanes Joannem quemdam ejus in locum promovit, improbitatis suæ & hæresis consortem.* Hæc Theophanes scribebat, quum Joannis ad Constantinum & Gregorium Romanos Pontifices epistolas ignoraret. Agatho diaconus in Peroratione sua Philartemium, seu Artemium, qui mutato nomine Anastasius est dictus, à Joanne Patriarchâ Imperii coronâ redimitum dixit. Theophanes in Tabulis & in Annalibus, necnon Nicephorus, tres pontificatus annos Joanni assignant.

LVII. GERMANUS I.

Joannis successor proximus fuit *Germanus* ex episcopo Cyzici, qui annos quindecim sedit, ut ferunt Nicephorus & alii. Ejus promotionem refert Theophanes ad annum 2. Anastasii, qui Christi 715. fuit. *Eodem,* inquit, *secundo Imperii Artemii, qui & Anastasius, anno, Indict. XIII. mensis Augusti die 11. è Cyzicena metropoli Constantinopolim Germanus translatus est.* Decretum translationis istius hoc modo promulgatum fuit. Suffragio » atque consensu religiosorum, presbyterorum, » diaconorum, & sancti totius cleri, sacrique A Senatûs, & hujusce à Deo custoditæ Imperatricis civitatis universi populi Christum amantis, divina gratiâ quæ infirma semper curat, & quæ desunt supplet, Germanum sanctissimum metropolitam & præsulem Cyzicenæ metropolis in episcopum hujusce à Deo servatæ Urbis, & urbium reginæ. *Facta est hæc translatio coram Michaële sanctissimo presbytero & apocrisiario apostolicæ sedis, cæterisque sacerdotibus & episcopis præsentibus, Artemio imperante.* Jam scilicet Monothelesmi labem Germanus eluerat, quam sub Philippico contraxerat. B Quin patriarchatum adeptus, ut in libro *De synodis* traditur, *divina & sancta centum pontificum coacta synodo, Sergium, Cyrum, Pyrrhum, Petrum, Paulum & Joannem,* καὶ Ἰωάννην *anathemate percussit, & Christi Jesu veri Dei nostri duas voluntates & operationes declaravit.* Obiter dicendum: quando Germanus Philippico hoc annuerat, ut Sexta synodus proscriberetur, quæ à Constantino Pogonato Imp. celebrata erat, hanc noxam ideo admisit, quod genitor suus Justinianus Patricius à Constantino occisus erat; sed & ipse qui sese C ferociorem præberet, virilibus exsectis castigatus fuerat, ut fert Theophanes ad annum 27. & postremum Constantis Imp. Quando autem eo libri *De synodis* loco, quem mox recitavi, insignioribus Monotheletis Joannes in illa Germani synodo proscriptus dicatur, vereor, ut non Germani decessor significetur, aut sincera ejus pœnitentia non fuerit. Theophanes ad annum Leonis Isauri 13. Germanum ab Imperatore accersitum refert, ut edictum de sacris imaginibus abolendis approbaret; hic vero satius duxit pontificatu cedere. D *Die septima mensis Januarii,* ait Theophanes, *Indict. VIII. feria hebdomadis III. impius Leo Silentium contra sanctas ac venerandas imagines in novemdecim accubitorum Tribunali habuit, Germano sanctissimo patriarcha vocato, cui persuadendum arbitrabatur, ut suo de tollendis imaginibus sacris decreto tandem subscriberet. At fortis Christi famulus abominando Leonis consilio non cedens, imo verbum veritatis recto sensu confirmans, episcopatum abdicavit.* Quocirca pontificali Pallio sponte deposito, post satis longum sinceræ doctrinæ E sermonem, dixit: *Si ego Jonas sum, mittite me in mare: absque universalis Concilii auctoritate, Imperator, contra Fidem nihil quidquam innovare valeo.* Joannes Damascenus oratione 1. & 2. de imaginibus, & Stephanus ille qui vitam S. Stephani junioris scripsit, plagas Germano illatas, eumque patriarchali domo ejectum tradunt. Subdit Theophanes, eum sese recepisse in paternas ædes, & in loco qui Platamias dicitur, reliquum vitæ tempus in silentio transegisse. *Sedit verò annos quatuor-*

decim, menses quinque dies septem. ἀρχιερεύσας. ἔτη ιδ'. καὶ μῆνας ι'. καὶ ἡμέρας ζ'. Sic lego ex Simeone Metaphraste, etsi edita dies dumtaxat tres habent. Ex epistola Gregorii Papæ II. ad Leonem Isaurum Imp. Germanus tunc annum agebat nonagesimum quintum: cujus memoria colitur à Græcis die XII. Maii.

LVIII. ANASTASIUS I. hæreticus.

Theophanes, narratâ abdicatione Germani, dicere pergit de *Anastasio* qui ei à Leone subrogatus fuit. *Die autem ejusdem mensis Januarii vigesima-septima*, κζ' (Sic apud Simeonem Logothetam lego, non septimâ solum ut in editis) *Anastasium falso nomine dictum hominem, ipsius B. Germani discipulum & syncellum, ejus in locum suffecerunt; qui videlicet sæcularis dominationis ambitione motus, Leonis impietati adstipulando, spurius Constantinopolis episcopus factus est.* Stephanus in vita Stephani Junioris hunc à militibus sacro solio impositum perhibet, non suffragio divinæ pietatis, & cuncta quæ ad ecclesiam pertinerent, in Imperatorias ædes contulisse: ejus nutu deletam imaginem Christi Salvatoris, quæ Imperatoriis atriis imposita erat; at mulieres Spatharium qui hanc amovebat, excussa scala, in terram dejectum, distentumque morti tradidisse, quæ mox ad palatium properantes, impium Anastasium lapidibus & convitiis petierunt. Is vero ad Imperatorem confugiens, auctor ei fuit, ut feminæ illæ, quarum dux erat Theodosia sanctimonialis, neci addicerentur. Quibus Gregorius Papa III. auditis, Anastasium, ejusque libellos proscripsit, inquit Theophanes. Nihilominus nequissimus patriarcha perseveravit ad annum usque 753. *quo anima & corpore periit*, ait Theophanes, *infelicissimo morbo, quem Chordapsum appellant, stercus ore egerens.* Anno 749. ille Constantinum Copronymum Leonis filium Imperatorem coronaverat.

LIX. CONSTANTINUS II. hæreticus.

Anastasio defuncto, Constantinopolitana sede vacante, Copronymus Imperator synodum coëgit episcoporum trecentorum triginta & octo adversus sanctas imagines, cujus duces fuerunt Theodosius Ephesi episcopus Apsimari quondam Imperatoris filius, & Pastillas Perges antistes; qui conventus duravit à Februarii XII. ad octavam usque diem Augusti Indictionis VII. ἰνδικτιῶνος ζ'. qua Copronymus *Constantinum* monachum, qui Syllæi episcopus fuerat, manu tenens, conscenso ambone, *Oecumenicum Patriarcham* renuntiavit. Quæ Theophanes narrat ad annum Copronymi XIII. Atque tam ex Antirrheticis S. Nicephori CP. quàm ex ea lucubratione adversus Constantinum Caballinum sive Copronymum, quæ Joanni Damasceno attributa est, constat bellam hanc synodum acephalam fuisse, nemine præsente qui ullius è Patriarchis vices præstaret, Regiæ quoque civitatis sede vacua, ait Nicephorus, ἐπεὶ καὶ ὁ τῆς βασιλευούσης θρόνος ἀρχιερέως ἔρημος τὸ τηνικαῦτα ἐτύγχανεν. Cæterum hoc unum memoratu dignum Constantinus hic patriarcha egisse fertur, quod Imperatori impiissimo restiterit, inficianti beatam Virginem Mariam Dei genitricem dicendam esse. Posthac ab eodem Principe ambonem conscendere, & vivifica Crucis ligna manibus complectens jurare jussus est, se ex illis numquam fuisse qui imagines venerarentur; tum deinde monachi habitu indutum, coronâ nuptiali ornatum, carnes edere, & è regia mensâ citharædorum vocibus aures præbere: Demum die Augusti 30. Indict. IV. τῇ λ'. τοῦ Αὐγούστου μηνὸς, τῆς αὐτῆς ἰνδικτιῶνος ann. 766. monachos, clericos & laïcos nefarius Princeps induxit, qui sanctè affirmarent audivisse se Patriarcham cum Podomagulo loquentem adversus Imperatorem. Quæ etsi Patriarcha præfractè negabat, nihilo seciùs vero in Hierum, deindeque in Principum insulam deportatus, sedit Constantinus annos duodecim & dies viginti duos. Nicephorus in Chronico duodecim illi annos attribuit, mensibus omissis. Κωνσταντῖνος μοναχὸς καὶ ἐπίσκοπος τοῦ Συλλαίου, ὃ ἀπεκεφαλίσθη, ἔτη ιβ'. *Constantinus monachus & episcopus Syllæi, capite minutus, annos 12.* Verum non nisi anno insequenti die VI. Octobris Indictione VI. Constantinus post multa ludibria quæ sustulit, capite plexus fuit.

LX. NICETAS I. hæreticus.

Theophanes *Nicetam* Constantino subrogatum ait Imperatoris decreto, ceu, ut videtur, neglecta fuerint cleri populique Byzantini consueta vota. *Mensis Decembris die decimo ejusdem Indictionis*, inquit, *Nicetas à Sclavis originem ducens, eunuchus, contra regulas Constantinopolis patriarcha Imperatoris suffragio ordinatus.* ψήφῳ τοῦ βασιλέως χειροτονεῖται Νικήτας ἀπὸ τῶν Σκλάβων, εὐνοῦχος, ἄθεσμος πατριάρχης. Hunc S. Nicephorus in Chronico presbyterum fuisse templi SS. Apostolorum ait, & orphanorum curatorem, sedisseque annos tredecim, ἔτη ιγ'. Theophanes in Tabulis & ad annum 16. Justiniani Rhinotmeti, quatuordecim annos numerat, καὶ Νικήτας ἔτη ιδ'. sed non completos. Nam patriarchatum tenuit ad annum usque Leonis filii Constantini quintum, Indict. III. seu ad Christi annum 780. quo fato functus est sexta Februarii, secundum Theophanis chronographiam. *Mense Februario*, inquit,

teste, successor ejus Antonius Sylæi sedebat anno 821. quo Theophilus imperator est inauguratus.

LXV. Antonius I. hæreticus.

Anno 821. quo Michaël II. Imp. cognomento Balbus Theophilum filium suum Imperatorem renuntiavit, Constantinopolitanus patriarcha sedebat *Antonius* ille Sylæi quondam episcopus, quem S. Nicephorus in sua synodo proscripserat, quique sub Leone Armeno Iconoclastarum hæresim instauraverat. Quod Simeon Logotheta testatur in Annalibus. Huic apud Theophanem pag. 302. anni sexdecim tribuuntur, καὶ Ἀντώνιον ιϛ'. alii melius *duodecim* incompleti scilicet, numerant; quippe Joannes ei successit anno 832. die 21. Aprilis.

LXVI. Joannes VII. hæreticus.

Theophilus Imp. Antonio suffecit *Joannem* Syncellum, quem *Jannem* & *Jambrem* vocitarunt, ob magicas artes quarum peritus ferebatur, quum per pelves divinationes efferret, ut Leo Grammaticus, aliique Byzantini produnt. Unde apud Theophanem p. 302. *Lecanomantes* cognominatur, καὶ Ἰωάννην τὸν λεκανομάντην. Patria Constantinopolitanus erat, stirpe nobili natus, quam *Morocharzaniorum* vocabant, & in monasterio SS. Martyrum Sergii & Bacchi ad Hormisdæ ædes monachus factus, ejus subinde præpositus evaserat; quin & Palatino adscriptus clero fuerat, Michaëli Balbo Imp. carissimus, ait Constantini Porphyrogenneti Continuator. A Leone Grammatico illo loci anni sex illi assignantur, ac mensis unus, ἔτη ϛ'. καὶ μῆνα α'. Concinit & Zonaras. Verum Nicephorus Callistus annos octo & menses tres habet. S. Nicephori chronicon annos novem ἔτη θ'. cœteris melius. Nam anno 832. die 21. Aprilis, ipsa Dominica ordinatus fuit, ex Constantini Porphyrogenneti Continuatore, n. 26. & perseveravit ad obitum usque Theophili; subindeque, quia hæresim obstinatiùs tenebat, Constantinopolitana sede expulsus est à Theodora Augusta. *Hæc,* inquit Leo Grammaticus, *tum proprii animi motu, tum suggestione & consiliis Theoctisti præfecti Canicleo & Logothetæ, ecclesia & urbe Joannem Patriarcham proprium compatrem extrusit, & in Clidii monasterium in Steno relegavit.* Id nulla vi adhibita factum testatur auctor vitæ S. Theodoræ Augustæ. Destitutionem ejus descripsit Constanni Porphyrogenneti Continuator pag. 194. Pauca hic exscribenda quæ de eo habet Simeon Logotheta, in Michaële & Theodora. » Hic, quem diximus, Joannes patriarcha, pro sua impietate communi piorum suffragio *Jannes* appellatus, non advena quisquam ac A peregrinus fuit, sed indigena, ac prænobili *Maurocardienorum* (aliàs Morcharzemiorum Μορχαρζημίων) quam vocant, ortus prosapia, monasterii SS. Sergii & Bacchi, quod est ad Hormisdæ ædes olim præfectus, & inter Palatinos clericos cooptatus. A Michaële Balbo tenerè amabatur, sive hoc uno quod fovendæ hæresi illi socius erat, sive etiam pro ea eruditionis laude qua nonnulla pollere videretur. Quovis certè titulo diligeretur, hoc prorsus Theophili præceptor instituitur; ac Theophilus mox Imperii habenas adeptus, B Syncelli illum honore donat, tum etiam Constantinopolis patriarcham constituit; quum is ipsi divinatione ex pelvi ac præstigiis quædam futurorum vaticinia edidisset, Janni post ejectionem effossi oculi sunt, quum in monasterio in quo exsulabat, divinæ cujusdam imaginis quæ intentis ipsum oculis intueri videbatur, oculos erasisset. Huic episcopatus anni 9. fuere. « Vix dubitavero quin ipse sit putidissimus ille vates, qui cum Antonio Sylæi à synodo S. Nicephori damnatus fuerat, Joannesque ille Halilas, ejusdem Antonii in instauranda C hæresi socius, vir, ut fert incertus ille auctor chronographiæ Theophanis adjectus, incompositis moribus, amentiaque percitus, quem *Grammaticum* cognominarunt.

LXVII. Methodius I.

Dejecto Janne impio, Constantinopolitano throno, Theodora Augusta agente, impositus est *Methodius* anno 842. die 12. Febr. ipsaque Dominica, ut fert anonymus Continuator Constantini Porphyrogenneti. Syracusis in Sicilia oriundus erat, unde Con-D stantinopolim profectus, monasticam vitam in Chonolaci monasterio professus est, quo tempore S. Nicephorus sua sede privatus fuit. Romam quum perrexisset, à Paschali Papa ad Michaëlem Balbum Imp. delegatus est, ut eo ad rectam Fidem revocato, Nicephorum sedi suæ restitui impetraret. Verum à nefando Principe male exceptus, sepulcro inclusus est, in quo novem annos egit. Eductus inde sub Theophilo Michaëlis filio, quia hæresim perinde atque antea expugnabat, plagis affectus & carceri traditus fuit, ex quo intempesta E nocte quadam à viris religiosis ereptus, & ab Imperatore ad colloquium accersitus, ferociorem ejus animum tantisper delinivit. Patriarcha factus, coacta synodo, & celebri omnium ordinum conventu, suus imaginibus sacris honos restauratus fuit. Quod patratum est Dominica, quam nos *Quinquagesimam* appellamus, ipsa vero prima Quadragesimæ Græcorum, à quibus deinceps solennitas Orthodoxiæ dicta est. Qua de re legenda narratio tom. II. Auct. Bibl. PP. Græc. col. 716.

Jannes ille impurus patriarcha dejectus, ſtupri calumniam in Methodium ſtruxit, corruptam ſcilicet ab eo mulierem unici filii matrem, Metrophanis nempe illius qui non multo poſt Smyrnenſis epiſcopus fuit: quod crimen facile ſanctus diluit, mulierque accuſatrix culpam ultrò confeſſa eſt. Petiit Patriarcha ut accuſatores ſui à Dei genitricis Blachornarum, ad S. Sophiæ eccleſiam quotannis cum facibus accenſis irent, anathema in ſeipſos pronuntiandum audituri. Sanctorum Nicephori & Theodori Studitæ reliquias Conſtantinopolim transferri curavit. Obiit Methodius die 14. Junii, ex vita S. Joannicii quæ Latine exſtat apud Surium ad diem 4. Novembris, & anno 846. elapſis à promotione ſua annis quatuor, totidemque menſibus.

LXVIII. Ignatius.

Methodium excepit *Ignatius* Michaëlis I. qui Rhangabe & Curopalata dicebatur filius, & Nicephori itidem Imp. ex filia nepos, quem Leo Armenus, ne Imperio compos fieret, virilibus exſectis monachum fecerat in cœnobio Satyri. Multos annos ſacerdotii muneribus multa cum laude functus erat, quando epiſcoporum ſuffragiis & ſententia in urbis Regiæ pontificali throno reluctans collocatus fuit, die 4. Julii, ipſaque Dominica, anno 846. In libro *De ſynodis* patriarchatum hac prima vice tenuiſſe fertur annos undecim, menſes quatuor & dies viginti, ac proinde uſque ad diem 23. Novembris anni 857. Quocirca, quum in fine Chronici S. Nicephori anni undecim & menſes quinque ei aſſignentur, hi menſes minime completi cenſendi ſunt. Ex Niceta in ejus vitâ, quum pontifex eſſet conſecrandus, Gregorium Syracuſanum præſulem admonuit, ne ordinationi ſuæ intereſſet, donec ipſius vita diligentiſſime cognoſceretur. Poſt, coactâ ſynodo, ſententiam in eum tulit; ſed & ad Leonem Papam IV. Legati miſſi ſunt, ut Gregorii depoſitio confirmaretur; id quod à Benedicto III. Leonis ſucceſſore præſtitum eſt. Ignatius ſubinde Bardæ patricii, qui Theodoræ Auguſtæ frater, & Michaëlis Imp. avunculus erat, odium in ſe concitavit, quum eum ſacris altaribus arcuiſſet, quod nurum ſuam, non ſine totius urbis ſcandalo, deperiret. Michaël à Barda exſtimulatus, Ignatium in Terebynthi inſulæ monaſterium deportari jubet. Præcipuum quod in eum jactabatur accuſationis caput erat, quod ad Gebonem obſcurum hominem, qui ſeſe Theodoræ filium mentiebatur, Imperium transferre cogitaret. Vix elapſo à Patriarchæ diſceſſu triduo, miſſi ad eum epiſcopi abdicationis chirographum poſtularunt, non ſine interminatione extremi

A periculi. Contra quos Ignatius firmus ſtetit; nullius ſibi ſceleris conſcius. Tum adminiſtri regii, ubi eum ſuam dignitatem conſtanter tueri ſenſerunt, inito inter ſe conſilio, poſthabitis Eccleſiæ regulis, Photium Protoſpatarium ac primum à ſecretis Imperatori, illuſtribus natalibus præſtantem, rerum civilium & politicarum uſu & ſapientiæ fama inſignem, vili collecta in Palatio ſynodo, Patriarcham renuntiant, deportato interim in Hieriam inſulam Ignatio, quem in ſtabulo agrario vinctum incluſerunt. Undecim porro annos Ignatius
B Conſtantinopolitanam eccleſiam tunc primùm adminiſtrarat, Niceta teſte, *ἐν μὲν οὖν ἕνδεκα χρόνοις τῆς προτέρας αὐτοῦ ἱεραρχίας* Ἰγνάτιος *ἀποπλεγόμενος*. Superiùs vero diximus, æqualem ejus auctorem libri *De ſynodis, in Synodo* 150. undecim annos, & menſes quatuor, ac dies viginti numeraſſe, *χρόνους ἕνδεκα, μῆνας τέσσαρας, καὶ ἡμέρας εἴκοσι*, ut anno 857. die 23. Novembris ejus è Byzantina ſede ejectio contigerit. Multa ad ejus cauſam ſpectantia edita ſunt cum actis Octavæ ſynodi generalis, quæ tam Græcè, quam Latinè proſtant; in primis
C epiſtola quam ſuo, decemque metropolitarum, & quindecim epiſcoporum nomine ſcripſit ad Nicolaum Papam, & epiſcopos Romanæ ſedi obnoxios, ſanctiſſimamque univerſam Romanam Eccleſiam.

LXIX. Photius tyrannus.

Tyrannico itaque more *Photius* in divini Ignatii thronum invaſit, nullo vel in ſpeciem lato ſynodi, ut moris erat, decreto *παρὰ γνώμην τῶν ἀρχιερέων*, ait Metrophanes Smyrnæus epiſt. ad Manuelem patricium. Ab Imperatore
D & Barda deſignatus, prima die monachus ex laïco, altera lector, tertia ſubdiaconus, quarta diaconus, quinta presbyter, ſexta denique, quæ Chriſti natalis erat, ſacrum eccleſiæ tribunal, ſeu locum altaris conſcendens, populo pacem inclamavit, ait Nicetas: cujus initiator & ordinator erat Gregorius Aſbeſta, Syracuſanus ille quondam epiſcopus, ſed multiplici ſententia ſacerdotio dejectus. Tum Photius, Ignatio in Mitylenen inſulam deportato, malignantium, velut libro *De ſynodis* fertur, *in Synodo 149.* concilium in Blachernis con-
E gregavit, in quo legitimum illum pontificem depoſuit, tumque eos qui pravis ſuis nutibus ſubſcribere, & ſecum communicare detrectabant, omnigenis malis vexavit. Nicolao Papæ nequiſſimus veterator ſcripſit, Ignatium propter ingraveſcentem ætatem & corporis infirmitatem epiſcopatum abdicaſſe, rogans inſuper ut ad profligandam Iconomachorum hæreſim Conſtantinopolim quoſdam mitteret, qui Romanæ ſedis vices obirent. Rhodoaldum & Zachariam pontifex delegavit, eorum

die stata, eaque Dominica, quæ quadragesimam præcedit, in qua edendi casei potestas est, Nicetas genere Sclavus, eunuchus, Constantinopolis Patriarcha mortuus est. Sedit itaque annos tredecim, & menses quatuor, velut in S. Nicephori chronico fertur ex Regio codice.

LXI. Paulus IV.

Rursus Theophanes narrato Nicetæ obitu, de ejus successore Paulo pergit: *Secunda vero jejuniorum Dominicâ Paulus venerabilis Lector, Cyprius genere,* ὁ Παῦλος ὁ τίμιος ἀναγνώστης ὑπάρχων, Κύπριος τῷ γένει, *quamvis ob hæresim quæ tunc obtinebat, multum reluctaret, imo vim passus, Constantinopolitanus patriarcha instituitur.* Quod onus digne, annos quinque & menses octo, S. Nicephoro teste in Goari editione, sustinuit; magno vero animi sui mœrore, quod à sedium Apostolicarum communione alienus esset. Quod quidem morti proximus Imperatori Constantino, ejusque genitrici Irene Augustæ declaravit, veluti narrat Theophanes ad annum Constantini & Irenes IV. itemque Ignatius in vita S. Tarasii successoris ejus. Ex quo altero auctore discimus, hunc Salaminæ in Cypri insulæ metropoli natum. Atqui mensis Augusti die 31. Indictione VII. finiente, Paulus religiosus sanctissimusque Patriarcha, in morbum incidens, throno renuntiavit, ait Theophanes, Παῦλος ὅσιος καὶ ἁγιώτατος πατριάρχης ἀσθενήσας, κατέλιπε τὸν θρόνον. Ignatius in vita Tarasii pariter testatur eum, abdicata dignitate in monasterium secessisse, in quo Imperator & Augusta eum convenerunt.

LXII. Tarasius.

In vita S. *Tarasii* patriarchæ fertur, Paulum, quum morti proximus esset, Imperatori, ejusque matri declarasse, oportere omninò ut errorem corrigerent, quo hactenùs in sacras imagines grassatum erat, iisque rogantibus quemnam idoneum æstimaret, qui sibi succederet, ab illo indicatum esse *Tarasium, qui*
» *est à secretis*, inquit, *divini Imperii vestri.*
» Illum scio, & quicumque rectè sapit, eccle-
» siam opportunè suscepturum. Quocirca Imperatores Tarasium laïcum licet & reluctantem, designaverunt, qui ea demum conditione cessit, ut compresso bello quod in sacras imagines indictum erat, Concilium generale cogeretur ad ecclesiarum unionem restituendam. Tarasius mensis Decembris die XXV. Indict. VIII. Constantinopolitanus patriarcha ordinatus est, ex Theophane: τῇ δὲ κε'. τοῦ Δεκεμβρίου μηνὸς τῆς αὐτῆς Ινδικτιῶνος ἐχειροτονήθη ὁ ὅσιος πατὴρ ἡμῶν Ταράσιος πατριάρχης Κωνσταντινουπόλεως. Mox missis Romam synodicis cum Fidei rectæ libello, ab

A Hadriano Papa I. communione donatus est, sed & ejus ex homine laïco promotionis nævus excusatus. Imperatores sacras literas Romam miserunt, synodi celebrandæ causa, quibus adnuit Hadrianus. Anno itaque 784. ad finem urgente, Tarasius pontificatum iniit: synodus verò non convenit ante annum 786. ac mensis Augusti die VII. Indict. IX. Theophane teste, Constantinopoli primùm cœptum est in ecclesia Apostolorum; sed tumultuantibus copiis militaribus, quorum duces Iconomachorum furore jampridem imbuti erant,
B dissoluta fuit, maxime quod complures episcopi eadem labe infecti, animos eis insufflabant. Verum anno insequenti à cunctis Nicæam Bithyniæ, à prima synodo inclytam urbem, itum est, ibique Tarasius cum Romanæ, aliarumque Orientis sedium Legatis primas tenuit, & omnia pro votis confecit. Synodi gesta ferunt consessum primum habitum esse octavo Kal. Oct. Theophanes vero 11. Octobris. Actio postrema celebrata est VIII. Kal. Novembris, cunctisque Constantinopolim ipso mense Novembri regressis, de-
C finitionis Tomus in Magnauræ palatio lectus est. Constantinus Imp. Irene matre procul amandata, de Maria conjuge à qua venenum sibi paratum fingebat, dimittenda cogitare cœpit. Obstitit Tarasius, eumque tamdem à communione & sacrorum cancellorum ingressu prohibuit. Profanis deinde nuptiis Imperatoris cum Theodota cubicularia benedicere renuit. Quod quum à Josepho sacerdote monasterii Catharorum præposito factum esset, eique demum veniam Patriarcha indulsisset, S. Plato monasterii Saccun-
D dianorum præpositus cum Theodoro Studita & monachis aliis quamplurimis à communione ejus secessit. Quæ scissio ægrè tamdem sanata fuit, donec Tarasius Josephum sacris arcuit. Tarasius secundum Theophanis chronographiam vivere desiit anno 4. Nicephori Imp. die 25. Februarii Indict. XIV. hoc est anno Christi 806. cum sedisset annos 21. & menses duos integros. Corpus ejus delatum in monasterium quod in Bosporo ad fauces Ponti in templo Omnium Martyrum sepultum fuit. Ejus vita quam Ignatius diaco-
E nus scripsit, Latinè edita est inter Acta SS. die 25. Febr. qua memoria illius recolitur in Menologiis & in Martyrologio.

LXIII. Nicephorus.

Post Tarasii obitum *mensis Aprilis die duodecima,* pergit Theophanes, *magna Paschatis Dominica, Nicephorus sanctissimus Patriarcha, prius à secretis, populi totius, sacerdotumque & Imperatorum,* καὶ τῶν Βασιλέων; *suffragio electus est.* Cujus tamen electioni

refragati sunt Plato & Theodorus Studitarum superiores, quod non oporteret quemquam è laïcorum statu ad supremum episcopatus fastigium provehere. De qno dissidio legenda quæ doctissimus noster Jacobus Goarus contulit in notis ad hunc Theophanis locum. In Chronico quod ejusdem S. Nicephori nomine inscribitur, de ipso fertur : Νικηφόρος ἀσέκρετις, μοναχὸς γεγονὼς, ἔτη θ΄. καὶ ἐξεβλήθη ὑπὸ τοῦ ἀσεβοῦς Λέοντος τοῦ Αρμενίου, *Nicephorus à secretis monachus factus, ann. IX. & ejectus est ab impio Leone Armenio.* Quibus significatur illud quod in ejus vita legitur, scribam eum fuisse primùm, atque a secretis Imperatoribus : deinde solitariam vitam coluisse, in specu quadam è regione Bospori Thracici, ubi & monasterium struxit. Post hospitalis domus curam suscepit; demum, Tarasio defuncto, Patriarcha ab omnibus acclamatus est, & non sine illata vi è monasterio eductus. Atqui monachali veste statim indutus fuit, quem proinde antehac minime gestaverat : dein ordinatus est episcopus; quod perinde atque Theophanes ipsa Dominica Paschæ patratum testatur. Synodicam ad Leonem Papam III. misit, ubi primùm hoc sibi licuit per Nicephori Imperatoris obitum. Statim atque episcopus est ordinatus, concilium habuit, in quo, Nicephoro Imp. nequissimo urgente, Josephus ille presbyter quem Tarasius gradu amoverat, restitutus fuit. Quod in causa fuit, cur viri sanctissimi, Josephus Thessalonicensis, Plato, Theodorus Studita, & alii secessionem rursus ab eo fecerint; hoc insuper afferentes, quod contra regulas ex laïco ad episcopatum evectus esset. Nicephorus ipse concilii illius sui meminit in epistola quam post aliquot annos Leoni Papæ scripsit. Sed & concilium aliud habuit, in quo illi qui ab ipso secesserant, communionis facti sunt extorres, imo & sacerdotali gradu amoti. Paulò post vero pax inter ipsos redintegrata fuit. Nicephoro Imp. exstincto, ecclesiam pacatiùs administravit, Michaële Curopalata catholico principe imperante; cui Leo Armenus succedens, etsi Patriarchæ juraverat nihil à se in rebus Fidei mutatum iri, anno secundo imperii in sacras imagines debacchari cœpit. Colloquium Nicephori cum Leone de hoc argumento Combefisius edidit in Manipulo rerum Constantinopolitanarum. Sed & eamdem hæresim Nicephorus vehementius expugnavit multis Antirrheticis, quæ doctissimus vir D. Anselmus Bandurius ordinis S. Benedicti alumnus publici juris se facturum spopondit. Cuncta quæ tunc temporis gesta sunt accuratè satis descripsit Auctor incertus historiæ quæ Theophanis Chronographiæ, tamquam ejus continuatio adtexta est. Synodum alteram

A habuit 270. episcoporum contra Antonium Sylæi in Pamphilia metropolitam, qui cum Joanne Lectore putidissimo vase in imagines sanctas oblatrare non desinebat. Anno 816. post festum Luminum, sive Epiphaniæ, infirmitate decumbens Patriarcha, lectica extra patriarchales ædes deportatus fuit. Tum Imperator, vocato populo, palam, ac non sine mendacio dixit, cum relicta ecclesia discessisse, aliumque ejus loco constitui oportere. Erat tunc jejuniorum initium, ἦν δὲ ἡ παρεισβασία τῶν νηςειῶν, seu primi illi dies quibus solenne
B jejunium proxime succedit, quod eo anno Græcis incepit die 11. Februarii, ipsaque Dominica, cujus media nocte vir sanctus Imperatoris jussu in exsilium est amandatus. In ipsius Chronico dicitur, novem annos præfuisse, qui sane completi non fuerunt, sed ex eis menses duo demendi veniunt; quandoquidem anno 806. die 12. Aprilis fuerat consecratus. Vitam ejus, quam Ignatius Nicænus scripsit, Latinè ediderunt inter Acta SS. ad diem 13. Martii, cum Theophanis presbyteri narratione de ejus exsilio, ex qua discimus
C mus Nicephorum decimo-quarto exsilii anno transacto obiisse, sepultumque esse in templo S. Theodori, juxta monasterium quod ipse exstruxerat. Quo in exsilio ecclesiæ causam agere perseveravit.

LXIV. THEODOTUS, hæreticus.

Relegato Nicephoro, à Leone Imp. suffectus fuit *Theodotus* Melissenus Michaëlis Melisseni patricii, qui Constantini Copronymi ob tertias ejus nuptias levir fuerat, filius. Hunc dignitatis Spatharii candidatum, ma-
D ritali jam corona dotatum, tonderi jussit, & in Patriarcham promoveri. Sic incertus ille auctor historiæ Byzantinæ post Theophanem, qui subdit, *ordinatum eum esse ipso die Paschatis*, χειροτονήσαντες εἰς τὸ πάσχα, hominem qui nihil rerum spiritualium, nihil divinarum literarum calleret. Quamobrem statim ab ordinatione sua opipara carnium convivia agitare cœpit, & clericos, monachos & episcopos qui ab adolescentia iis abstinuerant, ad ingluviem usque edere compulit. Post Pascha Leo synodum convenire jussit, cujusque præ-
E fides esse Theodotum, quem *Cassiteram cognominabat*, ὃν Κασσιτέραν ἔλεγον, suumque filium Symbatam, quem Augustum declarabat, Constantinum ipsum appellando. Hoc in spurio conventu Septimæ synodi patribus anathema dictum est. Chronicon Nicephori quindecim ei episcopatus annos assignat; Theophanes vero pag. 302. Nicephorus Callistus, & alii, sex dumtaxat. Θεόδοτος ὁ Μελιστηνὸς πρωτασέκρετις, εἰκονομάχος, ἔτη ϛ΄. Ac certè meliùs; quando Simeone Logotheta

inscius quæ illic gerebantur. Photius habita cum eis in templo Apostolorum synodo, adduci Ignatium jussit, productisque septuaginta duobus falsis è fæce plebis testibus, qui per summum mendacium affirmarunt Ignatium in Patriarcham, electione nulla prævia, nullo suffragio promotum, sed sola mundanorum Principum opera, contra quàm canones præceperunt. Quocirca depositionem in Ignatium decernunt, Romanis Legatis corruptis ut impiæ sententiæ subscriberent. Ignatius vero cum metropolitis decem & episcopis quindecim Nicolai Papæ ejusque synodi & ecclesiæ Romanæ opem data ad ipsos epistola imploravit; ex qua cognovit demum Pontifex Legatorum suorum proditionem. Ipsa, inquam, natalis Christi die, seu 25. Dec. Photius flagitiosissimi illius Gregorii Asbestæ manus impositione patriarcha creatus fuit anno 857. Prima Photii synodus, in qua Ignatius exauctoratus est, habita fuit anno 859. altera trecentorum & amplius episcoporum, anno 861. sed & anno 867. quum se à Nicolao Papa in synodo Romana diris devotum accepisset, tertiam coëgit, in qua in Nicolaum perfrictæ frontis homo anathema retorquere non dubitavit. Quæ in hacce postrema (ut priores taceam) nebulo luserit, hoc loci recitare non vacat, uti nec plura dicere de fictitiis ejus actis, quibus Ludovico Francorum Imperatori ludificari cogitavit. Fraus brevi detecta est, ipso eodem tempore, ubi Michaële Imp. interemto, Basilius Macedo summam rerum capessivit. Postero die, sive vigesima-quinta Septembris, Photius è solio deturbatus, in cœnobium *Scopen* appellatum ejectus est, quum impie sedisset annos novem, totidemque menses. Non omittendum, Metrophanem Smyrnæum in epistola ad Manuelem patricium hoc referre, statim atque Bardas Ignatium throno expulit, *episcopos omnes Constantinopolitanæ ditionis convenisse, & Photium anathemate perculisse, depositum dicentes in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Quin & episcopos omnes unà conspirantes, seipsos diris devovisse, si quis ipsorum Photium Patriarcham confiteretur.*

LXX. Ignatius *secundùm.*

Nicetas, narrata *Photii* expulsione, *Ignatii* » restitutionem recitat: Tunc vero Basilius Imp. » adductum in palatium Magnauræ Ignatium, » *Silentio* (sive conventu) indicto, multis lau- » dibus extulit. Dies erat Dominica, tertia & » vigesima Novembris, qua ipsa antehac in exsi- » lium actus fuerat. Qui Dei præsidio fretus, » novennalem ac perfectam certaminis pro vir- » tute lauream adeptus, ecclesiæ suæ throno » restituitur. Hoc vero non sine synodi decreto patratum discimus, ex Constantino Porphy-A rogenneto in vita Basilii, necnon ex Joanne Curopalata. Coacta synodo, inquit, abdicavit « (Basilius) Photium, qui illum honorem sibi « vindicaverat, quiescere jussum, quoad illum « qui rite electus erat, ad se Deus accerseret; « adeoque Ignatium immerito & injuste deje- « ctum restituit, atque Ecclesiæ Dei tranquillita- « tem peperit. Verum præter hancce primam particularem synodum, Basilius generalem alteram celebrari voluit, in qua Ignatii & Photii causa ad examen revocaretur. Quocirca literas sacras misit ad Nicolaum Papam, ut B à latere suo viros delegaret, qui vices suas in ea gererent. Interim autem Nicolaus obierat, Hadrianus vero II. cuncta præstitit quæ Imperator proposuerat. Habita synodus est, quæ *Octava generalis* dicitur, anno 864. cui Ignatius proinde interfuit. Vocatus Photius, quum simulata modestia silentium veterator tenuisset, proscriptus nihilominus, & anathemati, uti par erat, suppositus fuit. Ignatius deinceps Byzantinam ecclesiam rexit, cui Photius interim, recuperata suis artibus Basilii benevolentia, insidias ei struere non cessavit: quin nec C ordinationes, seu exsecrationes potius, hinc inde passim impune patrare dubitavit. Ex Niceta Ignatius ad Dominum migravit ipso die memoriæ S. Jacobi fratris Domini, vigesima-tertia Octobris, κατὰ τὴν ἐκείνου μνήμην, εἰκάδα καὶ τρίτην Ὀκτωβρίου, καὶ αὐτὸς ἀπῆρε πρὸς Κύριον, quum decem annos recepti pontificatûs egisset, ac totos triginta & amplius ex quo primum fuerat episcopus ordinatus, δέκα μὲν οὖν ἔτη τὸ δεύτερον, τὰ πάντα δὲ τριάκοντα καὶ μικρόν τι, octogesimo ætatis suæ anno. Novem scilicet annos & menses undecim a sua resti-D tutione duxit, non annos undecim, quot scriptores alii non sic accurate tradunt.

LXXI. Photius *secundùm.*

Triduo ab Ignatii obitu nondum elapso, in Byzantinum thronum denuò *Photius* insilit, absque ullius rursum synodi decreto, sed sola sæculari potestate, τὴν ἀπὸ κοσμικῆς δυναστείας πολλῷ πλέον λαμβανόμενος ῥοπὴν, οὔπω τρίτη μετὰ τὴν τοῦ ἁγίου παρῆλθε μετάστασιν ἡμέρα, καὶ τὸν πατριαρχικὸν ἐπιλαμβάνει θρόνον. Hæc Nicetas, qui narrat insuper quæ profanus ille in E Ignatii domesticos, & amicos, & quotquot ei præsules addicti olim erant, impie admiserit. Thronum repetiit vigesima-sexta Octobris anni 877. Ejus artibus Joannes Papa VIII. delinitus, ultrò consensit, ut generalis synodus haberetur, in qua ille petita venia eorum quæ contra leges perpetrarat, catholicæ communionis particeps, anathemate soluto, fieret. Celebrata synodus est anno 879. in qua solio Byzantino injustè pridem ejectus pronuntiatus est. Græca hujus synodi

gesta præ manibus habeo, ad scenicæ fabulæ normam composita, præter epistolarum saltem Joannis Papæ, quæ in ea lectæ sunt, apertissimas corruptelas. Cæterum concilium Joannes postea reprobavit, misso hanc in rem Constantinopolim Marino illo qui Octavæ synodo Romanæ Ecclesiæ Legatus adfuerat. Sed & Eugenius & Paulus, qui in illa synodo Photii Joannis vices obierant, justæ censuræ post reditum suppositi sunt. Demum statim atque Basilius Imperator fatis concessit, Leo Sapiens ejus filius & Imperii hæres, Photium patriarchali sede detrusit, lectis in Magnæ ecclesiæ ambone per Andream domesticum Scholarem & Joannem Acropolitam publici cursus Logothetam criminibus quorum ille reus erat, sicque eum in monasterium Armeniacorum quod *Bardi* appellabatur, amandatus fuit. Quod contigit anno 886. post annos octo, & menses undecim ab ipsius restitutione, ut fert codex Oxoniensis Guillelmi Laudi, cujus particulam edidit doctissimus Montefalconius in Appendice ad Palæographiam. Φώτιος πάλιν ἔτη η΄. μῆνας ια΄, καὶ ἐξεβλήθη. Diem extremum Photius clausit circa annum 891.

LXXII. Stephanus.

Photio demum ad ordinem redacto, Leo Imperator *Stephanum* fratrem suum patriarcham designavit. Hunc Simeon Logotheta à Photio baptizatum scripsit; perperam prorsus, quando non nisi quarto Basilii parentis imperantis anno natus est, quo certè Ignatius patriarchatu fungebatur. Cæterum Photius Byzantinæ iterum sedis compos factus, Stephanum diaconum & syncellum fecit suum. Quocirca quia Photii ordinationes ut ab Octava synodo, ita etiam à Romanis Pontificibus Joanne, ejusque successoribus, irritæ declaratæ erant, Leo Imp. episcopis & monasteriorum præpositis quos ille vexaverat, convocatis, suggessit, uti Stephano Papæ scriberent, atque postularent à censura demum absolvi quos Photius ordinasset; quo nempe fratris sui Stephani ordinatio legitima fieret, isque posset in Patriarcham promoveri. *Nostra*, inquit, *quæ à Deo profecta est Majestas, re prius bene agitata, virum sceleratum,* παράνομον, *de throno deturbavit, juxtaque vos à tyrannide liberavit: cum quo ut inviti communicetis nequaquam vos urgebo; quin potius pietatem vestram oro, obsecroque ut cum fratre meo consentiatis, unumque ovile fiat. Quod si absque Romanorum qui Photium ligaverunt auctoritate, cum fratre meo quem Photius diaconum ordinavit, convenire recusatis, agite Romam scribamus, mittamusque supplicem libellum ad Papam, quo dispensante absolvantur à vinculo quos Photius ordinavit.* Ἐὰν δὲ ἄνευ τῶν Ῥωμαίων τῶν δεσμευσάντων Φώτιον οὐ θέλετε συνελθεῖν τῷ ἀδελφῷ μου, διὰ τὸ χειροτονηθῆναι διάκονον ὑπὸ Φωτίου, δεῦτε γράψωμεν καὶ ἀποστείλωμεν παράκλησιν εἰς Ῥώμην πρὸς πάπαν, καὶ οἰκονομήσαι τὴν λύσιν τοῦ δεσμοῦ τῶν ὑπὸ Φωτίου χειροτονηθέντων. Id quod illi ultro præstiterunt, data epistola quæ continua serie edita est. Interim nihilominus Stephanus, quum Heracleæ sedes vacaret, à Theophane Cæsareæ-Cappadociæ archiepiscopo ordinatus est ante nativitatis Dominicæ festivitatem, Georgio monacho, & Leone Grammatico testibus, καὶ πρὸ τῶν Χριστοῦ γεννῶν χειροτονεῖται πατριάρχης, anno scilicet 886. qui, ut omnes fere historiarum Byzantinarum scriptores uno consensu tradunt, sex annos, & quinque menses sedit, ad annum usque 893. quo mortem obiit mense Maio currente, & in Syccorum monasterio sepultus fuit, sanctissimorum morum præsul, etsi exsectis pridem virilibus. Non tacendum in particula illa catalogi Patriarcharum Constantinopolitanorum, quam clarissimus Montefalconius in Appendice ad Palæographiam retulit, septem Pontificatus annos sexque menses Stephano assignari, Στέφανος ἔτη ζ΄. μῆνας ς΄. totidemque annos ac menses successori illius Antonio; quæ prorsus à vero abhorrent, nec cum aliorum scriptorum fide stare possunt.

LXXIII. Antonius II.

Stephanum, *Antonius* cognomento *Cauleas* excepit, vir sanctissimus, cujus memoria non solum à Græcis, sed & à Latinis colitur in Menologiis, & in Martyrologio die 12. Februarii. De ejus vita Nicephorus Philosophus laudatoriam orationem condidit, quæ ad eamdem Februarii diem excusa est inter Acta SS. Obiit anno Leonis Imp. decimo, ut fert Simeon Logotheta in historia, adeoque non anno 890. ut male putavit Baronius, sed 895. vel potius 896. Omnes enim illi duos episcopatus annos attribuunt, ac certe completos; nulli septem.

LXXIV. Nicolaus I.

Antonio Cauleæ sufficitur *Nicolaus*, ab egregiâ prudentiâ & sapientiâ *Mysticus* cognominatus. Hic anno 20. episcopatûs Constantinum, quem Leo Imperator ex Zoe quarta uxore sua susceperat, in sancto Theophaniorum die baptizavit. Anno insequente Leo Zoen solenni nuptiarum copula duxit, *Benedicente illis Thoma presbytero,* quem Nicolaus patriarcha cum sua synodo confestim gradu movit: sed & Imperatorem Ecclesiæ ingressu prohibuit, quod quartæ nuptiæ apud Græcos & Orientales alios prohibitæ essent. Quum Patriarcha nihil de rigore remitteret, etsi

etsi Romanæ sedis Legati qui advenerant, nuptiis illis indulgendum declarabant, prima Februarii, veluti Continuator Porphyrogenneti & Georgius monachus testantur, πρώτῃ τοῦ φεβρουαρίου μηνὸς, ab Imperatore vocatus, lintri impositus est, & in Hieriam insulam deportatus, ubi in monasterium Galacrenarum deductus est, undecimo, ut omnes ferunt, pontificatus anno, seu Christi 906. Quamquam ejus destitutionem Symeon Logotheta ad annum Leonis 20. quem prædiximus, refert. Diu certè Imperatorem Leonem inter & Nicolaum de quartis illis nuptiis jurgatum est, donec Legati Roma venerunt. Pag. 104. Jur. Græco-Rom. legitur: *Nicolaum expellit Leo tamquam mendacem, qui sæpe dejerasset & promisisset se Imperatori multam censuramve condonaturum, totidemque vicibus mensem mutasset, de industria moras trahens.* Μεθίστησι τὸν πατριάρχην Νικόλαον, καὶ ἐξορίζει τῆς ἐκκλησίας, ὡς ψευστὴν, καὶ πολλάκις ὅρκοις διαβεβαιοῦντα καὶ ὑποσχόμενον δοῦναι τῷ βασιλεῖ τὴν τοῦ ἐπιτιμίου συμπάθειαν, καὶ τοσαυτάκις μεταμελόμενον, καὶ ἀναβαλλόμενον ἐπιτηδές.

LXXV. Euthymius I.

Nicolao ejecto, Imperator *Euthymium* syncellum patriarcham creavit, virum apud omnes Byzantinos scriptores commendatissimum, qui quartis Leonis nuptiis ultro adsensus est: ubi vero Imperator lege sancire proposuit, ut cunctis liceret tres quatuorve uxores ducere, totis ei viribus repugnavit. Quum Romani Papæ Legati tres Constantinopoli adessent, Patriarchas alios Leo consuluit, a quibus hoc responsi tulit, ut uxorem illam jure duceret. Si sit Elmachino sua fides, vicarios illi suos in urbem Regiam miserunt, negotiumque tractatum, judicatumque est in frequenti synodo. Nihilominus Constantinopolitana ecclesia in duas partes tunc scissa fuit, aliis Nicolaum vindicantibus, aliis Euthymium; qui patriarchatum gessit ad obitum usque Leonis Imp. & ab illius fratre Alexandro apud omnes Byzantinæ historiæ scriptores amotus dicitur, atque in Stenum relegatus; anno utique 911. cum ex cunctis Byzantinorum patriarcharum indicibus, annos quinque cum dimidio sedisset. Ejus quidem nomen à Nicolao postea è sacris diptychis erasum fuit; post vero tamdem restitutum est sub Polyeucto Patriarcha, quo Nicolaïtarum & Euthymianorum reliquiæ in concordiam redierunt.

LXXVI. Nicolaus *secundùm.*

Quamvis Byzantini scriptores uno consensu *Nicolai* restitutionem post Leonis Imp. obitum recitent, ex ejusdem tamen ad Roma- A num Papam epistola apertum fit, Nicolaum ab ipsomet Imperatore Leone revocatum esse. *Ille vero*, inquit, *antequam è vita migraret, flendo cognovit errorem suum, veniamque à Deo petiit, me inter primos adhortatore ac deprecatore. Aderam enim tunc forte ab exsilio revocatus, atque ecclesiæ gubernationi redditus.* Quod doctissimus Pagius apposite satis intelligit, ut, quum Leo postremo morbo conflictaretur, & Imperium Alexandro fratri administrandum commisisset, eidem adnuerit, ut Nicolaus Constantinopolitanam sedem re- B ciperet: quod factum erit extremis vitæ Leonis diebus. Cæterum, ut res ex canonum præscripto finiretur, Alexander Imp. in Magnaura concilium coëgit, in quo Nicolao præside depositus Euthymius fuit, sed & indignissime habitus, evulsa quoque barba, vir cæteroqui sacer & decorus, nulloque non honore suspiciendus: tum in Agathi monasterium relegatus est, ubi vitam finivit, ait Georgius monachus. Anno itaque 911. Nicolaus Byzantinæ ecclesiæ clavum denuo capessivit: quia vero multi interim ab Euthymio stabant, nec Leo- C nis nuptias improbabant, Nicolaus scriptis Joanni Papæ X. literis petiit, *ut missis Constantinopolim Legatis, concorditer judicetur quartum connubium, quod dissensiones & scandala in Ecclesiam invexit, non rei ipsius, sed personæ causa permissum esse, suadente tunc occasione lenitatem & affectum indulgentiorem erga Principem, ne ipsius animus repulsa offensus deteriora moliretur.* Legenda epistola apud Baronium ad annum 916. ubi & altera sequitur ejusdem Nicolai Symeoni Bulgariæ regi, qua testatur Romanorum Legatorum D adventu pacem urbi Regiæ datam. Nicolaus tredecim annos à sua restitutione sedisse fertur in indicibus Patriarcharum. Verum Symeon Logotheta & alii ejusdem ævi scriptores Byzantini hunc obiisse produnt die 15. Maii Indict. XIII. seu Christi anno 925. Quamobrem cum Symeone quatuordecim potius anni sunt numerandi, quam tredecim. Corpus ejus in monasterio Galacrenarum dicto, quod exstruxerat, conditum fuit. Multa de eo legenda apud Georgium Monachum Byzantinæ historiæ scriptorem.

E

LXXVII. Stephanus II.

Post Nicolaum *mense Augusto*, aiunt omnes, *Stephanus Amaseæ metropolita Patriarcha creatur*, Eodem utique anno 925. qui apud eosdem scriptores, Symeonem Logothetam, Georgium monachum, Joannem Scylitzen Curopalatam, &c. mensis Julii die 18. Indict. VI. moritur, quum sedisset annos duos & menses decem. Sed Combefisius bene monuit pro *Indictione VI.* esse legendum *I.*

LXXVIII. TRYPHON.

Eodem anno 928. die 14. Decembris Stephano suffectus fuit *Tryphon*, monachus Obsequii, vir probatæ sanctitatis, quem patriarcham ordinarunt ad certum tempus, donec Theophylactus Romani Lecapeni Imp. filius, qui clero allectus erat, maturæ ætatis evaderet, qua Constantinopolitanæ sedi idoneus esset. Ita Byzantini scriptores omnes. Verum Symeon Logotheta conditionem à Tryphone minime admissam testatur, quæ profectò pura puta, quam vocamus, *Confidentia* fuisset. Atqui patriarcham, ubi Theophylactus idoneæ ætatis fuit, pontificale munus retinere volentem aggrediuntur. *Multa,* inquiunt, *adversum te meditatur Imperator, & causas quærit, quibus te de sede trahere legitime possit: nullas tamen, etsi multum laborat, reperit. Quomodo enim insonti culpa adscribi ulla queat! Quamquam hanc unam afferunt, quod literas ignoras. Quam si removere poterimus, lupi instar inhiantis erunt, cui præda excidit. Tota itaque synodo præsente, nomen tuum, sacerdotiique tui dignitatem in charta pura describe, & Imperatori mitte, quo sua spe cadat.* Consilio adstipulatur Tryphon, & episcopis qui convenerant in charta scribit: *Tryphon miseratione divina archiepiscopus Constantinopolis novæ Romæ.* Charta Imperatori fertur per Protothronum, Cæsariensem scilicet metropolitam. Tum in superiori chartæ parte abdicationis formulam exarat, ceu Patriarcha se throno indignum judicaret. Qua recitata, Tryphon, exactis uno episcopatus anno & quinque mensibus, in monasterium suum amandatur, Protothroni fraudem nequidquam accusans. Id quod anno 931. Indictione III. contigit. In catalogo patriarcharum Constantinopolitanorum lib. 4. Juris Græco-Romani, tres patriarchatus anni Tryphoni assignantur, qui utrimque incompleti censendi sunt à 14. Decembris Indict. I. ad secundam usque diem Septembris Indict. III. Annon etiam quod Tryphon adversus abdicationem suam diu reclamaverit!

LXXIX. THEOPHYLACTUS.

Etsi *Theophylactus* Romani Lecapeni filius idoneæ satis ætatis visus erat, ut amoto Tryphone sederet, nihilominus Byzantina sedes annum & menses quinque viduata mansit ad secundam usque Februarii Indict. VI. seu annum Christi 933. quum nempe de eo ordinando Romani episcopi sententia exspectabatur. Nam Symeon Logotheta, Porphyrogenneti Constantini Continuator, Georgius monachus, aliique Byzantini scriptores narrant, Februario mense, sexta Indictione, in

A festo *Occursus*, (Purificationis dicimus) Theophylactum esse Patriarcham ordinatum, quum Vicarii Romani venissent, allato tomo synodico, quo de illius ordinatione præscribebatur; à quibus etiam in patriarchali throno collocatus est. Nullus dubito quin à Romano pontifice postulatum fuerit, uti de ætate quæ integra prorsus non erat, cum eo dispensaretur. Incertus ille Continuator hunc ad virtutes quibus proficiebat se extendisse ait, ob eruditionem qua præditus ferebatur, ut felicissima quidem fuerint ejus initia: verum

B ad dexteriora brevi se convertit, quæ legenda apud scriptores Byzantinos. Inprimis vero anonymus ille Continuator refert institutum eum fuisse tutorem Constantini Porphyrogenneti, cujus nomine ipse, aliique ejus socii, Alexandro patruo illius defuncto, pro arbitratu suo rempublicam pessime gerebant: verum non multo post ab Imperatoris matre regiis ædibus ejectus fuit. Demum narrat, Theophylactum Patriarcham, ægra valetudine affectum, jamque morti vicinum, dum paulatim convaluerat, nihil de priori animi pravitate

C remisisse, ut & muneribus acceptis episcopos ordinaret, curandis equis, mollitieique & luxuriæ studium omne impenderet. Unde ingravescente morbo oppressus, vivendi finem fecit, patriarchatu functus annis viginti-quatuor, πατριαρχεύσας χρόνοις εἴκοσι καὶ τέσσαρσι. Hunc eumdem annorum munerum habet Symeon Logotheta: sed emortualem ejus annum Joannes Scylitzes diligentiùs declarat. *Anno*, inquit, *duodecimo Imperii Constantini mundi 6464. mensis Februarii vigesima-septima, Indict. XIV. decessit è vita Theophylactus patriarcha, sacerdotio functus annos 23. &*

D *dies viginti quinque qui sexdecim annos natus, ecclesiæ contra canones gubernacula suscepit, & sub pædagogis, heu! usque ad aliquod tempus vitam egit. Quod utinam semper fecisset: videbatur enim esse gravis & modestus; sed ubi ad maturiorem ætatem pervenit, cœpit suo modo vivere, &c.* Obiit itaque ex Curopalatæ computo anno 956. & 45. Constantini. Causa mortis hæc fuit; quum temere aliquando equitaret, ad maritimum murum illisus, sanguinem ore exspuit, & post biennii morbum in hydropysim incidit, qua mortuus est.

E

LXXX. POLYEUCTUS.

Die tertia Aprilis in Theophylacti locum eligitur *Polyeuctus* monachus, à parentibus à primis annis exsectus, subinde vero monasticæ vitæ exercitationibus assiduis perfunctus, necnon sanæ doctrinæ studiis egregiis, ita ut multis alterius instar Joannis Chrysostomi haberetur. Quamobrem Constantinus Imp. sibi valde gratulabatur quod talem virum suis

temporibus nactus eſſet. Atqui Polyeuctus A quum ipſa die tertia Aprilis anni 956. patriarcha conſtitutus ſit, ejus ordinatio, non Dominica die, ſed feria quinta in Cœna Domini facta eſt, imponente ei manus, non Nicephoro Heracleæ, qui Imperatoris animum offenderat, ſed Baſilio Cæſareæ; ex quo in multorum indignationem incurrit, quod contra regulas ordinari permiſiſſet: ſed & aulicis ac præſertim Theodoro Cyzici metropolita incitantibus, Conſtantinum pœnitere cœpit quod Polyeuctum ad patriarchatum promoviſſet. Quocirca de eo deſtituendo conſilia B cum Theodoro illo agitabat, quando poſtremo morbo correptus interiit, anno mundi 6468. Chriſti 960. Polyeuctus interim primo ſui pontificatûs anno, Euthymii deceſſoris quondam ſui, qui in Nicolai Myſtici locum patriarcha creatus erat, ac ſubinde exauctoratus, corpus in urbem Regiam reportari curavit, ejuſque nomen ſacris diptychis reſtitui: cui rei epiſcopi nonnulli quum refragari viſi eſſent, mox voluntati Imperatoris obſequentes, ad Polyeuctum redierunt. Nicephorus Phocas Imperator odio erga Joan- C nem Papam XIII. percitus, Polyeucto Patriarchæ auctor fuit, ut Hydruntis eccleſiam, quæ Romani archiepiſcopi juriſdictionis hactenus fuerat metropolitico honore & juribus ampliaret, aſſignatis ei epiſcopis quinque, quibus jura diceret: id quod Luitprandus Cremonenſis perhibet, ubi de ſua ab Othone ad Conſtantinopolitanum Imperatorem delegatione. Polyeuctus dum affectæ jam ætatis erat, Joannem Tzimiſem Imperatorem coronavit, poſtquam ei denuntiaverat ipſi minime licere Dei templum ingredi, nî priùs Augu- D ſtam Romani Imp. viduam, ac Nicephori Phocæ necis conſciam, expelleret, & eum qui parricidio Nicephorum ſuſtulerat, indicaret, adhæc libellum ſynodo redderet, quem epiſcopos conſcribere Nicephorus coëgerat, nihil demum rei eccleſiaſticæ abſque ejus nutu patratum iri. Tzimiſces Auguſtam in Proten inſulam relegavit, Leonem Valentem ſolum Nicephoro manus intuliſſe jurejurando declaravit, Nicephori tomum reddidit, tumque imperii corona redimitus fuit. Quæ Leo diaconus refert in hiſtoria, cujus pars typis E Regiis jam edita eſt. Paulo ante obitum Polyeuctus Theodorum Antiochenum patriarcham conſecravit, ſubindeque die trigeſimaquinta à Tzimiſcis inauguratione è vivis exceſſit, velut Joannes Scylitzes, Cedrenus atque Zonaras tradunt; adeoque die 16. Januarii anni 970. quum ſediſſet annos tredecim, menſes novem & dies tredecim. Quo fit ut in catalogis quatuordecim ei anni rotundo numero aſſignentur.

LXXXI. Basilius I.

Leo Diaconus in hiſtoria, defuncto Polyeucto, a Joanne Tzimiſce *Baſilium* Scamandrenum monachum ſuffectum refert, qui a teneris annis in montis Olympi jugis vitam ſolitariam egerat. Hunc, vocatis in palatium epiſcopis & Senatu, produxit in medium, Byzantinæ eccleſiæ præficiendum. Qui poſtridie, quæ Dominica erat Orthodoxiæ, patriarcha fuit ordinatus, hoc eſt die 12. Februarii anno 970. Pontificatum geſſiſſe fertur annos quatuor, at non certè completos, ad 974. quo epiſcoporum invidentia calumniam paſſus, ac ſi in procerum aliquem transferre Imperium moliretur, nec eccleſiam ex canonum præſcripti regeret, ad Imperatoris tribunal vocatus eſt. Eo tamen ille accedere renuit, œcumenicam ſynodum appellans, in qua crimina quorum reus agebatur, examinanda eſſent; hoc quippe velle divina Patrum decreta, ut generalis ſynodus cogatur ubi de Patriarcha deponendo tractatur. Verum in monaſterium quod ipſe ad Scamandrum exſtruxerat, ab Imperatore relegatus eſt.

LXXXII. Antonius II.

Pergit Leo diaconus, Baſilio in exſilium acto, patriarchalem clavum ſuſcepiſſe *Antonium* cognomento *Pachen*, qui in monaſterio Studii à juventute aſceticam diſciplinam profeſſus, vitam ducens apoſtolicam, præter neceſſarium indumentum, ac quibus caro tegebatur, nihil geſtabat; quamlibet in ſummo principum atque Imperatorum honore eſſet. Quumque ſyncelli dignitate præſtaret, quos inde fructus perciperet, hos omnes in pauperes erogabat; divina interim humanaque ſapientia pollens, quam qui maxime; vultu totaque corporis compoſitione admirabilem quamdam gratiam in ipſa canitie profunda præferebat. Annos ſex ſediſſe fertur Cedreno, & aliis: pontificatum abdicavit, anno circiter 979. quo Sclerus adverſus Baſilium Imp. rebellavit. Hunc ſpadonem fuiſſe Cedrenus teſtatur, & ex Nicomedienſi ſede ad Byzantinam aſſumtum.

Sedes vacat annos quatuor cum dimidio.

LXXXIII. Nicolaus. II.

Ex Cedreno, poſtquam *Antonius* Studita ſacerdotio renuntiavit, Conſtantinopolitana eccleſia annos quatuor cum dimidio paſtore caruit, τῆς ἐκκλησίας ἀποιμάντου διατελούσης ἔτη τέσσαρα πρὸς τὸ ἥμισυ. Tamdem *Nicolaus* II. cognomento *Chryſoberges* Patriarcha renuntiatus eſt, anno proinde 983. medio. Hunc Cedrenus, cæterique omnes, annos duodecim, novemque menſes patriarchatum geſſiſſe

ferunt, adeoque, ab anno 983. ad 995. Indict. VIII. vel IX.

LXXXIV. Sisinnius.

Nicolao successor datus est *Sisinnius*, Magister, vir literis excultus, & medicæ artis peritissimus, qui dissidii quod Leonis Imperatoris nuptiarum causa ortum erat, reliquias, concordia redintegrata, sustulit. Cedrenus eum tres dumtaxat annos ecclesiam rexisse scripsit: qui in hoc aberravit à vero, quod Sisinnii ordinationem ad annum mundi 6503. Indictionemque VIII. annumve Christi 996. retulit; quæ tamen, ut apposite satis notavit Pagius, anno Christi 996. Indictione IX. facta sit. Quidquid id est, Nicephorus Callistus audiendus non est, qui septem annos Sisinnio in catalogis patriarcharum attribuat, reliquis omnibus refragantibus. Atqui Sisinnius anno mundi 6505. mense Februario Ind. X. seu anno Christi 997. decretum synodicum dedit, *ne duo fratres consobrinas duas uxores ducant, neve duæ consobrinæ duobus fratribus nubant; sed & ne patruus aut avunculus, nec non fratris, sororisve filius, sorores duas nuptu accipiant, demum ne fratres duos amitam & materteram.* Vide-sis lib. 3. Jur. Græco-Rom. pag. 197.

LXXXV. Sergius II.

Cedreno & Joanni Scylitzi Curopalatæ, Sisinnio II. suffectus dicitur *Sergius* monasterii Manuelis præfectus; genus, inquiunt, à Photio Patriarcha ducens, καὶ τὸ γένος ἀναφέρων πρὸς Φώτιον τὸν πατριάρχην. Iidem illi auctores, hisque anteriores scriptores Byzantini, Sergium monachum sub Romano Lecapeno & Constantino Leonis filio Imp. una cum Polyeucto, qui subinde Patriarcha fuit, sanctitate vitæ claruisse tradunt, fratris Photii filium, τὸν μοναχὸν Σέργιον, τὸν ἀνεψιὸν Φωτίου τοῦ πατριάρχου. Quî vero factum erit, ut idem Sergius anno 999. Sisinnio successerit, totosque insuper viginti annos sederit, qui circa annum mundi 6453. Christi 944. quinquagesimum saltem vitæ annum attigerat, ut summa erga Romanum Lecapenum auctoritate uteretur. Sed his dimissis, successit Sisinnio Sergius, & post ecclesiam Constantinopolitanam annos 20. administratam, mense Julio Indictione II. anno mundi 6527. Christi 1019. vivere desiit, Cedreno aliisque testibus. Lib. 3. Jur. Græco-Rom. pag. 203. synodicum decretum ejus exstat, *De donationibus & collationibus monasteriorum & conventuum*, datum mense Maio Indict. XIV. anno mundi 6524. seu Christi 1016. Petrus Antiochenus Patriarcha in epistola quam Michaëli Cerulario patriarchæ itidem Con-

A stantinopolitano anno 1044. scribebat, testatur se ante quadraginta quinque annos in urbem Regiam quum venisset, audivisse Romani Pontificis nomen è sacris diptychis ad altare sub Sergio patriarcha recitatum; circa annum proinde 1009. Ipse vero Sergius à posterioribus Græcis asseritur, nomen illud ex iisdem diptychis primus omnium expunxisse. Quod Nicetas Nicenus ob *jura sedium*, διὰ τοὺς θρόνους, factum esse arbitratur. Non ergo ut Euthymius Zygadenus affirmavit, ob interjectam symbolo Constantinopolitano vo-
B cem *Filioque*. Quum Baronius ex ea Petri Antiocheni epistola collegerit Sisinnium inter & Sergium Byzantinos patriarchas sedisse quemdam Joannem, quo tempore Romanæ ecclesiæ Joannes alter præerat, doctissimus Antonius Pagi, ut nodum hunc solveret, Sergium binominem fuisse intulit, ut *Joannes* quoque nominatus sit. Verum ne illi certè Petri Antiocheni sensum assequuti sunt, quemadmodum à me jampridem evictum est, ubi ostendi Baronium accuratam epistolæ translationem non edidisse. Sic nempe Metio
C interpretante legebat: *Et hac in re ego quidem testis fidus sum, & alii multi Ecclesiæ proceres, quod tempore B. M. patriarchæ Domni Joannis Romanus pontifex, Joannes quoque nuncupatus, in sacris diptychis habebatur, & quum Constantinopolim quadraginta-quinque ab hinc annis venissem, inveni tempore B. M. Domni Sergii prædictum Joannem in sacra Missa una cum aliis sanctissimis patriarchis relatum.* At vero ex ejusdem epistolæ meliori editione tom. 2. Monum. Eccl. Gr. apertum fit Joannem illum Patriarcham, non Byzantinum, sed Antioche-
D num fuisse. Sic enim Petrus scribebat: Ἐπὶ δὲ τούτοις κἀγὼ μάρτυς ἀπαράγραπτος, καὶ ἄλλοι σὺν ἐμοὶ τῶν ἐκκλησίας ἐλλογίμων πολλοὶ, ὅτι τῷ μακαρίτῃ πατριάρχῃ Ἀντιοχείας κυρῷ Ἰωάννῃ, ὁ πάπας τῆς Ῥώμης Ἰωάννης καὶ αὐτὸς ἀκούων, ἐν τοῖς διπτύχοις ἀνεφέρετο, καὶ ἐν Κωνσταντινουπόλει δὲ πρὸ χρόνων τεσσαράκοντα καὶ πέντε εἰσελθὼν, εὗρον ἐπὶ τοῦ μακαρίτου Σεργίου τὸν δηλωθέντα πάπαν ἐν τῇ μυσταγωγίᾳ μετὰ τῶν ἄλλων πατριαρχῶν ἀναφερόμενον. *Adhæc quoque testis sum omni exceptione major, aliique mecum plurimi doctrina in Ecclesia spectatissimi, quod*
E *sub beatæ memoriæ Patriarcha Antiochiæ Domno Joanne, Romanus Papa, ipse etiam Joannes nominatus, in sacris diptychis cum patriarchis aliis referebatur: quumque Constantinopolim ante hos quadraginta-quinque annos venissem, reperi sub B. M. patriarcha Domno Sergio prædictum Papam inter sacra mysteria cum aliis patriarchis recitari.* Huic Sergio multi è Græcis epistolam attribuunt, quam Photius olim adversus Romanam ecclesiam scripserat, cui Metrophanis Smyrnensis nomen apposuerunt.

Omitto Græculos jactitare, Sergium Romani pontificis nomen è sacris tabulis erasisse, quum à Christophoro Papa symbolum voce *Filioque* interpolatum accepisset. Nemo nescit Christophorum integro fere sæculo Sergio patriarcha anteriorem fuisse.

LXXXVI. Eustathius II.

Cedreno & Curopalatæ, aliisque Byzantinis, Sergio, qui, ut prædictum est, anno 1019. mense Julio obierat, successor datus est *Eustathius*, ædis sacræ palatii presbyterorum princeps, qui, iisdem auctoribus testibus, mense Decembri, Indictione IX. anno mundi 6534. Christi 1025. subito morbo correptus decessit, paucis ante Basilii Bulgaricidæ Imp. obitum diebus. Quamobrem non annos dumtaxat quatuor sedit, ut Patriarcharum catalogis fertur, sed quinque integros, mensesque quatuor, ac dies aliquot.

LXXXVII. Alexius.

Ex iisdem auctoribus, Basilius Imp. nulla mora *Alexium* monasterii Studii præfectum, qui allato secum Sancti Joannis Baptistæ capite, ad ipsum salutandum accesserat, Eustathii successorem designavit, quumque illum Joanne Protonotario agente, cujus opera in publicis negotiis gerendis utebatur, in solio patriarchali collocassent, ipso vespere animam Basilius efflavit. Sedit Alexius Constantino Basilii fratre, Romano Argyropulo, Michaële Paphlagone, Michaële Calafata, & Constantino Monomacho Impp. utque Cedrenus & Scylitzes tradunt, fatis concessit die 20. Februarii Indict. XI. adeoque anno Christi 1043. Septemdecim itaque annos ac menses forsan duos pontificatum tenuit, non decem & octo, quot Zonaras & Callistus numerarunt. Hic anno mundi Constantinopolitano 6536. mense Novembri, Indict. XI. seu Christi anno 1027. & eodem mundi anno, Indictione eadem, mense Januario, seu Christi 1028. statuta duo synodalia dedit, *De iis qui monasteria per donationem consequuntur, deque* rebus aliis *ad metropoles, archiepiscopatus, episcopatusque & monasteria spectantibus;* quæ edita sunt lib. 4. Jur. Græco-Rom. Quin & anno mundi 6546. mense Aprili, Indict. VI. hoc est anno Christi 1038. judicium in synodo tulit de quodam, qui filiamfamilias alterius filio suo copulaverat, absque patris illius qui captivus agebat, consensu. Habetur lib. 3. Jur. Græco-Rom. Cedrenus ad annum 6543. Indict. II. (Christi 1034.) recitata morte Romani Argyropuli Imp. qui veneno, die, ut bene Curopalates scripsit, 11. Aprilis exstinctus ferebatur, in quam diem illo anno feria 5. in Cœna Domini incidebat, subdit ipsa nocte A qua Dominicæ Passionis officium canebatur, Alexium, Romano, veluti jubente, in Palatium vocatum esse, ubi illum mortuum reperit; Zoën vero Augustam, aureo triclinio ornato, in suggesto sedentem, Michaëlem Paphlagonem produxisse, quem sibi maritum precatione sacra Patriarcha copularet. Eo attonito, compressaque voce hærenti, Joannem Eunuchum orphanorum curatorem, Michaëlis Germanum, auri libri quinquaginta ei oblatis, totidemque clero, effecisse, ut Alexius nuptiis benediceret. Interim Joannem istum B insanus patriarchalis fastigii amor cœpit, qui metropolitas aliquot sibi conciliavit, ut patriarcham loco moverent, ceu non communibus suffragiis, ut canones ferebant, sed Imperatoria potestate creatus esset. Tum ille, *Si contra regulas,* inquit, *patriarcha factus sum, hi quoque quos ordinavi, simul exauctorandi veniunt:* illos scilicet innuebat consiliorum eunuchi conscios. Adjecit anathemati supponendos Imperatores, quibus coronas imposuerat. His dictis, motus illorum compescuit. Quod contigit anno mundi 6549. Christi 1037. Alexius C subinde Zoës Augustæ cum Constantino Monomacho nuptiis benedicere prorsus noluit. Hic porro Patriarcha ingentes auri thesauros congesserat, & Constantinus Monomachus Imp. statim ab ejus obitu centenarios auri viginti quinque è monasterio ipsius abstulit, quos ille ibi recondiderat, uti Zonaras prodit.

LXXXVIII. Michael I.

Alexio, die 20. Februarii, anno 1043. ut prædictum est, rebus humanis exemto, suffici- D tur *Michaël* cognomento *Cerularius*, die Annuntiationis Dominicæ, ut Curopalates & Cedrenus scribunt. Hic à Joanne illo spadone in monasterium trusus fuerat, quum adversus Michaëlem Paphlagonem rebellaret. Sed postquam Patriarchali sedi impositus fuit, auctor præcipuus fuit, ut Constantinopolitana ecclesia à Romana & Occidentali abscissa sit, instauratis, auctisque Græcorum adversus nostros jurgiis, una cum Leone Achridæ archiepiscopo, & Niceta Stethato pervicacioribus schismaticis. De qua scissione sua quum ad Petrum E Antiochenum scripsisset, ejusmodi ab eo responsa retulit, quibus immane facinus istud improbabatur. Editæ literæ amborum exstant tom. 2. Monument. Eccl. Græc. Schismati occurrere tentavit Leo Papa IX. missis Constantino Monomacho Imp. Legatis, quorum præsentiam & colloquium quum patriarcha assiduè devitaret, illi in ecclesia S. Sophiæ, perstricta palam ejus obstinatione, clero de more ad Missas præparato, hora tertia die Sabbati, excommunicationis chartam in

principali altari coram omnibus depoſuerunt, A atque excuſſo pedum ſuorum pulvere, abierunt. At Cerularius, coacta epiſcoporum paucorum qui apud ſe erant ſynodo, Romanis nuntiis anathema dicere non dubitavit; quos tamen à Leone miſſos non eſſe fingebat, ſed ab Argyro Italici exercitus duce, quem infenſo odio perſequebatur. Habita ſynodus ea eſt menſe Junio, Indict. VII. adeoque anno Chriſti 1054. cujus acta Leo Allatius edidit diſſertatione 2. de libris eccleſ. Græc. p. 161. Romani vero Papæ nomen è ſacris tabulis à Cerulario expunctum non puto, quando ipſe B id à deceſſoribus patratum Antiocheno Petro ſcribebat; ex quo ſcilicet Joannes Papa XIX. iterum ſibi non arridere ſignificaverat aſſumtum à Byzantino præſule *Oecumenici patriarchæ* titulum. Id quod Leo ipſe IX. epiſtolis ſuis ad Cerularium & ad Conſtantinum Imp. aperte ſatis teſtatur. Quæ Michaël in pontificatu mala alia admiſerit, comperta fiunt ex Michaëlis Pſelli oratione ad ſynodum, à qua epiſcopatu indignus judicatus fuit, Conſtantino Monomacho defuncto, auctor Cerularius fuit ut Michaëli Stratiotico imperium adimeretur. C Iſacacii Comneni inaugurationi utcumque favit, quum ipſe potius, Patriarcha ſimul ac Princeps fieri ambiret. Quod quidem aliquando Iſaacio ipſi Imperatori non obſcure declaravit. *Patriarcha,* ait Scylitzes, *inexplebili Imperatoris benevolentia fretus, adverſus ipſum elatus eſt, non petitionibus modo atque adhortationibus utens, ſi quando alicujus, aut pro aliquo indigeret, ſed & quum identidem voti compos non fieret, præter frequentiores odioſaſque poſtulationes, minas & inconſultas increpationes adhibebat, ac niſi pareret Imperii* D *amiſſionem minitabatur, tritum illud & vulgare dictum intentans: Furne, te condidi, ego & te dejiciam. Aggreſſus etiam eſt cocco tinctos calceos induere, antiqui ſacerdotii hunc fuiſſe morem adſerens, & his novum quoque archiepiſcopum uti oportere: nihil quippe ſacerdotium inter & regnum, aut prope nihil intereſſe. Quæ Imperator audiens, agere potius ſtuduit, quam pati.* Quare die feſto Angelorum patriarcha ad ſuburbana loca ſolennitatis cauſa egreſſo, occaſione arrepta, Imperator è throno ablatum, & mulo impoſitum ad Blachernarum E littus, indeque lembo in Præconneſum deportari jubet. Tum vocatis metropolitis, hunc per eos admonet, ut archiepiſcopatum deponat, nî velit dignitatem cum dedecore amittere, criminibus quæ ipſi objiciebantur, in concilio propalatis. Pſellus in hiſtoria, ubi Cerularii amotionem ſcribit, hunc audaciori ad Imperatorem voce abuſum fatetur, velut ſi quis utriuſque arbiter ſedeat, alteri initium vertat crimini, alteri finem. Atqui Patriarcha nullis monitis acquievit; mox vero dolore æſtuans vita mortem commutat. Iſaacius tamen facti pœnitens, ut timide religioſus erat, honorifice eum in ſuo monaſterio ſepeliendum curavit. Hæc Curopalates, quæ paucis perſtringit Zonaras, qui hoc interſerit, Auguſtum, dum de abrogando illi ſacerdotio cogitaret, operam adhibuiſſe quorumdam epiſcoporum, ut & Michaëlis Pſelli, qui varias & immanes adverſus illum criminationes ſcripta oratione congeſſit, ὡς τισὶ τῶν ἀρχιερέων συνεργοῖς πρὸς τοῦτο ἐκέχρητο, ὡς τοῦ Ψέλλου αἰτιαμάτων πολλῶν καὶ ἀλλοκότων συναγωγῇ, ἃ ἐν τῷ κατ᾽ ἐκείνου λόγῳ συνηθροίσατο καὶ συνεγράψατο. Quando autem Cerularius ſede ejectus fuit anno 1059. in alterutro Angelorum feſto, quod Græci, vel octava Julii, vel ſexta Septembris celebrant, ſexdecim annos & menſes tres aut quinque ſederit oportet, ac non quindecim dumtaxat annos. Lib. 3. Jur. Græco-Rom. ſynodicum decretum illius exſtat, *quo prohibentur nuptiæ ſeptimi gradus,* aliaque itidem lib. 4. ad nuptias perinde ſpectantia.

LXXXIX. Constantinus III.

Pro Michaële Cerulario *Conſtantinus Lichudes,* præſes & protoveſtiarius, patriarcha conſtituitur, cleri, totiuſque populi, metropolitarumque ſuffragiis electus, vir ob civilia munia optime geſta clariſſimus. Cæterum Imperator eum preſbyterum jam ordinatum, epiſcopali unctione penitus initiari vetuit, quoad quæ in ipſum crimina jactabantur, in ſynodo, ut regulis ſtatuitur, examine ſedulo excuterentur, quæ ipſe apud Imperatorem in totum diluit. Nimirum à Conſtantino Monomacho rerum adminiſtrationi, ut pote vir literatura & facundia inſignis, adhibitus erat, poſt vero ex invidentia concepto odio amotus; quod criminationum illarum materiam præbuit. Hunc Pagius annos quatuor ſexque menſes ſediſſe cenſet, ab ipſius utique electione numerandos, obiiſſeque mortem anno Chriſti 1064. lib. 4. Jur. Græco-Rom. Conſtantini Lichudis patriarchæ decreta ſynodalia duo exſtant, quorum primum *De feriis criminalibus,* datum eſt menſe Decembri, Indict. XII. anno 6567. Chriſti 1069. alterum *De ſacerdote admiſſæ cædis reo & depoſito,* menſe Julio; Indict. eadem, ſeu Chriſti anno 1060. Laudatoria Pſelli oratio ſupereſt in Conſtantinum Lichudem patriarcham.

XC. Joannes VIII.

Conſtantinum excepit *Joannes* monachus, cui Xiphilino cognomen, Trapezunte natus, vir ſapiens & eruditus, in rebus politicis ſpectatus, virtutiſque ſtudioſus, adeo ut à priori ætate monaſteriorum adminiſtrationem

accceperit. Vitæ ſolitariæ indulſit, haud exiguo tempore in Olympo monte degens: nec quiſquam dignior habebatur, qui patriarchalibus infulis ornaretur: quas, reluctans licet, aſſequi compulſus eſt, Conſtantino Duca Imperatore. Ipſe nihilominus humanitùs quidpiam admiſit, ab Eudoxiæ Auguſtæ eunucho deluſus. Nimirum Conſtantinus Ducas Imp. morti proximus ſyngrapham patriarchæ ſervandam tradiderat, qua Imperatrix cum ſacramento ſpoponderat, ſe à ſecundis nuptiis temperaturam, nec alium Imperii conſortem filiis ſuis addituram: quod & Senatores jurejurando confirmarant. Eunuchus, ut ſyngrapham à Lichude extorqueret, fingit Eudoxiam Bardam ipſius fratrem deperire, velleque eum ad Imperii faſtigium evehere. Vana ſpe lactatus, deluſuſque patriarcha, libellum Auguſtæ reddit, quæ nulla mora Romanum Diogenem ſibi connubio jungit, Imperatoremque declarat. Quum Patriarcharum indices annos tredecim ſexque menſes Joanni tribuant, Zonaras undecim dumtaxat annos numerat, & menſes ſeptem: Ἄρτι δὲ τοῦ πατριάρχου Ἰωάννου τοῦ Ξιφιλίνου πρὸς τὰς αἰωνίους μεταθεμένου μονὰς, ἐπὶ δέκα ἐνιαυτοὺς, ἐφ' ἑνὶ, καὶ μησὶν ἑπτὰ τὴν ἐκκλησίαν ποιμήναντος. Enimvero Anna Comnena lib. 3. Alexiadis p. 75. *anno quarto Michaëlis Ducæ & filii ejus Conſtantini Impp. 2. die menſe Auguſti, Indict.* XIII. hoc eſt anno Chriſti 1075. mortuum eſſe ſacratiſſimum patriarcham Joannem Xiphilinum teſtatur. τῷ τετάρτῳ ἔτει τῆς βασιλείας Μιχαὴλ τοῦ Δούκα, καὶ τοῦ υἱοῦ Κωνσταντίνου αὐτοκράτορος, τελευτήσαντος τοῦ ἱερωτάτου πατριάρχου Ἰωάννου τοῦ Ξιφιλίνου, μηνὸς Αὐγούστου, δευτέραν ἄγοντος, ἐπινεμήσεως τρισκαιδεκάτης. Quo fit, ut Xiphilinus patriarchatum ſit adeptus anno 1064. menſe Januario, vel menſe Decembri anterioris anni. Nonnullæ ſuperſunt Joannis Xiphilini homiliæ, quarum aliquot typis prodierunt; ſed & in Jure Græco-Rom. lib. 3. duo ſtatuta ſynodalia exſtant, quorum primum latum eſt die 26. Aprilis feria 4. Indict. IV. anno mundi 6574. Chriſti 1066. *De ſponſalibus clericorum*, alterum die 19. Martii, Indict. V. anno 6575. Chriſti 1067. iterum *De ſponſalibus*. Tertium die 16. Februarii, feria 3. Indict. VIII. ſeu Chriſti anno 1070. Lib. 3. ejuſdem Joannis Xiphilini patriarchæ decretum habetur ad quemdam metropolitam *De nuptiis prohibitis*.

XCI. Cosmas I.

Anno 1075. *Joanne Xiphilino patriarcha defuncto*, ait Scylitzes, *Michaël Ducas Imperator, alium eligit, non ex ſenatorio ordine, non ex eccleſiæ Byzantinæ clero, neque ullum alium ex Byzantinis, qui tum eloquentia, tum rebus geſtis clari eſſent, ſed Coſmam quemdam* A *monachum, qui è ſancta civitate Hieroſolymis venerat, magnoque apud Principem honore habebatur propter virtutem qua præditus erat, tametſi externæ ſapientiæ expers, illius arcana minime delibaverat.* Hinc in catalogis *Coſmas Hieroſolymitanus* dicitur. Eo ſedente, Nicephorus Botoniata Imp. renuntiatus fuit, qui ab Æmiliano Antiocheno & Iconii metropolita, tum deinde à Coſma feria 3. majoris hebdomadis die 3. Aprilis anno 1078. Alexio Comneno in Imperii conſortium accito, à Maria Alana Auguſta ejuſque filio Conſtan- B tino, Irenen ejus uxorem corona regia redimit. Quum deinde Alexius ſolus Imperatorem ageret, Coſmas, qui reipublicæ mutationem improbaret, nec emendationem ſperaret, miniſtro ſuo Pſalterium tollere, ſeque ſequi juſſo, eccleſia exceſſit, nec in eam, Imperatoribus licet obnixe flagitantibus, reverti voluit, *quum Byzantinam plebem annos quinque & menſes novem rexiſſet*, inquit Zonaras, ἔτη πέντε καὶ μῆνας ἐννέα τὸν πιστὸν ποιμάνας λαόν. Anna Comnena pontificatum ab eo abdicatum refert poſt dies aliquot à coronatione C Irenes, ipſa die memoriæ confeſſionis Sancti Joannis Theologi ſeu Evangeliſtæ. κατὰ τὴν μνήμην τοῦ ἱεράρχου Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου, peracto ſacro in templo quod ejuſdem Apoſtoli nomine nuncupatum erat in Hebdomo, ſeu pro more Græcorum, die octava Maii, quum pontificalem ſedem exornaſſet annos quinque & menſes novem, ἔτη πέντε καὶ μῆνας ἐννέα, atque in monaſterium Calliæ ſeceſſit. Quod contigit anno 1081.

XCII. Eustratius.

D Anna Comnena pergit, patriarchalis ſedis gubernacula capeſſiviſſe eunuchum *Euſtratium Garidam*, quem Zonaras ex monaſtico ordine aſſumtum refert, hominem nullius eruditionis, nec rerum gerendarum peritum, qui, quum eam dignitatem *tres annos* obtinuiſſet, τρεῖς ὄντως ἐνιαυτούς, ab Imperatoribus ob cauſam ſatis obſcuram è ſacro templo eſt deturbatus, anno 1084. At certe Alexio Comneno Imp. ſuſpectus factus eſt, ex quo Itali, illa ætate apud Byzantinos Philoſophiæ magiſtri, qui diſcipulos ad rebelliones excitare fe- E rebatur, erroribus ſuffragari viſus erat. Lib. 4. Jur. Græco-Rom. ſtatutum ſynodale exſtat Euſtratii patriarchæ *De duobus ſobrinis qui matrem & filiam duxerant*: diremtumque eſt poſterius matrimonium iſtud illicitè contractum. Anna Comnena lib. 5. Euſtratium à Joanne Italo in hæreſim pellectum tradit, qui facile perverti ob imperitiam poſſet.

XCIII. Nicolaus III.

Euſtratio ſuffectus eſt *Nicolaus* monachus,

Grammaticus appellatus, ait Zonaras, qui in ſtadio virtutis ætate tranſacta, literarum quoque rudis non erat, etſi non affatim peritus. Ex Anna Comnena, Alex. X. patriarchatum iniit Indict. VII. anno mundi 6592. ſeu Chriſti 1084. poſt Euſtratii Garidæ, quam vocat, abdicationem, παραίτησιν. Hunc Zonaras annos 27. ad profundam uſque ſenectutem ſediſſe prodit: ὁ δὲ πατριάρχης Νικόλαος ἐπὶ εἴκοσι πρὸς ἑπτὰ ἐνιαυτοὺς τὴν ἐκκλησίαν ἰθύνας, καὶ εἰς γῆρας ἐλάσας βαθὺ, νοσήσας ἀπεβίω: cujus funus, inquit, Imperator maximis honoribus proſequutus eſt. In catalogo patriarcharum lib. 4. Juris Græco-Rom. viginti ſeptem anni ei aſſignantur, treſque menſes ἔτη κζ'. μῆνας γ'. alii dies decem addunt, καὶ ἡμέρας ι'. Obiit itaque Nicolaus anno Chriſti IIII. quippe qui anno 1084. ante menſem Septembrem fuerat ordinatus. Ex lib. 5. Bibliothecæ Cæſareæ codice 285. *Cirdynatus* cognominabatur, quinetiam *Probletus* & *Theoprobletus*, θεοπρόβλητος, ac ſi Dei numine ad patriarchatum promotus eſſet: aſſumtuſque dicitur ex monaſterio Prodromi ſeu Præcurſoris, Conſtantinopolitano, quod Lophadi dicebatur. ἐπὶ τῶν ἡμερῶν τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου ΚΠ. Νικολάου τοῦ Κιρδυνάτου, τοῦ ἐκ τῆς σεβασμίας μονῆς τοῦ τιμίου Προδρόμου τῆς ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐπιλεγομένης Λοφάδου, τοῦ ἐπικληθέντος Θεοπροβλήτου. Menſis Novembris die 15. Indict. X. ſynodicum decretum dedit *De præſtatione Canonicorum* quod exſtat lib. 4. Jur. Græco-Rom. Ejus tempore celebris conventus habitus eſt epiſcoporum & procerum Imperii, propter Leonem Chalcedonenſem metropolitam, qui Alexium Comnenum Imp. Iconomachicæ hæreſis taxabat, quia ſacram ſuppellectilem auream & argenteam, in qua imagines ſanctæ inſculptæ erant, frangi, & in monetam converti juſſerat, ad bellorum ſumtus ſuſtinendos. Una porro ſententia omnes amplexi ſunt, confirmaruntque Decretum illud vetus unionis pro cultu SS. imaginum, quod ſub Theodora Auguſta Theophili vidua, ejuſque filio Michaële, ac S. Methodio patriarcha ſancitum fuerat. Hujus conventus acta ex codice Coisliniano publicis juris fecit vir cum primis eruditione clariſſimus D. Bernardus de Montefalconis. Eo quoque ſedente, Nilus quidam ſpuria dogmata de Chriſti incarnatione commentus eſt, quæ ex Armenorum placitis acceperat, damnatus vero confeſtim fuit in ſynodo, quam Nicolaus ejus cauſa coëgit. Aliam exitioſam luem idem Patriarcha cum Alexio Imp. compeſcuit, Bogomilorum, ejuſque auctorem Baſilium anathemate in ſynodo feriit, & una cum epiſcopis & monachis, quos ad ſynodum vocaverat, dignum cenſuit qui igne accenſo periret, ἅπαντες τῆς ἱερᾶς συνόδου, καὶ τῶν Ναζιραίων λογάδες, καὶ αὐτὸς δὲ ὁ τότε πατριάρχης ὁ Νικόλαος πυρὸς ἄξιον ἔκριναν. Anna Comnena, de illis hæreſibus ſcribit lib. 10. & 11. Alexiadis. Vide Allat. lib. 2. De conſenſ. c. X. n. 5. ex lib. 10. & 15. Alexiadis, Euthymius quoque Zygadenus, qui Alexii juſſu, eadem Anna teſte, *Panopliam ſacram* compoſuit, adverſus hæreſes, in qua contra Bogomilos accurate diſputat, itemque Conſtantinus Harmenopulus in tractatu De hæreſibus.

XCIV. JOANNES IX.

Nicolao III. ſuffectus eſt *Joannes* cognomento *Hieromnemon*, ut fertur in catalogis; cujus etiam Zonaras, narrata Nicolai morte, meminit, ſed omiſſo prorſus nomine. Alium, inquit, in patriarchali ſolio collocavit Imperator, ejus qui Chalcedonenſi eccleſiæ tunc præerat fratris filium, ἀδελφιδοῦν δὲ τοῦ τῆς ἐν Χαλκηδόνι τότε προέδρου ὄντος ἐκκλησίας. Ob cujus utique cognationem in catalogo Nicephori Calliſti *Chalcedonius* nuncupatur. Ex eccleſiæ clero, ac diaconorum ordine, quin & illorum qui primum apud Patriarcham locum tenent, aſſumtus eſt; nam ex Georgio Codino, duodecima Byzantinæ eccleſiæ dignitas eſt, *Hieromnemonis*. Addit Zonaras, profanis eum, ſacriſque literis ab ineunte ætate ſtuduiſſe. Huic duo catalogi annos 23. pontificatûs tribuunt, adeoque mortem obiit anno 1134. De illo autem multa non reperi; ſed nec eum Baronius novit, uti neque Matthæus Cygala in ſuo indice.

XCV. LEO.

Joannem excepit *Leo*, cognomento *Stypiota*, vel, ut in catalogis legitur, Λέων ὁ Στύπης, *Leo Stypæ*, eodem anno 1134. Joannis Comneni imperantis decimo octavo. Hic Enthuſiaſtarum & Bogomilorum abſurdiora dogmata, quæ Conſtantinus Chryſomalus cum Petro monacho & Georgio Pamphili aſſerebat, coacta ſynodo, proſcripſit; cujus ſententiam Leo Allatius lib. 2. de Eccl. Occid. & Orient. conſenſ. cap. 11. edidit, latam menſe Junio, Indict. III. ac proinde anno 1143. Octo annos Leo Stypiota ſediſſe fertur in catalogis, ἔτη η'. καὶ μῆνας ἑξ'. munus abdicavit anno 1146.

XCVI. MICHAEL II.

Poſt Leonem Byzantinam ſedem *Michaël* cognomento *Curcuas* obtinuit, qui & *Oxita* dictus eſt, ab Oxia inſula, cujus monaſterio præfuerat. Hunc Joannes Cinnamus humanioribus literis leviter fuiſſe imbutum ait, at morum elegantia, ut rerum divinarum ſcientia, nemini inferiorem. Nicetas Choniates hunc

hunc perinde à virtute commendat, & Christianarum literarum eruditione: qui patriarcha constitutus, eum à quo designatus erat, Imperatorem unxit, Manuëlem nempe, qui præ Isaacio fratre natu majore imperium sibi statim à morte parentis paraverat. Duos annos dumtaxat Michaël sedit, ac menses octo, secundum varios indices, adeoque ad annum usque 1146. quum anno 1143. patriarchatum iniisset. Ex Niceta in Manuële Comneno lib. 2. n. 3. Michaël sede ultro cessit, & insulam Oxiam repetiit, in qua vitæ inopis & simplicis institutum amplexus erat. Ibi in templi vestibulo prostratus, cunctis monachis collum calcandum præbuit, quod contra quam expediret, amatam à primis annis quietem repudiasset, nulloque fructu thronum sublimem conscendisset. Ipso primo sui pontificatus anno Nyphonem Bogomilorum hæresis reum, duosque Cappadociæ spurios episcopos, qui ad eorum impietatem accedebant, vocatis synodis damnavit. Quorum gesta legenda sunt apud Leonem Allatium lib. 2. de consens. cap. 12.

XCVII. Cosmas II.

Statim atque Michaël Oxita patriarchatum deposuit, à Manuele Imp. suffectus ei *Cosmas* fuit, quem *Atticum* cognominabant. Hunc Nicetas Choniates in Manuële Comneno lib. 2. n. 3. e diaconorum numero assumtum ait, patria Æginetam, &, quamvis eruditissimus esset, virtutum choro illustriorem extitisse, præsertimque propensa erga pauperes miseratione, ut aliquando pallium, tunicam, lineamque capitis calyptram egenis largitus sit. Hunc Isaacius Sebastocrator Manuëlis frater tanti faciebat, ut pene pro Deo haberet. Paucis tamen mensibus sedit, quum decem episcopi Imperatori suspectum eum reddidissent, ceu imperium in fratrem illius Isaacium transferre destinasset. In crimen demum vocatus est, quod familiaris ejus factus esset Niphon ille quem Michaël Oxita ob hæresis Bogomilicæ suspicionem damnatum, monasterio incluserat. In judicium adductus, Imperatricis utero maledixit, ne mares procrearet, & synodum quæ ipsum sede amovebat, dure perstrinxit. Conto-Stephanus, unus eorum qui Imperatoris thronum cingebant, Patriarchæ ob uteri maledictionem alapam pene impacturus, hoc ab eo responsum retulit, jamjam ipsum Petræam suam recepturum, eoque significatum est, quo mortis genere ille periturus esset: sed nec masculam sobolem obtinuit Imperator. Sententiam qua Cosmas sede ejectus est, Leo Allatius lib. 2. de conf. cap. 12. Græce Latineque edidit, latam anno mundi 6655. mense Febr. die 26. feria 4. Indict. IX. hoc A est anno Christi 1147. (non prorsus ut bis apud Allatium legitur, *anno mundi 6652. ἔτει ϛχνϐ'.*) qui inceperat à Kal. Sept. anno 1146. & quo nec indictio decima fuit, nec 26. Febr. in feriam 4. incidit. unde emendandum *ἔτει ϛχνε', μηνὶ φεβρουαρίῳ, ἡμέρᾳ τετάρτῃ, Ἰνδικτιῶνος ι'.* Joannes vero Cinnamus veram destitutionis Cosmæ causam hanc fuisse narrat, quod, quum Imperator, vocatis episcopis, ab unoquoque quæsiisset, quid de Niphone illo censerent, singulique id quod verum erat enuntiassent, solus Cosmas illum ceu virum B religiosum, neminique virtute comparandum commendaverit: quo audito ab omnibus judicatum est eum in throno perstare non debere.

XCVIII. Nicolaus IV.

Ejecto Cosma, ecclesia mensibus decem vacavit, Callisto teste, *καὶ ἡ ἐκκλησία χηρεύουσα μῆνας ι'.* ad mensem Decembrem usque ejusdem anni 1147. quo *Nicolaus* cognomento *Muzalo* patriarcha constitutus fuit, ex insulæ Cypri archiepiscopo, ex qua sponte secesserat. *τὸν δὲ τῆς Κυπρίων ἐκκλησίας θρόνον λαχὼν, C εἶτα ἐθελόντης ἐκεῖθεν ἀφίσταται,* inquit Cinnamus: qui continuo pergit, ut res administrare cœpit, omnium ora in ipsum commota esse, Byzantinum thronum injustè ab eo occupari clamantium, ceu sacerdotium antehac cum ecclesia, quam nactus erat, deposuisset. Qui obstinatè primum cedere sede nolens, abdicata deinde dignitate, ad vitam privatam rediit, postquam, ex Nicephoro Callisto, Constantinopoli sederat annos tres & menses quatuor, ad annum usque 1151. & mensis Martii exitum, aut Aprilis initium lib. 4. Jur. Græco-D Rom. constitutum ejus habetur *De sponsalibus duorum consobrinorum, fratrumve patruëlium, cum duabus sororibus,* quæ non impediri definita sunt.

XCIX. Theodotus II.

Nicolao Muzaloni succedit *Theodotus* in omnibus catalogis, Θεόδοτος, monachus & præpositus monasterii S. Resurrectionis, quem Cinnamus, loco quem mox appellavi, asceticæ vitæ institutis apprime instructum testatur. Ex catalogo Nicephori duos annos sedit E ἔτη β'. tres vero in catalogis Matthæi Cygalæ & Philippi Cyprii, ἔτη γ'. Anno itaque 1153. adulto obiit.

C. Neophytus, electus.

Catalogi qui editi sunt, post Theodotum *Neophytum* habent, ex incluso monasterii Evergetidis; ejus vero anni non enuntiantur. *Νεόφυτος ἔγκλειστος, ὁ ἐκ τῆς μονῆς τῆς εὐεργέτιδος.* Solus Nicephorus Neophytum hunc non habet; quippe qui certè Patriarchatum non

gessit. Enimvero doctissimus Cangius in A *Constantinopoli Christiana*, pag. 87. ex Indice alio qui exstat in Cod. Reg. 2423. hæc recitat de eodem Neophyto. Νεόφυτος μοναχὸς ὁ ἀπὸ τῆς σεβασμίας μονῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου τῆς Εὐεργέτιδος, περὶ οὗ πρὸ τοῦ χειροτονηθῆναι διωμολόγηται, ὡς Αναγνώστου ἔχων σφραγίδα, καὶ στολὴν τούτου ἠμφιεσμένος, ἐκβαλὼν αὐτὴν, λαϊκῶν ἄμφιον ἠμφιέννυτο, καὶ διὰ τοῦτο κεκώλυται τῆς χειροτονίας, καὶ ὑπεχώρησε τῶν πατριαρχικῶν κελλίων, προσμείνας ἐν τούτοις μῆνας ε΄. *Neophytus monachus è venerando monasterio Deiparæ Evergetidis assumtus: de quo asseritur,* B *quod, quum Lectoris gradum obtinuisset, hujusque sacri muneris vestem induisset, ea abjecta, laïcorum indumentum accepit; quod in causa fuit, cur prohibitus sit ne consecraretur: transactisque in patriarchalibus ædibus mensibus quinque, iis demum expulsus fuit.*

CI. Constantinus II.

Sequitur in catalogis *Constantinus* cognomento *Chliarenus*, ex diacono, & magnæ ecclesiæ Sacellario, cujus episcopatûs anni duo sunt apud Nicephorum Callistum. Lib. 3. C Jur. Græco-Rom. constitutio habetur Constantini Chliareni patriarchæ, Κωνσταντίνου Χλιαρηνοῦ, *De his qui latrones occidunt*, sed absque temporis nota.

CII. Lucas.

Constantino suffectus fuit *Lucas Chrysoberges*, qui annos quindecim & menses tres sedisse fertur apud Nicephorum Callistum: annorum numerus abest prorsus in aliis catalogis. Atqui patriarchatum auspicatus videtur circa annum 1155. perseveravitque ad annum D usque 1169. Anno 1156. Januarii 26. Indict. IV. Constantinopoli synodus habita est in causa Soterichi Panteugeni, Antiocheni patriarchæ designati, qui ejusmodi errorem de Christi sacrificio asserebat, illud Patri & Spiritui sancto in cruce oblatum esse, & in altari quotidie offerri, at non ipsi Verbo Dei Filio. Cujus quidem opinionis ipse auctor non erat, sed diaconus quidam Constantinopolitanus, cui Michaël diaconus protecdicus Thessalonicensis, Nicephorus Basilacius, quin & Eustathius Dyrrachenus metropolita, socii E accesserunt. Synodus anathemate eos feriit, qui dogmati illi pertinaciter adhærerent. Secunda hujus synodi actione quæ habita est die 12. Maii, Nicephorus Basilacius erroris sui veniam petiit, Soterichus vero, vix ægre argumentis convictus cessit. Altera die 13. Maii fer. 2. quum dubitaretur, an Soterichus, etsi sententiam ejuraverat, ad Antiochenam sedem promovendus esset, causa discussa, sacerdotio indignus pronuntiatus fuit. Anno 1166. Indict. XIV. mensis Aprilis die 11. Lucas concilium habuit, in quo prohibitæ denuò sunt nuptiæ septimi gradus. Tum eodem anno, qui Manuëlis Imp. 23. erat, & ab orbe condito secundum Constantinopolitanos 6674. synodus altera celebrata est, cui præfuit ipse Lucas cum Antiocheno & Hierosolymitano patriarchis, in qua agitata est Alamannorum quorumdam causâ, qui Christum humanitatis assumtæ causâ dixisse, Patrem esse se majorem, contendebant. Horum fides approbata, vindicataque est, tribus eorum æmulis ad palinodiam coactis. Jurgii originem ac seriem recitat Joannes Cinnamus lib. 6. hist. n. 2. cujus auctorem fuisse ait, Demetrium quemdam, Lampe ex oppido Asiæ oriundum, qui episcopos fere omnes in suam mentem traxerat. Lucas fere solus patriarcha ex adverso stabat cum sex diaconis suis, Imperatore Alamannorum adversariis favente. At Manuëlem Euthymius Novarum Patrarum episcopus ad saniorem sensum transtulit, quem reliqui concilii Patres demum amplexi sunt, Joanne Corcyræo, & Irenico monacho, quod à priori sententia non desciscerent, anathemate perculsis. Narrat quoque Cinnamus, quum Manuël Imp. hostibus victis triumphum agens ad divinæ Sapientiæ templum, comitante ipsum Clitziestano Sultano, pergeret, Lucam Patriarcham obstitisse, ne Mohammedanus princeps ædem sacram ingrederetur. Nuptiis Manuëlis cum Maria Raymundi Antiochiæ principis filia Lucas benedixit anno 1167. die 25. Decembris, una cum Sophronio Alexandriæ & Athanasio Hierosolymitano patriarchis.

CIII. Michael III.

Post Lucam anno 1169. patriarchatum iniit *Michaël*, qui ex diacono quondam & Sacellario magnæ Ecclesiæ Anchiali episcopus evaserat, ac *supremus Philosophorum* habebatur, ὁ τοῦ Αγχιάλου, καὶ φιλοσόφων ὕπατος, cui annos octo & menses duos Byzantini episcopatus attribuunt, ut ex consequenti sederit ad annum usque 1177. quo obiit. Vir fuit Latinis magis quam Lucas infensus, contra quos calamum strinxit. Dialogum habuit cum Manuele Imperatore, qui Constantinopolitanæ ecclesiæ cum Romana unionem redintegrare meditabatur. Dictu mirum quam insaniat ille *Philosophorum princeps* in Romani pontificis dignitate deprimenda, ex hujus colloquii fragmentis quæ Leo Allatius protulit lib. 2. de consens. cap. 3. n. 2. col. 526. In uno eorum quod idem Allatius recitat eodem lib. cap. 5. n. 2. dominari sibi suisque Agarenum principem mavult, quam cum Romanis in concordiam venire: Mohammedanos

quippe minus quam Latinos esse infideles ac impios. Lib. 3. Jur. Græco-Rom. Michaëlis hujus Anchiali decreta synodalia quinque edita sunt, quorum secundum latum fuit mensis Novembris die prima, Indict. IV. Μηνὶ Νοεμβρίῳ ἡμέρᾳ α'. ἰνδικτιῶνος δ'. hoc est anno Christi 1170. Theodoro Balsamoni ipse cum Manuële Imp. auctor fuit, ut in canones ecclesiasticos commentaria scriberet.

CIV. Chariton.

Michaëlem illum III. excepit *Chariton* cœnobii Manganorum præpositus, ἡγούμενος B Μαγγάνων, qui, Onuphrio Panvinio teste, undecim dumtaxat menses sedit, obiitque anno 1178. vel 1177. labente.

CV. Theodosius.

Charitonem sequitur *Theodosius*, quem Callistus *Bornadiotem* cognominat, Θεοδόσιος ὁ Βορραδιώτης, & Manuële atque Andronico Comnenis Impp. sedisse asserit. Hunc Nicetas ex patre Armeno natum tradit: in catalogo vero qui exstat lib. 4. Jur. Græco-Rom. Antiochia oriundus dicitur, & monasticam C vitam coluisse in colle S. Auxentii in Bithynia, sedisseque *annos* .... ἔτη .... (numerus abest) alii catalogi tres annos habent, ἔτη γ'. omnes illum ab Imperatore ejectum ferunt. Dignitatem ergo capessivit ipso anno 1178. ineunte, atque 36. Manuëlis Comneni, qui anno 1180. tertia die Octobris defunctus est. Anno mundi, 6688. Indict. XIII. sive Christi 1180. Alexium Comnenum Imp. cum Anna Francica connubio junxit, ut fert Codinus in Origin. Constantinop. pag. 80. cujus interpres Theodosium, non *Constantinopolitanum*, sed D *Antiochenum* Patriarcham, oscitantiùs scripsit, etsi Græcus Codini contextus aperte satis significabat eum, quum patria Antiochenus esset, Patriarcham tamen *Oecumenicum* fuisse, adeoque Byzantinum, διὰ τοῦ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου κυροῦ Θεοδοσίου τοῦ Ἀντιοχέως, *per Oecumenicum patriarcham Domnum Theodosium Antiochenum.* Nemo nescit *Oecumenici* Patriarchæ appellationem soli Constantinopolitano antistiti à Græcis attributam esse. Theodosius Alexii Protosebasti, qui propter Alexii Manuëlis filii pueriles annos rerum po- E tiebatur, artibus & dolis destitutus fuit; quod Nicetas Choniates n. 6. in *Alexio* accidisse narrat post militum Imperatoris seditionem, quæ contigit *feria 7. die 2. Maii, Indict. XV.* καθ' ἡμέραν ἑβδόμην, δευτέραν τοῦ Μαΐου μηνὸς, τῆς πέντε καὶ δεκάτης ἰνδικτιῶνος, anno proinde 1182. Verum idem Auctor n. 8. pergit, obliquum illum anguem, Protosebastum scilicet, cum viro sancto, quem in Pantepoptæ monasterium relegaverat, plurimis tentatis

A viis, variis rationibus excogitatis, improbissimorum senatorum & episcoporum consiliis, quum nihil in illo comperisset, propter quod ei sacerdotium adimeretur, ægerrime tamdem assensum esse, ut ad pristinam sedem revereretur, ἐπινεύει καὶ αὐτὸν τῇ εἰς τὸν πρότερον θρόνον αὖθις ἐπανελεύσει. Tum die reditûs instante, omnes magistratus, omnes sacerdotes, totaque Urbis multitudo obviam ei processerunt, vici fragrantissimis odoribus perfusi fuere, & ob nimiam turbam eorum qui ad ipsum confluxerant, non nisi vespere ad divinæ Sophiæ templum perventum est. Episcopos qui ipsum in jus vocare voluerant, τῶν θεμένων αὐτὸν ὑπόδικον, ita facti puduit, ut publicas vias declinarent propter vulgi derisum. Verum anno insequenti Andronicus fratris Imperatoris Manuëlis filius, qui jam pridem Imperium affectabat, Patriarcham sibi devincire tentavit, nec vero obtinuit. Utriusque colloquium refert Nicetas n. 12. Demum quia minime probabat Irenem Andronici filiam cum Alexio, quem ex incestu Theodoræ Manuël genuerat, connubio copulari, majoremque episcoporum & sacerdotum partem his nuptiis favere, è sacro palatio in insulam Terebinthum, in qua sibi diversorium ac sepulcrum struxerat, sponte secessit; quod factum est anno 1183. Ex quo confirmatur, Theodosium, non tres annos dumtaxat, sed sex integros patriarchatu functum esse. In Jure Græco-Romano lib. 3. pag. 231. decreta duo synodalia exstant ejusdem Theodosii Patriarchæ, quorum primum est *De nuptiis illi feminæ permittendis quæ sobrino priùs desponsata erat,* datum 30. Julii, Indict. XII. seu anno Christi 1179. Nicetas in Manuële Comneno lib. 7. n. 6. refert, qua constantia eidem Imperatori restiterit, ne ex catechesibus adimeretur anathema, quod Mohammedanorum sententiæ de Deo ὁλοσφύρῳ, qui nec generet, nec generetur, apud Græcos dicitur.

CVI. Basilius II.

Theodosio suffectus est *Basilius* cognomento *Camaterus* & *Phylacopulus*, ex diacono & Chartophylace magnæ ecclesiæ, ait Callistus. Nicetas in *Alexio* Manuëlis filio, n. 15. non tam ei delatum, quam venditum sacerdotium asserit, accepta ab Andronico syngrapha, qua promiserat se quidquid ei luberet, effecturum & ea aversaturum, quæ ipsi minime placerent. Ex catalogis omnibus, duos dumtaxat annos, sexque menses sedit, donec ab Isaacio Angelo pulsus est, anno 1186. Quod Nicetas narrat in ejusdem Isaacii historia lib. 1. n. 4. *Imperii compos factus Isaacius*, inquit, *Basilium Camaterum, etsi ejus ope adeptus principatum fuerat, patriarchali*

throno dejicit. Destitutionis causa prætexebatur, quod, quas nobiles matronas in monasteria Andronicus invitas detruserat, iis ipse vestitu nigro ablato, reditum ad pristinum habitum, & vitæ rationem concessisset. Callisto autem Nicephoro teste, verebatur Isaacius, ne Basilius, a quo Imperii corona redimitus erat, alterum subinde coronaret.

CVII. NICETAS II.

Isaacius Angelus, Basilio ejecto, *Nicetam Muntanem,* τὸν Μουντάνην Νικήταν, magnæ ecclesiæ Sacellarium, patriarcham designat: sed ne hunc quidem hominem extremæ senectutis in throno exspirare passus est, verum invitum expulit, simplicitatem hominis levitatemque obtendens, seniumque minime contemnendum crimini vertens. Cæterum in Matthæi Cygalæ & Philippi Cyprii catalogis sex annos sedisse fertur, totidemque menses; Nicephoro autem Callisto, annos tres & dies decem ἔτη γ', καὶ ἡμέρας ι'. quod vero similius est. In eo indice quem Leunclavius lib. 4. Juris Græco-Romani edidit, Nicetas patriarchatui renuntiasse legitur, εἶτα παρῃτήσατο: sed potior est Choniatæ fides. Anno itaque 1190. Nicetas throno ejectus fuit.

CVIII. LEONTIUS.

Nicetæ successor ab Isaacio Angelo datus est *Leontius,* præpositus monasterii quod in colle S. Auxentii positum erat. Cui tamen Nicephorus Callistus in catalogo præmisit Dositheum, de quo mox dicetur. Catalogis aliis favet Nicetæ Choniatæ narratio lib. 2. n. 4. Isaacius, Niceta amandato, quum diligentius, inquit, de gubernatione ecclesiæ cogitaret, Leontium monachum quemdam magnum pastorem designat, in populi frequentia pro tribunali regio jurejurando asseverans, virum hunc, quem prius ignoraret, sibi noctu à Dei genitrice monstratum, non forma, virtuteque ejus dumtaxat descripta, sed loco insuper ostenso in quo habitabat. Atqui eum quem à Dei genitrice indicatum dixerat, anno nondum elapso, οὔπω ἐνιαυτὸς ἐξήκετο, repudiavit, nihil verecundatus, etsi illum antehac uti divinum hominem extulerat. Hæc Nicetas. Leontius itaque patriarchatu anno 1191. septem mensibus functus est. Theotocistes, Θεοτοκίστης, dictus fuit ob Imperatoris Angeli quam narravi fabulam.

CIX. DOSITHEUS.

Quod *Dositheum* attinet, Venetiis natus erat ex patre cui Vitriclino nomen; & patriarcha Hierosolymitanus cum esset, Constantinopoli agens, de eo in Leontii locum promovendo cogitavit Isaacius. Quæ translatio, quia Ecclesiæ regulis consentanea satis non erat, Theodorum Balsamonem Antiochiæ itidem patriarcham, qui perinde in urbe Regia morabatur, astu circumvenit, inquit eo quem mox appellavi loco Nicetas, ut in privato colloquio dolere se simularit, quod Ecclesia viris piis doctisque destitueretur, & monastica virtus ita obsolevisset, adeoque evanuisset, ut nemo exstaret qui suam Urbis sedem, cœtumque fidelium optime procuraret. Quæ, ut id genus alia, non sine gemitibus præfatus, subjunxit sibi olim in animo fuisse ipsum ex Antiochena sede ad œcumenicam, veluti lucernam splendentem, transferre: ab hac vero mutatione se veterum sanctionum ecclesiasticarum interdicto deterritum: sin tamen ipse, uti legum canonumque peritissimus, demonstrare & vulgo persuadere posset, translationem velut pridem, ita nunc quoque habere locum, mox ipsum incunctanter esse designandum. His inescatus Theodorus, cuncta facilia esse affirmavit, factoque postridie episcoporum consessu, eaque quæstione agitata, translatio licita esse asserta, & literis Imperatoris confirmata est. Isaacius vero, Antiocheno relicto, velut ante fuerat, Dositheum à Hierosolymitana ad Byzantinam sedem provexit, eoque frequenti adeo splendidoque comitatu, ut regium triumphum referret. Cæterum episcopi, qui se canonibus posthabitis delusos sentiebant, quum irrideri se diutius non ferrent, extraordinaria concilia & conventus habentes, qua sonora voce valuerunt, Dositheum alienæ ecclesiæ occupatorem pronuntiant, & secundo eo honore ablato, è sede dejiciuunt. Imperator vero contumeliam non ferens, ex adverso contendit ut translatio rata valeat: sed & abrogationis sententiâ rescissâ, Dositheum denuò confirmatum per bipenniferos satellites & palatinos proceres in eamdem sedem reducit. Metuebat tamen, ne populus novis rebus studeret, quando Dositheus ob ambitionem, & intempestivam Imperatoris pertinaciam omnibus invisus factus erat. Hucusque Nicetas, qui Dositheum intrusum, synodi decreto rejectum, ac subinde restitutum significat. In catalogo Matthæi Cygalæ duos annos sedisse fertur, ἔτη β'. in Philippi Cyprii, annos 3. ἔτη γ'. Nicephorus Callistus dies dumtaxat novem habet, ἡμέρας θ'. manifesto errore. Cygalæ calculos potiores æstimavero; ut tamen anni duo integri non fuerint, ab anno 1191. labente ad 1193. currentem. Dositheum autem eodem modo Byzantinum episcopatum captare voluisse Nicetas ait, quo canis Æsopicus: quippe pontificatum quem tenebat amisit, altero Hierosolymis ordinato, ac majori sede quam ambierat, excidit. Quamquam non tacendum, Nicephorum

Calliſtum ferre, eum Hieroſolyma profe- A ctum, priſtinum huncce thronum ſuum recepiſſe: de quo dicendum erit in Patriarchis Hieroſolymitanis. Methodius quidam monachus, quem Leo Allatius profert Exercitationes 17. adverſus Creyghtonum, recitata frequenti illa Byzantinorum hujus ævi præſulum mutatione, ſubdit: » Hunc in modum itaque quinque patriarchas Conſtantinopolitanos Iſaacius creavit ſpatio novem annorum, quibus rerum potitus eſt. Πέντε γοῦν οὕτω πατριάρχας τῆς Κωνσταντίνου ὁ Ἰσαάκιος ἐγκατέστησεν ἐν χρόνοις ἐννέα, οἷς καὶ τὴν βασιλεύσας οὗτος. B

CX. Georgius II.

Doſitheo ſucceſſor datus eſt *Georgius* cognomento *Xiphilinus*, magnus Scevophylax, ſeu vaſorum cuſtos, ut in catalogo Leunclavii fertur lib. 4. Juris Græco-Rom. *Annis ſex & menſes decem præclare & religioſe tranſactis*, καὶ ζήσας ἔτη ϛʹ. καὶ μῆνας ιʹ. καλῶς καὶ θεοφιλῶς, *ad Dominum migravit: & quia peregre abierat D. Auguſtus D. Iſaacii frater in expeditionem Occidentalem, ſuo patriarcha thronus caruit menſibus duobus*, μῆνας βʹ. Calliſtus ſex quidem annos eum ſediſſe perhibet, C at non menſes decem, ſed novem cum diebus 27. ἔτη ϛʹ. μῆνας θʹ. ἡμέρας κζʹ. Ex quibus intelligendus venit Nicetas in Alexio Comneno lib. 3. n. 3. ubi teſtatur Georgium ſeptem annis patriarchatu functum eſſe. Omiſit eum amotum fuiſſe, & in monaſterio Phryganorum detentum, imperante Angelo Alexio Iſaacii fratre: id quod Calliſtus in catalogo ſubjunxit, καὶ ἀπεκάρη ἐν τῇ μονῇ τῶν Φρυγανῶν, ἣν ᾠκοδόμησεν ἐπὶ τῆς βασιλείας τοῦ Ἀγγέλου Ἀλεξίου τοῦ ἀδελφοῦ Ἰσαακίου. Ejus tempore D Michaël, non *Siceliota*, Σικελιώτης, ſed *Sicidita*, Σικιδίτης, qui poſthac in monaſterium truſus, *Glycæ* nomen aſſumſit, Byzantinæ hiſtoriæ ſcriptor, diſputationem movit de corpore Domini quod ex altari accipimus, incorruptibile ſit, necne. Quo præfracte aſſerente corruptioni illud eſſe obnoxium, eo quod, aiebat, in partes multas dividatur velut olim ipſum prius fuerat quam pateretur, propter hunc errorem proſcribi meruit. Quæ fuſe refert Nicetas eodem loco quem mox appellabam: additque, inſanam ejus opinio- E nem demum exſtinctam fuiſſe ſub Joanne Camatero. Plura de his videre liceat in cod. Regio 1403. qui nonaginta *Siciditæ* epiſtolas continet, quarum plurimæ de hoc argumento agunt. Lib. 4. Jur. Græco-Romani p. 283. ſynodicum decretum exſtat Georgii Xiphilini *De juribus territoriorum*, datum die 14. Febr. fer. 2. Indict. xv. hoc eſt anno Chriſti 1197. Anno vero 1190. patriarchalem ſedem amiſit.

CXI. Joannes X.

Georgio Xiphilino *Joannes* cognomento *Camaterus* Conſtantinopolitanæ eccleſiæ Chartophylax, poſt duorum, ut prædictum eſt, menſium vacationem, ſuffectus fuit, à quo Nicetas radicitus ſucciſum ſcribit profanum Siciditæ de Euchariſtico Domini corpore dogma. Hic eccleſiæ Byzantinæ præfuit annos quinque, menſes octo, dies ſeptem, ad uſque expugnatam à Francis Urbem: quod contigit anno mundi 6712. Chriſti 1204. die 12. Aprilis fer. 2. Indict. xii. ſexta hebdomade jejuniorum. Quamobrem patriarchatum Georgius inierit anno 1199. die 23. Auguſti. Nicephorus Calliſtus hunc Urbe capta, Hadrianopoli duos annos, & menſes duos, ac dies 14. egiſſe ait, & Latinis alteram hanc urbem obſidentibus, interiiſſe. At Nicetas teſtatur eum Didymotichum migraſſe, ubi conceſſit fatis, τότε δὲ μαλακῷ θανάτῳ τὸν βίον προήκατο καὶ πατριάρχης Ἰωάννης ὁ Καμάτηρος, καταλελυκὼς πλάνης καὶ ἄποικος εἰς τὸ Διδυμότειχον. *Tunc leni morte vivere deſiit patriarcha Joannes Camaterus, qui exſul & inquilinus Didomatichum diverterat.* Georgius quoque Acropolita auctor eſt, Theodorum Laſcarim, qui duos annos integros *Deſpota*, ab omnibus Græcis, expugnata à noſtris Urbe, habebatur, Nicææ cum proceribus & eccleſiæ primoribus hæſiſſe, ubi proclamandus erat Imperator: verum aberat Patriarcha, inquit, « quum Joannes Camaterus, qui patriarchale ſolium Italis Byzantium obſidentibus honeſtabat, Didymotichum petiiſſet, ibique moraretur, περὶ τὸ Διδυμότειχον ἀπῇρε. A Laſcari vero aliiſque accerſitus, patriarchatum dato ſcripto abdicans, accedere renuit, ἀπηνήνατο τὴν πρὸς αὐτὸν ἄφιξιν, ἔγγραφον τὴν παραίτησιν ποιησάμενος. Sic quidem una vox eſt Græcorum ſcriptorum, Joannem Camaterum Byzantinum patriarchatum eo tempore geſſiſſe, quo Conſtantinopolis à Francis noſtris capta fuit. At in chronico quod *Alberici* dicitur, non prorſus Joannes, ſed Samſon iterum atque iterum nominatur: ac primo quidem ad annum 1202. Andronicum, qui fratri ſuo Iſaaci imperium ademerat, infra civitatem acies diſpoſuiſſe, *quaternorum millium pugnatorum ſingulas, quarum duces erant Livernas qui uxorem Regis Philippi Francorum tenebat, Morculfus Boterans, Petrus de Navarris, Conſtantinus, Acharias Synagon & Samſon Patriarcha.* 2.° anno 1204. *Samſon* dicitur ad Morculfi, ſeu *Murruphli*, exercitum cum *Iconia*, ſive imagine ſacra Redemtoris; Beatæ Virginis, atque Apoſtolorum veniſſe; quippe quam Græci in præliis geſtare ſoliti eſſent. 3.° Petrum de Brachnel *Samſonem*

» patriarcham ſuper galeæ naſale ſic percuſſiſſe, A
» quod ille cadens in terram *Iconiam* dimiſit,
» quam Petrus deſcendens de equo, audacter
» accepit; ad quem noſtri feſtinanter concurre-
» runt, Græcoſque impetu maximo repulerunt. Quæ quidem accepta dicuntur ex quadam Balduini Imperatoris Conſtantinopolitani epiſtola.

CXII. Michael V.

Poſt annos fere duos ab expugnata Urbe *Michaël Autorianus*, Μιχαὴλ ὁ Αὐτωρειανός, vel, ut quidam ſcribunt, *Saurianus*, Σαυρειανός, Joanni Camatero Nicææ ſubſtituitur B anno 20. *Martii*, ait Nicephorus Calliſtus, Indict. IX. τῇ κ΄. τοῦ Μαρτίου μηνὸς ϑ΄. ἰνδικτιῶνος, hoc eſt anno 1206. qui mox Theodorum Laſcarim Imperatorem coronavit. Hunc Georgius Acropolita virum diſertum fuiſſe, & Chriſtianarum, externarumque rerum peritiſſimum teſtatur: qui, cum annos ſex, menſes quinque & dies ſex ſediſſet, ἔτη ς΄. μῆνας ε΄. καὶ ἡμέρας ς΄. facto functus eſt anno 1212. die 25. Auguſti.

CXIII. Theodorus II. C

Michaële Autoriano defuncto, patriarchatus vacavit menſes decem cum dimidio, quemadmodum Calliſtus prodit, καὶ ἐχήρευσεν ὁ θρόνος μῆνας ι΄. καὶ ἥμισυ. quum Theodorus Imperator in Thraciæ partibus verſaretur: Tumque *Theodorus*, *Irenicus* à patre cognominatus, itemque *Copas*, *ſummus philoſophorum*, ὕπατος τῶν φιλοσόφων, & magnæ eccleſiæ Chartophylax patriarcha eſt ordinatus, die 28. Septembris Indict. II. fer. I. καὶ κατὰ τὴν κη΄. τοῦ Σεπτεμβρίου τῆς β΄. ἰνδ. ἡμέρᾳ α΄. D qui epiſcopatu annum unum, menſes quatuor, & dies tres functus eſt, uti Leunclavii catalogo fertur lib. 4. Jur. Græco-Rom. χρόνον ἕνα, μῆνας δ΄. ἡμέρας γ΄. mortem obiit. Sic Philippus Cyprius. Calliſtus verò unum annum habet, & dies ſex; numerus menſium excidit. Cygala annum unum & menſes quatuor numerat, nullos dies. Nec audiendus videtur Acropolita, qui in hiſtoria n. 19. & in Compendio ſex annos Theodoro attribuit. Cæterum deſignatus quidem fuerat ab Imperatore poſt decimum menſem cum dimidio E ab obitu Autoriani, conſecratus vero die, ut dictum eſt, 28. Septembris anni 1213. quæ feria 1. ſeu Dominica erat. Quapropter vivere deſiit Januarii die ultima, anno 1215.

CXIV. Maximus II.

Poſt Theodorum patriarcha creatus eſt. *Maximus* II. monaſterii Acœmetorum præfectus, vir gynecæo palpans, & inde viciſſim adjutus, ἀντιθεραπευόμενος, ait Acropolita; quin etiam Calliſtus, qui illum nullis literis imbutum, & antehac Urbe fugacem abiiſſe prodit, poſt vero Principis πνευματικόν, Confeſſarium evaſiſſe. Atqui patriarcha conſtitutus eſt die 3. Junii κατὰ τὴν γ΄. τοῦ Ἰουνίου μηνός, ac ſex dumtaxat menſibus elapſis vivere deſiit, adeoque menſe Decembri ejuſdem anni 1215. quum Imperatorem Nicænis inviſum reddidiſſet, οὗτος κατὰ τῶν Νικαέων διήγειρε τὸν βασιλέα.

CXV. Manuel I.

Maximum excepit *Manuël* cognomento *Charitopulus*, Μανουὴλ ὁ Χαριτόπουλος, qui & *Sarantenus* appellatur à Calliſto, ὁ Σαρανтηνός, ex diacono, qui Philoſophus habebatur, ait Acropolita, φιλόσοφος, ὡς ἐδόκει, ὤν, quo nempe nomine apud multos celebrabatur. Sedit annos quinque & menſes ſeptem, Nicephoro teſte, ἔτη ε΄. μῆνας ζ΄. obiitque anno 1221. circa Auguſti finem vel Septembris initium. Pag. 238. & 240. Juris Græco-Romani ſtatuta duo ſynodalia exſtant ejuſdem Manuëlis Charitopuli.

CXVI. Germanus II.

Manuëli ſucceſſit *Germanus* II. ſapientiſſimus, ſanctiſſimuſque vir, Calliſto, imo & Acropolitæ cap. 42. aliiſque Græcis, ex Anaplo Propontidis oriundus, piſcatoris, ut ferebatur, filius; qui, quum magnæ eccleſiæ diaconus eſſet, Conſtantinopoli expugnata, in Achyrenæ monaſterium S. Georgii Paneumorphi ſeceſſerat. Anno 1232. menſis Auguſti die ſexta, Indictione V. acceptis literis Manuëlis Ducæ Epiri & Theſſaliæ principis, ſynodum habuit aliquot metropolitarum, Chriſtophori ſcilicet Ancyræ Galatiæ, Joannis Nicomediæ, Nicolai Amaſtridis, Baſilii Serrarum, Agapeti Lupadii & Melitopolis, Leonis Pruſæ, Nicephori Pontoheracleæ, Leonis Pompeiopolis, Baſilii Præconneſi, Georgii Didymotichi; cujus ſynodi geſta indicantur à Lambecio ex cod. Cæſareo Græco 241. atque ad Manuëlem Ducam ab ea delegatus dicitur Chriſtophorus Ancyranus. Germano patriarchatum gerente, Joanne Batatzi Imp. anno 1234. die 26. Aprilis concilium Nymphæi in Bythynia habitum eſt, propter nuntios quatuor Romani Papæ Gregorii IX. qui Eccleſiæ unionis reſtituendæ gratia advenerant; quorum duo ex ordine Prædicatorum, duo alii ex Minorum erant: cujus ſynodi acta Græca Latinaque exſtant. Concilii nullus qui ſperabatur exitus fuit: Gregorio tamen Papæ Germanus Patriarcha epiſtolam dedit. Nicephorus Calliſtus addit, Germanum contra Latinos ſcripſiſſe; ejuſque profecto opuſcula aliquot exſtant, jejuna prorſus &

inficeta, ut fere nullum aliud Græcorum deterius prodierit. Morti proximus monasticum institutum resumsit, accito sibi *Georgii* monachi nomine; quumque ecclesiæ suæ annos decem & octo præfuisset, vitam morte commutavit. Onufrius in chronico sex menses addit, eumque obiisse censet anno 1240. Ephræmius, quem Leo Allatius laudat lib. 2. de consens. cap. 14. in sua Patriarcharum CP. chronologia, quam versibus politicis composuit, hunc inter sanctos pontifices adscriptum tradit, quem proinde in tribus catalogis abesse permirum est.

CXVII. Methodius II.

Post Germanum *Methodius* præpositus monasterii Hiacynthi apud Nicæam, ad patriarchatum provectus fuit, qui, quum doctus haberi vellet, ait Callistus, pauca tamen sciebat. Verum tres dumtaxat menses throno potitus, è vivis excessit, Acropolita teste, *ἀλλ' ἐπὶ τρεῖς μόνους μῆνας ἐπαπολαύσας τοῦ θρόνου, τετελεύτηκεν*, ejusque corpus in Hiacynthi monasterio conditum fuit. Eum throno dejectum Cygala nescio undenam acceperit.

Sedes vacat annos fere quatuor.

CXVIII. Manuel II.

Georgius Acropolita narrato Methodii II. obitu, subdit ecclesiam pastore viduam aliquandiu mansisse, Joanne Batatze Imperatore ad successorem designandum segnius agente; quippe qui hominem, qui sibi satis probaretur, non reperiret. *Nam Principes*, ait ille, *in hæc munera ejusmodi viros adciscunt, qui res ad suum nutum gerant, nec suis desideriis adversentur.* *μάλιστα γὰρ οἱ κρατοῦντες τοὺς πρὸς ἀρέσκειαν ἐν τούτοις προΐενται, ὡς ἂν μὴ τινὰς ἔχοιεν ἀντερείζοντας τοῖς αὐτῶν βουλεύμασι.* *Multum temporis igitur præterierat*, *παρεῤῥύη γοῦν χρόνος συχνὸς*, *nec aderat qui oves gubernaret.* Callistus perinde diuturno tempore Byzantinam tunc vacasse sedem affirmat, *ἐπὶ χρόνοις ἱκανοῖς*. In hanc demum provectus fuit Manuël, Imperatoris Joannis presbyter Palatinus, quem quidem Georgius Acropolita pag. 54. ceu virum pietate gravem, & moribus insignem commendat, etsi uxori pridem junctus connubio fuerat; literis tamen haud prorsus eruditum dicit, qui eorum quæ legebat sensum vix apprehenderet. Nicephorus eum in disciplinis potius externis versatum prodit; cæterum post undecim episcopatûs annos obiisse subdit, hoc est circa annum 1255. At vero, Georgio Acropolita teste, paulo ante Joannem Batatzem Imp. qui eodem anno diem extremum clausit. Anno mundi 6758. Indict. VIII. mense Julio, adeoque anno Christi 1250. synodum habuit, in qua de multis causis pronuntiatum

A est, ac postremo tandem *De translationibus episcoporum.* Ejus decreta quæ Manuëli alteri Charitopulo Leunclavius perperam adscripsit, edita exstant lib. 3. Jur. Græco-Rom. pag. 238. Hoc itidem Manuële II. Patriarcha & Joanne Duca Batatze Imp. denuo actum est de reconciliatione ecclesiæ Græcæ cum Romana. Patriarcha Græcus cum suis episcopis consensit, & promisit se cum Latinis communicaturum, recitato in divina Liturgia Papæ nomine, dummodo Pontifex Francis qui urbem Regiam tenebant, suppetias nullas
B ferret. Quando, Nicephoro Callisto teste, Manuël undecim annos patriarchatu functus est, illum proinde est auspicatus anno 1245. Ex quo ulterius colligitur, Græcam ecclesiam ante illius promotionem pastore destitutam mansisse annos fere quatuor.

CXIX. Arsenius I.

Suffectus Manuëli fuit Arsenius, quum aliquandiu rursum sedes vacasset, ob Joannis Ducæ Imperatoris mortem, quæ illius promotione posterior fuit. Nam Theodorus
C Ducas junior Imperator Nicephorum Blemmydam patriarcham designavit, hancque dignitatem vir iste sanctissimus repudiavit, ut fert Nicephorus Gregoras, lib. 3. cap. 1. Quapropter Imperator ad alios se convertit; &, quum plures ei minime arriderent, monachum quemdam, quem ad Apolloniadis lacum agere audiebat, cæterorum præter paucas literas ignarum, quippe qui rudimenta dumtaxat grammatices attigerat, nullis sacris ordinibus insignitum, *Arsenium* nomine, *Ἀρσένιον ὀνομαζόμενον*, missis quam celerrime homini-
D bus accercivit; & quia Princeps exire Nicæâ properabat, præsulibus imperavit ut eum quamprimum patriarcham ordinarent. Qui dicto audientes, una hebdomade illum diaconum, sacerdotem & patriarcham consecrarunt. Hæc Gregoras paulò fusius quam Callistus; qui tamen Arsenium liberalibus doctrinis *ἐγκυκλίων γραμμάτων* sufficienter instructum asserit. Quia vero Theodorus nondum inauguratus fuerat Imperator, ab Arsenio Imperii corona redimitus fuit. Verum Arsenius, postquam Theodorus tertio Im-
E perii anno vita functus erat, quia minime ferebat Michaëlem Palæologum, neglecto puero Joanne Theodori filio, contra pacta conventa Imperatorem coronari, sed nec insidiarum quæ in illum struebantur, nescius, patriarchatum abdicavit, quem annos quinque, Callisto teste, gesserat, *ἱεράτευσε δὲ χρόνους ε'.* In monasterium Paschasii quod Nicæâ procul non distabat, ac subinde in S. Diomedis, eum secessisse narrat Georgius Pachymeres in Michaële Palæologo, lib. 2.

cap. 15. ibique à Niceta Heracleæ nomine synodi rogatum ut ad suam sedem rediret, aut libellum cessionis daret. Quia vero ei Nicetas ei suggerebat, oportere ut in libello scriberet, se sacerdotio indignum fuisse, vehementer exarsit, quasi non sufficeret verbo, & facto dignitati renuntiare, sed vellent insuper ut suæ ipse famæ detraheret. Quoniam itaque cessionis libellum obtinere ab eo minime potuerunt, Nicephorus Ephesi metropolita canonice eum patriarchatu ejici posse dixit, quandoquidem non servatis Ordinum interstitiis, Theodoro Imperatore urgente, subdiaconus, diaconus, presbyter, & pontifex, ne unius quidem diei interposito spatio, initiatus fuerat, *παρ' οὐδεμίαν μεταξὺ χεδὸν ἡμέραν*, moxque Arsenio sacerdotium abrogarunt anno 1260.

CXX. Nicephorus II.

Arsenio destituto, in patriarcham *Nicephorus* ille Ephesi episcopus, cui a synodo destinata priùs ea dignitas fuerat, quam Manuëli Arsenii decessori, inquit cap. 16. Pachymeres: sed is qui eo tempore imperabat Joannes Ducas, patrum consensum cohibuerat, viri zelum metuens. Quem enim, aiebat, archidiaconum sustinere nemo potuit, quis patriarcham factum feret? Quocirca Nicephorus, Spiritus sancti providentia singulari ademtum sibi olim honorem subinde redditum jactitabat. Ejus ordinationi, utpote amoto temere Arsenio, assentiri renuerunt Sardensis & Thessalonicensis metropolitæ, necnon Smyrnensis, quos novus patriarcha, partim auro quod multum secum adtulerat, partim etiam minis, sed casso prorsus conatu, mulcere tentavit; ita ut Thessalonicensis episcopatu abdicato exsilium sibi potius consciverit, sed & Sardensis in monasterium sese truserit: quæ fert Pachymeres, cap. 22. Nicephorum in synodo Lampsaci congregata patriarcham designatum esse testis est Acropolita. Vix annum in patriarchatu Nicephorus egerat, quando in morbum extremum incidit, dum in procinctu erat ut Isaacium monachum Smyrnensem episcopum in Calophori locum ordinaret. Moritur itaque vergente ad finem anno 1262. cui Callistus unum episcopatûs annum assignat, at certe non integrum, quantùm ex Acropolita colligitur.

CXXI. Arsenius *secundùm*.

Nicephoro defuncto, multis mensibus Byzantina Græcorum ecclesia pastore vacavit, quum Michaël Palæologus Imperator: de recuperanda Constantinopoli unicè cogitaret. Interim Tornicii Sebastocratoris suasionibus indulsit, ut Arsenius Byzantinæ

A sedi restitueretur; quod Acropolita refert, 97. & 98. Repetiit porro sedem Arsenius, sed post receptam de Francis civitatem, in quam Michaël Imperator, ipso rursum Acropolita teste pag. 102. ingressus est mensis Augusti die 15. Quam notam chronologicam doctissimus Regiæ bibliothecæ custos Boivinius in accuratissimis suis ad Nicephorum Gregoram observationibus confirmavit ex cod. Regio 1852. in quo & istam reperit: Μηνὶ Αὐγούστῳ ιε´, ἰνδικτιῶνος δ´. τοῦ ἔτους ϛψξθ´. εἰσήχθημεν σὺν Θεῷ ἐς Κωνσταντινούπολιν.
B *Mense Augusto die 15. Indictione IV. anno 6769. introducti sumus, Deo adjuvante, Constantinopolim;* anno scilicet Christi 1262. Mox itaque Imperator animum convertit ad revocandum Arsenium, coactaque synodo episcoporum, inter ipsos aliquandiu de illo deliberatum est: alii quippe negabant eum ritè & ex præscripto canonum exauctoratum esse, alii vero satis eum significasse dictis factisque se dignitatem abdicasse. His in duas partes scissis, hærebat Palæologus, num e re sua esset Arsenium revocare, quem in
C Joannem pupillum merito propensum noverat. Quum vero Arsenii animum demulceri posse putaret ut populum sibi conciliaret, ipse ad eos de synodo qui Arsenium restituendum censebant, se accedere declaravit: quo factum est ut ei demum annuerint qui prius repugnaverant. Arsenium interim Palæologus tentavit, suadendo, ut, relictis in suspenso pupilli rebus, venire in Urbem non renueret, ac patriarchali conscenso solio, ipsum solenniori pompa coronaret; absonum quippe non fore præ alio
D illum coronari, qui Urbem, quam ipse receperat, ingressus prior esset. Missis à synodo episcopis, qui Arsenium ad reditum invitarent, indigne ille tulit quod veniam eorum quæ erga se patrata erant, non rogarent. Illi vero multis precibus animum ejus mitigarunt. Quocirca pedestri itinere Chalcedonem ad Rufini ædes se contulit, ubi nonnihil quietis captaret, atque perspectis illis quæ à se postularentur, certius quidpiam responderet. Quæ cuncta ex Pachymeris lib. 3. cap. 1. recito, quibus palam fiat, Ar-
E senium ante Septembris ejusdem anni initia ad Constantinopolitanum thronum non accessisse. Itaque Arsenius, ait cap. 2. Pachymeres, legationibus, tum ab Imperatore, tum a synodo missis, conventus, post accuratas utrimque disceptationes, quum partim ea concessisset quæ à se poscebantur, partim alia promisisset, Chalcedone transfretavit, consentientibusque omnium votis, pristino solio insedit. Imperator excusatis iis quæ perpetrarat, Patriarcham magnis honoribus affecit,

affecit, donariisque & redditibus auxit, quæ A ille lubentissime admisit, eo colore quod ad Dei gloriam maxime conferrent. His inductus Arsenius, Michaëlem coronavit, & quos Nicephorus ordinarat episcopos, muneribus suis fungi concessit, hoc uno tamen excepto, ut sacris secum non operarentur. Post verò ipso Natalis Christi die excæcato impie à Michaële Joanne Duca pupillo, Arsenius illum a communione removit, atque absolutionem petenti penitùs denegavit, ex Pachymere, cap. 14. Clamabat Palæologus à Patriarcha canones violari, qui pœnitentibus indulgentiam dari juberent: quamobrem tempus jam esse ad Romanum Papam recurrendi, à quo peccati remedium acciperet, cap. 19. Pachymeres pergit, Imperatore Thessalonicam versus profecto, Xanthiæ ubi constiterat coacto episcoporum concilio, Arsenium violationis canonum pœnitentiæ denegatione reum haberi cœpisse, duosque episcopos ad eum missos qui denuntiarent ut se synodo quam primum sisteret. Non paruit Patriarcha, sed Imperatorem delinire sategit: episcopis vero potestatem reliquit Imperator, ut considerarent, quid sibi tamdem eo in negotio factu optimum foret. Post verò bello infeliciter in occiduis partibus gesto, Constantinopolim salvus remeans, quum in primarium templum Deo gratias acturus se contulisset, non sine increpationibus exceptus est à Patriarcha, quod in Christianos arma convertisset. Arsenio nihil de severitate remittente, quamlibet Imperatori per multos illos quos ad ipsum delegaverat, pollicitus esset se cuncta persoluturum, quibus pro admissis à se culpis satisfaceret, synodum tamdem vocavit numerosissimam cui Nicolaus Alexandrinus, & Euthymius Antiochenus præfuerunt. Primò, secundò, tertiòque ille citatus seque sistere recusans, Apostolicæ constitutionis habita ratione, uti contumax exauctoratus fuit, adjectis insuper aliis depositionis causis, quæ legendæ apud Pachymerem, qui hæc cuncta narrat, lib. 3. cap. ult. lib. 4. cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & seqq. Nicephorus Callistus Arsenium duobus annis hac secunda vice sedisse testatur, ἔτη β'. ut Con- E stantinopolitana sede iterum exactus sit anno 1264. ac circa postremam diem mensis Maii, ut Pachymeres tradit, cap. 8. περί που τῇ τελευταίᾳ Πυανεψιῶνος; ubi addit deportatum eum esse in Præconnesum insulam. Ibi testamentum illud suum scripsit, quod à Cl. Joanne Cotelerio editum est, tom. 2. Monum. Eccl. Græc. p. 168. in quo cuncta quæ circa ipsum gesta erant graphicè recitat.

Sedes vacat uno anno & amplius.

CXXII. Germanus III.

Expulsus Arsenius complures suæ causæ patronos habuit, propter quos Constantinopolitana ecclesia schismate laboravit, sed & plus uno anno viduata mansit. Demum Imperator, populo oratione delinito quam Pachymeres recitat, cap. 11. episcopos una convenire curavit, qui Germanum Hadrianopolis metropolitam in patriarcham promoverunt. Vir erat, teste Pachymere, liberalis prorsus indolis, sacrisque obeundis appri- B me idoneus, ἀνδρὶ ἐλευθερίῳ τὸν τρόπον, καὶ ἱεραῖς διεξαγωγαῖς πρέποντι, olimque Imperatori gratiosus, qui vitæ asceticæ in monasterio Nigrimontis in Orientali regione multa cum laude studuerat. Hic reluctans primum, assiduis vero Principis obsecrationibus victus, mense Junio in festo Spiritus sancti, adeoque an. 1267. quo festum Pentecostes in quintam Junii incidebat, communi decreto recitato, patriarchali throno impositus fuit. Qui honorem adeptus, præcellentes, seu virtute, seu doctrina viros præmiis, dignitatibus, aliisque C muneribus ampliavit, auri ipse contemtor quam qui maxime. Cæterum ea qua Imperatorem reverentia colebat, adulationis nota a multis adspersus est, cujus invidiæ auctores erant Arseniani. E Lazica gente oriundus ferebatur, remotiore vero genere ex Glaba Persidis regione, quumque priscam ecclesiæ disciplinam à Germano ipsius quondam decessore edoctus esset, καὶ παίδευσιν ἀρχαίαν ἔχων ἐκκλησιαστικὴν Γερμανοῦ τοῦ μακαρείτου, multa quæ temporum injuria in deterius prolapsa erant, ad priscum exactumque ordi- D nem restituit. At vero Josephi qui monasterii Galesii præpositus erat, artibus, Imperatori suspectus evasit, quasi ambitu ac contra leges ex humiliori in sublimiorem sedem conscendisset, nec ejus esset potestatis, ut Michaëlem valuisset ab excommunicationis, quo irretitus erat vinculo absolvere: sed & ejusdem Josephi consiliis Germanus delusus, patriarchatu dato libello cessit, seque sub vesperi crepusculum ad cellas contulit quas ad mare exstruxerat. Quod contigit in crastino Exaltationis S. Crucis, seu 15. Septembris ejusdem profecto anni 1267. Quamquam Mathæo Cygalæ, Philippo Cyprio, necnon Onuphrio Panvino, unum annum sedisse fertur. In catalogo autem Leunclavii episcopatus ejus Byzantini tempus omissum est, quin nec in Callisti ulla Germani III. est mentio.

CXXIII. Joseph.

Ex Pachymere, lib. 4. cap. 14. & seqq. statim atque Germanus patriarchatum abdicavit, de altero ei subrogando actum est,

ipſoque an. 1267. ad finem vergente, Joſeph ille monaſterii Galeſii præpoſitus electus patriarcha fuit, die 28. Decembris, anno mundi 6775. Indict. x. & Januarii inſequentis prima ordinatus. τοῦ γοῦν τοιούτου καταδεξαμένου τὴν ψῆφον, ὁ βασιλεὺς εἰς πατριάρχην τοῦτον προβάλλεται, μηνὸς Σκιροφοριῶνος εἰκοστῇ ὀγδόῃ, τῆς δεκάτης ἐπινεμήσεως τοῦ ͵ςψοεʹ. ἔτους, Ἑκατομβαιῶνος δὲ νουμηνίᾳ χειροτονηθεὶς εἰς ἀρχιερέα τετέλεσται. Quia vero Pinacas Heracleenſis à Germano erat ordinatus, manuum ejus impoſitionem admittere Joſephus noluit, illiuſque vices obivit Gregorius Mitylenenſis. Deinde ſecunda Februarii anathematis vinculo abſolutus eſt Imperator à novo illo patriarcha, perſeverante interim Arſenianorum factione in Orientis præſertim, ſive Bithyniæ Aſiæque regionibus. Carolo rege Siciliæ Byzantinum Imperium bellis laceſſente, Michaël Imperator de eccleſiæ ſuæ cum Romana reconciliatione ſedulo tractare cœpit; primum quidem cum ſanctiſſimo Francorum rege Ludovico, tum ſubinde cum Gregorio Papa X. Miſſi Romam oratores ſunt, Germanus nuperus ille patriarcha, Theophanes Nicææ, ex ſenatorio ordine magnus Logotheta Acropolita, præſes veſtiarii Panaretus, magnus interpres Berrhœota, qui Gregorium Lugdunum uſque ſequuti ſunt ad concilium generale quod illic cogebatur, ubi eccleſiarum unio ſancita eſt an. 1274. Tentatus interim fuit ab Imperatore Joſephi patriarchæ animus ut unionem admitteret, ſed à ſchiſmaticis demum, ac præſertim Jobo Jaſſita circumventus, libello ſcripto juravit ſe numquam illi paci aſſenſurum, ac poſt oratorum in occiduas partes profectionem, pactis cum Imperatore conventis ſe in patriarchales ædes ſi ulla pax cum Latina eccleſia fieret, reverſurum, in Peribleptæ monaſterium migravit anno mundi 6782. die 11. Januarii Indict. II. ἑνδεκάτῃ μηνὸς Ἑκατομβαιῶνος, δευτέρας ἐπινεμήσεως τοῦ ͵ςψπβʹ. ἔτους, ſeu Chriſti anno 1274. Interim tamen redditibus ſuis abſque diminutione fruebatur; ſed & eccleſiæ corpus tranquillitate potiebatur, etſi antiſtites nonnulli mutuo diffidebant. Rebus in Occidente ex voto Imperatoris confectis, patriarchæ exauctoratio altero anno ſubſequuta eſt, communique ſynodi quæ vocata erat ſuffragio vacare ſedes judicata eſt, ac Januarii die 9. κατὰ Ἑκατομβαιῶνος ἐννάτῃ ſacra fieri cœpta ſunt abſque Joſephi mentione. Quocirca anni octo, quibus Joſephus ſediſſe fertur in catalogis, ad hanc uſque diem putandi ſunt, à prima Januarii anni 1268. quo ordinatus pontifex fuerat, ad ann. 1274. Legendus de eo Pachymeres, lib. 4. cap. 23. & ſeqq. & lib. 5. à cap. 2. ad 22.

CXXIV. Joannes XI.

Joſepho amoto ſuffectus fuit *Joannes Beccus*, magnæ eccleſiæ Chartophylax, atque Scevophylax, qui ex infenſo Romanæ Fidei adverſario, ejuſdem patronus ſtrenuus evaſerat, poſtquam ſciſſionis cauſas diligenti ſinceroque examine, lectis præſertim Nicephori Blemmydæ libris, ſcrutatus erat: quod fuſe narrat Pachymeres, lib. 5. cap. 15. Patriarchatum unà cum eo prenſabat Princeps, ex nobiliſſima Peloponneſi principum gente, vir monaſtica vita inſignis, ſed & legationibus egregie pro Imperatore perfunctus. Auguſtus vero Joannem Beccum renuntiavit patriarcham, cui potior erat ſuffragiorum numerus: ſed longo præterea rerum eccleſiaſticarum uſu, doctrina quoque, aliiſque dotibus aptiſſimus videbatur ad ſchiſma vetus exſtinguendum: adeoque Beccus conſentientibus epiſcopis, *vigeſima ſexta menſis Maii, feſto SS. Nicenorum Patrum, patriarcha renuntiatus eſt, ſecunda vero Junii, Dominica die proxime inſequenti, illuſtri die Spiritus ſancti, Spiritus ejuſdem unctionem donaque ſuſcepit, pontifexque initiatus eſt*, εἰκοστῇ μὲν καὶ ἕκτῃ Πυανεψιῶνος μηνὸς, κατὰ τὴν ἑορτὴν τῶν ἐν Νικαίᾳ, πατριάρχης προβέβληται· τῇ δευτέρᾳ δὲ Μαιμακτηριῶνος τῇ ἐπιούσῃ Κυριακῇ, ἐν ἐπισήμῳ ἡμέρᾳ τοῦ πνεύματος, τὰ τοῦ πνεύματος δέχεται, καὶ τελειοῦται ἀρχιερεύς. Quod proinde factum eſt anno 1275. Quam digne cuncta boni paſtoris munera Joannes Beccus obierit, Pachymeres hoc toto capite ediſſerit. Sed nec egregias ejus laudes Nicephorus Gregoras ſchiſmaticiſſimus ſcriptor ſiluit. Hæc cuncta legenda, quibus vir æqui tenaciſſimus digne commendatur, qui in diebus ſuis non pertimuerit principem, & potentia a nemine victus ſit. Dum aliquando affectæ valetudinis eſſet, in lauram in Anaplo poſitam devectus fuit, in qua Joſephus deceſſor ſuus agebat: cujus & comem placidamque indolem diligebat, quum is inſuper fatere veritus non eſſet, ſe, niſi jurisjurandi religione obſtrictus eſſet, initæ eccleſiarum unioni ultro aſſenſurum fuiſſe. Illic Joannes perpenſis iterum ſchiſmaticorum argumentis, multa eorum fraude perſpecta, vix ſe ab eis refellendis continuit, quod & ſubinde ſibi faciendum cenſuit. Verum non defuerunt e ſchiſmaticis, qui Joſephum adverſus concordiam illam exſtimularent. Inſuper ex Pachymere, lib. 6. cap. 10. *evolutis annis quatuor, ex quo Joannes patriarchatus honore eminebat, menſe Februario, ſeptimæ Indictionis*, κατὰ μῆνα Ληναιῶνα, τῆς ἑβδόμης ἰνδικτιῶνος, graves in eum accuſationes à quibuſdam è clero conflatæ ſunt, mendaces quidem & vanæ, ſed quæ, etſi facile refuta-

bantur a patriacha, Imperatoris animum ab A eo demum averterunt. Hac Isaac Ephesinus antistes, Imperatoris confessarius, occasione captata, à Principe petiit, ut extra sacra loca quæ intra urbem Constantinopolim consistebant, patriarcha singularum urbium & parochiarum alia nulla curaret, sed suis quæque ordinariis prorsus subessent. Quod ei Imperator annuit, Novella data qua patriarcharum Stauropegia abrogabantur, ceu eorum institutio per abusum & præter canones attentata essent, locis & monasteriis ab ordinariorum auctoritate avulsis. Hoc qui cau- B sabatur, ait Pachymeres, non intelligebat se *Oecumenici jus patriarchæ adimere, ὡς κωλύει τὸ οἰκουμενικόν.* Cæterum brevi posthac nova hæc lex ab ipso Imperatore revocata fuit. His vero, aliisque modis, & totos menses duos patriarcha à Michaële exagitabatur: *ac mense Martio, circa quadragenarii jejunii medium, me hujus historiæ scriptorem*, ait Pachymeres, *libellum jussit abdicationis conscribere, μηνὸς Κρονίου μεσούσης νηστείας, λίβελλον γράφειν μοι τῷ ξυγγραφεῖ παραιτήσεως ἐπιτάττει.* Quem quum Beccus Imperatori dedisset, C in Panachrantæ monasterium secessit. Noluit vero Imperator alterum ejus in locum promovere, suumque filium & Imperii collegam jussit, ut Joannem adiret, & ad redeundum invitaret: sed & quum è Germania oratores advenissent, per alios tamdem obtinuit, ut Urbem sedemque suam repeteret: quod & synodo approbante præstitit, atque *sexta mensis Augusti ejusdem Indictionis septimæ, in patriarchales ædes multo honore à senatoribus & ecclesiasticis personis deductus fuit, καὶ ἕκτῃ Ποσειδῶνος ὑπὸ λαμπρᾷ δορυφορίᾳ* D *συγκλητικῶν ἅμα καὶ ἐκκλησιαστικῶν, τῆς αὐτῆς ἰνδικτιῶνος ἀνάγεται.* Anno insequenti mensis Maii die 3. fer. 6. Indict. VIII. synodum habuit, in qua Escammatismenus magnus Referendarius confessus est, se in codice quodam orationum Gregorii Nysseni erasisse vocem qua Spiritus sancti ex Patre Filioque processio efferebatur. Cujus synodi apud Allatium gesta exstant lib. 3. de Consens. c. 1. Postea Græcis tumultuantibus ob ea quæ Legati Romani qui nuper advenerant, præter omnium exspectationem exigebant, pa- E triarcha Joannes, qui spoponderat se de controversis capitibus nullos libros editurum, calamum tamdem vel coactus strinxit, ut eorum murmurationes cohiberet. Quo tamen facto plures in se commovit, qui & Imperatoris bilem excitarunt, ceu quæstiones moverit de dogmatis jam constitutis, de quibus disputare fas non esset. Imperatorem nihilominus qui in Asia agebat, eo anno convenit, unde Constantinopolim regressus est 13. Septembris. Interim Nicolao Papa III. defuncto, Leo Heracleæ metropolita & Theophanes Nicææ, qui Romam missi erant, frigidissime excepti sunt, vix sero ad Martinum III. pontificem alloquendum admissi, nullo dignati benevolentiæ signo. Quod quum à Theophane rescivisset Imperator, diaconum consuetam Papæ commemorationem inter divina mysteria pronuntiaturum cohibuit. Paulopost Michaël Imperator obiit, Pachymere teste, lib. 6. die undecima Decembris feria sexta anno 6791. seu Christi 1282. moxque Joannes Beccus sedem abdicavit postridie Natalis Domini; quod idem auctor rursum perhibet, lib. 1. historiæ Andronici Imperat. cap. 4. Sedit proinde à secunda Julii anni 1275. ad 26. Decembris anni 1282. annos septem, septemque menses fere integros; cui Callistus numero rotundo annos octo attribuit. Quæ post abdicationem suam Joannes sub Andronico Imper. egerit & toleraverit; quæ pro doctrina Latinorum scripserit, refert Pachymeres Lib. 1. 2. & 3. editaque sunt à Leone Allatio. In monasterio Panachrantæ agens, Josepho restituto, petitus à synodo fuit, ut abdicationis libellum daret; deinde carceri arcis Gregorii traditus, mortem obiit anno, ut videtur, 1288. sub finem mensis Martii, & in propria cella humatus est.

CXXV. JOSEPH *secundum.*

Post Johannis Becci secessionem *Joseph* ejus decessor Byzantinæ sede iterum impositus est ejusdem anni die 30. sub vesperam. Synodum mox coëgit ad ea revocanda quæ in conventione cum Latinis gesta erant. Huic Joannes Beccus, ut prædictum est, se sistere jussus est, rationem redditurus eorum quæ in suis scriptis evulgaverat, unaque libellum daret quo sedi renuntiaret. Libellum quidem Beccus dedit, sed quo vim sibi illatam causabatur. Hæc Pachymeres narrat in *Andronico*, lib. 1. cap. 12. Cui rursum cap. 13. Josephus qui affectæ jam valetudinis erat, mense Martio ineunte; morbo & senio consumtus interiit, sepultusque est in monasterio S. Basilii. Nicephorus vero Gregoras Josephum sede iteratò cessisse ait, tum ut ii qui sui causa ab Arsenianis vexabantur, pace demum fruerentur; tum quod patriarchæ munia propter ætatem & valetudinem exsequi non posset. Callistus hunc secunda ista vice *quatuor menses, μῆνας δ'.* sedisse fert; at certè completi non erant.

CXXVI. GREGORIUS II.

Josephi successor designatus est *Gregorius*;

sentire deberent. Epistolâ ad Imperatorem datâ, respondit, S. Basilii auctoritate constare, νὰ juramenti vocem non esse, sed μά. Cæterum, si episcopi quadraginta unâ sententiâ abdicationem suam admitterent, minime se repugnaturum quin rata habeatur; contrà vero, si tres saltem aliter sentiant. Graviter insuper questus est, octo jam menses elapsos, nulla sumta vindicta de illo qui suæ famæ detraxerat. Epistola coram episcopis lecta, majori dissidio divisi illi fuere: interim vero in sacris semper commemoratio Joannis fiebat. Imperatori autem scrupulus incessit de Athanasio revocando, quem prophetiæ dono ornatum existimabat, huncque idcirco cum episcopis & frequente populo convenit ad Cosmidii monasterium, in quo morabatur. Ad hæc, Dominica Tyrophagi, quam nos Sexagesimam dicimus, quæ illo anno 1303. in 18. Februarii incidebat, Joannem adiit, qui ab ipso quæsivit, nùm se patriarcham censeret. Qua petitione perculsus Imperator, nequaquam abnuit. Tum Joannes: » Si quidem vere ego patriarcha sum, mea nondum abdicatione admissa vel probata, meique nominis in magna Ecclesia & monasteriis commemoratione perseverante, auctoritate S. Trinitatis excommunicationi majori illum subjicio, qui Domnum Athanasium in patriarchali sede constituere voluerit. Aderant cum Imperatore episcopi tres, Babylas Ancyranus, Nicephorus Cretensis & Lucas Bitzinensis. His auditis Imperator episcopos jussit deliberare quid propter hanc Joannis sententiam facto opus esset. Tractare quoque cum Joanne cœpit, ut eam revocaret: qui demum scripto declaravit se ab ea desciscere, ita tamen ut Athanasii restitutioni nequaquam assentiretur; quippe qui crimina non eluerat quibus notatus erat, & *pejoris est adhuc*, aiebat, *quam ego ipse sim conditionis*, καὶ ὑβελιωθέντα, καὶ χείρονα ἢ ἐγώ. *Feria Parasceves erat*, ait l. 5. cap. 7. Pachymeres, *vigesima prima Augusti, qui Maimacterion dicitur, quando Imperator hoc scriptum accepit.* ἡμέρα μὲν οὖν παρασκευὴ ἦν, τετάρτη δὲ μετ' εἰκάδα, ὃ κατ' Ἀθηναίους Μαιμακτηριῶνος, ὅτε ὁ βασιλεὺς τὸ γράμμα ἐδέχετο. Quum autem Imperatoris nutu & episcoporum decreto Athanasius pristinæ sedi impositus esset, Joannes clam Urbe exiens, insalutato Imperatore, Sozopolim secessit, sibi vim illatam causans. Patriarchatum tenuit Joannes à Kalendis Januarii anni 1294. ad 21. Augusti anni 1304. quo Bissextili anno litera Dominica D. currente, feria 6. in illam mensis Augusti diem incidebat: adeoque novem annos, menses novem & dies 22. sedit. De hoc patriarcha legendus Pachymeres lib. 4. & 5. necnon Nicephorus Gregoras lib. 6. qui eum propter inscitiam & simplicitatem in contemtum venisse prodit.

CXXIX. ATHANASIUS *secundùm.*

Andronicus Imp. accepta Joannis abdicatione, episcopos in templum Apostolorum Sabbato insequenti ac Dominica vocavit, ipsaque die, quæ Augusti 23. erat, εἰκοστῇ τρίτῃ μηνὸς τοῦ αὐτοῦ, ad monasterium perrexit in quo Athanasius agebat, quem ad pristinam sedem reduxit. Ille recepta sede, nihilo modestius se gessit cum Byzantino clero, cui perinde atque antea exosus evasit: sed nec Athanasius Alexandrinus ejus communionem admisit. Quocirca uti Latinis, obtemperante illi in omnibus Imperatore, ecclesiam ademit qua in Urbe potiebantur; ita & loca abstulit quæ Alexandrini pontifices Bullis aureis Augustorum possidebant, puta monasterium Archistrategi ad Anaplum, & aliud extra Urbem *Evergetæ* dictum sibi vindicavit; quin & Hodegorum cœnobium, quod Antiocheni patriarchæ erat, vacante tunc Antiochena sede. Ad hæc, forensium litium ab Imperatore arbiter est constitutus, ut ei populi venerationem ac timorem conciliaret; quod tamen pro votis non successit: nam majus in se omnium ordinum odium concitavit, in Patriarchas episcopos, clericos, monachos & laicos, absque ulla misericordia sæviens; ecclesiasticisque consuetos redditus abstulit. Epistolam refert Pachymeres quam ei tamdem ecclesiæ primores fatigati ac gemebundi dederunt: nihil vero inde confectum est. Huic à nonnullis insidias structas narrat Gregoras, quos in perpetuum carcerem trusit Imperator: nihilominus Athanasium, cui minus arrideret quod gravius in eos animadverteretur, episcopatui renuntiasse subdit, quum octavus annus ageretur ex quo thronum recuperaverat, ὄγδοον γὰρ ἔτος ἠνύετο τούτῳ τηνικαῦτα, ἀφ' οὗ τὸ δεύτερον εἰς τὸ πατριαρχικὸν ἀνεβιβάσθη θρόνον. Hæc Gregoras lib. 7. cap. 9. Doctissimus vero Boivinius in margine è regione monet, Athanasium episcopatum dimisisse anno Christi 1310. Quod si ita est, non nisi sex annos & menses paucos hac secunda vice sederit, quot Cygala & Philippus Cyprius testantur. At Georgius Phranza, imo Nicephorus ipse Gregoras, ut dixi, octo ei alterius hujus episcopatus annos numerant, ὄγδοον γὰρ ἔτος ἠνύετο τούτῳ τηνικαῦτα. Libellum quo Athanasius patriarchatum denuò dimisit, clarissimus idem Boivinius suis in Nicephorum Gregoram annotationibus interseruit, quin & Græce Latineque D. Anselmus Bandurius pag. 876. Commentarii in Antiquitates Constantinopolitanas. Adjecit & epistolam ad amicum qua Athanasius narrabat, quo pacto, quave de causa, prima secundaque vice

sedi renuntiasset. Boivinius vero Nicephorum Chummum appellat, qui in Libello quo Niphonem Athanasii successorem jure patriarchatu dejectum evincebat, meritò quoque Athanasium secundo pulsum ferebat, quod minister ejus Theophanes dona ab iis acciperet, qui ad ordines sacros provehebantur; quod illo inscio fieri minime poterat.

Sedes vacat annos 2.

CXXX. Niphon I.

Ex quo Athanasius patriarchatum abdicavit, Byzantina sedes annis duobus vacavit; tunc circa anni 1312. *Niphon* Cyzici metropolita, episcopis Imperatoris nutibus obsequentibus, ad eam evehitur, vir secularium literarum rudis, sacrarumque item fere, ait Gregoras, qui nec ipsa literarum elementa sciret pingere, eo tamen felici ingenio præditus, ut, si doctrinæ animum adjecisset, inter sapientissimos evasisset: se vero totum luxui externisque dediderat. Cæterum Imperatorem adjuvit in revocandis Arsenianis. At vero, Gregora teste, multorum criminum, quin sacrilegiorum quoque reus actus est à metropolitis Nicomediæ & Mitylenes, quorum causa ad ordinem à synodo redactus est anno 1315. die 11. April. Ind. VIII. In Regio Cod. 2964. habetur *Evictio adversus Niphonem, qui patriarchatum pessime gessit, prolata à Nicomediensi & Mitylenensi ad sanctam synodum.* Ἔλεγχος κατὰ τοῦ κακῶς τὰ πάντα πατριαρχεύσαντος Νίφωνος, ἀνενεχθεὶς παρὰ τοῦ Νικομηδείας, καὶ τοῦ Μιτυλήνης πρὸς τὴν ἱερὰν σύνοδον. Sedit annos tres & menses decem: Matthæus Cigala & Philippus Cyprius quatuor annos habent, sed incompletos, numero rotundo, non accurato. Secessit in monasterium Peribleptæ, quod mare spectabat.

Sedes iterum vacavit anno 1.

CXXXI. Joannes XIII.

Anno uno elapso a Niphone destituto, electus demum fuit *Joannes Glycys*; Logotheta Dromi, cujus frequens apud Pachymerem ob munera egregie gesta mentio; quippe qui, ut doctrina insignis atque in pronuntiando Atticismi studiosissimus erat, ita quoque prudentia, morumque gravitate cunctis antecellere videbatur. Uxorem olim duxerat, ex qua filios procrearat; ea vero simul ac Patriarcha renuntiatus fuit, monasticum habitum induit. Sed & hunc ipse quoque induisset, nî propter gravissimum articulorum dolorem, quo identidem vexabatur, medicis præcipientibus, carnibus vesci coactus esset. Hujus summi viri consuetudine Gregoras, quoad sibi licuit, utebatur: sed patriarchali

A oneri quod firmas vires postulabat, magnamque item tranquillitatem, anno quarto sponte cessit, eique Imperator monasterium Cyriotissæ, quo se reciperet adsignavit. Libellus quo sacerdotium abdicavit exstat in Cod. Regio 3229. Testamentum Gregoras recitat, lib. 3. c. 7. aitque virum minime avarum non multas opes secum tulisse, quæ in monasterii sui conservationem impendit. Patriarchatum inierat 12. Maii Indict. XIII. adeoque 1316. quandoquidem, Nicephoro Gregora teste, secundum pontificatus annum agebat anno B Mundi 6826. sive Christi 1317. Dignitatem vero abdicavit die 11. Maii Indict. II. anno Christi currente 1320. κατὰ τὴν β΄. τοῦ Μαΐου μηνὸς, τῆς ιγ΄. Ἰνδικτιῶνος, ὁ Γλυκὺς Ἰωάννης, ὁ Λογοθέτης ὢν τηνικαῦτα τοῦ Δρόμου, παρῃτήσατο κατὰ τὴν ια΄. τοῦ Μαΐου, τῆς β΄. Ἰνδικτιῶνος.

CXXXII. Gerasimus.

Joanni ab Imp. suffectus est *Gerasimus* ex monasterio Manganio assumtus, vir simplex literarum nescius, surdaster, ad Imperatoria C obsequia plusquam idoneus, sed qui unum dumtaxat sacerdotii annum egit, ipsa nocte, Joanne Cantacuzeno teste, defunctus, quâ Andronicus Imperatoris nepos Urbe excessit. Atqui Gregoras Andronici junioris fugam affirmat contigisse die 20. April. ann. 6829. Christi 1321. ἦν δ' αὕτη, ἡ ἡμέρα Ἀπριλλίου μὲν εἰκοστὴ, ἔτος δὲ ἑξακισχιλιοστὸν ὀκτακοσιοστὸν, εἰκοστὸν ἔννατον.

Sedes vacat annos 2. menses 7. dies 11.

CXXXIII. Esaias.

D Propter Imperatorum dissidia diu Byzantina sedes, Gerasimo defuncto, pastore caruit. Demum senior *Esaiam* monachum septuagenario majorem qui literas copulare vix noverat, quin propter crimina quæ objecta illi probataque erant, omni ordinum gradu prohibebatur, de Monte sancto, sive Atho, accersitum, in Patriarcham provehit, die 30. Novemb. Ind. VII. fer. 3. qui annos 4. sedit, ex Dorotheo Monembasiæ; anno proinde Christi 1323. μετὰ χρόνους β΄. μῆνας ζ΄. καὶ ἡμέρας ια΄. κατὰ τὴν λ΄. τοῦ Νοεμβρίου, ζ΄. E Ἰνδικτιῶνος, ἡμέρας γ΄. ὁ ἁγιορείτης Ἠσαΐας χρόνους δ΄. Ineptissimum hominem Gregoras divino nutu ad hoc fastigium evectum putat, per quem dejicerentur ipsi à quibus nulla æqui habita ratione promotus fuerat. Atqui anno insequenti, Indict. VIII. die Febr. 2. Andronicum juniorem Imperatoria corona redimivit. Crescentibus vero inter avum & nepotem Imperatores jurgiis, junior quidem coram Imperii proceribus causam peroravit suam, tum deinde senior, qui hoc in primis

petiit, ut nepotis sui nomen è sacris tabulis raderetur, Huic multiplici titulo Imperio indigni. Huic præsules quotquot prudentia doctrinaque præstarent, ultro assensi sunt, non item Patriarcha, qui pulsatis tintinnabulis, coactaque circumforanea turba, sacris interdictum iri declaravit iis qui junioris Imperatoris nomen omitterent. Quod in causa fuit, *cur episcopi complures inverecundum detestantes Patriarchæ animum, una convenientes, eum à fidelium communione segregarint*, ἀφορισμὸν ὃ αὐτοὶ συναθροισθέντες ἐξεφώνησαν κατ' αὐτοῦ. Id quod allato canone decimo octavo Chalcedonensi & Trullano quarto confirmarunt. Senior Imperator Esaiam in Manganium monasterium ablegat, quem junior Constantinopoli proditione capta, avo ad ordinem redacto, è monasterio extractum, uno secum Imperatorio curru vectum Patriarchali solio restituit, nullis tamen, vel episcopis, vel presbyteris subsequentibus, sed tibicinum potius saltatorumque & saltatricum caterva stipatum. Præibat una equo vecta, virili induta veste, meretriciis nugis Patriarcham ad risum excitans. Post vero, juniore Imperatore, necnon Joanne Cantacuzeno magno domestico suadentibus, episcopis presbyterisque condonavit. Ejus tempore Roma episcopi Latini, doctissimique præsules alii venerunt, quibuscum ut disputaret, summis studiis populus urgebat: quod tamen ille merito renuit. Patriarchatum Esaias annos ferè decem tenuit, ad obitum usque suum; quandoquidem Gregoras ait, Joannem Aprenum, Esaia vita functo, μετὰ τὴν Ἡσαΐου τελευτὴν, patriarchalæ solium conscendisse. Obiit anno circiter 1333. Legendus Cantacuzenus, lib. 2. cap. 2.

CXXXIV. Joannes XIV.

Post Esaiam *Joannes* XIV. Patriarchatum subiit, ab Apris patria dictus *Aprenus*, obscuris parentibus natus, cui *Calecæ* cognomen fuit. Imperatorii cleri sacerdotum unus erat; quem quum Joannes Cantacuzenus Imp. promovere in Patriarcham decrevisset, episcopos vero suis votis repugnantes sentiret, Thessalonicæ saltem sede, quæ vacabat, donari petiit. Tum illis annuentibus, scripto decreto quo episcopatu dignus ferebatur, ab illis continuo quæsivit, num qui Thessalonicensi ecclesiæ gerendæ idoneus esset, non item Constantinopolitanæ foret. » Si patriar-
» cha, inquit, quamdam gratiam virtutemque è
» cælestium donorum promtuario acciperet,
» qua reliqui episcopi careant, valeret illud
» quod affertis. Sin vero cuncti majorum &
» minorum urbium episcopi æqualis gratiæ
» participes sunt; honor vero & splendor ur-

A bium Imperatorem auctorem habet, perpe- «
ram sic putidæ futilesque responsiones con- «
geruntur, quibus nulla causa Imperator of- «
fendatur. His illi victi sermonibus, Joannem «
inviti patriarcham renuntiarunt, qui mox ab ordinatione sua synodum habuit, cujus ipse cum Imperatore præses fuit. Aderant episcopi complures, proceres Imperii & senatores, vocatusque tunc est Gregorius Palamas cum suis de monte Atho monachis, qui fanaticum de divino lumine dogma cuderant, quod Barlaamus Calaber monachus alter B acriter impugnabat; ac, si sua stat Cantacuzeno fides, lib. 2. cap. 11. hac in synodo Barlaam causa cecidit, veniamque petiit eorum quæ temere effutierat. Anno Joannis Apreni primo Christi 1333. Andronico Imp. Græcæ Romanæque Ecclesiæ unionem peroptante, episcopi Latini duo Franciscus de Camerino, & Ricardus Anglus, ex ordine Prædicatorum ambo, Constantinopolim advenerunt, Nicephorus vero Gregoras, oratione ad synodum habita, effecit ne ulla cum eis colloquia miscerentur. Joannes sy- C nodum alteram celebravit, in qua Gregorius Acyndynus Barlaami auditor, eadem quæ suus magister prædicans, proscriptus dicitur, editusque pro veteri conciliorum more Tomus est, à Patriarcha & episcopis qui convenerant subscriptus, quo Barlaam quidem iterum damnabatur, Palamas vero non absolvebatur, sed utrique parti silentium injungebatur ad imperitæ plebis vitanda scandala, accuratiore definitione in aliud tempus ampliata. Tertia post solutum concilium die, Andronicus Imperat. morbo correptus, tertia D iterum posthac die vespere interiit feria 6. decima-quinta mensis Junii anno 6849. Indict. IX. sive Christi anno 1341. Cantacuzenus, Andronici morte narrata, mox subdit, Joannem Patriarcham criminibus quæ sibi jactabantur, fidem adhibuisse, adeoque Augustæ Joannis Imperatoris matri suggessisse, ut ipsa sibi suisque liberis à Cantacuzeno caveret. Posthac Joannes Andronici filius. Imperii corona ab Apreno redimitus fuit: Joannes vero item Cantacuzenus ejusdem principatus consors factus, apud S. Sophiam die E Maii 21. quo Constantini M. Helenæque matris memoria solennis fit, à Lazaro Hierosolymitano Patriarcha inauguratus est. Cæterum ob celebritatem istam coactis ad synodum episcopis, Lazaro illo Hierosolymitano præside, de Joanne Patriarcha actum est, omnesque ab ejus communione abstinendum judicarunt, ejusque nomen è sacris diptychis expunxerunt. Cujus quidem tragœdiæ auctor erat Cantacuzenus; destitutionis vero una causa, sive color fuit, quod Palamitarum errores non

non probaret, quam scilicet post Andronici junioris obitum diligentiore, ut ait, examine adhibito, tertia synodo vocata damnaverat. Tomi qui in isto tertio concilio conscriptus est, quo sanctorum Patrum doctrina Palamitarum nugis contraria esse ostendebatur, Joannes ipse meminit in breviori altero, quem edidit, ubi nomen suum à Lazari synodo è sacris tabulis sublatum didicit. Hunc posteriorem nobis suppeditat Allatius dissert. 2. de libr. Eccl. Græcor. p. 197. Τὸν Παλαμᾶν καὶ τοὺς ὁμόφρονας αὐτοῦ, καὶ πάντα τὰ ἀσεβῆ αὐτῶν δόγματα, οἰκειότερον δὲ εἰπεῖν παραληρήματα, τούς τε ἐκδικοῦντας καὶ ἐκλαμβάνοντας καὶ ἐκδεχομένους, τὸ ἐν τῷ Τόμῳ κατὰ τὴν αὐτοῦ ἐξήγησιν, μᾶλλον δὲ φλυαρίαν, καὶ οὐ κατ᾽ ἔννοιαν θεοπρεπῆ καὶ ὀρθόδοξον, καὶ καθὼς οἱ τῆς ἐκκλήσιας φωστῆρες καὶ διδάσκαλοι, οἷς καὶ ἡμεῖς ἑπόμενοι καὶ ἀκολουθοῦντες τὰ τῶν ἁγίων ῥητὰ ἐνεγράψαμεν ἐν τῷ Τόμῳ καὶ πάντας τοὺς δι᾽ αὐτὸ τοῦτο, ἤγουν ὅτι μὴ παραδεχόμεθα, τὰ τοιαῦτα αὐτῶν ληρήματα, ὧν τὰ μὲν ἀπεστάλησαν ἡμῖν παρ᾽ αὐτῶν, τὰ δὲ παρ᾽ ἑτέρων ἐνεφανίσθησαν, τολμήσαντας ἀκανονίστως καὶ ἀκρίτως ἀποκόψαι τὸ μνημόσυνον μοῦ τῷ ἀπὸ τῆς θεαρχικῆς καὶ ἁγίας τριάδος δεσμῷ καθυποβάλλομεν, καὶ τῷ ἀναθέματι ἀναπέμπομεν. Η ὑπογραφή· Ιωάννης ἐλέῳ θεοῦ ἀρχιεπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως νέας Ρώμης οἰκουμενικὸς πατριάρχης. *Palamam ejusque assectatores, cunctaque eorum iniqua dogmata, seu veriùs deliria illos etiam qui defendunt, accipiunt & admittunt ea quæ in eorum Tomo digesta sunt, juxta atque ab ipsis exposita fuere, sive potius secundum ipsorum vani loquentiam, ac non secundum sensum divinum & orthodoxum, veluti Ecclesiæ lumina & magistri, quorum nos vestigiis insistentes, sententiasque sectantes, sanctorum dicta in Tomo conscripsimus; omnes item qui propter hoc quod deliramenta ipsorum non admittimus; quorum pars ab ipsis transmissa nobis est, pars ab aliis nuntiata, ausi sunt contra canones, nullo præmisso judicio mei commemorationem delere, vivificæ divinæque Trinitatis vinculo supponimus, & anathemate ferimus. Subscriptio, Joannes misericordia Dei archiepiscopus Constantinopolis novæ Romæ, & œcumenicus Patriarcha.* Atqui synodus illa Joannis Calecæ, in qua Palamas cum suo dogmate confixus est, ipsa utique est, quæ Isidorum Monembasiæ metropolitam electum una quoque confixit, triplicique de causa, tum quia, etsi nondum ordinatus erat, nonnullos de Monembasiæ clero ad Ecclesiæ munia provexerat, tum quia exortæ nuper rebellioni faverat, tum denique quia eadem quæ Palamas de Dei operatione sentiebat. Quæ tria momenta Ignatius quoque Antiochenus allegarat in suo contra Isidorum Tomo qui datus est mense Novemb. Ind. XV.

A anno Christi 1346. habeturque in eadem Allatii dissertatione 2. de libr. Eccl. Græc. Ex Gregora autem comperimus Joannis Apreni synodum illam, ad quam episcopi complures convenerant, coactam fuisse in Ecclesia Apostolorum, ac deinde in monasterio S. Stephani proto-martyris, quum interim Palamitæ, Cantacuzeno Principe illis favente, Ecclesiam S. Sophiæ tenerent. Cantacuzeni in Joannem odii una hæc causa erat, quod quum ipse adversus Imperatorem insurrexisset, communione ab eo aliisque præsulibus ex ambonis B suggesto privatus fuerat; quam tamen sententiam Patriarcha postmodum revocavit, quum ille Constantinopoli exceptus esset. Cantacuzenus lib. 3. hist. cap. 3. diserte testatur se nedum promotorem, sed auctorem fuisse destitutionis Joannis, quem hæreticæ opinionis accusabat, ut pote orthodoxæ. Quamquam episcopi complures negaverunt eum Patriarchali throno pelli posse, nisi perversam doctrinam ab orthodoxa valde discrepantem ab eo teneri ostenderetur. Διισχυρίζοντο γὰρ οὐδὲ αὐτῶν κατὰ γνώμην ἐξάγεσθαι τοῦ θρόνου τὸν C πατριάρχην, εἰ μὴ ἐλέγχοιτο δόγμασι προσέχειν διεστραμμένοις, καὶ πολὺ τῶν ὀρθοδόξων διαλλάττουσι. Ubi autem omnes simul convenerunt, vocatus iterum atque iterum Joannes, judicium declinavit, quod omnia Principis de religione pravè sentientis nutu gererentur. Quamobrem ei patriarchatus abrogatur, editurque Tomus, quo tum Acyndinus cum suis, Joannesque eadem ac ille sentiens proscripti sunt: Palamas vero ejusque assectatores divinorum Theologorum placitis consentanea sapere & profiteri asseruntur. Παλαμᾶς δὲ καὶ ὅσοι τῶν D ὁμοίων ἔχονται, ἀκόλουθα τοῖς θεοσόφοις θεολόγοις καὶ λέγουσι, καὶ φρονοῦσι. Hæc narrat loco superiùs appellato ipse Cantacuzenus. Gregoras vero lib. 15. cap. 4. Joannem addit, ab eo hoc modo ab illo ejectum in Byzantino palatio vinctum custodiri jussum; paulopost vero vivis excessisse; quinque ferme sexagintaque annos natum; quarto-decimo circiter patriarchatûs transacto, πατριαρχεύσας μὲν ἔτη περί που τὰ τέσσαρα καὶ δέκα, decimo à destitutione sua mense. Obiit itaque circa annum 1347. non 1345. ut putavit Spondanus: E Joannis Calecæ Apreni Patriarchæ agnatus, ac forsitan Germanus frater fuit Manuël Calecas, illustris ea ipsa ætate scriptor, qui calamum quoque strinxit adversus prava Palamitarum deliria, Romanæ Latinæque Ecclesiæ doctrinam contra gentiles suos schismaticos egregiè propugnavit, ac demum relictis suis quibus ob Fidei defensionem invisus factus erat, in Italiam migrans, grandævus jam ordini Prædicatorum nomen dedit.

CXXXV. Isidorus.

Joanne ejecto, episcopi nonnulli Gregorium Palamam ei sufficiendum jactarunt, alii tamen alios: major pars *Isidorum* illum, Monembasiæ præsulem, quem diximus cui cognomentum *Buchiram* erat, elegerunt, virum, si Cantacuzeno credimus, probatis moribus ornatum ad omnem sanctimoniam natum eruditumque, qui statim atque ordinatus fuit, episcopos alios ab iis, qui decessori suo affuerant assumens, sententiam illius, qua ipse ex ambone à communione segregatus fuerat, irritam pronuntiavit, quod tum Cantacuzenus lib. 5. cap. 3. refert, tum Gregoras quoque lib. 9. c. 10. qui addit, synodum ex adverso in S. Stephani proto-martyris ecclesia habitam, à qua Isidorus ejusque socii anathemate perculsi sunt: hujus vero concilii præsules variis modis à Joanne Cantacuzeno exagitatos: quum interim frequentibus vicissim literis ex omnibus undequaque regionibus, Palamas, Isidorus, eorumque sequaces diris devoverentur, tamquam novæ doctrinæ Patrumque statutis contrariæ auctores. Erant, ait Gregoras, qui palam Isidorum convitiis proscinderent. Quocirca Isidorus, quia episcopi complures & presbyteri secessionem ab ipso fecerant, plebeiam colluviem sacro cætui adscripsit, illiteratosque adeo homines, in locum illorum qui ab ipso defecerant, Ecclesiis præfecit. Gregoras idem scribit Isidorum sacros hymnos de S. Trinitate obliterare voluisse ut suos obtruderet, qui tamen ab ipsomet Imperatore igne aboliti sunt. Decem annos illum sedisse fert Cantacuzeni translatio Latina lib. 4. cap. 16. annorum vero numerus è Græco textu excidit. Quinimo duo dumtaxat septemque menses & dies 15. ei assignandi veniunt ex Patriarcharum catalogis, ἔτη β΄. μῆνας ζ΄. ἡμέρας ιε΄, nempe à mense Februario anni 1347. ad Aprilem usque anni 1349. quo ventris profluvio periit. Nilus Thessalonicensis sanctam & œcumenicam synodum nonam celebratam fuisse ait, Andronico Palæologo & Joanne filio ejus Impp. contra Barlaam & Acyndinum Isidoro Constantinopolis, Lazaro Hierosolymorum, ac vicariis sedium Alexandriæ & Antiochiæ primas in ea tenentibus, adfuisseque Gregorium Palamam, Philotheum Coccenum & alios qui diris eos devoverunt. Verum certo certius est nullum Andronico Imp. Constantinopolitanæ Ecclesiæ Isidorum nomine Patriarcham præfuisse.

CXXXVI. Callistus I.

CXXXVII. Philotheus.

CXXXVIII. Callistus *secundùm*.

Post Isidori obitum è monte Atho à Joanne
A Cantacuzeno accersitur Cœnobii Iberorum monachus nomine *Callistus*, Gregorii Palamæ familiaris, vir nullius eruditionis, effrenis iracundiæ, sermone turpis, ad percutiendum promtissimus, suppliciaque decernenda proclivis. Magnam episcoporum partem electionem illius ægre tulisse, Cantacuzenus fatetur, sua tamen opera cunctos in eum consensisse scribit. Gregoras vero lib. 13. cap. 1. testatur, nondum elapsis ab ejus ordinatione mensibus tribus, complures ejus communionem abnegasse, cum juramento asseverantes eum
B apertum Massalianum esse, atque unum è multis aliis ejusdem furfuris, qui ante paucos annos in monte Atho deprehensi erant; ὅσοι διομνύμενοι εἰσήγγελλον εἶναι σαφῆ Μασσαλιανὸν αὐτὸν, καὶ τῶν ἐν Ἄθωνι ὄρει πρὸ ἐτῶν οὐ μάλα συχνῶν φανερῶν ἁλόντων εἶναι. Anno 1351. Joanne Cantacuzeno Imp. agente, coacta frequenti synodo, Palamitarum errores Callistus confirmavit, decessorem olim suum Joannem Aprenum, Joannem Antiochenum, & reliquos veræ doctrinæ patronos proscripsit. Cujus synodi acta Combefisius edidit
C parte 2. Auctarii novissimi Bibliothecæ PP. Græc. In qua tamen editione subscriptiones aliquot desiderantur, quæ restituendæ sunt ex Cæsareo cod. 266. His in subscriptionibus omnium primus legitur Joannes Cantacuzenus Imp. deinde Joannes Palæologus Imperator, genuinus Imperii hæres, mox Callistus ipse. Post vero Joanne Cantacuzeno à Joanne Imp. diffidente, Callistus cum episcopis & selectis monachis delegatus est Hadrianopolim, ut illum à bello contra generum gerendo deterreret. Sed nec à Joanne Imp. obtinuit,
D ut cum Cantacuzeno reconciliaretur. Quocirca obstare non dubitavit, ne Cantacuzenus Matthæum filium suum in Imperatorem proveheret, quod in causa fuit, cur patriarchali sede detrusus sit, at sine ullius synodi decreto. Tum Cantacuzenus eum mox revocavit, quem speraret votis suis obtemperaturum. Verum Callistus primam sententiam tenens, ipsum Matthæumque filium à communione semovit. Cantacuzenus vero ipsum coacta synodo in totum amoveri curavit, quod anno circiter 1354. contigit. Postridie amotionis
E Callisti Episcopi denuo convenientes, tres elegerunt, quorum unus locum illius obtineret, Philotheum scilicet Heracleæ metropolitam Macarium Philadelphiæ & Nicolaum Cabasilam. Cantacuzenus autem qui summam rerum tunc gereret, Philotheum continuo designavit, qui sacræ lauræ montis Atho præpositus antehac fuerat, & cujus se disciplinæ subjicere olim cogitarat. Byzantinam ecclesiam duos circiter annos Philotheus gessit: quam ait Cantacuzenus, crebris doctrinis &

Philotheus

monitis ad cælestem vitam provehebat. Ac A plane complures in codicibus manu exaratis occurrunt Philothei Patriarchæ de variis argumentis sermones, ac præterea Antirrhetica pro Palamitarum hæresi, quibus Cantacuzeno incitatore, Nicephorum Græcgoram, Barlaamum & Acyndinum confutare nitebatur. Hos libros complectitur Coislinianus codex 99. Scripsit quoque Gregorii Palamæ vitam. Anno 1354. ipso Philotheo Patriarcha præsente Matthæus Cantacuzenus recens renuntiatus Imperator ratam habuit synodum, quæ patre suo Joanne curante, Palamitica dogmata sanciverat. B Huic porro Patriarchæ adscribendam puto Appendicem illam, qua Palamiticus error statuitur & firmatur ad calcem Tomi Orthodoxiæ. Atqui Philotheus anno 1355. Patriarchali domo relicta, latebras petiit, iram veritus Joannis Palæologi Imperatoris, quem à se læsum noverat, Matthæo Cantacuzeno Imperiali corona redimito, quique demum Regiam in urbem regressus erat.

Callistus secundùm.

Philotheo fugiente, ad suam sedem rediit Callistus absque ullo synodali judicio, quippe qui nulla simili sententia extrusus fuerat, quum C interim Joannes Cantacuzenus abdicato Imperio monasticam vitam amplexus esset. Ortis subinde jurgiis Matthæum Cantacuzenum inter & Joannem Palæologum Imp. Matthæus fidem Joanni juravit, certisque conditionibus purpuram deposuit, Callisto Patriarcha, Lazaro Hierosolymitano & episcopis præsentibus. Ab Imperatore Callistus delegatus est, ad Elizabeth Cralis seu Principis Serviæ conjugem, ut omisso cum Byzantinis bello, arma in barbaros qui Thraciam infestabant, converteret: D ibi vero ipse, comitesque sui complures sæva grassante lue perierunt. Defuncti Patriarchæ cadaver in Pherarum metropoli sepultum est, neque montis Atho monachi à Crale impetrare potuerunt ut ad ipsos transferretur. Duodecim patriarchatûs anni Callisto assignantur: Καλλίστος ἔτη ιβ'. ut anno proinde 1661. exstinctus sit.

Philotheus secundùm.

Post Callisti mortem Philotheus, annuente Joanne Imp. synodicoque decreto suo favente, sedem Byzantinam resumsit, ad quam solenni pompa reductus fuit ab Imperatoris filiis Andronico & Manuele, Imperiique proceribus. E A Callisti obitu sedisse fertur annos tredecim, sexque menses, ἔτη ιγ'. μῆνας ϛ'. adeoque anno 1376. interiit.

CXXXIX. Macarius.

Philotheo hoc ipso quo obierat an. 1376. suffectus est *Macarius*, seditque annos duos, septemque menses ac dies quindecim, ἔτη β'. μῆνας ζ'. ἡμέρας ιε'. Onuphrius sex dies habet. E vivis itaque excessit anno 1379.

CXL. Nilus.

Macarium excepit *Nilus* annos octo Νεῖλος ἔτη η'. Onuphrius vero quem Spondanus sequitur, viginti annos numerat, ut κ'. pro η'. legerit Allatius in Diatriba de *Nilis*, cap. 8. Hunc Thessalonicæ archiepiscopum prius fuisse monet, quam patriarcham, ejusque memoriam haberi in synodico MS. quod legebatur Dominica orthodoxiæ in Ecclesia Thessalonicensi. Νείλου τοῦ ἐν μακαρίᾳ τῇ λήξει γενομένου ἁγιωτάτου καὶ ἀοιδίμου πατριάρχου, τοῦ στεῤῥῶς ὑπὲρ τῆς ἐκκλησίας Χριστοῦ, καὶ τῶν ὀρθοδόξων αὐτῆς δογμάτων, καὶ λόγοις, καὶ πράγμασι, καὶ διδασκαλίαις, καὶ συγγράμμασι, καὶ εὐποιΐαις ἀγωνισαμένου αἰωνία μνήμη. *Nili feliciter defuncti, sanctissimi, celebratissimique patriarchæ, qui strenuè pro Ecclesia Christi, ejusque dogmatis sermone, gestisque, & doctrinis, scriptis ac bonis operibus desudavit, perpetua memoria.* Strenuè Nilum pro Ecclesia & rectis dogmatibus certasse dicunt; nempè, tam contrà Latinos, quam pro Palamiticis erroribus, quorum patrocinii suscepti causa à Simeone Thessalonicensi commendatur in suo contra hæreses dialogo, ubi Philotheus quoque Constantinopolitanus patriarcha præstantissimus, necnon sapientissimus ejusdem Ecclesiæ pontifex Nilus cum Gregorio Palama multum laborasse dicuntur, καὶ τοῦ μετ' αὐτὸν σοφωτάτου Νείλου, τῆς αὐτῆς αὐτοῦ ἀρχιερευτήσαντος ἐκκλησίας. Silvester Syropulus in historia concilii Florentini, sect. 2. cap. 8. scribit, quo tempore Eudæmon Joannes Romani Papæ ecclesiarum unionis promovendæ gratia literas Joanni D Imp. & Patriarchæ attulit, *triginta fere jam annos lapsos esse*, χρόνοι παρῆλθον ἐγγὺς τριάκοντα; ex quo nec literæ ullæ, nec ullus à Papa ad Patriarcham nuntius missus erat, nec ullus demum de unione tractatus habitus, à diebus, inquam, Urbani Papæ & sanctissimi Patriarchæ Nili. ἀπὸ γὰρ τῶν ἡμερῶν τοῦ Πάπα Οὐρβανοῦ καὶ τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου κυροῦ Νείλου, οὐδεὶς ἦλθεν ἐκεῖθεν, ἀλλ' οὐδὲ ἐντεῦθεν περὶ ἑνώσεως ἐκινήθη λόγος. Urbanus porro Papa VI. sedebat ab anno 1378. ad 1389. Obiit porro Nilus secundum Cl. Bandurii compu- E tum anno 1387. secundum vero Panvinianum, an. 1399. Sed cujus calculos accuratos non esse infra planum fiet in Euthymio II. cod. Coislin. CCXLIII. Nili Constantinopolitani archiepiscopi homilias continet.

CXLI. Antonius IV.

Nilum sequutus est *Antonius* annos octo ἔτη η'. Bandurio ad annum usque 1396. vel pro Onuphrii Panvini computo ad annum 1406. propter annos 20. quos Nilo assignavit.

CXLII. Callistus II.

En *Calliſtum* alterum cognomento *Xantopulum*, qui anno 1396. non niſi tres menſes ſedit ex Cl. Bandurii catalogo, μῆνας ἕξ'. Onuphrius vero tredecim ei annos attribuit, ſed Matthæum ejus ſucceſſorem omiſit, qui quidem tredecim annos Patriarcha fuit. Calliſti hujus II. diſerte meminit Simeon Theſſalonicenſis in dialogo contra hæreſes, ubi ait: ἐξαιρέτως ἐν ταῖς ἡμέραις ἡμῶν ταύταις. *Præſertim his noſtris temporibus de hac eccleſiarum diſſentione Spiritûs ope ſcripſerunt, homines prorſus, Divini, Deiferi, Chriſtiferique & Deo pleni*, ὁ ἐν ἁγίοις πατὴρ ἡμῶν Κάλλιστος, ὁ τῆς βασιλευούσης γεγονὼς νέας Ῥώμης Πατριάρχης, καὶ ὁ σύντροφος αὐτοῦ καὶ συνασκητὴς ὅσιος Ἰγνάτιος βίβλῳ οἰκείᾳ συντεθείσῃ παρ' αὐτῶν πνευματικῶς καὶ θεοφανῶς καὶ λίαν ὑψηλῶς ἐφιλοσόφησαν ἐν ο'. κεφαλαίοις. *Sanctus pater noſter Calliſtus Regiæ urbis novæ Romæ Patriarcha, ejuſque familiaris & aſceticæ vitæ ſocius almus Ignatius, ſcripto libro, ſpirituali, divinoque & ſublimiſſimo modo philoſophati ſunt ſeptuaginta capitibus.* Quem quidem Simeonis locum non de Calliſto I. Sed de ſecundo conſulto ſatis intelligit Allatius, lib. 1. de Conſ. c. 18. n. 12.

CXLIII. Matthæus I.

Poſt Calliſtum ſub finem anni 1394. *Matthæus* patriarchatum geſſit, de quo Theſſalonicenſis loco mox appellato ſubdit, ἐπὶ τὰ τέλη τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου κυροῦ Ματθαίου ἐλθὼν ἐκεῖθεν κῦρις Μανουὴλ ὁ Χρυσολώρας, ἐκόμισεν αὐτῷ γράμματα καὶ λόγους τοῦ τότε Πάπα, πρὸς οὓς καὶ ὁ πατριάρχης ἀπελογήσατο, καὶ τῷ πάπᾳ ἔγραψεν· ἅτινα γράμματα καὶ ἀπολογίαι κεῖνται καὶ ἐν τῷ ἱερῷ τῆς ἐκκλησίας κώδικι. *Ac circa finem Patriarchatûs domini Matthæi, quum dominus Manuël Chryſoloras epiſtolas & ſermones Papæ, qui tunc ſedebat, attuliſſet, Patriarcha illis reſpondit, viciſſimque literas Papæ ſcripſit. Quæ literæ & defenſiones jacent in ſacro Eccleſiæ codice.* Ejus quoque meminit Syropulus, hiſt. concil. Florent. ſect. 2. c. 7. Atqui Matthæus ex metropolita Cyzici in Patriarcham provectus, decimo tertio ſubinde anno diem poſtremum obiit, Chriſti currente 1410.

CXLIV. Euthymius II.

Matthæo morte ſublato, Byzantinam ſedem capeſſivit *Euthymius II.* quam annos quinque, totidemque menſes tenuit, Εὐθύμιος ἔτη ε'. μῆνας ε'. ab anno ſcilicet 1410. ad 1416. quo Georgio Phranza teſte, lib. 1. c. 38. vivere deſiit. *Anno mundi*, inquit, *Imperator Conſtantinopolim rediit, & cum illo procerum ordo univerſus; quo menſe poſt ejus adventum è vivis exceſſit Patriarcha Euthymius.* Atqui annus ille mundi 6924. Chriſti fuit 1416. Quo Phranzæ contextu caſtigantur Onuphrii Panvini calculi, qui, ut ſupra dictum eſt, annos viginti Nilo tribuit, adeoque Euthymii obitum ad annum 1430. differre debuiſſet, contra certiſſimum hujus auctoris teſtimonium.

CXLV. Joseph II.

Georgius Phranza pergit, *& vigeſima prima Maii ejuſdem anni electus eſt Patriarcha Epheſi metropolita Joſeph*, ſcilicet concinit Syropulus, ſect. 3. c. 4. Quum ad Patriarcham eligendum præſules ſuffragia ſua contuliſſent, triaque nomina Imperatori, ut moris eſt, propoſuiſſent, ipſo Mediæ metropolita præſente, qui iis quæ geſta erant, non adfuerat, *eligit Imperator Epheſinum dominum Joſeph & in patriarcham provehit; qui in Patriachales ædes deductus, ipſa ſolenni die magni Conſtantini Indict. IX. divinam Liturgiam celebrat, & ſanctiſſimæ magnæ eccleſiæ throno imponitur.* ἐκλέγεται ὁ βασιλεὺς τὸν Ἐφέσου κῦρον Ἰωσὴφ, καὶ εἰς πατριάρχην προβάλλεται, καὶ εἰς τὸ πατριαρχεῖον ἀναχθεὶς, κατὰ τὴν ἑορτάσιμον ἡμέραν τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου, κατὰ τὴν θ'. ἐπινέμησιν, τήν θείαν τε ἐπετέλεσε μυσταγωγίαν, καὶ τῷ τῆς ἁγιωτάτης μεγάλης ἐκκλησίας ἱερῷ ἐνεθρονίσθη συνθρόνῳ. Promotio igitur Joſephi facta eſt 21. Maii anni 1416. Manuële Palæologo Imper. Mox ejus, ut & Imperatoris nomine, metropolita Mediæ in Moldoblachaim ſecundò delegatus eſt. Joſephus à Phranza paſſim vapulat, ut puta lib. 2. cap. 9. ubi die 7. Januarii anni 6938. Chriſti 1431. amicum ſuum Macarium qui Μακρὸς cognominabatur, peſtilentia ſublatum narrat. Obiter hîc dicam, pro Μακρὸς mihi legendum videri Μακρῆς *Macres*, quia illo ipſo tempore clarebat *Macarius Macres* ſcriptor Græcus, cujus frequens eſt apud Allatium mentio. Addit eum effero agreſtique Patriarchæ hæreticum habitum eſſe, qui tamen omnipotenti ſummeque pervigili oculo revera orthodoxus erat. Anno 1422. Antonius Meſſanus Romanæ ſedis nuntius colloquia cum Joſepho patriarcha habuit de Eccleſiarum unione, ut fertur apud Raynaldum. Atqui Manuël Imper. & Joſeph patriarcha Martino Papæ V. ſcripſerant, unionem Eccleſiarum non niſi in œcumenica ſynodo fieri poſſe, in qua liberè, candideque, & ſincerè ſingula capita tractarentur, de quibus hactenus diſceptatum fuerat; eam vero Conſtantinopoli cogendam cenſebant. Poſt vero diu deliberatum eſt, in occidentem ne iretur ad concilium quod Eugenius

Papa IV. vocaturus esset, an ad illud quod Basileam convenerat. Denique anno 1437. decretum est, ut ad Eugenii synodum in Italiam pergeretur, ac die Novembris 27. ejusdem anni, Imperator, Patriarcha, & episcopi Constantinopoli solverunt, atque insequentis anni Februarii 8. Venetias adpulerunt, unde mox Ferrariam itum est, ubi eodem anno 1438. die 6. Octobris incepta synodus est, quæ anno subinde 1439. Florentiam translata fuit. Ibi post assiduas frequentesque Græcorum cum Latinis concertationes, Patriarcha in morbum incidit, demumque brevi se moriturum sentiens, sarciendæ Ecclesiarum concordiæ consensit, scripto dato quod manu sua exaraverat atque subscripserat, ut jacet in synodi actis quæ Græcè hodie exstant, sess. 25. incipitque *ad confirmationem, &c. subscriptum legitur* κατ' ἐννάτην τοῦ Ἰουνίου μηνὸς χιλιοστῷ, καὶ τετρακοσιοστῷ τριακοστῷ ἐννάτῳ, κατὰ τὴν β'. ἐπινέμησιν. *Die nona mensis Junii anno millesimo quadringentesimo trigesimo-nono;* quo die sub vesperam obiit, quum sedisset annos 23. dies circiter decem & octo. Ad calcem libri Nectarii Hierosolymitani *de Primatu Papæ,* qui Jasii in Moldoblachia typis prodiit anno 1682. additur confessio ejusdem *D. Joseph archiepiscopi Constantinopolitani,* à postremo illius de quo dixi sensu discrepans, ut pote dudum scripta ante disputationes quæ Florentiæ habitæ sunt. Testis vero locupletissimus Syropulus est, passim asserens Patriarcham in unionem propensissimum semper fuisse, eumque, sect. 4. c. 14. 15. Subiratum prodit, quod ab ea se alienum præberet. Sepultus porro est Florentiæ, in Ecclesia S. Mariæ Novellæ ord. Prædicatorum, cujus sepulcro hi versus insculpti fuerunt, à Maffeo Vegio Laudensi poëtæ conditi.

Ecclesiæ antistes fueram, qui magnus Eoæ,
Hic jaceo, magnus religione Joseph.
Hoc unum optabam miro inflammatus amore,
Unus ut Europæ cultus & una fides.
Italiam petii, fœdus percussimus unum:
Junctaque Romanæ est me duce Græca fides.
Nec mora decubui: nunc me Florentia servet,
Qua tunc concilium floruit urbe sacrum.
Felix qui tanta donarer munere vivens,
Qui morerer voti compos & ipse mei

BESSARION.

Bessarionem Nicææ metropolitam, qui Florentinæ interfuit synodo, & in ea vices metropolitæ Sardensis gerebat, Josepho patriarchæ ab Imperatore Græcorumque episcoporum synodo suffectum statim, Georgii Phranzæ assertio est, lib. 2. c. 17. ubi ait, præsules omnes qui in Italiam profecti erant, Constantinopolim rediisse præter Josephum Patriarcham qui Florentiæ, & Sardensem qui Ferrariæ obierat, necnon Bessarionem Nicænum qui Romæ sedem fixit, *postquam ab Imperatore & synodo Patriarcha creatus erat.* Noluisse autem Constantinopolim reverti *propter turbas & scandala quæ illic orta erant, sed Romæ hærentem Princeps archiepiscopus* (Romanus Papa) *cum pensionibus liberalissimis in Cardinalium numerum cooptavit.* Turbarum scandalorumque auctor Marcus Ephesius fuerat, qui reliquis in patriam regressuris quantociùs præiverat. Solus è Græcis Phranza Bessarionem à suis patriarcham in Italia electum perhibet. Cæterum Sylvester Syropulus, sect. 10. c. 14. scribit, voluisse quidem Eugenium, ut Græci Josephi successorem Florentiæ eligerent, eos vero atque Imperatorem ipsum Primicerii consiliis deterritum abnuisse. Censet Allatius Bessarionem Byzantini Patriarchæ titulo à Romano Pontifice dumtaxat ornatum fuisse.

CXLVI. METROPHANES II.

Georgius Phranza iterum ad annum 6948. Christi 1441. Imperatorem Joannem, Demetrium Despotam, & episcopos Constantinopolim ab Italia mense Februario regressos narrat, atque ejusdem anni verno tempore Metrophanem Cyzici metropolitam patriarcham renuntiatum. Id Syropulus factum scribit die 4. Maii fer. 4. in vigilia Ascensionis, τῇ τετράδι οὔσῃ καθ' ἣν ἀποδίδοται ἡ ἑορτὴ τῆς ἁγίας τοῦ Χριστοῦ ἀναλήψεως (sic legendum pro ἀναστάσεως) ἥτις ἦν δ. τετάρτη Μαΐου. Subdit vero eadem die instante, hora vesperarum solemnitatis ἀναλήψεως, neminem in Ecclesiam convenisse, quin nec die insequenti, ita ut sacrificium oblatum non sit, cunctis novum patriarcham Latinis mî causa quem admiserat aversantibus. Ad hæc, quum S. Spiritûs dies advenisset, & Metrophanes ad Liturgiam peragendam se pararet, nec Heracleensem, nec Trapezuntium, nec Ephesinum adfuisse, reliquos fugam meditatos. Quod in causa fuit, cur nulla emendatione sperata ecclesiasticum munus deposuerit. Hæc strictim Syropulus, qui sect. 11. c. 1. hunc à prima ætate ascecticas virtutes egregiè coluisse refert, unde apud omnes habebatur uti vir honore dignus ac plane divinus, donec à domesticis Imperatoris ventilari cœpit eum in Patriarcham esse promovendum. Leo Allatius, lib. 3. de Conf. c. 4. literas recitat trium Orientis Patriarcharum, qui Eugenii Papæ literis ad unionem confirmandam invitati, Arsenio Cæsariensi instigante, in Metrophanem insurrexerunt, ceu prædonis more in Byzantinam

ſedem invaſiſſet ; atque ordinationes quas feciſſet, irritas eſſe pronuntiarunt. Literæ eorum datæ feruntur in plena ſynodo propriis ipſorum manibus ſubſcriptæ menſe Aprili an. mundi 6951. Indictione VI. id eſt anno Chriſti 1443. Metrophanes vero, ait Syropulus, quum nihil apud ſuos proficeret, abdicato epiſcopatu, in cellam privatam ſe recepit; recurrente vero Quadrageſima procerum obſequens votis, ſe reverſurum ſpopondit, ubi rerum ſtatus ab Imperatore emendatus eſſet, firmataque concordia. Id ſe ante diem Paſchæ facturum promiſit Princeps, quod tamen ob negotia quæ interciderunt, præſtitum non eſt. Cunctationem indigne ferens Patriarcha, quindecim dierum ſpatium ei præfinit, infra quod unio ſanciretur ; ſed eo tempore re infecta elapſo, decima-tertia poſt die morbo præ mœſtitia correptus, vivere tandem deſiit prima Auguſti anno 6951. Ind. VI Chriſti 1443. tertio item anno tranſacto, menſibuſque tribus, à ſua promotione. Metrophanem hunc ſecundum omiſit hiſtoriæ Politicæ Turco-Græciæ ſcriptor, quem Martinus Cruſius typis Græcis Latiniſque evulgavit, nec alium poſt ſuorum ex Italia reditum conſtitutum Patriarcham novit præter Gregorium Mammam, de quo nunc habendus ſermo eſt.

Sedes vacat annos fere tres.

CXLVII. Gregorius IV.

A Metrophanis obitu tribus elapſis menſibus, patriarcha factus eſt *Gregorius* cognomento *Mamma* & *Meliſſenus*, quem Phranza, lib. 2. c. 11. à nonnullis *Strategopulum* quoque eſſe dictum ait, quique, quum Patriarchæ *Protoſyncelli* dignitate fulgeret, atque ſummus Pœnitentiarius eſſet, Florentinæ ſynodo interfuerat. De cujus promotione iterum Phranza ſcribit, c. 19. die 7. Julii anno mundi 6954. (Chriſti currente 1446.) *toto orbe æſtus immenſus & memoria dignus exſtitit. Qua æſtate Spiritualis pater Gregorius Meliſſenus patriarchatu donatus eſt.* Auctor hiſtoriæ politicæ Turco-Græciæ, de illo pauca hæc habet : *Erat Conſtantinopoli Pneumaticus*, πνευματικὸς, (*Spititualis*, nos *confeſſarium, Pœnitentiarum* dicimus) *vir ſanctiſſimus, cognomine Mamma, magni Ducis compater, quem arripientes invitum prorſus patriarcham fecerunt & conſtituerunt.* Ἦν δὲ ἐν Κωνσταντινουπόλει τις ἁγιώτατος, πνευματικὸς, λεγόμενος Γρηγόριος ὁ Μάμμη, συντεκνος τοῦ μεγάλου δουκός. ἅραντες δὲ αὐτὸν, καὶ μὴ θέλοντα, εἰπεῖν, ἐποιήσαντο καὶ ἀνηγόρευσαν πατριάρχην. *Qui diſſidium in dies augeſcere cernens, urbiſque excidium prædicens, ſe munere abdicavit ; quum quidem illi ipſi ſuo compatri prænuntiaſſet,*

A *filios ejus in conſpectu ſuo ab Agarenis trucidatum iri : quod ſancti viri vaticinium, ipſo poſterius eventu comprobatum fuit.* Obiter dicendum magnum illum ducem fuiſſe *Lucam Notaram*, quem Leonardus Chienſis *Cyr-Lucam* dicit, & cum Georgio Scholario Eccleſiarum unioni firmandæ variis artibus obſtitiſſe. Romam porro Gregorius ſeceſſit, de quo Georgius Trapezuntius in epiſtola ad Cretenſes monachos & ſacerdotes *de una ſancta Catholica Eccleſia*, hæc ſcripſit. *Quandoque propter peccata populi affliguntur Eccleſiæ*
B *præſules, etſi fide vitaque divini viri evaſerunt. En enim Conſtantinopolitanus patriarcha, mens illa pervigil,* ὁ Γρήγορος νοῦς, *pro ſalute gregis ſollicitus, ſacer, uſque ejus nomen fert, verè Gregorius,* ὁ φερώνυμος καὶ ἱερὸς Γρηγόριος, *ſimulque hujuſce ævi confeſſor & martyr, exſilia, horumque ſocias calamitates, eccleſiarum unionis cauſa lætis animis amplexus, Romæ agit,* ἐν Ῥώμῃ διάγει, *non jam velut illum decet qui ſecundum poſt Papam eccleſiæ locum teneat :* Quinque autem annos unumque menſem Byzantinus patriarcha ſe-
C dit Gregorius uſque ad annum mundi 6960. Chriſti 1451. cujus anni menſe Aug. Phranza, lib. 3. c. 3. exſulis inſtar urbe ſua diſceſſit.

Poſt Gregorii diſceſſum Georgius Phranza, lib. 30. cap. 30. Imperatori Conſtantino ſe ſuggeſſiſſe narrat, ut Iſidorum Ruſſiæ metropolitam & Romanæ eccleſiæ Cardinalem, Patriarcham deſignaret. *Quum Byzantii Cardinalis Ruſſiæ verſaretur,* inquit, *& de eo cum venerando & B. mem. domino meo Imp. in Patriarcham Conſtantinopolitanum adſciſcendo ego agerem : tunc enim Papam qui eo*
D *tempore ſedebat, ab illo, qua apud eum valebat auctoritate, commoveri poſſe ad mittenda ſubſidia cenſebam, multis diſputando, loquendoque & deliberando agitatis, idem Cardinalis domino meo unum è duobus omnino fore oſtendit, ſibi Patriarchæ creato neceſſe fore ut obediant, aut diſſidia inter ipſum & inobſequentes oritura. Ingens vero malum futurum, ſi bellum extra inferretur, aliudque intus ſæviret. Cæterum Papæ memoriam in ſacris propter ſpem auxilii fieri poſtea placuit, & quicumque id præſtarent, in Sophiæ templo facerent,*
E *qui vero omitterent innoxii tranquillique eſſent.* At vero Michaël Ducas, cap. 36. hiſtoriæ ſcribit, Conſtantinum Imp. Romam miſiſſe, qui ſubſidia rogarent, ea lege, ut ſancita concordia rata fieret, Papæ nomen in magnæ Eccleſiæ Liturgiis recitaretur, & Gregorius Patriarcha ad ſedem ſuam rediret, καὶ ὁ Γρηγόριος πατριάρχης ἐπανελεύσεται τῷ θρόνῳ αὐτοῦ. Verum Gregorius ad obitum uſque Romæ manſit. Ibique obiit, ut fertur in Pii Papæ II. Commentariis, lib. 2. an. 1459.

Nonnulla scripsit in defensionem Florentinæ synodi, ejusque de hoc argumento epistola exstat ad Imp. Trapezuntium.

Athanasius. Allatius in addendis ad libros de consensione utriusque Ecclesiæ, col. 1381. acta recitat nescio cujus synodi, quæ in templo S. Sophiæ Constantinopolitano habita fertur *intervallo unius anni cum dimidio à finita synodo Florentina post obitum usque Joannis Imp.* μετὰ τὴν διάλυσιν τῆς ψευδοσυλλόγου Φλωρεντίνου, ἑνὸς ἐνιαυτοῦ διαφήμαλη καὶ ἡμισείας, καὶ μετὰ τὴν τελευτὴν τοῦ λατινόφρονος Ἰωάννου τοῦ παλαιολόγου, sub filio ejus Constantino. B Illi porro synodo interfuisse tres Patriarchas Orientis, Alexandrinum, Antiochenum & Hierosolymitanum: vocatum tertiò per œconomum Michaëlem, & magnum Rhetorem, Theodorum Patriarcham Gregorium, qui œconomo & Rhetori dixerit, se rata habere omnia quæ in concilio in Italia habito gesta erant, quippe quod ab aliis œcumenicis conciliis ante illud celebratis nihil discordaret. Quamobrem ab illa synodo statutum fuisse, pellendum Gregorium eique substituendum *Athanasium*, qui proinde à tribus metropo- C litis, Macario Nicomediensi, Neophyto Niceno, & Metrophane Cyziceno sit ordinatus. Tum vero à fratre Leonardo Chiensi Dominicano, & Theodoro magnæ Ecclesiæ Rhetore disceptari cœptum, de processione Spiritûs sancti; Leonardum autem victum ipso primo congressu succubuisse. Alia omitto hujus synodi, quæ proposito meo extranea sunt. Hoc unum dicere interest, eam à Græculo quopiam confictam fuisse; tot enim apertissimis mendaciis illius acta scatent, ut nulla ratione fides illis haberi queat. Enim D vero anno altero à celebrata synodo Florentina, Constantinopolitana sedes omnino vacabat, imo tres annos fere integros pastore caruit, post obitum Metrophanis, qui tres annos ac menses tres Patriarcha fuerat; quo fit, ut Gregorius nonnisi sexto anno transacto Metrophani suffectus fuerit. Præterea Joannes Palæologus Imperat. non post annum cum dimidio, ex quo Græci è Florentina synodo redierunt, supremum diem obiit, hoc est anno 1440. *vel* 1441. sed nono prorsus completo, Christi 1449. Ad hæc in E illis actis Athanasius, ut prædictum est, ordinatus legitur à Macario Nicomediensi, Neophyto Nicæno, & Metrophane Cyziceno, nulla mentione facta Antonii Heracleensis, ad quem præ aliis ea ordinatio spectabat, qui tamen inter synodi præsules ibidem censetur, subscripsisseque tum suo nomine, tum *episcopi quoque Cæsariensis* legitur ὁ Ἡρακλείας Ἀντώνιος ὑπέγραψα, ἔχων καὶ τὴν γνώμην τοῦ ἁγιωτάτου ἐπισκόπου Καισαρείας.

A Decretum insuper exstat, de quo superius diximus, trium Patriarcharum Orientis Arsenio Cæsariensi instigatore latum an. 1443. adversus Metrophanem Constantinopolitanum, non adversus Gregorium. Atqui in isto decreto anni 1443. Philotheus Alexandrinus, Dorotheus Antiochenus, & Joachim Hierosolymitanus nominantur, quemadmodum etiam in synodi Florentinæ gestis: actis vero illius Spuriæ synodi subscribit *Theophanes Deo curante Patriarcha Hierosolymorum* Θεοφάνης Θεοῦ χορηγοῦντος πατριάρχης Ἱεροσολύμων. Plura non addo quæ congessit Allatius, quibus magis magisque synodi hujus vanitas falsitasque arguitur. Monere satis sit, neminem alium scriptorem illius ævi Græcum, alteriusve generis *Athanasii* illius Patriarchæ meminisse, uti nec illius synodi à qua creatus fertur.

Sedes vacat.

CXLVIII. Gennadius.

Ex quo Gregorius Patriarcha in Italiam se recepit, Byzantina Ecclesia pastore diu viduata mansit, Turcici præsertim belli causa, quo civitas expugnata fuit. Quum vero Mahometus Sultanus eâ obtentâ, nullos conventus sacros à Christianis agi comperisset, quippe qui Patriarchâ carerent, ultro concessit, ut quem vellent, nulla mora sibi constituerent. *Georgium* itaque *Scholarium* elegerunt, qui non ita pridem monasticam vitam amplexus *Gennadii* nomen assumserat. Hic antehac *Catholicus Secretarius Joannis Imp. Catholicusque Judex Romanorum fuerat; assessor Imperialis judicii,* καθολικὸς σεκρετάριος τοῦ βασιλέως Ἰωάννου, καὶ καθολικὸς κριτὴς τῶν Ῥωμαίων, κριτὴς βασιλικῆς κρίσεως. Quum itaque rerum divinarum humanarumque scientia apud suos clareret, ad synodum quæ in Italia cogenda erat, ab Imperatore Joanne ductus, etsi homo laïcus erat, orationes illic habuit de pace cum Latinis ineunda; sed & scriptum præterea edidit, quo exponebat quibus legitimis sensibus Latinorum de Spiritûs S. processione doctrina admittenda foret. Hoc vero quia à nostris Theologis probatum satis non fuit, ipse cum Demetrio Despota & Gemisto Plethone Venetias secessit. In patriam reversus, conscientia premente tum plurimorum Græcorum, tum Joannis Imp. nutibus morem gerens, Latinorum causam aliquandiu eo usque egit, ut nec Marci Ephesii contra illos altercationibus parceret. Quum vero concordiæ inter ecclesias paciscendæ sequestrum se præbere vellet, eamque gloriam Isidoro Russiæ Metropolitæ Cardinali & Lucæ Notaræ præripere niteretur, Marci demum Ephesii suggestionibus victus, ad Schismaticos

transiit. Horum causam egit coram Imperatore Constantino in concertationibus de Spiritûs S. processione cum episcopo Cortonensi Romanæ sedis nuntio, suaque subinde argumenta scriptis consignavit. Quamquam fatendum, illum in hisce disceptationibus ad Latinorum doctrinam magis accessisse, quam ullum è schismaticis Græcis qui calamum in nos strinxere. Quum vero nimium unionis odium præferret, sibi, ut conjectari licet, metuens, in monasterio Pantocratoris, quod urbi proximum erat, sæculo renuntiavit, ubi monachis subinde præfectus fuit, quod ipse narrat epistola ad omnes fideles in Christo Jesu, quam de sua in Patriarcham promotione scripsit. Capta urbe, coactaque, ut dictum est, Sultani nutu synodo episcoporum ex Europa & Asia, eorum suffragiis Patriarcha electus est, sacrisque subinde Diaconatûs, presbyteratûs & Episcopatûs ordinibus initiatus, ipso, ut mihi videtur, excidii civitatis labente anno. A Sultano *Gennadius* in palatium vocatus, magni pretii pedum pastorale accepit, argenteum scilicet, inauratum, affabre elaboratum; atque eleganti vectus equo ab aulæ Turcicæ primoribus, necnon ab episcopis ad ecclesiam Apostolorum nomine nuncupatam deductus fuit, ubi Patriarchalem cathedram conscendit ab Heracleæ metropolita de more consecratus. Atqui templum illud paulo post reliquit, reperto intra ejus septa Turci hominis cadavere, & à Principe Mohammedano obtinuit ut in Pammacaristæ monasterio sedem figeret. Dedit Sultanus, ut fert Phranza l. 3. cap. 19. Patriarchæ ejusque successoribus literas securitatis, subscriptionibus auctoritatis Regiæ munitas, varias eis episcopisque immunitates concedens, quibus in futuras ætates uterentur. Patriarcham invisit in ecclesia illa Pammacaristæ, eumque de christiana religione docte differentem audivit in Scevophylacio, quod nos *Sacristiam* dicimus. Singula confabulationis illius capita numero viginti literis mandavit Gennadius, quæ Græcè, Turcicèque & Latinè edita sunt in historia Ecclesiastica Turco-Græciæ, quam à Manuële Malaxo conscriptam Martinus Crusius publici juris fecit. Codex Regius 2956. alterum continet Gennadii ad Sultanum de nostra fide sermonem, quem ille à Berrhœæ præfecto seu Cadi, in Turcicum idioma conversum quum legisset, meliorem de Christi, quam de Mohammedis religione opinionem concepit. Gennadius vero, si Malaxo credimus, annis quinque & mensibus sex patriarchatûs elapsis, χρόνους πέντε καὶ μῆνας ἕξ. quum dissidiorum apud suos nullus finis esset, vocato præsulum, clericorum, optimatumque, & christianæ plebis cœtu, dignitatem cunctis nequidquam renitentibus; abdicavit, & in monasterium S. Prodromi, sive Præcursoris apud serras migravit, in quo ad obitum usque suum mansit. At vero in cod. Cl. Eusebii Renaudot *oratio funebris exstat Theodoro Sophiano ab avunculo ejus Gennadio monacho dicta, quando in monasterio Batopædii sepultus fuit, die 28. Sept. an. mundi 6955.* sive Christi 1457. currente: Ἐπιτάφιος τοῦ μακαρίου Θεοδώρου τοῦ Σοφιανοῦ ἐν τῇ ἱερᾷ μονῇ τοῦ Βατοπαιδίου ταφέντι, ὃν εἶπεν ἐξ ὑπογύου ὁ θεῖος αὐτοῦ Γεννάδιος μοναχὸς ἐπὶ τοῦ τάφου Σεπτ. κη'. ςϡξε'. Hoc autem circiter tempore scripsit aliud opus cui titulus, περὶ τῆς πρώτης τοῦ θεοῦ λατρείας, ἢ νόμος εὐαγγελικὸς ἐν ἐπιτομῇ, *De primario Dei cultu, sive lex Evangelica in compendio*, an. 6967. Christi 1458. quum in Prodromi cœnobio ageret. Ex quibus apparet eum annos integros quinque Constantinopolitanæ ecclesiæ non præfuisse. De Georgio Scholario sive Gennadio Constantinopolitano multis disputavi in fine dissertationis primæ Damascenicæ, quæ est *de Processione Spiritus sancti*, ubi ostendi Leonem Allatium perperam sibi finxisse Gennadium alterum, à Constantinopolitano Patriarcha diversum. De quo argumento plura adjecit doctissimus abbas Renaudotius, eo volumine, quo ejusdem Georgii Scholarii sive Gennadii orationes de Eucharistiæ sacramento duas Græcè Latinèque protulit, editione Paris. in-4.° anno 1709. cum prolixo operum illius indice.

CXLIX. Isidorus II.

Gennadio episcopi suffecerunt *Isidorum II.* qui *Pneumatici* sive *Pœnitentiarii* munere fungebatur, quem Regiæ civitatis incolæ *communem bonum patrem* vocitabant: at brevi tempore Patriarchatu functus πατριαρχεύσας ὀλίγον, beato somno quievit, inquit anonymus auctor historiæ politicæ Turco-Græciæ p. 17. Pauca proinde de eo Malaxus habet.

CL. Joasaph. I.

Isidoro successit *Joasaph cognomento Cocas*, Ἰωάσαφ ὁ τὸ ἐπίκλην Κόκας vel Κόκκας, ut apud Philippum Cyprium, imo forsan *Cusas* Κούσας, ut Malaxi textu fertur. Vir fuit pacis amantissimus, quem clerici sui miris modis adeo exagitarunt, ut dolore victus in puteum se præcipitem dederit; unde ab hominibus religiosis extractus, variis medicorum remediis curatus fuit. Hunc subinde Sultanus Urbe expulit, exsilioque multavit, postquam ei Bassa barbam præciderat, quod approbare nollet Protovestiarii nuptias cum Principis Atheniensis vidua, quam ille reluctantem licet illegitime duxit. Quot annos Joasaph sederit, nullo

nullo auctore constat. Legendi Historiæ politicæ Turco-Græciæ scriptor & Malaxus.

CLI. Marcus I.

Coacta post Joasaph expulsum synodo, uno omnium consensu electus est *Marcus* cognomento *Xylocarabes*, Hieromonachus patriâ Byzantinus, vir egregie doctus, qui minore majoreque decreto Patriarcha renuntiatus, brevi subinde Trapezuntiorum factione clericis adversus ipsum insurgentibus à Sultano ejectus est. *Hi quatuor patriarchæ, quos commemoravimus*, ait Malaxus, *Scholarius, Isidorus, Joasaph & Marcus Xylocarabes, ita creati sunt, ut nullum Turcico Principi munus ipsorum promotionis causa offerretur, liberis prorsus suffragiis, ut olim sub Romanis Imperatoribus.*

CLII. Symeon.

Trapezuntii itaque quorum liberi præcipuis muneribus in aula Sultani fungebantur, per illos egerunt, ut gentilis suus nomine *Symeon* Patriarcha pro Marco crearetur, conciliatis sibi magnæ Ecclesiæ clericis, qui Marcum criminarentur, ceu mille aureos Principis fisco patriarchatûs adeundi causa pendisset. Facinus Marcus negavit per sacrum Evangelii textum; illi verò Sultanum convenientes, quia, inquiunt, Patriarcha majestati tuæ florenos mille spopondit, en nos idem damus, uti monachum è nostris Patriarcham habeamus, quando populus & clericorum chorus Marcum nequaquam ferunt. Horum Sultanus invidam insaniam risit; sibi vero promissam illam pecuniæ summam vafre finxit, quam in tributum statuerat, ejectoque Marco & synodum ne quidquam appellante, Symeonem illi, quamquam pacti pretii nescium, promoverunt. Synodus porro metropolitarum & episcoporum convenit, & Marco irrogatam sibi injuriam querente, magnæ inter eos contentiones ortæ sunt, quarum exitus fuit, ut Symeon Dionysii Philippopolitani artibus dignitate spoliatus sit, qui in monasterium secessit, Marco vero concessus Achridanus archiepiscopatus fuerit.

CLIII. Dionysius II.

Multa *Dionysius* Philippopolis metropolita auctoritate valebat apud Mariam Reginam Sultani novercam, quæ cognito Symeonis & Marci de Patriarchatu dissidio, conjectis in lancem auream duobus aureorum millibus à Sultano impetravit, ut Dionysius patriarchali solio imponeretur; quod *octo annos* tenuit, ἔτη ὀκτώ. Hic patriâ Peloponnesius erat, & prima ætate Constantinopolim ductus, in Manganorum cœnobio Marco Ephesino metropolita magistro usus fuerat, atque ab eo subinde diaconus ac sacerdos ordinatus, postmodum à Gennadio Philippopolis metropolim obtinuerat. Patriarchatui vero paulo post renuntians, Deiparæ Cosinitzæ monasterium adiit.

CLIV. Marcus II.

In Dionysii locum *Marcum* cognomento *Eugenicum* suffecerunt, diversum prorsus à Marco Xylocarabe, ut ex duplici Constantinopolitanorum catalogo, Matthæi Cygalæ & Philippi Cyprii comperimus. Hunc quidam susceptæ à Turcis circumcisionis accusarunt, quod crimen quum eluisset coram synodo, quæ delatores à communione semovit, dignitate tamen destitutus fuit.

CLV. Symeon *secundùm.*

In Byzantinum thronum, Marco amoto, reductus fuit *Symeon* solutis Turcico fisco bis mille aureis, quot Regius Quæstor pro Dionysio appensos repererat. Hic vero post tres à recepto patriarchatu annos iterum sede ejectus est. Ejus nomen apud Græcos male audit, quod primus Charatzii seu tributi patriarchæ promotionis causa pendendi auctor fuerit; addunt ipsum λατινόφρονα, quoque, id est *Latinorum doctrinæ studiosum* fuisse.

CLVI. Raphael I.

Symeoni sacerdotium ademit *Raphaël* Hieromonachus, genere Servius, homo insigniter ebriosus, cui ambitûs fautores erant Bassæ Turcorumve proceres complures: sed & bis mille aureorum Pescesium tributumve à se quotannis solvendum pollicitus est. De Sultani igitur mandato episcopis aliquot in magnam Ecclesiam convenientibus, ut eum patriarcham constituerent, Heracleensi, vel simulato morbo, absente, ut & Cæsariensi & Ephesino, ab Ancyrano est ordinatus. Raphaël cunctis multiplici titulo invisus factus, qui nec Græce loqui sciret, primo exacto pontificatûs anno in Senatum Turcicum vocatus, ut duorum millium ducatorum Pescesium, Charatziumve, aut tributum quod spoponderat, penderet, quia solvendo impar erat in carcerem trusus fuit. Inde vero posthac educi petiit, ut collecta stipe summam redderet, precibusque illius Turcorum proceres sic annuerunt, ut, collo ejus injecta catena, Turco à quo tenebatur comitante, mendicare permissus sit; quo factum proinde est, ut paulo post ærumnosam vitam misere finierit.

CLVII. Maximus III.

Non nisi Raphaële è vivis sublato, coacta de more synodus est, ipsaque numerosa; atque

metropolitis, archiepiſcopis, epiſcopis, clericis, A præpoſitis monaſteriorum, archimandritis, aliiſque ſacerdotibus, nobilibus itidem viris cum plebis multitudine concurrentibus, accurata diſquiſitione facta, *Manuëlem* magnum Eccleſiarcham, virum divinarum rerum apprime doctum elegerunt, cui Mahometes Sultanus, olim Protoveſtiarii nuptiis una cum Patriarcha Joaſaph obſiſtenti naſum findi juſſerat. Hic *Maximi* nomine ſuſcepto, ſtatim atque Byzantino throno impoſitus fuit, Sultanum ſalutaturus adiit, cujus manum oſculatus eſt, quingentos illi aureos in Peſceſium offerens. B Sub hoc Chriſtianorum res tranquillæ fuerunt, quum ipſi interim gregem ſuum crebris pro concione habitis ſermonibus ad pietatem informare ſatageret. Sultano Symboli Fidei noſtræ expoſitionem dedit, quam ille in Arabicum idioma converſum magna attentione & reverentia legit. Per eum Sultanus idem periculum fecit cadaveris defunctæ mulieris, quod propter excommunicationis vinculum quo dum viveret à Gennadio Patriarcha innodata fuerat, turgidum, nigrum & graveolens, ſed inſolutum manebat. Maximus patriarchatu C ſex annis geſto è vivis exceſſit. Atqui pontificatus ejus tempore Mahometes II. Turcorum Sultanus fato quoque functus eſt, anno 1480. cui Bazajetes filius ſucceſſit.

CLVIII. Nyphon II.

Metropolitæ nonnulli Aſiæ & Europæ Maximi obitu accepto convenientes, *Nyphonem, Niphonemve* Theſſalonicæ metropolitam patriarcham elegerunt, Νύφων μητροπολίτης Θεσσαλονίκης. Hic patre Albano nobili natus & matre Romana, ſive Græca, nobiliſſimi D quoque generis, adoleſcens in montis Athi monaſterio Pantocratoris nomen dedit, ubi ad preſbyterii gradum promotus eſt; tum ſubinde epiſcopatum Theſſalonicenſem invitus capeſſivit. Eo ſedente, Symeon Trapezuntius non ita pridem deceſſor ipſius fatis fungitur, relictis opibus immenſis, quas, ut pote ab inteſtato dimiſſas, Scoderbelus Amyrutzæ, Græci illius qui Turcicam ſuperſtitionem amplexus eſt, filius, ærario regio vindicavit, aliaque itidem Eccleſiæ vaſa, quæ illo Patriarchatum gerente Deo conſecrata erant: ſed E & clericos omnes carceri tradidit. Nyphon, ut huic calamitati occurreret, inito cum optimatibus conſilio, teſtes aliquot adhibuit, qui aſſererent Baſilium exſtare quemdam Symeonis patruelem, ad quem ejus hæreditas ſpectaret. Verum quia Præfectus ille noverat Baſilium non niſi ex ſororis Symeonis filia prognatum eſſe, apud Sultanum effecit, ut Nyphon, quem pridem oderat, & ſede, & Urbe pelleretur; tribus vero teſtibus naſus amputatus eſt.

CLIX. Dionysius *ſecundùm.*

Nyphone exacto, Byzantina ſedes vacua diu fuit; demumque vocato concilio epiſcopis in mentem venit, ut *Dionyſium* olim Patriarcham revocari poſtularent. Quibus annuens Sultanus, certos homines miſit qui eum reluctantem licet è monaſterio Coſinitzæ adducerent. Hoc reſtituto, magna pace eccleſia Urbis potita eſt: hacque ſecunda vice duos annos ſexque menſes ſedit, vir, ut ferunt, voluntaria paupertate, jejuniis, orationibus, humilitate, miſericordia erga pauperes, aliiſque virtutibus eximius. Verum dignitatis reſignatione facta, in priſtinum denuo monaſterium ſeceſſit, ubi & diem obiit.

CLX. Maximus IV.

Dionyſio ſuffecerunt *Manuëlem* Serrarum metropolitam, montis Athi quondam monachum, quem *Maximum* nominari voluerunt: qui poſt ſex annos χρόνους ἕξ. ob ſiniſtram neſcio quam famam qua à Gabriele quopiam adſperſus fuerat, Patriarchali throno detruſus eſt.

CLXI. Nyphon *ſecundùm.*

Maximo amoto, *Nyphonem* ſynodus revocavit, qui annum unum Patriarchatu functus, diſſidiis quæ ſub Maximo cœperant, augeſcentibus, quum multi Præſules reſtitutionem ejus improbarent, iterum pulſus, exſilioque mulctatus fuit. Atqui Nyphon iſte Patriarcha, non certe primus, à Græcis uti ſanctus colitur, cujus corpus ſervatur in Laura S. Athanaſii montis Athi, caput vero dexteraque manus in monaſterio Argieſi in Ungaro-Valachia. Hic autem Patriarcha Nyphon Joſepho Kievienſi metropolitæ auctor fuit, ut ſancitam Florentiæ unionem admitteret, literis ad ipſum datis anno M. 7000. die 5. April. Indict. XI. Chriſti 1493. quas Latinè recitat Raynaldus ad annum 1486. n. 61.

CLXII. Joachim.

Pro Nyphone uno conſenſu elegerunt *Joachim* metropolitam Dramæ, ætate quidem juniorem, at ingenio moribuſque probatum, neminique non acceptum. In Iberiam profectus ut illius regionis principes viſeret, multis inde opibus & divitiis onuſtus rediit. Verum ex hoc tempore in odium incurrit multorum, quorum unus, qui Selybriæ epiſcopatu ob perverſos mores exciderat, ad Turcicum Senatum (Divanum dicunt) accedens, Charatzium mille florenis auctum obtulit quo Joachimi locum occuparet. Vocato à Baſſis Patriarcha, ſimilem ſummam ab eo exegerunt, quo ſedem ſuam quietus teneret; quam

conditionem ille recusavit, dignitatem abdicare paratus. Populus vero impium illum sibi dari Pontificem veritus, auctionem illam solvere maluit. Attamen Joachim subinde à Bazajete II. Sultano ejectus est, quoniam in loco qui *Chrysoceraunus* dicitur, supra Chrysopolim, sive Scutarim, ædificari ecclesiam præceperat.

CLXIII. PACHOMIUS.

Joachimo synodus sufficere Nyphonem voluit qui in Valachia morabatur. Hic vero abnuit prorsus, & clericos qui ad se delegati erant, re infecta dimisit. Post multos Episcoporum conventus, quum propter varia variorum studia à synodo nullus electus esset, ea demum iterum coactâ, cunctorum vota in Pachomium Zichnensem metropolitam conversa sunt, qui uno dumtaxat anno sedit, ὃς ἐποίησεν ἔτος ἕν. Ejectus quippe est à Selimo Imp. qui Bazajeti patri nuper successerat, quum nuperi Patriarchæ Joachim familiares tributum denuò auctum obtulissent.

CLXIV. JOACHIM *secundùm.*

Auctâ jam à *Joachim* amicis tributi summâ ad ter mille & quingentos florenos, Sultanus eum revocat; qui recepta sede in Bogdaniam Moldaviamve profectus, à regionis Principe admissus non est, tamquam alienæ sedis scelestus raptor; unde in Valachiam secedens mœrore consumtus periit.

CLXV. PACHOMIUS *secundùm.*

Joachimi morte cognita, à clericis magnæ Ecclesiæ indicta synodus est, atque episcopi concordi voce *Pachomium* requisierunt. Tum vero ille resumto munere, sententiam tulit in Arsenium, qui Venetici Senatus auctoritate Monembasiæ episcopatum occuparat. Synodi decretum Manuël Malaxus recitat, cæteraque alia ad Arsenii negotium spectantia. Pachomius in Valachiam & Moldaviam profectus, multo honore exceptus fuit, magnisque muneribus donatus. Inde verò Selybriam appulsus, ab improbo monacho veneno potatus est, moxque in Urbem & ad magnam Ecclesiam vectus, animam efflavit.

CLXVI. THEOLEPTUS.

Pachomio morienti aderat *Theoleptus* Joanninorum metropolita, qui apud illum monachus vixerat. Hic nondum coactis ad synodum pontificibus, Hadrianopolim petiit, ubi Pescesio sive tributo Imperatori Selimo appenso, ad manûs Principis osculum admissus est, & patriarcha renuntiatus. In magnam deinde Ecclesiam quum venisset, Episcopi qui ad synodum convenerant, Regiis literis

A auditis, institutioni illius suffragati sunt. Eo sedente Selimus moritur anno 1529. cujus regnum filius ejus Solymanes excepit, quo imperante Theoleptus *carnalis libidinis* accusatus est, sed post indictam synodum quæ causam ejus judicaret, repentina morte subtractus fuit. Id quod Malaxus initio regni Solymanis accidisse scribit. Sepultus est extra templum Pammacaristæ, ἔξωθεν τῆς Παμμακαρίστου, juxta decessorem suum Pachomium.

ἐγκλήματα σαρκικά.

CLXVII. HIEREMIAS I.

B Congregati post Theolepti obitum Episcopi, *Hieremiam* Sophiæ metropolitam in Patriarcham promoverunt, qui Constantinopolitanæ ecclesiæ sat diu præfuit, καιρὸν ἱκανόν, ait Malaxus, sacro laïcoque ordini ob eximiam modestiam suam valde carus. Verum, quum Palestinæ sacra loca aditurus in Cyprum insulam appulisset, quidam itineris illius socii, eo relicto, Constantinopolim regressi, conspiratione facta, synodum conflari curaverunt, à qua pontificatu spoliaretur, C aucto hanc in rem quingentis iterum aureis tributo. Atqui Hieremias in Cypro insula hærebat an. 1520. sive 1519. mense Decembri, ut fertur ad calcem Coisliniani codicis LXV. αφσʹ. Χριστοῦ, μηνὶ Δεκεμβρίῳ κϛʹ. τῆς αὐτῆς ἐγχρονίας ἦλθεν ὁ Πατριάρχης Κωνσταντινουπόλεως ὀνόματι Ἱερεμίας εἰς τὴν ἁγίαν Ἐγκλείστραν μετὰ καὶ συντρόφοις ιεʹ, καὶ ἔμειναν ἡμέρας ιζʹ. καὶ μετὰ ταῦτα ἐπῆγεν εἰς Πάφω, καὶ ἀνέμεινεν ἄλλας ἡμέρας κζʹ. καὶ ἐμήσευσε καὶ ἐπῆγεν εἰς τὴν Ταμιάθην καὶ εὗρε πολλὴν ῥίμουλαν εἰς τοὺς Ἰσμαηλίτας, καὶ ἔστρεψεν πάλιν εἰς τὴν Κύπρον εἰς τὴν Ἀμάχουστον καὶ D ἀπέμεινεν ἡμέρας. *Anno 1520. mense Dec. die 26. ejusdem Indictionis venit Patriarcha Constantinopolitanus nomine Hieremias in sanctam Enclystram cum sociis quindecim, & ibi commoratus est dies septemdecim, & post hæc perrexit Paphum, ibique mansit dies alios 27. Inde profectus Tamiatham petiit, & rumorem magnum reperit inter Ismaëlitas; tum reversus in Cyprum, in urbem Famagustam, ibi mansit dies aliquot.* Quibus discimus, Hieremiam Cypro in Ægyptum Tamiatham transmeasse, ubi nullas moras traxit, Mohammedanis tunc E temporis illic mutuò diffidentibus, moxque Cyprum insulam repetiisse; idque adeo anno jam adulto Romano 1520.

CLXVIII. JOANNICIUS *intrusus.*

CLXIX. HIEREMIAS *secundùm*

Ab illa synodo quæ Hieremiam destituerat, patriarcha renuntiatus est *Joannicius* Sozopolis metropolita, quem Byzantinum thronum subire coëgerunt, quum vererentur, ne

Hieremias in Urbem quamprimum rediret. Verum Joannicius à populo nequaquam eſt admiſſus; quin ipſe, & quotquot eum promoverant, omnibus exſecrationi fuere, qui nec ſe, Patriarcha reverſo, damnationi obnoxios fore dubitabant.

Hieremias iterùm.

Hieremias itaque, dum Hieroſolymis agebat, Joannicium ſedi ſuæ intruſum accepit; unàque convenientes Patriarchæ quatuor Orientis, poſt peractam divinam Liturgiam, Joannicium ejuſque fautores anathemate percuſſerunt. Mox Conſtantinopolim Hieremias pergens, in Baſſam unum quemdam incidit, cui jampridem admodum carus erat; quique illi mandavit, ut Galatam iret, ibique ſuum in urbem Regiam reditum præſtolaretur. Regreſſus itaque Baſſas Hieremiam ſuæ ſedi reſtitui impetravit ab Imperatore, dum ipſe quoque quingentos aureos adderet. Quam conditionem Patriarchâ minime probante, populus auctionem libens ſolvit. Recepta ſede Hieremias amicos ita coluit, ut adverſarios quoque ſuos devinxerit, à quibus ſubjectitius ipſorum nuper pontifex Urbe exactus eſt; qui, quum à quatuor patriarchis communionis exſors factus eſſet, poſt mortem tympani inſtar inflatus repertus in tumulo fuit. Hieremia reſtituto, tempeſtate gravi Eccleſia afflicta eſt, quum Mohammedani doctores edictum à Sultano obtinuiſſent, quo Chriſtianorum per Urbem templa dirui jubebatur. Patriarcha vero Xenaïæ Caddi-Leſcheris ope, per Muſulmanos quoſdam Janizarios quos teſtes adhibuit, primum Vizirum certiorem fecit à Mahometo II. Urbem nonniſi deditione captam, adeoque templa perſtare debere, quando in primis Sultanus idem Conſtantino Imperatori quem in vivis ſuperſtitem putabat, ac reliquis principibus ſecuritatis literas dederat, quibus eos etiam ab omni exactione & onere immunes futuros declarabat, ut neque liberos eorum ipſe ſuique ſucceſſores in Janizarios allegerent. Hoc pacto quievit tempeſtas, ac Hieremias ſubinde monaſteria Stauronicetæ & S. Nicolaï in Monte-Atho inſtauravit, quum ab epiſcopis pecuniæ ſummas exegiſſet; ex quo ſimoniæ januam aperuiſſe taxatur à Dorotheo Monembaſienſi in hiſtoriarum Synopſi, ϗ αὐτὸς ἀνοιξε εἰς τὰ σιμωνιακὰ εἰς χαιρὸν τῶν Τούρκων. Sed & Charatzium augere coactus eſt Prochori Achridæ archiepiſcopi cauſa, qui centum aureis in fiſcum miſſis, Berrhœam civitatem ſuæ ſedi ſubjicere tentabat. Poſthac, profectione in Valachiam & Moldaviam ſuſcepta, Ternobi in Bulgaria extremo morbo exſtinctus, ibique honorifice ſepultus eſt, quum ſediſſet *annos viginti-tres & menſes aliquot*, ex Malaxi hiſtoria, vel ut fert in Synopſi Dorotheus, *triginta-octo & amplius annos*, ἀρχιερατεύσας χρόνους λη', ϗ περισσότερον. Quidquid id eſt, obitus ejus annum, diemque nobis ſuppeditat Coiſlinianus Cod. CVI. cujus *fol. verſo 285.* legitur, αφκγ'. μηνὶ Δεκεμβρίῳ εἰς τὰς κγ'. τῆς ἄνωθεν ἰνδικτιῶνος ἤρθη ὁ πατριάρχης οἰκουμενικὸς τῆς Κωνσταντινουπόλεως ὀνόματι Ἱερεμίας. *Anno 1523. 23. Decembris, Indictione qua ſupra, ſublatus eſt Patriarcha œcumenicus Conſtantinopolis, nomine Hieremias.* Ex quo apparet eum paucis annis ſuperſtitem fuiſſe poſtquam Hieroſolymis reverſus erat.

CLXX. DIONYSIUS II.

Hieremia defuncto, coacta ſynodus eſt ad ſucceſſorem ejus deſignandum, cui Germanus Hieroſolymitanus interfuit. Ac primùm quidem ſancita lex fuit, ut quiſquis patriarchatum prius arriperet, quam cuncti de Oriente & Occidente præſules conveniſſent, ipſo facto damnatus foret, pontificalique throno excluſus. Altera item lege caverunt, ne pauci præſules, clerici & primores laïci patriarcham ſeorſim ab aliis eligerent. Quibus conſtitutis, magnus Sacellarius *Serpeta* nomine coram omnibus dixit, Hieremiam ſæpe numero ſignificaſſe neminem ſibi videri patriarchatu digniorem Nicomedienſi *Dionyſio*; quâ audita ſententia, pars pontificum & clericorum ſurrexit; Galatenſes & Caramanitæ, ſive qui erant à Cilicia & alii, quum erga Dionyſium optime affecti eſſent, hunc cum reliquis epiſcopis rapientes, in magnam Eccleſiam introduxerunt, & veſpertino officio diei Palmarum abſoluto, Patriarchali throno impoſuerunt. Quia vero nuperæ ſynodi ſanctio ejus promotione violata videbatur, Baſſarum civitatis juſſione, epiſcopi poſt Paſcha iterum convenientes legem irritam declararunt. Quia vero Dionyſius nihil reſponſi interim dederat, quo ſe promotioni ſuæ aſſentiri aperte ſignificaret, rem ad Vizirum primum detulerunt, quod anſam præbuit augendi tributi ad tria millia aureorum; quibus Sultano datis Patriarchatus illi confirmatus eſt. Multis vero deinceps exortis inter ipſum, pontificeſque & clericos jurgiis, ſynodi complures habitæ ſunt: quorum diſſidiorum cauſam Dionyſius ipſe præbuit, miſſo in Italiam ad ſtipem corrogandam Metrophane metropolita Cæſareæ. Sed re ad ſynodum delata, factum negavit Patriarcha; unde Metrophanes ſolus pontificatu amotus fuit. Nihilominus augeſcentibus diſcordiis, alii Dionyſii nomen in Liturgia omittebant, alii recitabant. Lib. 4. hiſt. Eccl. Turco-Gr. pag. 283. epiſtola exſtat Metrophanis metropolitæ Cæſareæ ad Dionyſium Patriarcham, qua Joannem Zygomalam

Nauplii Notarium commendat. Data est Anconæ in Italia die 12. Maii. Ad quam Crusius ait: *Hunc Patriarcham invenio anno 1543. excommunicatum fuisse, cùm propter alia, tum propter ipsum Metrophanem.* Ejus tempore triste Christianis edictum prodiit, quo jussi sunt crucem campanili ecclesiæ Pammacaristæ impositam auferre. Quo anno Dionysius obierit, incertum; ejus vero corpus in Dei-paræ monasterio insulæ Calces, quod ad ipsum pertinebat, sepultum fuit. Idem Patriarcha ædes quasdam sibi proprias in Bringa positas monasterio Pammacaristæ dono dederat anno M. 7047. Christi 1539.

CLXXI. Joasaph II.

Communibus pontificum clericorumque suffragiis Dionysii successor electus est *Joasaph*, Crapsa Joanninorum vico oriundus καὶ αὐτὸς ἀπὸ τὰ Ιωάννινα, ἀπὸ τὸ χωρίον Κράψα, inquit Dorotheus, qui eum divitem admodum fuisse perhibet, reperto thesauro in gentilis cujusdam sui sepulcro. Quocirca sub primis dissidiis quæ in Dionysium excitata sunt, ipse patriarchatum ambiens, Pescesium obtulerat; nihil vero hac vice confecit vir κενόδοξος *ambitiosus*. Cæterum cantor egregius fuisse fertur, atque eruditus, qui & literas Joanne Zygomala præceptore didicerat. Attamen ecclesiam non male administravit, nihil contra leges admittens, sed justa judicans, episcopis & clericis terrori erat. Invisus itaque clericis factus, causas quæsierunt, quibus eum solio dejicerent; quumque synodum coëgisset in qua eorum mores corrigeret, illi coïtione facta cum Joanne Cantacuzeno viro nobili, sed Patriarchæ infenso, Joasaphum simoniæ reum, canonum præscriptum causantes, deposuerunt. Apud Martinum Crusium synodi sententiam integram refert Malaxus p. 170. datam anno mundi 7073. mense Janu. Ind. XIII. Christi 1564. Cæterum Theodosius Zygomalas in Epistola, *de Constantinop. cladibus* pag. 96. Turco-Gr. Malaxum carpit, *qui ex multis collecta conscribens, non per omnia veritatem sequutus sit. Interdum enim*, inquit, *ad gratiam loquitur, nonnumquam ex odio. Exemplo sunt, quæ in Joasaph Patriarcham virum sanctum, & Græci nominis amantem suorum invidia injuste patriarchatu dejectum, dixit: nobis enim constat eos qui in illum in ferenda sententia conspiraverant, injuriæque ei irrogatæ auctores exstiterant, omnes in multa mala, atque adeo in miserabile exitium incidisse; Deo nimirum iniquum illud eorum judicium in apertum proferente, ceu qui in illos sit animadversurus qui justo homini injustam pœnam inflixerunt. Quod quidem Deo acceptum arbitror, ut qui vir pius, virtuteque dum vitam traheret præditus*, ὃν ὁ Θεὸς, οἶμαι, προσεδέξατο θεῖον ὄντα καὶ ἀρετῇ συζήσαντα. Crusius in Annotationibus ad Malaxi historiam pag. 204. Philippum Melancthonem ad illum Joasaphum Græcam epistolam anno 1559. (quum « Demetrius Mysus senex gravis ei de statu « Ecclesiarum Græcarum exposuisset) è Saxonia « scripsisse ait, qua Deo gratias agebat, Ecclesiam etiam sibi in Thracia, Græcia & Asia « conservanti. In textu Malaxi, pergit Crusius, « dicitur Joasaph fuisse ὑπερήφανος, & Theodosius mihi anno 1580. annotavit: ὁ πατριάρχης οὗτος Ιωασὰφ ἀνὴρ φιλέλλην καὶ ἀγαθὸς ψεύδεται καὶ ἐν πολλοῖς κατὰ τούτου ὁ Μάλαξος. Joasaph porro quum in suas domos « se recepisset, instante judice persolvere jussus « est quæ à clericis abstulerat. Hadrianopolim « vero secessit, ibique obiit multo civium luctu « de quibus benemeritus erat, lib. 4. Turco-Gr. « p. 290. Idem Crusius epistolam edidit Joasaph Patriarchæ *ad Magnæ Ecclesiæ Rhetorem, ad Theodosium item Rhetorem & Notarium ac reliquos Notarios*, qua, misso ad illos « Philippopolis metropolita, provocaverat ad « judicium Patriarcharum, Joachim Alexandriæ, Joachim Antiocheni, Germani Hierosolymorum, beatissimorum archiepiscoporum « Sophronii Achridensis & Macarii Pesciensis, « metropolitarumque & archiepiscoporum, qui « nullo erga se odio occupati erant, ut causam « suam diligenter inspicerent universi; ademtum « sibi reposcens sacerdotium, si injuste & contra « canones & contra se sævitum sit. «

CLXXII. Metrophanes III.

Quem superiùs Cæsariensi sede sub Dionysio Patriarcha amotum dixi *Metrophanem*, hunc, exauctorato Joasaph, synodus ipsa suffecit. Atqui in ea synodo legem tulerant, qua vetabatur ne quisquam præsulum aliquid ordinationis gratia acciperet, honorario dumtaxat excepto quod ἐμβατικὸν dicunt; quam tamen indulgentiam Malaxus improbat, uti pessimæ arboris nequissimam radicem. At vero Metrophane Patriarcha creato, simoniæ lues nihilo secius apertè grassata est, καὶ φανερὰ ἦσαν τὰ σιμωνιακὰ, ait in Synopsi Dorotheus. Metrophanes post promotionem suam ad sanctam Parasceven, non in monasterio Pammacaristæ manebat; quod indigne ferens Michaël Cantacuzenus, ipsum eo usque exagitavit, ut solio demum sacerdotioque cedere coactus sit, καὶ ἐβίασε τὸν, καὶ ἔκαμε παραίτησιν τοῦ θρόνου, καὶ μετέπειτα τῆς ἀρχιερωσύνης. Cæterum metropoles posthac duæ illi concessæ sunt, Larissa & Chius, quarum primam vendidisse fertur, altera retenta. Atqui Malaxus eum scribit patriarchalem dignitatem abdicasse die 4. Maii, eaque Dominica,

εἰς τὰς τέσσαρας τῦ Μαΐου μηνὸς ἡμέρᾳ κυριακῇ, anno proinde 1572. quum ſediſſet annos ſex, Selimo Ottomanis Imperante. Lib. 4. Turco-Gr. pag. 281. Aliquot literæ exſtant Metrophanis Conſtantinopolitani quibus Michaëli Pauliotæ ſororis Theodoſii Zygomalæ filio Tabularii munus concedebat, datis ἐν ἔτει ζοη'. Μαΐῳ ἰνδ'. ή. anno 7078. Chriſti 1571. His ſubſcripſit Hieraces magnæ Eccleſiæ Logotheta pro Patriarcha Hieroſolymorum, ϗ ἔχων γνώμην τῦ Πατριάρχου Ἱεροσολύμων.

CLXXIII. Hieremias II.

Conſtantinopoli poſt Metrophanis abdicationem in magna Eccleſia conſederunt epiſcopi viginti & amplius, qui cum clericorum cœtu patriarcham renuntiavere *Hieremiam* Lariſſæ metropolitam, virum juſtum, ait Malaxus, inculpatæ vitæ, veracem, pium, miſericordem, innocentem, labis expertem. Stephanus Gerlachius corpulentum dicit fuiſſe, proceræ ſtaturæ, placidumque vultu. Hic, Dorotheo teſte, Anchiali parentibus probis & honeſtis natus, væcordis tamen indolis, monaſticæ vitæ, quin etiam rebus gerendis ineptus fuit, etſi ſe Monembaſienſi, Ternobenſique epiſcopis, necnon Matthæo Cretenſi Arſenii Ternobenſis diſcipulo erudiendum tradiderat: ut vero caſtus modeſtuſque erat, πλέω ἤτον σώφρων, pacifice eccleſiam adminiſtravit. Ad Byzantinum thronum evectus fuit anno Orbis conditi 7080. die quinta Maii, κατὰ τὸν ἑπτακισχιλιοστῷ ὀγδοηκοστῷ χρόνῳ ἀπὸ κτίσεως κόσμου, μηνὶ Μαΐῳ πέμπτῃ, ſive anno 1572. Poſt decem dies in Aſcenſionis Domini ſolennitate Liturgiam celebravit, inſequentique die ad manûs Imperatoris oſculum admiſſus fuit, ab eoque dignitatis confirmationem accepit. Mox ſimoniæ penitus apud ſuos abolendæ cauſa ſynodum habuit, cujus actorum ſummam Malaxus refert p. 179. & ſeqq. Eccleſiam patriarchalem variè ornavit, pretioſaque ſupellectili ditavit thronoque præſertim affabrè elaborato. Anno 1574. Selimo defuncto, Amuratem ejus filium adiit, ſolutoque de more Peſceſio, patriarchale munus ei confirmatum eſt. Eodem anno, quum, ipſo Cruſio teſte pag. 488. à Tubingenſibus Lutheranis Doctoribus, Auguſtanæ ipſorum confeſſionis exemplum accepiſſet, illis ita reſcripſit anno 7089. Chriſti 1575. ut caverit ne ſuas voces ad pravos ſenſus Novatores illi torquerent. Ad eum itaque altero » anno iidem Doctores die 20. Martii iterum » ſcripſerunt de confeſſione ſua Auguſtana, de» clarantes ſe, nulla admiſſa novatione, eam » ſequi Fidem, quæ à ſanctis Apoſtolis & pro» phetis & Spiritu ſancto imbutis patribus &

A patriarchis, ſeptemque ſynodis ſuper divinas « literas ædificatis tradita eſt; ϗ τὴν τῆς θεοδότου « γραφῆς ἐποικοδομημένων ζ'. συνόδων παραδοθεῖσαν « πίστιν. Eodem anno 1575. Patriarcha die 16. Decembris Reſponſionem dedit Jacobo inprimis Tubingenſis academiæ cancellario & præpoſito, necnon Martino Cruſio, prolixiorem ſe daturum ſpondens. Anno deinde 1578. literis aliis Cruſio ſpem fecit ſe quæſitis ipſorum reſponſa daturum, hoc vero ſibi per temporis brevitatem hactenus minime fas fuiſſe, quando præſertim aliquandiu peregre

B abfuerat; cæterum reſponſionem menſe Auguſto proximo abſolvendam: quod quidem præſtitit ampliſſima epiſtola quam Wirtembergenſes ipſi Græce Latineque ediderunt hoc titulo: *Acta & ſcripta Hieremiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani ad Wirtembergenſes de Auguſtana confeſſione.* Martinus Cruſius in Annot. p. 211. Stephani Gerlachii epiſtolam ad Samuëlem Hailandum recitat datam die 19. Decemb. an. 1577. in qua ille de Hieremia ſcribebat: *Conſtituerat Patriarcha* menſe « Novembri Eccleſias viſitare, ſed metuit, ne «

C Metrophanes anteceſſor in Patriarchatu, ſe- « dem Patriarchicam occuparet: quamquam « hanc non repetere Metrophanes dicitur, ſed « promiſſam à Patriarcha pecuniam exigere. « Nam & ei de jure ſolioque ſuo cedenti (quia « ita ſupremo Baſſæ & Matthæo Cantacuzeno « videbatur) Hieremias quotannis trecentos « ducatos, ſi Urbe excederet, promiſerat. Con- « ceſſerat ille in montem Athon, ubi circiter « quatuor annis verſatus, audito Cantacuzeni « auctoritatem in Eccleſiis Græcis hactenus do- « minati concidiſſe, rediit cum ſpe recuperan- «

D di dignitatem priorem. Qua fruſtratus, pro- « miſſum exigit à Patriarcha, qui nihil ſe debere « ait, quod alter pacto non ſteterit, ſed clam « quærendo Patriarchatum moleſtias & expenſas « ſibi fecerit. Sin Urbe excedens, Chii Mityle- « næ, aut in alia metropoli quietus agat, ſe quot- « annis ei 300. ducatos numeraturum: Urbem « enim duos Patriarchas capere non poſſe. Me- « trophanes & pecuniam & munera habere in- « tendit. Agitur cauſa apud infideles, ex quibus « uterque patronos muneribus non parvis aſ- « civit: nec finis erat litis. Interim eccleſia «

E Græca expilatur, quia omnes reditus & elee- « moſynæ ex metropolitis exigi ſolitæ, à Patri- « archa ad tuendam dignitatem Turcis effun- « duntur. Cruſius pag. 291. epiſtolas rurſum « duas edidit ejuſdem Hieremiæ, quarum ſecunda *Reverendiſſimo epiſcopo Metrorum & Athyrorum* data eſt menſe Julio, Indict. v. ann 1576. Sedit, Cruſio teſte pag. 212. ad poſtremos uſque dies anni 1578. Romano ſcilicet more putati; quo tempore annum agebat ætatis circiter 42. ut ex Gerlachio

refert Cruſius idem pag. 291.

CLXXIV. Metrophanes *ſecundùm.*

» Hieremias, ait iterum Cruſius pag. 212.
» utroque patrono amiſſo, Matthæo Canta-
» cuzeno & Mehemeto Baſſa, è patriarchico
» culmine decidit, & D. Metrophanes die 24.
» Decembris 1579. reſtitutus eſt. Quem Ger-
» lachius amplius ſexaginta annos fuiſſe natum
» aſſerit, quando ipſe Gerlachius ſcribebat 7.
» Martii anno 1578. virum humaniſſimum ſi-
» mulque gravem. Tamdem vero mihi 27.
» Januarii D. Salomon Schuveickerus ſcripſit:
» Hic Metrophanes obiit anno 1580. Cui fere concinit Dorotheus in Synopſi, p. 340. ubi ait, Metrophanem, expulſo Hieremia, poſt menſes novem obiiſſe die Aug. 6. *ἀφ' οὗ γοῦν τὸν εὔγαλεν ὁ Μητροφάνης μετὰ θ'. μῆνας, ἀπέθανεν ὁ Μητροφάνης, Αὐγούστου ς'.* Pag. 281. Turco-Gr. legitur ſynodica ejuſdem Metrophanis epiſtola ad Nauplii metropolitam, qui repetundarum accuſabatur, data menſe Febr. Ind. VIII. anno utique 1580.

CLXXV. Hieremias *ſecundùm.*

CLXXVI. Pachomius *intruſus.*

CLXXVII. Theoleptus II.

CLXXVIII. Hieremias *tertiùm.*

Poſt Metrophanis obitum *Hieremias* II. patriarchalem dignitatem recuperavit. Verum *Theoleptus* ſororis Metrophanis filius, qui ab avunculo nullis ſervatis interſtitiis, uno die diaconus, ſequenti preſbyter, moxque Philippopolis metropolita factus erat, inſidias ei ſtruxit, conſanguineique ipſius, qui eum apud Sultanum detulerunt tamquam regni perduellem, ceu Papæ Romano literas adverſus Imperatorem ſcripſiſſet, Janizarios monachos feciſſet, Turcicaſque mulieres Chriſtianas. Propter quæ, aliaque crimina Hieremias nocte quadam è patriarchalibus ædibus correptus in vincula conjectus eſt. Verum Oratoris Regis Galliæ, & Veneticæ Reipublicæ nuntii opera è carcere eductus, ſuis redditus eſt. At adverſarii ejus *Pachomium* quemdam Leſbium monachum, quem Hieremias Cæſaream relegandum curaverat, ut pote qui malis artibus ſuis Ternobi epiſcopatum quæſierat, impetratis per Judices Turcicos majores Sultani literis, ejus interim in ſedem invexerunt, Patriarchamque in Rhodum inſulam amandarunt. Nullis itaque ſynodi ſuffragiis *Pachomius* Patriarcha conſtituitur, & epiſcopis vis adhibetur ut Pontifex conſecretur, Hierotheo Monembaſiæ ne quidquam reclamante. Ejus promotionis adjutores erant metropolitæ Cyzici & Chalcedonis, qui juſſioni Principis obtemperandum clamabant,

Pachomius intruſus.

A refractarioſque puniendos. Verum Patriarcha Alexandrinus qui tunc in Urbe erat, Hierotheus Monembaſienſis, omniſque populus ſupplici libello Imperatorem rogant, ut impius ille, adulter & illiteratus throno pellatur. Horum ſe ſocium præbuit *Theoleptus* Philippopolis metropolita, qui à Principe patriarchatum obtinuit, Pachomio catenis interim vincto. Michaël Cygala & Philippus Cyprius Pachomium à Silveſtro Alexandrino, & Joachim Antiocheno coacta ſynodo ejectum produnt. Theolepto Monembaſienſis, aliique

Theoleptus II.

B perperam ſuaſerunt, ut dignitati renuntiaret, Hieremiamque potius revocari curaret; ſin ille reſignationem dare nollet, ſynodus quem vellet eligeret. Abnuit Theoleptus, faventibus ſibi Conſtantino Cantacuzeno & Conſtantino Caſſi Hieremiæ pridem adverſariis, quos datis pecuniis ſibi magis conciliabat; ſed & in eorum partes Alexandriæ Patriarcha conceſſit. Quinimo nocte quadam homines laïcos monachali & ſacerdotali veſte indutos apud aulæ Turcicæ miniſtros ſubmiſit, qui ſe metropolitas finge-

C rent, affirmarentque Philippopolitanum electum fuiſſe Patriarcham; quumque viginti florenorum millia fiſco obtuliſſet, decem millium loco quæ pro tributo ſolvi ſolebant, admiſſus demum fuit ut Sultani manum patriarcharum more oſcularetur: quod factum eſt anno 1584. His peſſimis geſtis quia Silveſter Alexandrinus favebat, à populo Byzantino contumeliis ob væcordiam adſpergi meruit, adeo ut illum palàm diris devoverent. At Monembaſiæ epiſcopo ad provinciam ſuam redire juſſo, Theoleptus quietus patri-

D archatum gerens, in Valachiam iter arripit: qua mox occaſione captata, Hieremias interim per ſuos impetravit, ut patriarchales ſuas ædes reciperet.

Matthæus Cygala & Philippus Cyprius Nicephorum Hierodiaconum, ſive ex monaſtico ordine diaconum, & Protoſyncellum ad Theoleptum amovendum operam dediſſe ferunt. Cæterum, quia Byzantina eccleſia ob crebras illas de Patriarchatu litigationes in ingenti alieno ære erat, ejus ſolvendi cauſa Monembaſienſis in Ruſſiam, Theoleptus

Hieremias tertium.

E Hieremiæ reconciliatus in Iberiam, & Pachomius in Cyprum atque in Ægyptum ad pecunias colligendas miſſi ſunt. Hieremias ipſe cum Hierotheo ſuo Monembaſienſi iter arripuit, & Valachia Moldaviaque tranſitis, Moſchuam uſque Urbem venit, ubi regionis monachi ab ipſo petierunt archiepiſcopum ſibi demum creari, velut olim Quinta ſynodus Achridenſem archiepiſcopatum inſtituerat; ſin vero, apud ipſos maneret, ea in Urbe quæ metropolitæ quondam ſedes fuerat,

Plantamerion dicta, deterior Cucuso locus: A hanc siquidem esse Russiæ Imperatoris voluntatem. Horum ille petitioni inconsideranter assensus est, Hierotheo Monembasiæ & Arsenio Elassonis episcopo licet repugnantibus, Russisque Patriarcham nomine *Job* concessit, diplomate dato, quod Bulgarica Russicave aut Slavonica lingua exaratum fuit, & à monachis peregrinationis ejus sociis subscriptum. Monembasiensis porro minime subscripsit causam obtendens, quod Græcè scriptum non esset, revera autem ambo præsules Monembasiæ & Elassonis, institutioni B illi idcirco refragati sunt, quod Ecclesia novo illo capite altero præstituto, magno schismate scinderetur. Gesta hæc sunt apud Russos anno 7097. Indict. II. ἐν ἔτει ζϛζ΄. Ινδ. β΄. Christi proinde 1589. Mox Hieremias per Lechiam Constantinopolim versus iter arripiens, à Lechorum principe Joanne Zamosci Caminiezium deductus est. In Moldaviam vero quum venisset, eximioque modo à Principe exceptus fuisset, Tzausium (*Chiaou*) sive nuntium ibi reperit Sultani mandata gerentem, quibus jubebatur ut patriarchales ædes C quamprimùm repeteret. Petrus porro Moldaviæ Vaivodas duo millia florenorum ei largitus est, quæ Charatzii causa Turcico Dynastæ penderet. Theoleptus ibidem Hieremiam præstolatus, cum eo Liturgiam sancita mutuò pace celebravit, cui tamen Monembasiensis interesse noluit. Post Hieremiæ Constantinopolim reditum anno M. 7101. ἑπτακισχιλιοστῷ ἑκατοστῷ πρώτῳ, Christi 1593. mense Februario, ἐν μηνὶ φευρουαρίῳ magna coacta synodus est, in qua præsidentibus Hieremia Byzantino, Meletio Alexandrino, qui vices D quoque gerebat Joachim Antiocheni, & Sophronii Hierosolymitani, præsente Gregorio Athanasio magni Moschorum Principis apud Turcorum Imperatorem Oratore, novi apud Moschos patriarchæ institutio firmata fuit. Anno autem insequenti Hieremias Patriarcha postremum diem obiit; quæ autem de illo, necnon de Pachomio, & Theolepto diximus, ex Dorothei Monembasiensis Synopsi accepta sunt.

CLXXIX. MATTHÆUS II.

In Matthæi Cygalæ & Philippi Cyprii catalogis Hieremiæ proxime succedit *Matthæus* Joanninorum metropolita, qui anno 1594. sedisse fertur in recentiore de Patriarchis Byzantinis synopsi, quam Cl. Renaudotius D. Anselmo Bandurio in Annotationibus ad CP. Antiquitates typis edendam præbuit. αφϛ΄. Ματθαῖος Ιωαννίνων, ἡμέρας δέκα ἐννέα, καὶ ἔκαμε τὴν παραίτησιν. Anno 1594. *Matthæus dies novemdecim sedit, & abdicavit.* Cygala & Cyprius dies dumtaxat habent *septemdecim*, ιζ΄. adduntque illum in montem sanctum Athon secessisse.

CLXXX. GABRIEL I.

In tribus quos modo appellavi indicibus Matthæum II. excipit *Gabriel* Thessalonicæ metropolita, vir religiosus & virtutis studiosus, θεοσεβὴς καὶ ἐνάρετος, qui mensibus quinque exactis, μῆνας πέντε, patriarcha obiit.

CLXXXI. THEOPHANES II.

Ex Athenarum metropolita Constantinopolis Patriarcha factus *Theophanes*, post menses septem, μῆνας ἑπτὰ, defunctus est.

Sedes aliquandiu vacat, ac Meletius Piga Alexandriæ Patriarcha Constantinopolitanam ecclesiam administrat anno uno. In Bibliotheca Regia habentur homiliæ quas pronuntiavit quo tempore illius ecclesiæ curam gerebat.

CLXXXII. MATTHÆUS *secundùm.*

Post annum unum ab obitu Theophanis II. *Matthæus II.* vocatus est, ut Byzantinæ iterum Ecclesiæ præesset, qui transactis quatuor pontificatûs annis, à suis ejectus est circa annum 1600. atque in montem Athon regressus, monasticam vitam professus est. Ita quidem Cygala & Philippus: in catalogo autem Cl. Renaudotii anni decem Matthæo assignantur, manifesto errore, quando constat, Raphaële II. sedente, Mahomete III. Sultano defuncto, Achmetem ejus filium summam rerum capessivisse an. 1605. tum etiam ex singulorum Patriarcharum annis qui ad annum usque 1622. sederunt, quo Cyrillus Lucaris Byzantinam sedem arripuit.

CLXXXIII. NEOPHYTUS II.

CLXXXIV. MATTHÆUS *tertiùm.*

Matthæo suffectus est *Neophytus* metropolita Athenarum, qui anno uno elapso à Mahomete III. exsulare jussus est; ac *Matthæus* tertia vice Byzantino throno impositus: verum post septemdecim dies interiit, καὶ ζήσας ἡμέρας ιζ΄ ἐτελεύτησε. Dositheus Hierosolymitanus, Matthæum hunc tertio Patriarcham reperit fuisse anno mundi 7009. E adeoque anno Christi 1601. vel 1602.

CLXXXV. RAPHAEL II.

Neophyto successit Raphaël Methymnæ metropolita, anno, ut fert Dositheus, 7010. seu Christi 1602. vel 1603. cui Cygala & Philippus annos assignant patriarchatûs quinque & menses sex, χρόνους ε΄, ἡμέρας ἕξ. Aiunt ejus tempore Achmetem Mahometis III. filium imperasse anno 1605. αχε΄. χριστοῦ.

Leo

Leo Allatius, lib. 3. de Conſ. cap. 7. n. 8. A Raphaëlem hunc Patriarcham Romanæ ſedis ſe communioni inſinuaſſe perhibet, inque illa confirmatum eſſe à Nicephoro Meliſſeno, quem Pari Naxique metropolitam conſtituit. Id quod rurſum, n. 10. teſtatur, Ignatium ſcilicet Mindonium Chium, S. Baſilii monachum, ex Italia in Græciam reverſum, à Raphaële Patriarcha accerſitum, rectoremque eccleſiæ patriarchalis, cui *Chryſopegi* nomen, in Pera conſtitutum, in qua pro Eccleſia Romana multum laboravit: Franciſcum item Cocum Naxium, abſolutis Philoſophiæ ſtudiis, Theologiæque Laurea honeſtatum, quum multos ad Romanæ Eccleſiæ obſequium traxiſſet, à Patriarcha Conſtantinopolitano Raphaële, quamlibet renuentem, Exarcho patriarchali miſſo accerſitum, colloquiaque de religione habuiſſe cum illo, qui agnita veritate Romani Papæ Primatum admiſit, eumdemque Cocum Romam cum obedientiæ literis delegavit. Quod totum conteſtari ait literas Oratorum Chriſtianiſſimi Regis, Venetæque Reipublicæ. Sub hoc Raphaële Doſitheus ſtatutum fuiſſe fert, ut epiſcopus qui conſtitutam pecuniæ ſummam Patriarchæ non ſolverit, deponatur.

CLXXXVI. Neophytus II. *ſecundùm.*

Poſt Raphaëlem II. *Neophytus* è monte Atho reverſus, ſedem recepit ſuam anno, ut vult Doſitheus, 7113. Chriſti 1605. vel 1606. quam tenuit annis quinque ἔτη πέντε, ex triplici indice Patriarcharum, donec in Rhodum inſulam à Sultano nonnullorum factione amandatus fuit. Sub Neophyto anno 7111. adeoque Chriſti 1603. vel 1604. vetitum fert idem Doſitheus, ne Polyphengi epiſcopus ullus conſecraretur, ſed hujus loci eccleſia ad Corinthi epiſcopum ſpectaret.

Sedes vacat, Cyrilluſque Lucaris Alexandrinus tunc Patriarcha Conſtantinopolitanam de more adminiſtrat.

Velut ineunte ſæculo decimo-ſeptimo poſt Theophanis II. obitum Meletius Alexandrinus Conſtantinopolitanam eccleſiam curaverat, utpote ſecundæ Orientis ſedis antiſtes, ita & ejus ſucceſſor Cyrillus Lucaris, annos E duos exſulante Neophyto, donec legitimus Pontifex eligeretur. Cyrilli adminiſtratio in Cl. Renaudotii indice anno Chriſti 1623. cœpiſſe fertur, annoſque duos perſeveraſſe, αχκγ'. Κύριλλος Ἀλεξανδρείας ἕως οὗ γέγονε νόμιμος πατριάρχης, χρόνους β'. Sed adminiſtrationis ejus initium ad annum 1621. videtur retrahendum, quando Cygalâ & Philippo Cyprio hunc à ſynodo Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ anno 1621. Patriarcham factum diſcimus. Hic Cyrillus patria Cretenſis erat, cujus vitam accuratiſſime ſcripſit Allatius, lib. 3. de Conſ. cap. 11. n. 4. ac nuper vir rerum Orientis callentiſſimus Euſebius ille Renaudotius, in libro quem inſcripſit, *Deffenſe de la Perpetuité de la Foy*, ac tomo 4. *De perpetuitate Fidei circa Euchariſtiam*, lib. 8. cap. 1. & ſeqq.

CLXXXVII. Timotheus.

Conſtantinopolitanus demum Patriarcha poſt duos viduatæ hujus eccleſiæ annos conB ſtituitur *Timotheus* Novarum Patrarum metropolita, Panormo prope Cyzicum oriundus, qui poſt annos octo venenato potu ebibito interiit, καὶ ἐν τῇ ἀσθενείᾳ αὐτοῦ διὰ θανατηφόρου πότου, ὡς λέγουσι, τὸ κοινὸν χρέος παρέδωκεν. Atqui venenum ab Apollonio Chio medico paratum Timotheo, conſcio Cyrillo Lucari, à Joaſaph Andrio archimandrita, apud Batavorum Oratorem in opipara cœna propinatum narrat Allatius illo loci quem mox appellavi: quod tamen Doſitheus Hieroſolymitanus inficiatur, odio, ut reor, Allaﬁ C tii, qui varias hujus admiſſi facinoris circumſtantias recitat admodum probabiles. Ejus tempore, ait poſt CygalamCyprius, Achmete Sultano exſtincto, frater ejus Muſtaphas Imperium iniit anno 1617.

CLXXXVIII. Cyrillus I.

Cyrillus ille *Lucaris*, patria Cretenſis, Timotheo Patriarcha mortuo, ex patriarcha Alexandriæ, ſynodi decreto Conſtantinopolitanus factus eſt, Batavorum apud Turcicam aulam Oratoris factione, die 5. Novembris D ann. 1621. Cygala & Philippo Cyprio teſtibus. Κύριλλος ὁ σοφώτατος Ἀλεξανδρείας, ait Cygala, ἀνεβιβάσθη παρὰ τῆς συνόδου εἰς τὸν οἰκουμενικὸν θρόνον, Νοεμβρίῳ ε', αχκα'. Sapientiſſimum Cyrillum dicit, quem Orientalis Eccleſiæ Fidei proditorem nondum certo noverat anno 1636. quo Byzantinorum præſulum indicem abſolvit. Subdit illum exacto uno patriarchatus anno, adeoque circa finem anni 1622. ab Oſmano Sultano in Rhodum inſulam relegatum fuiſſe, cui conſentit Cyprius, quinetiam Renaudotii catalogus.

CLXXXIX. Gregorius.
CXC. Anthimus.
CXCI. Cyrillus *ſecundùm.*

Cyrillo ſufficitur *Gregorius* Amaſeæ metropolita, monoculus, qui poſt tres menſes in exſilium actus ſtrangulo periit, μῆνας τρεῖς, καὶ ἐπνίγη. Id quod Allatius, Cyrillo ſuggerente, vel per ſuos agente, patratum prodit: quin raptum è medio comitum ſuorum plurimorum cœtu, antequàm ad exſilii ſui

locum perveniret, laqueoque necatum, in mare projectum.

Anthimus. Post Gregorium *Anthimus* Hadrianopolis itidem metropolita, patriarcha constitutus est anno M. 7131. Chr. 1623. vel 1624. qui mox relegatus fuit, καὶ εὐθὺς ἐξωρείσθη, imo, ut fert catalogus alter, post tres dies loco cessit, ἡμέρας τρεῖς, ἐπαραιτήθη. Cyprius in montem Athon profectum dicit, & in regio S. Lauræ monasterio mansisse.

Cyrillus I. secundùm. Iterùm, Isaac Chalcedonis metropolita patriarchatum prensante, *Cyrillus*, Hollandico Oratore muneribus promissisque acriter instante, revocatur, ait Allatius; hacque vice sedem octo annos tranquille tenuit, καὶ ἐκυβέρνα εἰρηνικῶς χρόνους ὀκτώ. Quem numerum habent catalogi tres. Ex Cygala autem & Cyprio, in Tenedum insulam Amuratis Sultani jussu deportatus fuit, εἶτα ἐξωρείσθη β'. ἀπὸ τοῦ Σουλτάνου Ἀμουράτη εἰς τὴν Τένεδον.

CXCII. Cyrillus II.

Ex recentiore catalogo Cl. Renaudotii, Cyrillo Lucari post octavum annum amoto, *Cyrillus* alter Berrhœæ metropolita subrogatur, qui post dies octo exsilio amandatur, Κύριλλος ὁ ἐκ Βεῤῥοίας ἡμέρας ὀκτώ, καὶ ἐξωρείσθη. De hoc Cyrillo Leo Allatius anno 1645. Bertholo Nihusio amico suo epistolam scribebat, quam edidit, lib. 3. de Conf. cap. 21. n. 5. ut & alteram Dionysii Guillii è Soc. Jesu, datam 30. Dec. ejusdem anni; ex qua discimus Cyrillum hunc nostrum patria Berrhœensem fuisse, primitusque Contarenum nominatum, quod nomen mutavit in *Cyrilli*, quando à Timotheo Patriarchâ Berrhœensi ecclesiæ præfectus fuit. Dositheus Hierosolymitanus eumdem Cyrillum opera Zachariæ metropolitæ Amaseæ in Patriarcham assumtum tradit.

CXCIII. Cyrillus I. *tertiùm.*
CXCIV. Athanasius III.

Cyrillo Berrhœensi patriarchali sede ejecto, Cyrillus Lucaris tertia vice in eam irrepsit, eamque tenuit annum unum, mensesque duos, & continuo amandatus iterum fuit, χρόνον ἕνα καὶ μῆνας δύο, καὶ ἐξωρείσθη. Cygala & Cyprius Cyrillum Berrhœensem auctorem fuisse ferunt tertiæ hujus destitutionis Lucaris; at certe ejus loco minime suffectus fuit, quin potius Athanasius Patellarus Thessalonicensis antistes, patriâ Cretensis, qui vigesimo-secundo à sua promotione die perinde ejectus est, & in Chium insulam deportatus, ἡμέρας εἴκοσι δύο, καὶ ἐξωρείσθη, in Chium, inquam, insulam, quemadmodum didici ex paucis lineis, quas Jacobus noster Goarus exaravit in superiori parte literarum quibus Athanasius ipse Patellarus anno 1634. mense Maio facultatem illi concessit confessiones sacras per omnem Diœcesim excipiendi. Goari nimirum verba hæc sunt: *Athanasii Patellarii de throno possidendo cum Cyrillo Lucari & Cyrillo Berrhœensi contendentis, interim dum lis componeretur, Chium à Sultano Amurate relegati, ad P. F. Jacobum Goar Chii missi Apostolici munere fungentem, pro confessionibus Græcorum audiendis Diploma patriarchicum.* Præ manibus quoque epistolam habeo ab eodem Athanasio eidem etiam P. Jacobo Goaro scriptam; qui in ejus ora hasce voces exarravit: *Athanasii Patellarii CP. Patriarchæ electi, de throno cum Cyrillo Lucari, & Cyrillo Berrhœensi contendentis ad P. F. Jacobum Goar epistola manu propria.* Ex quibus monumentis evincitur Berrhœensem Cyrillum proxime tunc Lucari successisse.

CXCV. Cyrillus I. *quartùm.*
CXCVI. Cyrillus II. *secundùm.*

Quarto rursum *Lucaris* revocatur, sed anno elapso exsulare cogitur χρόνον ἕνα καὶ ἐξωρείσθη, atque in Rhodum insulam mittitur. Tum vero *Cyrillus* Berrhœensis ejus locum occupat, qui post annos duos denuo ejicitur. πάλιν ὁ ἐκ Βεῤῥοίας Κύριλλος δεύτερον, χρόνους δύο, καὶ ἐξωρείσθη. Cyrillus II.

CXCVII. Neophytus II.

Cyrillo II. iterum amoto suffectus est Neophytus Heracleæ, qui anno transacto dignitatem abdicavit, Νεόφυτος Ἡρακλείας χρόνον ἕνα, καὶ ἐπαρητήθη. Ejus promotionem an. 1636. factam testatur Cygala, καὶ προεβιβάσθη νομίμως καὶ κανονικῶς πατριάρχης ὁ Νεόφυτος Ἡρακλείας ἐν ἔτει αχλϛ'. Χριστοῦ. Hic porro, Philippo Cyprio teste, Cyrilli Lucaris discipulus quum esset, adoptivusque filius, patrem & magistrum, & bene de se meritum Rhodiensi exsilio liberavit. Ubi autem Cyrillus in urbem Regiam venisset, juribus suis Neophyto spontanea abdicatione cessit. Neophytus vero regimine suo fungi non valens propter patriarchalis domus confusionem, nec magnos tumultus sustinere, quippe qui miti placidissimoque ingenio erat, ipse quoque dignitatem abdicavit.

CXCVIII. Cyrillus I. *quinto.*

Quinta demum vice, post Neophyti secessionem Cyrillus Lucaris Byzantinæ sedis compos fuit, quam anno uno & quinque mensibus tenuit. πατριαρχεύσας ἔτος α'. καὶ μῆνας ε', ait Cyprius. Ejus restitutionem multi ægre tulerunt, præsertimque metropolitæ, aliique præsules, qui Lucarim novis Calvinistarum

placitis nedum adversari, sed ultro favere noverant, unaque cum Cyrillo Berrhœensi & Methymnæis quibusdam apud Vizirum supremum egerunt, ut tamdem ejiceretur, ac procul ab urbe in Læmocopien novum castrum ad Pontum Euxinum positum amandaretur. Quod factum est quo tempore Turcorum Imperator cum Persis bellum gerebat. Allatius rerum gestarum æqualis & apprime peritus l. 3. De conf. c. 11. n. 3. de postremo illius episcopatu loquens ait: » Homo confidentissimus, quum in dies magis ac magis in Catholicos prorupta audacia sæviret, & plerosque in dignitatibus Ecclesiasticis constitutos, & episcopatibus insignibus præfulgentes neci immanissime traderet, ac jura omnia, tum humana, tum divina sceleribus nefariis pollueret, totius ecclesiæ Græcæ uno consensu & plena synodo, ut impostor & hæreticus, damnatus & in exsilium missus medio in itinere opprimitur, defunctusque extra ecclesiam qui tamdiu ecclesiam vexaverat, inhonore effossa terra obrutus in littore maris sepelitur. Paucos post dies, quum funis quo suffocatus fuerat, super terram obvius remansisset, à prætereuntibus Turcis qui aliquem thesaurum absconditum existimabant, extractus, vermibus scatens madensque neglectus, locum sepulturæ impetrare non potuit. Quando Cyrillus Lucaris à Protestantibus hæreticis uti Sanctus & Martyr celebratur, adire eos velim Tomum 4. de Perpetuitate fidei, in quo illius causa verissime sincerissimeque & accurate excutitur, pag. præsertim 606. & seqq.

CXCIX. Cyrillus II. *tertio.*

Cyrilli hæretici locum tertio demum obtinuit Cyrillus alter ille Berrhœensis, qui ad Calvinianam luem qua Lucaris Orientalem inficere Ecclesiam molitus erat, abigendam, synodum coëgit an. 1638. mense Septemb. Indict. VII. in qua profana doctrinæ Cyrilli capita digna censura confixa sunt. Cujus synodi acta repetitis editionibus dudum prostant, regestaque fuerunt in actis synodi Hierosolymitanæ anno 1672. Cyrillus porro hic noster nonnisi annum unum septemque menses hac tertia vice Patriarcha sedit, huncque Sultanus Amurates Anglorum Batavorumque suggestionibus in Africam Barbariam, Carthaginem, Tunetumve, abegit, ubi amicorum Lucaris factione strangulatus obiit an. 1639. ut fert Dositheus Hierosolymitanus, ἐξορίζεται εἰς Καρθαγένην, ὅπου συνεργείᾳ τῶν τοῦ Λουκάρεως φίλων πνιγμῷ ἀποθνήσκει ἐν ἔτει χιλιοστῷ ἑξακοσιοστῷ τριακοστῷ ἐννάτῳ. Quæ de divina in illum ultione Philippus Cyprius commentus est, ineptissimi hominis cerebro adscribenda sunt, Protestantium apud quos A peregre agebat animos demulcere satagentis.

CC. Parthenius I.

Pulso igitur Cyrillo II. episcopi, clericique & Christiana plebs anno eodem 1639. die 4. Julii *Parthenium,* Hadrianopolis metropolitam, qui Anchiali primitus ecclesiæ præfuerat, ad Constantinopolitanam sedem capescendam, vi etiam adhibita, compulerunt, τοῦ αχλθ΄. τῆς κοινῆς σωτηρίας ἔτει, Ἰουλίῳ δ΄. Ita Philippus Cyprius cujus Patriarcharum index in Parthenio desinit. Index vero re- B centior quinque illi patriarchatus annos, duosque menses assignat, atque Dositheus eum an. 1644. ad ordinem redactum scribit, destitutionisque illius causam affert, quod longas in templo orationes, vigiliasque negligeret. Hunc in Epiro natum perhibet idem Dositheus, ὥρμητο δὲ ἀπὸ τῆς Ἠπείρου. Atqui Parthenio sedente anno 1641. celebrata synodus est, in qua vox μετουσίωσις ad transubstantiationem Eucharisticam significandam approbata fuit. Assidebant Joannicius Heracleæ, Macarius Tornovii, Gre- C gorius Larissæ, Anthimus Cyzici, Cyrillus Nicomediæ, Parthenius Hadrianopolis, Daniel Serrarum, Pachomius Chalcedonis, qui etiam Lascaris Logotheta magnus, Philippus Cyprius Protonotarius, Georgius Ecclesiarcha, & Nicolaus Logotheta minor. Ita ex ore Methodii Patriarchæ audivisse se narrabat Illustrissimus D. de Nointel Christianissimi Regis apud Aulam Turcicam orator, epistola Constantinopoli scripta 29. Septemb. 1671. quæ edita est Tom. 3. de Perpet. Fid. Euch. p. 681. Anno insequenti Parthenius D in Valachiam Moldaviamque profectus, Basilio Vaivoda, seu Principe Moldaviæ instante Jasii synodum coëgit, in qua Calviniana capita quæ Cyrillo Lucari auctore circumferebantur denuo confixa sunt, declaratumque fuit Orientalem Ecclesiam ab ejusmodi impia doctrina abhorrere. In ea synodo sedebat Petrus Mogilas Kiovii metropolita, scriptor *Confessionis ortodoxæ Ecclesiæ Catholicæ & Orientalis*, qua prisca Ecclesiæ Fides adversus Calvini Lutherique novationes disertissime asseritur. Jam olim Parthe- E nii hujus primi animum magnis promissis præmiis Calviniani tentaverant, ut Cyrilli capitibus se faventiorem præberet: nec dubium quin illorum suasionibus hoc indulserit, quippe qui cadaver ejus in ecclesia Panagiæ insulæ Chalces sepeliendum curaverint. Spem illis faciebat Patriarchæ mens à Latinis alienissima. Atqui brevi post suam in Urbem reditum hausto veneno exstinctus dicitur. Quamquam Allatius expulsum dumtaxat scribit, velut etiam Dositheus.

CCI. Parthenius II.

Parthenio illi I. in Hadrianopolis Ecclesiæ regimine ſucceſſerat *Parthenius* alter, qui etiam eidem è Conſtantinopolitana ſede exacto ſucceſſor eſt renuntiatus. Huic cognomen *Cuſcines* erat, ut fertur in recentiorum Patriarcharum indice. Doſitheus teſtatur eum nimiæ ſuæ ſuperbiæ cauſa *Goliath* vocitatum fuiſſe: ὁ καὶ Γολιὰθ ἐπικληθεὶς ὑπὸ ἄκρας συνεχόμενος ὑπερηφανίας. Allatius vero lib. 3. de Conſ. cap. 8. 12. 5. in fragmentis epiſtolæ cujuſdam ſuæ ad Nihuſium aſſerit Parthenium B iſtum juniorem Calvinianis erroribus imbutum fuiſſe, qui nondum tamen verecundiam excuſſerat. Ea in epiſtola Nathanaëlem Canopium Cretenſem Lucaris olim ſyncellum, Amſtelodamo agentem, egregie refellens, ſed ut furere deſinat, inquit, perquirendum eſt ab eo, cujuſnam ipſe nomine legationem tam longinquam ad Reformatos ſuſceperit? ſi dicet, eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, vel Græcæ, falſus eſt, nec novit quænam ſit Græcorum eccleſia. Patriarchæ? Oſtendat literas. Suſpecta inſcriptio eſt. Licet enim Patriarcha C Parthenius Calviniſmo addictiſſimus ſit, nondum verecundiam excuſſit, ut palam & in foro Calviniſmum profiteatur, & unionem cum Calviniſtis, miſſis quoque nuntiis, procuret. Nondum ſunt oblivioni tradita quæ Cyrillus Lucaris ob hanc eamdem cauſam Græcis procurantibus à Turcis perpeſſus ſit: & Parthenius de hoc tantummodo ſuſpectus jam exſtat, & in ſecuritatem nonniſi Catholiciſmum ementitus componitur. Patriarcha Conſtantinopolitanus ſolus Eccleſia Græcorum non eſt. Quidquid ipſe ſolus abſque D ſynodo egerit, nihil eſt, quare & aliorum epiſcoporum in ſynodo ſubſcriptiones requiruntur. Quod ſi in ſynodo non fiant, firmitatem non habent, quemadmodum ſi aſſenſum propriis ſubſcriptionibus non probaverint quoque magnæ Eccleſiæ clerici. Allatius rurſum epiſtola altera ad eumdem Nihuſium quam recitat cap. 11. de Parthenio juniore ait: Hic novus Parthenius, qui priori Parthenio pulſo, patriarchatum occupat, ex diſciplina Lucaris Calvino addictiſſimus, & Orientalem Eccleſiam fraudibus nequiſſimis ſine E ullo fructu vexat: ſunt Græci in retinendis traditionibus & ritibus Eccleſiæ ſuæ conſervandis plus minus contumaces; quod in ipſo illius ingreſſu demonſtrarunt. Nam, ut ille Græcorum animos à Latinis magis averteret, & Latinos ipſos infra hæreticos poneret, celebrata ſynodo, hæreſim ſæpe alias ab Eccleſia condemnatam denuo in eam invehere conatus eſt: hæreticos namque, quum ad Eccleſiam redeunt eſſe rebaptizandos, ut hinc A concluderet, latinos, quos hæreticos cenſent illius conditionis homines, ſi ad Eccleſiam Græcam gradum fecerint, omnino eſſe rebaptizandos. Sed conſilii ſui exitum nullum, reluctantibus fere omnibus, reperit, & ſibilo convitioque in ſynodo exploſus, demum ſeceſſit; id tantummodo lucratus, ut plane apud omnes hæreticus habeatur. Sic demortua in Lucarim odia in ſe concitavit; ſed dabit Deus his quoque finem. Hæc Allatius à quo nec diſſentit Doſitheus Hieroſolymitanus, ubi narrat Parthenium iſtum juniorem, οὗτος ὁ B βίαιος πατριάρχης, ἤτοι ὁ Παρθένιος ὁ δεύτερος καὶ νέος καλούμενος operam dediſſe, ut exemplaria complura tranſlationis novi Teſtamenti in idioma vulgare Græcum, quam Maximus Callipolita Cyrilli Lucaris diſcipulus adornaverat apud ſuos ſpargerentur; Syrigii Magiſtrum qui ex ambone adverſus eam concionatus erat, in inſulam Chium amandatum eſſe; cæterum exemplaria illa recondita manſiſſe, ac demum abolita prorſus fuiſſe. Dixerat Allatius hunc à Timotheo Patriarcha Anchiali metropolitam eſſe factum, ac deinde C Hadrianopolis ab Anthimo; qua in re à viro pereruditο erratum eſt ob commune duobus Patriarchis Parthenii nomen, quorum alter alteri in utraque ſede, Hadrianopolitana & Conſtantinopolitana ſucceſſit, ac junior Parthenius non niſi à ſeniore deceſſore ſuo Hadrianopolis epiſcopus conſtitui potuit. Cæterum Doſitheus hunc anno 1646. Patriarchatu deſtitutum perhibet: τούτου τοῦ Παρθενίου ἐκβληθέντος, ἐγένετο ὁ καλούμενος Παρθένιος νέος· ὁ ἐν ἔτει χιλιοστῷ ἑξακοσιοστῷ τεσσαρακοστῷ ἕκτῳ ἐκβληθέντος, ἐγένετο πατριάρχης ὁ Ἰωαννίκιος. D Hunc autem alio in loco à Joannicio deturbatum ait, & in Cyprum inſulam relegatum.

CCII. Joannicius II.

Parthenio itaque juniori illi ſuffectus eſt *Joannicius* Heracleæ metropolita, qui Jaſienſi concilio Parthenii ſenioris anno 1642. imo Conſtantinopolitano anno 1641. interfuerat. Hic unum dumtaxat annum & menſes undecim patriarchatum geſſiſſe, fert catalogus recentior, fugiſſe vero deinceps & latuiſſe. Ἰωαννίκιος Ἡρακλείας, χρόνον ἕνα, καὶ μῆνας E ἕνδεκα, καὶ ἔφυγε καὶ ἐκρύβη.

CCIII. Parthenius II. *ſecundùm.*

Parthenius II. à Joannicio deturbatus, atque in Cyprum inſulam abactus, iter per Moldaviam arripuit, conciliatoque ſibi Baſilio Vaïvoda viam ſibi iterum paravit, ut patriarchalem ſedem recuperaret; verum poſt duos annos & ſex menſes, iterum exauctoratus, & in exſilium miſſus laqueo periit: πάλιν Παρθένιος ἐκαθίσθη δεύτερον χρόνον β΄. καὶ μῆνας

ἐξ, καὶ ἐξορισθεὶς ἐπίγη. quod anno 1650. mense Maio accidisse testatur Dositheus, ὅ, τε καὶ ἀπεκτάνθη τῷ χιλιοστῷ ἑξακοσιοστῷ πεντηκοστῷ ἔτει, μηνὶ Μαΐῳ.

CCIV. Joannicius II. *secundùm.*

Eodem anno & mense, ait Dositheus, τῷ αὐτῷ ἔτει καὶ μηνὶ, Byzantinam denuò sedem conscendit *Joannicius* II. quam anno uno, tredecimque diebus tenuit, ἔτος ἓν καὶ ἡμέρας τρεισκαίδεκα. Hunc catalogus post annum unum fugisse latitasseque perhibet, χρόνον ἕνα, καὶ ἔφυγε, καὶ ἐκρύβη.

CCV. Cyrillus III.

Joannicio subrogatur *Cyrillus III.* quem catalogus cognominatum *Spanum* fert, fuisseque Tornobi metropolitam, Κύριλλος ὁ Τορνόβου ἐπίκλην Σπανός, ac viginti dies sedisse, ἡμέρας εἴκοσι, Dositheus vero hunc Corinthi quondam metropolim gessisse, ὁ ποτὲ Κορίνθου, & Byzantinam tenuisse octodecim dumtaxat dies, ἡμέρας ὀκτωκαίδεκα. Quum vero episcopi translationem ejus non probarent, ejectus fuit, & in exsilium missus.

CCVI. Athanasius II. *secundùm.*

Quum in vivis adhuc superstes esset Athanasius Patellarus, patriarchatum denuo ejecto Cyrillo capessivit; quem tamen non nisi diebus quatuordecim aut quindecim gessit: quippe quem episcopi nollent admittere, ut catalogo fertur, καὶ μὴ θέλοντες οἱ ἀρχιερεῖς τὸν εὐγαλαν. Hunc etsi Latinismi admodum suspectum, Dositheus narrat, ubi primùm restitutus fuit, in festo Apostolorum homiliam pronuntiasse adversus Papæ Primatum, quam Athanasius Cyprius edito volumine confutavit. Nectario, qui posthac Hierosolymorum patriarcha fuit, amicitia conjunctum fuisse scribit quoque Dositheus, & Demetrio Procopio inter nuperi sæculi doctos Græcos censetur. Ἀθανάσιος Κρὴς πατριάρχης Κωνσταντινουπόλεως, *Athanasius Cretensis Patriarcha Constantinopolis, vir doctus, Græcæ Latinæque linguæ peritus, divinorum eloquiorum doctor & præco, Philosophus, Philologus & Poëta, sed cujus scripta nulla typis edita sunt.*

CCVII. Paisius I.

Post Athanasium explosum *Païsius* Larissæ metropolita in Patriarcham assumtus est, anno 1651. τῷ χιλιοστῷ ἑξακοσιοστῷ πεντηκοστῷ πρώτῳ ἔτει, Ἰουλίου πρώτῃ, ait Dositheus. Verum post novem menses, ait catalogi scriptor, fugit & latitavit, μετὰ μῆνας ἐννέα ἔφυγε καὶ ἐκρύβη. fugit, inquit Dositheus, in Lesbum patriam suam ubi quietus annos triginta septem mansit, & mortuus est. Verum ex catalogo mox dicemus Païsium altera quoque vice patriarchatum subiisse.

CCVIII. Joannicius II. *tertiùm.*

Païsio abdicante, *Joannicius II.* Byzantinam sedem recepit, tenuitque ad annum usque 1656. Dositheo teste, quo rursum ejectus fuit, ἐν τῷ χιλιοστῷ ἑξακοσιοστῷ πεντηκοστῷ ἕκτῳ ἔτει. Sedem porro hac vice tenuit menses undecim μῆνας ἕνδεκα; verum à Tafterdaro, seu Quæstore Turcico in carcerem trusus, post sexdecim dies abdicavit; cui ad alimoniam Cyclades insulæ assignatæ sunt.

CCIX. Cyrillus III. *secundùm.*
CCX. Paisius I. *secundùm.*

Joannicio exauctorato, *Cyrillus* ille III. Constantinopolitanum thronum repetiit anno 1658. sed post dies quatuordecim, ἡμέρας δεκατέσσαρας, in Cyprum amandatus est, ac *Païsius* revocatus, qui post menses undecim, μῆνας ἕνδεκα, ejectus, Cyziceno, ac deinde Ephesino episcopatu donatus fuit. Paisius I. *secundùm.*

CCXI. Parthenius III.

Païsio suffecerunt *Parthenium III. Chii metropolitam cognomento Parthenacen,* Παρθένιος ὁ Χίου, ὁ ἐπίκλην Παρθενάκης, quem Dositheus virum probum divinumque dicit. Hic non nisi octo menses sedit; quum enim Tartarorum Dynastæ legatus ad Cosacorum Chatmanum seu principem missus, Præsulem quemdam qui Nicææ metropilita fuerat, sedentem vidisset, Dynasta Viziro Turcico multa scripsit adversus patriarcham, ceu literas Moschorum Imperatori misisset, ac jussu Kaimacham-Bassæ, sive Præfecti Urbis ad portam Barnak-capi suspensus fuit, Sabbato Lazari, ante vigesimam tertiam Dominicam post Pentecosten anno 1657. τῷ χιλιοστῷ ἑξακοσιοστῷ πεντηκοστῷ ἑβδόμῳ ἔτει, inquit Dositheus, etsi criminis cujus reus agebatur, insons comprobatus erat. Ejus corpus tres dies patibulo suspensum mansit, unde in mare projectum est, quumque tandem repertum esset, in insula quadam inhumatum fuit. Quæ omnia magnam Christianis calamitatem accersiverunt.

CCXII. Gabriel II.

Voluit Vizirus Constantinopolitano throno Païsium Hierosolymitanum imponere, quem probè noverat; is vero meliore consilio dignitatem illam refugiens, clam se subduxit. Quocirca Byzantinum thronum qui dies triginta vacaverat, occupavit metropolita Gani & Choræ *Gabriel,* vir illiteratus, qui illum apud Vizirum prensaverat, quorumdam dumtaxat episcoporum assensu ad illum translatus.

Verum post duos menses cum cujusdam inter Christianos primi nominis nuptiis benediceret, maleque orationis voces pronuntiasset, præsules ipsum solio deturbarunt; Prusæ vero in Bithynia episcopatu donatus fuit, quum Parthenius qui illius urbis episcopatu fungebatur, in Patriarcham assumtus fuisset. Post vero idem Gabriel per calumniam à Judæis accusatus quod Hebræum quemdam baptizasset, illique magnam pecuniam dedisset, asserentes Hebræum illum Turcam fuisse, Prusæ suspensus est.

CCXIII. Parthenius IV.

Pro Gabriele igitur, Episcopi qui ad synodum convenere, uno consensu, ὑπὸ πάντων ἀρχιερέων, Patriarcham constituerunt *Parthenium Cuncumen* cognominatum, ὁ Κουκούμης, Prusæ metropolitam, quem Μογίλαλον vocitabant, quia naribus vocis sonum edebat. Hic Byzantinam sedem capessivit anno 1657. die 3. Aprilis, atque anno insequenti, allatis è Gallia multis exemplaribus libri cujusdam, cui τάργα, *i. e. Pella, Clypeus*, titulus erat, ab aula Turcica edictum obtinuit, ut ubi gentium reperiretur, ignibus omnique alio modo aboleretur: id quod multis curis patravit. Cæterum multo titulo repetundarum factus reus, solio cedere coactus est, dataque abdicatione, Prusam metropolim repetiit.

CCXIV. Dionysius II.

CCXV. Parthenius IV. *secundùm.*

Communibus Episcoporum clerique suffragiis in Parthenii locum promotus est *Dionysius Spanus*, Διονύσιος ὁ Σπανὸς, Larissæ metropolita, Byzantinamque sedem subiit die Dominica 29. Julii anno 1660. ἐν ἔτει χιλιοστῷ ἑξακοσιοστῷ ἑξηκοστῷ. Vir fuit, Dositheo teste, prudentia aliisque virtutibus eximius, cui nemo Patriarcharum illius ævi, deincepsque Byzantinorum comparabilis esset, οὐκ ἔχων τὸν συγκρινόμενον αὐτῷ πατριάρχην Κωνσταντινουπόλεως ἕως τῆς ὥρας ταύτης ἐπὶ φρονήσει καὶ ζωῇ ἐναρέτῳ. Dionysio sedente Imperatoris Moschorum Orator Constantinopolim venit, cui Patriarchæ quatuor, nimirum Constantinopolitanus Dionysius, Alexandrinus, Antiochenus & Hierosolymitanus Nectarius decretum tradiderunt, quo statuebant, ut Moschoviæ Patriarcha deinceps absque Constantinopolitani assensu à regionis illius synodo constitui posset, quod antehac fieri minimè poterat. Dum Dionysius quietus Ecclesiæ suæ præesset, *Parthenius* decessor ipsius in Valachiam profectus est, ut gentis illius Principem sibi conciliaret; ac Constantinopolim regressus, Patriarchatum illo expulso & latitante iterum invasit, anno 1665. ἐν ἔτει χιλιοστῷ ἑξακοσιοστῷ ἑξηκοστῷ πέμπτῳ, quo etiam anno Joachimum virum nullius frugi Alexandriæ Patriarcham ordinavit, sed & mala alia perpetravit, quorum causa invisus cunctis factus est.

Parthenius secundùm.

CCXVI. Clemens.

CCXVII. Methodius II.

Parthenium die 9. Septembris feria 2. ejusdem anni throno deturbavit *Clemens* Iconii metropolita, vir efferis moribus, atque in Tenedum insulam amandari curavit. Verum priusquam Clementis ad Constantinopolitanam sedem translatio rata fieret à synodo, episcopi qui convenerant Hadrianopolim, ad Sultanum profecti, ab eo obtinuerunt, ut ille quoque ejiceretur, magnisque demum sumtibus effecerunt, ut *Methodius* Heracleæ metropolita in Patriarcham promoveretur. Quod quidem factum est, quum sedes menses tres & dies viginti vacasset: μῆνας τρεῖς καὶ ἡμέρας εἴκοσι. Methodius itaque Hadrianopoli ad Principis manus osculum admissus est, à quo exivit velo coccineo serico crucibus aureis asperso caput tectus, quo deinceps ornamento Patriarchæ alii decorati fuere. Ejus autem promotio anno 1669. contigit, Parthenio interim reddita Prusa metropoli, qui mox Tornobum translatus fuit, ut pinguiori episcopatu sustentaretur. Ricaltus eques Anglus in libro quem Anglico idiomate *de statu Ecclesiæ Græcæ præsenti* scripsit, & in Gallicum conversum edidere, de Methodio Patriarcha hæc habet cap. 3. ubi de crebris Patriarcharum mutationibus apud Byzantinos. *En l'an 1670. Methodius estoit Patriarche de Constantinople. Il y avoit peu de temps qu'il possedoit cette dignité, quand il fut contraint de la quitter en diligence, & de chercher un azyle chez l'Ambassadeur d'Angleterre. C'est la coustume que l'on s'assûre de la personne du dernier Patriarche, & que l'on saisisse ses biens pour acquiter les dettes de l'Eglise, & pour payer ce que le nouveau Patriarche a donné avant que d'estre installé.* Ex quo apparet Methodium plus uno anno sedisse priusquam à Parthenio pelleretur. Ex literis illustrissimi D. de Nointel Christianissimi Regis apud Othomanicam aulam Oratoris 29. Septembris anni 1671. à Patriarchatu explosus erat, quinetiam ejusdemque anni die 10. Julii qua Testimonium de fide Eucharistica Orientalis Ecclesiæ dedit contra Calvinistas hæreticos. Post vero, quo tempore Methodius Patriarchatu fungebatur, *Panagiotaces* qui vulgo *Panaioti* dicitur, Aulæ Turcicæ præcipuus Interpres, volumen edidit

Methodius II.

inſcriptum Ορθόδοξος ὁμολογία, *Confeſſio Orthodoxa,* quod in Batavia typis Græcis excuſum prodiit, & quo Catholicæ Fidei capita, quæ à Calviniſtis & Lutheranis impugnantur, diſertiſſime aſſeruntur.

CCXVIII. Parthenius IV. *tertiùm.*

Anno 1671. menſe Martio, μηνὶ Μαρτίῳ, *Parthenius IV.* Hadrianopoli cum Viziro geſſit, ut Byzantinam ſedem repeteret, acceptiſque Sultani literis, in urbem Regiam reverſus, in eam tertia hac vice irrepſit, Methodio fugato, qui in Chii inſulæ cœnobio, quod Αγία μονὴ, *Sanctum monaſterium* dicitur, ſe recepit. Ricaltus porro Parthenium, qui Methodium pepulit, admodum divitem fuiſſe ait, ideoque magni æſtimatum apud Aulæ Turcicæ proceres; qui tamen anno vix elapſo ejectus quoque fuit, atque in Rhodum inſulam exſulare juſſus.

CCXIX. Dionysius III.

Vizirus, cognitis Parthenii malis artibus, Methodium reſtituere propoſuerat; epiſcopi vero Dionyſium II. ſibi potius reddi poſtulabant, quibus tamen ille aſſenſus non eſt, æquum non eſſe ducens, illum prætermitti qui nuper à Parthenio ejectus erat. Quocirca alterum illis deſignavit eligendum, *Dionyſium* ſcilicet Lariſſæ metropolitam, qui *Muſelymes* cognominabatur. Quocirca Dionyſius iſte III. Hadrianopoli cum literis Sultani Conſtantinopolim menſe Octobri ejuſdem anni 1671. veniens admiſſus eſt, atque 7. Novembris Patriarchali ſolio impoſitus; quem Illuſtriſſimus de Nointel virum eo munere dignum fuiſſe perhibet. Interim vero Parthenius exſilium fuga in itinere declinans, comprehenſus fuit, atque in Cyprum inſulam relegatus, huncque Dionyſius cum ſua ſynodo communionis exſortem pronuntiavit. Anno 1672. menſe Jan. teſtimonium authenticum dedit *De Fide Orientalis Eccleſiæ Calvinianis erroribus contraria,* quod Græce Latineque prodiit Pariſiis anno 1677. ad calcem ſynodi Bethleemiticæ, ſive Hieroſolymitanæ; ejus exemplum aſſervatur in Bibliotheca Regia, cui ſubſcripti viſuntur Dionyſii hujus deceſſores tres, Païſius, Dionyſius Spanus, & Methodius, qui proinde hoc ipſo anno in vivis ſuperſtites Conſtantinopoli illo anno 1672. agebant. Dionyſius vero Spanus in Lauram montis Athi ſeceſſit, ubi quietus egit ad annum uſque 1696. quo poſtremum diem obiit menſe Auguſto. Methodius vero Venetias migravit, ubi metropolita Philadelphiæ defuncto, ejus in locum ſuffectus fuit, Venetico Senatu annuente, quum nonnulli alioqui jactarent minime fas eſſe in eadem urbe Patriarchas duos ſacerdo-

A tio fungi. Interim Dionyſius Muſelymes patriarcha ſolio potitus eſt ad annum uſque 1673. quo exturbatus quoque fuit à Geraſimo Tornobi metropolita menſe Julio, eique Philippopolitanus epiſcopatus conceſſus. Id quod Ricaltus, ad hunc modum fuiſſe patratum narrare pergit: *Denys ne fut gueres plus heureux que Parthenius. La femme de Panaiotti interprete du grand Vizir luy donna de l'occupation & du chagrin. Cette femme imperieuſe au dernier point, enteſtée de la grandeur & des richeſſes de ſon mari, traitoit le* B *Patriarche d'une maniere peu reſpectueuſe, & en même temps peu digne d'une des principales Matrones de l'Egliſe. Denys ne pût voir ſon procedé ſans reſſentiment. Il fit paroiſtre pour elle autant de mépris qu'en meritoit ſon arrogance; mais il en fit une ennemie irreconciliable. Panaiotti entra dans les reſſentimens de ſa femme, & reſolut de ſe venger du Patriarche. L'occaſion s'en preſenta peu aprés. Geraſime Evêque de Ternova ſur les frontieres de la Valachie parut comme Candidat,* c'eſt-à-dire, *comme prétendant à la premiere dignité de* C *l'Egliſe. Il ne pouvoit mieux s'adreſſer qu'à Panaiotti, qui eſtant Grec, & ayant l'oreille du premier Vizir, eſtoit très-propre à le produire. En effet cet Interprete preſſé par la complaiſance qu'il avoit pour ſa femme, agit avec tant de diligence & de chaleur, que Geraſime obtint le Patriarchat. Denys fut donc dépoſé, & il fallut qu'il ſe contenta de l'Evêché de Philippopolis où il demeure en qualité de Proédros.*

CCXX. Gerasimus II.

D Anno itaque 1675. die 13. Julii feria 6. Ιουλίου εἴκοσι πέμπτῃ, ἡμέρα ϛ'. Patriarchatum *Geraſimus* Tornobi metropolita obtinuit Sultani literis, qui Hadrianopoli morabatur, ac die 14. Auguſti feria quinta, καὶ εἰς τὰς δεκατέσσαρας Αὐγούστου, ἡμέρα πέμπτῃ Conſtantinopolim venit, tum craſtino die ejus tranſlatio rata habita eſt; adeoque in Patriarchali throno collocatus fuit, quem, Ricalto teſte, ab obitum uſque Panaiotti illius tenuit.

CCXXI. Parthenius IV. *quartùm.*

E Geraſimo Patriarchatûs compote, *Parthenius* ex inſula Rhodo Hadrianopolim venit, utque multas ſibi opes comparaverat, Panaiotti Interprete jam defuncto, die 1. Januarii anni 1676. ab Imperatore impetravit ut priſtinæ ſedi ſuæ reſtitueretur, ſubindeque die 22. Martii feria ſecunda in urbem Regiam veniens, in throno ſedit, quem annum unum ſexque menſes tenuit, ab ipſius renuntiatione putandos.

CCXXII. Dionysius III. *secundùm.*

Anno itaque 1677. die 29. Julii, Ἰουλίου εἰκοστῇ ἐννάτῃ, ipsa Dominica ἡμέρᾳ κυριακῇ *Dionysius* III. solium recepit, Parthenio carceri tradito, cui postmodum Anchiali ecclesiam commisit, cujus redditibus viveret. De qua Dionysii restitutione hæc Ricaltus scribit : *C'est ce Denys qui est à present* (anno 1678.) *sur le throne de Constantinople, jusqu'à ce qu'un autre qui sera de nouvelles offres, le dépouille de sa dignité.*

CCXXIII. Athanasius III.

Enim vero in Byzantinam sedem de mandato Sultani, Dionysio expulso, irrepsit *Athanasius* Rhædesti episcopus, die 30. Julii, feria 3. Ἰουλίου τριάκοντα, ἡμέρᾳ τρίτῃ, anno 1679. qui tamen ab episcopis admissus non est, ut pote vir alias ineptus, ἀλλ' ἀχρεῖος ὤν, ac post duodecim dies fugam capessivit.

CCXXIV. Jacobus.

Mox igitur episcopi qui convenerant, die 14. Augusti feria 4. τῇ δὲ δεκάτῃ τετάρτῃ Αὐγούστου, ἡμέρᾳ τετάρτῃ, communibus suffragiis, cum clericis elegerunt *Jacobum* Larissæ præsulem, quem die 15. τῇ δεκάτῃ πέμπτῃ, adeoque insequenti in sede collocarunt; ejecto synodali sententia Athanasio, sedit Jacobus annos tres ferè completos, ac dignitatem abdicavit, ut fert Dositheus, ὃς μετὰ τρεῖς χρόνους παραιτησαμένου, eique metropolis Chius assignata est, quam administraret.

CCXXV. Dionysius III. *tertiùm.*

CCXXVI. Parthenius IV. *quintùm.*

Parthenius quintùm.

Anno 1682. die 30. Julii, feria 4. Ἰουλίῳ τριακοστῇ, ἡμέρᾳ τετάρτῃ *Dionysius Muselymes* è Valachia veniens, dignitatem patriarchalem iterum recuperavit, sed post duos fere annos expulsus rursus fuit à *Parthenio* illo IV. *Chumchumi* qui anno 1684. die 16. Martii, Dominica quinta Quadragesimæ, Μαρτίῳ δεκάτῃ ἕκτῃ τῇ πέμπτῃ κυριακῇ τῶν νηστειῶν à Principe Hadrianopoli patriarcha renuntiatus est, ac die 12. Julii die sabbati in Urbem venit. Καὶ εἰς τὰς ἡμέρας δώδεκα Ἰουλίου ἦλθεν εἰς τὴν πόλιν Παρθένιος ἡμέρᾳ σαββάτου.

CCXXVII. Jacobus *secundùm.*

CCXXVIII. Dionysius III. *quartùm.*

CCXXIX. Jacobus *tertiùm.*

Brevi post restitutum Parthenium, episcopi & clerici egerunt, ut *Jacobus* patriarchatui redderetur, Parthenio atque Dionysio episcopatibus assignatis Bidonensi & Chalcedonensi, ut quieti agerent. Non tamen *Dionysius* quievit, sed iterum egit ut in sedem patriarchalem contra leges, παρανόμως, ait Dositheus, irreperet. Verum *Jacobus*, quo tempore Turcicus exercitus in Mahometem IV. Sultanum rebellaverat, Philippopolim perrexit, atque in vicino vico agens, καββάδιον, seu patriarchalem vestem à Viziro accepit, atque sine synodi decreto quo translatus proclamaretur, sedem Constantinopolitanam occupavit, quam tamen post quatuor menses dimisit, οὗ μετὰ τέσσαρας μῆνας παραιτησαμένου.

Dionysius quartùm.

Jacobus tertiùm.

CCXXX. Callinicus.

CCXXXI. Neophytus III.

CCXXXII. Callinicus *secundùm.*

Anno 1689. die prima Martii, vacante sede propter Jacobi abdicationem, episcoporum clericorumque, optimatum & Rusetiorum Christiani populi qui in domum Principis Manolaci convenerant, suffragiis patriarcha electus est *Callinicus* ex Acarnania oriundus Prusæ metropolita, atque Dominica Orthodoxiæ in throno collocatus fuit. Post vero à *Neophyto* quem synodi sententia Hadrianopolitana sede ejecerat, extrusus ipse fuit : quumque Neophytus Byzantinam sedem capessivisset, expulsus etiam fuit, & *Callinicus* restitutus.

Neophytus III.

Callinicus secundùm.

CCXXXIII. Dionysius III. *quintùm.*

CCXXXIV. Callinicus *tertiùm.*

Callinicum subinde *Dionysius* ille *III.* deturbavit anno 1693. Quum enim Vizirus ad bellum contra Germanos gerendum per Ungaro-Blachiam pergeret, Constantinus Basarabas Valachiæ Princeps, apud quem Dionysius versabatur, ab eo deceptus patriarchatum ipsi restitui postulavit. Moxque nullâ morâ patriarchali Cabbadio à Viziro Dionysius indutus est. Quamobrem Hadrianopolim versus iter arripiens Constantinopolim demum venit & Callinicum fugavit. Reverso autem Hadrianopolim è bello Germanico Viziro, quum Dionysius rem male gereret, in totum Byzantina sede ejectus fuit anno 1694. & Callinicus suæ sedi restitutus; qui optimè suo munere fungens, ecclesiam ære alieno liberavit, ac demum quindecim annis feliciter transactis patriarcha obiit anno 1702. Hic anno 1691. synodali sententia, cui Dositheus Hierosolymitanus, metropolitæque & Archiepiscopi subscripserunt, Joannem Logothetam cognomento *Chariophylum* Calvinianæ hæresis reum damnavit; quam doctissimus Renaudotius ex editione Jasiensi in Moldavia anni 1694. Græcis

Callinicus tertiùm.

Latinisque

Latiniſque typis publici juris apud nos fecit anno 1709. poſt aliquot Georgii Scholarii, aliorumque ſchiſmaticorum opuſcula, quibus Orientalis eccleſiæ de Euchariſtiæ myſterio, aliiſque capitibus quibus ab heterodoxis Occidentis contradicitur, Fides in aperto panditur. Quod Dionyſium ſpectat, ubi cauſa apud Vizirum cecidit, Byzantium protinus fugit, indeque in Valachiam, ubi Tergoviſti conceſſit fatis. Cæterum utrumque patriarcham, Dionyſium & Callinicum, Demetrius Procopius in *nuperi ſæculi eruditis Græcis*, paribus laudibus commendat, ab eruditione divinarum Scripturarum, ſanctorumque Patrum lectione ac meditatione, necnon divini verbi accuratiſſima pro concione expoſitione; ſed & Dionyſium quidem patria Byzantinum fuiſſe prodit, Διονύσιος Βυζάντιος, πατριάρχης. Callinicum vero, ut prædixi, Acarnanienſem, Καλλίνικος ἐξ Ἀκαρνανίας.

CCXXXV. Gabriel II.

Anno eodem 1702. ipſo menſe Auguſto Hadrianopoli communibus omnium ſuffragiis patriarcha electus eſt *Gabriel II.* Chalcedonis metropolita, qui mox à Viziro Cabbadium accepit, atque menſis Septembris 30. die Conſtantinopolitano throno impoſitus eſt. Patriarchatum annos quinque, duoſque menſes geſſit, χρόνοις πέντε καὶ μῆνας δύο. gravi morbo correptus interiit anno 1707. menſe Maio. Demetrius Procopius in opuſculo *De eruditis Græcis* Gabrielem patriarcham Conſtantinopolitanum Smyrnenſem fuiſſe ſcribit, Γαβριὴλ Σμυρναῖος πατριάρχης Κωνσταντινουπόλεως, Græcæ Latinæque linguæ, & ſacræ ſcripturæ peritum, necnon in Patrum libris diligenter terendis aſſiduum, ex quibus hauriebat unde populum Chriſtianum accurata doctrina imbueret, ſed & officii eccleſiaſtici ſeriem miro amore proſequutum. Anno 1706. Franciſcus Proſalentes Corcyræus diaconus, ex Anglia, in quam ſtudiorum cauſa accerſitus erat, egreſſus, volumen ei exiguum ſatis, ſed eruditum prorſus nuncupavit, quo Apoſtolicarum traditionum ſummam auctoritatem ultus eſt adverſus documenta magiſtri nuper ſui Benjamin Woodrof Oxonienſis doctoris hæretici; quem librum Amſtelodami Græcis typis edidit hoc titulo: Ὁ αἱρετικὸς διδάσκαλος ὑπὸ τοῦ μαθητοῦ ὀρθοδόξου ἐλεγχόμενος, *Magiſter hæreticus ab orthodoxo diſcipulo convictus.*

CCXXXVI. Neophytus II.

CCXXXVII. Cyprianus.

Gabrieli communibus ſynodi, Geraſimo Alexandrino præſide, ſuffragiis anno 1707. Heracleæ metropolita *Neophytus*, qui à ſecretis Imperatori erat, in patriarcham provehitur, cujus dexteram ubi omnes ſunt oſculati, ad patriarchale palatium ipſum deduxerunt, electioniſque ejus Decretum ſigillis ſuis munierunt. Prius vero quam inſtrumentum ad Vizirum mitteretur, Neophytus à quodam inimico homine libello dato defertur, ceu olim tamquam explorator judicum ſententia ad triremes damnatus fuiſſet, additis criminibus aliis, quæ ille de cerebro ſuo finxerat. Quamobrem, Neophyto rejecto, epiſcopi, clerici & magnates in patriarchalem eccleſiam convenientes, ſecunda diſquiſitione facta, Cæſareæ metropolitam, *Cyprianum* nomine elegerunt, ac poſt tres dies patriarchali ſedi impoſuerunt, paſtoralem baculum ei porrigente metropolita Cyzici, quum nullus adeſſet Heracleæ pontifex, nemine adhuc in Neophyti locum ſuffecto. CYPRIANUS.

CCXXXVIII. Athanasius IV.

Cyprianum excepit *Athanaſius*, Heracleæ metropolita, quem Demetrius Procopius Cretenſem fuiſſe perhibet, Ἀθανάσιος Κρὴς πατριάρχης ΚΠ. eumque inter Græcos eruditione inſignes laudat.

CCXXXIX. Cyrillus V.

Poſt Athanaſium IV. ſedit *Cyrillus V.* metropolita prius Cyzicenus. Patria Leſbium fuiſſe narrat Demetrius Procopius, quem divinos Scripturæ ſanctorumque Patrum libros aſſidue legere ſolitum ait, vitamque ſanctam, Deoque acceptam duxiſſe.

CCXL. Cosmas II.

Cyrillo V. ſuffectus eſt *Coſmas II.* montis Sinaï archiepiſcopus, quem Demetrius Procopius Chalcedone natum narrat, Κοσμᾶς Χαλκηδόνιος πατριάρχης Κωνσταντινουπόλεως; atque à pietate & eruditione, necnon Græcæ linguæ, externæque ſcientiæ ac Theologiæ peritia commendat. Abdicato Conſtantinopolis throno, in montem Sinaï iterum ſeceſſit, ubi procul à vitæ tumultibus cibum deliciaſque ſuaviſſimas habet divinarum ſcripturarum meditationem, librorum ope, qui in confertiſſima monaſterii Bibliotheca aſſervantur; unde venerabilis ſenex ſpem facit fore, ut in lucem prodeant eccleſiaſtici commentarii quos elaboravit. Τὸ δὲ νῦν ἔχον, τὸν βίον διάγει ἐν τῷ ἁγίῳ ὄρει Σινᾶ ἐκτὸς τῶν τοῦ βίου θορύβων, μελέτην τῶν θείων γραφῶν τροφὴν καὶ τρυφὴν ἡγούμενος ἡδεστάτην, ἐξ ὧν ἐρανίζεται ἐκ τῆς πλουσίας βιβλιοθήκης τοῦ ἐκεῖσε βασιλικοῦ μοναστηρίου, καὶ συγγράμματα ἐκκλησιαστικὰ εἰς φῶς προσαγαγεῖν ἐλπίδας ἡμῖν ὑποφαίνει ὁ ἐλλόγιμος καὶ αἰδέσιμος οὗτος πρεσβύς.

CCXLI. Hieremias III.

Cosmæ successor datus est *Hieremias III.* Cæsariensis metropolita, quem Amstelodamenses publici commentarii ad diem 14. Maii anni 1720. ex literis Constantinopoli datis 26. Febr. paucis ante diebus exauctoratum ferunt. *Le Patriarche des Grecs nommé Jeremie a esté deposé par le Vizir, & mis en arrest chez le Chauz Bassa, où il doit rester jusqu'à ce qu'on ait nommé un autre Patriarche. Mais les Metropolitains qui luy ont attiré cette disgrace ne sont pas d'accord entre eux, & leur désunion qui regne de plus en plus, tend à la ruine de la Religion Grecque dans cet Empire. Plusieurs croyent que le Patriarche deposé qui est riche, pourra estre restabli.* Enimvero non multo post Hieremias A restitutus est, seditque deinceps ad 31. usque diem Dec. an. 1726. quo in exsilium missus fuit ad montem Sinaï, ex Parisiensibus commentariis publicis ad diem 11. Martii insequentis.

CCXLII. Paisius II.

Hieremiæ successor datus est *Païsius* metropolita Nicomediensis, cunctorum metropolitarum suffragiis electus, qui hoc anno 1732. quo hæc scribo, sedere dicitur. Hic sopitis præsulum jurgiis, quibus Constantinopolitanæ ecclesiæ res in extremam ruere perniciem videbatur, ad eam dignitatem promotus, nullaque deinceps à flagitioso aliquo homine facta apud Othomanicam aulam adversus illum nundinatione, quietus thronum hactenus obtinere dicitur.





DIŒCESIS PONTICA, CUJUS CAPUT CÆSAREA CAPPADOCIÆ.

DE DIŒCESI PONTICA.

De Ponto & ejus provinciis.

I. CANONE Chalcedonensis Concilii XXVIII. Constantinopolitanæ sedis Diœcesis è tribus antiquioribus conflata fuit, Pontica, Asiana & Thracica. Atqui Pontica Diœcesis inde nomen habuit, quod omni illa regione, quæ *Pontus* dicebatur, ad Euxinum mare posita finiretur. Ea verò à Bosphoro ad Colchos usque pertinebat, ubi Bithynia, Paphlagonia, Helenopontus, Polemoniacusque Pontus provinciæ numerabantur. Factâ novâ à Constantino Magno, ejusque filio Constantio Orientalis Imperii divisione, Pontica diœcesis instituta est, cui assignatæ provinciæ fuerunt, Galatia, Bithynia, Cappadocia, Armenia minor, Pontus uterque, & Paphlagonia. Secta subinde statim in provincias duas Cappadocia fuit, Armenia quoque minor, sed & posthac rursum Honorias à Paphlagonia, quin etiam in duas Galatia, perindeque demum Bithynia. Atque ejusmodi fuit, juxta atque Imperatoribus allubebat, Ponticæ diœcesis civilis provinciarum partitio, ad quam ferè ecclesiastica quoque composita fuit.

Cappadociæ veteris ratio.

II. Cappadocia, quæ prima demùm illarum censita est, quo tempore regibus suis parebat, quo item Romana provincia Augusto Imperatore facta est, duplex habebatur: nam Strabone teste lib. II. *Macedones Cappadociam in duas Satrapias à Persis divisam acceperunt, partim spontanei, partim inviti, ex Satrapiis in regna redegerunt; atque majorem Cappadociam, quæ Taurum versus est, propriè Cappadociam nominarunt, alteram Pontum.* Cæterùm, quum eam quæ versus Pontum est Cappadociam vocarent, majoris Cappadociæ rationem suo ævo esse ignotam dicit. *Nam Archelao Rege vita functo Cæsar & Senatus decrevere, ut & Romanorum provincia esset. Quum verò regio illa sub illo Rege ac prioribus in decem Præturas divisa esset, quinque Taurum versus censebantur, ut Melitina, Cataonia, Cilicia, Tyanensis & Isauriensis. Quinque reliquæ è Lavinasena, Sargasena, Sarauna, Chamanena & Rhimneva constabant. Postea à Romano Senatu addita est ex Cilicia, quæ ante Archelaum XI. prætura erat, regio scilicet Castabalis & Cybistræ vicina usque Derben, Antipatri pyratæ sedem; ab Archelao autem Trachea Cilicia usque Eleusam.* Hæc Strabo de Cappadociæ ratione, eo tempore quod ab Augusto Cæsare ad Constantinum usque excurrit: quæ quidem observatione digna sunt propter Ciliciam & Isauriam, quæ ab antiquo Antiochenæ sedi obnoxiæ fuerunt, non Ponticæ diœcesis.

Cæsarea Cappadociæ Metropolis.

III. Cappadociæ majoris caput, metropolisque fuit Cæsarea, quam Strabo, quemadmodum & alii, *Mazacam* nominavit necnon *Eusebiam*, atque Ciliciæ attribuit. Sic enim habet: ἐν τῇ Κιλικίᾳ καλουμένη τὰ Μάζακα ἡ μητρόπολις τοῦ ἔθνους. *In Cilicia est ea quæ Mazaca vocatur, gentis hujus Metropolis, atque etiam Eusebia nuncupatur, quæ ad Argæum est.* Cæsareæ nomen illi inditum non erat, quando hæc Strabo scribebat. Attamen Eusebius alterius Cæsareæ in Palæstina episcopus, in Chronico Mazaca urbem à Tiberio Cæsare appellatam asserit, Cæsaream: Eutropius item in *Tiberio. Quosdam Reges,* ait, *per blanditias ad se evocatos numquam remisit, in quibus Archelaum Cappadocem; cujus etiam regnum in provinciam redegit, & maximam*

civitatem appellari nomine suo jussit, quæ Cæsarea dicitur, & Mazaca antea vocaretur. Sextus verò Rufus, cap. 2. Breviarii, *ab ipsis Cappadocibus, quum majestatem Romanam colerent, in honorem Augusti Cæsaris, Cæsaream nuncupatam*, scripsit. At Sozomenus nuncupationem hanc ad Claudii tempora verius forsan transtulit, etsi sæpè aliàs in Imperatorum priscorum, aliisque prisci temporis rebus offendit. Cæterùm eam urbem uti locupletem & amplam celebrat, velut etiam Ammianus Marcellinus. Quod certè permirum est, quando Straboni *sicca, debilisque* dicitur, quæ » in solo circum sterili & inculto, arenoso scilicet » & petroso posita esset, quin & campis paululum » progredienti igne per multa stadia adustis, necessaria vix in eam de propinquo afferrentur.

Christianæ Fidei primordia in Cappadocia à Petro Apostolo.

IV. Cæsarea itaque perampla, ditissimaque civitas quum esset, numerosissima proinde ecclesia primitus in ea extitit ab Apostolorum principe Petro instituta. Quod quidem ex priore illius Epistola colligere licet. Hanc quippe inscripsit, *Electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, &c.* Has nempè regiones omnes ad Euxinum usque mare Evangelii propagandi causâ peragratas ab eo fuisse Hieronymus, aliique, necnon S. Basilei Amaseæ in Ponto episcopi testantur acta quæ Joannes Bollandus edidit ad diem Aprilis 26. In quibus itidem actis perhibetur Petrus Antiochiâ profectus, Amaseæ Christum annuntiasse, ibique Nicetium episcopum præfecisse, tum cum Andrea fratre Sinope in Helenoponto aliquandiu egisse. Atqui in illis Ponti regionibus, mediis provinciis, ac Cæsarea inprimis civitate omissis, illum prædicasse, ne vero quidem simile est. Ac certè Christi Fidem tunc Judæos præsertim, qui his in tractibus passim dispersi erant, edocebat; minimè verò prætermissis gentilibus, ad quos perinde Apostoli omnes missi erant. Quocircà primum Cæsareæ episcopum ab eo institutum esse nullus dubito, quem ipsum fuisse Centurionem cohortis illius quæ Dominum ad patiendum duxit, crucique suffixit, suo postmodum loco dicemus.

A Paulo quoque.

V. Quamquam gentium Apostolum Paulum suas quoque partes habuisse in Ponticis regionibus, quemadmodum in Asiæ ad Fidem traducendis perhibet Joannes Chrysostomus Homil. in Epist. ad Rom. 20. quin etiam ejus pro more exscriptor Theodoretus in eamdem Epistolam. τά τε ἑῷα καὶ τὰ Ποντικὰ μέρη, καὶ πρὸς τούτοις τὰ κατὰ τὴν Ἀσίαν, καὶ τὴν Θρᾴκην τῆς διδασκαλίας ἐπλήρωσεν. *Orientis Pontique partes, Asiam quoque & Thraciam, doctrina Fidei replevit.* Quodque Cæsaream urbem attinet, Lucas Evangelista Act. 18. ℣. 22. locuples testis est, illum, Epheso relicta, in eam advenisse, ubi tunc ecclesia Christiana vigebat. *Profectus est ab Epheso, & descendens Cæsaream, ascendit & salutavit Ecclesiam, & descendit Antiochiam.*

Cæsarea civitas tota Christiana sub Constantino magno.

VI. Atqui vera religio, invitis Christi nominis hostibus, Cæsareæ deinceps admodum crevit, totaque prorsus Constantino Imperatore, ejusque filio Constantio, Christiana evasit, adeò ut Cæsarienses Jovis, cujus se uti Dei tutelæ commiserant, Apollinisque patris fana solo tunc æquaverint. Quod in causa fuit, cur Julianus ὁ παραβάτης Augustus infesto Cæsarienses odio persequutus sit. Quo quidem ampliùs ille exarsit, ex quo Fortunæ templum, quod solum ejus tempore supererat, à civibus eversum accepit. Quocirca Cæsaream Cappadociæ civitatis prærogativâ privavit; ecclesiarum, quæ in ea, vel in vicinia exstarent, numerum inquiri, ducentas auri libras ærario publico quamprimùm solvi, clericos omnes militiæ, quæ præfecto regionis parebat, nomen dare, Christianorum denique singulorum, tam virorum quàm mulierum, quin etiam puerorum, censum fieri jussit, qui, non aliter quàm in pagis fiebat, tributa pensitarent.

Sozom. l. 9. c. 4.

Provinciarum Ponti prisca dispositio civilis.

VII. Ponticarum igitur ecclesiarum mater & caput Cæsariensis fuit: Ponti verò Provinciarum civitas primaria Apostolorum & Apostolicorum virorum ævo Cæsarea non erat. Nam in dispositione provinciarum Imperii ab Adriano Augusto facta, undecim Præfecturæ Diœcesisve civilis Ponti provinciarum quinta dumtaxat ordine fuit Cappadocia. Sic enim in eâ recensentur, *Galatia, Bithynia, Helenopontus, Pontus Polemoniacus, Cappadocia, Paphlagonia, Armenia.* Quinimo in dispositione altera posteriori, cujus auctor fuit Constantinus Magnus, Cappadocia tertio dumtaxat, ut dixi, loco numeratur, scilicet *Galatia, Bythynia, Cappadocia, Paphlagonia, Pontus Polemoniacus, Helenopontus, Armenia.* His duabus in Notitiis, cunctis præit Galatia, Pacatiana scilicet, cujus Metropolis erat Ancyra; hujus verò civitatis episcopus Cæsariensis interim sedis ordinationi subdebatur.

Ponticæ diœcesis prima mentio.

VIII. Ponticæ diœcesis, ut & Asianæ, Constantinus Magnus meminit in epistola quam ecclesiis de Paschate eadem die ab omnibus celebrando scripsit. *Hoc ubique observandum* edicit, *quod in urbe Roma, Italia, Africa, in tota Ægypto, Hispania, Gallia, Britannia, in Lybia, universa Græcia, in Asiana & Pontica diœcesibus*, Ἀσιανὴν τε διοίκησιν καὶ Ποντικὴν, *necnon in Cilicia denique, &c.* Sæcularesne, an ecclesiasticas diœceses intellexerit Imperator, non satis significat. Quamquam, ut conjicio, nondum Orientale Imperium nova provinciarum distributione ordinaverat.

Eusebius lib. 4. de vitâ Constant. cap. 19.

Episcopus Cæsariensis Ponticæ diœcesis summus rector.

IX. Cæsariensis itaque episcopus ob ecclesiæ suæ præstantiam reliquis Ponticæ diœcesis prælatus fuit. Quæ verò illius fuerit tribus primis ècclesiæ sæculis per illas provincias auctoritas, regiminisve ratio, exploratum mihi satis non est. Quod certè concilia, quæ in Ponto habita sunt, attinet, aliarum sedium Antistites illis tunc præfuisse legimus. Secundo namque sæculo labente, quum de die solennitatis Paschalis assignandâ inter fideles disceptaretur, non Cæsariensis, sed Amastridis Paphlagoniæ præsul Palmas præses erat; cujus prærogativæ non aliam causam affert Eusebius lib. 5. hist. eccl. cap. 23. nisi quod eos, qui convenerant, vel ætate, vel ordinatione anteïbat. τῶν δὲ κατὰ Πόντον ἐπισκόπων, ὧν ὁ Παλμᾶς ἀρχαιότατος προὐτέτακτο. Neocæsariensis synodi canonibus primus subscriptus legitur *Vitalis Antiochenus*, septimus *Leontius Cæsareæ Cappadociæ*. Ancyranæ similiter primus quoque Vitalis, decimus quartus idem *Leontius Cæsareæ*, post alios inferiorum urbium præsules. Medio sæculo tertio Firmilianus Cæsareæ episcopus sancto Cypriano Carthaginensi scribebat: *in Iconio qui Phrygiæ locus est.* (legero *Pisidiæ* pro temporum illorum ratione) *se cum aliis episcopis ex Galatia & Cilicia, & cæteris proximis regionibus convenisse & confirmasse tenendum contra hæreticos firmiter & vindicandum* (ipsorum baptismum reprobando) *quum à quibusdam de ista re dubitaretur.* Verùm non satis innuit se concilii hujus caput præsidemve fuisse, etsi Iconii coactum erat, quippe quæ civitas eo ævo Pisidiæ censebatur; Pisidia verò illa ad Cæsariensis præsulis curam, uti Cappadocia spectabat, ut mox videbitur. Ciliciam perinde dicit Ciliciæ partem Tauro monti affinem, quum altera Antiochenæ diœcesis esset. Quamquam frequenter vicinarum urbium, alienæ etiam diœcesis, episcopi cum aliis ultrò conveniebant, ubi majores quædam causæ tractandæ erant.

Basilius Magnus Ponticæ diœcesis episcopos ad concilium vocat.

X. Cæterum Basilius Magnus Cæsariensis ipse Archiepiscopus, epistola sua 291. quæ *Ponticæ diœcesis episcopis* inscribitur, ἐπισκόποις τῆς ποντικῆς διοικήσεως, illos ad synodum in urbe sua propter anniversarium diem SS. Eupsychii, Darnæ & aliorum martyrum celebrandum vocavit, eosque ab ecclesia sua per suam ipsius vocem accersiri dixit; *quippe qui proprius illius ornatus & honos essent.* ὑπομιμνήσκει ὑμᾶς τὸν ἴδιον ἑαυτῆς κόσμον ἐκκλησία διὰ τῆς ἡμετέρας φωνῆς παρακαλοῦσα. Quod certè argumento est Ponti ecclesias à Cæsariensi velut à primaria sua & capite pependisse.

Ponticæ diœcesis ordo sæpè mutatus.

XI. Sed pro variis temporibus alia atque alia identidem facta est Ponticæ diœcesis ordinatio ac divisio, quod res ecclesiasticas atti-A net. Priùs enim quam Theodosius Magnus, ejusve filius Arcadius Imperium gererent, regionum quarumdam sollicitudinem Cæsariensis præsul gerebat, quæ illi posthac ademtæ sunt. Pisidia quippe vetus, cujus pars erat Lycaonia, sæculo ecclesiæ secundo Ponti provincia censebatur; quod certè inscriptione Smyrnensis ecclesiæ de sancti Polycarpi martyrio fertur apud Eusebium lib. 4. histor. cap. 15. sic enim habet: τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ τῇ παροικούσῃ ἐν Φιλομηλίῳ, καὶ πάσαις κατὰ Πόντον παροικίαις. *Ecclesiæ Dei quæ apud Philomelium*

Pisidia olim Ponti provincia.

B *agit, & paræciis Ponti.* Atqui Philomelium Pisidiæ civitas fuit. Basilius Magnus Cæsareæ episcopus epist. 272. se in Pisidiam profectum ait, ut cum hujus provinciæ episcopis res Isauriæ (veteris scilicet, quæ Pisidiæ, vel Lycaoniæ regio erat) constitueret. *Sæpè & alias*, inquit, *extra patriam peregrinati sumus. Nam & in Pisidiam usque perreximus, ut unà cum gentis hujus episcopis res fratrum, qui in Isauria sunt, ordinaremus.* καὶ γὰρ μέχρι τῆς Πισιδίας παρέβημεν, ὥστε μετὰ τῶν ἐκεῖ ἐπισκόπων τὰ κατὰ τοὺς ἐν Ἰσαυρίᾳ ἀδελφοὺς τυπῶ-

C σαι. Quocirca Basilius ipse epist. 8. Eusebio Samosatensi scribebat, *Iconium civitatem esse Pisidiæ, quæ jam olim post maximam*, μετὰ τὴν μεγίστην (Antiochiam scilicet) *prima erat*, ἡ πρώτη: *nunc verò ipsam præsidere parti, quæ ex diversis segmentis particularis provinciæ dispositionem accepit.* νῦν δὲ καὶ αὐτὴ προκάθηται μέρους, ὃ ἐκ διαφόρων τμημάτων συναχθὲν, ἐπαρχίας ἰδίας οἰκονομίαν ἐδέξατο. Quibus significat Pisidiam suo ævo in duas provincias sectam fuisse, Iconiumque secundæ caput factum, Lycaoniæ scilicet, quæ nondum

Pisidia olim Cæsariensi sedi obnoxia, ea verò quæ Lycaonia.

D hactenùs inter provincias censita erat. Subdit se ab ecclesia Iconiensi vocatum, ut ipsam visitaret, eique episcopum præficeret. αὕτη καλεῖ καὶ ἡμᾶς εἰς ἐπίσκεψιν, εἰς τὸ δοῦναι αὐτῇ ἐπίσκοπον. Quamquam non dissimulandum Basilium ab Eusebio sciscitari, annon abstinere debeat ab ordinationibus extra ditionis suæ limites peragendis: εἰ οὖν δεῖ κατοκνεῖν τὰς ὑπερορίους χειροτονίας. Ex quo non absurdè forsan quis intulerit, Iconium diœcesis Basilii civitatem non fuisse, sed hujus urbis clericos, vicinosque præsules, quum Asianorum, qui

E Ariana labe infecti erant, communionem respuerent, Ponticæ diœcesis primarium episcopum compellasse, ut sibi ad subrogandum Faustino episcopo nuper suo, sanæ Fidei pastorem adjumento esset. Id quod certè turbatis illis temporibus, sub Valente inprimis Imp. catholicæ partis episcopi, illeque ipse Eusebius per varias Orientis partes impunè perpetrabant, quin etiam vicissim hæretici. Atqui Basilius quidem votis Iconiensium ultrò annuit, qui & Amphilochium Cæsariensis ecclesiæ presbyterum elegêre: verum illius

ordinationi minimè interfuit, uti rursùm epist. 393. quam Amphilochio ipsi dedit, disertè testatur. Quidni verò eximius ille ecclesiæ doctor ἀφορείους χειροτονίας dixerit, quæ, omissis Metropolitarum juribus, extra Cappadociam, quam patriam suam appellat, celebrandæ essent? Quod quidem doctiorum quorumque judicio relinquo.

Armenia minor Cæsariensi sedi obnoxia.

XII. Quidquid est de Pisidiâ veteri, ejusve parte Lycaoniâ: at certè minoris Armeniæ ecclesiæ à Cæsariensis episcopi ordinatione pendebant. Etenim Basilius epist. 187. significabat sibi ab Imperatore mandatum, ut in illius provinciæ civitatibus episcopos constitueret. Id quod quidem præstitit, operam ei præbente Theodoto Nicopolis ejusdem provinciæ metropolita. Rursùs epist. 195. eidem Theodoto Nicopolitano scribebat, venisse ad se Faustum à Papa, nescio quo qui profectò illis in locis agebat, cum literis quibus petebatur, ut illum episcopum consecraret. *Quum autem reverentiæ vestræ,* inquit, *& reliquorum episcoporum testimonium posceremus, contemtis nobis, abiit ad Anthimum,* καὶ παρ' αὐτοῦ λαβὼν τὴν χειροτονίαν, χωρὶς ἡμετέρας ὑπομνήσεως ἐπανῆκεν, *acceptâ ab illo ordinatione, sine nostra suggestione, vel mandato, reversus est.* De qua iterum ordinatione perinde epist. 58. Meletium Antiochenum certiorem his verbis fecit: *Volo pietatem tuam scire, quod frater Anthimus Faustum cum Papa agentem episcopum ordinavit, hunc neglectis suffragiis adversùs reverendum admodum Cyrillum consecrans, ut Armeniam seditionibus repleverit.* Epist. quoque 319. apud Pœmanium Satalorum in eadem Armenia episcopum expostulat, adversùs Anthimum Tyanorum illum antistitem, qui sese pro secundæ Cappadociæ metropolita gerens, Faustum illum præter jus ordinarat. *Bonus ille Anthimus,* inquit, *qui multo tempore pacem mecum & amicitiam coluit, idoneam nactus ambitionis suæ exserendæ, dolorisque mihi creandi occasionem, Faustum suis manibus auctoritate propria consecravit episcopum, nullius vestrum vel exspectatis suffragiis, risuque spretis, quæ de canonum accurata observatione causati fuimus.* Cæterùm aliquam huic facinori medelam admissurum se ait, si de honesta hominis vita testimonium Pœmanius ipse præbeat. Quæ quidem apertè ostendunt Armeniæ minoris ecclesias Cæsariensi stricto jure fuisse subjectas.

Cæsariensis antistes Armeniæ synodorum præses.

XIII. Basilius idem epist. 364. Atarbio in eadem Armenia episcopo declarat, se Nicopolim advenisse ad synodum quæ ibidem cogebatur, uti tumultus exortos sedaret, resque malè gestas instauraret. Atqui nondum finito concilio Atarbius secesserat, patratorum in ecclesia flagitiorum quorumdam reus, quin etiam erroris Sabelliano proximi. Quamobrem sanctissimus Archiepiscopus, misso ad illum nuntio, hortabatur, ut rediret, quo suus dolor veritatis declaratione leniatur, Deique ecclesiæ consolationem accipiant. ἵνα μὴ ὀκνήσῃς μικρὸν διάστημα κινηθεὶς καταλαβεῖν ἡμᾶς, καὶ τὴν ἐπὶ τούτοις πληροφορίαν παρεχόμενος, ἡμῖν τε τὴν ὀδύνην καταπραΰναι.

Specialem ejus curam gerebat de prisco more.

XIV. Quinimò Basilius rursùm Parnasi in eadem provincia ecclesiæ epistolam 185. dedit, *pro veteri more, qui longa temporis serie invaluerat.* καὶ ἔθει ἑπόμενοι παλαιῷ ἐκ μακρᾶς ἀκολουθίας κεκρατηκότι, literis eos invisens suis, adhortansque, ut sedato de amisso episcopo dolore, pastorem à Deo postulent, cujus scientia pascantur. Terentio Comiti 187. se in Armeniam, ut jusserat Imperator, contulisse narrat, ad res ecclesiæ componendas. Cæterum Theodotum, qui alieno erga se animo erat, obstitisse, *ne quod injunctum erat conficeret, ac episcopos Armenis daret. Ejus opera,* inquit, *me viros idoneos reperturum sperabam ego, quando hæc illius parœcia est; religiosos nempè & prudentes, simulque linguæ regionis peritos, quique reliqua gentis idiomata callerent: quorum nomina, quæ mihi comperta sunt, nunc volens tacebo, ne quid obstet, quin alio saltem tempore Armeniæ prodesse valeam.* Mox ampliùs addit, se, Dei favente gratia, Satalis Armeniæ episcopos conciliasse, suffragia Satalensium ecclesiæ recepisse, poscentium sibi dari episcopum: de crimine, quod Cyrillo objiciebatur, inquisivisse, atque annuente Deo falsò confictum illud reperisse. Sed & epist. 191. Nicopolitanis commendat episcopum, metropolitam proinde, quem ipsis recens ordinarat, quemque ad illos incolumem accedere Deum enixè rogat. Epistola 292. Coloniæ clericos hortatur, ne graviter ferant episcopum suum Ephræmium ad Nicopolitanam metropolim à se & reliquis provinciæ episcopis translatum. *Certè,* inquit, *quum res Nicopolitanæ probè ordinantur, vestra etiam portio in tuto futura est. Nostrum consilium de paternis visceribus suggestum amplectimini,* (sic se uti patrem ipsorum summumve pastorem ostentat) *& Dei amantissimorum episcoporum ordinationem, quæ secundum Dei voluntatem facta est, admittite, nostramque præsentiam præstolamini; qui, si concedat Deus, ad vos pergemus, & quæ non potuimus per literas commonefacere, ea coràm pietati vestræ præsentes suggeremus.* Solebant scilicet præcipui illi Primates, quos subinde Exarchos & Patriarchas dixêre, provincias sibi subditas lustrare, ac visitare; velut etiam metropolitæ, ut quæ deessent corrigerent. Atqui, omissis jam tot illis quæ Basilius quoque variis literis suis scripsit propter Eustathium Sebastiæ alterius provinciæ Armeniæ minoris metropolis episcopum, quæque ejus causâ gessit ac toleravit; ipsimet

clerici & cives Sebasteni, cognitâ demum Eustathii versutiâ, qua Fidem ludebat, à Basilio postularunt, ut ecclesiæ ipsorum succurreret, ejusque curam gereret. Videsis epist. 8.

Pontus sedi Cæsariensi subdita.

XV. Suas in Ponti provincias peregrinationes hinc inde in epistolis Basilius narrat; vix tamen suam in illas potestatem indicat, nec aliud ferè nisi attentam sollicitudinem. Neocæsarienses epist. 62. monuit, ut episcopum eligerent Gregorio illi Magno quem *Thaumaturgum* dixêre, ejusque successoribus non absimilem. Literis aliis ad eos scriptis se illorum ecclesiæ verè curam gerere testatur. Epistolâ verò 321. Antiocho presbytero narrat, se in Pisidiam perrexisse, ut unà cum ejusdem gentis episcopis res Isauriensium ordinaret, quum nempè Isauriæ pars Cappadociæ olim censita esset, ut prædiximus. Mox subdit se in Pontum profectum esse, quum Eustathius, Sebastenus utique, Dasimonem mirificè turbaret, episcopum prorsùs. Cæterum sæculo insequente, etiam post Chalcedonense Concilium, Alypius Cæsariensis Comanæ, quæ Ponti civitas erat, episcopo Hormizi præcepit, ut de Lampetii monachi, quem Gerontius monachorum Glitidis præpositus ad ejus synodum detulerat, moribus & doctrinâ inquireret; qui nempè Massalianorum errores & flagitia in illis regionibus instauraret, à quo ejus asseclæ Lampetiani dicti sunt. Quod Photius narrat in Bibliotheca cod. 52.

Galatia quoque.

XVI. At quidem Gallo-græciæ seu Galatiæ ecclesias curavit Basilius, quandoquidem Athanasio Ancyræ metropolita vivis exemto, dolorem quem de ejus obitu conceperat, data Ancyranis epistola 67. significans, sui muneris fuisse dicit, ut ei successorem constitueret. *πρὸς τίνα λοιπὸν τὰς φροντίδας τῶν ἐκκλησιῶν ἀποθώμεθα; Cuinam jam ecclesiarum curas imponamus!* Epist. 269. Vicarium Præfecti synodum episcoporum Galatiæ & Ponti Ancyram coëgisse innuit, mandasseque rursum, ut Nyssam in Cappadociæ urbem denuò convenirent, Gregorium Nyssenum sua sede ab illis pulsum, tum illud ipsum episcoporum agmen ab eodem Sebastiam transvectum esse, ubi cum illius civitatis præsule Eustathio Nicopolitanæ ecclesiæ res, Theodoto beatissimo defuncto, profligarent. Tum nempè vafer ille hæreticus, Basilio Cæsariensi posthabito, episcoporum Ponti, aliorumque nonnullorum suæ factionis operâ, præsules in Armenia, catholicis ejectis, creabat, quo Fidem rectam faciliùs in illis regionibus everteret. Atqui Eustathius episcopos Ponti & Galatiæ, idcircò, ut videtur, adhibebat, quod illæ provinciæ Ponticæ diœcesis partes erant.

Bithynia.

XVII. De ecclesiis provinciæ Bithyniæ nihil in Basilii epistolis occurrit; at illam quo-

A que Cæsariensis præsulis ordinationi subjectam fuisse argumento est, quod S. Basilii proximus successor Helladius Gerontium, quem S. Ambrosius ecclesiæ Mediolanensis Diaconi gradu dejecerat, Constantinopoli agentem, quo se receperat, Nicomediæ Bithyniæ metropolis episcopum constituerat. Quo facinore audito Ambrosius graviter, datis ad Nectarium Constantinopolitanum literis, expostulavit, Sozomeno teste lib. 8. hist. cap. 12. Quin etiam Gregorius Nyssenus à secunda Synodo generali constitutus, ut Pon-
B ticæ diœcesis unà cum eodem Helladio & Otreïo Melitinensi curam gereret, Fidemque in illis regionibus adulteratam restitueret. Nicomediæ Patricium metropolitam dedit. Quod ipse testatur epistola 13. quæ ad Nicomedienses scripta est. *Nos autem excusationem hanc nostram apud caritatem vestram instituentes, dicimus, nec anteactis temporibus, nec post beati Patricii obitum, πρὸς τὴν ἀπόδοσιν τῆς κεχρεωστημένης ἡμῖν ἐπισκέψεως, in exsequenda vobis visitatione, cujus vobis eramus debitores, uti muneris nostri ratio postu-*
C *labat, negligentes fuisse; sed quoniam turbæ multæ sunt in ecclesiis quæ curis nostris commissæ fuerunt.* Addendum, actione 13 synodi Chalcedonensis, in qua Eunomii Nicomediensis cum Anastasio Nicæno, qui sibi metropolitica jura vindicabat, agitata causa est, Ponticæ diœcesis episcoporum sententias præsertim quæsitas esse, qui per unum è suis Joannem dixerunt, canones unum dumtaxat metropolitam nosse, antiquiorem nimirum, adeóque Bithyniæ ordinationes religiosissimo Nicomediæ episcopo competere.

Armenia major Cæsariensis sedis ordinationem subiit. Quare?

XVIII. Ut Armenia minor, quæ veteris
D olim Cappadociæ regni pars erat, cis Euphratem & Antitaurum montem exsistens, Cæsariensem episcopum Primatem agnoscebat, ita certè major altera Transeuphratensis, quæ tempore Diocletianeæ persequutionis Christi Fidem cum Tiridate rege suo amplexa est. Atqui divinam hanc doctrinam acceptam Armeni referunt prædicationi Gregorii sui magni, quem idcircò *Illuminatorem* appellant. Hic Cæsareæ Cappadociæ educatus, Christianusque factus, in patriam quum rediisset, immanibus suppliciis à Tiridate plexus fuit, quem
E tamen subinde Christo lucratus est. Quamobrem ejus jussu Cæsaream repetens, à Leontio hujus urbis episcopo Armenorum pontifex consecratus est, tum institutis per Armeniæ regiones frequentibus ecclesiis, episcopos aliis passim præfecit. Isaac successorum ejus unus, Armeniæ Catholicus, sive Armenorum ecclesiæ summus curator, qui sæculo desinente sexto, vel septimo in ea sedebat, testatur, prisco illo post Gregorium tempore, Armeniæ metropolitam quemque, seu

Primatem & Catholicum, non nisi Cæsareæ Archiepiscopo annuente, vel approbante constitutum fuisse, imò & Cæsareæ ad Theodosii junioris ætatem usque consecratum. Quocirca non aliunde acceperunt, ut Armeniæ Catholici appellarentur, nisi quod in gerendis in illa regione religionis negotiis Cæsariensis sedis generales veluti Procuratores essent. *Catholicus* siquidem olim dicebatur generalis civilium rerum Procurator. Unde Balduinus Jurisconsultus in annotationibus ad Optatum Milevitanum, *Catholicum* ait nomen esse profanum & civile, quo leges utuntur quum significant Procuratorem Cæsaris. Hanc Armeniæ majoris erga Cæsariensem sedem subjectionem satis innuunt Nicæni Concilii gesta, quæ Gelasius Cyzicenus adornavit. Ibi enim quæ à Patribus statuta essent, Leontius Cæsariensis synodi nutu misisse fertur *ad ecclesias Cappadociæ, Galatiæ, Diospontì, Paphlagoniæ, Ponti Polemoniaci, atque Armeniæ parvæ & magnæ;* Ἀρμενίαν μικρὰν καὶ μεγάλην, ceu ambas Cæsariensis antistes curaret.

Catholicus Armeniæ unde dictus.

Armeniæ Catholicus Cæsareæ consecrari prohibitus.

XIX. Verum Theodosio juniore Imperatore, Persarum Rex, Varanes utique, in cujus potestatem omnis illa regio venerat, Catholicos Armeniæ majoris apud Romanos ampliùs consecrari non permisit. Nihilominùs Catholici promotio nonnisi annuente, approbanteque Cæsariensi episcopo peragebatur. Quocirca S. Norsese Catholico à Pharme quodam impio neci dato, totis quatuordecim annis ab antistite Cæsariensi interdictum est, ne episcoporum ordinationes apud Armenos ullæ fierent, ἐπισκόπους χειροτονεῖν οὐκ ἐτόλμων, ἐπειδὴ διὰ τὸν θάνατον τοῦ ἁγίου Νορσέση ἐκωλύθησαν παρὰ τοῦ ἀρχιεπισκόπου Καισαρείας αἱ χειροτονίαι ἐπισκόπων τῆς μεγάλης Ἀρμενίας. Rursum post amotum, Bramsapore Rege favente, Isaac Catholicum, quin creatis, eodem jubente, Catholicis de Persica ditione, cessavit apud illos ordinatio, Cæsariensi Archiepiscopo prohibente propter ejectionem Isaaci. Quæ reperiuntur Tom. 2. Auctarii Biblioth. PP. Græc. in Narratione de rebus Armeniæ, iterumque tractabuntur ubi seorsim agam de ecclesia Armeniæ.

Cappadocia secunda instituta.

XX. Quum Cæsareæ præsul metropolitico jure in Cappadociam omnem ab initio uteretur, sub Valente Imp. Cappadociâ in Provincias duas olim divisâ, Tyana civitas secundæ metropolis civilis ordinis facta est. Quocirca Anthimus Tyanensis episcopus ordinationes novæ provinciæ suæ vindicare sibi non dubitavit, nequidquam refragante Basilio, qui priscam suæ Diœcesis dispositionem veteri consuetudine, necnon statutis Patrum tuebatur, ὁ δὲ τῆς παλαιᾶς εἴχετο συνηθείας, καὶ τῆς τῶν πατέρων ἄνωθεν διαιρέσεως. Planè, si qua ratio habeatur catalogi Patrum Nicænorum Latini, qui omnium manibus teritur, sub Constantino Imperatore Cappadociæ in duas provincias divisionem esse factam dixero, ex qua nihil dispendii vel injuriæ Cæsariensi sedi accesserit, Patribus, episcopisve Diœcesis illius sua prisca jura sarta-tecta manere statuentibus. Cæterum Anthimus ille, qui non secundæ solius Cappadociæ episcoporum ordinationes usurpaverat, sed etiam Armeniæ minoris utriusque, omissa illa pristina cum Basilio simultate, se posthac Cæsariensis ecclesiæ clientem ultrò professus est. Quocirca Firmus Cæsariensis, postquam Eutherius Nestorii vindex Tyanensi ecclesiâ Theodosii Junioris Imp. mandato pulsus, communioneque amotus est, ejus in locum episcopum alterum ordinavit, quem tamen cives, in Eutherium propensiores, non statim admisêre.

Ponticæ Diœcesis demùm undecim provinciæ.

XXI. Facta sub Valente, Theodosio, Arcadioque Impp. crebra Ponticæ Diœcesis divisione, Theodoreti ætate provinciæ undecim numerabantur. libro namque hist. eccles. 5. c. 23. scribit, Joannem Chrysostomum, quum regiæ urbis episcopatum gereret, Asianam, Thracicamque diœceses curasse, quin etiam Ponticam, quæ velut Asiana provinciis undecim constaret, καὶ τῆς Ἀσίας ὅλης, ἣ ὑπὸ ἕνδεκα καὶ αὕτη ἀρχόντων ἰθύνεται, καὶ μέντοι τὴν Ποντικὴν τούτοις κατεκόσμει τοῖς νόμοις· ἰσαρίθμους καὶ αὕτη ἔχει τῆς Ἀσίας ἡγουμένους. Quamquam Theodoretus voce ἀρχόντων, sæcularem potiùs dispositionem videatur indicare quam ecclesiasticam; quum tamen illius ævo ecclesiasticam harum regionum distributionem ad civilem fuisse ipsarum magna parte conformatam, inficiari nolim. Cæterùm Joannis ipsius Chrysostomi tempore Honorias à Bithynia nondum avulsa erat; quippe quæ provincia non nisi à Theodosio juniore in honorem Honorii patrui sui instituta primùm fuit, sed nec ejus metropolis Claudiopolis ecclesia à Gangrensis Paphlagoniæ metropolitæ ordinatione immunis facta est: sic nec secundæ Bithyniæ caput Nicæa à Nicomediensi.

Cæsariensis episcopus à CP. ordinari cœptus.

XXII. Cæsariensis præsulis in provincias Ponti, qualiscumque fuerit auctoritas hæc ad tempora usque Chalcedonensis Concilii perseveravit, quamvis identidem Constantinopolitanorum Archiepiscoporum quotidianis profectibus imminuta esset, ordinatis per ipsos hinc inde passim episcopis ac metropolitis. Quinimò Firmo Cæsariensi, qui Ephesinæ synodo anno 431. interfuerat vitâ functo, nescio quo casu factum est, ut Cæsareæ cives Proclum Constantinopolitanum convenerint, episcopum ab ipso postulantes. Quibus ille Thalassium designavit, qui Illyrici præfecturam nuper gesserat. Narrat hoc Socrates l. 7. cap. ultimo. Sic proinde Cæsarienses causam, sive colorem

five colorem faltem, Byzantinis fubminiftrarunt, ut fedes ipforum illis aliquando in totum fubderetur.

Pontica diœcefis Conftantinopolitano throno fubjicitur in Chalcedonenfi Concilio.

XXIII. Id quod actitari cœpit Chalcedonenfi ferè fynodo abfolutâ. Tunc nempè Regiæ urbis clerici epifcopos, qui reliquis longè pluribus ad proprias fedes regreffis, Conftantinopoli remanferant, denuò cogi curaverunt, atque ab illis Canonem XXVIII. condi, quo ftatuebatur ut Conftantinopolitana fedes proximum poft Romanam gradum & locum haberet, ac præterea trium diœcefium, Ponti, Afiæ & Thraciæ regimen præcipuum, ordinationefque metropolitarum. Verùm huic fanctioni Thalaffius Cæfarienfis continuò fuffragatus non eft, cui interim quidam dumtaxat Ponti metropolitæ & epifcopi fubfcripferunt.

Obftant Legati Leonis Papæ.

XXIV. Leonis Papæ Romani Legati adversùs ftatutum hoc intercefferunt; quippè quo Patrum decreta, & prifci mores evertebantur. Quocircà epifcopis denuò ad fynodum convenientibus, Imperii proceres, Concilii hactenùs Principis nomine moderatores, mandarunt ut Afiani, Ponticique præfules palam fignificarent, num libera propriaque voluntate, num coacti, aut impofita fibi neceffitate fubfcripfiffent. Metropolitæ quidem Amafeæ & Gangrorum, Claudiopolis quoque, fponte illi fe fuffragatos effe dixerunt: Eunomius verò Nicomedienfis multis infinuavit, fibi non arridere quod geftum erat. Poftremus demùm Thalaffius Cæfarienfis affenfum prætulit, at fubringente, ut apparet, voce, ne tumultum aut rumorem excitare velle putaretur, aut Conftantinopolitanæ fedi ingratum fe oftentaret.

Decretum Concilii ecclefiæ fuæ Thalaffius non retulit.

XXV. Cæterùm Thalaffius ad ecclefiam regreffus, fuam folam Fidei definitionem attulit, qua fynodus Eutychianam impietatem actione 6. profcripferat, rectamque Fidem declararat; nullos verò de difciplina fancienda canones, nec proinde vigefimum illum octavum. Id quod proximus ejus fucceffor poft annos feptem epiftola fynodica fua Leoni Imp. teftificatus eft his verbis: *Pietati veftræ fignifico, quia ea quæ particulariter examinata funt atque gefta ab epifcopis in Chalcedonenfi collectis civitate, non legi (neque enim à fanctæ memoriæ tunc epifcopo Thalaffio, qui interfuit fancto Concilio, aliquid eft amplius allatum ex his quæ gefta nofcuntur) fed tantummodò definitionem expofitam ab illo fancto Concilio ab eo delatam adfpexi. Quam relegens, falubriter congruenterque fufcipiens, atque intelligens, & (ut reor) mente recta eam, ut oportebat, examinans, comperi à veftrâ Fide non diffonare. Nam & trecentorum decem & octo fanctorum Patrum Nicææ convenientium laudat Fidem, &c.* Enarratis deinde quæ Concilium de Verbo carne facto definierat, fub-

A jungit: *Ergo quantum ad definitionem, quam etiam legi, nihil habeo in quo fanctum Concilium poffim de mala fecta* (hærefi) *culpare. Si verò non propter Fidem alia quædam quafi non fecundum regulas à fanctis trecentis decem & octo Patribus in Nicæna urbe prolatas facta fint, quæftio nunc exorta eft, hæc non univerfalem debent tumultum excitare; fed veftræ indigent examinatione pietatis. Vobis namque hæc inquirentibus, & regulas relegentibus, bene novi quia correctionem caufa fufcipiet.* Ubi certe innuit fpurium illum Ca-
B nonem, quem fibi minime placere fignificat, ut pote præter fancitas, receptafque regulas tentatum. Audierat utique Alypius Romanæ fedis Legatos, ipfumque deinceps magnum Leonem adversùs illud decretum reclamaffe, quo tum Alexandrinæ fedi & Antiochenæ Conftantinopolitana præponebatur, contra quam veteres canones à Nicæna fynodo confirmati ferebant, tum aliarum præftantiffimarum fedium prifca jura convellebantur, quantumvis fynodus illa Nicæna præcepiffet, uti fua fedibus privilegia farta-tecta perfifterent.
C Quamobrem non abfurde opinabatur, canonem illum caufam fuiffe turbarum & motuum qui nuper Alexandriæ propter Chalcedonenfe Concilium acciderant. Ideò ad Imperatoris pietatem fpectare ait, correctionem eorum quæ contra Nicænas regulas patrata erant; ut proinde de fedis fuæ Cæfarienfis, aliarumque perinde juribus nihil propter iftiufmodi decretum derogaretur. Enimverò ipfe interim Alypius Ponticam diœcefim adhuc id temporis tenebat, non unam dumtaxat Cappadociam primam: Idque ex eo comper-
D tum eft, quod, ut jam ante diximus, ille fynodum coëgerat, in qua Hormifi Comanæ in Ponto epifcopo, datis ad ipfum literis, provincia impofita eft, ut Lampetium prefbyterum Maffalianorum hærefis in illis partibus inftauratorem, facerdotio ejiceret.

Cæfarienfis præful Conftantinopolitani πρωτόθρονος.

XXVI. Verumtamen Cæfarienfis ecclefia ægrè demum Byzantinæ jugum fubiit, Zenone, ut apparet, Imperatore, & Acacio urbis illius Regiæ epifcopatum gerente, ac quidem prius quam Ephefus Afianaque diœcefis. Quod utique in caufa fuerit, cur Cæfarienfis
E præful metropolitarum Conftantinopolitano throno deditorum primus cenfitus fit, atque πρωτόθρονος Archiepifcopi feu Patriarchæ appellatus. Quamobrem ad eum quoque præ reliquis deinceps fpectabat Pontificem illum fuifmet manibus confecrare, & in Patriarchali throno collocare, ubi fato quodam Heracleenfis abfuerit. Præterea, fuppreffis illius in Ponti provincias juribus præcipuis, ὑπερτίμου τῶν ὑπερτίμων, καὶ ἐξάρχου τῆς Ποντικῆς διοικήσεως, *Excellentiffimi Excellentiffimorum, & Exarchi Ponticæ diœcefis* titulis, vanis fere

inanibusque licet, à Byzantinis ornatus fuit. A

Exarchi nuncupationis duplex significatum.

XXVII. Atqui *Exarchi* nuncupatione ista ne significari arbitreris eximiam illam auctoritatem Patriarchali similem, qualis canone Chalcedonensi decimo septimo describitur; quo nempe præcipitur, ut quisquis episcopus à Metropolita suo male & præter jus vexatus fuerit, *apud Exarchum suæ diœcesis causam dicat & judicetur*, παρὰ τῷ τῆς διοικήσεως ἐξάρχῳ δικαζέσθω. Quondam hæc; dum nempe ecclesiarum Orientis dispositio vetus stabat, ac priore illo tempore quo Chalcedonensis alter Canon XXVIII. nondum B ab omnibus admissus erat. Posteriori verò ætate altera vocabuli hujus acceptio fuit, ut eo significaretur quivis episcopus, qui patriarchæ, vel metropolitæ nomine & vice ecclesias alterutri obnoxias visitaret aut curaret. Quamobrem, ademta Cæsariensi præsuli auctoritate, qua primi generis Exarchus erat, ac fuimet ipse juris, vel, ut aiunt, αὐτοκέφαλος, à Byzantinis obtinuit, ut Ponticam diœcesim quondam suam Patriarchæ vice lustraret. Post verò, non Ponticæ diœcesis, sed *totius Orientis Exarchus* appellatus est, velut Ephesinus *Exar-* C *chus totius Asianæ*. Atqui ἀνατολῆς, *Orientis*, voce remotiores hîc ultra Asianam diœcesim regiones quæ ad Solis ortum positæ sunt, significantur.

Perpauci in Cappadociâ primâ episcopatus.

XXVIII. Quum Cappadociæ primæ ordinatio ad Cæsariensem episcopum proxime spectaret, paucos tamen olim episcopatus ea complectebatur; ita ut Magnus Basilius, ex quo Anthimus Tyanensis metropolitica jura in secundam arripuerat, exiguam hanc provinciam suam Sasimis oppido satis ignobili augere coactus sit, episcopali illud exor- D nans sede. Quin nec istud ei pro voto cessit: nam Gregorio Nazianzeno, quem illi ecclesiæ præfecerat, episcopatum abdicante, Anthimus Sasima, ut pote Tyanis vicina, sui quoque juris esse voluit; unde in Notitiis Sasima Cappadociæ secundæ censentur: sed & circa Concilii Chalcedonensis tempora vix plures quàm episcopi duo Cæsariensi ecclesiæ suberant. Id compertum fit epistolâ illâ quam superiùs laudavi, Alypii ad Leonem Imp. ubi ait: *Quia verò jussistis me de his omnibus ignorantem* (scilicet tam quæ Chalce- E done decreta essent, quàm quæ Alexandriæ contigerant) *meam vobis sententiam declarare, colligere festinavi episcopos sub me constitutos (sunt enim duo) quorum unus, sicut præcepistis advenit, & ipse mecum fecit sententiam manifestam; alter verò, infirmitate detentus, occurere quidem non valuit, suam verò voluntatem ad me datis literis indicavit, quas etiam meæ suggestioni conjungens destinavi.* Huic porrò Alypii ad Leonem epistolæ subscripsit *Musonius Nyssenus episcopus*, episcopo Thermis, vel Thermæ, Firmino, ut videtur, qui Chalcedonensi Concilio interfuerat, infirmitate ad eum accedere prohibito.

Chorepiscopi quamplurimi Cæsariensi sedi obnoxii.

XXIX. Cæterum, quum Cæsareæ metropoli perpaucæ sedes episcopales subessent, Gregorius Nanzianzenus in carmine *De vita sua* testis est, ei paruisse quinquaginta illiusmodi præsules qui Chorepiscopi audiebant, qui primi generis pagos administrarent; eo scilicet carminis loco, quo Theologus queritur, se ignobilissimi vici Sasimorum à Basilio suo constitutum esse episcopum. Τούτοις μ' ὁ πεντήκοντα χωρεπισκόποις στενούμενος δίδωκε.

Cæsarea vetus non superest hodie: nec nova Christiana est. *Alberio Chron. ad an. 1097. Balderio Dolen.*

XXX. Illa verò insignis quondam civitas Cæsarea Cappadociæ caput solo jam pridem æquata est; nec stabat prorsùs quando Francorum nostrorum agmina bellum sacrum Turcis & Saracenis sæculo undecimo labente illis in Orientis regionibus intulerunt. Quamquam haud ita procul erecta altera civitas est, quæ de illius nomine *Caisara* vel *Tsaria* ab indigenis de pristinæ vocabulo nominatur. Deletæ quoque sunt vicinæ circum civitates aliæ, ac qui Cæsareæ archiepiscopus audit, nullum episcopum habet, cui jus dicere queat. Id quod recentes episcopatuum Græci generis Notitiæ testantur, affirmavitque sæculo labente decimo-sexto Martinus Crusius lib. 4. Turcogræc. pag. 290. Enimverò undecimo illo sæculo medio omnes fere Anatolici tractûs, Orientalisve civitates mediterraneæ, provinciarum scilicet veterum Ponti & Asiæ à Turcis barbaris captæ, deletæque sunt; quumque vix ullæ in regionibus illis ecclesiæ starent, hinc factum est, ut episcoporum series simul cum religione desierit, nec nisi metropolium nomina perseverarint, creatis in urbe Regia Constantinopoli antistitibus, qui tamquam ipsarum præsules, saltem titulo tenùs, haberentur. Ut porrò illis suppeterent quæ honesto victui, dignitatis ipsorum causâ, necessaria forent, ab Alexio Comneno sancitum est, ut monasteriorum præfecturis, aliisque cœnobiorum officiis donarentur. Quocirca utriusque diœcesis, cum Ponticæ, tum Asianæ metropolitarum, qui usque ad nostram ætatem sederunt, copiosiores indices contexere licuit, quàm aliorum episcoporum: eo maxime, quod metropolitæ illi complures Constantinopoli, vel in vicinis locis commorantes ad patriarcharum concilia ecclesiæ negotia tractaturi commodiùs conveniebant; quorum proinde quàm aliorum episcoporum, crebrior in synodorum illarum gestis fit mentio.



I.

PROVINCIA CAPPADOCIÆ PRIMÆ.

I.

ECCLESIA CÆSAREÆ, METROPOLIS.

CAPPADOCIA à Valente Imperatore in plures provincias divisa, Cæsarea, velut olim totius, sic deinceps primæ Cappadociæ metropolis fuit. Quum vero perpauci episcopatus illius urbis sedi obnoxii mansissent, vicissim alioqui Cæsariensis præsul quinquaginta Chorepiscopos in omni ditione sua numerabat. Id quod quidem Gregorium Nazianzenum in carmine *De vita sua*, narrasse dixi, ubi queritur vile Sasimorum oppidum episcopatus dignitate à Basilio auctum esse, cui ipse invitus reluctansque præficeretur.

> Τούτοις μ' ὁ πεντήκοντα χωρεπισκόποις
> Στενούμενος δέδωκε· τῆς εὐψυχίας.
> *His liberalis vir, me donavit,*
> *Quinquaginta cinctus Chorepiscopis.*

Cæsarea vetus, ut dictum est, non stat hodie, & in proximo loco civitas alia exstructa est quam Turci *Tsariam* vocant, in qua perpauci Christiani apparent, vulgoque Constantinopoli moratur archiepiscopus.

EPISCOPI CÆSAREÆ.

I. PRIMIANUS.

GREGORIUS Nyssenus epist. 13. quam cum aliis ejusdem Doctoris literis Laurentius Zacanius Vaticanæ Bibliothecæ dum in vivis ageret præfectus, in Analectis suis Græco-Latinis edidit, primum Cappadocum suorum fuisse præsulem testatur, Centurionem illum qui Christum Jesum verè Dei Filium esse, ob ea quæ illo in crucem acto acciderant, palam confessus est. Οἱ Μεσοποταμῖται τὸν Θωμᾶν, inquit, τὸν Τίτον Κρῆτες, καὶ Ἱεροσολυμῖται Ἰάκωβον, καὶ ἡμεῖς οἱ Καππαδόκαι τὸν ἑκατοντάρχην, τὸν ἐπὶ τοῦ πάθους τὴν θεότητα τοῦ Κυρίου ὁμολογήσαντα. *Thomam Mesopotamitæ antistitem habuerunt, Titum Cretenses, & Hierosolymitani Jacobum, nosque Cappadoces Centurionem, qui Domini patientis Deitatem confessus est.* Obiter dicam, hunc nequaquam à Gregorio *Longinum* nominari, nec ab eo significari ipsum esse qui lancea Domini latus perforaverit, velut multis olim persuasum est ob scripta varia,

A etiam Hesychii Hierosolymitani nomine insignita, quibus fertur, Longinum, à quo latus Domini perforatum aiunt, Cæsareæ in Cappadocia quo secesserat, martyrem obiisse. Enimvero *Longini* nomen confictum omninò videtur à voce Græca λόγχη, quæ *lanceam* significat. Atqui acta illa edita exstant à doctissimo Bollando in Actis SS. ad diem 15. Martii, ubi eruditus editor, de inventione agens capitis S. Longini, observandum duxit, eadem acta *sanctum Centurionem proprio no-*
B *mine Primianum nominare, qui idem sit ac Longinus*, ὃς καὶ Λογγῖνος, *aut à gentilitio, vel etiam vulgariter usurpato posterioribus temporibus nomine.* S. Joannes Chrysostomus homil. 89. in Matthæum, quosdam asserere ait, martyrium legi illius Centurionis, quod pro Fide fortiter subinde obierit. τινὲς δέ φασιν, ὅτι καὶ μαρτύριόν ἐστι τοῦ Κεντουρίωνος, ἀνδρισαμένου μετὰ ταῦτα τῇ πίστει. Cæterum mihi satis arridet, Romanæ cohortis Centurionis Romanum nomen fuisse *Primianum*, etsi *Longini*

nomen ejusdem esse generis non diffiteor. Tam certo autem, tamque locuplete Dominicæ resurrectionis præter Apostolos teste, amplissima Cæsarea civitas, totaque vicina regio Christiana brevi tempore facta est.

II. Theocritus.

Primasius, seu ille auctor qui *Prædestinatus* vulgò dicitur, lib. de Hæres. cap. 35. Bardesanem Syrum, qui Valentini errores admiserat, in Cappadocia damnatum ait à *Theocrito* episcopo, utique Cæsareæ, ceu gentis totius metropolitâ.

III. Firmilianus.

Sæculo ecclesiæ tertio claruit *Firmilianus*, nobili genere & dignitate apud Cappadoces insignis, ut fert Nyssenus Gregorius in vita S. Gregorii Thaumaturgi, ἐκ τῶν εὐπατειδῶν Καππαδόκης, qui ex Origenis discipulo Cæsareæ episcopus creatus est circa Alexandri Severi Imp. annum 13. seu Christi 233. quo tempore Heraclas Alexandrinæ ecclesiæ præerat, ut Eusebius innuit lib. 6. hist. cap. 26. At saltem Firmilianus ipse epistola ad Cyprianum Carthaginensem, unum se testatur fuisse ex episcopis, qui ex Galatia & Phrygia Iconii, Phrygiæ tunc, seu Pisidiæ potius, oppido collecti, baptisma ab illorum temporum hæreticis datum jampridem proscripserant. Anno 252. Antiochiam venit ad synodum alteram quæ Novatiani schismatis causa cogebatur. Anno 256. Cypriano scribebat epistolam quam mox dicebam, adversus Stephanum Romanum Papam de reprobando baptismo hæreticorum. Ejus tempore, Cappadociâ variis calamitatibus afflictâ, maximè Barbarorum incursionibus, Cæsariensem ecclesiam scriptis literis solabatur, quarum meminit Basilius epist. 220. Circa annum 264. Antiocheno alteri concilio interfuit, in quo de Pauli Samosateni illius urbis antistitis hæresi impia tractatum primùm fuit; quin & eum sacri illius conventus præsidem fuisse Valesii conjectatio est. Eusebius auctor est lib. 7. cap. 30. Firmilianum Antiochiam bis perrexisse ut Paulum ad meliorem frugem revocaret, sed à vaferrimo illo veteratore, qui mutatam mentem simulaverat, deceptum esse, quum impius ille Deum Dominumque suum abnegasset. Demum anno 269. labente, Antiochiam denuò ad concilium, quod ad eumdem Paulum prorsùs exauctorandum celebrabatur, profectus, Tarsi in Cilicia postremum diem clausit. Cujus memoriam Græci recolunt die 28. Augusti.

IV. Lucius Martyr.

Florus in Additamentis ad Bedæ martyrologium ad diem Martii secundam memoriam habet *Lucæ episcopi Cæsareæ in Cappadocia & Primitivi.* Idem de Lucâ ferunt martyrologia Latina alia, ac Romanum hodiernum, sed *Lucium* dicunt: *Cæsareæ in Cappadocia SS. Martyrum Lucii episcopi Absalonis & Largii.* Quo autem tempore sederit, in incerto relinquunt. Nec audiendi sunt Hispani scriptores illi; qui hunc à Jacobo Apostolo cum aliis sex in Hispania ordinatum nugantur, ac relicta regione illa, in Cappadociam profectum, Cæsariensem ecclesiam administrasse.

V. Leontius.

Ancyranæ synodo, necnon Neocæsariensi, quæ sæculo quarto adulto celebratæ sunt, interfuisse, subscripsisseque legitur *Leontius Cæsareæ Cappadociæ primæ episcopus;* ac si nempe primis ipsis Constantini magni temporibus Cappadocia jam in plures provincias divisa esset. Quidquid id est; in Indice Patrum Nicænorum Leontius Cæsareæ perinde censetur. Ad quam nempe synodum generalem quum ire pergeret, Nazianzo transiens, Gregorium magni Theologi parentem Christianum fecit, Gregorio illius filio teste oratione XIX. In actis ejusdem synodi quæ Gelasius Cyzicenus concinnavit, passim fertur, Leontium Cæsareæ episcopum in se curam recepisse, ea quæ statuebantur transmittendi *ad ecclesias Cappadociæ, Galatiæ, Ponti Diosponti, Paphlagoniæ, Ponti Polemoniaci, Armeniæ magnæ & parvæ.* Λεόντιος Καισαρείας Καππαδοκίας, τὸ τῆς ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ καλλώπισμα, ταῖς κατὰ τὴν Καππαδοκίαν, Γαλατίαν, Πόντον Διοσπόντου, Παφλαγονίαν, Πόντον Πολεμονιακὸν, Ἀρμενίαν μεγάλην καὶ μικρὰν ἐκκλησίαις, hoc est ad cunctas Ponticæ diœcesis ecclesias. Dudum itaque ante concilium Nicænum, imò Constantini tempora, Armeniæ majoris episcopum Gregorium Leontius consecrarat, à quo Armeni illi Orientalioris tractûs divinas leges edocti sunt, quemque adeo *Illuminatorem* vulgò vocant. Leontii Cæsariensis, quem Gelasius Cyzici, *ecclesiæ Dei decus* appellat, τὸ τῆς ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ καλλώπισμα, memoria recolitur in Martyrologio Romano die 13. Januarii: *Cæsareæ in Cappadocia S. Leontii episcopi, qui sub Licinio adversus Gentiles, & sub Constantino adversus Arianos plurimum decertavit.*

VI. Eulalius.

Proximus utique Leontii successor *Eulalius* fuit, Eustathii famosi illius episcopi Sebasteni parens, à quo ille ob mores minùs benè compositos sacerdotio privari meruit, inprimisque quod vestem sacerdote indignam induerat, διότι ὑπὸ Εὐλαλίου τοῦ ἰδίου

ECCLESIA CÆSAREÆ.

πατρὸς καὶ ἐπισκόπου Καισαρείας Καππαδοκίας A ἤδη πρότερον, καθῄρητο, ἐπειδὴ ἀνάρμοστον τῇ ἱερωσύνῃ στολὴν ἠμφιέτο. Quod narrant Socrates lib. 2. hist. cap. 43. & Sozomenus lib. 4. cap. 24. Eulalium certè inter synodi Gangrensis quæ Eustathium damnavit, Patres decimum numeramus initio epistolæ ipsorum ad episcopos Armeniæ. Primo autem loco non nominatur, quum illo ævo in Conciliorum conventibus dignitatis sedium ratio non sic haberetur, sed ut plurimum ætatis, aut antiquioris sacerdotii, ut ille reliquis præiret, qui episcopatu anterior esset. Gangrensem syno- B dum post Nicænam fuisse celebratam Græcis codicibus fertur, μετὰ τὴν ἐν Νικαίᾳ σύνοδον. Quocirca tanti facienda non est vetusti cujusdam canonum codicis Latini auctoritas, in quo legitur Osium à Nicænis patribus postulasse, ut decreta in Ancyrano, Neocæsariensi & Graniense, seu Gangrensi certè, conciliis edita confirmarent: alioqui, quod à verò prorsus abhorret, non solum Eulalius Leontio anterior censendus foret, sed & Eustathius qui Sebastæ episcopatum ultrà annum 389. gessit, ipso ferè sæculo quarto ineunte, ejus C ætatis fuisset, ut gravissima illa crimina admitteret, propter quæ tunc temporis sacerdotio gradu dejiciendus fuisset.

Atqui huic Eulalio penè tribuenda duxero Acta SS. quadraginta Martyrum Sebastenorum, quæ in MS Capuano & in editione Gerardi Vossii Coloniensis, *auctore forsan Evodio episcopo Cæsareæ, interprete Joanne diacono Neapolitano*, prodiisse leguntur; ut propter vocum affinitatem, pro *Eulalio Evodius* scriptus sit. Sin vero, Evodius Cæsareæ episcopus alter habendus fortassis erit, adeo- D que Leontio recentior, sed incertæ ætatis.

VII. Hermogenes.

Eulalium excepit *Hermogenes*, quem Basilius epistola 70. *beatissimum Cæsareæ episcopum* vocat, τῷ μακαριωτάτῳ ἐπισκόπῳ Ἑρμογένει Καισαρείας. Hunc epistola rursum 84. hostem è diametro exstitisse ait perversæ sententiæ Arii, τὸν κατὰ διάμετρον ἐχθρὸν τῆς Ἀρείου κακοδοξίας. Huic Eustathius ille Sebastenus, de quio mox dicebam, cum suis, Nicænæ fidei professionem primum obtulit, statim vero ab E ejusdem Hermogenis obitu Eusebio se Constantinopolitano, olim Nicomediensi dedidit. Ad Dominum igitur Hermogenes migraverat ante annum 341. quo Eusebius ille Arianorum princeps interiit: imo certe ante hunc annum 341. quo Hermogenis successor Dianœus Antiocheno Eusebiana factione celebri concilio interfuit, Athanasium proscripsit, & Gregorium Cappadocem Alexandrinæ ecclesiæ episcopum cum Eusebianis designavit.

VIII. Dianoeus.

Hermogeni itaque proxime successit *Dianœus*, qui anno 341. Eusebianorum synodo Antiochenæ aderat. Julius siquidem Papa illorum synodicæ respondens, præcipuosque iniqui hujus conventus episcopos memorans, primo loco Dianœum posuit. Ἰούλιος Διανοίῳ, Φλακίλλῳ, *Julius Dianæo*, (Cæsareæ) *Flacillo* (Antiocheno) *Narcisso* (Neroniadis) &c. Anno subinde 347. quo Sardicense concilium coactum est, Sardica ipse cum Arianis episcopis Philippopolim Thraciæ secessit, eorumque synodicæ, qua legitimum Sardicense concilium, ipsumque Julium Papam proscindebant, subscripsit. In subscriptionibus enim quæ Latinè supersunt, legitur *Dion à Cæsarea*, pro *Dianœus*. Anno 360. in altero Arianorum Constantinopolitano formulæ quoque subscripsit Ariminensi: quam ob causam Basilius Magnus, qui libro de Spiritu S. c. 29. se à Dianœo baptizatum prodit, eumque adeò impensè coluerat, communionem ejus abjecit; quam tamen subinde iterum iniit, quum ille morti proximus Dominum testem appellasset, se simplici animo subdolæ formulæ fidei consensisse, qua Nicænam violari doctrinam non putaret. Hæc Basilius perhibet epistola 86. qua Dianœum commendat, quippe quem ab ipso rationis usu, ceu virum nosset honestissimo aspectu, veneranda sanctaque gravitate insignem. Obiit Dianœus anno 362. inchoato.

IX. Eusebius.

Dianœo defuncto, Cæsariensi populo in varia primùm studia diviso, in *Eusebio* eligendo omnes demum consenserunt, viro optimo veræque Fidei tenace, sed sacris baptismi undis minime tincto. Hunc episcopi à quibus erat ordinatus, Cæsarea egressi, exauctorandum ducebant, ut pote qui plebis timore perculsi ejus electionem admiserant. Hos vero Gregorius senior Nazianzi antistes à consilio deterruit, ut narrat Theologus orat. 19. & 20. necnon epist. 30. Eusebius initio quidem Basilio magno satis æquus fuit, quem & presbyterum ordinavit: post vero erga illum iniquiorem se præbuit; quod in causa fuit cur vir sanctus loca Ponti deserta petierit. Verum Eusebius illum mutata sententia revocavit anno 366. quo Valens Imp. Cæsaream primitus venit, ut eam urbem ad Arianam hæresim traduceret. Sed Basilii consiliis Eusebius strenue morem gerens, Augusti conatus elisit. Post annos quatuor Christi 370. septimoque episcopatûs sui completo, vivere desiit. De eo legendus Gregorius Theologus orat. 10. & 20. Hunc Græci in Menæis colunt die 21. Junii, ad quem plura de eo congesserunt

doctiſſimi Bollandi Actorum SS. continuatores.

X. Basilius Magnus.

Gregorius Theologus per Gregorium parentem qui Cæſaream ad Euſebii ſucceſſorem eligendum cum epiſcopis aliis venerat, effecit, ut *Baſilius* nequidquam reluctans, in Cæſarienſem præſulem aſſumeretur, ipſo, ut videtur, anno 370. Quæ, tum privatus, tum ſubinde Pontifex Baſilius geſſerit, multis deſcripſerunt viri noſtra ætate ſpectatiſſimi. Gratulatoria exſtat S. Athanaſii de ejus ordinatione ad Palladium preſbyterum epiſtola. Cappadocia in plures provincias, vel tum primùm, vel jam olim ſub Conſtantino diviſâ, Anthimus Tyanorum, quæ ſecundæ metropolis erat, epiſcopus metropolitica jura in provinciæ illius eccleſias arripuit. Anno 379. Baſilius prima Januarii menſis die mortalem hanc æternâ vitâ commutavit.

XI. Helladius.

S. Baſilio ſuffectus eſt *Helladius,* qui poſt biennium Concilio generali quod Conſtantinopoli celebrabatur, interfuit, & inſequenti anno à Patribus qui ad ſynodum redierant, delegatus fuit, velut ſinceræ doctrinæ Chriſtianæ præſul, qui religionem per Cappadociæ Pontique provincias ab Arianis labefactatam reſtitueret: de quo legendi Socrates l. 5. cap. 3. & Theodoretus lib. quoque 5. cap. 8. Anno rurſum 394. adfuiſſe legitur ſynodo alteri Conſtantinopolitanæ, in qua acta judicataque cauſa eſt Agapii & Bagadii, qui de Boſtrenſi in Arabia ſede contendebant. Synodi hujus acta exſtant lib. 3. Juris Græco-Rom. In appendice lib. 1. S. Joannis Damaſceni de Imaginibus fragmentum habetur vitæ S. Baſilii Magni, quæ Helladii ſucceſſoris ejus nomine inſcribitur. Cæterum Helladius ſimultates nonnullas exercuit erga Gregorium Nyſſenum Sancti Baſilii fratrem, de quibus legenda Gregorii ad Flavianum Antiochenum epiſtola: ſed & Theologus infenſum illius adverſum ſe animum queritur epiſt. 225. Non omitttendum, Gerontium Diaconum, quem S. Ambroſius certis de cauſis Mediolani ſacro miniſterio abſtinere juſſerat, quum Conſtantinopolim Medicæ artis tractandæ gratia ſe recepiſſet, ab Helladio Nicomediæ creatum eſſe epiſcopum; quod argumento eſſe dixi, Bithyniam, cujus metropolis Nicomedia erat, Cæſarienſi primati obnoxiam tunc fuiſſe. Ultrà annum itaque 394. Cæſareæ epiſcopus ſedebat Helladius: quo autem obierit, incertum.

XII. Pharetrius.

Quo tempore Theophilus Alexandrinus A ſynodum illam habuit in Chalcedonis ſuburbio, quod Δρῦς, i. *Quercus* dicebatur, ad Joannem Chryſoſtomum Conſtantinopolitana ſede deturbandum, *Pharetrius Cæſareæ ad Argæum epiſcopus*, Φαρέτριος ὁ Καισαρείας τῆς πρὸς τῷ Ἀργαίῳ, ſive Cappadociæ metropolis antiſtes erat: qui *ſupra modum veluti larvas pueri formidans, è civitate ſua ne egreſſus quidem eſt; per literas vero adverſariis Joannis conſenſit*, epiſcopatum in ipſa gerens nullo probitatis ſenſu, ἀπειρόκαλος πρὸς τὴν προεδρίαν. Quinimò, quum poſt biennium B Chryſoſtomus Cucuſum relegatus, Cæſarea tranſiret, Pharetrius nequaquam illi obviam ivit, quin potius Seleucæ nobili matronæ, quæ eum domo exceperat, minas intorſit, ut illum è villa ſua procul abigeret. Hæc ſanctus Confeſſor Olympiadi viduæ ſcribebat epiſt. 14. & 204.

XIII. Archelaus.

Pharetrio utique proximo ſucceſſit *Archelaus*, qui, Photio in Bibliotheca cod. 52. teſte, ante Alypium, de quo mox dicetur, Maſſa- C lianorum prava dogmata viginti quatuor anathematiſmis confixit. ἔγραψε καὶ Ἀρχέλαος ὁ Καισαρείας τῆς Καππαδοκίας ἐπίσκοπος ἀναθεματισμοὺς εἴκοσι τέσσαρας κατὰ τῶν κεφαλαίων αὐτῶν. Non certe Firmum Archelaus excepit. Sed Thalaſſius.

XIV. Firmus.

In Epheſina ſynodo priore potiores partes habuit *Firmus* Cæſareæ in Cappadocia epiſcopus, editiſque in ea adverſus Neſtorium decretis ſubſcripſit: Φιρμὸς ἐπίσκοπος Καισα- D ρείας Καππαδοκίας, *Firmus epiſcopus Cæſareæ Cappadociæ*. Idcirco in Tarſenſi Orientalium ſynodo Joanne Antiocheno præſide proſcribi meruit; at irrito prorſus conatu ſententiaque: de qua legendæ epiſtolæ 136. & 174. aliæque excerptæ ex Tragœdia Irenæi Tyrii, quas Lupus Auguſtinianus, ac Stephanus Baluzius typis evulgarunt. Infenſo inprimis erga illum animo Orientales erant, quod a Concilio Epheſino delegatus ipſe cum aliis ſex fuerat, ut Fidei definitæ cauſam apud Theodoſium Imp. ageret. Epiſt. 38. ejuſdem Tragœdiæ Joannes Antiochenus Ancyræ præfe- E cto Antiocho ſcribens, querebatur, Firmum « & Theodotum Ancyranum, non iis ſatiatos « quæ Epheſi & Chalcedone egerant, nec excitatis « Conſtantinopoli ſeditionibus contra Fidem « (ſic Neſtorii vindices loquebantur) ſed « & tentare rurſum cuncta trahere. « Sic quidem Joannes tunc adverſus Firmum, quem ante ſynodum Epheſinam laudibus extulerat, ſcripta ad eum epiſtola quæ Latinè exſtat in illa collectione ex Tragœdia Irenæi cap. 4. Ea

ECCLESIA CÆSAREÆ.

ſignificabat, ejus ſe amicitiam coluiſſe dum Conſtantinopoli ambo verſarentur. *Affectus quidem, qui ſecundum Deum eſt,* inquit, *tempore neſcit exſtingui, nec poteſt quocumque modo corrumpi. Unde religioſitatis tuæ memores permanemus, qui parvo quidem tempore in Conſtantinopoli tuis amicitiis fruebamur; virtutis vero tuæ experimenta tempore prolixiore ſumſimus. Propter alios enim in cohabitationibus es ſuavis, & videntibus te humilitatem cum ſuavitate præſtas; dum verò humilitatem ſectaris, excelſas habes cogitationes.* Sedatos ſubdit Conſtantinopoli motus, qui exorti erant Neſtorii causâ, non quod pœnitentia vel correctio ſit ſequuta, ſed quia ſana intelligentia nomen *Deigenitricis* admiſit. Hortatur ut Neſtorii patrocinium ſuſcipiat *contra capitula quædam, quæ circumferuntur in Regia civitate, nempe ad læſionem communis Eccleſiæ Fidei, tamquam quæ religioſiſſimi ſint epiſcopi Cyrilli; Quæ quidem,* ait, *ejus eſſe non credo, eo quod ipſa compoſitio ab ejus diſcrepet charactere.* Quocirca ſuadet, *ut ſi hæc capitula in Pontica diœceſi ſint vulgata, dignetur hæc ipſa inſpicere, & cognita incongruitate quæ in eis eſt, abjuret ea apud omnes Deo amiciſſimos epiſcopos qui eadem ſentiunt, innominato auctore ſeu patre verborum, quem neque novimus, neque credimus, ſi diſcamus.* Firmi Cæſarienſis epiſtolas multas Antonius Muratorius Patavii edidit, quarum 87. Cyrillo epiſcopo (Alexandrino utique) data, fatetur, ſibi quidem minimè gratas fuiſſe moras quas Epheſi traxerat, ut ab iis ſe quantocius liberum eſſe cuperet, tunc vero jam illas amare cogi quo erga ſanctitatem ejus amore teneretur, νυῦ δὲ ἐρᾷν αὐτὴν πόθῳ τῆς σῆς ὁσιότητος ἠνάγκασμαι. Atqui harum epiſtolarum lectione comperimus, Firmum, ut literarum Chriſtianarum, ita & ſæcularium ſcientia clarum fuiſſe. Cap. 45. collectionis ex Tragædia Irenæi narrantur quæ Tyanis in ſecundæ Cappadociæ metropoli acciderant, quum illuc perrexiſſet ad epiſcopum alterum pro Eutherio Neſtoriano conſtituendum. Cyrillus Alexandrinus anno 438. ad eum ſcripſit de Theodori Mopſueſtani libris; quæ quidem epiſtola lecta eſt in Quinta ſynodo generali. Obiit Firmus anno 438. quod quidem mox palam fiet.

XV. THALASSIUS.

Firmo Cæſareæ epiſcopo mortuo, quum Theodoſius junior Imp. decimum-ſeptimum conſulatum gereret, Cæſarienſes cives, ait Socrates lib. 7. cap. ult. Conſtantinopolim epiſcopum poſtulatum venerunt. περὶ δὲ τὴν ἑπτακαιδεκάτην ὑπατείαν τοῦ βασιλέως, Φίρμου τοῦ ἐπισκόπου τῆς ἐν Καππαδοκίᾳ Καισαρείας τελευτήσαντος, παρῆσαν οἱ Καισαρεῖς ζητοῦντες τὸν ἐπίσκοπον. Proclus qui Regiæ urbis eccleſiam gerebat, Sabbato quodam luſtratis quotquot de Senatu in eccleſia aderant, *Thalaſſium*; cui Imperator Theodoſius Illyrici quondam regionum præfecturam crediderat, Cæſareæ epiſcopum nihil cunctatus pronuntiavit, quam ille Eccleſiæ dignitatem lubens admiſit. Anno 448. dum Conſtantinopoli ageret, Eutyches hæreticus à S. Flaviano qui Proclo ſucceſſerat, in frequenti ſynodo damnatus, ab Imperatore obtinuit, ut ſua cauſa in conventu altero epiſcoporum, cui ille præſideret, denuò tractaretur, in quo hæreſis iterum convictus fuit 6. Id Aprilis. Inſequenti autem anno ad Epheſinam ſynodum ſecundam venit, ac Dioſcori nutibus obtemperans, Eutychem abſolvit, Flavianum & Euſebium Dorylæi damnavit. Quod malè geſtum emendavit poſt biennium in concilio Chalcedonenſi, cujus judiciis & definitionibus ſubſcripſit. Anno 452. monachis quibuſdam cum Georgio factionis ſuæ duce, hæreſis Euthychianæ propagandæ cauſa Cappadociam ſecundam vel minorem potius Armeniam excurrentibus, Leo Papa ad Julianum Coënſem ſuum apud Marcianum Imp. Apocriſiarium, ſeu Reſponſalem ſcripſit, ut à Principe obtineret illorum motus comprimi; mirari vero ſe Thalaſſium Georgio ejuſque aſſeclis permiſiſſe ut impune ſcriberent & prædicarent. Quos rurſum cohibendos Theodoreto Cyrrhenſi datis literis ſignificavit. Quo anno Thalaſſius obierit, mihi in incerto eſt.

XVI. ALYPIUS.

Anno 458. Cæſareæ epiſcopus ſedebat *Alypius*, cui ut aliis Orientalis tractûs metropolitis, literas ſacras Leo Auguſtus dedit de nece S. Proterii Alexandrini; ſynodi quoque Cappadociæ primæ ſententiam rogans de celebrato Chalcedone Concilio: cui Alypius reſcripſit epiſtolam ſynodalem, quæ exſtat in Collectione Epiphanii Scholaſtici. Ipſe quoque ſerpentem adhuc in Cappadocia Maſſalianorum nequitiam compeſcuit, proſcripto eorum duce Lampetio, quem incautus preſbyterum ordinaverat. Quod in ſuæ diœceſis Ponticæ ſynodo præſtitit, agente Hormiſe Cumanorum præſule, & Gerontio preſbytero actore, ut ſtrictim Photius refert in Bibliotheca cod. 52.

XVII. ANDREAS.

Commentarium in Apocalypſim Arethas Cæſarienſis in Cappadocia epiſcopus edidit, ex antiquioris deceſſoris ſui, *Andreæ* nomine, ſcriptis concinnatum, quod ipſo operis titulo ſignificatur: ἐκ τῶν Ἀνδρέα τοῦ μακαριωτάτου ἀρχιεπισκόπου Καισαρείας Καππαδοκίας,

ECCLESIA CÆSAREÆ.

εἰς τὴν ἀποκάλυψιν πεπονημένων θεαρέσεως, σύνοψις σχολαστικὴ παρατεθεῖσα ὑπὸ Ἀρέθα ἀναξίου ἐπισκόπου Καισαρείας Καππαδοκίας. *Expositio brevis ex commentariis quos Andreas beatissimus Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopus elaboravit in Apocalypsim, adornata ab Aretha indigno Cæsareæ episcopo.* Atqui Arethas Andreæ sensum potius quam voces descripserit, quando in ea expositione nonnulla loquitur quæ sæculi octavi vel noni scriptorem indicant: alia tamen sunt quæ sæculum quintum vel ad summum sextum. Nimirum cap. 63. legimus Gog & Magog appellari Scythicas gentes, Gotthorum agmen Asiæ vicinum, Thaïfalos & Gotthosgræcos, qui voce communi *Hunni* dicebantur, Romanis regionibus impendentes, sed quos divina manus hactenus cohibuerat. Atqui, Comite Marcellino teste, anno 25. Anastasii, Christi 515. *Florentio & Anthemio Coss. Hunni, Armenia transmissa, totam Cappadociam devastantes, usque Lycaoniam perrexerunt;* ut demum carceres suos Hunnicæ gentes illæ ruperint, postquam commentarium suum Andreas absolverat. In catalogo librorum Bibliothecæ Patriarchæ Constantinopolitani, qui Argentorati anno 1577. typis editus est, legitur: *Sanctissimi metropolitæ Cæsareæ Cappadociæ Domini Andreæ explicatio in visiones Danielis prophetæ.*

XVIII. Elias.

XIX. Soterichus.

Elias & Soterichus Anastasio Imp. Cæsareæ ecclesiam gesserunt: Eliam verò Sotericho præivisse comperimus ex Justiniani Imp. ad Hormisdam Papam epistola; in qua ait, oportere ut *hic idem Elias vir reverendissimus episcopus in quiete permaneat. Verum postquam successor ejus vitam deposuerit, tum demum ad sedem revertatur; quia destitit adhibendis prius omnibus quæ ad impetrandam reditionis licentiam sacratissimarum regularum postulant definita, interponendo etiam consensu, tam sedis Apostolicæ, quam florentissimæ hujus urbis, necnon & aliarum, quarum hoc interest.* Pauca ista de Elia, nec plura reperi.

SOTERICHUS.

Theophanes Soterichum à Macedonio Constantinopolitano ordinatum prodit, ὑπὸ Μακεδονίου χειροτονούμενος, & Chalcedonensem Fidem amplo libello dato amplexum esse, quam postmodum, Macedonio factus inimicus, ejuravit. Macedonius verò episcopatum iniit anno 496. & 511. in exsilium actus est. At Soterichus, inita cum Xenaia seu Philoxeno impurissimo Hierapolis in Syria Euphratensi præsule societate, multa in Oriente patravit adversus Fidem in Chalcedonensi synodo

A sancitam. Anno 512. Anastasius Imp. synodum Sidone in Phœnicia haberi, eique præesse Soterichum Xenaiamque voluit, qui Flavianum Antiochenum exauctorarent, nisi Chalcedonensem synodum abnegaret; quod quia Soterichus pro Principis voto confecit, suffecto in Flaviani locum Severo hæretico, idcirco meruit à Joanne Hierosolymitano, ingenti adstante monachorum cœtu, diris devoveri. Quod Cyrillus præsertim Scythopolitanus narrat in vita Sancti Sabæ n. 56. Severi illius Antiochenæ sedis tyranni aliquo B epistolæ ad eumdem Soterichum in Catenis Græcis laudantur. Anastasio defuncto, ubi Justinianus cum Justino patruo suo rempublicam gerere cœpit, hunc Hormisdas Papa Cæsarea pelli postulavit. Hunc, inquam; nam alterum à Soterícho fuisse non puto. Rem verò patratu facilem non esse Justinianus respondit: *Nam & in præsenti,* inquit, *pontificem Cæsariensis urbis favor tuetur omnium, quem ob instituta pulcherrima, non solum incolæ retinendum arbitrantur, sed prope cunctus Oriens veneratur; & qui prior in eo-* C *dem fuit sacerdotio, injuria esse remotum queritur. Visum est itaque convenire, ut nec faciamus impetum contra infinitarum vota multitudinum, aut homo nobilis sede dejiciatur, qua se dignum exhibet.* Quæ proinde laudes significant, Soterichum non sic tunc alienum fuisse à Fide catholica, ejurandaque hæresi. Cæterum addit, *Anteriori* (Eliæ scilicet) spem non adimi repetendi loci quo se sine causa ejectum asserebat, *sed in re dubia temperatiùs agendum; ita ut interim* (Elias) *in quiete permaneat. Verum postquam successor ejus vitam* D *deposuerit, tum demum ad sedem revertatur,* &c. ut supra. Data epistola est 7. *Id. Jun. Vitaliano & Rustico Coss.* seu anno Christi 520. Quæ significant prorsus, Soterichum provectæ tunc ætatis fuisse, ut Eliæ spes non deesset sedis suæ brevi recuperandæ. Verum post annos sexdecim, seu Christi 536. Soterichus Cæsareæ episcopus adhuc sedebat, qui ad concilium Mennæ patriarchæ Constantinopolitani Stephanum diaconum Apocrisiarium suum delegavit, suas in eo vices acturum. Στεφάνου διακόνου καὶ ἀποκρισιαρίου Σωτηρίχου E τοῦ ὁσιωτάτου ἐπισκόπου Καισαρείας τῆς μητροπόλεως Καππαδοκῶν ἐπαρχίας. In Latinis codicibus act. 4. legitur: *Soterichus Cæsareæ Cappadociæ per legatum.* Non omittam act. 5. in qua de Severo Antiocheno & Paulo Apameensi proscribendis actum est, nullam Soterichi mentionem factam; quod certo argumento est eum ad saniorem mentem rediisse.

XX. Theodorus.

Menna urbis Regiæ archiepiscopo *Theodorus*

dorus cognomento *Aſcidas* Cæſareæ Cappadociæ antiſtes ſedit, utique Soterichi proximus ſucceſſor. Nam in Conſtituto Vigilii Papæ de Tribus capitulis, Fidei catholicæ profeſſio præmittitur, cui poſt Mennam ſubſcriptus legitur. Hanc nempe confeſſionem Mennas & Theodorus dederunt, poſtquam abſoluti erant à cenſura quam Romanus ille Pontifex in eos tulerat, *XIX. Kal. Septemb. Imp. Juſtiniani 25.* anno poſt conſulatum Baſilii II. ſeu Chriſti 551. Sententia porrò Vigilii in Mennam & Theodorum Latine exſtat tom. 5. Concil. edit. Labb. col. 334. Initio Pontifex ait: *Quoniam tu, Theodore Cæſareæ Cappadociæ civitatis epiſcope, qui hactenus ab ordinationis tuæ tempore unius anni ſpatio in civitate cujus gubernacula ſuſceperas, non paſſus reſidere, ſed auctoritate nominis epiſcopalis abuſus, univerſali Eccleſiæ generare ſcandala non ceſſas, &c.* Hic nimirum Origenis placitis addictior, ubi damnatos vidit doctoris ſui errores, varios per Orientem motus excitavit, ut Tria illa capitula damnarentur; illiſque adeò accenſitus eſt, qui *Iſochriſti*, Ἰσόχριστοι, illo ævo audiebant, ac ſi ſingulos homines beatos Chriſto pares poſt generalem reſurrectionem futuros jactarent. Nihilominus magna apud Imperatorem Juſtinianum, ejuſque conjugem Theodoram auctoritate Theodorus valebat, per quos effecit ut Quinta ſynodus ad Tria capitula proſcribenda cogeretur, cujus & decretis ſubſcripſit. Epiſcopatum geſſit ad annum uſque 558. quo Conſtantinopoli interiit, menſe Januario.

XXI. Theocritus.

Joannes Malalas in Chronico, ubi *de Juſtiniano Imp.* Theodorum Cæſareæ epiſcopum fato functum fert *Ind. VI.* ante menſem Februarium, eique ſucceſſorem datum *Theocritum*, ἐν αὐταῖς τ ἡμέραις τελευτᾷ ὁ ἐπίσκοπος Καισαρείας Καππαδοκίας Θεόδωρος ἐν Βυζαντίῳ, καὶ ἐγένετο ἀντ᾽ αὐτοῦ Θεόκριτος. De quo Theocrito nihil aliàs.

XXII. Philalethes.

In Sexta ſynodo generali ſedebat, ſubſcripſitque *Philalethes epiſcopus Cæſareæ metropolis primæ Cappadociæ, & exarchus Ponticæ diœceſis:* Φιλαλήθης ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Καισαρέων μητροπόλεως τῆς πρώτης τῆς Καππαδοκῶν ἐπαρχίας, καὶ ἔξαρχος τῆς Ποντικῆς διοικήσεως.

XXIII. Cyriacus.

Canonibus ſynodi quæ *Quiniſexta*, Πενθέκτη, appellatur, ſubſcriptus legitur. Κυριακὸς ἀνάξιος ἐπίσκοπος τῆς Καισαρέων μητροπόλεως τῆς πρώτης Καππαδοκῶν ἐπαρχίας. *Cyriacus indignus epiſcopus Cæſareæ metropolis primæ Cappadocum provinciæ.*

XXIV. Agapius.

Concilio ſeptimo generali adfuit, & act. ult. ad hunc modum ſubſcripſit. Ἀγάπιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Καισαρείας, τοῖς πατρῴοις δόγμασιν ἐξακολουθῶν, καὶ τῇ παραδόσει τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, ὁρίσας ὑπέγραψα. *Agapius indignus epiſcopus Cæſareæ, paternis dogmatis & catholicæ Eccleſiæ traditioni inſiſtens, definiens ſubſcripſi.*

XXV. Paulus.

Ignatio CP. in exſilium ejecto, Photius ſedis ejus invaſor, *Paulum* Cæſareæ præſulem creavit, qui agnita ejus impietate, in altera ejus ſynodo quæ contra Nicolaum Papam cogebatur, ab eo defecit. Id quod S. Ignatius, poſtquam eccleſiæ ſuæ redditus fuit, Hadriano Papæ II. ſignificavit epiſtola quæ lecta eſt act. 3. Octavi concilii generalis. *Porrò manus impoſitionem*, inquit, *ab eo accepit Cæſareæ archiepiſcopus reverendiſſimus & perſeverantiſſimus Paulus, poſt concilium vanitatis quod contra humilitatem noſtram tenuit prius. In ſecunda vero ſynodo reproborum, ut dicit Propheta, viriliter valde propugnans veritatem, & triumphans & divulgans eorum interſectricem mentem, & nullo tempore vel modo contra humilitatem noſtram ſubſcribens; ſed ob idipſum multa paſſus, & multas neceſſitates ſuſtinens, alio quodam meliori affectu habebitur à fraternitate veſtra.* Ignatio reſcripſit Hadrianus epiſtolam quæ in eadem actione lecta eſt. *Cæterum*, aït, *de Paulo Cæſarienſi, de quo ſermo à te multus habitus eſt, interim quod de cæteris qui à Photio promoti ſunt, decrevimus, obſervandum jure ſtatuimus. Præterea perſequutionum tolerantia & palæſtræ certaminum, quas adverſus tyrannum vel mœchum pro veritate multipliciter meruiſſe teſtaris, ſuam habent profecto mercedem, & immarceſſibilem præſtolantur à cœleſtium bonorum largitore coronam. Sanè cætera Eccleſiæ beneficia largiſſime conſequatur, & honore competenti, tam apud ſanctimoniam tuam, quam apud omnes mercede perfruatur.* Voluit itaque Hadrianus legem hanc ſtare, qua ſanxerat, *Gregorium Syracuſanum & Photium tyrannum, & quos Photius in gradu quolibet ordinaſſe putatus eſt, ab epiſcoporum numero vel dignitate quam uſurpavit, aut fictè dedit meritò ſequeſtrando.* Hoc ſolum indulgebat, ut Paulus ad alia quæcumque beneficia aut Eccleſiæ munia promoveri poſſet. Quocirca opinatio mea eſt, nec vana prorſus, Paulum hunc alium non eſſe à Paulo Chartophylace, de quo Ignatius, dum abſolutâ ſynodo Octavâ Hadriano iterum ſcribebat: *Pro tribus capitulis quæ nec omnes Patriarchales ſedes cum tota ſynodo auſæ ſunt definire, ſed horum diſpoſitionem per Patriarcham Ignatium à ſede Apoſtolicâ cenſuerunt humiliter poſtulare:* mox adjecit: *De*

Paulo Chartophylace, ut, si possibilis est aliqua dispensationis ratio, recipiat dignitatem episcopatus, quemadmodum & antea literis nostris efflagitavimus. Quamobrem Paulus, aut Chartophylax ante fuerat, quam à Photio ad Cæsariensem sedem promoveretur, aut ea dignitate post destitutionem suam auctus erat ab Ignatio. Sed Hadrianus non sic jam erga Ignatium affectus erat, ut ejus jam precibus annueret, ex quo ablatam sibi à Byzantinis novit in Bulgarorum regiones jurisdictionem. Exstat Photii epist. 175. injuriarum plena, quæ inscribitur, Παύλῳ γεγονότι ἀρχιεπισκόπῳ Καισαρείας, καὶ ἀποστάτῃ, *Paulo archiepiscopo quondam Cæsareæ, & rebelli.*

XXVI. Euschemon.

Paulo per Photium exauctorato, suffectus *Euschemon* fuit, qui proinde post abjectum Photium episcopatu amoveri meruit. Ad eum aliquot ejusdem Photii exstant epistolæ, quarum aliquibus veterator illi gratulatur, quod probra & contumelias sui causa passus sit; puta 125. 173. & 188. Actione VI. Octavæ synodi metropolita Cæsareæ, ipseque adeo Euschemon Basilium Imp. his verbis est alloquutus: *Domine Imperator, novimus majestatis tuæ patientiam, rogamusque, ut eamdem nobis exhibeas, quo nostram sine interpellatione causam defendamus. Speravimus nos, & literas & colloquia hujus Concilii vana ostenderes.* Verum repulsam quæ par erat, ille passus est.

XXVII. Procopius.

Synodi illius quæ, Photio restituto, sub Joanne Papa VIII. habita fertur, magna pars fuisse legitur *Procopius Cæsariensis*, ubique passim pro Photio interloquutus. Subscripsit vero, Προκόπιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Καισαρείας Καππαδοκίας, κατὰ πάντα συμφωνῶν τῇ ἁγίᾳ ταύτῃ καὶ οἰκουμενικῇ συνόδῳ, ἐπὶ τῇ ἀποδοχῇ Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου, καὶ ἀποβολῇ πάντων τῶν κατ᾽ αὐτοῦ γραφέντων καὶ λαληθέντων. *Procopius, misericordia Dei, episcopus Cæsareæ Cappadociæ, per omnia consentiens huic sanctæ & œcumenicæ synodo, tum susceptioni Photii sanctissimi Patriarchæ, tum abrogationi omnium quæ contra ipsum scripta dictave fuerunt.*

XXVIII. Theophanes I.

Photius Constantinopolitanæ sedi dejectus quum esset, in vetusta charta literis Ægyptiacis nescio quam narrationem descripsit, qua Basilii Imp. genus à Tiridate Armeniæ rege derivatum fingebat; quam & in Bibliotheca Imperatoria reposuit, consilii sui conscio *Theophane* clerico, qui commentitium hunc libellum opportuno captato tempore Principi ostendit: neminem vero literas illas posse legere præter Photium subdidit. Quocirca Photius hoc pacto in aulam vocatus, lecta charta quam ipse subjecerat, Basilii benevolentiam sibi conciliavit, ac recuperata post Ignatii obitum Byzantina sede, Theophanem Cæsariense sede remuneravit. ὕστερον δὲ Καισαρείας Καππαδοκίας ἐπίσκοπος γεγονώς· ἆθλον δηλαδὴ τοῦτον τῆς κακοτεχνίας λαβών. Narrat Palæstrius monachus apud Georgium Metochitam in Ecthesi historica & canonica Octavæ synodi, Gregorium Syracusanum, qui toties ab Ecclesia diris devotus fuit, moribundo ore retulisse sacerdoti cui peccata sua confitebatur, se illa omnia declarasse quæ Photius unà cum Theophane commentus erat circa vocem *Beclas*, quâ fabula Basilii ex Tiridate rege progeniti efferebatur; sacerdotem verò confessionis exceptorem ea detulisse Ignatio, qui hunc sacerdotii gradu amovit, quod rem sola confessione sacra acceptam aperuisset. Ἔλεγε γὰρ τὸν πνευματικὸν πατέρα σιωπὴν ὀφείλειν τοῖς ὁμολογουμένοις, ἀλλὰ καὶ πάντας πρὸς οὓς τὰ ὁμολογηθέντα εἰσενεχθῶσιν. ἄῤῥητον γὰρ καὶ ἀπόῤῥητον πᾶν ὅ, τι ἐν τῇ μετανοίᾳ εἰς κρίσιν ἱερέως εἰσέρχεται. *Aiebat enim confessarium patrem silentio premere debere quæ sibi confessione aperiuntur, quin & alios omnes ad quos forte illa pervenerint. Non enim efferre licere, sed tacendum prorsus, quidquid in Pœnitentia ad sacerdotis judicium fertur.* Theophanes autem, Photio iterum à Leone Imp. amandato, Cæsariensem nihilominus sedem tenuit, annoque 886. Stephanum Imperatoris fratrem patriarcham ordinavit, quum nullus tunc Heracleæ Thraciæ pontifex esset. De quo legendus Balsamon in canonem XII. Chalcedonensem. Στέφανος πατριάρχης χειροτονηθεὶς παρὰ Θεοφάνους μητροπολίτου Καισαρείας. Quia nimirum Cæsariensis præsul πρωτοθρόνου *Protothroni* Constantinopolitanæ sedis dignitate clarus erat, ut Leo Grammaticus, Joannes Scylitzes, Cedrenus & alii Græci declarant, ὑπὸ Θεοφάνους χειροτονηθέντα πρωτοθρόνου.

XXIX. Aretas I.

Proximus, ut conjicio, Theophanis successor *Aretas* fuit, Cæsariensis ille metropolita, qui Andreæ sui olim decessoris, aliorumque Doctorum in Apocalypsim expositiones in breviorem synopsim compegit, ut fert titulus quem in *Andrea* descripsi. Commentarii hujus c. 76. Aretas (nec enim Andreas) se eo tempore vivere significat, quo Saracenici Imperii caput Babylon erat. Quod quidem fieri cœpit sub Chalifis Abbasidis, quorum secundus *Almansor* dictus, anno Christi 762. Bagdadum condidit, haud procul ab eo loco in quo Babylon olim exstiterat, ad ripam tamen Tigridis fluvii dexteram.

Scilicet ad hæc Joannis verba cap. 13. v. 2. A *Et beſtia quam vidi ſimilis erat pardo . . . . & os ejus ſicut leonis*, hæc habet: *Cæterum per os leonis deſignatur regnum Babyloniorum*, ἣν ἄν τις ἀπαραλογίστως τὴν τῶν Σαρακηνῶν ἐκδέξεται, καθότι καὶ ἐν Βαβυλῶνι νῦν ἐστι τὸ ἀρχεῖον αὐτῶν, *quod non abſurde quis de Saracenorum imperio acceperit, quorum Regia nunc Babylon eſt.* Metropolis itaque Saracenici regii Bagdadum ſeu Babylon fuit ad annum uſque Hegiræ 322. Chriſti 933. quo, Moctadiro Chalifa ad ordinem redacto, Imperium illud omninò cecidit. Quod verò B Aretam attinet, ejus ætas diſertè indicatur ad calcem codicis Regii 2271. membranacei, quo Clementis Alexandrini, Juſtini Martyris, aliorumque opera nonnulla continentur. Ibi enim nota hæc chronologica legitur: Ἐγράφη χειρὶ Βαάνους νοταρίου Ἀρέθα ἀρχιεπισκόπου Καισαρείας Καππαδοκίας, ἔτει κοσμου ϛκβ´. *Scriptus eſt manu Baanis notarii Aretæ archiepiſcopi Cæſareæ Cappadociæ, anno mundi 6428.* ſeu Chriſti 914.

XXX. Theophanes II.

Imperante Byzantinis Conſtantino VIII. Porphyrogenneto cum Romano Lacapeno, Tryphon à Romano creatus Patriarcha, eo conſilio ut ſede cederet, ubi Theophylactus ejus filius ſtatutam eccleſiæ regulis ætatem attigiſſet. Subinde vero Tryphone promiſſum negante, *Theophanes* Cæſareæ epiſcopus, cui *Chœrino*, ſive *Suillo* cognomen, ὁ Καισαρείας Θεοφάνης, ὃν καὶ Χοιρινὸν ἐκάλουν, homo nugax, Imperatorem cunctantem & impotentia mœſtum cernens, aſtu egit, ut in pura charta Tryphon nudum nomen ſcriberet D ſuum, *Trypho Dei miſeratione archiepiſcopus Conſtantinopolis novæ Romæ & Conſtantinopolis Patriarcha;* quam per Theophanem Protothronum Cæſareæ archiepiſcopum Imperatori miſit, ἐπέμφθη δὲ διὰ τοῦ πρωτοθρόνου τῷ βασιλεῖ. Hac Romanus accepta, chartam alteram attexuit, qua ferebatur Tryphonem indignum ſe epiſcopatu confiteri, & ſolio cui vellet cedere. Tum Patriarcha Protothroni fraudem accuſans, ſede nihilominus ejectus eſt; quod Scylitzes, Cedrenuſque & alii Byzantini ſcriptores contigiſſe ferunt an- E no 931. inchoato, Indict. II. Apud Lipomanum tom. 3. Latine exſtat Theophanis archiepiſcopi Cæſareæ oratio in Euthymium nuperum Patriarcham, qui anno 911. obiit: cui etiam tribuenda venit oratio altera in ſanctos martyres Menam, Hermogenem & Eugraphum, quæ in Regio codice 1831. illius circiter ætatis, habetur, τοῦ μακαριωτάτου Θεοφανίου ἀρχιεπισκόπου Καισαρείας, *Beatiſſimi Theophanii archiepiſcopi Cæſareæ.*

XXXI. Andreas II.

Doſitheus Patriarcha Hieroſolymitanus lib. 7. de Patriarch. Hieroſol cap. 18. *Andream* Cæſareæ archiepiſcopum, Theophanûs Auguſtæ æqualem facit, καὶ ὁ Καισαρείας Ἀνδρέας σύγχρονος ὢν τῆς Θεοφανοῦς. Ejus verò auctoritate oſtendit, monachis minime licere carnibus veſci. Theophanûm Imperatricem aliam non eſſe puto, niſi Romani junioris Imp. uxorem, Baſilii & Conſtantini Augg. matrem, quæ ſæculo decimo medio claruit.

XXXII. Basilius II.

Anno mundi 6453. Chriſti 945. Conſtantinus Porphyrogennetus Imp. Stephanum & Conſtantinum Romani Lacapeni filios res novas contra ſe molientes, palatio cum ſimul pranderent, extrahi juſſit, ac Stephanum in Panhormum inſulam deportari, Conſtantinum vero in Terebinthum, ubi clerici fieri juſſi ſunt *per Baſilium Cæſareæ*, διὰ βασιλείου Καισαρείας, *& Anaſtaſium Heracleæ:* quod narrant Scylitzes & alii. Anno C 956. Polyeuctus Byzantinus Patriarcha deſignatus, ab archiepiſcopo Cæſareæ Baſilio, non à Nicephoro Heracleæ, ut leges ferebant, ordinatus eſt. Qui utique Baſilius ille ipſe eſt, qui propter Baſilium Magnum deceſſorem olim ſuum *Minimus* appellari voluit, ἐλάχιστος, cujus throni nominiſque conſors eſſet, κοινωνὸς καὶ ὀνόματος καὶ θρόνου, quique commentaria ſcripſit in Gregorii Nazianzeni opera, Conſtantinoque Imp. nuncupavit, præmiſſa ad illum epiſtola, Βασίλειος ἐλάχιστος, ὁ Καισαρείας Καππαδοκίας, τῷ φιλοχρίστῳ δεσπότῃ αὐτοκράτορι Κωνσταντίνῳ.

XXXIII. Aretas II.

Apud Lipomanum lib. 3. exſtat oratio funebris *Aretæ* Cæſarienſis habita in tranſlatione corporis Euthymii Patriarchæ Conſtantinopolitani, Polyeucto patriarchatum gerente, adeoque poſt annum 956. Quamobrem alius omninò eſt ab Areta auctore commentarii in Apocalypſim.

XXXIV. * * *

Anno mundi 6574. Indict. IV. menſis Aprilis die 26. ſeu anno Domini 1066. Joannes Xiphilinus Patriarcha ſynodicum edictum dedit de ſponſalibus matrimonio præmittendis. Aderat *Cæſarienſis* metropolita τοῦ Καισαρείας lib. 3. Jur. Græco-Rom. pag. 211. Alterum idem Patriarcha dedit menſis Martii 19. ann. 6575. ſeu Chriſti 1067. quo ſancitum eſt ſponſalia ſolvi, ubi cognationis lex impedimentum attulerit. Aderat quoque *Cæſarienſis*, τοῦ Καισαρείας. Ibid. pag. 212.

ECCLESIA CÆSAREÆ.

XXXV. * * *

Pag. 562. Bibliothecæ Cluniacenſis, narratio exſtat, *Qualiter Tabula S. Baſilii continens in ſe magnam Dominici ligni portionem, Cluniacum delata fuit tempore Pontii Abbatis.* Tabula primum Conſtantinopolim tranſvecta dicitur à Meſopotamio archidiacono Cæſarienſi, metropolitæ nuper defuncti nepote, ac ſubinde dono data Mauritio Bracarenſi archiepiſcopo, qui Alexii Comneni Imp. benevolentiam ſibi conciliarat. *Ante hos annos, tempore ſcilicet Michaëlis Conſtantinopolitani Imper. cui ſcilicet ſucceſſit Alexius, quo tempore homo Dei Domnus & venerabilis Hugo Abbas agmen iſtud gregis Dei paſcebat; Turci gens execrabilis & profana, longeque à Deo permiſſione Dei de Perſide & de illis circa regionibus ebullientes, ſicut jam pene univerſo orbe urbs nobiliſſima eſt, impetu facto occupaverunt Syriam, atque opimatiſſimam civitatem Antiochiam, & Romaniam pene totam, Chriſtianum populum ſine remedio affligentes, abſque numero perimentes & evertentes eccleſias, Dei ſacraria conculcantes, quidquid de pignoribus ſanctorum, quidquid de ſacris vaſis vel ornatis Eccleſiæ in eorum manus venire poterat, abſque cunctatione penitus diſperdentes. Sed paucis ante diebus, quam gens hæc ferociſſima Cæſaream Cappadociæ illo ſuo impetu occupaſſet, Archiepiſcopus, qui tunc illi eccleſiæ vel provinciæ præerat, ex voluntate Dei quievit in pace. Vir Archidiaconus autem ille penes quem eccleſiæ deſolatæ cura remanſit, providus & honeſtus, Meſopotamius nomine, nepos epiſcopi defuncti fuerat, barbarorum terrore percuſſus, quum nullam contra eos defenſionem ſperare poſſet, quæque ſanctiora & cariora reperit in theſauris eccleſiæ, ſecum Conſtantinopolim detulit. Inter quæ ornamentum quoddam ex gemmis & lapidibus, videlicet quos Smaldos (Smaragdos) vocant, pretioſiſſimumque magna ligni Dominici portione ſacratiſſimum, quaſi ad formam libri textus Evangelii factam. Quod opus, ut fertur, magnus ille & ſanctus Baſilius Cæſareæ Cappadociæ olim archiepiſcopus, multa diligentia, ſummoque ſtudio compoſuit, & quoad vixit in magna habuit reverentia. Poſt quem ejus ſucceſſores archiepiſcopi pari reverentia habuerunt, uſque ad illum quem ſupra diximus paulo antè barbarorum irruptionem defunctum; à quo ipſe Meſopotamius nepos ejus illud iſte haberet. Cum quo, ut jam dictum eſt, Regiam urbem ingreſſus, à prædicto Imperatore tam honorifice ſuſceptus eſt, &c.* Michaël Ducas is erat Imperator, cujus ſucceſſor Alexius Comnenus fuit. Paucis monebo, Meſopotamium hunc perperam à quibuſdam accipi pro Georgio Meſopotamita Duce, qui in Alexii Imp. caſtris meruit.

A

XXXVI. Stephanus.

Inter Alexii Comneni Imp. Novellas, prima & ſecunda ſunt de cauſa & lite inter Annam filiam fratris Baſilii epiſcopi Nicomedienſis, *Stephanumque* Cæſareæ epiſcopum, ac Michaëlem Proto-ſpatarium & Tagmatophylacem, qui adverſus eos judicio contenderat, & tamquam epiſcopi Baſilii hæres prodibat de tertiâ parte domûs ejus. *πολλὰ μὲν δικαιςήρια ἀναμέσον Ἄννης ἀνεψιᾶς τοῦ ὑποβεβιωκότος μητροπολίτου Νικομηδείας Βασιλείου καὶ Στεφάνου πρότερον προϊόντος ἐπισκόπου Καισαρείας. κτέ.* Jur. Græco-Rom. tom. 2. p. 179.

B

XXXVII. Cosmas.

Alexio Comneno Imp. Nicolao Grammatico patriarcha præſide, Decretum unionis de ſacrarum imaginum veneratione inſtauratum eſt in conventu procerum Imperii & metropolitarum, epiſcoporumque multorum, quorum primus poſt patriarcham nominatur *Coſmas Cæſareæ Cappadociæ epiſcopus, Protothronus,* Κοσμᾶ Καισαρείας Καππαδοκίας τοῦ πρωτοθρόνου. Bibl. Coiſlin. p. 104.

C

XXXVIII. Constantinus.

Manuele Comneno Imp. anno mundi 6652. Chriſti 1143. die 28. Februarii, Ind. VI. Coſmas Patriarcha Conſtantinopolitanus exauctoratus fuit, ceu Bogomilorum hæreſi faveret, ſynodalique deſtitutionis ejus decreto ſubſcripſit omnium primus *Conſtantinus humilis archiepiſcopus Cæſareæ Cappadociæ,* Κωνσταντῖνος εὐτελὴς ἀρχιεπίσκοπος Καισαρείας τῆς Καππαδοκίας. Leo Allat. l. 2. de Conſ. c. 12.

XXXIX. * * *

Anno Chriſti 1152. Aprilis die 11. Indict. VII. Luca Chryſoberge patriarcha præſide, ſynodicum decretum latum eſt de nuptiis ſeptimi gradus non contrahendis. Aderat metropolita Cæſareæ τοῦ Καισαρείας. *Jur. Græco-Rom. 268.* Poſt duos annos, idem, aut ejus ſucceſſor *Cæſarienſis* metropolita in altera ſynodo ſedebat, in qua lege ſancitum eſt, ne epiſcoporum defunctorum bona, reſve ullæ ad eccleſias pertinentes auferrentur, τοῦ Καισαρείας. Ibid. pag. 282.

D

XL. Stephanus.

Anno mundi 6654. Chriſti 1166. Indict. IV. die 26. Jan. Conſtantinopoli coacta ſynodus eſt, in qua Soterichus Panteugenus Antiochiæ Patriarcha electus, proſcribi meruit, qui negaret Chriſtum ſibi uti Deus Verbum eſt, ſacrificium obtuliſſe, vel offerre. Adfuit *Stephanus* Cæſareæ epiſcopus, Leone Allatio teſte in Vindiciis ſynodi Epheſinæ p. 585. Idem *Stephanus Cæſareæ epiſcopus* anno ſubinde 1167. alteri etiam ſynodo interfuit, in qua diſputatum eſt de Alemannorum qui

E

in urbe Regia agebant Fide, quum Latinorum Doctorum more defenderent, Christum illud dictum, *Pater major me est*, protulisse ratione habita humanitatis assumtæ: eorumque assertio orthodoxa judicata est. Allat. l. 2. de Conf. cap. XI. Ad hæc rursum Stephanus anno 1171. die 1. Novembr. Indict. IV. in synodo sedebat, in qua Michaële Anchiali Patriarcha præside, quinque statuta edita sunt, quorum præcipuum fuit ne clerici ex altera diœcesi venientes, usquam alibi ordinarentur; Στεφάνου Καισαρείας, L. 3. Jur. Græco-Rom. pag. 227.

XLI. ***.

Anno circiter 1187. post Ind. IV. Isaacius Angelus Comnenus Imp. synodum habuit, in qua episcopi nonnulli conquesti sunt, se vocatos non fuisse ad episcoporum nuperam promotionem, tametsi in Urbe ob sua negotia versarentur: unusque illorum erat *Protothronus ipse Cæsariensis* ἐπὶ τούτοις παρὼν καὶ ὁ πρωτόθρονος Καισαρείας, cujus nomen siletur. Hic nempe palam expostulavit, ex quo tempore pontifex sacratus erat, se omnino invitatum non fuisse ad ullam episcoporum electionem, quum tres nuper actæ essent, Dyrrachii scilicet, Mileti & Christianopolis. Jur. Græco-Rom. lib. 2. pag. 178.

XLII. DEMETRIUS.

Anno 1192. Leontius Patriarcha præter morem constitutus est à *Demetrio* Cæsareæ, non ab Heracleæ præsule, ut fert Balsamon in canonem XII. Chalcedonensem. καὶ πρὸ ὀλίγων ὁ Λεόντιος παρὰ Δημητρίου τοῦ Καισαρείας, *ac non ita pridem Leontius à Demetrio Cæsareæ.*

XLIII. METROPHANES I.

Manuële Charitopulo Patriarcha Byzantino, Nicææ in Bithynia agente, quum interim urbs Regia à Francis principibus teneretur, synodus convenit, in qua solutæ sunt quæstiones aliquot, actumque præterea est *de translationibus episcoporum*. Aderat *Metrophanes Cæsareæ Cappadociæ* metropolita, τοῦ Καισαρείας Καππαδοκίας Μητροφάνους, mense Julio Ind. VIII. anno mundi 6758. Christi 1250.

XLIV. ARSENIUS.

In Florentina synodo Dorotheus Trapezuntinus metropolita adfuit, atque vices gessit τοῦ Καισαρείας, pro quo subscripsit Decreto unionis. Atqui *Arsenium* illum nominatum colligo ex libello trium Patriarcharum Orientis, quo Florentinam synodum ejurasse feruntur, Metrophanemque Constantinopolitanum damnasse, *Arsenio Cæsareæ Cappadociæ metropolita & Protothrono, totiusque Orientis Exarcho,* defectionis incentore, *qui*

A *ad eos hanc in rem perrexerat.* ἐπειδὴ ἦκε καὶ ὁ πανιερώτατος μητροπολίτης ἐνταῦθα τῆς ἁγιωτάτης μητροπόλεως Καισαρείας Καππαδοκίας, ὁ καὶ πρωτόθρονός τε καὶ ἔξαρχος τῆς πάσης ἀνατολῆς. *Compertum nobis fecit,* inquiunt, *prædictus ille sacratissimus metropolita Dominus Arsenius, &c.* Κύριος Ἀρσένιος τῆς μεγάλης Καισαρείας Καππαδοκίας. Hæc aliaque plura apud Allatium lib. 4. de Conf. cap. 4.

XLV. AGAPIUS.

Constantinopolitanæ nescio cujus synodi acta exstant, in qua Græci-schismatici; B Joanne Palæologo vita functo, Florentinum concilium ritu solenni in æde S. Sophiæ feruntur ejurasse. Quibus subscriptus legitur *Antonius Heracleæ,* ἔχων καὶ τὴν γνώμην τοῦ ἁγιωτάτου ἐπισκόπου Καισαρείας. Vertit Allatius, *De mente etiam Agapii Cæsariensis,* ut pro ἁγιωτάτου *sanctissimi,* legerit Ἀγαπίου, *Agapii.* Nec dubito quin genuina hæc lectio sit, quando sic etiam habetur, in editione ejusdem pseudosynodi Giasii in Moldavia ann. 1694. Etsi vero acta illa spuria videntur, supponunt tamen circa hæc tempora C exstitisse Cæsareæ metropolitam, cui nomen *Agapio* fuerit.

XLVI. METROPHANES II.

Martinus Crusius, lib. 4. Turco-Gr. pag. 288. epistolam edidit *Metrophanis* metropolitæ Cæsareæ, Ancone in Italia scriptam Dionysio Patriarchæ Constantinopolitano circa annum 1548. die XII. Maii, qua rogabat Notarii Naupliæ munus Joanni Zygomalæ integrum servari. Subscriptio est, ὁ Καισαρείας Καππαδοκίας ταπεινὸς Μητροφάνης; *humilis Cæsareæ Cappadociæ episcopus Metrophanes.* D Inscriptam epistolam in autographo Crusius ait, ἀπὸ τοῦ καλοῦ κὺρ Θεοδοσίου, *à bono D. Theodosio,* additumque, φιλικὴ συστατικὴ ἀναφορὰ Μητροφάνους τοῦ πρώην πατριάρχου, ὅτε ἦν εἰς Βενετίαν, καὶ Ῥώμης (lege Ῥώμην) ἔξαρχος τοῦ πατριάρχου, ὑπὲρ τοῦ πατρός μου. Dionysium Patriarcham à quo in Italiam missus erat, anno 1548. à Græcis communione privatum legimus, tum propter alia, tum Metrophanis causa, qui Latinis assentatus jactabatur, unionis ergò: λειτουργίαν καὶ χειροτονίαν ἐν τῇ τε Βενετίῃ καὶ Ἀγκῶνι, καὶ ἀλλαχοῦ ἐκτετελεκὼς τῷ αἱρεσιάρχῃ πάπᾳ ἑνωθείς. E *Liturgia facta & ordinatione Venetiis, Ancone, & alibi hæresis principi Papæ unitus.* Absolutus vero Dionysius fuit, ceu ipso non inscio Metrophanes Romam usque ivisset. Quin subinde Michaëlis Cantacuzeni operâ Metrophanes factus est Patriarcha post Joasaphum Dionysii proximum successorem; quum in ea synodo ipse quoque sederet, in qua Joasaphus destitutus fuit, ejusque destitutione subscripsisset, ὁ εὐτελὴς μητροπολίτης Καισαρείας Μητροφάνης

ἐκὼν ὑπέγραψα, *Exiguus metropolita Cæsareæ lubens subscripsit.* Hæc Crusius, lib. 2. pag. 175. &c. Sedebat Metrophanes Patriarcha anno Mundi 7076. seu Christi 1567. mense Julio, Indict. XI. ut constat epistola altera quæ ibidem habetur, libro 4. pag. 281.

XLVII. GREGORIUS.

Dionysius II. Patriarcha Constantinopolitanus anno 1672. Responsionem dedit, qua Calvinianos errores iterum proscribebat, eique cum multis aliis episcopis subscriptus legitur, ὁ Νεοκαισαρείας Καππαδοκίας Γρηγόριος, *Neocæsareæ Cappadociæ Gregorius.* Quum vero Neocæsarea vetus in Cappadocia numquam exstiterit, sed in Ponto Polemoniaco, in ista subscriptione Cæsaream Cappadociæ dictam puto, ob instauratam veterem Cæsaream & pristinæ loco proximo exstructam.

XLVIII. CYPRIANUS.

Anno 1707. Neophyto Patriarcha CP. à Viziro Turco, ob conficta crimina pulso episcopi omnes clerici & magnates ingressi in ecclesiam, *Cyprianum* Cæsareæ archiepiscopum Patriarcham elegerunt, ἐψήφισαν τὸν Καισαρείας Κυπριανόν. Catal. Patr. CP. tom. 2. Imperii Orientalis, pag. 1003.

XLIX. HIEREMIAS.

Nuper sedebat Patriarcha *Hieremias,* quæ Cæsareæ metropolita fuerat.

L. NEOPHYTUS.

Hodie sedet *Neophytus* Cæsareæ metropolita, Hieremiæ utique successor, ὁ Καισαρείας Νεόφυτος.

II. ECCLESIA THERMARUM BASILICARUM.

IN Notitia Hieroclis tertia Cappadociæ primæ civitas est τὰ Θέρμα *Therma,* voce plurali neutra, *Thermæ* vero *Basilicæ* seu *Regiæ,* dicuntur in Notitiis Græcis episcopatuum. Sed urbis hujus mentio nulla mihi occurrit apud auctores, quin nec apud Athenæum lib. 2. apud quem hanc non nemo scripsit ad Olympum Galatiæ montem exsistere. Atqui urbem hanc à calentibus aquis apud illam scaturientibus τὰ Θέρμα dictam esse cuivis obvium est.

EPISCOPI THERMARUM.

I. * * *

THERMIS Regiis, de quibus infra, assignandum opinor illum Simpliciæ nobilis fœminæ, sed hæreticæ, domesticum & œconomum, quem magnus Basilius unà cum Gregorio Nazianzeno paulò ante obitum suum, ecclesiæ quæ diu pastore vacaverat, episcopum ordinare non dubitavit. Post Basilii excessum adversus ejus ordinationem Simplicia expostulavit; cui Nazianzenus epistolam scripsit 38. ut iratæ animum placaret. Servilis ille conditionis fuisse nequaquam putandus est, quando legi civili & ecclesiasticæ cautum erat, ne servi in clerum cooptarentur. Servum tamen suum dicebat hæretica mulier, εἰ καὶ γὰρ ὡς ἀνδραπόδου μεταποιῇ τοῦ συμπρίμβρος. Negabat Gregorius; sin verò, causam illam ad episcoporum synodum spectare, cui illa, si lubeat, adesse possit. Hunc porro Thermis episcopum assignandum duxi, quia, ut alibi dictum est, provinciæ Cappadociæ primæ præter Cæsaream nullæ aliæ civitates episcopales erant S. Basilii temporibus, nisi Thermæ & Nyssa.

II. FIRMINUS.

In Indice Latino Patrum concilii Chalcedonensis de provincia Cappadociæ tertius post Thalassium Cæsareæ censetur, *Firminus Thermis* (*Thermis* pro Θέρμης *Thermæ*) voce Θέρμα, *Therma* singulari numero accepta; Nusquam verò in hujus synodi actis *Firmini Thermæ* vel *Thermarum* nomen reperi.

III. PHOTINUS.

Decreto synodali Gennadii archiepiscopi Constantinopolitani contra Simoniacos subscriptus legitur, *Photinus episcopus Thermarum,* Φωτεῖνος ἐπίσκοπος τῶν Θερμῶν.

IV. MUSONIUS.

Thermarum utique Cappadociæ episcopus erat *Musonius,* quem Dionysius Jacobitarum Patriarcha in Chronico exsulare jussum tradit Justino I. Imp. anno circiter 518. Jos. Assem. Bibl. Orient. to. 2. Diss. de Monophysitis.

V. THEODORUS.

Sextæ synodo generali adfuit & subscripsit *Theodorus episcopus civitatis Thermenorum primæ Cappadociæ provinciæ.* Θεόδωρος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Θερμινῶν πόλεως, τῆς πρώτης τῶν Καππαδόκων ἐπαρχίας. Imo initio actionis XVII. episcopus dicitur τῶν βασιλικῶν Θερμῶν, *Regiarum Thermarum.* Qui & synodi Trullanæ canonibus perinde subscriptus legitur. Ubi tamen *Thermæ,* civitas dicitur *secundæ Cappadociæ* , τῆς δευτέρας τῶν Καππαδόκων ἐπαρχίας. Quod librariorum errori tribuendum, qui mox antè Paulum Nyssæ *secundæ Cappadociæ* oscitantiùs quoque scripserunt.

III.

ECCLESIA NYSSÆ.

NYSSÆ vel *Nysa* Cappadociæ urbs est Ptolemæo in Muriana seu Murimena ultra Tyanitidem regionem & Ciliciam, Galatiam versus, haud procul Parnasso, ad Melam fluvium, qui ex Argæo monte Cæsaream illinc fluit. Hujus est mentio in Itinerario Antonini, medio ferè itinere quo Ancyra Cæsaream pergebatur. Hierocli Cappadociæ primæ censetur, & in aliis Notitiis: quin sequiori ævo metropolis titulo aucta fuit: hodie verò *Nisi* dicitur, imo certe destructa jacet.

EPISCOPI NYSSÆ.

I. GREGORIUS I.

BASILIUS Magnus epist. 266. *Gregorium* nobis Nyssenum episcopum à Gregorio fratre suo diversum indicat S. Eusebio Samosateno scribens, ut attente prospiceret quæ contra se meditaretur *bonus Gregorius Nyssenus*, περὶ τῆς χρηστότητος Γρηγορίου τοῦ Νυσσαέων, *qui nunc*, inquit, *Ancyræ conventus agat, nullum omittens insidiarum modum adversus nos*, καὶ οὐδένα τρόπον ἐπιβουλεύων ἡμῖν ἀφίησιν. Quocirca Scholiastes quem laudat Combefisius, in ora Regii cod. monuit Basilium *minime loqui de fratre suo*, οὐ περὶ τοῦ ἰδίου λέγει ἀδελφοῦ. Annon vero ipse est quem Ariani pro sanctissimo magni Basilii fratre, quem ejecerant, Nyssæ episcopum creavere anno 376. Demosthenes siquidem Præfecti prætorio vicarius sanctum Gregorium Ancyram vinctum transmittere proposuerat, ubi Arianorum catervam cogebat.

II. GREGORIUS II.

Nyssæ in Cappadocia episcopus fuit *Gregorius* Basilii M. frater, quum jam antè uxorem duxisset *Theosebiam*, eximiæ revera pietatis feminam, quam Nazianzenus impensè laudat epist. sua 95. circa anni 372. initia. Nyssenæ ecclesiæ præfectus fuit Gregorius, invitus prorsus; quod testantur episcopi à quibus ordinatus erat epistola inter Basilianas 388. Anno 376. Demosthenes Præfecti prætorio vicarius Nyssæ conventum habuit Arianicæ factionis episcoporum, quum urbe Gregorium expulisset, ejusque in locum Arianum quemdam sufficì curavit; quod Basilius refert epist. 10. Post verò Valente Imp. defuncto, Gregorius ecclesiam repetiit suam, annoque 378. adfuit concilio magno Antiocheno, à quo delegatus fuit ut Arabiæ & Palæstinæ ecclesias lustraret. Anno rursum 381. Constantinopolitanæ synodo generali priori interfuit, iterumque anno insequenti convenit propter Nectarii in Regiæ urbis præsulem ordinationem. Tum à Patribus delectus fuit cum Helladio Cæsariensi & Otreïo Melitenensi, ut Fidem catholicam in Ponti Provinciis instauraret. Anno 385. orationem Constantinopoli habuit in funere Placillæ Augustæ uxoris

A Theodosii Magni. Anno denique 394. sedisse reperitur in synodo altera, quæ Basilicæ à Ruffino præfecto exstructæ consecrandæ causa, vocata erat, & in quâ Nectario Archiepiscopo præside, Bagadii & Agapii, qui de Bostrorum in Arabia episcopatu contendebant, negotium agitatum, judicatumque est. *Vid. Jur. Græco-Rom. lib. 4. initio.* Quo anno Grægorius noster vivere desierit, non prorsus constat. In Martyrologio Romano ejus memoria recolitur die 9. Martii: *Nyssæ S. Gregorii episcopi fratris S. Basilii Magni, vita & eruditione clarissimi, qui ob catholicæ Fidei*
B *defensionem sub Valente Imp. Ariano civitate sua pulsus est.* Plura de eo Græci prædicant in Menologiis ad diem 14. Octobris.

III. HERACLIDAS.

Circa synodi Ephesinæ prioris tempora Nyssæ episcopus sedebat *Heraclidas*, quem post Archelaum Cæsariensem epistolas duas adversùs Massalianorum hæresim scripsisse prodit Photius in Bibliotheca, Cod. 52. in quarum vero secunda sacrarum imaginum apud Christianos usus antiquitas, ferebatur. Συνέταξε δὲ κατ' αὐτῶν καὶ Ἡρακλείδας ὁ Νύσ-
C σης ἐπίσκοπος ἐπιστολὰς δύο, ὧν ἐν τῇ δευτέρᾳ καὶ χρῆσις φέρεται τῆς ἀρχαιότητος τῶν σεπτῶν εἰκόνων.

IV. MUSONIUS.

In actis alterius synodi Ephesinæ secundæ inter metropolitas Synnadorum & Bostrorum, aliosque passim memoratur *Musonius episcopus Nyssæ*, Μουσώνιος ἐπίσκοπος πόλεως Νύσσης, interloquutusque fertur pro Eutyche hæretico & adversùs Flavianum Constantinopolitanum
D & Eusebium Dorylæi: tum proinde illius profanis decretis subscripsit. In actis concilii Chalcedonensis nusquam Musonii Nyssæ nomen apparet, nisi ubi prædatoriæ illius synodi Ephesinæ gesta recitantur. Attamen in indicibus Latinis Patrum sanctissimi illius Concilii secundus post Thalassium Cæsariensem sequitur *Musonius Nyssænus*. Quum epistolæ Alypii Cæsariensis ad Leonem Imp. de Proterii Alexandrini nece & Chalcedonensi concilio subscriptus legatur *Onius episcopus Nyssenus*, vel *Unius*, pro codicum Latinorum discrimine; nullus

ECCLESIA NYSSÆ.

dubito, quin corrupta vox sit, emendandum- A que veniat *Musonius*.

V. Joannes I.

In Quinta synodo generali sedit & subscripsit *Joannes misericordia Dei episcopus civitatis Nyssæ*.

VI. Joannes II.

In Sexta item synodo, *Joannes misericordia Dei episcopus civitatis Nyssenorum primæ Cappadocum provinciæ*. Ἰωάννης ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Νυσσαέων πόλεως, τῆς πρώτης τῶν B Καππαδόκων ἐπαρχίας.

VII. Paulus.

Quinisextæ synodi in Trullo canonibus subcriptus legitur Παῦλος ἁμαρτωλὸς ἐπίσκοπος πόλεως Νύσσης τῆς δευτέρας (leg. πρώτης) τῶν Καππαδόκων ἐπαρχίας. *Paulus peccator episcopus civitatis Nyssæ provinciæ primæ Cappadociæ*.

VIII. Joannes. III.

In Septima subinde synodo sedit & subscripsit *Joannes episcopus Nyssæ*, Ἰωάννης ἐπίσκοπος Νύσσης. Aderat quoque Theodosius Nysæ Asiæ.

IX. Ignatius.

In synodo etiam quæ Photii Bysantinæ sedi restituti causa habita est, sedit atque subscripsit *Ignatius Nyssæ* Ἰγνατίου Νύσσης: nisi forsan alterius *Nisæ* Asiæ episcopus fuerit.

X. Germanus.

Dositheus Hirosolymitanus, lib. 11. de Patriarch. Hierosol. cap. 11. part. 7. inter Græcos qui sapientiæ eruditionisque laude nupero ævo claruerunt, num. 22. *Germanum tolum metropolitam Nyssæ habet*, quem Theophili Corydalei discipulum fuisse ait, non errorum ejus adsectatorem. Γερμανὸς Αἰτωλὸς, μαθητὴς τοῦ Κορυδαλέως, πλὴν ὀρθόδοξος, ὁ καὶ μητροπολίτης Νύσσης χρηματίσας.

IV. ECCLESIA CAMULIANORUM.

Camuliana, Καμουλιανὰ, voce plurali neutra, civitas est Cappadociæ primæ in actis Concilii quinti generalis, & in Notitiis ecclesiarum Græcis, quæ & *Justiniana nova* appellata fuit, à Justiniano proinde Imp. etsi Procopius nullam ejus mentionem habet in libro *De Ædificiis*. At certe tempore Basilii Magni episcopi sedes non erat, quando episcopatus alii Cæsariensi illo ævo obnoxii non fuerunt præter Thermensem & Nyssenum, quibus inani conatu sanctissimus præsul Sasima adjicere tentavit.

EPISCOPI CAMULIANORUM.

I. Basilius.

Synodo Quintæ generali adfuit & subscripsit *Basilius misericordia Dei episcopus Justinianæ-novæ Camulianorum*.

II. Georgius I.

In Sexta synodo sedit *Georgius episcopus*, C *civitatis Camulianorum provinciæ prima Cappadociæ*. Γεώργιος χάριτι Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Καμουλιανῶν πόλεως, τῆς πρώτης Καππαδοκίας.

III. Georgius II.

In synodo de restitutione Photii *Georgius Camulianorum*, Γεωργίου Καμουλιανῶν.

V. ECCLESIA CISCISSI.

Ciscissa vel *Ciscissus*, alias mutila voce *Cissus*, nonnisi ex episcopatuum Notitiis nobis innotescit, in quibus Cappadociæ primæ censetur, ὁ Κίσσου, ὁ Κισκίσσου, quin etiam in quarumdam synodorum actis.

EPISCOPI CISCISSI.

I. Plato.

Concilii quod Quinisextum & Trullanum dicunt, canonibus subscriptus legitur. *Plato episcopus civitatis Ciscissæ, primæ provinciæ Cappadociæ*. Πλάτων ἐλάχιστος ἐπίσκοπος πόλεως Κισκίσσης, τῆς πρώτης τῶν Καππαδόκων ἐπαρχίας. D

II. Soterichus.

Septimæ synodo interfuit subscripsit post Georgium Camulianorum *Soterichus episcopus Ciscissenorum*. Σωτήριχος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Κισκισσηνῶν.



II. PROVINCIA

II. PROVINCIA CAPPADOCIÆ SECUNDÆ.

I. ECCLESIA TYANORUM, METROPOLIS.

VALENTE Imp. Cappadocia in provincias duas secta fuit, primam & secundam; secundæque metropolis facta est civitas *Tyana*. Atqui *Tyana*, τὰ Τύανα, voce plurali neutra, vel etiam Τύανα, femineo nomine singulari, Straboni Cappadociæ urbs est monti Tauro substrata juxta portas Cilicias, ubi facillimus est in Ciliciam transitus, quæ regionis, seu præfecturæ, Tyanitidis sat amplæ & feracis, magnaque sui parte planæ, caput fuit, quæ & *Eusebia* Εὐσέβεια quondam dicebatur. Addit Strabo, Tyana civitatem aggeri Semiramidis impositam esse ac bene munitam. Hîc, Ammiano Marcellino teste lib. 23. cap. 19. fons effluit, qui magnitudine aquarum inflatus, seseque resorbens, numquam extra margines intumescit. Basilio Magno grave fuit, Tyana, quæ Cæsariensis ecclesiæ suffraganea fuerant, metropoliticis antehac juribus civilibus aucta, in ecclesiasticam quoque metropolim Valentis Imperatoris nutu evasisse. De quo legendus venit Gregorius Nazianzenus orat. 20. pag. 355. edit. Parif. Carm. *De vita sua*, & epist. 31. 32. 33. Celebris fuit synodus orthodoxorum episcoporum Tyanensis, quæ anno 366. eodem Imperatore Valente habita est: In Notitia veteri Græcâ unâ Tyana *Christopolis* quoque appellatur, ὁ Τυάνων, ἤτοι Χριστουπόλεως. Hodieque superest Tyana civitas, in qua sedet ex Armenorum gente episcopus. Sub Diocletiano Imp. insignes in ea martyres interfecti sunt, in quibus Orestes præsertim, cujus memoria in Martyrologio Romano & Græcorum Menologiis colitur die 9. Novembris.

EPISCOPI TYANORUM.

I. EUPSICHIUS.	II. THEOPHRONIUS hæreticus.
III. ANTHEMIUS.	IV. ÆTHERIUS.
V. THEODORUS I.	VI. CALLIOPIUS.
VII. LONGINUS.	VIII. THEODORUS II.

HI Tyanenses episcopi, præter *Theophronium*, è sacris Diptychis in Tyanensi ecclesia intra divinorum mysteriorum actionem memorabantur, quemadmodum Euphratas ipse Tyanensis episcopus eorum successor retulit Collat. Quinti concilii generalis. *Pro Eupsychio, Anthemio, Aëtherio, Deodato, Calliopio, Longino, Theodoro.*

EUPSYCHIUS. Quod *Eupsychium* attinet, sedebat inter Patres magnæ synodi Nicænæ; nam in Indice Latino episcoporum *de provincia Cappadociæ* legitur, *Eupsychius Tyanensis.* Hunc Gelasius Cyzicenus in actis ejusdem synodi quæ composuit, unum fuisse fert interloquutorum in concertatione Leontii Cæsariensis cum Phædo Philosopho, Ἀντίῤῥησις Λεοντίου ἐπισκόπου Καισαρείας Καππαδοκίας καὶ Εὐψυχίου ἐπισκόπου Τυάνων. *Oppositio Leontii episcopi Cæsareæ Cappadociæ, & Eupsychii episcopi Tyanorum, &c.*

E sacris illis Diptychis, sive ex numero episcoporum orthodoxorum, expunctus est *Theophronius*, ut pote Arianarum partium patronus, qui magno Athanasio teste in libro *De synodis*, Antiocheno concilio in hujus urbis ecclesiæ encæniis anno 341. Indict. XIV. habitæ, interfuit, καὶ Θεοφρονίου δὲ τῆς τῶν Τυάνων· Quin & formulam Fidei à se conditam ipse palam recitavit, cui omnes subscripsere, quamque integram refert illo loco Athanasius. Obiter monebo, à Theophronio isto diversum fuisse Theophronium illum alterum qui Eunomii hæretici affectator fuit, & cujus alumni Theophroniani dicti sunt; apud Sozomenum lib. 7. cap. 17.

Theophronio utique proxime successit *Anthemius* sive *Anthimus*, cujus, ut aliorum Orientalis tractûs episcoporum, nomine inscribitur epistola ad Occidentales, quæ inter Basilianas exstat 69. anno 372. scripta. Hic provectæ, imo affectæ jam ætatis erat (ἄωρον ὄντα) ipso anno 372. quo Valens Imperator Tyana urbem novæ Cappadociæ caput esse voluit; tumque adeo Anthimus invito Basilio

Cæsarienſi, ſecundæ iſtius Cappadociæ epiſcopalium ſedium ordinationes ſibi vindicavit, præterquam Nazianzenæ; quum Gregorius ſenior Theologi parens à Cæſarienſi metropoli deſciſcere noluiſſet. Quin Saſimorum quoque eccleſiam arripuit, quam Gregorius Theologus abdicaverat. Anno inſequenti Anthimus in Armeniam minorem Cappadociæ vicinam iterum profectus, in quadam illius regionis urbe Fauſtum, Papæ neſcio cujus ſocium, conſecrare non dubitavit, poſthabitis veteris quam Patres ſanxerant, diſciplinæ regulis. De quo facinore queritur Baſilius epiſt. 68. *Meletio Antiocheno* data, aſſerens quoque eam ordinationem fuiſſe factam *neglectis cleri populique ſuffragiis, adverſus reverendum admodum Cyrillum*, ad quem, ut apparet, meliori titulo ſedes illa ſpectaret, *Φαῦστον τὸν συνόντα τοῦ Πάπα ἐπίσκοπον ἐχειροτόνησε, μηδὲ ψήφοις δεξάμενος καὶ καταχειροτονήσας τοῦ αἰδεσιμωτάτου Κυρίλλου.* Epiſtola rurſum 195. *Theodoto metropolitæ Nicopolis Armeniæ* ſcribebat, Fauſtum cum literis Papæ illius ad ſe antehac veniſſe, ut ab ipſo ordinaretur. Quum verò poſtulatus eſſet, ut literas quoque ipſius Theodoti & aliorum illius provinciæ epiſcoporum exhiberet, nulla juſtæ hujus petitionis ratione habita, ad Anthimum perrexiſſe, à quo ordinatus fuerit: quod facinus iterum conqueritur epiſt. 312. Cæterum Anthimus ſubinde cum Baſilio reconciliatus fuit, quum ſe ejuſdem Fidei catholicæ tenacem præberet, quem proinde ſanctus idem epiſt. 64. *ὁμόψυχον* *unanimum* ſuum appellat.

Anthimum excipit in Diptychis *Ætherius*, qui alius non eſt ab eo qui in Indice Patrum Conſtantinopolitanæ ſynodi generalis legitur. *Ephorus Tyanenſis* librarii Latini errore ſcribitur; in margine verò *Etherius, & Ærius*, pro codicum diſcrepantia. Puteani codex habet, *Eſerius, f* pro *th*, ex quo tamdem factum eſt *Ephorus*. Sedebat igitur anno 381. imo & 382. nam alius cenſendus eſt ab Eutherio Tyanenſi, Neſtorianæ hæreſi addictiſſimo, cujus nomen eam ob cauſam è ſacris tabulis eraſum eſt poſt annum 431.

Qui in tranſlatione Latina geſtorum Quintæ ſynodi generalis *Deodatus* nominatur, ipſe eſt *Theodorus Tyanenſis*, ad quem Gregorius Theologus epiſtolam ſuam 88. ſcripſit per Eulalium chorepiſcopum, obteſtans, ut Nazianzi eccleſiæ provideret, Apollinariſtarum, qui in eam invadere moliebantur, inſolentiam comprimendo. Eodem tempore epiſtolâ alterâ eidem Theodoro commendavit Nicobulum Alypianæ filiæ Gorgoniæ ſororis ſuæ filium. Aliæ exſtant Gregorii ad Theodorum iſtum epiſtolæ, ex quibus tamen nihil erui poſſit, quod tempora illius, aut geſta nos doceat. Palladius in Dialogo *de vita S. Joannis Chryſoſtomi* Theodorum hunc noſtrum laudat à manſuetudine, qua epiſcopos eximii illius urbis Regiæ præſulis cauſa exſulantes exceperat. Quamobrem ſuperſtes in vivis erat anno 404. adeoque ipſe eſt *mitiſſimus* ille Tyanorum epiſcopus, quem Palladius rurſum exſulibus epiſcopis multis lacrymis compaſſum ſcribit. *Calliopius, Longinus* & *Theodorus* alter, Theodori hujus ſucceſſores, qui lecti ſunt è ſacris Diptychis, Eutherio de quo nunc agendum, anteriores fuere.

IX. Eutherius hæreticus.

X. * * *

Anno 431. Tyanorum eccleſiæ præerat *Eutherius*, *Εὐθήριος Τυανῶν*, quo tempore Neſtorius Conſtantinopoli impium ſuum errorem prodidit. Quocirca anno illo ad Epheſinam ſynodum venit, hæretici cauſam propugnaturus; quumque Joannes Antiochenus ad conſtitutam diem non conveniſſet, Conteſtationi ſubſcripſit multorum epiſcoporum qui interceſſerunt, ne Cyrillus Alexandrinus illo abſente concilium inchoaret, inſuper & epiſtolæ Neſtorii ad Imperatorem, qua querebatur, non exſpectatis Orientalibus inceptam à Cyrillo ſynodum fuiſſe; quin & literis aliis Orientalium, quibus concilium Epheſinum impugnabant. Ejuſdem Eutherii multæ Latino idiomate epiſtolæ exſtant è Tragœdia Irenæi Tyrii collectæ, quæ obſtinatum ejus pro Neſtoriana hæreſi animum promunt. Unde non ſolum ab Epheſini concilii patribus communione & epiſcopatu cum aliis ejuſdem factionis ſociis privari meruit, ſed & ab Imperatore pervicaciæ ſuæ cauſa exſilio procul amandari, quemadmodum fertur, cap. 190. illius collectionis: *Eutherius epiſcopus Tyanorum, metropolitanus Cappadociæ ſecundæ, qui ab eccleſia ejectus, relegatus eſt Scythopolim: ſimiliter & inde fugatus, in Tyro defunctus eſt.* Tyanenſes Eutherii errore deceptos mœrebat Theodotus Ancyranus epiſtola ad S. Vitalem monachum in Cappadocia, quæ legitur cap. 109. ejuſdem collectionis. Enimvero Theodoretus epiſtola 45. collectionis, Alexandro Hieropolitano Hypomneſticum mittens, narrabat veniſſe quoſdam, qui *præſentes ſe* dicerent, *fuiſſe ipſo tempore in ipſa Tyanenſium civitate, & hæc vidiſſe, quia Firmus* (Cæſareæ epiſcopus) *ſubtrahens aliquos de provincia ſua, cum multitudine venit ſuper Deo amiciſſimum Eutherium, & quemdam ex aſſeſſoribus ordinavit. Et quia magnificentiſſimus comes Longras Iſauros ad auxilium ſanctiſſimi epiſcopi Eutherii deſtinavit, & portas quidem civitatis

ad eos, qui contra epiſcopum venerunt, cives claudebant: dum ergo ingreſſi fuiſſent univerſi, ſupervenientes tenuerunt; inter quos & eum qui à Firmo fuerat ordinatus. At vero ipſe qui ordinatus eſt, negavit ordinationem ſuam, dicens & ſe contra voluntatem ordinatum fuiſſe, & non acquieviſſe, ita ut mox ſe indueret chlamydem, & in theatrum vadens exſpectaret ludos. Aliqui vero qui cum ipſo erant fugientes, Nazianzum pervenerunt. Illius nomen qui Eutherio ſuffectus à Firmo fuerat, Theodoretus non indicavit; at quia ordinationem ſuam ille ejuravit, minimè idem eſſe putandus venit ac Patricius Tyanenſis, de quo nunc dicendum.

XI. Patricius.

In Conſtantinopolitano illo concilio, quod anno 448. Flaviano archiepiſcopo, & Thalaſſio Cæſarienſi præſidibus, Eutychem hæreticum pronuntiavit, ſedebat *Patricius Tyanorum civitatis epiſcopus*, Πατρικίου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου πόλεως Τυάνων, qui anno inſequenti ad ſynodum Epheſinam ſecundam Anthimum miſit preſbyterum, qui ſuas in illa vices ageret. Ipſe verò poſt biennium ad concilium Chalcedonenſe acceſſit, cujus decretis ultrò ſubſcripſit: quin & anno quoque 458. epiſtolæ ſynodi ſuæ ſecundæ Capadociæ ad Leonem Imp. de Chalcedonenſis ejuſdem concilii ſanctiſſima auctoritate, deque nece Proterii Alexandrini.

XII. Cyrus hæreticus.

In Panoplia veteri contra hæreticos, quæ manu exarata habetur in bibliotheca collegii Pariſ. Soc. Jeſu, inter varia librorum hæreticorum excerpta, fragmentum legitur *Cyri Tyanenſis* nomine inſcriptum. Κύρου ἐπισκόπου Τυάνης, ἐξ ὧν ἔγραψε πρὸς Ἰουλιανὸν καὶ Σευῆρον τοὺς εἰρημένους αἱρετικούς, κατὰ τῆς ἐν Χαλκηδόνι συνόδου, καὶ Τόμου τοῦ ἁγίου Λέοντος, ὡς ἐδέξατο τοῦ Ζήνωνος Ἑνωτικόν. *Cyri epiſcopi Tyanæ, ex his quæ ſcripſit ad Julianum & Severum, quos diximus hæreticos, adverſus ſynodum Chalcedonenſem, & Tomum Leonis, quum Zenonis Decretum unionis ſuſcepit.* Vivebat itaque Cyrus ſæculo quinto labente, vel ſexto ineunte, catholicæ Fidei deſertor ſub Anaſtaſio Imp.

XIII. Cyriacus

Relationi ſynodi Conſtantinopolitanæ ad Joannem Patriarcham, de Severo Antiocheno & ejuſdem factionis hæreticis, anno 518. datæ ſubſcripſit *Cyriacus epiſcopus Tyanorum ſecundæ Cappadociæ*, Κυριακὸς ἐπίσκοπος Τυάνων τῆς δευτέρας τῶν Καππαδόκων ἐπαρχίας. In Latina tranſlatione *Dominicus* nominatur, quod idem Latinè ſonat, ac Κυριακὸς Græcè. Lecta eſt hæc Relatio act. 5. ſynodi alterius Conſtantinopolitanæ ſub Menna Patriarcha.

A Quamquam temporis ratio ſuggerit, ut conjectando, non autem affirmando, ſuſpicer, Cyrum illum, de quo mox dicebam, & Cyriacum eumdem fuiſſe Tyanorum antiſtitem, qui Anaſtaſio Imp. Severo & Juliano Halicarnaſſenſi gratificatus ſit, ut Chalcedonenſem ſynodum ejuraret, factumque illud ſuum ſub Juſtino emendaverit.

ECCLESIA TYANORUM.

XIV. Paulus.

In illa ſynodo quæ Menna Patriarcha præſide anno 536. habita eſt in cauſa deceſſoris ejus Anthimi hæretici, ſedebat *Paulus metropolita Tyanorum*, ejuſque decretis ſubſcripſit, Παῦλος ἐπίσκοπος Τυάνων. B

XV. Euphratas.

Quintæ ſynodo adfuit & ſubſcripſit, uti jam diximus, *Euphratas, miſericordia Dei epiſcopus Tyanenſium metropolis.* In ea autem act. 5. coram Patribus evicit, Theodorum illum, ad quem Gregorius Nazianzenus literas aliquot ſcripſerat, Tyanorum, non Mopſueſtiæ, epiſcopum fuiſſe.

XVI. Justinus.

Sextæ quoque ſynodo generali interfuit & C ſubſcripſit *Juſtinus epiſcopus Tyanenſium metropolis ſecundæ Cappadocum provinciæ.* Ἰουστῖνος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος τῆς Τυανέων μητροπόλεως τῆς δευτέρας τῶν Καππαδόκων ἐπαρχίας. In ſubſcriptionibus canonum Trullanorum, Ἰουστινιανός, *Juſtinianus* nominatur.

XVII. Paphnutius.

In narratione inventionis capitis *S. Longini Centurionis*, (ut nempè ſcripta ferunt) quæ edita eſt inter Act. SS. ad diem 15. Martii, mentio fit *Paphnutii* Tyanorum epiſcopi, qui Angelorum monitu chriſtianam matroD nam, à quâ Longini caput ducentis denariis argenti redemtum, Hieroſolymis relatum erat, certiorem fecerit, Chriſtionem illius filium regni cœlorum compotem eſſe. Paphnutii verò ætas incerta eſt, quam ſi quid veri narratio habeat, ad ſeptimi vel octavi ſæculorum tempora retulero.

XVIII. * * *

Septimæ ſynodo adfuit & ſubſcripſit *Nicolaus monachus hegumenus, & ex perſona throni Tyanorum.* Νικόλαος μοναχὸς ἡγούμενος, καὶ ἐκ προσώπου τοῦ θρόνου Τυάνων.

XIX. Leontius.

E In ſynodo, quæ Photii Byzantinæ ſedi poſt S. Ignatii obitum reſtituti cauſa habita eſt, ſedit *Leontius Tyanorum*, Λεόντιος Τυάνων.

XX. Joannes.

Synodo Siſinnii Patriarchæ Conſtantinopolitani, in qua anno 997. ſtatutum eſt de ſobrinis duabus à fratribus duobus non ducendis, aderat *Joannes metropolita Tyanorum*, Ἰωάννης Τυάνων. Jur. Græco-Rom. lib. 3. pag. 201.

ECCLESIA TYANORUM.

XXI. CONSTANTINUS I.

In ſynodo Alexii Patriarchæ, in qua actum eſt de donatariis monaſteriorum & eccleſiarum, ſedebat *Conſtantinus Tyanorum*, Κωνσταντίνου Τυάνων. Ibid. 259.

XXII. * * *

Joannes Xiphilinus Patriarcha an. 1069. decreto ſynodico ſanxit, ſponſalia irrita fore, ubi conſanguinitatis vitium aliquod compertum erit. Aſſidebat cum metropolitis aliis, *Tyanenſis*, τοῦ Τυάνων. Sic legendum, non Τιτάνων, ut bene monemur in ora pag. 214. B lib. 3. Jur. Græco-Rom.

XXIII. CONSTANTINUS II.

Alexio Comneno Imperat. & Nicolao Grammatico Patriarcha, decretum olim editum de unione eccleſiarum pro ſacrarum imaginum cultu inſtauratum fuit in ſolenni procerum Imperii & epiſcoporum conventu, inter quos ſedebat *Conſtantinus Tyanorum*, Κωνσταντίνου Τυάνων. Bibl. Coiſlin. pag. 104.

XXIV. JACOBUS.

XXV. BASILIUS.

In ſynodi decretis, quibus, Michaële Oxita Patriarcha præſide, anno 1143. die 20. C Aug. fer. 6. Indict. VI. Clemens Saſimorum & Leontius Barbaliſſæ Bogomilorum hæreſis, aliorumque criminum rei, proſcripti fuere, dicuntur illi primum Conſtantinopoli de more conſueto à clero & epiſcopis electi, ſed in Cappadocia ordinati à *Jacobo* ſolo *Tyanorum metropolita*, cui nemo alter epiſcopus adeſſet, dum ille Liturgiam ſacram ageret, contra quam Canones Apoſtolorum & Conciliorum, Nicænique præſertim ferant. ψηφισθῆναι μὲν ἐνταῦθα φαμένοι διὰ πόλεως ἐπὶ τοῦ ἀποιχομένου ἱερωτάτου μητροπολίτου Τυάνων μοναχοῦ Ἰακώβου πρὸς κλήρου καὶ ἀρχιερέων συνήθως, εἶτα κατὰ καιρὸν, ἐκείνῳ συνεξελθόντας εἰς τὴν τῶν Καππαδόκων δευτέραν τὰ Τύανα, χειροτονηθῆναι μὲν, ἀλλ' ὑπ' ἐκείνου καὶ μόνου, διὰ τὸ μηδένα ἔχειν τὸν συλλειτουργήσαντα. D

BASILIUS. Hæc aliaque allata, regeſtaque ſunt in dua- A rum ſynodorum decretis ex Memoriali ſive relatione *ſanctiſſimi metropolitæ Tyanorum Baſilii*, ἐξ ἀναφορᾶς τοῦ ἱερωτάτου μητροπολίτου Τυάνων κυροῦ Βασιλείου, qui divina æmulatione utrumque illum epiſcopum denuntiavit. Videſis Allat. lib. 2. de conſ. cap. 11. ubi alia judicia in Bogomilos alios, ac Niphonem præſertim monachum exſtant, quibus ferendis Baſilius idem interfuit: qui ſubſcripſit quoque ſententiæ qua Coſmas Atticus Patriarcha ejuſdem hæreſis ſuſpectus exauctoratus fuit, B Βασίλειος ὁ εὐτελὴς μητροπολίτης Τυάνων τῆς Καππαδοκίας. *Baſilius humilis metropolita Tyanorum Cappadociæ.*

XXVI. MICHAEL.

Alexio Angelo Comneno Imp. Georgius Xiphilinus Patriarcha ſynodum habuit 4. Febr. fer. 2. Ind. XV. anno ſcilicet Chriſti 1197. in qua de territorium particulariumve diœceſium juribus tractatum eſt. Sedebat cum aliis metropolita *Tyanorum Michaël*, τοῦ Τυάνων Μιχαήλ, Jur. Græco-Rom. pag. 285.

XXVII. * * *

C In illa ſynodo Conſtantinopolitana, quæ Calliſto patriarcha præſide, anno 1351. Palamitarum profana capita approbavit, *Dionyſius Berrhææ* ſedebat, *viceſque gerebat metropolitæ Tyanenſis*, cujus nomine ſubſcripſit: ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Βεῤῥοίας, ὑπέρτιμος, καὶ τὸν τόπον ἐπέχων τοῦ Τυάνων, Διονύσιος.

XXVIII. * * *

Orientis Patriarchæ tres ſchiſmatici, Arſenio Cæſareæ inſtigante, ſynodicas adverſus D Metrophanem Patriarcham ſcripſiſſe feruntur, qui Florentinam unionem foveret; in illis querebantur, ab eo ordinatos fuiſſe metropolitas Amaſeæ, Neocæſareæ, Tyanis & Moceſſi, qui Latinorum doctrinam ſectarentur. χειροτόνησε μητροπολίτας, καὶ ἐπισκοπίτας, πρός τε τὴν Ἀμασέαν δηλόνοτι, Νεοκαισάρειαν, Τύανα καὶ Μοκησόν, τὰ τῶν Λατίνων φρονοῦντας. Allat. lib. 3. c. 4. n. 1.

II. ECCLESIA CYBISTRORUM.

CYBISTRA, Κύβιστρα, nomine neutro plurali, ut vulgò aliàs, aut femineo ſingulari, vel, ut recentiores ſcripſere, Κύβιστα, *Cybiſta*, & Κύβισται, *Cybiſtæ*, Cappadociæ civitas eſt, quam in Cataonia Ptolemæus collocat, apud quem male Κύζιστρα ſcribitur. Hanc Ciliciæ cenſet Strabo, ut & Caſtabula ac *Mazacam, quæ & Cæſarea*, in Epicteto præfectura, non procul Tyanis, uti nec à Tauro monte; quod etiam teſtatur Cicero, qui hanc quoque *in Cappadocia extrema* ponit, l. 15. epiſt. 18. Hierocli, & in vetuſtioribus Notitiis inter ſedes ſecundæ Cappadociæ numeratur. In ea quæ Leonis Sapientis Imp. nomen præfert, poſt recenſitas Conſtantinopolitanæ diœceſis metropoles, additum eſt. Μετὰ τὰ Κέρκυρα, ἤγουν τελευταῖαι τρεῖς αὗται, ἡ Σεβαστούπολις, ἡ Εὔριππος, τὰ Κύβιστα ἤτοι τὰ Ἡρακλέως. ἔνθα καὶ παρεγράφη, ὅτι μετετέθη ἀπὸ τοῦ εἶναι ἐπισκοπὴ τοῦ Τυάνων εἰς ἀρχιεπισκοπὴν ἐπὶ Κωνσταντίνου τοῦ ἁγιωτάτου καὶ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου. *Poſt Corcyra, hæ tres poſtremæ, Sebaſtopolis, Eurippus, Cybiſta, quæ &*

ECCLESIA Cybistrorum.

Herculis. Atque hic adscriptum est, quod ex episcopatu subjecto Tyanensi in archiepiscopatum evasit sub Constantino sanctissimo & universali Patriarcha, Constantino Lichude scilicet. Tum subinde, ubi de Cappadocia secunda. Ἀντὶ τῆ Κυβίστρων γράφεται καὶ Κυβίστων. ἐτιμήθη εἰς ἀρχιεπισκοπὴν ἐπὶ Κωνσταντίνου τῆ ἁγιωτάτου καὶ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου. *Pro Cybistrorum scribitur & Cybistorum; quæ sedes archiepiscopatus honore aucta est, sub Constantino sanctissimo & œcumenico Patriarcha.* Primo scholio discimus, *Cybistrorum* urbis nomen alterum fuisse Ἡρακλῆς, *Hercules*: ac Joannes Curopalates villam Ἡρακλέος *Herculis* dictam in Ciliciæ finibus habet; Cybistrensem vero sedem ad Herculanam urbem translatam fuisse putavero.

EPISCOPI CYBISTRORUM.

I. TIMOTHEUS.

In Indice Latino Patrum Nicænæ synodi *de Cappadocia,* censetur *Timotheus Cyzistro,* legendum, *Cybistron,* sive *Cybistrorum.* Mox observabam, apud Ptolemæum etiam legi Κύζιστρα, *Cyzistra.*

II. CYRUS.

In simili Indice Patrum Chalcedonensis concilii *de provincia Cappadociæ secundæ* legitur, *Cyrus Cybistronensis,* pro *Cybistron, Cybistrorum.* Ipse est qui librariorum Latinorum errore epistolæ synodi ejusdem Cappadociæ secundæ ad Leonem Imp. subscriptus quoque legitur, *Cyrus Cybistalliæ,* pro *Cybistræ.*

III. * * *

Sub Joanne Xiphilino Patriarcha anno Mundi 6674. April. 26. fer. 4. Ind. IV. anno Christi 1069. synodali decreto irrita sponsalia pronuntiata sunt, ubi impedimentum nuptiarum aliquod animadversum esset. Huic condendo aderat archiepiscopus *Herculanus,* τῆ Ἡρακλέος. Jur. Græco-Rom. l. 3. p. 211.

IV. ACACIUS.

In synodo Constantinopolitana, in qua A Soterichus Panteugenus Patriarcha Antiochenus designatus, sub Luca Chrysoberge Constantinopolitano itidem Patriarcha, ob errorem de Christi sacrificio damnatus est, sedebat *Acacius Heraclis,* sive *Herculis.* Allat. Vind. syn. Ephes. In Panoplia Nicetæ Choniatæ manu exarata, in qua illius synodi Byzantinæ acta regesta sunt, adfuisse perinde legitur *Herculanus* archiepiscopus, τῆ Ἡρακλέος. Idem illo circiter anno adfuit quoque alteri B synodo, in qua prohibitum est, ne episcoporum morientium, necnon ecclesiarum quæcumque bona auferrentur, καὶ τῆ τῆς Ἡρακλέος. Jur. Græco-Rom. lib. 4. p. 282.

V. * * *

Isaacius Angelus Imp. coactis qui Constantinopoli agebant episcopis, edixit, ut omnes & singuli præsules, qui in Urbe versarentur, ad episcoporum electiones quæ faciendæ essent, nemine omisso, vocarentur. Aderat ὁ Ἡρακλέος, *Herculanus.*

III. ECCLESIA FAUSTINOPOLIS.

In Notitia Hieroclis *Faustinopolis,* Φαυστινόπολις, Cappadociæ secundæ civitas est, ut & in aliis Græcis; atque in Itinerario Antonini inter Tyana, Taurumque montem collocatur. A Faustina Antonini Pii Imp. uxore, vel Faustina altera Marci-Aurelii, dictam putaverim; priscum verò illius nomen exstinctum videtur.

EPISCOPI FAUSTINOPOLIS.

I. DANIEL.

Ad Ephesinam synodum priorem *Daniel Faustinopolitanus* venit, qui primùm subscripsit Contestationi illorum episcoporum, qui intercesserunt ne Cyrillus Alexandrinus Concilium auspicaretur ante Joannis Antiocheni & Orientalium adventum, eidemque Joanni, Eutherium metropolitam suum sequutus, adhæsit adversus legitimam synodum, à qua proinde meruit cum suis sociis communione amoveri. Concil. Ephes. col. 599. & 654. edit. Labb. necnon cap. 7. Collect. Cassin. ex Tragœdia Irenæi Tyrii.

II. PATROPHILUS.

Epistolæ synodi secundæ Cappadociæ ad Leonem Imper. de S. Proterii Alexandrini C nece & Concilio Chalcedonensi subscriptus legitur *Patrophilus Justinopolis.* Baluzius in MSS. reperit *Fostinopolis,* sive *Faustinopolis.*

III. JOANNES.

In Sexta synodo generali sedit & subscripsit *Joannes episcopus Faustinopolitarum secundæ Cappadociæ provinciæ,* Ἰωάννης ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Φαυστινουπολιτῶν πόλεως, τῆς δευτέρας τῆς Καππαδόκων ἐπαρχίας. Qui rursum subscriptus legitur Quinisextæ synodi canonibus.

IV.

ECCLESIA SASIMORUM.

SASIMA, Σάσιμα, nomine neutro plurali vel femineo singulari, (Latinis saltem,) angustus viculus fuit, Gregorio Nazianzeno teste in Carmine *De vita sua*, δεινὰς ἄπευκτον, καὶ στενὸν κωμύδριον, *in viæ Regiæ medio, equorum stationes habens cursus publici causa, nullis aquis irriguus, nullis herbis virescens, nec prorsus liber*, οὐδ' ὅλως ἐλεύθερος. Ex quo intelligimus, eum ridendo epist. 33. *Sasimorum paludes*, τὴν Σασίμων λιμνὰν appellasse. Inter Cæsaream & Tyana exsistebat, minus tamen Tyanis distans, ex Antonini Itinerario; hinc secundæ Cappadociæ fuit. In quam provinciam, quum Anthimus Tyanensis metropoliticam potestatem sibi vindicaret, Basilius magnus ex adverso Sasima saltem primæ suæ Cappadociæ contendit asserere, instituta illic episcopali sede; quippe quum in vicinis regionibus frequentes in diversis hinc inde villis aut oppidulis ejusmodi sedes essent: primumque Sasimorum episcopum creavit Gregorium Nazianzenum. Cæterum Gregorio episcopatum illum abdicante, Anthimus Sasima provinciæ suæ vindicavit, quæ, ut in Hieroclis Notitia, ita & in aliis Græcis, secundæ Cappadociæ episcopalis sedes censetur.

EPISCOPI SASIMORUM.

I. GREGORIUS.

PRimus itaque Sasimorum episcopus *Gregorius Nazianzenus* fuit, Gregorii Nazianzi episcopi filius, à Basilio Magno non sine reluctantia Cæsareæ ordinatus coram delegatis Sasimorum civibus, ut ipse narrat 5. & in carmine *De vita sua*. Sed locum mox reliquit ob multa ejus incommoda, quæ istic exponit. Quin nec se ullo ibidem episcopali munere functum esse, nulli clerico manus imposuisse, epist. 32. & 33. significat; eo magis quod Anthimus Tyanensis Sasima sua quoque esse contendebat. Quocirca Nazianzum regressus Gregorius, patri deinceps, dum superstes in vivis egit, ad obitum usque ejus adfuit in gerenda hujus urbis ecclesia.

Post Gregorii discessum, alterum Sasimis ab Anthimo Tyanensi designatum fuisse episcopum censet Baronius ad ann. 371. num. 108.

II. AMBROSIUS.

In subscriptionibus epistolæ synodi Cappadociæ secundæ ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini legitur *Ambrosius episcopus Asumæ*, pro *Sasimæ*.

III. ELEUSIUS.

Eleusius vel *Eleusinius, episcopus cujusdam urbis Cappadociæ secundæ*, Anastasii Imp. palpo, Concilii Chalcedonensis hostem se præbuit, ex epistola monachorum Palæstinæ ad Alcisonem Nicopolis episcopum. Ἐλευσίου μὲν ἐπισκόπου τινὸς τῆς δευτέρας Καππαδοκίας, apud Evagrium, lib. 3. hist. eccl. cap. 31. Sasimorum verò præsulem fuisse discimus ex Theophane ad an. 16. Anastasii Aug. ubi Ἐλεύσιος ὁ Ασήμων, pro ὁ Σασίμων scriptum visitur. Nam Anastasius Bibliothecarius *Sasimensem* episcopum disertè dicit: *Multi autem episcoporum Anastasio gratiam præstantes, Chalcedonensi resistebant Concilio, quorum primus erat Eleusius episcopus Sasimensis.*

A

IV. CLEMENS.

Sæculo duodecimo circa annum 1143. Augusti 20. fer. 6. Ind. VI. Basilius Tyanorum episcopos provinciæ suæ duos, *Clementem Sasimorum*, & Leontium Barbalissi sive Balbissæ, Bogomilorum hæresis reos egit in synodo cui Michaël Oxita Patriarcha præsidebat; quos præterea ritè ordinatos non esse ostendit, à Jacobo scilicet decessore suo, etsi Constantinopoli legitimè electos. Decreta

B duo synodica quæ in eos lata sunt, Leo Allatius recitat lib. 2. De conf. cap. 12. Primum inscribitur: Σημείωμα ἐπὶ τῇ καθαιρέσει γεγονὸς τῶν ἀπὸ τῆς ἐνορίας τῶν Τυανῶν ψευδεπισκόπων, τοῦ τε Σασίμων, καὶ τοῦ Βαρβαλισσοῦ, ὡς παρὰ κανόνας χειροτονηθέντων καὶ Βογομίλων. *Decretum latum in depositione pseudo-episcoporum Sasimorum & Barbalissi, in provincia Tyanensi, qui præter canones ordinati, & Bogomili fuerunt.* Quorum subinde nomina in Decreto subjiciuntur, ut Sasimorum episcopus *Clemens* fuerit, Leontius Barbalissi; qui de sua in episcopos promotione quæsiti, electos quidem se in urbe Regia fuisse dixerunt sub Jacobo

C monacho Tyanensi metropolita, atque in Cappadociam profectos; sed ab illo solo, non à tribus duobusve saltem episcopis, consecratos, quemadmodum sacris regulis statuitur. Sequitur decretum synodi aliud, quo Clemens fuisse prius Sosandrorum monachus fertur, post vero Sasimorum episcopatu donatus; tum varii ejus atque Leontii errores recensentur. Atqui eorum exauctorationem persequutus est Basilius Tyanensis metropolita.

V.
ECCLESIA BALBISSÆ.

BALBISSÆ, *ſive* Barbaliſſi, ſecundæ Cappadociæ urbis vel oppidi, cujus epiſcopus fuiſſe Leontius dicitur in Decreto utroque quod mox appellavi, nulla mihi alibi mentio occurrit. Quoniam tamen urbem iſtam Tyanorum metropoli obnoxiam fuiſſe Baſilius Tyanenſis ſignificavit, ubi de Leontii & Clementis deſtitutione litem movit, ſe vero à Jacobo Tyanenſi ſolo ordinatum Leontius ultro faſſus eſt, Balbiſſa in Cappadocia ſecunda exſtitiſſe cenſenda eſt. Plura de hoc Leontio non addam, quando legitimus Balbiſſæ epiſcopus habendus non eſt.

III. PROVINCIA CAPPADOCIÆ TERTIÆ.

I.
ECCLESIA MOCESI, *ſive* JUSTINIANOPOLIS, METROPOLIS.

CAPPADOCIAM tertiam Juſtinianus Imp. inſtituit, ſecundam in duas ſecans, illiuſque metropolim, *Moceſum*, Μώκησος, vel Μωκισσὸς, *Mociſſum* eſſe voluit, cujus urbis neminem veterum meminiſſe reperi, quam tamen mutato nomine *Juſtinianopolim* appellari voluit. De metropolis hujus inſtitutione ſynodi Quintæ generalis Patres Collatione v. dixerunt: *Piiſſimus Imperator, quum metropolitana jura dediſſet civitati, quæ quondam Mociſſos, nunc vero Juſtinianopolis nuncupatur, cum aliis civitatibus Doara & Nazianzum ei ſubjecit.* Atqui hanc urbem à Juſtiniano exſtructam teſtis eſt Procopius, lib. 5. de ædif. c. 4. *Erat Moceſus,* inquit, *Cappadociæ caſtellum in plano ſitum, adeo labefactatum, ut ruinam pars jam feciſſet, pars minaretur. Hoc Juſtinianus diruto, in loco acclivi & arduo, quem nemo infeſtus obtinere poſſit, quà vetus caſtellum occidentem ſpectaverat, murum ſtruxit ingentem, multa item ibi templa, xenodochia, balneas publicas, nihil deeſſe paſſus illorum quæ ſaluti obtinendæ conducerent. Quamobrem ad metropolis dignitatem venit, quo vocabulo Romani urbem gentis primariam indicant.* Moceſum habent epiſcopatuum Notitiæ, ut pote Juſtiniani ævo longè poſteriores; quin necdum Sextæ ſynodi temporibus Moceſi ſedes juribus metropoliticis gaudebat, quando edita in Chalcedonenſi lex vigebat, diſpoſitionem provinciarum eccleſiaſticarum nullatenus mutatum iri, nova civilium inſtitutione. Sic Theodoriade provinciâ Syriæ propter Theodoram Juſtiniani conjugem inſtitutâ, eccleſiaſtica ſecundæ Syriæ provincia integra nihilominus manſit. De his plura ubi de Bithynia ſecunda. Quarum regularum ſequioris ævi Imperatores & patriarchæ nihil penſi habuerunt.

EPISCOPI MOCESI, *ſive* JUSTINIANOPOLIS.

I. PETRUS.

IN Conſtantinopolitana ſynodo, quæ Menna A Patriarcha præſide, Juſtiniano Imp. an. 536. propter Anthimum Byzantii nuper antiſtitem hæreticum celebrata eſt, aderat *Petrus epiſcopus Juſtinianopolis metropolis ſecundæ Cappadociæ,* Πέτρου τοῦ Ἰουστινιανουπόλεως τῆς μητροπόλεως τῆς δευτέρας Καππαδοκίας ἐπαρχίας. Hic unus è tribus epiſcopis fuit qui ad Anthimum accerſendum delegati fuere: demum ſynodi decretis ſubſcripſit poſt Paulum Tyanenſem, Πέτρος ἐπίσκοπος Ἰουστινιανουπόλεως τῆς δευτέρας Καππαδόκων ἐπαρχίας.

II. THEODOSIUS.

Quintæ ſynodo generali adfuit, ſubſcripſitque *Theodoſius, miſericordia Dei, epiſcopus Juſtinianopolis ſecundæ Cappadociæ.* Collatione v. teſtimonio ſuo firmavit illud quod Euphratas Tyanenſis de Theodoro deceſſore quondam ſuo retulerat; quum ei adhuc uti ſecundæ Cappadociæ metropolitæ ſuo pareret.

III. THEOPEMPTUS.

Sextæ ſynodo interfuit & ſubſcripſit *Theopemptus epiſcopus Juſtinianopolis, ſive Mociſſi, metropolis ſecundæ Cappadociæ,* Θεόπεμπτος ἐλέῳ θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Ἰουστινιανουπόλεως, ἤτοι Μωκισσῶν, μητροπόλεως τῆς δευτέρας τῆς Καππαδόκων ἐπαρχίας. Eodem modo ſubſcripſerat Juſtinus Tyanorum. Theopemptus idem Trullanis quoque canonibus ſubſcriptus legitur

ECCLESIA MOCESI.

post Justinianum, sive Justinum Tyanensem, A nullâ mentione facta *tertiæ Cappadociæ*, quæ nulla, quod ad res ecclesiasticas pertineret, tunc temporis censebatur, tametsi illius episcopis potior locus daretur post primarium metropolitam.

IV. * * *.

In Septima synodo sedit & subscripsit *Georgius presbyter, locum tenens throni Mocisi,* Γεώργιος ἁμαρτωλὸς πρεσβύτερος, ὁ τὸν τόπον ἐπέχων τοῦ θρόνου Μωκισσοῦ.

V. THEOGNOSTUS.

B

Sub Alexio Patriarcha C P. anno Mundi 6536. mensibus Decembri & Februario Ind. XI. Christi anno 1028. synodicis decretis sancitum est, de iis quibus monasteria à Principibus tribuebantur, deque diversis causis ad metropoles & archiepiscopatus, episcopatusque spectantibus, adsidente cum metropolitis aliis *Theognosto Mocissi,* Θεογνώστου Μωκισσοῦ. lib. 4. Jur. Græco-Rom. p. 255. & seqq.

VI. * * * LEO.

Metropolita Mocissi aderat synodo Lucæ Chrysobergæ Patriarchæ, in qua nuptiæ septimi gradus prohibitæ sunt, τοῦ Μωκισσοῦ. Ibid. p. 212. sub eodem Patriarcha an. 1154. vetitum C est, ne à clericis episcoporum decedentium aut ecclesiarum bona ulla auferrentur, præsente cum aliis metropolita *Mocissi,* τοῦ Μωκισσοῦ. Ibid. p. 287.

Ipse utique fuit *Leo Mocissi,* qui anno 1156. in ea synodo sedebat, in qua Soterichus Panteugenus Antiochiæ Patriarcha electus ob errorem de Christi sacrificio damnatus est, Leone Allatio teste, Vind. Eph. syn. p. 585.

VII. LUCAS.

Anno 1167. eodem Luca patriarcha coacta iterum est frequens synodus, in qua tractatum de Alamanorum Constantinopoli agentium circa mysterium SS. Trinitatis Fide, quæ pura sinceraque judicata est: sedebat *Lucas Mocissi.* Allat. lib. 2. de conf. c. 12.

VIII. * * *.

Pachymeres lib. 4. hist Michaëlis Palæologi c. 16. *episcopum Mocessi ecclesiæ Præconesi administratorem ad Arsenium qui Patriarchatu amotus erat, à synodo cum Mono-Constantino Neocæsareæ, delegatum narrat,* καὶ Μωκησσοῦ, προεδρεύων τότε τῆς ἐκκλησίας τῆς Πρεικοννήσου; quam Præconessi ecclesiam concessionis titulo administrabat, κατὰ λόγον ἐπιδόσεως, quum Mocessi sedere non posset, nonnullis de causis quas auctor non explicat. Forte quod Mocessus à Barbaris desolata esset.

IX. * * *.

Metrophanes Cyzicenus Constantinopolis Patriarcha post Florentinam synodum sedens, Amaseæ, Neocæsareæ, Tyanis & Mocessi metropolitas erga unionem ecclesiarum bene affectos ordinavit, de quo graves schismaticorum Arsenio Cæsariensi instigatore querimoniæ. Allat. lib. 3. de conf. c. 4.

II. ECCLESIA NAZIANZI.

NAZIANZUS, Ναζιανζὸς, vel *Nazianzum,* Cappadociæ civitas ob Gregorium Theologum nominatissima, exigua tamen Socrate teste lib. 4. cap. 11. Cæsareæ vicina fuit, Γρηγόριος Ναζιανζοῦ, πόλεως εὐτελοῦς γειτνιαζούσης τῇ Καισαρείᾳ ἐπίσκοπος, quam Suidas σταθμὸν *stationem* dumtaxat dicit. Hujus quidem nominis nulla apud veteres orbis descriptores mentio: Gregorius verò ipse Nazianzenus hanc *Diocæsaream* quoque vocitatam non obscurè significat epist. 40. ad Olympium Præfectum. Rogat illum pro urbe Diocæsarea, ὑπὲρ τῆς Διοκαισαρέων ὁ λόγος, quam Rex vel Imperator olim fundaverat, tempus auxerat, quæque hactenus servata fuerat. Rogat pro civitate, quam post suum ex urbe Regia discessum senex incolebat. τίμησον τὴν ἡμετέραν πολιάν, οἷς δεινὸν, εἴποτε τὴν μεγάλην πόλιν ἔχοντες, νῦν μηδὲ πόλιν ἔχοιμεν. *Nostros canos honora, quibus grave erit, si quum civitatem magnam habuerimus, nullam nunc haberemus. Ne templum, quod Deo exstruximus,* inquit, *& in quo ornando nobis una cura & ambitio est, ferarum habitatio fiat,* ὃ, τε ὁ ναὸς ὃν ἠγείραμεν τῷ Θεῷ, καὶ ἡ περὶ τοῦτον ἡμῶν φιλοκαλία. Nimirum orat. 19. quam in parentis sui Gregorii Nazianzi episcopi funere pronuntiaverat, egregium ab illo sua in urbe templum ædificatum describit; noruntque omnes Theologum relicta Constantinopoli Nazianzum suam repetiisse. Quid multa! carmine VI. disertè ait, se Diocæsareæ in exiguo Cappadocum oppido nutritum educatumque fuisse, Γρηγόριον μνήσαιτο, ὃν ἔτρεφε Καππαδόκεσσιν ἡ Διοκαισαρέων ὀλίγη πόλις. Atqui Diocæsareæ Cappadociæ, adeoque Nazianzi, meminere Plinius & Ptolemæus, qui illam in *Garsauria* collocat. Nazianzus porro, etsi sub Valente Imperatore, Cappadocia in provincias duas divisa, secundæ civitas censita erat: aliquandiu tamen Cæsariensi pristinæ suæ metropoli sedes illius episcopalis addicta mansit, Gregorio seniore Anthimo Tyanensi subesse renuente. Quin Cæsareæ itidem obnoxia erat, præfecto Cappadociæ primæ Olympio, ut fert Gregorius Theologus epist. 50. οἰχόμεθα, προδεδόμεθα, γεγόναμεν αὖθις δευτέρα Καππαδοκία, πρότερον παρά σου γεγονότες.

Perimus

Perimus, proditi sumus, secunda rursum Cappadocia facti sumus, qui parte prima eramus. Epist. 54. ab Helladio Cæsariensi Nazianzenæ ecclesiæ episcopum postulat dari, quem Spiritus sanctus designarit. εἰ δέ μοι δοίητε τὸ γῆρας ἐν καλῷ καταλῦσαι, τῇ ἐκκλησίᾳ ταύτῃ δόντες ἐπίσκοπον, ὃν ἀναδείξῃ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Post vero, quum voti compos non esset, Theodorum Tyanensem convenit epist. 83. quæ lecta est act. 10. Quinti concilii generalis, orans, ut ecclesiæ quæ ipsius (Theodori) esset, curam gereret, φρόντισον τῆς σῆς ἐκκλησίας, *quippe quæ episcopo indigeret.* ἐπισκόπου χρήζει ἡ ἐκκλησία, *ne ex adversa quam patiebatur valetudine, incommodum & detrimentum sustineret.* Rursum epist. 225. ad eumdem Theodorum, rem, Helladio Cæsariensi omisso, patrandam scribebat. In Notitia igitur Hieroclis Synecdemi Nazianzus urbs est Cappadociæ secundæ, in recentioribus vero tertiæ. Joannes Scylitzes & Cedrenus hanc à Romano Diogene Imp. metropolis titulo auctam produnt, ὅτι ὁ βασιλεὺς καὶ τὴν ἐπισκοπὴν Ναζιανζοῦ εἰς μητροπολιτικὸν διεβίβασε δίκαιον. Quocirca in metropolium indicibus deinceps censita est.

ECCLESIA NAZIANZI.

EPISCOPI NAZIANZENI.

I. * * *.

GREGORIUS Theologi Gregorii parens, quum à Leontio Cæsariensi ad Nicænam synodum eunte Christianæ Fidei rudimenta accepisset, divinis aquis expiatus fuit ab ipsomet Nazianzi pontifice, qui è sacro fonte exeuntem splendida illum circumfusum luce vidit, & post Chrismatis unctionem, elata voce, successorem suum à Spiritu inungi inclamavit. Hoc narrat ipse Theologus Orat. 19. τῷ δὲ βαπτισμῷ καὶ τελειωτῇ τοσοῦτον ἐναργής τε καὶ γνώριμος, ὥστε μηδὲ κατασχεῖν δυνηθῆναι τὸ μυστήριον, καὶ δημοσίᾳ ῥῆξαι φωνὴν, ὅτι τὸν ἑαυτοῦ διάδοχον τῷ πνεύματι χρίοιτε.

B

II. GREGORIUS I.

Gregorius igitur magni Theologi genitor, ex gentis Hypsistariorum secta quæ in Cappadocia vigebat, invitis cognatis & amicis ad Christi religionem traductus, Nonnæque religiosissimæ fœminæ copulatus, Nazianzi episcopus subinde factus est, circa annum Domini 329. cui ecclesiæ annos 45. præfuit, Gregorio filio teste, Orat. 19. pag. 313. obiit siquidem anno 374. Illius laudes prædicat passim ipsius optimi parentis optimus filius, tam in sermonibus, quam in carminibus. Anno 360. urgentibus Constantii Imp. jussionibus & minis Ariminensi formulæ incautus subscripsit; unde multi de clero plebeque ipsius, ac monachi præsertim, communionem ejus abjecerunt, quibus pacis subinde auctor fuit Theologus. Ejus opera Eusebius Cæsariensi ecclesiæ præfectus est, iterumque circa annum 372. Basilius magnus Eusebio successor datus, cujus ordinationi interfuit. Anno 371. deincepsque contra Valentis Augusti conatus pro Fide catholica stetit; verum, ut Socrates observat, lib. 3. c. 11. quum Imperator complures episcopos exsiliis multaret, divina Providentia factum est, ut neque Basilius, neque Gregorius senex suis urbibus pellerentur. Gregorium filium induxit, ut Sasimo-

A rum episcopatum admitteret, cui mox tamen, eo relicto, Nazianzeni curam injunxit, qua ille ad patris obitum usque functus est.

III. GREGORIUS II.

IV. EULALIUS.

Gregorius, Theologus à rerum divinarum eruditissimâ scientiâ dictus, post parentis excessum, ad Constantinopolitanæ ecclesiæ catholicæ regimen accersitus est, quod anno 381. reliquit, atque in patriam regressus, Nazianzi sedem pastore vacuam reperit, cui Apollinaristæ suæ factionis hominem imponere tentaverant. Hunc vero per Tyanensem Theodorum, ac per secundæ Cappadociæ Præfectum, solum vertere coëgit. Tum episcoporum, cleri, civiumque suorum urgentibus studiis annuit, ut eam Ecclesiam regendam susciperet. Quamobrem à S. Hieronymo qui sub ejus disciplina meruerat, in Scriptorum ecclesiasticorum catalogo, *Gregorius primò Sasimorum, deinde Nazianzenus episcopus* di-

C citur. Imo Gregorius ipse epist. 225. diserte dicit, *se Nazianzi episcopum renuntiatum, non Sasimorum.* ἐγὼ μὲν γὰρ, εἰ μὲν τοῦ σώματος εἶχον, ὡς ἐκκλησίας δύνασθαι προστατεῖν Ναζιανζοῦ, ᾗ τὴν ἀρχὴν ἐπεκηρύχθην, οὐ Σασίμοις κτέ. Cæterum anno 383. effecit, ut *Eulalius* cognatus suus (uti significat epist. 193.) vir monasticis disciplinis institutus, Nazianzi episcopus ordinaretur; quin illum ipsemet, Hieronymo teste, ordinavit. De quo Eulalio le-

EULALIUS.

D gendæ veniunt epistolæ ejusdem S. Theologi 42. 48. 225. Hic vero dubio procul Eulalius ille Chorepiscopus erat, quem cum Eleusio presbytero ad Theodorum Tyanensem, Nazianzeni cives episcopum petiturum delegarant, ex epistola 88.

V. THEODOSIUS.

In Chalcedonensi concilio sedit & subscripsit *Theodosius episcopus civitatis Nazianzi,* Θεοδόσιος ἐπίσκοπος πόλεως Ναζιανζοῦ, qui

ECCLESIA NAZIANZI.

postea subscripsit quoque epistolæ synodi Cappadociæ secundæ ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini, anno 458.

VI. SCHOLASTICUS.

Relationi synodi Constantinopolitanæ ad Joannem Patriarcham de Severo Antiocheno ejusque sociis, quæ lecta est in altero concilio sub Menna itidem patriarcha, subscripsit *Scholasticus episcopus Nazianzi*, Σχολαστικὸς ἐπίσκοπος Ναζιανζοῦ.

VII. THEODORUS I.

Sextæ synodo generali adfuit & subscripsit *Theodorus episcopus civitatis Nazianzi*, Θεόδωρος ἐπίσκοπος πόλεως Ναζιανζοῦ.

VIII. MICHAEL.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus legitur Μιχαὴλ ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ναζιανζοῦ τῆς δευτέρας τῶν Καππαδόκων ἐπαρχίας, *Michaël indignus episcopus Nazianzi provinciæ secundæ Cappadociæ.*

IX. * * *

In Septima synodo inter metropolitas (quod observatione dignum est) act. 4. subscripsisse reperitur. *Georgius indignus presbyter & ex persona throni Nazianzi.* Γεώργιος ἀνάξιος πρεσβύτερος, καὶ ἐκ προσώπου τοῦ θρόνου Ναζιανζοῦ. Quamquam non diffitendum, mihi prorsus videri, hunc alium non esse à Georgio, qui, act. 7. in hac synodo personam gessit throni Mocessi, quando nulla in ejusdem synodi actis amplius mentio est Georgii presbyteri Nazianzi.

X. JOANNES.

Synodo illi, quæ ob Photium Byzantinæ A sedi restitutum habita est, adfuisse legitur *Joannes Nazianzi*, Ιωάννου Ναζιανζοῦ, Ιωάννης Ναζιανζοῦ, at episcoporum pene postremus.

XI. EUSEBIUS.

Ecclesiæ causam adversus illegitimam illam Photii in Constantinopolitanam sedem obreptionem, Romæ apud Stephanum Papam, unà cum Styliano Mappa Neocæsareæ metropolita, & episcopis aliis defendit iterum *Eusebius Nazianzi episcopus*, Εὐσέβιος ἐπίσκοπος Ναζιανζοῦ, quorum epistolam, cui nomina ipsorum præmissa sunt, cum actis Octavæ B synodi generalis Græcis, eorumque translatione Latina excusa est.

XII. * *

Sæculo duodecimo medio anno 1154. Lucas Chrysoberges Patriarcha decreto synodali prohibuit, ne episcoporum morientium bona præriperentur; cui condendo aderat *Nazianzi* metropolita, καὶ Ναζιανζοῦ. Jur. Gr. Rom. lib. 4. p. 282.

XIII. NICEPHORUS.

C Eodem Luca Patriarcha Constantinopoli, anno 1167. synodus altera habita est propter Alamanos, quos Joannes quidam monachus hæresis taxaverat. Aderat *Nicephorus Nazianzi*. Leo Allat. lib. 3. de cons. cap. 11.

XIV. * * *

Isaacius Angelus Imp. edicto præcepit ut episcopi omnes qui in Urbe præsentes forent, ad episcoporum electiones, quæ illic fierent, invitarentur, quam sanctionem metropolitis multis considentibus edidit, quorum unus erat *Nazianzenus*. ὁ Ναζιανζοῦ. Ibid. lib. 2. pag. 175.

III.

ECCLESIA COLONIÆ.

UT in Armenia minore, ita & in Cappadocia civitas fuit *Colonia* nuncupata, quam Notitiæ Mocesso metropoli subjectam habent, & cujus episcopi aliquot in synodorum gestis memorantur. Illius, ut videtur, nomen aliud antiquitus fuit, sed quod nullo nobis auctore compertum est. Sequiori ævo *Taxara* dicta est, Niceta Choniata teste lib. 3. n. 4. Μελιτηνὴν δὲ, καὶ σὺν Καισαρείᾳ Κολώνειαν, ἣ νῦν Ταξάρα.

EPISCOPI COLONIÆ.

I. EUPHRASIUS.

IN Nicæni Concilii Patrum Indice, inter episcopos Cappadociæ censetur *Euphrasius Coloniensis.*

II. BOSPORUS.

Epistola 86. Basilii Magni anno 374. scripta est *Bosporo episcopo, Coloniæ* utique, ut mox planum fiet, cui gravis acciderat rumor, quo ferebatur Dianæum Basilii decessorem habitum esse ab ipso Basilio tamquam hæreticum: quod Basilius procul à se amolitur, falsumque esse declarat. Amicitia cum Gregorio Nazianzeno conjunctissimus Bosporus fuit, cujus ad ipsum literæ exstant 14. & 141. Βοσπόρῳ Κολωνείας. Epist. 227.

ECCLESIA COLONIÆ.

Nectario, utique Constantinopolitano, *Bosporum* egregie commendat, cui, *tum vitæ ratio, tum ætas quoque, venerationem conciliarent*, ὑπὲρ αἰδεσιμωτάτου ἐπισκόπου Βοσπόρου, ᾧ καὶ πολιτεία καὶ χρόνος βέβαιοῖ τὸ αἰδέσιμον. Ita quoque epist. 225. *Theodoro Tyanensi* data, in qua, non de Doarensi, sed de Coloniensi præsule, sermonem esse Justiniani de Tribus capitulis edicto fertur. Perperam enim Theodotus Diaconus Collat. v. Quintæ synodi hunc Bosporum Doarorum episcopum appellavit. Quæ dixi, scribebat Theologus post Constantinopolitanum concilium generale primum in cujus Patrum Indice qui superest, *Bosphorus Coloniensis* legitur; ac certe inter Cappadociæ præsules. Anno 404. quo S. Joannes Chrysostomus Cucusum deportatus est, quadragesimum octavum episcopatus annum agebat, Palladio teste in Dialogo de vita ejusdem S. Joannis Chrysostomi. *Laudabat Joannes*, inquit, *& mirabatur secundæ Cappadociæ episcopos, qui multis lacrymis exsulibus præsulibus condolerent, præsertim mitissimum Tyanorum episcopum*, καὶ Βοσπόριον Κολωνείας τεσσαράκοντα ὄγδοον ἔτος ἔχοντα ἐν τῇ ἐπισκοπῇ, & *Bosporium Coloniæ, quadraginta octo annos habentem episcopatus.*

III. Daniel.

Ephesinæ synodo primæ adfuit & subscripsit *Daniel episcopus Coloniæ secundæ Cappadociæ.* Ita passim Latini codices, & apud Marium Mercatorem, necnon act. 1. concilii Chalcedonensis, in qua Ephesini prioris acta relecta sunt. Ejus tamen nomen è Græcis voluminibus excidit, ut & aliorum multorum.

IV. Aristomachus.

In Chalcedonensi sedit, & per Theodosium Nazianzi subscripsit *Aristomachus episcopus Coloniæ*, Ἀριστόμαχος ἐπίσκοπος Κολωνείας, qui septimo post anno subscripsit quoque epistolæ synodi Cappadociæ secundæ ad Leonem Imper.

V. Alexander.

In synodo Constantinopolitana sub Menna patriarcha anno 538. sedit ac subscripsit *Alexander episcopus civitatis Coloniæ, provinciæ secundæ Cappadociæ.* Ἀλέξανδρος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος πόλεως Κολωνείας, τῆς δευτέρας τῶν Καππαδόκων ἐπαρχίας.

VI. Conon.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus legitur Κόνων ἐλάχιστος ἐπίσκοπος πόλεως Κολωνείας, τῆς δευτέρας τῶν Καππαδόκων ἐπαρχίας. *Conon minimus episcopus civitatis Coloniæ, provinciæ secundæ Cappadociæ.*

VII. Constantinus.

Inter archiepiscopos aut metropolitas qui pseudo-synodo Photianæ, sub Joanne Papa VIII. sedebant, legitur *Constantinus Coloniæ*, utique Cappadociæ, Κωνσταντίνου Κολωνείας, Κωνσταντῖνος Κολωνείας.

IV.

ECCLESIA PARNASI.

CONSTANTINO Porphyrogenneto *Parnasus* Παρνασὸς, Cappadociæ civitas est, velut & Hierocli & Notitiarum aliarum scriptoribus; de quâ nihil apud veteres.

EPISCOPI PARNASI.

I. Pancratius.

ENCYCLIÆ Arianorum, qui à Sardicensi synodo Philippopolim secesserunt, subscripsit *Pancratius episcopus à Parnaso.*

II. Hypsius.

III. Ecdicius hæreticus.

Basilius epist. 264. queritur à Demosthene Præfecti Orientis vicario, hyemis ac brumæ medio, per valentissima frigora reproborum concilium esse coactum Ancyræ in Galatia, atque ejecto *Hypsio*, suffectum illi fuisse *Ecdicium.* ἐξέβαλε μὲν τὸν Ὕψιον, ἀντικατέστησε δὲ τὸν Ἐκδίκιον. Atqui epist. 10. Ecdicium ab Arianis Parnaso datum episcopum luget, καὶ Ἐκδικίου τοῦ Παρνασηνοῦ.

ECDICIUS.

IV. Olympius.

In Indice Patrum concilii Constantinopolitani prioris generalis, de provincia Cappadociæ censetur *Olympius Parnasensis.*

V. Eustathius I.

Ephesi à partibus Joannis Antiocheni & Orientalium adversùs sanctam synodum pro Nestorio stetit aliquandiu *Eustathius Parnasi.* Εὐστάθιος Παρνασοῦ, qui proinde meruit communione & sacerdotio, ut & socii sui, amoveri: post verò ad unitatem rediit, & anno 448. concilio adfuit Constantinopolitano S. Flaviani, in quo Eutyches hæresis convictus est. Rursum post tres annos sedit in Chalcedonensi generali, cujus decretis act. præsertim VI. subscripsit; quin etiam annis

ECCLESIA PARNASI. septem elapsis epistolæ synodi secundæ Cappadociæ ad Leonem Imp. Ubi enim legitur *Eustathius episcopus Paterni*, emendandum est *Parnassi*; quod evincunt subscriptiones decreti Gennadii Constantinopolitani *de Simoniacis*, in quibus reperitur Εὐστάθιος ἐπίσκοπος Παρνασοῦ, *Eustathius episcopus Parnassi.*

VI. Pelagius.

Synodo Constantinopolitanæ sub Menna anno 538. adfuit & subscripsit *Pelagius episcopus Parnassi*, Πελάγιος ἐπίσκοπος Παρνασοῦ.

VII. Eustathius II.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus legitur, Εὐστάθιος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος Παρνασοῦ τῆς δευτέρας τῶν Καππαδόκων ἐπαρχίας. *Eustathius minimus episcopus Parnassi, provinciæ secundæ Cappadociæ.*

VIII. Stephanus.

In Septima synodo generali sedit & subscripsit, *Stephanus episcopus Parnassi*, Στέφανος ἐπίσκοπος Παρνασοῦ.

IX. Theognostus.

In Octava synodo generali, *Theognostus misericordia Dei episcopus Parnassi.*

V. ECCLESIA DOARORUM.

Hierocles in Cappadocia secunda *Doara* civitatem habet, ut & Constantinus Porphyrogennetus, quam *Regedoara* vocant, Ῥεγεδόαρα; quæ tertiæ censetur in Notitiis aliis episcopatuum. Basilius epist. 10. hanc *vicum* appellat, κώμην, sed in vicis vel oppidis, vel castellis episcopi per illas provincias constituebantur. Nulla Doarorum apud veteres mentio est.

EPISCOPI DOARORUM.

I. Georgius *Arianus.*
II. * * * *Arianus.*

Primus qui occurrat Doarorum episcopus, ex Arianorum factione fuit, *Georgius* nomine, Basilio teste, ep. 10. vir ecclesiæ infestus, corruptisque moribus. Δοάροις δὲ τῇ κώμῃ φθόρον ἄνθρωπον, ὀρφανῶν οἰκέτην, ἀποδράντα μὲν τοὺς ἑαυτοῦ δεσπότας, διὰ δὲ κολακείας ἀθέου γυναίου, ᾗ πρότερον μὲν Γεωργίῳ κέχρητο πρὸς τὸ ἴδιον θέλημα, νῦν δὲ τοῦτον διάδοχον ἐκείνου ἔπεμψαν, τὸ ἐλεεινὸν τῆς ἐπισκοπῆς καθυβρίζοντες ὄνομα. *Ad vicum Doara miserunt hominem corruptum, orphanorum famulum, qui à suis dominis fugit, sed impiæ mulieris, quæ prius quidem Georgio ad libitum usa est, modo vero hunc nacta est qui ei succederet, miserandum episcopatus nomen ludibrio habentes.* Quo loco Georgii successor indicatur, Arianus alter, cujus nomen omissum.

III. Eulalius.

Posthac Doaris præfuit *Eulalius*. Gregorius Nazianzenus orationem 30. habuit in *Eulalii episcopi Doarorum ordinationem*, εἰς τὴν χειροτονίαν Δοάρων ὁμιλία, ἐκδοθεῖσα Εὐλαλίῳ ἐπισκόπῳ. In ea calamitates describit, quas ab Arianis Doarensis ecclesia passa erat, Eulaliumque laudat uti pastorem dignissimum & præstantissimum, quem Spiritus sanctus inunxit, angeli obtulerunt, vita & mores commendarunt.

IV. Anebrius.

Epistolæ synodi Cappadociæ secundæ ad Leonem Imp. de Concilio Chalcedonensi, subscriptus legitur *Anebrius episcopus Doalæ. Anebrius* corrupta utique vox est, ac pro *Doalæ*, legendum *Doaræ*.

V. Theodorus.

Sextæ synodo generali adfuit & subscripsit *Theodorus episcopus Doarorum provinciæ secundæ Cappadociæ*, Θεόδωρος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Δοάρων τῆς δευτέρας Καππαδοκίας, qui Quinisextæ quoque synodi canonibus subscriptus legitur.

VI. Bardanes.

Septimæ item synodo, *Bardanes episcopus Doarorum*, Βαρδάνης ἐπίσκοπος Δοάρων.



IV. PROVINCIA ARMENIÆ PRIMÆ.

I. ECCLESIA SEBASTES, METROPOLIS.

HIC de Armenia minore ſermo eſt, cis Euphratem ſita, quo interfluente à majore Armenia dirimitur; quæ ante Chriſtum natum, quum propriis Dynaſtis ſuis paruiſſet, Dejotaro rege defuncto, Romani Imperii portio, provinciaque facta eſt; ſubinde autem in duas provincias Romanas ſecta fuit: ac prima quidem Ponto attributa eſt, ſeu Cappadociæ Ponticæ, cujus caput *Sebaſtia*, ſive *Sebaſte* fuit. Quocirca Plinius, lib. 6. cap. 3. *Cappadocia intus oppida habet*, inquit, *Comana, quod Sarus . . . præfluit, in Colopœna verò Sebaſtiam & Sebaſtopolim; ſed parva & paria ſupradictis*. Verum Sebaſtia, exiguum Plinii ævo oppidum, clarior poſthac civitas evaſit, ut Armeniæ primæ metropolis fieret. Quin nec inſequutis temporibus à priſtina claritate deſcivit, quando Laonicus Chalcondylus, lib. 3. de rebus Turcicis, opulentam urbem Sebaſtiam fuiſſe prodit, dum à Timuro, ſeu Tamerlane expugnata deletaque eſt, cujus oppidani ad duodecim myriades numerarentur. Procopius Sebaſtiam à Juſtiniano Imp. refectam ſcribit, lib. 3. de ædif. cap. 4. *Mœnia quoque Sebaſtiæ*, inquit, *& Nicopolis, quæ ſunt urbes Armeniæ, Juſtinianus nova fabrica inſtauravit.* Ab eodem Principe ex duabus Armeniis quatuor factæ ſunt Novella ipſius XXXI. una interior, cujus caput *Bazanis*, ſive *Leontopolis*, cui aſſignatæ urbes Theodoſiopolis, Satala, Nicopolis, Colonea quoque, Trapezus, Ceraſus. Secunda, quæ antè prima dicebatur; in qua cæteras urbes præcederet Sebaſtia, cui obnoxia Sebaſtopolis fuit, Comana ex Ponto Polemoniaco avulſa, Zela ex Helenoponto, necnon Briſa. Armeniæ tertiæ caput erat Melitene, cui addictæ Arca, Arabiſſus, Ariarathia, Comana altera ſeu Chryſa, & Cucuſus. Demum Armenia quarta, quæ prius in forma provinciæ non erat, ſed è multis gentibus collecta, quas enumerat Imperator, Martyropolim primariam illius urbem fore decernens. Ex qua ſanctione diſcimus quid cauſæ ſit cur Sebaſtia, quæ in Chalcedonenſis ſynodi geſtis, alibique Armeniæ primæ metropolis legitur, in ſubſcriptionibus Sextæ & Quiniſextæ canonum, ſecundæ dumtaxat caput dicatur. Cæterum Juſtinianus edicto caverat ſuo, ne nova hac diſpoſitione civili eccleſiaſticarum provinciarum ordo mutaretur. *Quæ verò ad ſacerdotia ſpectant*, inquit, *ea, ut ſæpè diximus, volumus in priſtina manere forma, negotio ipſo, neque circa jus metropoliticum, neque circa ordinationes, nec mutationem, vel novationem ſuſcipiente; ſed prius ordinatis, nunc quoque ex ordinatione auctoritatem obtinentibus, & prioribus item metropolitanis in ſuo permanentibus ordine, ut quantum ad ipſa nihil innovetur.* Id quod etiam de Moceſſo, & Cappadociæ quartæ, quam Juſtinianus idem inſtituit, civitatibus diximus, quæ diu deinceps Tyanenſi metropolitæ ſubjectæ fuerunt. Sebaſtiæ porro eccleſia multis olim martyribus ornata fuit, qui Diocletiano, Maximiano & Licinio Imppp. claruerunt, ut tertio ſaltem ſæculo Chriſtianorum numerus admodùm in ea auctus ſit. Quinimo ex Græcorum Menologiis, ab ipſis fere Apoſtolorum temporibus; quibus, velut Oneſiphorus Apoſtoli Pauli diſcipulus in Helenoponto ab Adriano proconſule, ita & ab eodem Antiochus medicus Sebaſtiæ morti Fidei chriſtianæ cauſa traditus fuit.

EPISCOPI SEBASTES.

I. Meruzanes.

ARMENIÆ, utique minoris potius, quàm majoris, adeoque Sebaſtes metropolis ſæculo tertio medio epiſcopus erat *Meruzanes*, ad quem Dionyſius Alexandrinus epiſtolam *de Pœnitentia*, contra Novatianos utique, ſcripſit: Καὶ τοῖς κατ' Ἀρμενίαν ὡσαύτως περὶ μετανοίας ἐπιστέλλει, ὧν ἐπεσκόπευε Μερουζάνης, ait Euſebius, lib. 6. hiſt. cap. 40.

II. Blasius *Martyr*.

Sebaſtes vel Sebaſtiæ in Armenia minore epiſcopus *S. Blaſius* fuit, quem Martyrologium Romanum, Menologia Græcorum, & Paſſionis ejus narratio, quæ inter Acta SS. ad

ECCLESIA SEBASTES.

diem 3. Februarii edita ſunt, in perſequutione Licinii Imp. ſub Agricolao præſide martyrio perfunctum ferunt. Cæterum eruditiſſimi illorum Actorum editores pag. 332. obſervant, Blaſium ſub Diocletiano Sebaſtenæ eccleſiæ præfuiſſe; quod evincunt allatis S. Euſtratii martyris geſtis, quæ ad diem 13. Decembris ſpectant. In his quippe legitur Sebaſtiæ epiſcopum qui diu latuerat, pecunia militibus data, obtinuiſſe, ut Euſtratium inviſeret, tum narrata Martyris nece, additur: *Sanctiſſimus vero epiſcopus Blaſius, acceptis ſancti reliquiis, iiſque cum S. Oreſtis corpore compoſitis, ea implevit quæ mandata erant in teſtamento S. Euſtratii.*

III. Petrus I.

S. Martyris Blaſii ſucceſſor utique fuit *Petrus* cujus eſt mentio in Actis SS. Quadraginta martyrum, quos ſub Licinio paſſos colit Eccleſia; quorum nempe ſacros cineres tertio poſt ipſorum paſſionem die collegit. *Tranſactis diebus tribus, poſtquam cineres almi in fluvium ſunt dejecti, revelatum beatiſſimo Petro ejuſdem urbis epiſcopo, ut iret, & ſancta illa pignora exhinc ſtudioſiſſime revelaret. Qui nihil de viſione hæſitans, congregatis clericis religioſiſſimis viris, ad ripam pervenit fluminis. Mira res; ubicumque ex ipſis reliquiis aliquid jacebat, ita coruſcabat, ac ſi clarum lumen fuiſſet. Quas curioſiſſime colligentes, in præparatis loculis ſumma cum veneratione condiderunt.* Sic acta iſta quæ Evodio Cæſareæ epiſcopo attribuuntur: alia vero Petri nomen ſilent. Cæterum Petri epiſcopi Sebaſteni I. meminit Gregorius Nyſſenus Petri II. germanus frater epiſtola ad Flavianum, ceu cu-
D jus memoria apud Sebaſtenos magni pretii eſſet. καὶ τέλος τὴν μνήμην τοῦ μακαριωτάτου Πέτρου παρὰ Σεβαστηνοῖς πρώτως ἀγομένην ἐπιτελέσας. *Tamdemque, quum beatiſſimi Petri memoriam, quæ prius apud Sebaſtenos celebrabatur, egiſſem, ibique ſanctorum martyrum, qui apud illos eodem Petri ævo vixerunt,* τὸν αὐτὸν χρόνον συνδιαγόντων ἐκείνῳ, *converſo itinere in meam me eccleſiam recepi.* Nec dubium eſt quin ſanctiſſimos Quadraginta martyres innuat.

IV. Eulogius.

Poſt Petrum Sebaſtes pontifex fuit *Eulogius*, qui in Indice Patrum Nicænorum, *de provincia Armeniæ minoris* cenſetur, *Eulogius Sebaſtenſis*, vel *Sebaſtenus*, pro varietate codicum; in quorum nonnullis etiam *Eulalius* ſcribitur.

V. Eustathius.

Nemini non notus eſt *Euſtathius* ille Sebaſtiæ epiſcopus, qui Cæſareæ, ut videtur;
A Cappadociæ, natus Eulalio parente illius ſedis antiſtite, quemadmodum ex Socrate & Sozomeno in *Eulalio* dictum eſt, Alexandriam profectus, inter *ſelectiſſimos Arii diſcipulos* meruit. Ad ſuos reverſus, quum aſceticæ vitæ operam daret, multis erroribus implicatus, Gangrenſis ſynodi ſententia, presbyteri gradu quem obtinuerat, amotus eſt, patre ipſo Eulalio ſuffragante. Poſt Hermogeni qui Eulalio ſucceſſit, Fidei profeſſionem, ipſamque Nicænam porrexit, & ab eo Sebaſtiæ epiſcopus eſt conſecratus, καὶ οὕτω τὴν
B χειροτονίαν ὑπ' αὐτοῦ δεξάμενος. Verum Hermogene defuncto, Euſebio olim Nicomedienſi, tunc vero Byzantino præſuli, ſe dedidit; à quo tamen ideo rejectus eſt, quod ob res quaſdam quæ ſibi commiſſæ erant, male adminiſtratas jam fuerat abdicatus. Ancyrano concilio interfuit anno 358. Epiphanio teſte hær. 74. ac ſubinde Seleucienſi, in quo à Semiarianorum partibus ſtetit: quamobrem paulo poſt ab Acacio Cæſareæ Palæſtinæ ejuſque ſociis Arianis in conventu Conſtantinopolitano exauctoratus fuit, his præſertim de
C cauſis, quod ab Eulalio patre ſuo damnatus primùm fuerat, & communione privatus, quia veſtem à clericali profeſſione alienam geſtabat; quod Neocæſareæ in Ponto, ingreſſu eccleſiæ prohibitus erat, damnatuſque iterum ab Euſebio; quod in Concilio Gangrenſi epiſcopali gradu ob male ſanam doctrinam, dejectus; quod in Concilio Antiocheno perjurii convictus; quod Concilii Melitenenſis decreta evertere aggreſſus, judicis partes ſuſcipere, & eos qui alterius opinionis erant accuſare non dubitarat. Cunctas ſynodos
D non recenſeo, quibus ille adfuit, Conſtantio, Juliano, Joviano Imppp. Ab Euſebio, ut prædictum eſt, rejectus, in patriam rediit, ubi ſanam Fidem ſimulavit, in aliis autem, modo Arianam, mox Semiarianam hæreſim oſtentavit. Sub Valente Imp. Zelis & Lampſaci, Semiarianorum formulis ſubſcripſit; Nicomediæ, Arianorum anno 366. Mox Romam pergens, epiſcoporum Aſiæ qui Smyrnam convenerant nomine libellum Liberio Papæ dedit, quo Filium Patri conſubſtantialem profitebantur: cui viciſſim Liberius epiſtolam
E ad Orientales tradidit, quæ ſubinde in Tyanenſi aliiſque conciliis lecta eſt. Româ revertens, concilium epiſcoporum Illyrici adiit, in quo catholicam perinde Fidem admiſit. Inter Baſilii epiſtolas ſeptuageſima octava inſcribitur. *Exemplum Fidei quam Baſilius magnus prædicavit, cui ſubſcripſit Euſtathius Sebaſtiæ epiſcopus*, ᾗ ὑπέγραψεν Εὐστάθιος ὁ Σεβαστείας ἐπίσκοπος. Subſcripſit, inquam, in hunc modum: ἐγὼ Εὐστάθιος σοὶ Βασιλείῳ ἀναγνοὺς ἐγνώρισα, καὶ συνῄνεσα τοῖς προγεγραμμένοις ὑπέ-

γράψαι δὲ συμπαρόντων μοι τῶν ἀδελφῶν, τοῦ ἡμετέρου Φρόντωνος, καὶ τοῦ χωρεπισκόπου Σευήρου, καὶ τῶν ἄλλων τινῶν κληρικῶν. *Ego Eustathius episcopus Basilio legi, agnovi, & his quæ præscripta sunt, consensi. Subscripsi autem cum his qui mihi aderant fratribus, Frontone nostro, & chorepiscopo Severo, atque aliis nonnullis clericis.* Quod contigit anno 378. Nihilominus, quia veræ Fidei tenax non erat, Orientales ab Occidentalibus à quibus Romæ admissus fuerat, postulaverant ut ejus destitutionem ratam haberent. Ad ordinem igitur Eustathius redactus erat, aut fato functus anno 380. quo Petrus S. Basilii frater ejus in locum suffectus fuit. Cæterum non defuere, qui asceticas Basilii Magni regulas, aut bonam illarum partem Eustathio Sebasteno adscripserunt.

VI. MELETIUS.

VII. EUSTATHIUS *secundùm.*

Eustathii res gestas una serie paucis perstringere opus fuit: verum eo in Melitenensi vel Cæsariensi, ut prædictum est, synodo exauctorato circa annum 357. Meletius primum suffectus est, eximiæ vir mansuetudinis, atque ad dicendum & persuadendum quam qui maxime idoneus; qui ob difficiles Sebasteni populi mores in Syriam secessit, ubi in Berrhœensem episcopum assumtus fuit, ac postmodum in Antiochenum anno 360. *Hic,* ait lib. 2. c. 44. Socrates, *Sebastiæ Armeniæ episcopus est renuntiatus, Eustathio destituto.* οὗτος γὰρ τῆς Ἀρμενίων Σεβαστείας ἐπίσκοπος προεχειρίσθη, Εὐσταθίου καθαιρεθέντος. Ita quoque Sozomenus lib. 3. c. 25. Quam tamen Meletii Eustathio subrogationem, licet ambo scriptores statim à Constantinopolitano post Seleuciensem synodum conventu factam innuant, ad anteriora tempora retrahendam nemo prudens inficiabitur; quando inprimis compertum est Meletium ad Antiochenam sedem fuisse promotum dum Seleuciensis synodus cogebatur. Theodoretus lib. 2. c. 31. Meletium cujusdam urbis Armeniæ antistitem fuisse ait, quando Antiochenæ præsul factus est, omisso, tum civitatis illius Armeniæ nomine, tum Berrhœensi quem postmodum gesserat, episcopatu.

EUSTATHIUS *secundùm.*

At vero Eustathius post Meletii discessum nihil cunctatus, Sebastiæ ecclesiam iterum apprehendit, nulla alterius concilii à quo restitueretur auctoritate vel concessione, propter quod inprimis facinus ab Arianis qui Constantinopoli, ut narravi, convenerant, sacerdotio amotus fuit. Nihilominus sedem paulò post repetiit sub Juliano Imperatore, quam tenuit toto fere Valentis Augusti tempore.

VIII. PETRUS II.

ECCLESIA SEBASTES.

Post Eustathium *Sebastiæ* sedi impositus fuit *Petrus* S. Basilii germanus frater natu minimus, ac certe Basilio jam defuncto. Ad hunc quippe, dum Cæsareæ adhuc presbyter erat, Gregorius Nyssenus, (anno 379. Aprili exeunte) librum nuncupavit *De opificio hominis*, quemadmodum veteri Dionysii exigui translatione Latina fertur, *Ad fratrem suum Petrum presbyterum.* Anno vero 381. Constantinopolitano concilio generali primo interfuit cum Gregorio Nysseno fratre. *Aderant,* ait Theodoretus, lib. 5. cap. 38. *viri admiratione digni, zelo & sapientia pleni, Helladius quidem magni Basilii præsulatûs successor, Gregorius & Petrus, qui iisdem ac Basilius parentibus gloriabantur,* Γρηγόριος δὲ καὶ Πέτρος, οἱ τοὺς αὐτοὺς Βασιλείῳ πατέρας αὐχήσαντες. In vivis agebat adhuc Petrus anno 391. quo sanctissima vidua Olympias facultates suas à Theodosio M. recepit. Palladius enim Dial. de vita S. Joannis Chrysost. testatur illam Amphilochio Iconii, Optimo Antiochiæ Pisidiæ, Gregorio (utique Nysseno) Petro quoque Basilii fratri, agrorum possessiones, multasque pecunias dedisse, quas in pauperes erogarent, καὶ Πέτρον τὸν ἀδελφὸν Βασιλείου. Obiisse illum ante Nyssenum fratrem perperam aliqui inferunt ex ejusdem Nysseni epistola ad Flavianum, qua se Sebastiam ivisse ait, ad B. Petri memoriam quæ illic prima vice agebatur. Nam Gregorium de Petro I. SS. 40. Martyrum æquale loquutum ostendi. Una superest Petri Sebasteni ad Gregorium fratrem epistola, quæ ejusdem Gregorii libris adversus Eunomium præfixa est, Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Πέτρου ἐπισκόπου Σεβαστείας πρὸς τὸν ἅγιον Γρηγόριον Νύσσης τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ. In Martyrologio Romano die 9. Januarii fertur: *Sebastiæ in Armenia S. Petri episcopi fratris S. Basilii Magni.*

IX. JOANNES I.

In Ephesina synodo secunda sedit, ejusque profanis decretis suffragatus est *Joannes episcopus Sebastiæ Armeniæ,* Ἰωάννης ἐπίσκοπος Σεβαστείας Ἀρμενίας: qui rem male gestam emendavit in concilio Chalcedonensi; cujus etiam sacras de Fide sanctiones confirmavit, epistolæ subscribens synodi provinciæ Armeniæ ad Leonem Imp.

X. * * *

Anno circiter 480. Joannes, qui à strictissimo longoque silentio quod in S. Sabbæ Laura tenuit, Ἡσυχαστής, *Silentiarius* est cognominatus, Coloniæ in Armenia episcopus consecratus fuerat à Sebastiæ metropolita, cujus

ECCLESIA SEBASTES.

nomen omissum est in vita S. Sabbæ, ubi ordinationis illius mentio fit, necnon in ejusdem sancti Joannis vita.

XI. NICEPHORUS.

Sebastiæ in Armenia episcopus utique erat *Nicephorus* ille *Sebastes* episcopus Monophysita, quem Dionysius Jacobitarum Patriarcha à Justino Imp. anno 518. exsulare jussum perhibet in Chronico. tom. 2. Bibl. Orient. Dissert. de Monophysitis n. 2.

XII. AUXENTIUS.

In synodo Constantinopolitana quæ, Mennâ patriarchâ præside, Anthimum ejus decessorem hæreticum damnavit, inter metropolitas ante Iconiensem & Synnadensem subscripsit *Auxentius episcopus Sebastiæ*, Αὐξέντιος ἐπίσκοπος Σεβαστείας.

XIII. RUFINUS.

In Quinta synodo generali sedit *Rufinus* A *episcopus Sebastiæ Armeniæ*, subscripsitque, *Rufinus, misericordia Dei, episcopus Sebastenorum metropoleos.*

XIV. THEODOSIUS.

In Sexta synodo, *Theodosius episcopus metropolis Sebastenorum, provinciæ secundæ Armeniæ*, Θεοδόσιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Σεβαστηνῶν μητροπόλεως, τῆς δευτέρας τῶν Ἀρμενίων ἐπαρχίας.

XV. LEONTIUS.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus B legitur, Λεόντιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Σεβαστείας, τῆς δευτέρας τῶν Ἀρμενίων ἐπαρχίας. *Leontius indignus episcopus Sebastiæ secundæ Armeniorum provinciæ.*

Armenia minore à Mohammedanis principibus occupata, non est quod quisquam miretur ex hac provincia neminem deinceps ad synodos accessisse, quæ Constantinopoli celebratæ sunt.

II.

ECCLESIA SEBASTOPOLIS.

SEBASTOPOLIS Σεβαστούπολις duplex fuit, alia in Colchide, quæ & *Dioscurias* olim dicta est, & à Justiniano Imp. Ponto Polemoniaco attributa; alia in Armenia minore, quam Plinius in regione Colopena collocat, parvamque fuisse ait, non tamen Amasea & Neocæsarea Ponticis urbibus minorem. Medio hæc itinere stabat, euntibus Turia Galatiæ Sebastiam Armeniæ, à qua triginta millibus remota erat ex Antonini Itinerario, atque ad Irim fluvium posita Ptolemæo. In Notitiis ecclesiasticis Armeniæ primæ censetur sub Sebastia metropoli.

EPISCOPI SEBASTOPOLIS.

I. MELITIUS.

QUem Eusebius, lib. 7. histor. cap. 31. Ponticarum ecclesiarum episcopum à se visum *Melitium* scribit, Μελίτιον δὲ τῶν κατὰ Πόντον ἐκκλησιῶν ἐπίσκοπον, virum omni disciplinarum genere excultissimum, & à nemine, quod facundiam adtinet, pro merito laudatum, hunc Philostorgius, lib. 1. cap. 8. Sebastopolis præsulem fuisse testatus est, καὶ Μελέτιον Σεβαστόπολεως, atque in Nicæna synodo sedisse. Ejus vero nomen in Indice Patrum hujus concilii Latino abest, ut & aliorum complurium. Basilius Magnus, lib. de Spiritu S. cap. 29. inter anteacti ævi doctores, qui Spiritum Sanctum cum Patre & Filio simul laudari dixerunt, Melitium hunc appellavit, post Gregorium Thaumaturgum & Firmilianum. Quamobrem hic ipse Melitius est, quem Athanasius etiam, lib. 1.° contra Arianos cum præcipuis Ecclesiæ scriptoribus profert, qui calamum in illos jam strinxerant, ἡ τῶν μεγάλων Βασιλείου καὶ Με- C λιτίου, *magnorumque Basilei & Melitii, necnon Longiani, cum reliquis Ponti & Armeniæ pontificibus.* Philostorgius quoque unà Basileum & Melitium perinde memorat catholicæ Fidei vindices.

II. CECROPIUS.

In Chalcedonensi synodo sedit & subscripsit, Armeniæ minoris episcoporum post metropolitam primus, *Cecropius episcopus Sebastopolit*, Κεκρόπιος ἐπίσκοπος Σεβαστουπόλεως.

III. GREGORIUS.

D Epistolæ synodi Armeniæ primæ ad Leonem Imper. subscripsit *Gregorius episcopus Sebastopolis.* Putaverit tamen forsan aliquis amanuensem Latinum *Gregorium* pro *Cecropio* scripsisse.

IV. PHOTIUS.

Synodi Trullanæ canonibus subscriptus legitur, Φώτιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Σεβαστουπόλεως, *Photius indignus episcopus Sebastopolis.*



III. ECCLESIA

III.

ECCLESIA NICOPOLIS.

NICOPOLIS, Νικόπολις, Armeniæ minoris civitas censetur, aliquantum ab Euphrate remota, interiusque exsistens juxta montana, Ptolemæo, hancque Strabo, lib. 12. à Pompeio M. conditam tradit. *Mithridates,* inquit, *urgente Pompeio occupans in Acelesina montem quemdam aquis abundantem, per quem Euphrates fluebat, qui ab Armenia minore disterminat Acelesinam, tamdiu ibi est commoratus, donec propter obsidionem in Bosporum fugere est coactus. Pompeius circà hunc locum urbem condidit in Armenia minore nomine Nicopolim, quæ nunc etiam stat, & optime habitatur.* Procopius, lib. 3. de ædif. cap. 7. Justinianum mœnia Sebastiæ & Sebastopolis instaurasse scribit, Nicopoli vero Martyrium ecclesiamve Quadraginta martyrum exstruxisse. In Notitiis omnibus Nicopolis Armeniæ primæ civitas est. Cæterum quibusdam Basilii literis innui videtur hanc nonnullis metropoliticis juribus potitam esse. Nam epist. 292. *Ad Colonienses* Armeniæ, Nicopolis ecclesia Coloniensis *mater* dicitur, μὴ δικαιολογεῖσθε πρὸς τὴν μητέρα ὑμῶν τὴν ἐν Νικοπόλει ἐκκλησίαν, *Judicio ne contendatis cum matre vestra Nicopolis ecclesia.* Epist. 185. se ad concilium vocatum scribebat, quod à Theodoto Nicopolitano celebrabatur; ἡμεῖς κληθέντες εἰς σύνοδον παρὰ τοῦ Θεοδότου τελουμένην. Alibi Theodoto scribebat, Faustum quemdam ad se de Armenia venisse, ut episcopus consecraretur: qui postulatus ut ejusdem Theodoti & reliquorum episcoporum literas proferret, ad Anthimum perrexerat, à quo præter leges fuit ordinatus. Annon vero potestas hæc ab ipso Basilio & aliis Ponti episcopis Theodoto credita erat, propter Eustathium Sebastenum, qui multis de causis communione & sacerdotio exciderat? Atqui magnus idem Basilius Nicopolitanam ecclesiam epist. 194. admodum commendat, tamquam *rectæ doctrinæ metropolim,* ὡς ὀρθοδοξίας μητρόπολιν ὑμῶν, quam viri præstantissimi à Deo selecti gubernarant. Epist. 192. Nicopolis presbyteros confessorum & martyrum filios dicit, qui ad sanguinem usque pro Fide steterant. Hanc hodie *Gianich* nominari aiunt, ad Argæum montem positam.

EPISCOPI NICOPOLIS.

I. Theodotus.

NICOPOLIS episcopum reperi neminem *Theodoto* antiquiorem, qui anno 372. sedebat, nomenque illius exstat in epistolæ capite, quam hoc ipso anno Basilius cum episcopis aliis Orientis ad Occidentales scripsit: sed & alias eidem Theodoto literas dedit. Cæterum ep. 187. *Terentio comiti,* aversum à se queritur Theodoti animum, quem adjutorem reperire debuisset in his quæ in Armenia patrare statuerat; seque ad synodum Nicopolitanam, à Theodoto licet invitatum, admissum non esse. Simultatis hujus causam ille obtendebat, Eustathium Sebastenum communione à Basilio donatum.

II. Fronto *intrusus.*

Theodoto defuncto, Galatiæ & Ponti episcoporum coacta Nyssæ synodus fuit per Demosthenem Præfecti vicarium, qui Sebastiam translati, hoc in primis contenderunt, ut Nicopolitani Eustathium Sebastenum admitterent, atque ab eo episcopum acciperent. πείθειν γὰρ ἐπεχειροῦντο δέξασθαι τὸν Εὐστάθιον, ait epist. 264. Basilius, καὶ δι' αὐτοῦ λαβεῖν τὸν ἐπίσκοπον. Episcopus ille erat *Fronto,* rectæ quondam confessionis testis, sed à qua Eustathii exemplo desciverat. *Quis,* ait epist. 10. Gregorio Nazianzeno Basilius, *res Nicopolitarum digne lu-*

A *geat, quando miser ille Fronto,* τοῦ ἀθλίου Φρόντωνος, *qui veritatis patrocinium antè simulabat, tamdem vero & Fidem & seipsum prodidit, perfidiæ mercedem ignominiam nactus! Nam ad episcopatûs fastigium ab eis est evectus, sed per Dei gratiam Armeniæ exsecratio factus est.* De illius igitur ordinatione Basilius ep. 192. *ad Nicopolitanos* dixisse censendus est: *Non agnosco episcopum, nec Christi sacerdotibus illum annumero, qui a profanis manibus in sui perniciem promotus est.* Qua epistola monebat, ne Frontoni jungerentur. Epistolis quoque 190. & 191. Nicopolitanorum calamitates lugebat, quibus ab eo vexabantur.

B

III. Euphronius.

Frontoni suffectus est *Euphronius,* sed Coloniam à Basilio translatus; de quo mox in *Episcopis Coloniæ.*

IV. Panestius.

Basilius epist. 193. & 194. *Nicopolitanis civibus,* gratulatus est, quod episcopo potirentur, qualem optaverant, περιέχεσθαι τοῦ διδομένου ὑμῖν ἐπισκόπου. Id Armeniæ præsules patrasse ait epist. 293. Atqui hunc *Panestium* nominatum significat Pœmenio *Satalorum,* ὃν inquit, Πανέστιον, *quem Panestium Dominus gratia sua custodiat, ut ecclesia sibi ipsa similis perseveret, concordi cum illius decessore succes-*

ECCLESIA NICOPOLIS.

sione, nec det locum malo, qui ægre nunc, si unquam aliàs, ecclesiarum ordinem patitur. A

V. Joannes.

In prædatoria synodo Ephesina *Joannes Nicopolis Armeniæ primæ*, & Acacius, Ariarathiræ Armeniæ secundæ, vices gerebant episcopi Melitenes, καὶ Ἰωάννου Νικοπόλεως Ἀρμενίας πρώτης, καὶ Ἀκακίου Ἀριαραθείας δευτέρας Ἀρμενίας, ἐπέχοντες τὸν τόπον Κωνσταντίνου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Μελιτηνῆς. Post biennium Joannes inter Armeniæ episcopos in concilio Chalcedonensi sedit&subscripsit. Quin rursum an. 458. subscripsit epistolæ synodi Armeniæ primæ ad Leonem Imp. sed & subscriptus legitur Decreto Gennadii Constantinopolitani *de Simoniacis*, Ἰωάννης ἐπίσκοπος Νικοπόλεως. B

VI. * * *

Anno regni Græcorum 810. (Syris) Christi 499. Nicopolis civitas terræ motu funditùs eversa est, cives ejus omnes oppressi præter episcopum ac duos ejus familiares, qui in ecclesia ante altaris cancellos dormiebant, èque ruinis urbis extracti sunt. Josue Stylita in chron. Bibl. Orient. tom. 1. pag. 170.

VII. Photius.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus legitur. Φώτιος χάριτι Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Νικοπολιτῶν φιλοχρίστου πόλεως, τῆς μεγάλης τῶν Ἀρμενίων ἐπαρχίας. *Photius Dei gratia episcopus Christi amantis Nicopolitarum civitatis, provinciæ magnæ Armeniorum.* Magnæ Armeniorum *regionis Nicopolis* dicitur, quia superioris Armeniæ vicina.

Tarasium episcopum Nicopolis, qui in octava synodo sedit, & subscripsit, Nicopoli Phrygiæ, non Armeniæ concedendum puto. In pseudosynodo Photiana sub Joanne Papa VIII. sederant *Nicolaus Nicopolis, & Sabbas Nicopolis*. Νικολάου Νικοπόλεως, Σαββᾶ Νικοπόλεως. Quorum forsan alter Nicopoli Phrygiæ adsignandus erit, alter Nicopoli Armeniæ: vel alter Nicopolis Phrygiæ episcopus ordinatus erit à Photio, alter ab Ignatio.

VIII. Gregorius.

Sæculo ineunte undecimo in Gallias venit *Gregorius Nicopolis Armeniæ archiepiscopus*, qui in pago Aurelianensi annos septem mansit, Oldorico Aurelianensis ecclesiæ episcopo. Hic sanctus ab incolis habetur, cujus vita inter Acta SS. edita est ad diem 14. Martii. Corpus illius in ecclesiam Pitiverensem, vulgo *Puthivers*, translatum fuit.

IV. # ECCLESIA COLONIÆ.

Urbem *Coloniam* in Armenia minore habent Notitiæ, de qua Procopius, lib. 3. de ædif. cap. 4. scribit: *In hac provincia castellum vetus collis præcipitis vertici insidebat, quod, quum Pompeius Romani exercitûs Imperator expugnasset, provincia bello subacta, sedulo munierat, Coloniam appellans. Hoc Justinianus labefactatum, omnis generis opere restituit.* At certe ipsa est de qua Plinius scribit: *Cappadocia habet Coloniam Claudii Cæsaris, quam præfluit Halys:* sed & ipsa utique est quæ *Sinis Colonia*, Σινὶς Κολώνεια, dicitur in regione Melitenes juxta Euphratem. Ex Basilii epistola 292. intelligendum datur, Colonienses cives à Nicopolitana ecclesia christianam doctrinam accepisse, μὴ δικαιολογεῖσθε πρὸς τὴν μητέρα ὑμῶν τὴν Νικοπολιτῶν ἐκκλησίαν. *Judicio ne contendatis adversùs matrem vestram Nicopolitanam ecclesiam.*

EPISCOPI COLONIÆ.

I. Euphronius.

Quo tempore Coloniæ in Cappadocia Bosporus episcopus sedebat, Coloniæ Armeniæ ecclesiam gerebat *Euphronius*, Nicopoli oriundus, qui postmodum Nicopolim in patriam suam Pœmenio Satalensi agente translatus fuit. De qua pastoris sui ad Nicopolitanos translatione Colonienses apud Basilium expostularunt, ut Basilius ipse significat epist. 290. & 292. ἐπεστείλατε ὑμῖν ἀνιώμενοι ἐπὶ τῷ χωρισμῷ τοῦ θεοφιλεστάτου ὑμῶν ἐπισκόπου Εὐφρονίου. *Mihi scripsistis de avulso à vobis Deo amabilissimo episcopo Euphronio.* Ejusdem S. Doctoris epist. 312. inscribitur, Εὐφρονίῳ ἐπισκόπῳ Κολωνείας Ἀρμενίας, *Euphronio episcopo Coloniæ Armeniæ.* C

II. Eustathius.

Epistolæ episcoporum provinciæ Armeniæ primæ ad Leonem Imp. subscripsit *Eustathius episcopus Coloniæ.*

III. * * *

IV. Joannes.

Coloniæ in Armenia episcopus primùm fuit *Joannes*, qui ἡσυχαστὴς à *silentio* quod abdicato episcopatu in Laurâ Palæstinæ S. Sabbæ constanter tenuit, est cognominatus. Nicopoli oriundus erat, anno 4. Marciani Imperat. 8. Januarii Indict. VII. natus, ac post monasticam vitam rectè gestam, circa annum 481. ætatis suæ 28. episcopo Coloniæ defuncto, suffectus est à metropolita Sebastiæ, à quo consecratus fuit sub finem Imperii Zenonis.

Pasinico, qui sororis ipsius conjux fuerat, Armeniæ primæ præside Coloniensem ecclesiam male vexante, Constantinopolim pergere coactus est, Augusti opem petiturus, ibique Euphemio patriarchæ episcopatum resignavit: tum dimissis clericis itineris sui sociis, in Palæstinam profectus, Salustio Hierosolymorum præsule, in Lauram S. Sabbæ admissus est, exactis Coloniensis episcopatus annis novem, ἐν τῇ ἐπισκοπῇ ἐποίησεν ἔτη ἐννέα, ait Cyrillus, qui illius historiam enarrabat anno 557. Hoc scilicet anno Joannes in vivis superstes erat, *annum centesimum quintum agens, senex quidem admodum, sed vultu hilaris, animo promtissimus, & gratia divina plenus.* λίαν πρεσβύτης καὶ φαιδρὸς τῷ προσώπῳ, καὶ τῇ ψυχῇ προθυμότατος, καὶ τῆς θείας χάριτος ἐμπεπλησμένος. Ejus memoriam Græci recolunt die 9. Decembris, Latini in Martyrologio Romano 13. Maii.

V. Proclus.

Ex Dionysii Jacobitarum Patriarchæ chronico, Coloniæ episcopus erat *Proclus*, quo tempore Severus hæreticus Antiochenam sedem invaserat, eumque Justinus Imperator anno 518. procul exsulare jussit ob eamdem hæresim, quam mordicùs profitebatur, Asseman. Dissert. de Monophysitis.

VI. Callinicus.

Sextæ synodo generali *Callinicus* Coloniæ Armeniæ episcopus interfuit & subscripsit, Καλλίνικος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Κολωνείας Ἀρμενίας· imo etiam Κολωνείας πόλεως τῆς μεγάλης Ἀρμενίων χώρας, *Coloniæ, magnæ regionis Armeniorum;* qui perinde subscriptus legitur canonibus synodi Quinisextæ, sive in Trullo dictæ, Καλλίνικος χάριτι θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Κολωνειατῶν πόλεως, μεγάλης Ἀρμενίων χώρας. Magnæ Armeniorum regionis Colonia dicitur, quia superiori Armeniæ & Osrhoëne vicina.

V. ECCLESIA SATALORUM.

SATALA, Σάταλα, nomine plurali neutro, vel feminino singulari, Armeniæ minoris civitas est, in interiori regione juxta montana, Ptolemæo, nec valde distans ab Osrhoëne provincia, Procopio teste lib. 3. de ædif. cap. 4. ubi hanc à Justiniano refectam perhibet. *Olim urbs Satala, inquit, spe ancipiti nitebatur, tum ob soli hostici vicinitatem, tum quia in plano sita, multis collibus circum editis subjacet. Quum autem talis esset natura loci, mœnium fabrica longe erat infirmior: Justinianus vero hanc funditus diruit, novosque muros exstruxit ea celsitudine, ut colles superpositos superare viderentur; eaque crassitie, cui ingens altitudo illa tutò incumberet; quibus murum interiorem circumdedit, adeò insignem, ut hostes stupefaceret. Castellum haud procul munitissimum condidit in Osrhoëne.* Satalorum vel Satalæ mentio est in Antonini Itinerario & in Notitiis, Armeniæ primæ censetur.

EPISCOPI SATALORUM.

I. Evethius.

IN Indice Patrum Nicænæ synodi, *Evethius Satalorum* legitur, vel *Eutychius*, pro codicum Latinorum discrimine.

II. Elpidius.

Anno 360. *Elpidius* Satalorum cum Eustathio Sebasteno & aliis præcipuis Seleuciensis synodi præsulibus, ab Arianis in Conventu Constantinopolitano exauctoratus fuit, triplicem ob causam; nempe quod particeps fuerat tumultuum quos Basilius Ancyranus Seleuciæ excitarat; quod Eusebium quemdam presbyterio in concilio Melitenensi amotum restituerat; quod denique aliquem Nectarium, cui ob pactum, jusjurandumque violatum, communio prohibita erat, ecclesiæ ministerio præfecerat, sacris legibus vetantibus ne ejusmodi hominibus munus ullum imponeretur. Hæc Sozomenus lib. 4. c. 25. Socrates lib. 2. cap. 41. apud quem Valesius consultò legendum monet, Ἐλπίδιον Σατάλων Ἀρμενίας. *Elpidium Satalorum Armeniæ*, non ut olim, Μακεδονίας, *Macedoniæ.*

III. Poemenius.

Tempore Valentis Imp. Satalorum ecclesiæ præerat *Pœmenius*, ad quem Basilius circa ann. 379. epistolam scripsit 313. Ποιμενίῳ ἐπισκόπῳ Σατάλων, Ea suæ cum Anthimo Tyanensi necessitudinis jacturam querebatur, à quo etiam Faustus alterius Armeniæ civitatis episcopus, legibus spretis, fuerat ordinatus. Epist. 193. Nicopolitis clericis gratulatus est, quod amoto Frontone, quem Ariana factio episcopum crearat, *per Deo dilectissimum & comministrum Pœmenium subventum esset.* Atqui consanguineus Basilio Pœmenius erat, à quo ex Sebastiæ presbytero ad Satalensis ecclesiæ regimen evectus est. De qua promotione intelligendus venit iterum Basilius epist. 183. Satalensibus data, ubi diuturnam fuisse ait sedis ipsorum vacationem, non sine magno ecclesiæ dispendio; ἐκ τῆς χρονίας ἀπροστασίας εἰς χρόνου λοιπὸν κληθείσῃ. Unde reor neminem *Satalis* datum episcopum, ex quo

ECCLESIA Satalorum.

Elpidius à Constantinopolitano conciliabulo A ejectus fuerat anno 360. Quum Basilius epistola 193. narret quæ gesserit ut Cyrillum in Armenia episcopum gravissimi sceleris à Satalentibus accusatum, cum illis reconciliaret, minime putandus ille est episcopus Satalorum fuisse. Nam hoc ipso tempore Pœmenius hanc ecclesiam curabat. Quocirca Basilius, qui epist. 58. Faustum adversus Cyrillum ab Anthimo ordinatum queritur, perinde de Fausti ordinatione expostulabat epist. 313 apud Pœmenium Satalorum: qua quidem epistola significabat placide erga illum B sese populum Satalensem gerere, nec ejus communionem aversari.

IV. Anatolius.

In Concilio Chalcedonensi sedit, & per Dorotheum presbyterum subscripsit *Anatolius episcopus Satalorum*, Ἀνατόλιος ἐπίσκοπος Σατάλων διὰ Δωροθέου πρεσβυτέρου. In Indice Latino censetur inter episcopos Armeniæ primæ.

V. Epiphanius.

Anatolio successit *Epiphanius*, qui post septem annos subscripsit epistolæ provinciæ Armeniæ primæ ad Leonem Imp. *Epiphanius episcopus Atalenus*, emendandum repetita litera *S*, *Satalenus*.

VI. Gregorius.

Canonibus Quinisextæ synodi subscriptus quoque legitur Γρηγόριος χάριτι θεοῦ ἐπισκόπος Ἰουσταλέων πόλεως μεγάλης τῆς Ἀρμενίων ἐπαρχίας. Emendandum prorsus Σαταλέων. *Gregorius gratia Dei episcopus Satalensium civitatis magnæ provinciæ Armeniæ.*

VII. Philippus.

Pseudo-synodo Photianæ sub Joanne Papa VIII. interfuisse & subscripsisse legitur *Philippus Satalorum*, Φιλίππου Σατάλων, Φίλιππος Σατάλων.

VI.

ECCLESIA BERISSÆ.

IN Itinerario Antonini *Verisa*, seu *Berissa*, Cappadociæ veteris civitas est euntibus Sebastopoli Cæsaream, hoc est Armeniæ minoris, cujus provinciæ primæ censetur in Notitiis episcopatuum, ut in actis Conciliorum.

EPISCOPI BERISSÆ.

I. Maxentius.

EPistolæ synodi provinciæ Armeniæ primæ ad Leonem Imp. subscripsit *Maxentius episcopus Berissæ*. Sic enim legendum codices omnes manu exarati docent. Cæterum in inscriptione *Auxentius* ponitur.

II. Thomas.

Quintæ synodo generali adfuit & subscripsit, *Thomas gratia Christi episcopus Berissorum.*

III. Theodorus.

Sextæ synodo generali perinde adfuit & C subscripsit *Theodorus episcopus Berissæ secundæ Armeniæ.* Sic translatione Latina fertur, quum in textu Græco dumtaxat legatur Θεόδωρος ἐλέῳ θεοῦ ἐπίσκοπος Βερίσσης Ἀρμενίας. Superiùs monui, tunc temporis propter Justiniani Novellam 31. Armeniam secundam esse dictam partem illius regionis quæ Armenia prima antehac dicebatur.

VII.

ECCLESIA AMPHIPOLIS.

IN Actis & subscriptionibus Quintæ synodi generalis mentio fit *Alexandri episcopi Amphipolis primæ Armeniæ*; quam civitatem penè asseverarem ipsam esse Amphipolim, quam Stephanus Byzantinus ait *urbem esse Syriæ prope Euphratem, opus Seleuci, & à Syris vocari Turmeda*. Armenia namque Syriæ contermina erat, ut & Osroënæ, cujus Satala fuisse vicina ex Procopio ostensum est, insuper in dispositione *Imperii Orientis à Justiniano facta Satala primæ Armeniæ attributa erant*, ut & Nicopolis ac Colonia.



VIII.

ECCLESIA JUSTINIANOPOLIS.

JUSTINIANOPOLIM in *Armenia magna*, sive in secunda, pro Justiniani Imp. dispositione, habemus ex actis Sextæ synodi, act. 16. & 18. ubi mentio est Theodori Ecclesinensis sive Justinianopolis, Εκκλησίνης, ἤτοι Ιουστινιανουπόλεως, μεγάλης Αρμενίας. In subscriptionibus idem Theodorus dicitur episcopus *Justinianopolitarum civitatis*, sive territorii *Ecclesinæ*, ἤγουν τοῦ κλίματος Εκκλενσίνης. Atqui Ecclesina regio est quam Strabo *Acilizenem* dicit, Ακιλιζηνή, inter Taurum & Euphratis alveum, antequam in meridiem se flectat. *In hanc ultimam Pontici regni marginem*, inquit, *ingruente Pompeio, Mithridates aufugit, in montem Acilizenes irriguum aquis prope Dastira, haud procul ab Euphrate, qui Acilizenem à minori Armenia disterminat*, ὁ διορίζων τὴν Ακιλιζηνὴν ἀπὸ τῆς μικρᾶς Αρμενίας. His consonat Ptolemæus, qui Acilizenam collocat in Armenia, quæ illius ævo major dicebatur. In Notitia Leonis Imp. Celzene metropolis est, sed cui nullus episcopatus subsit, τῆς Κελζηνῆς σὺν Κοτζηνῇ & Ταρών.

EPISCOPI JUSTINIANOPOLIS.

I. JOANNES.

SYnodico decreto Gennadii Constantinopolitani de Simoniacis subscriptus legitur Ιωάννης Κελεσηνῆς *Joannes Celesenes*.

II. GEORGIUS I.

Quintæ synodo generali adfuit subscripsitque *Georgius misericordia Dei episcopus Justinianopolitanorum civitatis magnæ Armeniæ*, seu primæ, pro sancita à Justiniano ipso dispositione.

III. THEODORUS.

In Sexta, ut dictum est, synodo sedit & subscripsit *Theodorus episcopus Ecclesines*, sive *Justinianopolis*, sive *Territorii Ecclesines*, Θεόδωρος ἐλέῳ θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Ιουστινιανουπολιτῶν πόλεως, ἤγουν τοῦ κλίματος Εκκλενζίνης, Εκκλησινῆς.

IV. GEORGIUS II.

A Inter metropolitas in synodo quæ ob Photii restitutionem Joanne Papa VIII. annuente habita est, sedebat *Georgius Celzenes, Celezines*, Γεωργίου Κελζηνῆς, Κεληζίνης.

V. SISINNIUS.

Decreto Alexii Patriarchæ Constantinopolitani de causis ecclesiarum ad metropoles archiepiscopatus, & episcopatus pertinentibus condendo, inter metropolitas assidebat *Sisinnus Celzenes*, Σισιννίου Κελζηνῆς. Jur. Græco-Rom. lib. 4. pag. 256.

VI. * * *

Joanne Xiphilino patriarcha latum decretum fuit de sponsalibus, quod exstat lib. 3. Jur. Græco-Rom. pag. 212. Aderat metropolita *Celzenes*, τοῦ Κελζηνῆς.

IX.

ECCLESIA CAMACHES.

NUlla Camaches, uti neque Justinianopolis mentio in Notitiis, sed in actis præsertim Sextæ synodi generalis, & in Quinisextæ subscriptionibus, in quibus & Daranalis & Analibla nominatur. Atqui Ptolemæo, Analibla Armeniæ minoris, seu cis Euphratem civitas est juxta montana Αναλίβλα. Metropolis hæc facta est à Leone Sapiente Imp.

EPISCOPI CAMACHES.

I. GEORGIUS.

IN Sexta synodo generali sedit actione 16. B necnon 18. *Georgius episcopus Daranalis sive Camachorum*. Γεωργίου ἐπισκόπου Δαρανάλεως, ἤτοι τῆς Καμάχων (Latina translatio act. 16. addit *sive Analiblorum*) subscripsit, Γεώργιος ἐλέῳ θεοῦ ἐπισκόπου τοῦ κλίματος Δαρανάλεως τῆς μεγάλης Αρμενίας. Latina rursum translatio: *Georgius misericordia Dei episcopus territorii Daranalis, sive Analiblæ magnæ Armeniorum regionis*. Idem canonibus synodi in Trullo ad hunc modum subscripsit: Γεώργιος ἐπίσκοπος Καμάχης τῆς μεγάλης τῆς Αρμενίων χώρας. *Georgius episcopus Camaches magnæ Armeniorum regionis*.

II. SISINNIUS.

Anno Mundi 6536. Christi 1029. synodo Alexii Patriarchæ in qua statutum est de causis, ad ecclesias metropoles & episcopatus pertinentibus, assidente cum aliis metropolita *Camachorum Theodoro*, Θεοδώρου Καμάχου. Jur. Græco-Rom. lib. 4. cap. 256.



X. # ECCLESIA THEODOSIOPOLIS.

PRocopius, lib. 3. de ædif. cap. 3. in dextra Euphratis ripa Theodosiopolim collocat, quam Justinianus Augustus instauravit ac munivit. Ejus quoque meminit Leo Sapiens Imp. lib. *de Bellico apparatu*, quam hodie *Hesdram*, vel *Ezroum* vocari fert Gylius. Constantinus item Porphyrogennetus, lib. de administr. Imp. cap. 45. hanc in Phasiana, Iberibus vicinam ponit, quæ in eorum potestatem venerit. Cedrenus, pag. 772. urbem magnam fuisse muro cinctam tradit in Iberiæ partibus. In Notitia veteri Armeniæ censetur, ut in actis conciliorum, ὁ Θεοδοσιουπόλεως Ἀρμενίας.

EPISCOPI THEODOSIOPOLIS.

I. PETRUS.

IN Constantinopolitana synodo, quæ anno 428. Flaviano primum, necnon Thalassio Cæsariensi subinde, præsidibus, Eutychem hæreticum damnavit, sedebat *Petrus Theodosiopolis provinciæ Armeniæ*, Πέτρου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Θεοδοσιουπόλεως ἐπαρχίας Ἀρμενίας.

II. MANASSES.

Act. 16. synodi Chalcedonensis canoni 28. subscriptus legitur *Manasses episcopus Teodosiopolis magnæ Armeniæ*. Μανάσσης ἐπίσκοπος Θεοδοσιουπόλεως τῆς μεγάλης Ἀρμενίας, ὁρίσας ὑπέγραψα, qui perinde subscriptus reperitur in Nova collectione conciliorum clariss. Baluzii, epistolæ Patrum ejusdem synodi ad Leonem Papam. *Manasses episcopus Theodosiopolis magnæ Armeniæ. Valere me ora in Domino, Deo amantissime Pater.*

III. PETRUS.

Theodosiopolis in Armenia minore episcopus erat *Petrus*, qui unus Severianis episcopis fuit, qui cum catholicis Collationem Constantinopoli habuere anno 533. Justiniano I. Imperatore.

XI. # ECCLESIA HERACLIOPOLIS, *seu* PIDACHTHOLES.

IN actis Sextæ synodi generalis, Armeniæ secundæ attribuitur civitas *Heracliopolis*, quæ & *Pidachthoe* dicitur in actis Septimæ, & in Notitiis Græcis inter archiepiscopatus censetur, ὁ Ἡρακλειουπόλεως, ἤτοι Πιδαχθόης *Heracliopolis sive Pidachthoes.* Civitas utique fuit ab Heraclio Imp. appellata, quo tempore in Armeniæ partibus adversus Persas bellum gerebat.

EPISCOPI HERACLIOPOLIS, *seu* PIDACHTHOES.

I. ATHENOGENES.

IN Martyrologio Romano die Julii XVI. legimus: *Sebastiæ in Armenia sanctorum martyrum Athenogenis episcopi, & decem discipulorum ejus sub Diocletiano Imper.* Atqui Athenogenem hunc Pidachthoes episcopum fuisse tradunt Menæa Græcorum, & illud præsertim Menologium vetus, quod Latine versum Henricus Camisius edidit, tom. 2. Antiq. Lect. nimirum die 19. Julii, *Natalis beati Athenogenis episcopi Pidachthoes, qui ex urbe Sebastia oriundus, sub Imp. Diocletiano detentus à Philonarcho præside cum decem dicipulis suis, multa tormenta cum illis passus, capite obtruncatus, obdormivit in Domino.* Pene dixero Athenogenem hunc ipsum esse quem Basilius magnus, lib. de Spir. S. cap. 29. laudat, ceu qui hymni ἐπιλυχνίου sive *Vespertini*, Φῶς ἱλαρὸν, auctor haberetur, quem iis qui se commitabantur valedicens, cecinerat, cum martyrium igne obiturus esset, ὃν ὥσπερ τι ἄλλο ἐξιτήριον τοῖς συνοῦσιν αὐτῷ καταλέλοιπεν ὁρμῶν ἤδη πρὸς τὴν διὰ τοῦ πυρὸς τελείωσιν. Nec obstat quid Menæa ferant eum ferro obtruncatum esse; quando quidem in narrandis martyrum suppliciis frequenter à veritate discrepare reperiuntur.

II. JOANNES.

In Sexta synodo generali sedit & subscripsit *Joannes episcopus Hieracliopolis secundæ Armeniæ*, Ἰωάννης ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Ἡρακλειουπόλεως δευτέρας Ἀρμενίας.

III. THEODORUS

In Septima item synodo *Theodorus episcopus Heracliopolis sive Pidachthoes*, Θεόδωρος ἐπίσκοπος Ἡρακλειουπόλεως, ἤτοι Πιδαχθόης.



V. PROVINCIA ARMENIÆ SECUNDÆ.

I. ECCLESIA MELITENES, METROPOLIS.

ARMENIÆ ſecundæ in Hieroclis notitia, & antiquis eccleſiaſticis, *Melitene* caput eſt, quæ apud Plinium lib. 5. cap. 3. *Melite* ſcribitur, & cui *Cappadociæ pars prætenſa Armeniæ majori, Melitene vocatur.* Straboni, *Melitene* prima erat è potioribus priſcæ Cappadociæ præfecturis, quæ tunc urbes non haberet, ſed Caſtella dumtaxat, Dacuſa, Sinidem & Melitenen. Nec certe Melitene civitas dicebatur ante Trajani tempora, à quo χωρίον, *locus* hic urbis juribus donatus eſt, ac metropolis evaſit, ut narrat Procopius lib. 3. de ædif. cap. 4. Melitene regio ad Euphratem uſque pertinebat, Ptolemæo teſte. Quocirca quum in Minori Armenia, non procul à flumine, milites ſtationarii poſiti eſſent, locum *Melitenem* vocabant, ait rurſum Procopius, & illam militum manum, legionem. *Quadratam ibi Romani munitionem exſtruxerunt olim*, inquit, *in plano campo, ſedem militibus, ſigniſque militaribus ſatis commodam,* (ex quo nempe caſtellum Straboni dicta eſt.) *Procedente autem tempore, quum, & amplitudine & hominum frequentia crevisſet, nec jam incolas munitio caperet, in ejus agro domicilia ſtatuerunt, ubi templa fecere, & magiſtratuum domos, forumque, & quævis alia vænalium rerum loca, compita quoque, porticus & balneas, ac theatra, & ſi quid aliud ad urbis ſplendorem pertineat. Hanc Anaſtaſius Auguſtus muris circumdare aggreſſus, prius vitæ quam conſilii finem nactus eſt: Imperator vero Juſtinianus abſoluto mœnium ambitu, magnum Armeniis columen, & Melitenæ decus præbuit.* Hucuſque Procopius. Atqui Juſtinianus hic ſenior quatuor Armeniæ provincias Novella ſua 31. inſtituens, Melitenem tertiæ caput eſſe ſanxit, quæ ſecundæ jam erat. *Ad hæc tertiam Armeniam inſtituimus*, inquit, *eam quæ prius ſecunda dicebatur, in qua principatum tenet Melitene urbs inſignis, in pulchro ſolo, clementique cælo poſita, neque multùm diſtans à fluentis Euphratis fluvii.* A Saracenis, qui illam Romanis eripuerunt, *Malatia* dicta eſt, quam Conſtantinus Copronymus armis recepit, mox vero demolitus eſt. Verum ab Abderrahman filio Ibrahim fratris Chaliphæ Almanſor capta iterum, mœnibus denuò cincta fuit. Michaël epiſcopus Taneos Ægypti, qui decimo ſæculo medio tranſacto, à Chriſtodulo Alexandrino ad Jacobitarum Patriarcham miſſus eſt, Malatiam ſeu Melitenem chriſtianis incolis tunc frequentem fuiſſe dixit, non Jacobitis modo, ſed Melchitis quoque, ſive catholicis. *Vidimus*, ait, *in ea plures Melchitas, qui Chalcedonenſem ſynodum ſequuntur, & in eadem urbe metropolitam habent.* Tempore Bellorum ſacrorum à Francis noſtris eſt expugnata, Byzantinoque Imperatori reddita, cui vero ſubinde à Turcis erepta fuit. Stat etiamnum hodie, eſſeque fertur ſedes Patriarchæ Jacobitarum.

EPISCOPI MELITENES.

I. EUPSYCHIUS *martyr.*

IN Menologiis Græcorum die 28. Maii A memoria fit *S. Eupſychii martyris epiſcopi Melitenenſis*, quem ab Apoſtolis chriſtianas leges didiciſſe ferunt, μαθητευθεὶς ἀκριβέστατα τοῖς ἀποστόλοις Χριστοῦ. Galeſinius verò & Maximus Cytheræus ſub Gordiano Imp. illum martyrio functum aiunt. Galeſinius, inquam, ſic habet: *Melitenæ S. Eupſychii epiſcopi & martyris, qui ſub Gordiano Imp. religionis cauſa variis ſuppliciis tortus eſt.* Ejus feſtum Cæſareæ ſolenne admodum erat temporibus S. Baſilii. Vide Baſil. epiſt. 273. 275. 276.

II. ACACIUS I.

In Menologiis Græcorum die 31. Martii memoria quoque fit *S. Acacii epiſcopi Melitenes & confeſſoris*, τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἀκακίου Μελιτινῆς τοῦ ὁμολογητοῦ, quem ſub Decio Imp. & Marciano proconſule paſſum tradunt anno vitæ ſuæ trigeſimo primo, ac miraculis doctrinaque clarum in pace diem obiiſſe. Corporis ejus inventio recolitur etiam in Menologio Sirleti die 15. Sept. *Inventio reliquiarum S. Acacii epiſcopi Melitenæ.* In quibuſdam Martyrologiis Latinis Acacius fuiſſe dicitur *ſcutum & refugium Antiochenæ*

ECCLESIA MELITENES.

regionis, ac tempore Decii adductus ad Marcianum præsidem, nulla mentione facta Melitenes civitatis, nec ejus episcopatus.

III. Uranius.

Juliano Apostata exstincto, ejusque in locum renuntiato Joviano Augusto, Meletius Antiochenus in urbe sua concilium habuit anno 363. in quo *Consubstantialis* Fides iterum asserta est, Arianique & Eunomiani proscripti. Synodicæ, quam Patres Joviano misere, suffragatus est *Uranius Melitenes*, Οὐράνιος Μελιτηνῆς.

IV. Otreius I.

Uranio successit *Otreius*, qui legitur inter episcopos Tyanensis synodi apud Sozomenum, lib. 6. cap. 12. Ὀτρεϊός τε Μελιτηνῆς. Ad illum exstat Basilii epist. 316. data anno 374. in qua nonnulla edisserit veteris & novi Testamenti loca. In capite epistolæ 69. ad Occidentales scriptæ, inter episcoporum Orientis, à quibus data est, nomina, legitur Ἰάτρειος. MSS. Codices habent Ἄτρειος: emendo prorsus Ὀτρειος, ut sit *Otreius Melitenes*. Huic sanctissimo Militenes præsuli magnus Euthymius monachorum Palæstinæ suo ævo institutor, anno circiter ætatis tertio, Christi 379. à matre, uti Samuel olim Heli pontifici, oblatus fuit, cujus curis educaretur, τῷ κατ' ἐκεῖνο καιροῦ ἰθύνοντι τὴν Μελιτηνῆς ἐκκλησίαν Ὀτρηΐῳ, τῷ ἐν Κωνσταντινουπόλει συνόδῳ διαλάμψαντι. Adfuit anno 381. concilio Constantinopolitano generali primo, à quo & à Theodosio M. insequenti anno delegatus est cum Nysseno Gregorio, ut Ponti ecclesias ab Ariana labe purgaret. Socrat. lib. 5. cap. 8.

V. Letoius.

Otreium excepit *Letoïus*, ad quem Gregorius Nyssenus epistolam scripsit, πρὸς τὸν ἐν ἁγίοις Λητοΐον ἐπίσκοπον Μελιτηνῆς. Photius Bibl. cod. 52. narrat, Letoïum episcopum Armeniæ à Flaviano Antiocheno quæsivisse de Massalianis hæreticis, eique missum quod ab Antiochena synodo adversus illos latum erat decretum.

VI. Acacius II.

Exorta Nestoriana hæresi, catholicæ doctrinæ partes suscepit *Acacius Melitenes*, atque eorum quæ in Ephesina synodo gesta sunt, pars magna fuit: unde Joannes Antiochenus cum sua Orientalium synodo sacerdotio illum & communione privavit. Alexander Hierapolitanus, epistola quæ Latine exstat cap. 87. collectionis ex Tragœdia Irenæi, aiebat Acacium prædicasse *Deïtatem ex Maria genitam & mortuam*. Acacii in Theodori Mopsuesteni erroribus retegendis traducendisque studium eximium literis suis Cyrillus celebravit, illeque adeo in vivis agebat adhuc anno 438. cujus sacram memoriam Græci in Menæis recolunt die 17. Aprilis, τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἀκακίου ἀρχιεπισκόπου Μελιτηνῆς τοῦ θαυματουργοῦ. *S. P. M. Acacii archiepiscopi Melitenes Thaumaturgi.*

VII. Synodius.

Ex vita S. Euthymii archimandritæ Otreïus Melitenensis *Acacio & Synodio* lectoribus, modestia eximia omnigenaque doctrina præcellentibus, Euthymius adolescens erudiendus traditus est, οἵ τινες μετὰ πολλοὺς ἀσκητικοὺς ἀγῶνας τῆς κατὰ Μελιτηνὴν ἐκκλησίας ἀρχιερωσύνην ἐδέξαντο ἐν ἰδίῳ καιρῷ, *qui post multos labores asceticos, sanctissimæ Melitenensis ecclesiæ pontificatum suo uterque tempore susceperunt*. Acacium Synodio præivisse auctor innuit.

VIII. Constantinus.

Anno 448. sedebat *Constantinus Melitenes* episcopus; qui nimirum adfuit concilio illi Constantinopolitano, in quo, Flaviano archiepiscopo, & Thalassio Cæsariensi præsidibus, Eutyches hæresis auctor probatus fuit. Κωνσταντίνου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου τῆς Μελιτηνῶν πόλεως. Anno insequenti locum ejus suppleverunt Joannes Nicopolis & Acacius Ariarathiræ in synodo prædatoria Ephesina. Post biennium vero ad Chalcedonense concilium properavit, cujus decretis subscripsit.

IX. Otreius II.

Leo Imp. accepta nece Proterii Alexandrini, hanc cunctis ditionis suæ metropolitis nuntiavit, eorum de Chalcedonensi concilio sententiam rogans, adeoque *Otreïo reverendissimo episcopo Melitenæ*. Qui provinciæ suæ synodo habita, quid de illo impio facinore, deque sancta illa synodo sentiret, exposuit. Inscripta synodi epistola est: *Religiosissimo & christianissimo Imp. semper Augusto Leoni, Otreïus, Acacius, Joannes, Adelphius, Hormisdas Longinus, Armeniæ secundæ episcopi, in Domino salutem.*

X. Zacharias.

Illo circiter tempore, atque, ut videtur, Anastasio Imp. Melitenes metropolita sedebat *Zacharias Rhetor*, Severi Antiocheni assectator, & Chalcedonensi concilio infensus; qui Justino post Anastasii obitum imperante, ad ordinem tamquam hæreticus, quemadmodum & alii ejus socii, redactus videtur. Hunc porro Melitenes episcopum esse factum discimus ex Cl. Josepho Simonio Assemano

Assemano Maronita tom. 2. Bibl. Orient. A pag. 52. ubi episcopatûs illius testem appellat Dionysium Barsalibi ejusdem sectæ Amidensem episcopum, qui de Mara Amidensi scribens, chronicon laudat Syriacum *Zachariæ Melitenensis episcopi,* in quo insertus legitur Prologus commentariorum Maræ in Evangelia, ac Zacharias ait, se ab eodem Mara accepisse *historiam adulteræ mulieris,* quæ cap. 8. Evangelii Joannis in Bibliis Syriacis deest. Assemanus locum affert Dionysii, quo Zachariæ Melitenensis mentionem facit, his verbis: *Repertum est autem in* B *Evangelio Maræ Amidæ episcopi, qui Græci sermonis peritus erat, ut Zacharias Rhetor & episcopus scribit, in Canone Evangelii octogesimo-nono, caput singulare quod in vulgatis exemplaribus non exstat, neque ipsum à quopiam interprete illustratum vidimus. Quare visum nobis est, totum textum suo loco describere. Et factum est quadam die, quum Jesus doceret, obtulerunt ei Scribæ & Pharisæi mulierem quamdam, quæ ex adulterio concepisse deprehensa erat, &c.* Ex quo loco habemus, tum Melitenensis ecclesiæ episcopatum ges- C sisse Zachariam, ut Dionysii chronico fertur, tum etiam intelligimus, Zachariam hunc, illum ipsumque esse Zachariam Rhetorem, de Monophysitarum Chalcedonensis synodi hostium factione, ex cujus Annalibus vel historico opere Evagrius Scholasticus historiæ ecclesiasticæ scriptor non pauca hinc inde delibavit ad caput usque 18. lib. 3. Idem Assemanus Zachariæ chronicon in Vaticana Bibliotheca exstare ait, lib. 1. Bibl. Orient.

XI. Eulogius.

Relationi synodi Constantinopolitanæ ad D Hormisdam Papam de Epiphanii Archiepiscopi ordinatione, subscripsit *Eulogius misericordia Dei Melitenæ civitatis metropolitanus.*

XII. Mamas.

In Constantinopolitana synodo altera, quæ anno 536. Menna patriarcha præside celebrata est, quæque Anthimum illius decessorem ejusque socios proscripsit, sedit *Mamas episcopus Melitenes,* Μαμᾶς ἐπίσκοπος Μελιτηνῆς.

XIII. Palladius.

E Anno 553. in Quinta synodo generali sedebat *Joannes Cucusenorum, vices gerens Palladii religiosissimi episcopi Melitenes metropoleos secundæ Armeniæ,* ejusque adeo nomine subscripsit iis quæ in ea sancita sunt. Quamobrem Melitenes episcopus minimè censendus est Alexander ille Melitenæ, qui illo eodem anno suffragatus legitur *Constituto Vigilii* de Tribus capitulis, sed vel *Melitæ* insulæ vel *Mitylenes.*

ECCLESIA MELITENES.

XIV. Domitianus.

Eodem sæculo sexto labente, Melitenensi ecclesiæ præfuit *Domitianus* Mauritii Imp. consanguineus, vir eximiæ prudentiæ atque sollertiæ ad res maximas gerendas, vitæ prætereà instituto sanctissimus, facundia suavis, qui cum Gregorio Antiocheno à Mauritio delegatus est, ut Chosroem juniorem Persarum regem post Hormisdæ obitum in paternum regnum reduceret, apud quem effecit ut Martyropolis urbs Romanis restitueretur. Hæc quidem anno 593. patrata sunt, narranturque à Theophylacto Simocatta lib. 4. hist. cap. 14. 15. & 16. quo postremo loco Domitiani de recepta urbe orationem, sive carmen potius ἐπινίκιον, refert. Eumdem Chosroem in urbe Daras, inque Dei templo insolentius se gerentem Domitianus compescuit, & templo ejecit: tum Chosroe suis reddito, in Romanam ditionem rediit. Mauritius Imp. quum anno Imperii 15. Christi 597. in gravem morbum incidisset, testamento, quod aliquanto post ejus necem repertum est, Theodosium filium suum Constantinopolis & Orientis dominum constituebat, Tiberium natu minorem, Romæ veteris, Italiæ, Tyrrhenique maris insularum; reliquas item provincias filiis suis aliis distribuebat, tutore ipsorum designato Domitiano Melitenensis ecclesiæ metropolita: sic passim Simocatta lib. 5. c. 2. & alibi. S. Gregorii Papæ epistola 50. lib. 10. Indict. III. inscribitur *Domitiano metropolitæ Melitenes,* qua gratulatur, quod Chosroem ad Christi Fidem adducere conatus esset. Constantinopoli Domitianus obiit anno 20. Mauritii, Christi 601. die Januarii 11. atque à Cyriaco patriarcha corpus ejus in Apostolorum æde depositum est, Senatu funus ejus multo honore prosequente. Τῷ δὲ Ἰανουαρίῳ μηνὶ ιά. Δομιτιανὸς ἐπίσκοπος Μελιτηνῆς, συγγενὴς τοῦ βασιλέως τέθνηκεν, καὶ ἐτάφη ἐν τοῖς ἁγίοις ἀποστόλοις, ὑπὸ Κυριακοῦ τοῦ πατριάρχου, καὶ πάσης τῆς συγκλήτου τιμηθεὶς ἐπιταφίῳ. Has Theophylacti voces recitasse juvat, quippe quæ doctissimi Bollandi diligentiam fugerunt, ubi de eodem *Domitiano* in Act. SS. scripsit.

XV. Theodorus I.

Sextæ synodo interfuit & subscripsit *Theodorus episcopus Melitenensium metropolis primæ provinciæ Armeniæ,* Θεόδωρος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Μελιτηνῶν, μητροπόλεως τῆς πρώτης τῶν Ἀρμενίων ἐπαρχίας. *Primæ* scribitur *Armeniæ;* quod librario plane tribuendum est; nam Melitene secundæ Armeniæ provinciæ ecclesiasticæ omninò caput erat, & tertiæ civilis ab institutione Justiniani, de qua in Sebastia

ECCLESIA MELITENES

dixímus. *Hic*, quum act. 8. chartulam porrexisset *Monotheletico* errore male sanam quam *Petri* Nicomediensis, Salomonis Clanei, & Antonii Hypæporum esse aiebat, jussus est ipse act. 10. rectæ Fidei libellum alterum unà cum illis exhibere.

XVI. * * *

Inter opera Michaëlis Photii varia quæ continet codex Regius 1837. particula occurrit laudatoriæ orationis *in sapientissimum archiepiscopum Melitenes*, εἰς τὸν σοφώτατον ἀρχιεπίσκοπον Μελιτηνῆς. Sed nomen ejus assequi minimè potui, quoniam maxima encomii pars excidit.

XVII. Theodorus II.

Occupata à Mohammedanis Melitene, nullum nobis urbis hujus episcopum Græcorum monumenta suppeditant ad ea usque tempora quibus urbs in Byzantinorum Imperatorum potestatem rediit. Decimo itaque sæculo ad finem vergente, Melitenes metropolita sedebat *Theodorus II.* qui adfuit Constantinopolitanæ synodo Sisinnii II. Patriarchæ an. M. 6505. Indict. x. mense Febr. sive anno Chr. 998. in qua vetitum est, *ne duo fratres consobrinas duas acciperent*, Θεόδωρος Μελιτηνῆς Jur. Græco-Rom. lib. 3. pag. 197.

XVIII. Joannes.

Anno M. 6536. Ind. x. Christi 1027. mense Novembri, rursumque mense Januario, in duplici synodo Alexii Patriarchæ actum est de variis negotiis ad monasteria, metropoles, archiepiscopatus, & episcopatus spectantibus, ibique aderat *Joannes Melitenes* Ἰωάννου Μελιτηνῆς. Lib. 4. Jur. Græco-Rom. pag. 250. 256.

XIX. Nicephorus.

Ex Chronico Jacobitarum, quod ab Abulfaragio, cognomento *Barhetræo*, concinnatum est, anno Græcorum 1340. hoc est Christi 1028. Melitenes metropolita Græcorum seu Melchita sedebat *Nicephorus*, qui Joannem Jacobitarum patriarcham Constantinopoli Imperatoris jussu abduci curavit,

A sexque simul alios ejusdem sectæ antistites, in quibus Ignatius itidem Melitenes; eò quod Joannes Græcos à catholica Fide avertere satageret. Bibl. Orient. tom. 2. pag. 355.

XX. * * *

Synodo Joannis Xiphilini Patriarchæ, anno M. 6574. Christi 1066. vel 1067. irrita esse declarata sunt sponsalia, ubi impedimentum legitimum intercederet. In exitu synodi advenerunt metropolitæ Heracleæ, *Melitenes*, Amasiæ, & alii duo, ἐλθόντων καὶ ἐν ὑστέρῳ, τοῦ Ἡρακλείας, τοῦ Μελιτηνῆς καὶ τ. ἑ.
B Jur. Græco-Rom. lib. 3. pag. 211.

XXI. * * *

Anno 1151. in synodo Lucæ Chrysoberges patriarchæ nuptiæ septimi gradus prohibitæ sunt; rursumque in altera anno 1153. à qua vetitum est ne Clerici episcoporum morientium bona auferrent, sedebat *metropolita Melitenes*, τοῦ Μελιτηνῆς. Ibid. p. 207. & 282.

XXII. Nicetas.

Anno 1166. in frequenti synodo, eodem
C Luca patriarcha præside cum Antiocheno & Hierosolymitano, Alemanorum, qui Constantinopoli agebant, de divina Christi natura Fides recta sinceraque judicata est. Ibi cum aliis sedebat *Nicetas Melitenes*, Leone Allatio teste, lib. 11. de Conf. cap. 12. Idem Nicetas adfuit quoque anno 1177. Ind. IV. mense Novembri, sub Michaële Anchiali Patriarcha, synodo alteri, in qua iterum statutum est, ne clerici ex aliena diœcesi ordinarentur, Νικήτα Μελιτηνῆς. lib. 14. Jur. Græco-Rom. pag. 227.

D XXIII. Joannes II.

Anno 1193. Ind. xv. die 4. Febr. fer. 2. synodali decreto territoriorum jura statuta sunt, considente cum metropolitis aliis *Joanne Melitenes*. Ἰωάννου Μελιτηνῆς. Ibid. lib. 4. pag. 283.

Melitene urbe paulo post Byzantinis iterum erepta, nullus ejus nobis usquam deinceps occurrit Græci ritûs episcopus.

II. ECCLESIA ARCES.

Sebastia Cucusum pergentibus secunda post Melitenem statio est *Arce* vel *Arca* in Itinerario Antonini. Secunda item Armeniæ secundæ censetur in Notitia Hieroclis, & in aliis.

EPISCOPI ARCES.

I. Acacius.

In Ephesina synodo sedebat *Acacius episcopus Arces*, Ἀκακίου Ἀρκης: qui tamen in subscriptionibus, aut in interloquutionibus non occurrit. Aderat etiam Cæsarius Arcæ Phœniciæ.

II. Joannes.

In Chalcedonenſi ſynodo *Otreïus preſbyter locum tenuit Joannis epiſcopi Arces*, Ὀτρείου πρεσβυτέρου ἐπέχοντος τὸν τόπον Ἰωάννου Αρκης. In ſubſcriptionibus act. 6. ſic legitur. Ἰωάννης ἐπίσκοπος Αρκης ὁρίσας ὑπέγραψα διὰ χειρὸς πρεσβυτέρου Ὀτρείου. *Joannes epiſcopus Arces definiens ſubſcripſi per manum Otreii preſbyteri.* Sic nempe vicarii abſentium epiſcoporum illis in ſynodis identidem ſubſcribere non dubitabant. Subſcripſit ipſe rurſum Joannes epiſtolæ ſynodi ſecundæ Arme-A niæ ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini.

III. Leontius.

In Quinta ſynodo ſedit & ſubſcripſit *Leontius miſericordia Dei epiſcopus Arcæ Armeniæ.*

IV. Gregorius.

In Sexta quoque ſynodo *Gregorius epiſcopus Arcæ primæ provinciæ Armeniæ.* Γρηγόριος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος πόλεως Αρκης τῆς πρώτης τῶν Αρμενίων ἐπαρχίας.

III.

ECCLESIA COMANORUM.

PRæter Comana Pontica de quibus ſuo loco dicetur, *Comana* Cappadociæ Ptolomæo teſte, fuerunt, quæ quidem urbs Armeniæ poſthac attributa fuit. De qua urbe Strabo, lib. 12. *In Antitauro*, inquit, *convalles ſunt profundæ & anguſtæ, in quibus exſtant Comana*, τὰ Κόμανα, καὶ τὸ τῆς Ἐνυοῦς ἱερὸν, *& Bellonæ fanum. Civitas clariſſima eſt, maximam habens hominum numine adſlatorum ſacrorumque miniſtrorum turbam. Eam Cataones incolunt: fano adjacet regio non parva, cujus fructum & proventum ſacerdos accipit. Urbem Sarus interfluit, qui per Tauri convalles devolutus, ad Cilicum campos & ſubjectum pelagus tranſit.* Plinius perinde in Cappadocia habet *Coloniam Claudii Cæſaris Archelaidem, quam præfluit Halys; oppida, Comana, quod Sarus*, *Comanam* dicit voce feminea Juſtinianus in Novella 31. quam & *Chryſum* appellant, inquit. Sic quoque Procopius, lib. 1. de Bello Perſico, cap. 27.

EPISCOPI COMANORUM

I. Zoticus *Martyr*.

MArtyrologium Romanum die 21. Julii memoriam habet, *S. Zotici epiſcopi & martyris qui ſub Severo paſſus eſt Comanis in Armenia.* Ipſe nempe eſt cujus Apollinaris Hieropolitanus meminit in iis quæ contra Cataphrygas hæreticos ſcripſit, apud Euſebium lib. 5. cap. 16. & epiſcopum fuiſſe teſtatur, ut & Julianum Apamenum, qui garrulum Maximillæ ſpiritum ſollerti examine ſcrutati erant, ἄνδρας δοκίμους, καὶ ἐπισκόπους, Ζωτικὸν ἀπὸ Κομάνης κώμης, καὶ Ἰουλιανὸν ἀπὸ Απαμείας. Hujus rurſum Zotici mentionem habet Apollonius ſcriptor alter eccleſiaſticus apud eumdem Euſebium, cap. 18. Nec fere diverſum fuiſſe illum credidero à Zotico Otreno, quem Apollinaris Hieropolitanus eodem loci quem apellavi, compreſbyterum ſuum nuncupat. παρόντος καὶ τοῦ συμπρεσβυτέρου ἡμῶν Ζωτικοῦ τοῦ Ὀτρηνοῦ.

II. Basiliscus *Martyr*.

Græci in Menæis die 3. Martii memoriam recolunt *S. Baſiliſci* martyris, quem, Comanis paſſum tradunt, epiſcopum vero fuiſſe ta-D cent; imo illum Amaſea ex Ponti metropoli Comana deductum narrant: à quibus minime diſcrepant ejuſdem S. Baſiliſci acta quæ ex codice S. Maximini Trevirenſis à Bollandi ſociis Latine edita ſunt inter Acta SS. ad diem 3. Martii. At verò Palladius in dialogo B de vita S. Joannis Chryſoſtomi diſertè aſſerit Baſiliſcum fuiſſe Comanorum ipſorum antiſtitem. *Quum autem Comanis appropinquaſſent*, inquit, *Joannes, & qui eum Arabiſſum uſque ducebant, ea pontis inſtar prætergreſſi, extra muros in martyrio quinque vel ſex ſignis diſtante manſerunt. Eadem ipſa nocte apparuit ei loci illius martyr nomine Baſiliſcus, qui epiſcopus Comanorum quum eſſet, martyrio Nicomediæ in Bithynia functus eſt ſub Maximiano una cum Luciano preſbytero Antiocheno.* παρέστη αὐτῷ ὁ τοῦ τόπου ἐκείνου C μάρτυρ Βασιλίσκος, ὄνομα αὐτῷ, ὡς μαρτυρεῖ ἐπίσκοπος ὢν Κομάνων, ἐν Νικομηδείᾳ ἐπὶ Μαξιμιανοῦ μετὰ τοῦ Λουκιανοῦ πρεσβυτέρου Αντιοχείας. Palladio ſuccinit Georgius Alexandrinit in vita ejuſdem S. Joannis Chryſoſtomi. Quæ omnia dum ſimul confero, in hanc ſententiam concedo, fatendum omninò eſſe, alium Baſiliſcum fuiſſe, qui Comanis in Ponto, non in Armenia paſſus ſit, alium item Comanorum Armeniæ epiſcopum, qui Nicomediæ martyr obierit. Martyrologium Romanum unius dumtaxat Baſiliſci memoriam habet 22. Maii, illius nempe qui Comanorum in Ponto præſul fuit.

III. Elpidius.

Inter Nicænæ ſynodi Patres de provincia Cappadociæ legitur *Elpidius Comaneus*; nondum ſcilicet Cappadocia veteri in provincias

ECCLESIA Comanorum.

plures diviſa, cujus civitates aliquot primæ A & ſecundæ Armeniæ attributæ ſunt.

IV. Leontius.

Lucas Holſtenius in Geographiam ſacram, ubi de *Armenia ſecunda & de Comanis*, hæc habet: *Leontii Socrat. lib. 3. cap. 25.* qui nempe Leontius Comanorum apud Socratem, l. 3. c. 25. Semiarianis accenſetur, qui libello ſupplici Joviano Imp. dato Conſubſtantialis Fidem profeſſi ſunt, Λεόντιος Κομάνων.

V. Heraclius.

Chalcedonenſi ſynodo interfuit & ſubſcripſit *Heraclius epiſcopus civitatis Comanorum*, Ἡράκλειος ἐπίσκοπος πόλεως Κομάνων. In Latino Indice & alibi cenſetur inter Patres Armeniæ ſecundæ.

VI. Hormizes.

Photius Bibl. cod. 51. narrat Hormizem Comanæ epiſcopum ab Alypio Cæſarienſi delegatum eſſe, ut in Lampetium inquireret, πρὸς τὸν ἐπίσκοπον Κομάνης Ὁρμίζην ἐπιστέλλει τὰ περὶ Λαμπέτιον ἐξετάσαι ac Lampetium à Gerontio preſbytero convictum condemnaſſe. Atqui in inſcriptione ſynodi ſecundæ Armeniæ ad Leonem Imperatorem de nece S. Proterii Alexandrini *Hormiſdas* memoratur, Comanenſis utique. *Religioſiſſimo & piiſſimo & chriſtianiſſimo Imp..... Otrius.... Hormiſdas, Longinus.*

VII. Theodorus.

Quintæ ſynodo adfuit & ſubſcripſit *Theodorus Dei miſericordia epiſcopus Comanenſium civitatis ſecundæ Armeniæ.*

IV.

ECCLESIA ARABISSI.

Arabissus in Hieroclis Notitia, & in aliis, Armeniæ ſecundæ civitas eſt, quâ, ſecundum Itinerarium Antonini, poſt Ptandarim tranſibant qui Cucuſo Melitenem pergebant. In Novella Juſtiniani Armeniæ tertiæ attributa eſt.

EPISCOPI ARABISSI.

I. Otreius.

Inter Concilii Conſtantinopolitani generalis prioris Patres, *de provincia Armeniæ minoris* cenſetur *Otreius Arabiſſenſis.* Is eſt profectò qui librariorum oſcitantia in epiſt. 126. Chryſoſtomi *Treïus* ſcribitur, ubi ſanctus Pontifex Rufino preſbytero Cucuſo ſcribens, aïebat, *ſe reverendum admodum Terentium miſiſſe ad Dominum ſuum Treïum valde reverendum epiſcopum Arabiſſi,* πρὸς τὸν κύριόν μου εὐλαβέστατον ἐπίσκοπον Τρήϊον τὸν Ἀραβισσοῦ, cujus nempe in urbem tranſiturus erat. Legendum omni- C no eſt Ὀξήϊον vel Ὀξεῖον.

II. Adolius.

In Chalcedonenſi ſynodo Adelphius chorepiſcopus vices gerebat *Adolii epiſcopi Arabiſſi,* ἐπέχοντος τὸν τόπον Ἀδολίου ἐπισκόπου Ἀραβισσοῦ. Act. VI. ſubſcribitur, Ἀδόλιος ἐπίσκοπος πόλεως Ἀραβισσοῦ, ὁρίσας ὑπέγραψα δι᾽ Ἀδελφίου χωρεπισκόπου. *Adolius epiſcopus civitatis Arabiſſi definiens ſubſcripſi per Adelphium* D *chorepiſcopum.* In Indice Latino patrum hujus Concilii legitur *Adonius Crabiſcum, per Lucium preſbyterum,* vel *Adonius Craviſa, per Lothium preſbyterum.* Quod librariorum Latinorum inſcitiæ tribuendum eſt.

III. Adelphius.

Adolio videtur ſucceſſiſſe *Adelphius* ille B chorepiſcopus, quando epiſtolæ ſynodi provinciæ Armeniæ ſecundæ ad Leonem Imp. ſubſcriptus legitur, *Adelphius epiſcopus Arabiæ,* pro *Arabiſſi.* Imo in catalogo metropolitanorum & præcipuorum epiſcoporum, ad quos literas ſuas ſacras idem Imperator miſerat, Adelphius quoque memoratur: *Adelphio reverendiſſimo epiſcopo Arabiſſi;* qui proinde multis titulis in Oriente clarus erat. Ejuſdem Adelphii epiſcopi Arabiſſi mentio fit, cap. 128. Prati ſpiritualis Joannis Moſchi.

IV. Leontius.

Photius in Biblioth. Cod. 272. librum laudat *Leontii epiſcopi Arabiſſi de creatione, & de Lazaro redivivo,* ἀνεγνώσθη τοῦ μακαρίου Λεοντίου ἐπισκόπου Ἀραβισσοῦ, ἐκ τοῦ εἰς τὴν κτίσιν λόγου, καὶ εἰς τὸν Λάζαρον. Quo tempore vixerit, incertum eſt.

V. Georgius.

D In ſubſcriptionibus ſynodi Quiniſextæ legitur Γεώργιος ἐπίσκοπος Ἀβραμιασσοῦ τῆς πρώτης Ἀρμενίων ἐπαρχίας, ὁρίσας ὑπέγραψα. *Georgius epiſcopus Abramiaſſi primæ Armeniorum provinciæ definiens, ſubſcripſi.* Ubi pro Ἀβραμιασσοῦ, *Abramiaſſi* ſcribendum erat Ἀραβισσοῦ, *Arabiſſi:* quum olim in codicibus manu exaratis literæ β' & μ', admodum ſimiles eſſent.

V. ECCLESIA CUCUSI.

CUCUSUS Cappadociæ veteris, ac ſubinde Armeniæ oppidum fuit, Theodoreto teſte lib. 2. hiſt. cap. 5. in quod, ut pote ſitu ingratiſſimum, Conſtantius Imper. ſanctiſſimum Paulum Conſtantinopolis epiſcopum rectæ Fidei vindicem relegavit, ac rurſum Arcadius Chryſoſtomum Joannem. πόλις δὲ αὕτη μικρὰ, ait, πάλαι μὲν εἰς Καππαδόκων ἔθνος τελοῦσα, νῦν δέ γε τῇ Ἀρμενίᾳ τῇ δευτέρᾳ συναριθμουμένη. *Oppidum exiguum olim Cappadocum gentis, nunc vero Armeniæ ſecundæ cenſitum.* Socrates, lib. 2. cap. 26. more veteri Cucuſum Cappadociæ aſſignaverat. In Notitia Hieroclis Armeniæ ſecundæ. Ρεγεκούκουσος, *Regecucuſus* cenſetur; ut oppidum, vel ſtatio potius fuerit, quam civitas, quamvis ſede epiſcopali donata: hanc habent Notitiæ omnes.

EPISCOPI CUCUSI.

I. * * *

JOANNES Chryſoſtomus epiſt. 14. Cucuſi epiſcopum laudat, à quo humaniſſimè exceptus ſit, ut & à Dioſcoro nobili oppidi cive. *Siquidem & dominum meum hujus loci epiſcopum,* καὶ τὸν κύριόν μου τὸν ἐπίσκοπον τὸν ἐνταῦθα, *& dominum meum Dioſcorum habeo, qui nihil aliud curare videntur, quam ut me recreent.* Epiſt. 125. eumdem epiſcopum ſic erga ſe affectum teſtatur, ut throno quoque ſi fieri potuiſſet, ſibi ultro ceſſiſſet, ὥστε, εἰ δυνατὸν, καὶ θρόνου αὐτοῦ παρεχώρησεν ἡμῖν. Cujus proinde utinam nobis ſanctiſſimus Doctor nomen indicaſſet.

II. DOMNUS.

In Chalcedonenſi concilio Euphronius preſbyter vices geſſit *Domni epiſcopi Cucuſi,* ut fertur, act. 1. atque act. 6. pro eo ſubſcripſit ad hunc modum: Δόμνος ἐπίσκοπος Κουκούσου, ὁρίσας ὑπέγραψα διὰ Εὐφρονίου πρεσβυτέρου. A *Domnus epiſcopus Cucuſi, definiens ſubſcripſi per Euphronium preſbyterum.*

III. LONGINUS.

In inſcriptione epiſtolæ epiſcoporum ſecundæ Armeniæ ad Leonem Imp. poſtremo loco memoratur *Longinus,* qui nonniſi Cucuſi pontifex fuerit, quando ſex tantummodo provinciæ hujus civitates vel oppida tunc cenſebantur ex Notitia Hieroclis, deque aliarum quinque ſedium præſulibus alioqui nobis conſtat.

B

IV. JOANNES I.

In Quinta ſynodo ſubſcripſit *Joannes epiſcopus civitatis Cucuſi agens vices Palladii religioſiſſimi epiſcopi metropoleos Melitenes.*

V. JOANNES II.

Quiniſextæ ſynodi canonibus ſubſcriptus legitur Ἰωάννης ἀνάξιος ἐπίσκοπος Κουκουσοῦ τῆς πρώτης τῶν Ἀρμενίων ἐπαρχίας, *Joannes indignus epiſcopus primæ provinciæ Armeniorum.*

VI. ECCLESIA ARIARATHIÆ.

ARIARATHIA in Antonini Itinerario Armeniæ minoris civitas eſt, medio fere itinere Sebaſtia Cucuſum, & Nicopoli Arabiſſum eunti. Ptolemæo, lib. 5. cap. 6. Ἀριαράθειρα, vel Ἀριαράθειρα, *Ariaratheira,* Cappadociæ eſt oppidum in præfectura *Sargarauſenæ:* legendum tamen Ἀριαράθεια, *Ariaratheia,* ceu, vel condita, vel nuncupata ſit ab *Ariarathe* Cappadociæ rege cujus meminit Strabo. Hanc habent Notitiæ omnes.

EPISCOPI ARIARATHIÆ.

I. AURELIUS.

EX Armeniæ civitate *Arreicio,* ut Latine ſcripta ferunt acta S. Dionyſii Mediolanenſis, qui in ea provincia exſul Conſtantio Imper. obierat, corpus ejus Mediolanum ad S. Ambroſium retulit *Aurelius vitæ venerabilis epiſcopus,* à die 25. Maii. Atqui Notkerus Adonis Viennenſis æqualis, quum in Martyrologio Uſuardi ſcriptum eſſet, Dionyſii ſacras reliquias *è Cappadocia per præfatæ urbis epiſcopum à B. Ambroſio receptas,* ſubjungendum curavit: *Alii contendunt, quod* C *in Armeniam apud Reditium civitatem exiliatus, ibidemque defunctus, per Aurelium ejuſdem urbis epiſcopum Mediolanum ſit tranſlatus, & quod idem Aurelius ibidem infirmatus & mortuus, in eodem cum Dionyſio monumento, ſicut in vita condixerant, fuerit tumulatus.* Ubi *Reditium* ponitur pro *Arreicio,* utrobique librariorum errore. Nam in Armenia nulla civitas *Reditium* dicta occurrit, & *Arreicium* nomen alterum corruptum, *Ariarathiam* indicat.

II. ACACIUS.

In ſynodo CP. in qua Eutyches coram

ECCLESIA Ariarathiæ.

Flaviano Archiepiſcopo & Thalaſſio Cæſarienſi hæreſis convictus eſt, ſedebat *Acacius Ariarathiæ*, Ἀκακίου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου τῆς Ἀριαραθηνῶν πόλεως, qui anno inſequenti in Epheſina ſynodo ſecunda vices ſupplevit Conſtantini Melitenenſis, & poſt biennium Chalcedonenſi rurſum adfuit, palamque teſtatus eſt, omnes qui illi profanæ ſynodo interfuerant, vi ſibi à Dioſcoro per milites armatos illata, fuiſſe coactos, ut chartæ in qua nihil exaratum eſſet ſubſcriberent. Quocirca rectæ Fidei definitioni aliiſque concilii decretis ultro ſuffragatus eſt, act. præſertim VI. Ἀκάκιος ἐπίσκοπος πόλεως Ἀριαραθείας. Ipſe proinde eſt *Acacius* ille, cujus nomen præfigitur epiſtolæ ſynodi ejuſdem provinciæ ſecundæ Armeniæ ad Leonem Imp. *Otrius, Acacius, Joannes, &c.*



ECCLESIA CITHARIZORUM.

CITHARIZA, ſeu *Citharizum* caſtellum Κιθαρίζον à Juſtiniano in Armenia exſtructum tradit Procopius lib. 3. cap. 3. *Apud Citharizum quod eſt Aſthianenſis caſtellum, quod prius non exſtabat, tumuloſo in loco poſuit ampliſſimum & validiſſimum, quo & aquam abunde deduxit, proviſa incolis rerum omnium copia: Ducem alterum cum præſidio inſtituit, ſicque Armenios aſſeruit ſecuritati.* Quocirca Novella 31. Juſtinianus Caſtra Cithariza Armeniæ tertiæ aſſignavit. Aſthianam regionem Strabo habet inter Maſium & Antitaurum montes, ad Septentrionem Comagenæ & Meſopotamiæ.

EPISCOPI CITHARIZORUM.

I. MARIANUS.

QUiniſextæ ſynodi canonibus omnium poſtremus ſubſcripſit Μαριανὸς ἀνάξιος ἐπίσκοπος Κιθαρίζων τῆς πρώτης τῶν Ἀρμενίων ἐπαρχίας. *Marianus indignus epiſcopus Citharizorum primæ Armeniorum provinciæ;* quæ nempe ſuperiori ævo ſecunda fuerat.



VI. PROVINCIA GALATIÆ PRIMÆ.

I. ECCLESIA ANCYRÆ, METROPOLIS.

REGIONEM Aſiæ, Phrygiæ, Bithyniæ, Cappadociæ, & Pamphyliæ affinem, quam noſtrates Galli ſeu Celtæ olim occupaverant, Galatiam & Gallo-græciam dixere; quæ, quum Tetrarchiis quatuor prius conſtaret, in provincias duas à Conſtantino M. diviſa fuit, quarum prima à Proconſule adminiſtrabatur, ſecunda à Præſide. Ac primæ quidem metropolis Ancyra fuit, quæ antehac Galatiæ totius caput fuerat. Id in primis egregio illo monumento adſtruitur, quod *Ancyranum* vocant, inter erutæ civitatis rudera repertum, atque Cæſaris Auguſti ævo erectum. Hinc eſt quod Livius eam urbem lib. 38. cap. 24. *nobilem* dixit, ut mirari ſubeat, eamdem a Strabone qui ſub Tiberio ſcribebat, inter urbeculas haberi, πολίχνην. Ptolemæo vere metropolis eſt, Ἄγκυρα μητρόπολις, *imo inſignis,* ἐπίσημος uti Livio. Plinius Galatiæ urbes præcipuas lib. 5. cap. 32. haſce tres dicit: *Oppida Tectoſagum, Ancyra, Trocmorum Tavium, Toliſbogorum Peſſinus.* Plane Tectoſages Galatarum primarii erant ipſa Libanii ætate, hoc eſt ſæculo quarto labente, ut, cùm præcipua, tum maxima Galatiæ civitatum Ancyra fuerit, πρώτην καὶ μεγίστην Γαλατῶν πόλιν. Vid. orat. 26. In Galatia Evangelium Apoſtolus Paulus cum Barnaba prædicaſſe fertur Act. 16. c. 6. quum in Phrygiam pergeret; quo tempore à Spiritu ſancto prohibiti ſunt loqui verbum Dei in Aſia. Ac rurſum Galatas atque Phryges Paulus adiiſſe legitur cap. 18. v. 23. & diſcipulos omnes Galatiæ. Quocirca Galatis epiſtolam dedit de circumciſione non obſervanda, tamquam ipſorum in Chriſti Fide inſtitutor. Initio cap. 16. epiſt. 1. ad Corinthios collectas fieri mandat *in ſanctos, ſicut ordinavit eccleſiis Galatiæ.* Petrus quoque epiſtolam ſuam priorem inſcripſit, *Electis advenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, &c.* Epiſtola 2. ad Timotheum cap. 4. v. 10. Creſcens in Galatiam, à Paulo utique miſſus, iviſſe legitur: alii vero codices Græci ſcriptoreſque habent εἰς Γαλλίαν, *in Galliam.* Quocirca Epiphanius hær. 51. n. 11. ait: Ἀρχὴ δὲ ἐν τῇ Γαλλίᾳ... ὡς καὶ περί τινων τῶν αὐτοῦ ἀκολούθων λέγει ἐν ταῖς αὐτοῦ ἐπιστολαῖς, ὁ αὐτὸς Παῦλος· Κρήσκης φησὶν, ἐν τῇ Γαλλίᾳ· οὐ γὰρ ἐν τῇ Γαλατίᾳ, ὥς τινες πλανηθέντες νομίζουσιν, ἀλλ᾽ ἐν τῇ Γαλλίᾳ. *Exordium à Gallia... ut & de quibuſdam qui ſe comitabantur, ait in ſuis epiſtolis Paulus ipſe: Creſcens in Gallia. Non enim, in Galatia, ut aliqui errantes exiſtimant, ſed in Gallia.* Atqui Creſcentem hunc Viennenſis eccleſia ceu primum inſtitutorem ſuum jam olim veneratur. Epiphanio ſuccinit Theodoretus.

In veteribus Notitiis & ſubſcriptionibus Conciliorum Ancyranus metropolita proximè ſequitur Heracleenſem Thraciæ, uti præcipuus, quantum conjicio, Ponticæ diœceſis poſt Cæſarienſem. Theodorus Balſamon in expoſitione canonis 2. Conſtantinopolitanæ ſynodi generalis prioris, quum licere dicat, certis quibuſdam de cauſis eccleſias quæ à gentibus occupantur, aliis epiſcopis addicere; ſubdit, in neſcio qua ſynodo Conſtantinopolitana, Ancyranam eccleſiam Nazianzeno metropolitæ traditam fuiſſe. αὕτη γὰρ ἡ ἐν Κωνσταντινουπόλει σύνοδος δέδωκεν τῷ μητροπολίτῃ Ναζιανζοῦ τὴν ἐκκλησίαν Ἀγκύρας. Quo id tempore factum ſit, non mihi ſatis compertum eſt. Vivebat Balſamon ſæculo duodecimo labente, quo toto currente, frequentes occurrunt in ſynodorum quæ Conſtantinopoli habitæ ſunt ſubſcriptionibus, *Ancyrani metropolitæ,* ut & Nazianzeni ſeorſim, ut diuturna proinde non fuerit Ancyranæ eccleſiæ à Nazianzeno antiſtite adminiſtratio. Sed quum jampridem Nazianzeni epiſcopi titulus urbe diruta perierit, Ancyrani metropolitæ perſeverant: quod conſtat ex recentioribus ipſiſmet Notitiis & aliis Græcæ eccleſiæ monumentis. Hodie ſiquidem Ancyra civitas in edito loco, aliquantùm ab Haly fluvio diſparata, ſtat, *Angora* vel *Angouri* ab incolis nominata.

ECCLESIA ANCYRÆ.

EPISCOPI ANCYRÆ.

I. Theodorus.

PRimus mihi Ancyræ episcopus non erit Crescens Apostoli Pauli discipulus propter Epiphanii, Theodoretique testimonium, quod mox appellavi, necnon Viennensis ecclesiæ traditionem. Sed nec alter illius ecclesiæ pontifex occurrit Sancto Theodoro vel Sancto Clemente antiquior; de quibus proinde nunc dicendum venit. *S. Theodori* memoria legitur ad diem 3. Novembris in Sirleti Menologio veteri, quod Henricus Canisius edidit tom. 2. Antiq. Lect. *S. Patris nostri & confessoris Theodori episcopi Ancyrani, & SS. martyrum Severi, Andronæ, Theodoti, & Theodotæ ense consummatorum.* Ita quoque Menæa recentiora, in quibus hi duo versus in eorum honorem canendi exstant.

Σύμμαρτυς ἔστω καὶ γυνὴ τοῖς ἀνδράσι.
Τετμημένοις τέτταρσιν, καὶ αὕτη συντετμημένη.

Simul sit martyr mulier viris quatuor truncatis, ipsa quoque truncata.

II. Clemens.

Clementis Ancyræ in Galatia episcopi sua memoria est in Martyrologio Romano die 23. Januarii. *Ancyræ in Galatia S. Clementis episcopi, qui sæpius cruciatus, tamdem sub Diocletiano martyrium consummavit.* Additur & *Agathangeli sub Lucio præside martyris* mentio, quem Clementis acta socium ejus fuisse produnt. Acta illa ac bina Bollandus edidit tom. 2. Januarii, quibus fertur Clemens, quum viginti annorum esset, episcopatum capessivisse Ancyranum, tum Ancyræ primum, dein Romæ, Nicomediæ, Rhodi, Nicomediæ rursum cum Agathangelo socio, Ancyræ denuò, Amissi, Tarsi, ac tamdem Ancyræ sexcenta supplicia passum, beato fine quievisse. In fine actorum utrorumque hæc subjiciuntur. *Auspicatus est confessionem, & pugnavit sub Impp. Diocletiano & Maximiano, sub præfectis Domitiano, Agrippino, Charitio, Domitio, Sacerdone, Maximo, Aphrodisio, Lucio, Alexandro, viginti octo annorum martyrium agens.* In actis quæ Metaphrastes adornavit, Agathangelus Clementis socius martyr Ancyræ occubuisse legitur sub Maximino & Lucio præside; eo utique tempore quo Maximinus contra Licinium è Syria movens, regionibus Asiæ Chalcedonem usque occupatis christianos iterum exagitavit. Licet vero Clemens sub Alexandro Lucii successore passus sit, postremum hoc ejus martyrium ad prima Licinianæ persequutionis tempora retrahendum non est, ad annum scilicet 319. quando Marcellus ejus
A successor Ancyranæ sedi jam præerat ab ipso anno 314. quo Maximinus contra Licinium perrexit.

III. Pancratius.

IV. Marcellus.

Circa annum Domini 314. celebrata est Ancyrana synodus, cujus canonibus subscriptus legitur, *Marcellus Ancyræ Galatiæ primæ.* An Galatia in duas tunc discreta esset, viderint eruditi. Anno certe 325. Nicæno concilio Marcellus interfuit, in quo, ait Athanasius Apol. 2. *ejus fides patrum testi-*
B *monio approbata fuit, quum Arianos palam confutaret.* Μάρκελλος μὲν γὰρ ἐμαρτυρήθη ἡμῖν, καὶ ἐν τῇ κατὰ Νίκαιαν συνόδῳ, τοῖς τὰ Ἀρείου φρονοῦσιν ἀντειρηκώς. Id quod subinde eadem in Apologia repetit, ubi testes appellat presbyteros Alexandriæ qui eidem concilio interfuerant. Mirari subit, in Indice Patrum sacrosancti hujusce concilii de provincia Galatiæ *Pancharium Ancyranum* legi, pro quo Labbeus in margine *Pancratium* posuit. In codice autem Pithœano scriptum erat, *Pancratius & Marcus Ancyrani* pro *Marcellus;*
C quod difficultatem auget, quando nusquam alias *Pancratius Ancyranus* occurrit. Illud tamen temerè scriptum non statim putavero. Quod verò Marcellum attinet, circa annum 331. librum scripsit in Asterium Sophistam, quem Athanasius orat. 4. contra Arianos *Arianæ hæresis patronum* appellat, σύνηγορον τῆς αἱρέσεως Ἀρείου τοῦ σοφιστοῦ. Libri Asterii argumentum erat, *De subjectione Domini Christi,* propter illud Apostoli dictum 1. Cor. 15. v. 28. *Quando tradiderit Christus regnum Deo & Patri, tunc & ipse subjicietur.* Marcellum
D Eusebius libris tribus, imo quinque suis confutavit, in quorum secundo cap. 1. significat, Marcellum à multis jam annis Ancyranam ecclesiam administrasse, ita ut in episcopatu jam senuerit, ὁ καταγηράσας ἐν ἐπισκοπῇ τῆς Χριστοῦ ἐκκλησίας. Marcellum Ariani, Eusebio illo duce in lucubratione sua, Sabellii, quin & Pauli Samosateni, impietatem instaurasse accusarunt, adeoque in synodo quæ Hierosolymis Encæniorum causa coacta erat, egerunt, ut sacerdotio abdicaretur; eo maxime, ait Sozomenus lib. 2. cap. 34. quod
E in Tyria synodo decretis ipsorum minime consenserat, neque Hierosolymis Arium voluerat admittere, nec cum ipsis ad templi consecrationem convenire, ab eorum communione cavens. Socrates lib. 1. c. 36. addit, illos Hierosolymis Constantinopolim accersitos, Marcellum hac in urbe Regia damnasse, episcopatu ejecisse, suffecto ejus in locum Basilio, quem Ancyram miserunt.

V. Basilius.

ECCLESIA ANCYRÆ.

V. Basilius.

VI. Marcellus *secundùm.*

VII. Basilius *secundùm.*

Basilius pro Marcello ordinatus, Ancyranæ ecclesiæ præfuit ab anno 336. ad obitum usque Constantini. Cujus accepto nuntio, episcopi sedes suas, è quibus illo imperante ejecti erant, repetiere, ipseque adeo Marcellus suam: à qua tamen mox Constantii Imp. nutu pulsus est, Basiliusque restitutus.

MARCELLUS. Anno 347. ad Sardicensem synodum *Marcellus*, Roma, ubi à Julio Papa absolutus fuerat, se iterum purgaturus accessit, ibique innocens pronuntiatus est, invitis Arianis qui Philippopolim Thraciæ secedentes, epistolam ad Africanos scripserunt, qua illum inprimis tamquam hæreticum proscindebant. Epistolæ huic nomen apposuit suum *Basilius episcopus ab Anquira;* sive Ancyra, quum interim *Basilius* idem à Patribus Sardicensibus, tum sede, tum communione catholica excluderetur, una cum Gregorio Alexandrinæ ecclesiæ tyranno, quos more luporum illis ecclesiis se immersisse dicunt. Constante Imp. Constantii fratre in vivis agente, Sardicæ habita synodus erat, eoque favente, *Marcellus Ancyram* rediit, post scriptam ecclesiæ suæ epistolam, ut se revertentem reciperent. Quo factum est ut Basilius urbe cedere denuo sit coactus, usque ad ejusdem Constantis necem, quæ anno 350. contigit.

BASILIUS *secundùm.* Constantius itaque Imperator audita Constantis fratris sui nece, ut catholicos episcopos, qui à Sardicensi synodo restituti erant, ita & Marcellum Ancyrana sede iterum deturbavit, Basiliumque revocavit. Quumque Photinus Sirmiensis episcopus, hæreticus ab Orientalibus haberi cœpisset, major inde in Marcellum, cujus ille discipulus olim fuerat, invidia conflata est, ut deinceps hæresis auctor haberetur: in quam opinionem concessit tamdem magnus ipse Athanasius, magnus item Hilarius, aliique magni præsules, ob inconditos sermones, quos post synodum Sardicensem habuerat. Quocirca, etsi à clericis suis ab errore immunis, etiam defuncto Constantio, assertus fuit, Ancyram minime regressus est; qui tamen ultra annum 372. vitam produxisse comperitur. Epiphanius enim, qui Panarium de hæresibus auspicatus est anno 374. vel 375. initio hæresis LXXII. quæ est ipsius Marcelli, testatur eum obiisse ante duos plus minus annos, quam ejus hæresim describeret. ἀπὸ γὰρ τοῦ ἔτους τούτου, ὡς περὶ δύο ἐτῶν ἐτελεύτα, ἢ πλείω, ἢ ἐλάσσω. Et certè circa annum 372. Marcellus cum suis clericis legationem Athanasio Alexandrino misit, quâ ejus

A fovere communionem ambiebat, adjuncta expositione Fidei orthodoxa cum commendatitiis litteris episcoporum Græciæ & Macedoniæ. Expositionem hanc doctissimus D. Montefalconius edidit tom. 2. Collectionis novæ Græcorum Patrum & Scriptorum, præmissis nonnullis de hac legatione, in diatriba necessaria *de Marcello Ancyrano.*

Quod Basilium attinet, quum Ancyranam sedem sub Constantio Augusto recepisset, anno 351. Sirmiensi synodo interfuit, in qua Photinum impietatis convicit: quod Socrates

B narrat lib. 2. cap. 30. Athanasius oratione sua prima contra Arianos, Basilium ait impietatis patrocinio pontificatum meruisse. In libro vero de synodis Ariminensi & Seleuciensi, non « alienum eum esse fatetur à vera Fide amplectenda, qui Filium Patri per omnia similem « agnosceret, eumdemque non ex alia essentia « subsistentiave genitum, non è rebus creatis « aut factis unam, sed genuinum naturalemque « Patris fœtum, in omni æternitate simul cum « eo exsistentem. Sic non malè quoque audit apud nostrum Hilarium in ejus libro de sy-

C nodis; unde Semiarianus censitus fuit. Anno 358. concilium Ancyræ ad ecclesiæ quam exstruxerat dedicationem habuit, in quo proscripta damnataque est secunda Fidei formula Sirmiensis, ut pote quæ Anomœorum impietatem redoleret. Cæterum anathematismos decem & octo condiderunt, in quorum uno *Consubstantialis* vocem ejurabant: id quod graviter tulit Hilarius, ut & magnus Cæsariensis Basilius epist. 14. Ad Seleuciensem synodum venit anno insequenti, at primæ ejus actioni non interfuit, in qua se aliquot

D criminum reum actum iri intelligeret, ut fert Socrates, lib. 2. cap. 39. Quia vero Acacius Cæsariensis cum suis seorsim à numerosiore cœtu secesserat, tertio ille conventui adfuit, in quo Acacius, Georgius Alexandrinus & reliqui hujus factionis episcopi communione & sacerdotio privati sunt. Tum Constantinopolim profectus, Constantium, quia Eudoxii Antiocheni blasphemias non coërceret, pro ea qua apud eum familiaritate utebatur, redarguere non dubitavit, quod Imperatoris animum offendit. Quocirca anno

E 360. Acacius, habita cum suis in urbe Regia synodo, vicissim illum exauctoravit, propter varia crimina quæ Sozomenus recitat, lib. 4. cap. 24. Quin Philostorgius, lib. 5. cap. 1. Basilium Ancyranum in Illyricum exsulare jussum ait: Ancyram vero Constantio defuncto reversum augurari licet. Anno 363. Juliano Apostata exstincto, Semiariani episcopi libellum supplicem Joviano ejus successori obtulerunt, quorum primus nominatur noster hic Basilius apud Socratem, l. 3. c. 25.

ECCLESIA ANCYRÆ.

VIII. ATHANASIUS.

Basilio in conventu illo quem dixi Constantinopolitano, ad ordinem redacto, Acacius Cæsariensis, Philostorgio teste lib. 5. cap. 1. Cæsaream suam Palæstinæ per Asiæ provincias repetens, ecclesiis quarum præsules exsilio multandos curaverat, episcopos alios dedit, ὁμοούσιον, ait ille, *colentes: ac Nicomediæ quidem pro Cecropio Onesimum, Ancyræ pro Basilio Athanasium*, ἀντὶ δὲ Βασιλείου τῆς ἐν Ἀγκύρᾳ, Ἀθανάσιον. Athanasium hunc Gregorius Nyssenus, lib. 1. contra Eunomium repræsentat, tamquam hominem qui Aëtium probè nosset, *& nihil non veritati postponeret*. Τὰ γὰρ κατὰ τὸν Ἀέτιον ᾔδειν Ἀθανασίου ποτὲ τοῦ Γαλατῶν ἐπισκόπου λέγοντος, ἀνδρὸς οὐκ ἄν τι περὶ ἀληθείας προτιμήσαντος ἤκουσα. Exstat S. Basilii M. epistola 34. inscripta Ἀθανασίῳ πατρὶ Ἀθανασίου ἐπισκόπου Ἀγκύρας, *Athanasio patri Athanasii episcopi Ancyræ*, qua docemur, virum hunc fuisse omni disciplinarum genere excultum, qui, tum urbium, tum provinciarum regimini ritè præpositus fuisset. Epistola 53. ejusdem Basilii *Athanasio ipsi episcopo Ancyrano* inscribitur, Βασίλειος Ἀθανασίῳ ἐπισκόπῳ Ἀγκύρας. Queritur sibi iratum adeo esse Athanasium, qui nec minis parceret: sibi vero id formidabile esse ait, quod accurata illius integritas, quæ rectitudinis fulcimentum erat, veræque caritatis ad ecclesiarum consolationem seminarium, vulgarium hominum criminationes pluris faciat, quam longam sui experientiam. Cæterum pro certò habet, Athanasium, qui magna & continua pro recta Fide certamina sustinuerat adversùs illos qui, aut Filium Patri dissimilem dicerent, aut Spiritum sanctum ad creaturas detruderent, permissurum non esse contumeliam sibi irrogari. Hæc quidem Basilius magnus. Athanasius vero jam olim anno 363. epistolæ synodi Antiochenæ ad Jovianum Imp. qua *Consubstantialis* Fides confirmabatur, perinde atque ordinator suus Acacius subscripserat per Orphitum, & Aretium presbyteros, Ἀθανάσιος Ἀγκύρας διὰ Ὀρφίτου καὶ Ἀρετίου πρεσβυτέρων, apud Socratem, lib. 3. cap. 25. Anno rursum 367. adfuit synodo Tyanensi, in qua Liberii & episcoporum multarum Occidentis regionum literæ de Fide lectæ sunt. Obiit utique anno 373. quo Basilius epistolam 67. suam scripsit ad Ancyranam ecclesiam, tanti præsulis jacturam lugens. πέπτωκεν, inquit, ἀνὴρ στύλος τῷ ὄντι καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, *cecidit vir columna prorsus & firmamentum veritatis*.

IX. * * * *Arianus*.

X. ARABIANUS.

Qui Athanasio proxime sit suffectus, de A nomine compertus nobis non est; Arianus vero omnino fuit, quandoquidem an. 375. Magnus Basilius epistolis 75. & 264. significabat, se cum ecclesia Galatiæ nulla communione junctum, ejusque episcopos Arianæ factionis fuisse. Quanquam epistola 7. quam certè post Athanasii obitum scripsit, dolere se declarat, quod res in pejus eunt, tametsi Neocæsarea & Ancyra episcopos haberent, similes illorum qui defuncti erant, iique tunc quieti agerent. πῶς δὲ ἡ Νεοκαισάρεια καὶ ἡ Ἄγκυρα ἔδοξαν ἔχειν διαδόχους τῶν ἀπελθόντων, B καὶ μέχρι τοῦ νῦν ἡσυχάζουσιν. Verum Demosthenes Ponti vicarius synodum Arianorum Ancyræ habuit, in qua contra catholicos sævitum fuit: unde conjicere iterum liceat, urbis hujus episcopum eorum hæresi adhæsisse. Hujus synodi meminit etiam Basilius epist. 73. & 264. Quocirca non est cur mirum videatur, in Indice Patrum concilii Constantinopolitani generalis prioris, nullum de Galatia episcopum reperiri, uti neque de Asia.

Post verò, instaurata per Asiam & Pontum Fidei veritate, catholicus Ancyræ episcopus ARABIANUS. C *Arabianus* fuit, qui anno 394. in Constantinopolitana synodo sedebat, in qua Agapii & Bagadii de Bostrorum in Arabia episcopatu contendentium causa judicata est. Sed & ipse Patres rogavit, ut edicerent, num episcopus à duobus vel tribus destitui posset. Idem Arabianus anno 400. concilio aderat S. Joannis Chrysostomi, in quo Antoninus Ephesi episcopus multorum criminum ac Simoniæ præsertim accusatus fuit. *Decimatertia Indictione*, ait Palladius in Dial. *de vita S. Joannis Chrysostomi*, pag. 125. *venerunt* D *Constantinopolim necessitatum quarumdam causa Asiani episcopi, qui nobiscum commorabantur, præsentibus etiam aliis episcopis; de Scythia nimirum Theotimo, de Thracia Ammone Ægyptio*, καὶ ἀπὸ Γαλατίας Ἀραβιανοῦ, πάντων μητροπολιτῶν γεγηρακότων, *& ex Galatia Arabiano, cunctis metropolitis ac provectæ ætatis, ad usque viginti-duos episcopos*.

XI. LEONTIUS.

Proximus Arabiani successor fuit *Leontius*, quem Theodoretus & Sozomenus *Leonem* E vocant. Hic Palladio teste *in vita S. Joannis Chrysostomi*, pag. 77. & 79. adversariis beatissimi archiepiscopi se dedidit cum Ammonio Laodiceæ Adustæ. Λεόντιος δὲ ὁ Ἀγκύρας τῆς Γαλατίας, συγκλωσθεὶς Ἀμμωνίῳ τῆς Λαοδικείας τῆς κατακεκαυμένης. Hi non modo principum minis, sed & munerum spe victi, in secunda quæ contra Chrysostomum habita synodus est, Acacio Berrhœensi & Antiocho Ptolemaïdis suggesserunt, oportere Theophili judicium valere, nec locum Joanni,

defensionis dare, qua canones à Theophilo allegatos ab Arianæ factionis episcopis quadraginta conditos contendebat. Addit Palladius, eumdem Ammonium & Leontium, *par illud admirabile*, ἡ μέντοι δυὰς τῶν θαυμασίων, cum Acacio, Antiocho, Cyrino Chalcedonensi & Severiano Gabalorum ingressos ad Imperatorem, id consilii dedisse, ut ex parte Joannis episcopi decem evocarentur, (etsi plures quadraginta erant) ad conciliandam canonibus illis auctoritatem. Quæ perinde narrat Socrates lib. 6. cap. 16. gestaque fuere anno 404. quo sanctissimus Doctor secundo exsilio multatus fuit. Rursum Palladius, pag. 200. scribit, *episcopum Ancyræ præ omnibus*, ὁ, τῆς Ἀγκύρας πρὸ πάντων, & Ammonium Pelusii, donis minisque milites qui episcopos Joanni addictos in exsilium ducebant, exasperasse, uti ne à laïcis quidem eos excipi permitterent. Leontii infensum erga se animum paucis verbis Chrysostomus ipse describit epistola 14. *se liberatum* dicens *à Galata, qui necem sibi fere comminatus esset.* Cæterum Theodoretus l. 5. hist. c. 31. Joannis Chrysostomi ad Leontium literas sibi visas ait, quibus Scythas ad Fidem conversos significabat, orabatque, ut viros quosdam ad se mitteret idoneos ad viam salutis illis monstrandam. Sed quondam hæc, ac dudum antè quam tot illi Orientis episcopi in sanctum pontificem insurgerent. Atqui Theodoretus cap. 27. Leontium hunc alioqui omni virtutum genere floruisse asserit. Λεόντιος δὲ τὸ Γαλατῶν ἐποίμαινεν ἔθνος, πολλοῖς εἴδεσιν ἀρετῆς λαμπρυνόμενος. Perinde Sozomenus, lib. 6. cap. 34. *Inter monachos quos illic*, in Galatia & Cappadocia, *vixisse accepi*, inquit, *primas tulit Leo, qui postea ecclesiæ Ancyræ episcopus constitutus fuit.* Ipse rursum, lib. 8. cap. 1. ut & Socrates, lib. 6. cap. 22. refert, Novatianis ecclesiam quæ Ancyræ exstructa erat, ablatam fuisse à Leontio. Leontius idem laudatur à S. Nilo, lib. de Theodori filii captivitate.

XII. Theodotus.

Quo tempore Nestorius Constantinopolitanus impietatem suam effundebat, Ancyræ episcopus sedebat *Theodotus*, qui, quum ad Ephesinam synodum venisset, hæreticum hunc cujus amicitiam prius coluerat, cum Acacio Melitenensi adiit, habitoque de Fide catholica colloquio, Nestorius coram illis iterum effutire non dubitavit, *Deum bimestrem vel trimestrem appellare nefas esse.* Quæ act. 1. concilii Theodotus, à Fido Joppes episcopo & Cyrillo Alexandrino adjuratus retulit: multa identidem passim coram patribus interloquutus, imo & perorasse reperitur: sed & à concilio cum septem aliis delegatus fuit ad Imperatorem, ut ipsorum causam adversus Orientales ageret. Ejus aliquot orationes exstant, quas inprimis contra Nestorium Ephesi pronuntiavit, insuper & *Expositio symboli trecentorum decem & octo Patrum concilii Nicæni* adversus Nestorium, in qua, Eutychi hæretico quadantenus prælusisse videtur, diversas duas in Christo naturas abnegando, οὐκ οὐσίας διαφόρους: quod in causa forsitan fuit, cur ejus auctoritas exigui habita sit Nicephoro Constantinopolitano, quin & ecclesiæ patribus anterioribus aliis qui duplicem in Christo naturam defenderant. Vide Phot. Bibl. cod. 231. Cæterum Cyrillus in Apologetico ad Theodosium Imp. hunc & Acacium Melitenensem impensè laudat, ceu optimam apud omnes existimationem haberent, divinarumque literarum peritissimi essent. In fine Expositionis symboli tres libros de Spiritu sancto à se editos testatur: sex quoque contra Nestorium appellat Epiphanius presbyter act. 6. Septimæ synodi, præter non paucos sermones. Anno 438. Cyrillus Alexandria ad ipsum & ad Acacium Melitenensem, ac Firmum Cæsariensem epistolam scripsit, rogans, ut sibi aperirent, quid facto opus foret in causa Theodori Mopsuesteni, quem Orientales in suâ synodo Antiochena minimè damnandum declaraverant. In concilio Chalcedonensi Theodoti successor Eusebius eum Constantinopoli ordinatum innuit, nec sine expensis, quas ipse post illius obitum persolverat, καὶ ἀπὸ πείρας εἰμὶ, ἐπειδὴ τοῦ πρὸ ἐμοῦ πολλὴν ὁλκὴν ἀποδέδωκα, *Quod ipse expertus sum, quippe cum pro eo qui ante me fuit, multam reddidi summam.* Quocirca rogat, ne quid deinceps ea in Urbe pro ordinationibus à civitatibus solvatur.

XIII. Eusebius.

Actione omnium postrema synodi Chalcedonensis, *Eusebius Ancyræ* qui aderat, dixit se suo damno, quum forte Constantinopoli ageret, ordinatum à beato Proclo ἐχειροτονήθην παρὰ τοῦ μακαρίου Πρόκλου, ac certè dudum ante annum 446. quo Proclus obiit. Nam, quum Eusebius episcopos ordinare refugeret, Callinicum Gangrensem ad Proclum misit, à quo consecraretur. Hunc tamen Gangras deduxit, inque throno ejusdem ecclesiæ collocavit. Petrum vero Callinici successorem Proclus Eusebio misit ordinandum: unde suspicari liceat, nonnullam fuisse Gangrensis ecclesiæ erga Ancyranam subjectionem. Anno 448. quo Edesseni clerici Ibam episcopum suum hæresis reum agebant, Theodoretus eidem Ibæ epistolam 57. scribens, literas sibi per Cyprianum Africanum episcopum allatas ait τοῦ ὁσιωτάτου ἐπισκόπου τοῦ κυρίου Εὐσεβίου, ὅς τὸ

ECCLESIA ANCYRÆ.

ECCLESIA ANCYRÆ.

Γαλατῶν ἔθνος ἰθύνει σοφῶς, à sanctissimo episcopo A *Eusebio, qui Galatarum gentem sapienter regit.* Huic Theodoretus ipse epistolam 109. dedit, quum à Dioscoro esset exauctoratus in Latrocinio Ephesino, obtestans, ne criminibus quæ in se jactabantur, aures adhiberet. Illo an. 448. Eusebius initio mensis Aprilis aderat illi conventui Constantinopolitano, in quo relecta sunt acta synodi quæ Eutychem hæreticum pronuntiaverat. Anno insequenti in prædatoria illa synodo Ephesina inter primarios præsules sedit; unde post biennium act. 1. concilii Chalcedonensis Imperii proceres annue- B rant, oportere eidem pœnæ subjacere, cum Dioscorum, tum Juvenalem Hierosolymitanum, Thalassium Cæsariensem, *Eusebium Ancyranum*, καὶ Εὐσέβιον τὸν εὐλαβέστατον ἐπίσκοπον Ἀγκύρας, & Eustathium Beryti, & Basilium Seleuciæ Isauriæ, τὴν ἐξουσίαν εἰληφότας, καὶ ἄρχοντας τῆς τότε συνόδου, *qui potestatem assumserant, principesque fuerant illius synodi.* Verum Seleuciensis Basilius, testes appellans singulos metropolitas præsertim Lycaoniæ, & Phrygiæ qui aderant, omnes Dioscori minis perculsos dixit, adjurandumque Eusebium C Ancyranum, *annon periclitatus esset ipse damnari, quia tantisper distulit vocem,* sive consensum. Quocirca Patres, tum prima actione, tum rursum quarta, Eusebio aliisque, præter Dioscorum, parcendum censuerunt, quum illi coram synodo malè gestorum veniam postulassent, & epistolæ Leonis ad Flavianum subscripsissent. Eusebius subinde unus fuit episcoporum qui act. 5. designati sunt, ut scriptam ab Anatolio Constantinopolitano Fidei formulam emendarent. Cæterum actionibus postremis assentiri & subscribere noluit D canoni XXVIII. quo Constantinopolitanæ sedi trium diœcesium ordinationes attribuebantur, hac in primis de causa, quod non sine pecuniarum pensitatione faciendæ esse viderentur: quocirca oportere illas suis in provinciis fieri. Eusebium ante annum 458. obiisse constat.

XIV. Anastasius.

Anno 458. Leo Imperator accepto necati à Timotheo Æluro Chalcedonensis synodi hoste Proterii Alexandrini nuntio, Orientis metropolitis literas sacras dedit, ut unusquis- E que suam suæque synodi de hoc facinore, deque illius consilii auctoritate sententiam edissererent, adeoque, ut in Indice quoque fertur, *Anastasio reverendissimo episcopo Ancyræ;* qui vicissim cum suæ provinciæ præsulibus epistolam Leoni rescripsit lectu dignissimam. Anastasius idem subscriptus quoque legitur decreto synodico Gennadii Constantinopolitani contra Simoniacos. Jur. Græco-Rom. tom. 1. pag. 190.

XV. Dorotheus I.

Anno 513. Indict. VI. ait Marcellinus Comes in chronico, *Clementino & Probo Coss. Dorotheus Ancyræ civitatis venerandus antistes, Anastasio principi propter unicam orthodoxam Fidem jugiter adversarius, finem vivendi, quem sibimet, misso contrà se à Cæsare Magistriano, ipse prædixerat, in dicto tempore fecit.* Nec plura hactenus de eo.

XVI. Elpidius.

Anno 536. synodus Constantinopolitana, B archiepiscopo Menna præside, celebrata est, in qua decessor ejus Anthimus hæreticus ex toto proscriptus fuit. Aderat *Caianus presbyter & apocrisiarius Elpidii sanctissimi episcopi Ancyræ primæ Galatiæ,* Γαιανοῦ πρεσβυτέρου καὶ ἀποκρισιαρίου Ἐλπιδίου τοῦ ὁσιωτάτου ἐπισκόπου Ἀγκύρας τῆς πρώτης Γαλατίας.

XVII. Domitianus.

Post annum Justiniani Imp. undecimum, Christi 537. *Domitianus* monasterii S. Martyrii in Palæstina præpositus, insignis Orige- C nista, *Galatarum regionis pontificatum capessivit,* ὁ μὲν Δομετιανὸς τῆς Γαλατῶν χώρας τὴν ἱεραρχίαν κατέλαβεν, Ancyranum proinde; quo tempore Theodorus Ascidas ejusdem sectæ patronus, Cæsariensis in Cappadocia præsul creatus fuit, quorum ope Origeniana lues in Palæstina admodum invaluit. Quod refert Cyrillus Scythopolita in vita S. Sabæ n. 83. Ad hæc n. 85. scribit Nonnum Origenistam Leontii nescio cujus Byzantii, Domitiani & Theodori patrocinio fretum, vim cum suis Petro Hierosolymitano attulisse, uti nomen D Ephræmii Antiocheni è sacris diptychis adimeret: rem vero à Petro delatam Imperatori, qui proinde edictum in Origenem dedit. Edicto huic à Menna Constantinopolitano subscribere coacti sunt *Domitianus & Theodorus, quorum tamen simulatio nemini non perspecta fuit.* Atqui Domitianum hunc unà cum Theodoro Ascida incentorem fuisse disputationis de Tribus capitulis Facundus Hermianensis auctor est lib. 1. cap. 2. *Præsertim,* ait, *quum & Domitianus Ancyrensis quidam civitatis episcopus, qui fuit ipsius Origenianæ* E *hæresis manifestus assertor, per libellum, quem ad beatissimum Papam Vigilium scripsit, Deo extorquente, confessus sit, quod ejus complices Origeniani, quum viderent non se posse proprium dogma defendere, neque sibi quidquam spei de conflictu restare, ad ultionem eorum quæ contra Origenem gesta sunt, hæc Ecclesiæ scandala commoverunt.* Atqui libelli quem Domitianus Vigilio Papæ dedit, partem recitat Facundus lib. 4. cap. 4. *His omnibus accedit & confessio Domitiani Galatæ Ancyrensis olim episcopi,*

quem confeſſum didicimus, quod complices ejus Origeniani ad Eccleſiæ conturbationem iſta moliti ſunt. Nam in libello quem ad Vigilium ſcripſit, conquerens de his qui contradicebant dogmatibus Origenis aſſerentis animas humanas ante corpora in quadam beata vita præexſtitiſſe, & omnes quæ fuerint æterno ſupplicio deſtinatæ, in priſtinam beatitudinem cum diabolo & angelis ejus reſtitui. Dicit etiam hæc. Proſiluerunt ad anathematizandos ſanctiſſimos & glorioſiſſimos doctores ſub occaſione eorum quæ de præexſiſtentia & reſtitutione mota ſunt dogmatum, ſub ſpecie quidem Origenis; omnes autem qui ante eum & poſt eum fuerunt, ſanctos anathematizantes. Hi vero qui propoſuerunt hujuſmodi anguſta defendere, adimplere minime valuerunt, ſed talem relinquentes conflictum, converſi ſunt ut moverent adverſus Theodorum qui fuit Mopſueſtenus epiſcopus; & moliri cœperunt, quatenus anathematizaretur & ille, ad abolitionem, ut putabant, eorum quæ contra Origenem mota conſtituerant. Quum Domitianus ante latum à Juſtiniano in Origenem edictum epiſcopus fuerit, cui ſanciendo occaſionem ipſe dederit, cuique ſubinde ſubſcribere juſſus ſit, ad Ancyræ ſedem utique promotus eſt ante annum 538. quo edictum promulgatum fuit; ac certè poſt 536. quo Elpidius ejus deceſſor ad ſynodum Conſtantinopolitanam ſub Menna Caianum apocriſiarium delegavit.

XVIII. Dorotheus II.

Domitianum proxime utique excepit *Dorotheus II.* cujus vices in Quinta ſynodo generali geſſit Anaſtaſius Tabiæ, in hunc modum ſubſcribens: *Anaſtaſius miſericordia Dei epiſcopus Tabienſium civitatis, agens vicem Dorothei religioſiſſimi epiſcopi Ancyranorum metropoleos.*

XIX. Frontinus.

Victor Tunnunenſis in chronico, ad annum poſt Conſulatum Baſilii V. C. 21. Chriſti 562. narrat, *Frontinum* vel *Frontinianum,* qui Salonitanus in Dalmatia primum epiſcopus fuerat, ſed ejectus, quod Tria capitula damnare nollet, poſt de Antinoënſi in Thebaïde exſilio regreſſum, *Ancyram tranſmutatum eſſe.*

XX. Paulus.

Sub Tiberio Imp. II. S. Theodorus Siceota claruit, à *Paulo* Ancyræ epiſcopo epiſcopus ordinatus. Defuncto ſiquidem Anaſtaſiopolis epiſcopo Timotheo, cives & clerici illius urbis beatiſſimum Ancyræ metropolis archiepiſcopum dicuntur conveniſſe, magnum Dei ſervum Theodorum Siceorum archimandritam eccleſiæ ſuæ pontificem flagitantes. Quocirca Ancyram vocatus Theodorus, à beatiſſimo archiepiſcopo Paulo cum gaudio ſuſceptus eſt, & epiſcopus conſecratus, quo tempore piæ memoriæ Tiberius imperio potiebatur. Poſt annos quindecim Theodorus ob Anaſtaſiopolitanorum mores epiſcopatum abdicaturus, Paulum adiit, quo ejus votis annuente, Conſtantinopolim ad Cyriacum archiepiſcopum ambo profecti ſunt. Ille auditis quæ Theodorus cauſabatur, conceſſit, ut oneri renuntiaret; ita tamen ut epiſcopalem honorem retineret. Hæc aliaque multa in vita Theodori, quæ Latinè converſa inter Acta SS. exſtat ad diem 22. Aprilis.

ECCLESIA ANCYRÆ.

XXI. Plato.

Sextæ ſynodo generali interfuit & ſubſcripſit *Plato epiſcopus Ancyranorum metropolis provinciæ Galatiæ primæ.* Πλάτων ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Ἀγκυρανῶν μητροπόλεως τῆς πρώτης Γαλατίας ἐπαρχίας. Is fuit, ni fallor, Ancyræ metropolita ille, qui cum S. Gregorio Agrigentino, quem nonnulli falſorum criminum reum in concilio Romano egerant, Romam iter ſuſcepit, ut illum inſontem eſſe comprobaret, quemadmodum in Gregorii vita fertur apud Surium die 23. Novemb.

XXII. Stephanus I.

Quiniſextæ ſynodi canonibus ſubſcriptus legitur Στέφανος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος τῆς Ἀγκυρανῶν φιλοχρίστου μητροπόλεως τῆς τῶν Γαλατῶν ἐπαρχίας. *Stephanus minimus epiſcopus Chriſti amantis Ancyranæ metrop. provinciæ Galatiæ.*

XXIII. Basilius II.

In Septima ſynodo ſedit *Baſilius* Ancyræ in Galatia epiſcopus, quum ipſe act. 1. catholicæ Fidei confeſſionem dediſſet, ejurata hæreſi ſacris imaginibus adverſaria, cui priùs faverat. Tum à concilio admiſſus, cunctis ejus decretis ſubſcripſit. Βασίλειος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ἀγκύρας, *Baſilius indignus epiſcopus Ancyræ.*

XXIV. Theodulus.

In Octava ſynodo Ancyræ metropolita *Theodulus* ſedebat; de quo accipienda veniunt, quæ S. Ignatius in libello ad Nicolaum Papam ſcribebat, in Photiana ſynodo ſecunda neminem epiſcoporum, hegumenorum, ſacerdotum, ac monachorum auſum eſſe pro ſe loqui, quum viderent *Ancyræ metropolitam,* εἶδον γὰρ τὸν μητροπολίτην Ἀγκύρας, dum liberius in ſynodo loqueretur, à nefario parricida vagina gladii in capite vulneratum; veſtibus illius ſanguine conſperſis. In 3. act. Romani legati palam queſti ſunt, quoſdam eorum qui à SS. Methodio & Ignatio ſacrati fuerant, errore ſeducti, ſubſcribere nolle libello quem Hadrianus Papa II. miſerat, in

quibus *Theodulus Ancyræ* & Nicephorus Nicææ, ad quos metropolitæ tres miſſi ſunt qui eos vocarent, atque hortarentur ut ſubſcriberent. Quibus illi repoſuere, ob iniquas ſubſcriptiones quas antehac dederant, nolle ſe ampliùs ſubſcribere; ſat eſſe quod jam ſubſcripſiſſent, Fidei ſcilicet ſymbolo in ſua ordinatione, quod in chartophylacio reconditum erat. Cæterum act. ult, ſubſcripſit in hunc modum, *Theodulus miſericordia Dei archiepiſcopus Ancyrarum, omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita ſuſcipiens, ſubſcripſi manu propria.*

XXV. Daniel I.

Permirum eſt in excerptis ſynodi Photianæ ſub Joanne Papa VIII. habitæ apud Beveregium Theodulum Ancyræ ei adſuiſſe ferri, quando nihil ejuſmodi reperio in Actis Græcis quæ apud me integra habeo. Ibi initio & in ſubſcriptionibus, quin & interloquutionibus ſolus *Daniel Ancyræ metropolita* memoratur. Δανιὴλ Ἀγκύρας, Δανιὴλ ὁ θεοφιλέστατος μητροπολίτης Ἀγκύρας. Ipſe igitur eſt qui apud Nicephorum Calliſtum, lib. 14. hiſtor. cap. 39. ubi de *Tranſlationibus epiſcoporum*, Nicopoli Græciæ Ancyram Galatiæ tempore Photii migraſſe dicitur. καὶ ὁ τῆς ἐν Ἑλλάδι Νικοπόλεως ἐπίσκοπος Δανιὴλ μετετέθη εἰς Ἀγκύραν τῆς Γαλατίας. Idem fertur lib. 4. Jur. Græco-Rom. pag. 294.

XXVI. Theophylactus.

Stephanus Papa IV. epiſtola qua Styliano Mappæ Neocæſarienſi metropolitæ reſpondebat de illis qui à Photio ordinati erant, aiebat ſe à Latere ſuo miſiſſe religioſiſſimos epiſcopos Radulſum Capuanum & Romanum, quibuſcum ſanctitas ipſius, ſive Stylianus ipſe, conveniret, necnon *Theophylactus metropolita Ancyræ*, καὶ Θεοφύλακτον μητροπολίτην Ἀγκύρας, & Petrus, quem *fidelem ſuum* appellat: *ita ut ante omnia,* inquit, *ſententia in Photium prævaricatorem & legum everſorem, à prædeceſſoribus œcumenicis Pontificibus ſynodice lata, & à noſtra humilitate confirmata, perpetuo tempore immutabilis permaneat.* Atqui Stephanus Papa IV. ſedebat anno 885. Verum epiſtola hæc, prima cenſetur illarum quæ Formoſi itidem Papæ Stephani ſucceſſoris nomen præ ſe ferunt in Latinis codicibus.

XXVII. Joannes.

Anno 997. Siſinnius Patriarcha coacto concilio decretum edidit de duabus conſobrinis à fratribus duobus non ducendis. Aderat *Joannes Ancyræ metropolita*, Ἰωάννης Ἀγκύρας. Jur. Græco-Rom. lib. 3. p. 197.

XXVIII. Michael I.

Circa annum M. 6540. Chriſti 1032. quo Romano Argyropulo Imp. in Cappadocia, Honoriade & Paphlagonia fames, peſtiſque graſſabantur; *Michaël Ancyræ epiſcopus*, Μιχαὴλ, ὁ τῆς Ἀγκύρας τότε τὴν ἐκκλησίαν πηδαλιουχῶν, digna virtutis ſpecimina edidit, nihil omittens eorum quibus hiſce malis apud ſuos mederetur. Joannes Scylitzes & Cedrenus, pag. 780.

XXIX. Nicolaus.

Sub Alexio Patriarcha decretum ſynodale editum eſt, quo nuptiæ ſeptimi gradus prohibitæ ſunt. Aſſidebant metropolitæ quatuor, in quibus *Nicolaus Ancyranus*, Νικολάου Ἀγκύρας. Jur. Græco-Rom. lib. 3. pag. 204. Hunc eſſe illum Ancyræ metropolitam reor, qui anno M. 6545. Chriſti 1037. Joannis eunuchi Michaëlis Paphlagonis Imper. germani fratris conſiliorum particeps erat, ut Joannes ipſe Patriarcha pro Alexio conſtitueretur. Ibid. pag. 7.

XXX. Michael II.

Michaële Cerulario Patriarcha, *Michaël, qui Amaſeæ in Ponto epiſcopus renuntiatus erat, ceu ſedes revera vacaret, ad Ancyranam nihilominus promotus fuit*, Μιχαὴλ ὁ εἰς ἐπικηρυχθεὶς Ἀμασείας, εἶτα ὡς σχολάζων τὴν Ἀγκύραν λαβὼν, καὶ τὸν τόπον αὐτῆς, *tum rurſum Ceraſuntem, cujus throni compos factus, ad inferiorem locum detruſus eſt.* Id factum puto ob gravem quamdam calamitatem, qua Amaſea & Ancyra afflictæ ſint. Niceph. Calliſt. lib. 14. cap. 39. lib. 4. Jur. Græco-Rom. pag. 294.

XXXI. * * *

Anno M. 6574. Chriſti 1067. April. 2. fer. 4. Indict. IV. Joannes Xiphilinus Patriarcha decreto ſynodali ſanxit, ne virgo duceretur, quæ cum patre & filio, etiam adoptivo ſponſalia iniviſſet: quin rurſum ne clerici ulli, quorum ſponſæ ante nuptias celebratas obierint, vel ab eis repudiatæ eſſent, nuptias alias contrahere valerent: has quippe nuptias tamquam ſecundas habendas eſſe, adeoque clericum illum hoc ipſo digamum fore. Aderat metropolita *Ancyræ*, τοῦ Ἀγκύρας. Jur. Græco-Rom. lib. 3. pag. 211.

XXXII. * * *

XXXIII. Nicetas.

Nicolao Grammatico Patriarcha, menſis Novembris die 14. Indict. V. hoc eſt anno Domini 1087. vel 1102. ſynodale decretum aliud latum eſt *de præſtatione Canonicorum*, aſſidentibus illi metropolitis quatuor, quorum primus *Ancyranus* ſcribitur, τοῦ Ἀγκύρας. Ibid. pag. 264. Atqui Nicolaus idem Patriarcha epiſtolam dedit Alexio Comneno Imp. in

qua, canonum auctoritate probabat, minime fas esse episcopatus à suis metropolibus avelli. Ejus scribendæ occasio fuit expostulatio religiosissimi *metropolitæ Ancyrani Nicetæ, quam Imperatori obtulerat*, παρὰ τοῦ θεοφιλεστάτου μητροπολίτου Ἀγκύρας Νικήτα ἐπιδοθεῖσαν. Instrumento nitebatur Constantini Ducæ Imperat. qui, quum Basilei episcopum metropolitam instituisset, sanxerat tamen, metropolita isto defuncto, ecclesiam Basilei ad pristinum inferioremque statum suum, episcopatûs scilicet nudi simplicisque, reversurum. Præterea Ancyranus intercessit, ne Basilei episcopi electio deinceps in urbe Regia fieret, uti vulgò metropolitarum, sed Ancyræ, ut pote quæ totius provinciæ metropolis erat. Cæterum synodus declaravit, penes Imperatorem esse de his omnibus ad libitum statuere aut disponere. Id quod etiam Alexius statuto pronuntiavit suo, quod ex Balsamone refertur, l. 11. Jur. Græco-Rom. pag. 130. Ibi porro discimus quoque gesta ista esse anno M. 6593. sive Christi 1087. Item Jur. lib. 4. pag. 27. exstat Theophylacti Achridæ archiepiscopi ad Ancyræ metropolitam epistola, quæ circa hæc tempora exarata erit.

XXXIV. * * *

Anno 1140. Joanne Comneno Alexii filio Byzantinis imperante, Leo Stypiota patriarcha, synodo coacta, Constantini Chrysomali scripta, multis erroribus, impietatibusque scatere, atque Enthusiastarum præsertim ac Bogomilorum, comperta sunt; quæ proinde à synodo fuere proscripta. Aderat metropolita *Ancyranus*, τοῦ Ἀγκύρας. Allat. lib. 11. de Conf. cap. 11.

XXXV. * * *

Sub Manuele Comneno Imperat. anno 1151. episcopi duo, Sasimorum & Balbissæ, sive Balbiatæ in Cappadocia secunda, Bogomilorum hæresis rei; qui præterea, posthabitis legibus, ab uno dumtaxat episcopo Tyanorum metropolita ordinati essent, exauctorati fuerunt in synodo Constantinopolitana, cui Michaël Oxita patriarcha præerat, considentibus nonnullis metropolitis, quorum unus erat *Ancyranus*, τοῦ Ἀγκύρας. Ibid. cap. 12. n. 3. Ille idem Ancyranus perinde adfuit alteri metropolitarum cum Patriarcha conventui, qui eodem anno habitus est 1. Octob. fer. 6. Ind. VII. καὶ τῶν ἱερωτάτων ἀρχιερέων, τοῦ Ἀγκύρας, *sacratissimisque pontificibus, Ancyrano, &c.* à quibus eorum destitutio firmata est. Ibid.

XXXVI. Stephanus II.

Anno M. 6684. Indict. IV. mense Januario, hoc est anno Christi 1157. Lucas Chrysoberges Patriarcha concilium habuit propter

A Soterichum Penteugenum Antiochenum patriarcham designatum, qui, quum de Christi sacrificio male sentiret, ob pertinaciam ad ordinem redigi meruit. Ibi aderat *Stephanus Ancyræ*. Allat. Vind. syn. Ephes. pag. 583.

XXXVII. Christophorus.

Germanus II. Patriarcha, qui, capta à Francis Constantinopoli, Nicææ in Bithynia sedebat, coacta ibidem synodo, *Christophorum Ancyræ Galatiæ episcopum*, nonnullosque alios delegavit ad Manuëlem Ducam Epiri
B atque Thessalonicæ despotam, die 6. Augusti Indict. V. Aderat proinde synodo Christophorus, συνεδριαζόντων τῇ μεγάλῃ ἁγιωσύνῃ αὐτοῦ ἱερωτάτων ἀρχιερέων, τοῦ Ἀγκύρας τῆς Γαλατῶν ἐπαρχίας Χριστοφόρου. Lambec. Bibl. Cæsar. lib. 5. Cod. 241.

XXXVIII. Gregorius.

Nicææ *Gregorius Ancyranus* agebat, quo tempore Michaël Palæologus imperii corona redimitus est, isque cum Gregorio Hadrianopolis & Constantino Melangiorum epi-
C scopo effecit, ut Sardensis metropolita, qui hactenùs repugnaverat, ne ille, omisso Joanne Lascari puero genuino Imperii hærede, solus coronaretur, inaugurationi ejus demum assentiretur, Georgio Pachymere teste, lib. 11. histor. Michaëlis cap. 3. καὶ πολλὰ συμβαλλομένου τῇ καταθέσει τοῦ τῆς κατὰ τὴν Ὀρεστιάδα Ἀδριανουπόλεως Γερμανοῦ, ἔτι δὲ καὶ Γρηγορίου Ἀγκύρας, καὶ τοῦ Μελαγγείων Κωνσταντίνου.

XXXIX. Babylas.

Sub Andronico Palæologo Michaëlis Imp.
D filio sedebat *Babylas* Ancyræ metropolita, quem Pachymeres narrat, ipsa die qua Imperator Joannem Glycyn patriarcham convenit, ut pontificatum resignaret, tres quoque episcopos illum eam in rem adiisse, quorum unus erat *Babylas Ancyræ*, ὅ, τε Ἀγκύρας Βαβύλας. Pachym. hist. Andron. lib. 5. cap. 3.

XL. * * *

Leo Allatius, pag. 662. & 702. Exercitationum contra Creightonum Anglum, anno 1099. synodum celebratam ait contra
E Mediensem & *Ancyranum* metropolitas, quorum nomina omisit. Quæ causa vocandæ synodi fuerit, nusquam explicat, nec ejus acta edita exstant.

XLI. Macarius.

In variis Leonis ejusdem Allatii libris quos publici juris fecit, frequens occurrit mentio *Macarii Ancyrani metropolitæ*, qui sanè decimo-quinto sæculo adulto, & ante Florentinæ synodi tempora sedebat, calamumque

ECCLESIA ANCYRÆ.

in Latinos ſtringebat, inſulſum tamen prorſus. Cæterum Allatius lib. 1. de Conſenſ. cap. 27. monet Macarium hunc nihil niſi Nili Theſſalonicenſis commenta congerere ſolitum. Scripſit etiam adversùs Barlaamum & Acyndynum, ineptam maleſanamque Palamitarum doctrinam propugnans. Vide Allat. de Interſtit. Græcorum, pag. 56.

XLII. Constantinus.

Synodo illi quam poſt Florentinam ſynodum & Joannis Palæologi II. Imp. obitum B in templo S. Sophiæ promovendi Athanaſii Patriarchæ CP. cauſa, celebratam ſchiſmatici Græci fabulantur, adfuiſſe cum aliis legitur *Conſtantinus, Ancyræ, & vices geſſiſſe Conſtantini Archiepiſcopi Cypri.* Κωνσταντῖνος ἐπίσκοπος Ἀγκύρας, καὶ ὡς ἀπὸ μέρους Κωνσταντίνου ἐπισκόπου Κύπρου. Allat. de Conſenſ. in Addend. col. 1388.

XLIII. Germanus.

Vir clariſſimus Nicolaus Papadopoli in C Prænotionibus Myſtagogicis Reſp. VI. ſect. VII. affirmat, loca eccleſiarum, in quibus mulieres ſacerdoti peccata ſua deponere ſolent, *Martyria*, μαρτύρια, dicta fuiſſe; idque comprobari ab epiſcopo Crotoniata ex Samona Gazentſi in *Catecheſi confitentium*, ex Mauro Leone in *Iſagoge peccatorum ad pœ-*

A *nitentiam, ex Germano Rhoſoxeſte Ancyrano metropolita*, Tract. Theolog. de Pœnit. & lib. *De Erroribus Italorum.* Qui proinde Germanus recentis ſatis ætatis ſcriptor fuit, ſed quæ mihi incomperta eſt.

XLIV. * * *

Non omittendum lib. 2. hiſt. Turco-Gr. p. 130. ferri Raphaëlem Patriarcham, genere Servium, ordinatum fuiſſe ab *Ancyrano metropolita*, ἐχειροτονήθη ὑπὸ τοῦ Ἀγκύρας, quia B Heracleenſis priùs ægrotabat, quam ſynodus cogeretur, dumque Sultani de illo promovendo decretum ipſi nuntiatum fuit.

XLV. Laurentius.

Epiſtolæ Parthenii Patriarchæ Conſtantinopolitani, qua anno 1643. *Confeſſionem orthodoxam Eccleſiæ Orientalis*, à Petro Mogila Kiovii metropolita editam, commendabat, ſubſcripſit *Laurentius Ancyræ*, ὁ Ἀγκύρας Λαυρέντιος.

XLVI. Athanasius.

Nuperus Patriarcha Conſtantinopolitanus *Athanaſius*, ex Ancyrana ſede aſſumtus fuit.

XLVII. Neophytus.

Anno 1721. Ancyranus metropolita ſedebat *Neophytus*, ὁ Ἀγκύρας Νεόφυτος.

II.

ECCLESIA TABIÆ.

TABIA, Ταβία, in notitia Hieroclis, aliiſque Græcis epiſcopatuum, ſecunda Galatiæ primæ civitas eſt. *Tavia* dicitur in Antonini Itinerario, quâ nempe illi tranſibant qui Ancyra Sebaſtiam pergebant. Eadem utique eſt, quæ apud Strabonem & Ptolemæum Ταούϊον, *Tavion* ſcribitur; atque Straboni caſtellum erat mœnibus cinctum, imo & Ἐμπόρειον, *Emporium*, etſi à mari procul diſtans, adeoque locus in quem merces convehebantur. Plinio lib. 5. cap. 32. *Trocmorum* oppidum *Tavium* appellatur. Scilicet Trocmi gens Galatarum erat, quorum oppidum primarium *Tavium* cenſebatur. Holſtenius in Annotationibus ad Stephanum Byzantinum, ubi de Ἀγκύρᾳ *Ancyræ*, nummos profert ΤΑΟΥΙΑΝΩΝ *Tavianorum.* In fabuloſis geſtis S. Meletii & ſociorum ejus, quæ inter Acta SS 24. Maii typis prodierunt, *Tabia* metropolis Galatiæ dicitur, εἰς τὴν Ταβιανῶν μητρόπολιν τῆς Γαλατίας.

EPISCOPI TABIÆ.

I. Dicasius I.

II. Dicasius II.

DIcaſium non omiſero, qui in ſpuriis illis quæ modo appellabam S. Meletii geſtis Tabiæ Galatiæ epiſcopus & Martyr occubuiſſe fertur; quando ejuſmodi fabuloſæ narrationes vera ſæpe aliqua ſupponunt; ex quibus auctores alia è cerebro ſuo cudendi anſam arripiant. At vero in indice Patrum Nicæni Concilii *de provincia* Galatiæ cenſetur

DICASIUS II. *Dicaſius Tabienſis.* Ipſum nullus dubito eſſe Dicaſium illum, qui Neocæſarienſis Concilii decretis non ita pridem ſubſcripſerat.

D

III. Julianus.

Chalcedonenſi Concilio interfuit & ſubſcripſit *Julianus epiſcopus Tabiæ*, Ἰουλιανὸς ἐπίσκοπος Ταβίας, qui ante biennium quoque prædatoriæ ſynodo Epheſinæ adfuerat, profaniſque ejus decretis adſtipulatus erat. Subinde rurſum anno 458. epiſtolæ ſynodi primæ Galatiæ ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini ſubſcripſit.

IV. Anastasius.

In Quinta ſynodo generali ſedit *Anaſtaſius epiſcopus Tabienſium vices agens Dorothei epiſcopi*

ECCLESIA TABIÆ.

episcopi Ancyranorum metropoleos; pro quo & A subscripsit.

V. GREGORIUS.

Trullanæ synodi canonibus subscriptus legitur Γρηγόειος ἐπίσκοπος Ταβίας τ͂ πρώτης τῶν Γαλατῶν ἐπαρχίας. *Gregorius episcopus Tabiæ primæ Galatarum provinciæ.*

VI. PHILETUS.

In Octava synodo generali sedit & subscripsit *Philetus misericordia Dei episcopus Tabiæ.* Initio actionis 9. *Philippus,* dicitur, *Philippo Dei amicissimo episcopo Tabiæ.*

III. ECCLESIA JULIOPOLIS.

JULIOPOLIS Ἰουλιούπολις, Bithyniæ quondam censita est, de qua Strabo lib. 12. *Ætate nostra,* inquit, *Cleon latronum princeps, qui fuit è vico Gordo, quem postea urbem fecit, & Juliopolim nuncupavit,* καὶ Ἰουλιούπολιν προσηγόρευσεν, *&c.* Sic Plinio lib. 5. c. 32. quindecim Bithyniæ civitatum prima est *Gordiucome, quæ & Juliopolis.* Unde Ptolemæus Juliopolim quidem in Bithynia collocat, & in Olympæna regione, sed in Galatiæ finibus. Sangarius vel Sangaris amnis ejus olim mœnia tundebat, quem Justinianus inhibuit, producto aggere ad pedes minimum quingentos, Procopio teste lib. 5. de ædif. c. 4. Cæterum in Notitia Hieroclis & in vita Theodori Siceotæ Ηλιούπολις *Heliopolis* scribitur, & in quarumdam synodorum actis Ἰλιούπολις, *Iliopolis,* librariis Græcis H pro I. permistim scribentibus ob vocis sonum. Atqui in omnibus Notitiis Galatiæ primæ urbs est: in ea quæ Philippi Cyprii nomen præfert, Heliopolis & Basilæum seu Basileum idem episcopatus est. Ηλιουπόλεως, ἤτοι Βασιλείου. Basileum vero XXVIII. metropolis est in Indice metropolium qui editus est pag. 244. Juris Græco-Rom. Quod quidem institutum est à Constantino Duca Imp. qui tamen decretum illud suum mox mutavit, atque errore cognito, statuit ut Basileum statim à morte novi metropolitæ ad pristinam episcopatus conditionem rediret. Id quod Alexio Comneno itidem Imp. à Niceta Ancyræ metropolita comprobatum legimus, pag. 278. Jur. Græco-Rom. ὑπομνήματί τε πέφρακται τοῦ μακαρίτου Βασιλέως τοῦ Δούκα, ὅστις τὴν τοῦ Βασιλείου ἐπισκοπὴν εἰς μητροπολιτῶν ἀνήγαγε δίκαιον, διοριζομένου, τοῦ θανάτου τοῦ τιμηθέντος μητροπολίτου εἰς ἐπισκοπὴν καταστῆναι τὴν εἰρημένην. *Quam valde prudenter,* pergit Nicetas, *hunc principem non puduerit lapsum, ignorantiamque suam illam traducere & corripere.* Quin Ancyranus metropolita Bullam auream Michaëlis Ducæ, Constantini filii, attulit, qua posteriorem illam genitoris sui firmabat. Ex quo apparet indicem illum metropolium scriptum fuisse statim à lato priore illo Constantini decreto.

EPISCOPI JULIOPOLIS.

I. PHILADELPHIUS.

ANCYRANÆ synodi canonibus subscriptus legitur *Philadelphius Juliopolis Galatiæ primæ.* In Indice quoque Latino Patrum concilii Nicæni, *de provincia Cappadociæ* quintus numeratur *Philadelphius Juliopolitanus.*

II. PHILETUS.

Epistolæ episcoporum factionis Arianæ, qui à Sardicensi concilio *Philippopolim* Thraciæ secesserunt, subscriptus legitur *Philetus episcopus à Juliopoli.*

III. MELIPHTHONGUS.

Concilio Constantinopolitano, quod Flaviano Archiepiscopo præside Eutychem semel atque iterum damnavit, adfuit & subscripsit *Meliphthongus episcopus ecclesiæ Dei quæ est Juliopoli,* Μελίφθογγος ἐπίσκοπος τῆς κατὰ τὴν Ἰουλιούπολιν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας. Post tres annos iterum sedit in concilio Chalcedonensi, cujus statutis omnibus subscripsit; B quin etiam epistolæ ad Leonem Papam, qua episcopi qui Chalcedone vel Constantinopoli substiterant, canonis sui 28. confirmationem postularunt.

IV. PROCLIANUS.

Epistolæ synodi Galatiæ primæ ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini *Proclianus episcopus Heilopolis* subscriptus legitur in Baluzii collectione Conciliorum; nec dubium quin legendum sit, *Juliopolis.*

V. PANTALEON.

C Synodo Constantinopolitanæ quæ Menna patriarcha præside, Anthimum ejus decessorem & alios hæreticos proscripsit, adfuit & subscripsit *Pantaleon episcopus Juliopolitanorum provinciæ Galatiæ.* Πανταλέων ἐπίσκοπος Ἰουλιουπολιτῶν τῆς Γαλατῶν ἐπαρχίας.

VI. MARTYRIUS.

In Sexta synodo generali sedit & subscripsit *Martyrius episcopus Juliopolis civitatis primæ Galatiæ provinciæ.* Μαρτύριος ἐλέῳ Θεοῦ

ECCLESIA JULIOPOLIS.

ἐπίσκοπος Ἰουλιουπόλεως τῆς πρώτης τῶν Γαλατῶν ἐπαρχίας.

VII. Joannes.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus legitur Ἰωάννης ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ἰουλιουπόλεως τῆς πρώτης τῶν Γαλατῶν ἐπαρχίας, *Joannes indignus episcopus Juliopolis primæ Galatarum provinciæ.*

VIII. Constantinus.

In Septima synodo generali sedit & subscripsit *Constantinus episcopus Juliopolis*, ut fert Latina translatio, vel *Constans*, ut Græcus contextus, Κώνστας ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ἰουλιουπόλεως.

IX. Georgius, *vel* Ignatius.

Octavæ synodo generali adfuisse legitur initio actionis 1. *Georgius Deo amantissimus episcopus Ilopoleos:* in actionibus aliis habetur, *Heliopoleos*, & *Helii civitatis*. Nona vero actione *Ignatius* scribitur, *Ignatio Deo amicissimo episcopo Juliopoleos*, necnon in subscriptionibus, *Ignatius misericordia Dei episcopus Juliopoleos;* ubi inter Galatiæ episcopos visitur. Initio verò actionis decimæ episcopus *Basilii*, vel *Basilei* Βασιλείου appellatur: *Ignatio Deo amabili episcopo Basilii.* Sic quoque synodo quæ ob Photii restitutionem sub Joanne Papa VIII. habita est, sedisse fertur in actis Græcis quæ penes me sunt, *Ignatius Basilorum*, vel *Basileorum*, Ἰγνατίου Βασίλων, vel Ἰγνάτιος Βασιλείων.

X. * * *

Constantinus Ducas Imp. episcopum Basilei metropolitæ dignitate auxit; post vero, ne Ancyranæ metropolis jura perirent, vel imminuerentur, quod Chalcedonense concilium olim cavendum duxerat, idem princeps edicto seu bulla sanxit, statim à novi metropolitæ obitu, Basilei ecclesiam ad pristinam inferioremque conditionem suam reversuram. Insuper, illo tamdem defuncto, Nicetas Ancyranus apud Alexium Comnenum Imper. intercessit, ne Basilei deinceps episcopus extra provinciam in urbe Regia eligeretur & ordinaretur instar aliorum metropolitarum. Lib. 4. Jur. Græco-Rom, p. 278. Sed & lib. 2. pag. 130. Balsamon refert, factum esse decretum, signatumque à laudabili sanctoque Imper. Domino Alexio Comneno, quo continetur, quum Basilei & Madytorum ecclesiæ orbatæ suis antistitibus essent, jamque futura electione, consurrexisse metropolitanos, Heracleensem & Ancyranum, qui dixerunt illis ecclesiis, non per electionem majoris ecclesiæ Constantinopolitanæ, tametsi metropoliticam dignitatem adeptæ essent, sed per suas prospici debere; propterea quod ecclesia Madytorum sit episcopatus ad Heracleam pertinens, *Basilei vero ecclesia sit episcopatus Ancyrano subditus*, τὴν δὲ ἐκκλησίαν τοῦ Βασιλείου ἐπισκοπὴν εἶναι τοῦ Ἀγκύρας. Nihilominus vero synodum posthabito canone illo Chalcedonensi duodecimo, communi suffragio declarasse, penes Imperatorem esse præsidentiæ thronum ecclesiis largiri, atque episcopatus in archiepiscopatus vel metropoles erigere, quæque pertinent ad electiones in his faciendas, cæteraque constituenda pro libitu suo disponere, citra ullum impedimentum canonis, quo decernitur, ut salva sint cuique metropoli jura sua, quæ in episcopatum honore auctum jam pridem habet: quocirca Imperatorem sanxisse concessum sibi privilegium velle sartum-tectum servari; ita tamen ut episcopatus in archiepiscopatum vel metropolim non erigatur citra sanctissimi, qui illo tempore fuerit, Patriarchæ consilium. Latum decretum est mense Maio, Ind. decima anno Mundi 6595. seu Christi 1087. Cæterum Basilei ecclesiæ metropolitica jura stetisse nulla posteriori Notitia constat, quamlibet episcopum hodieque proprium habeat.

XI. Theodorus.

Alexander Helladius nostræ ætatis Græculus, Lipsiæ anno 1714. libellum edidit *De statu præsenti ecclesiæ Græcæ*, in cujus pag. 328. ait, *asservare se epistolas Neophyti archiepiscopi Philippopolitani, quibus plurima insunt testimonia, cur Matthæus Parius, & Theodorus Basilei, spreta Britannia Halam petierint;* unde & Theodorum Basilei comperimus, ac non ita pridem vixisse, modo tamen fatis jam concesserit.

IV.

ECCLESIA ASPONÆ.

Aspona, sive *Aspuna* voce plurali neutra, vel singulari feminæa, Galatiæ *municipium breve* Ammiano Marcellino circa lib. 25. finem dicitur; in quo Jovianus Imperator Tarso, tum subinde Tyanis profectus, Ancyramque pergens, mansit, Gallicanosque milites vidit. In Itinerario quoque Antonini, Aspona media ferè via stat Nyssam inter & Ancyram. Hæc quarta Galatiæ primæ civitas est in Notitia Hieroclis, in Græca item veteri altera, & in ea quæ Leonis Sapientis Imp. nomen præfert. In altera vero etiam veteri, nescio quo casu vel

causa, sub Pessinûnte Galatiæ secundæ metropoli visitur: nam ubi legitur ὁ Σπανίας οὗτοι Ἰουστινιανούπολις, emendo ὁ Ἀσπόνης. Plane Aspona Trocmorum regionis Galaticæ oppidum fuit.

ECCLESIA ASPONÆ.

EPISCOPI ASPONÆ.

I. CARTERIUS.

Conventus Philippopolitani Arianorum adversus Sardicensis concilii Patres epistolæ subscripsit *Carterius episcopus ab Aspona.*

II. PALLADIUS.

Socrates, lib. 7. cap. 26. auctor est, *Palladium* Helenopolitanum episcopum ad Asponensem ecclesiam translatum fuisse, Παλλάδιος ἀπὸ Ἑλενουπόλεως μετηνέχθη εἰς Ἄσπονα. Atqui Palladius Helenopolitanæ ecclesiæ præfectus fuit à Joanne Chrysostomo circa annum 400. Anno nimirum 368. in lucem in Galatia editus, Alexandriam petiit, Isidori presbyteri disciplinæ se dedidit, tum in Nitriæ eremum secedens, Evagrio Pontico magistro usus est, Origenis studiosissimo monacho. Inde Scetes & Thebaïdis solitudines adiit. Circa annum 400. è Palestina, in quam valetudinis causa remeaverat, in Bithyniam profectus, Helenopolis provinciæ hujus civitatis episcopus est ordinatus à Joanne, ut dictum est, Chrysostomo, qui sibi exinde Origenianæ labis invidiam accivit apud Hieronymum, Epiphanium, Theophilum Alexandrinum, aliosque deinceps adversarios suos. Ipso anno 400. à concilio Constantinopolitano, cui Joannes Chrysostomus præsidebat, Ephesum cum episcopis duobus delegatus est, propter Antoninum illius urbis pontificem qui multorum criminum accusabatur. Anno 403. & deinceps magni Chrysostomi causam partesque propugnavit, eoque in exsilium acto, Romam ad Innocentium Papam I. se contulit, illius & Occidentalium opem pro sanctissimo archiepiscopo implorans. Honorii Augusti literis fretus, Constantinopolim quum rediisset, ab Arcadio Imp. Syenem, in remotioris Thebaïdis oppidum, amandatus est. Demum reverti in Asiam permissus, pro Helenopolitano episcopatu, Asponensi donatus fuit. Quum nempe per ejus exsilium Helenopolitanis episcopus alter datus esset. Anno ætatis suæ 53. dum monasticæ vitæ trigesimum-tertium annum agebat, vigesimum episcopatus, εἴκοσι δὲ τῆς ἐπισκοπῆς, historiam scripsit monasticam, quam vulgò *Lausiacam* vocant, ut pote quam Lauso cubiculi Imperatorii præfecto nuncupavit, ut vitam proinde ultra annum 421. produxerit. Ibi cap. 121. ait, se relicta, quam ex Ægypto petierat Palæstina, quum Bithyniam repetiisset, episcopatus honore, qui vices suas superaret, donatum fuisse, mox beati Joannis erumnarum participem factum, in obscura cellula undecim menses delituisse. In secunda sua ad Lausum epistola, in qua ætatis suæ annos digessit, se narrare asserit, quæ à sanctis, tam viris, quam feminis gesta viderat & audierat, cum quibus versatus esset in Ægypti solitudine, in Lybia, & Thebaïde, & Syene; sub qua sunt etiam, inquit, qui dicuntur Tabennesiotæ, deinde in Mesopotamia, Palæstina & Syria, in partibus etiam Occidentis, & Romæ & in Campania, vicinisque earum regionibus. Quum vero dialogum *de vita S. Joannis Chrysostomi* Palladii episcopi opus esse ferat Georgius Patriarcha Alexandrinus, qui ejusdem præstantissimi doctoris vitam scripsit, Theodorusque item Trimithuntis in Cypro episcopus Palladii episcopi in Bithynia, hinc nonnullis visum est eumdem esse & Dialogi, & Historiæ Lausiacæ auctorem. At qui Dialogum composuit, alterum à se passim indicat Palladium Helenopolitanum; eò magis quod Theodorum diaconum se identidem per canos suos adjurantem introducit, quum tamen eo tempore quo Joannes Chrysostomus ad superos abiit, Palladius Helenopolitanus quadragesimum annum ætatis se nondum attigisse testetur. Ipse Dialogi auctor Theodoro diacono quærenti, quid factum esset Demetrio Cyzici, Cyriaco Emeseno, Eulysio Apameæ Bithyniæ, & Palladio episcopis, de hoc tamdem subdit, Palladium in vicinia Blemmyum & Æthiopum custodiri in oppido Syene dicto, ablatum ei famulum, vim insuper ei illatam ut tabellas proferret. Infelicem præterea vivendi finem Palladium illum Helenopolitanum prænuntiasse uni è Demetrii Pessinûntis deductoribus, qui Zibyæ gravissimis doloribus vexatus animam efflavit. Cuncta hæc ex Dialogo de vita Joannis Chrysostomi & historia Lausiaca, non eumdem fuisse Palladium Asponensem Lausiacæ historiæ scriptorem, satis evincunt, ac Palladium qui Dialogum de vita S. Joannis Chrysostomi edidit.

III. EUSEBIUS.

Ephesino concilio generali adfuit & subscripsit *Eusebius episcopus Asponorum Galatiæ,* sic Latina translatio, quæ Aspona Galatiæ vindicat, Græci codices: Εὐσέβιος ἐπίσκοπος Ἀσπόνων.

IV. HYPERECHIUS.

Chalcedonensi perinde concilio *Hyperechius*

ECCLESIA ASPONÆ. *episcopus Asponorum*, Τσέρχος ἐπίσκοπος Ασπόνων. Qui passim & in Indice Latino inter episcopos Galatiæ primæ censetur.

V. EPIPHANIUS.

Epistolæ synodi Galatiæ primæ ad Leonem Imp. subscripsit, ut in nova Cl. Baluzii collectione conciliorum legitur, *Epiphanius episcopus Sponæ*, emendandum *Asponæ*.

VI. MICHAEL.

In Sexta synodo generali sedit & subscripsit, ut & postea Quinisextæ canonibus, *Michaël episcopus civitatis Asponetarum primæ Galatarum provinciæ;* Μιχαὴλ ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Ασπονητῶν πόλεως τῆς πρώτης τῆς Γαλατῶν ἐπαρχίας.

VII. PETRUS.

In Septima quoque synodo *Petrus episcopus Asponæ*, Πέτρος ἐπίσκοπος Ασπόνης, inter Galatiæ primæ præsules.

VIII. NICEPHORUS.

In Octava subinde synodo *Nicephorus Dei misericordia episcopus Asponis*, sive *Aspones, Asponæ;* quem inter episcopos synodi Photianæ sub Joanne Papa VIII. reperio; Νικηφόρου Ασπόνης, Νικηφόρος Ασπόνης, *Nicephoro Asponæ, Nicephorus Asponæ.*

V.

ECCLESIA VERINOPOLIS.

VERINOPOLIS seu *Berinopolis*, Βερινούπολις, Galatiæ primæ civitas est in Notitiis antiquis episcopatuum, quæ & *Staurus* dicitur in Notitia Leonis Sapientis Imp. ὁ Βερινουπόλεως, ἤτοι Σταυροῦ, *episcopus Verinopolis sive Stauri:* quod postremum ejus nomen *Crucem* significat. Verinopolim appellatam puto à Verina Zenonis Imperatoris socru, Ariadnes nimirum uxoris illius genitrice. Priscum ejus nomen incompertum est.

EPISCOPI VERINOPOLIS.

I. STEPHANUS.

SExto concilio generali interfuit & subscripsit, ac Trullanis subinde canonibus, *Stephanus misericordia Dei episcopus Verinopolitanorum provinciæ Galatiæ primæ*, Στέφανος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Βηρινουπολιτῶν τῆς πόλεως τῆς πρώτης τῆς Γαλατῶν ἐπαρχίας.

II. ANTHIMUS.

Septimo item concilio generali *Anthimus episcopus Verinopolis*, Ανθιμος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Βηρινουπόλεως.

III. SISINNIUS.

Octavæ rursum synodo *Sisinnius misericordia Dei episcopus Verinopolis*, qui & adfuisse reperitur synodo alteri, quæ post sancti Ignatii obitum propter Photii restitutionem habita est, Σισινίου Βεριουπόλεως, Σισίνιος Βεριουπόλεως, pro Βερινουπόλεως.

VI.

ECCLESIA MNIZI.

MNIZUS civitas sive oppidum est Galatiæ primæ in Notitiis episcopatuum. In Hieroclis sexta est, ac Ρεγέμνιζος sive Ρεγέμνιζος dicta. In Itinerario Antonini *Minizus* (sic) secunda mansio est euntibus Juliopoli Ancyram & Asponam. Ipsa est quæ *Mirago* scribitur in tabulis Peutingerianis, inter Laganiam ab occasu, & metropolim sive Ancyram, posita.

EPISCOPI MNIZI.

I. LEUCADIUS.

IN concilio Chalcedonensi sedit & subscripsit *Leucadius episcopus Mnizi*, Λευκάδιος ἐπίσκοπος Μνίζου. qui in Indice Latino inter episcopos Galatiæ primæ censetur.

II. ARMATIUS.

Epistolæ synodi Galatiæ primæ ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini subscripsit *Armatius episcopus Mnizensis.*

III. ANDREAS.

Sextæ synodo generali adfuit & subscripsit *Andreas episcopus civitatis Mnizi primæ Galatarum provinciæ*, Ανδρέας ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος πόλεως Μνίζου τῆς πρώτης τῆς Γαλατῶν ἐπαρχίας. qui & Quinisextæ synodi canonibus subscriptus reperitur.

IV. LEO.

Septimæ quoque synodo *Leo episcopus Mnizi*, Λέων ἀνάξιος ἐπίσκοπος Μνίζου.

V. JULIANUS.

In synodo quæ Joanne Papa VIII. de Photii restitutione habita est aderat *Julianus Mnizi* Ιουλιανοῦ Μνίζου. Lego profectò, Μνίζου.

VII. ECCLESIA CINNÆ.

IN Notitia Hieroclis Galatiæ primæ civitas eſt Κίνα, *Cina*, ut in aliis; quæ apud Ptolemæum lib. 5. cap. 6. errore utique Librariorum, Κίαινα, *Ciæna* ſcribitur, & in Bezænorum regione cenſetur, in magnæ Phrygiæ finibus.

EPISCOPI CINNÆ.

I. GREGORIUS, *vel* GORGONIUS.

A

QUi in ſubſcriptionibus canonum ſynodi Neocæſareæ *Gregorius epiſcopus Cinnenſis* legitur, ipſe eſt nî fallor, qui in Indice Patrum Nicænorum de Galatia cenſetur, *Gorgonius Cinenſis*, tam in Labbei, quam in Pithœi editionibus. Sin vero duo fuerunt, & Gorgonius Gregorio ſucceſſerit oportet.

II. PHILUMENUS.

Epheſino concilio interfuit, & poſt Euſebium Aſponorum ſubſcripſit *Philumenus epiſcopus Cinnæ*, Φιλούμενος ἐπίσκοπος Κίννης.

III. ACACIUS.

Synodo Chalcedonenſi *Acacius epiſcopus Cinnæ*, Ἀκάκιος ἐπίσκοπος Κίννης.

IV. DANIEL.

Epiſtolæ ſynodi Galatiæ primæ ad Leonem Imperatorem ſubſcripſit *Daniel epiſcopus Cynnæ*, ſeu *Cinnæ*.

V. AMIANTUS.

In vita S. Theodori Siceotæ n. 61. narratur, ſanato ab illo ſurdo & muto, monaſterii S. Stephani præpoſitum rogaſſe præfectum monaſterii Druinorum, ut per eum liceret S. Theodorum adducere ad benedicendum ſuo monaſterio: ſanctiſſimum Cinnæ civitatis antiſtitem *Amiantum* veniſſe in monaſterium in quo Dei ſervus agebat, duxiſſeque illum in civitatem ſuam cui benediceret; obviam illi factos cives, quibus benedictione donatis, quum epiſcopum Amiantum ſalutaſſet, ad Druinorum monaſterium rediiſſe. Sed & Theodorus idem ab Ancyræ metropolita epiſcopus conſecratus, à *Cinaræ*, ſeu *Cinnæ* potius, epiſcopo, Amianto utique, Anaſtaſiopolim reductus fuerat, inque epiſcopali ſede conſtitutus.

VI. PLATO.

In Sexta ſynodo ſedit & ſubſcripſit *Plato epiſcopus Cinnenorum primæ provinciæ Galatiæ*, Πλάτων ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Κιννηνῶν πόλεως τῆς πρώτης τῶν Γαλατῶν ἐπαρχίας.

VII. GEORGIUS.

B In ſubſcriptionibus canonum ſynodi Quiniſextæ legitur Γεώργιος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος συνόδων τῆς δευτέρας τῶν Γαλατῶν ἐπαρχίας, *Georgius minimus epiſcopus ſynodorum ſecundæ provinciæ Galatiæ.* Ubi duplex error, ut pro συνόδων, legendum ſit Κιννηνῶν *Cinnerorum*, moxque, pro δευτέρας, reſtituendum τῆς πρώτης, hoc eſt, *primæ Galatarum provinciæ* : qui etiam in his ſubſcriptionibus non ſemel admiſſus eſt. *Synnada Phrygiæ*

C *ſalutaris* metropolis erat, non ſimplex epiſcopatus : Synnaus quoque Phrygiæ oppidum cenſebatur, non Galatiæ.

VIII. SYNESIUS.

Septimæ ſynodo cum epiſcopis Galatiæ primæ adfuit & ſubſcripſit, *Syneſius epiſcopus Cinæ*, Συνέσιος ἐπίσκοπος Κίνης.

IX. THRASIUS.

D Octavæ idem ſynodo interfuiſſe reperitur *Thraſius epiſcopus Cynii.* Sic initio act. I. ac nuſquam alias ejus mentio fit. Legendum videtur *Cinnæ*.

X. ANTONIUS.

Synodo quæ ob Photii reſtitutionem habita eſt, adfuiſſe ſubſcripſiſſeque legitur, *Antonius Cinnæ*, Ἀντωνίου Κίννα, Ἀντώνιος Κίονα, emenda Κίννα.



VIII. ECCLESIA ANASTASIOPOLIS.

NOTITIÆ episcopatuum Anastasiopolim habent in Galatia prima, ὁ Ἀναστασιουπόλεως, ab Imperatore utique Anastasio appellatam.

EPISCOPI ANASTASIOPOLIS.

I. THEODOSIUS.

II. TIMOTHEUS.

III. THEODORUS.

B. Theodorus à Siceis, Galatiæ oppido in territorio Anastasiopolitano Siceota cognominatus, ex Cosma magistratu quodam, qui illuc transibat, & Maria puella quæ corpore quæstum faciebat, Justiniano seniore Imperatore, genitus fuit. Mater in quiete stellam vidit in uterum suum labentem; unde Cosmas conjecit, filium qui sibi nasciturus erat, episcopum aliquando futurum. Quod audiens *Theodosius Anastasiopolis* præsul, judicium idem tulit. Adultus puer, monasticam vitam amplexus est, quumque prodigiis clarus esset, defuncto *Timotheo altero Anastasiopolis episcopo*, qui Theodosio successerat, cives & clerici metropolitam Ancyranum conveniunt, *Theodorum Siceorum* monasterii archimandritam ecclesiæ suæ episcopum petituri. Quem subinde è cella correptum ad Paulum metropolitam deducunt, à quo ordinatus fuit, quo tempore Orienti Mauritius imperabat. Verum populi sui mores cohibere non valens, undecimo episcopatûs anno, dignitatem abdicavit, postquam à Paulo Ancyrano Constantinopolim ad Cyriacum Patriarcham ductus erat, adeoque post annum A 595. quo Cyriacus pontificatum iniit. Cæterum Cyriacus ei episcopi insignia reliquit, ita quoque volente Imperatore. Obiit Theodorus tertio Heraclii anno, quo Constantinus filius ejus Cæsar creatus fuit, Indict. 1. dieque 22. Aprilis, ad quam ejus vita refertur ab Henschenio inter Acta SS. qua item die memoria ejus colitur in Menologio Græcorum & Martyrologio Romano. Ex illis itaque ejus vitæ actis tres habemus Anastasiopolis episcopos, *Theodosium, Timotheum, &* B *Theodorum,* qui post sæculi sexti medium sedem hanc tenuerunt.

IV. GENESIUS.

Sextæ synodo interfuit & subscripsit *Genesius episcopus civitatis Anastasiopolitarum primæ Galatarum provinciæ*, Γενέσιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Ἀναστασιουπολιτῶν πόλεως, τῆς πρώτης τῶν Γαλατῶν ἐπαρχίας, qui perinde subscriptus legitur Trullanis canonibus.

V. THEOPHILUS.

C Inter Galatiæ primæ episcopos in Septima synodo sedit, subscripsitque *Theophilus episcopus Anastasiopolis*, Θεόφιλος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ἀναστασιουπόλεως.

Photianæ synodo sub Joanne Papa VIII. aderat *Marianus Anastasiopolis;* cujus vero, affirmare tutum non est, an Rhodopes, aut Hæmimonti, an Cariæ, an Galatiæ primæ.

IX. ECCLESIA CALUMENES.

IN Notitia Leonis Imp. octavus Galatiæ primæ episcopatus est *Calumene*, ὁ Καλουμένης, de qua urbe nihil ex ullo auctore alio mihi dicendum suppetit.

EPISCOPI CALUMENES.

I. NICOLAUS.

IN synodo quæ sub Joanne Papa VIII. ob Photii restitutionem habita est, sedisse & subscripsisse legitur, *Nicolaus Calumenes*, Νικολάου Καλουμένης, Νικόλαος Καλουμένης.



X. # ECCLESIA LAGANIÆ.

IN media Galatia civitas *Lagania* vel *Laganea* exſtabat olim; quod compertum ſit ex Itinerario Antonini, apud quod Juliopoli Ancyram euntibus *Laganeis* tranſeundum erat, ut & Mnizo quæ Galatiæ primæ altera civitas erat, *Juliopolim, Laganeos, Minizum, &c.* Annon ipſa eſt quæ in Notitia Hieroclis *Reganagalia* ſcribitur? At certe, quando Lagania hæc in Galatiæ meditullio poſita erat, vix mihi quiſquam perſuaſerit, hanc ipſam eſſe quam Notitiæ Pamphyliæ ſecundæ attribuunt. Tempore ſynodi Chalcedonenſis Galatiæ primæ civitas epiſcopalis erat.

EPISCOPI LAGANIÆ.

I. Erechtius.

IN concilii Nicæni epiſcoporum Indice Latino de provincia Galatiæ legitur *Erechoreus Plamatonenſis*, al. *Plamaton*, ut fert editio Pithœi: ut codex Maffæi, Labbeo teſte, *Eretius Platanenſis*. Alii codd. *Erechoreus Gadanitanus*. In ſubſcriptionibus concilii Neocæſarienſis, *Eretrius Plaonnenſis Galatiæ epiſcopus*. Ex hoc tot codicum lectionum variarum diſcrimine, legendum arbitror *Erechtius*, ſin vero *Evrichorius*, *Laganiæ*. Amanuenſibus Latinis Γ. & T. præſertim ſimilitudine deceptis, præmiſſaque perperam voci litera B.

II. Euphrasius.

In concilio Chalcedonenſi inter epiſcopos A Galatiæ ſediſſe ſubſcripſiſſeque paſſim reperitur, *Euphraſius epiſcopus Laganiæ*, Εὐφράσιος ἐπίσκοπος Λαγανίας. In Indice quoque Patrum hujus concilii Latino, inter epiſcopos ejuſdem provinciæ perinde cenſetur. Rurſum epiſtolæ ſynodi Galatiæ primæ ad Leonem Imper. de nece S. Proterii Alexandrini ſubſcriptus legitur *Euphraſius epiſcopus Lagnienſis*, ſeu *Laganienſis*.

Annon Laganiæ Galatiæ primæ epiſcopus habendus erit alteruter è duobus iſtis, qui ſynodo Photianæ ſub Joanne Papa VIII. adfuerunt? *Elizzeus Lagenorum*, aut *Baſilius Lagenorum*, Ελισσαίου Λαγηνῶν, Ελισσαῖος Λαγηνῶν. Βασιλείου Λαγηνῶν, Βασίλειος Λαγηνῶν.



VII. PROVINCIA GALATIÆ SECUNDÆ.

I. ECCLESIA PESSINUNTIS, METROPOLIS.

GALATIAM provinciam in duas partitus est, non Constantinus magnus, sed Theodosius ipse quoque Magnus, uti jam compertum nobis accidit ex Joannis Malalæ chronico, in *Theodosio I.* pag. 43. edit. Oxoniensis. ὁ δὲ αὐτὸς βασιλεὺς καὶ τὴν δευτέραν Γαλατίαν ἀπὸ τῆς πρώτης μερίσας, ἐποίησεν ἐπαρχίαν, δοὺς αὐτῇ δίκαιον πόλεως, (id est μητροπόλεως, ut vulgo alibi, ubi de novarum provinciarum institutione.) καὶ ἄρχοντα. Πισινοῦντι τῇ πόλει. *Jam vero Imperator secundam Galatiam provinciam à prima divisit, donans ipsi Pisinûnti metropoliticum jus & præfectum.* Ac certe in Indice Patrum concilii Nicæni una dumtaxat Galatia memoratur; nulla vero in Indice episcoporum Constantinopolitani concilii generalis prioris, quando Galatia omnis Arianica superstitione occupata adhuc erat, ob Valentis Imperatoris nuperrimam tyrannidem.

Atqui Pessinus maximum Straboni præ aliis ejusdem regionis emporium, Tolistobogorum Galatarum civitas primaria olim erat, teste Plinio lib. 5. cap. 32. adeoque Bithyniæ vicina. Strabo plura de Pessinûnte lib. 12. *Pessinûs*, inquit, *emporium est eorum qui in regione sunt, & locum habet magnæ venerationis matris Deûm, quam Angidistim vocant. Qui locus magnificè ab Attalicis regibus structus, & templo, & porticibus ex albo lapide. Mons quidam urbi imminet, nomine Dindymus; unde Dea Dindymene dicta. Prope Sangarius amnis fluit, secus quem erant antiqua Phrygum domicilia.* Hæc de Pessinûntis situ, quibus addendum, eam urbem præterfluere Gallum fluvium, ad quem Phryges sua matri Deûm Angidistæ orgia celebrabant, Herodiano teste lib. 1. cap. 11. Montem qui urbi imminebat, *Agdistim* dictum novimus ex Pausania in Atticis cap. 4. Pessinûntis nominis varias etymologias omitto: urbs vero in omnibus Notitiis, etiam episcopatuum, secundæ Galatiæ caput est, ut apud scriptores varios ecclesiasticos Theodosii ætate posteriores.

EPISCOPI PESSINUNTIS.

I. DEMETRIUS.

PESSINUNTIS episcopus nemo mihi occurrit anterior *Demetrio*, qui sæculo quinto A ineunte sedebat, & Chrysostomo Joanni addictissimus fuit, cujus proinde causam strenuissime defendit. Coacta anno 403. ad Quercum apud Chalcedonem synodo, vocatus ad eam Joannes, Demetrium Pessinûntis, cum Eulysio Apameæ Bithyniæ, Lupicino Apiariæ, & clericis familiaribus suis mittens, ait, se non detrectare judicium, ubi accusatores suos nosset, & objectum crimen expensum esset ab ampliori concilio. Hæc Sozomenus lib. 8. c. 17. Eumdem Demetrium Chrysostomus postremo exsilio multatus quum esset, Romam ad Innocentium Papam misit, ejus & Occidentalium opem imploraturum. Quocirca, quum Orientem posthac percurreret, Joannis innocentiam prædicans, & Romanæ ecclesiæ cum eo communionem ostentans, episcoporumque Græciæ insuper epistolas, in Oasim Mazicibus proximam deductus est. Ubi vero Zibyam (non certè Bizyam quæ Thraciæ civitas est) advenerunt, ejus deductorum unus, gravissimis doloribus cruciatus miserè periit, juxta atque prædictum illi erat à Palladio Helenopolitano. Sic Palladius alter in Dial. *De vitâ S. Joannis Chrysostomi* pag. 10. 11. 27. 104. 194. 198.

II. PIUS.

Pessinûntis episcopus sedebat *Pius* tempore synodi Ephesinæ, ad quam quum venisset, subscripsit Contestationi plurimorum episcoporum, qui intercesserunt, ne absente Joanne Antiocheno & Orientalibus Cyrillus Alexandrinus concilium auspicaretur, ut videre est c. 7. Collect. ex Tragœdia Irenæi, *Pius episcopus Pessinûntis Galatiæ subscripsi.* Mox verò relictis impii Nestorii patronis, ad legitimam synodum rediit, cujus decretis actione prima subscriptus

ſubſcriptus quoque legitur : Πίος ἐπίσκοπος Πισινουντῶν. Latini codices habent: *Pius epiſcopus Piſſinuntiorum metropolis.*

III. Theoctistus.

Cyriacus Trocmadorum Galatiæ civitatis in Latronicio Epheſino vices ſupplevit *Theoctiſti Piſſinûntis metropolitani*, qui poſt biennium ad Chalcedonenſe concilium Photinum archidiaconum miſit, qui ſuum perinde in eo locum teneret, Φωτεινου ἀρχιδιακόνου, ἐπέχοντος τὸν τόπον Θεοκτίσου ἐπισκόπου Πισινοῦντος, proque illo ad hunc modum ſubſcripſit act. VI. Θεόκτισος ἐπίσκοπος τῆς Πισινουντίων μητροπόλεως ὑπέγραψα διὰ Φωτεινου ἀρχιδιακόνου. *Theoctiſtus epiſcopus Piſinûntiorum metropolis per Photinum archidiaconum.* Leo Auguſtus, ut aliis metropolitis, *Theoctiſto reverendiſſimo epiſcopo Piſſinûntis* literas ſuas dedit de nece S. Proterii Alexandrini. Sed epiſcoporum ſecundæ Galatiæ ad Imperatorem epiſtola prorſus intercidit.

IV. Acacius.

Synodo Conſtantinopolitanæ, in qua Menna patriarcha præſide deceſſor ejus Anthimus iterum cum aliis hæreticis proſcriptus eſt, adfuit & ſubſcripſit *Acacius epiſcopus Piſſinûntis*, Ἀκάκιος ἐπίσκοπος Πισινοῦντος.

V. Georgius.

Temporibus Mauritii Imperatoris Peſſinûntis epiſcopus erat *Georgius*, quemadmodum fertur in vita S. Theodori Sicëotæ epiſcopi Anaſtaſiopolis, quem à Peſſinûntiis civibus ſuam in urbem adductum, ut ejus ad Deum precibus pluviam impetrarent, beatiſſimus *Georgius* metropolita lætus excepit. Quocirca ſupplicationem ſolennem Theodorus in inſequentem diem indixit. Convenit univerſa civitas in catholicam eccleſiam S. Sophiæ : unde Theodorus & Georgius cum omni populo ad templum ſanctorum Angelorum extra muros proceſſerunt; quumque ad S. Sophiæ regreſſi eſſent, divinaque myſteria Theodorus celebraſſet, ingens imbrium copia cecidit. Vita S. Theodori Sicëotæ n. 88. 89. inter Acta. SS. 22. Aprilis.

VI. Joannes.

In Sexta ſynodo ſedit & ſubſcripſit *Joannes epiſcopus Peſſinûntiorum metropolis ſecundæ Galatarum provinviæ*, Ἰωάννης ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Πισινουντίων μητροπόλεως τῆς δευτέρας τῶν Γαλατῶν ἐπαρχίας.

VII. Constantinus.

Canonibus Quiniſextæ ſynodi ſubſcriptus legitur Κωνσταντῖνος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Πισινουντίων τῆς δευτέρας τῶν Γαλατῶν ἐπαρχίας, *Conſtantinus indignus Piſinûntiorum ſecundæ Galatiæ provinciæ.*

VIII. Gregorius.

Septimæ ſynodo generali adfuit & ſubſcripſit *Gregorius indignus epiſcopus Piſinûntis* Γρηγόριος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Πισινοῦντος.

IX. Eustratius.

Synodo Conſtantinopolitanæ, in qua tractatum eſt de reſtitutione Photii ſub Joanne Papa VIII. *Euſtratius Piſſinûntis*, Εὐστρατίου Πισινοῦντος.

X. Nicolaus.

In nefanda ſynodo in qua Michaël Cerularius patriarcha Conſtantinopolitanus anathema dixit Leonis papæ IX. legatis, ſeceſſioque ſancita eſt à Latina eccleſia, conſidebat *Nicolaus Piſinûntis*, Νικολάου Πισινοῦντος.

II. ECCLESIA CLANEI.

Hierocli *Claneus*, Κλάνεος, Galatiæ ſecundæ civitas fuit, ut in Notitia vetuſta una, & in actis quorumdam conciliorum. Ptolemæo in Galatia *Calænus tumulus erat*, Κέλαινος λόφος, urbſque Phrygiæ veteris *Celenæ* dicta celebris olim fuit, quam poſthac *Apamiam*, dein *Cibotum* dixere, in radice montis Signiæ, Plinio teſte, poſitam, amne Marſya circumfuſam, qui ibi redditur ortus, ac paulo poſt conditus. Quod vero ipſa Claneus civitas putanda ſit, quæ Galatiæ contributa fuerit, vix à doctioribus negatum iri puto.

EPISCOPI CLANEI.

I. Salomon.

Ad Sextam ſynodum generalem venit *Salomon epiſcopus Clanei*, qui, quum ante Monotheletarum hæreſi faviſſet, unà cum Petro Nicomedienſi, & aliis qui eumdem errorem tenuerant, actione X. ſinceræ Fidei profeſſionem dedit, decretiſque ſynodi omnibus ſubinde ſubſcripſit, Σολομὼν ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Κλανέου, *Salomon miſericordia Dei epiſcopus Clanei*, qui & ſubſcriptus legitur Quiniſextæ ſynodi canonibus: Σολομὼν ἀνάξιος ἐπίσκοπος Κελανίου δευτέρας τῶν Γαλατῶν ἐπαρχίας, *Salomon indignus epiſcopus Celanii ſecundæ Galatarum provinciæ.*

II. Nicephorus.

In Septima ſynodo ſedit & ſubſcripſit *Nicephorus epiſcopus Clanei*, Νικηφόρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Κλανέου.

III. # ECCLESIA ORCISTI.

ORCISTUS, Ορκιςος, Galatiæ secundæ oppidum est in Notitia Hieroclis, inque veteri altera, & in Actis Conciliorum, ipsum, ni fallor, quod Οὐέγισον vel Οὐέπισον, vel Οὐέπισον apud Ptolemæum.

EPISCOPI ORCISTI.

I. DOMNUS.

IN subscriptionibus synodi Ephesinæ, ut A jacent in codicibus Latinis, *Domnus episcopus Orcistensis, Orcistos*, vel *Orcistis*, sive *Orcistæ* legitur.

II. LONGINUS.

Chalcedonensi concilio adfuisse legitur initio actionis primæ, necnon secundæ *Longinus Orcisti*, Λογγίνου Ορκίςου, cujus nomen deinceps intercidit. In Indice Latino postremus ipse est episcoporum secundæ Galatiæ *Longinus Orcissu*: lege *Orcistu*, sive *Orcisti*.

III. SEGERMAS.

Quinisextæ synodi canonibus, subscriptus legitur Σεγέρμας ἐπίσκοπος Ορκοσέτου τῆς δευτέρας τῆς Γαλατῶν ἐπαρχίας, *Segermas episcopus Orcoseti secundæ Galatarum provinciæ*. Legendum omnino Ορκίςου pro Ορκοσέτου.

IV. # ECCLESIA PETENISSI.

PETENISSUS Galatiæ oppidum est Hierocli & Notitiis episcopatuum, alia prorsus à Pednelisso Pamphyliæ veteris in regione Pisidiæ. Petenissum in Galatia habet Ptolemæus in regione Bezenorum, & parte Lycaoniæ.

EPISCOPI PETENISSI.

I. PIUS.

IN Indice episcoporum secundæ Galatiæ B qui Chalcedonensi concilio interfuerunt, quartus censetur *Pius Petenissensis* in editione Pithœi, & in Labbei, *Pius Petanensis*, errore corrigendo. Quocirca, quum nescio qua librariorum oscitantia subscriptionibus duarum synodorum quæ Symmacho Papa habitæ sint, multæ ex Chalcedonensibus adjectæ sunt, in his legitur *Pius episcopus Petenissi*.

V. # ECCLESIA TROCMADORUM.

TROCMI Galatiæ populi erant, de quorum utique nomine *Trocmadæ* Τρόκμαδα voce plurali neutra, civitas dicta est, cujus mentio in Notitiis & actis Conciliorum. Cæterum Straboni, Plinio & Ptolemæo, Trocmorum primaria urbs Tavium seu Tabia fuerat.

EPISCOPI TROCMADORUM.

I. CYRIACUS I.

IN Indice Patrum Nicænorum de provincia C Galatiæ, *Cyriacus Trocmadorum*.

II. CYRIACUS II.

In Ephesina synodo quam prædatoriam adpellaverunt, *Cyriacus episcopus Trocmadorum* vices gessit Theoctisti episcopi Pessinûntis metropolitæ sui, καὶ Κυριακοῦ ἐπισκόπου Τροκμάδων, ἐπέχοντος τὸν τόπον Θεοκτίστου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Πεσσινοῦντος. Qui proinde iniquis Dioscori facinoribus vel invitus suffragatus est. Post biennium verò in concilio Chalcedonensi ejusdem Cyriaci vices gessit Chrysippus presbyter. Χρυσίππου πρεσβυτέρου ἐπέχοντος τὸν τόπον Κυριακοῦ ἐπισκόπου Τροκμάδων, ac pro eo actione 6. Chrysippus idem ad hunc modum subscripsit: Κυριακὸς ἐπίσκοπος Τροκμάδων ὁρίσας ὑπέγραψα διὰ χειρὸς Χρυσίππου πρεσβυτέρου. *Cyriacus episcopus Trocmadorum definiens subscripsi per manum Chrysippi presbyteri.*

III. THEODORUS.

Sextæ synodo generali interfuit & subscripsit *Theodorus episcopus Trocmadorum secundæ Galatarum provinciæ*, Θεόδωρος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος Τροκμάδων τῆς δευτέρας τῆς Γαλατῶν ἐπαρχίας, qui perinde subscriptus legitur canonibus Quinisextæ synodi.

IV. LEO.

Septimæ synodo *Leo episcopus civitatis Trocmadorum*, Λέων ἀνάξιος ἐπίσκοπος Τροκμάδων.

V. CONSTANTINUS.

Synodo CP. quæ post S. Ignatii Constantinopolitani obitum sub Joanne Papa VIII. ob Photii restitutionem habita est, aderat *Constantinus Trocmadorum,* Κωνσταντίνου Τροκμάδων. Κωνσταντῖνος Τροκμάδων. ECCLESIA Trocmadorum

VI. # ECCLESIA GERMIORUM.

NONA Galatiæ secundæ civitas est Hierocli *Germia,* Γέρμια, voce neutra plurali, ut libri ecclesiastici ferunt; quam aliam quoque ostendam fuisse à Germa, de qua dicendum quoque erit. Theophanes ad ann. 37. Justiniani, *Germia* Galatiæ urbem, *Myriangelos* etiam fuisse dictam prodit, ubi Imperatorem illuc solvendi voti causa profectum narrat, ἐν τοῖς Μυριαγγέλοις, ἤγουν ἐν Γερμίοις πόλει τῆς Γαλατίας. Insignis nempe hac in urbe ecclesia erat in honorem S. Michaëlis & omnium Angelorum dicata. In Notitia veteri episcopatuum Germia provinciæ Galatiæ primæ archiepiscopatus est.

EPISCOPI GERMIORUM.

I. MENAS.

A IN Quinta synodo sedit & subscripsit *Menas misericordia Dei episcopus ecclesiæ Myriangelorum.*

II. ÆMILIANUS.

In vita S. Theodori Sicëotæ quæ exstat inter acta SS. die 22. Aprilis frequens est mentio *S. Æmiliani* episcopi Germiorum, Inprimis N. 65. sanctissimus hic civitatis Germiorum episcopus quum cuperet beatum Theodorum videre, multis precibus eum in civitatem suam adduxisse fertur, & honorifice in ecclesia Archangeli suscepisse; quumque instaret celebritas Dei genitricis Mariæ in oppido Musei agenda, ad quam quotannis cum supplicatione conveniebant Germiorum & Eudoxiadis episcopi, Æmilianus illuc venisse cum servo Dei Theodoro, qui energumenam ibi sanavit, N. 87. Theodoro aliquid è reliquiis S. Georgii martyris habere cupienti Æmilianum Germiorum episcopum sancti capitis ejus particulam, manusque digitum, dentem unum, aliamque corporis particulam quam apud se habebat, Georgio ipso martyre in visu præcipiente tradidisse. Quod argumento est, sexto sæculo Germiis adservatum fuisse corpus S. Georgii martyris de quo tam anxie disputant critici. N. 96. Sozopoli ex civitate Pisidiæ Theodorus in Germiorum ecclesiam ad episcopum Æmilianum perrexit.

III. PETRUS.

B In Septima synodo *Petrus episcopus Germiorum* sedit & subscripsit Πέτρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος τῶν Γερμίων.

IV. NICETAS.

In synodo quæ ob Photii restitutionem habita est sub Joanne Papa VIII. inter metropolitas vel archiepiscopos sedebat *Nicetas Germiorum,* Νικήτα Γερμίων, Νικήτας τῶν Γερμίων.

VII. # ECCLESIA EUDOXIADIS.

IN Notitia Hieroclis, aliisque deinceps *Eudoxias,* Εὐδοξίας Cappadociæ secundæ civitas est, ut in actis conciliorum! Annon quæ *Eudoxiana* Ptolemæo in Ponto Galatico, quam nulli alii auctores Græci habent.

EPISCOPI EUDOXIADIS.

I. AQUILAS.

C IN synodo Chalcedonensi sedit inter episcopos Galatiæ secundæ, subscripsitque *Aquilas episcopus Eudoxiadis,* Ἀκύλας ἐπίσκοπος Εὐδοξιάδος, qui in indicibus Latinis Patrum hujus concilii quartus de eadem provincia censetur.

II. MENNAS.

Concilio Constantinopolitano, in quo Menna Patriarcha præside Anthimus ejus decessor, Severus Antiochenus, aliique hæretici proscripti fuerunt, adfuit & subscripsit *Mennas episcopus Eudoxiadis,* Μέννας ἐπίσκοπος Εὐδοξιάδος.

Suum Eudoxias episcopum habebat, ut superius in Æmiliano Germiensi vidimus, sæculo sexto labente, seu tempore S. Theodori Sicëotæ.

VIII. # ECCLESIA MYRICII, *sive* THERMARUM.

HIEROCLI Galatiæ secundæ oppidum est *Regemauricium*, Ῥεγεμαυρίκιον, quin etiam Μυρικίων, *Myracion*. Quæ postrema alia non est à *Myricio* episcopatu, ut Notitia altera fert Galatiæ secundæ. Hanc *Thermas* quoque dictam planum est ex actis synodi Chalcedonensis. In subscriptionibus Quinisextæ legimus Thermas S. Agapii, vel Agapeti, ut in Notitia Leonis Imp. In Antonini Itinerario Therma prima mansio est euntibus Tavia Cæsaream.

EPISCOPI MYRICII.

I. ELPIDIUS I.

IN concilio Chalcedonensi sedit & subscripsit *Elpidius episcopus Thermarum*, Ἐλπίδιος ἐπίσκοπος Θερμῶν. Act. 1. & 2. initio in Latina translatione dicitur episcopus *Thermensis majoris*. In subscriptionibus act. 3. episcopus *mansionis Thermarum*, Ἐλπίδιος μονῆς Θερμῶν. In Nova collectione conciliorum clarissimi Baluzii, col. 1217. *Helpidius episcopus monasterii mansionis Thermon.* ubi duo codices vocem *monasterii* non habent. In utraque demum editione indicis Latini Patrum hujus synodi, de Galatia secunda secundus episcopus est *Elpidius Myricenon Thermis*, sive Myricenorum *Thermes* vel *Thermæ*.

II. ELPIDIUS II.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus legitur Ἐλπίδιος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος τῶν Θερμῶν τοῦ ἁγίου Ἀγαπίου τῆς δευτέρας τῶν Γαλατῶν ἐπαρχίας *Elpidius minimus episcopus Thermarum S. Agapii, secundæ Galatarum provinciæ.* Lego ἁγίου Ἀγαπητοῦ, *sancti Agapeti*, ex Notitia Leonis Imp. & synodo Photiana.

III. MICHAEL.

In synodo quæ habita est de restitutione Photii, adfuit, subscripsitque *Michaël S. Agapeti.* Μιχαὴλ τοῦ ἁγίου Ἀγαπητοῦ.

IX. # ECCLESIA GERMOCOLONIÆ.

UNA superest Galatiæ civitas *Germocolonia*, vel *Germacolonia*, quæ apud Ptolemæum prima est in Tholistobogis, cui jungitur Pessinûs. In Itinerario, euntibus Dorylæo Bithyniæ Ancyram, secunda occurrebat *Germa*, diversa prorsùs à Thermis, *Archelain*, *German*. Sic Notitiæ episcopatuum, ὁ Γερμοκολώνιας.

EPISCOPI GERMOCOLONIÆ.

I. EUSTATHIUS.

SYnodo Constantinopolitanæ, quæ propter Photii post S. Ignatii obitum restitutionem habita est, sedit *Eustathius Germo-coloniæ.* Εὐσταθίου ὁ Δερμοκολωνείας, Εὐστάθιος ὁ Δερμοκολωνείας. Emendandum omnino est Γερμοκολωνείας.



VIII. PROVINCIA PONTI POLEMONIACI.

I. ECCLESIA NEOCÆSAREÆ, METROPOLIS.

NEOCÆSAREA, quæ, Stephano Byzantino teste, Adrianopolis aliquando appellata est, Ponti Polemoniaci caput & metropolis est in Notitia Hieroclis, & aliis episcopatuum. Polemoniacus Pontus dictus est à Polemone horum quondam tractuum rege, ejusque filio perinde Polemone nominato, quem Nero Augustus Romani Imperii provinciam fecit. De cujus regionis gentisque præstantia audiendus venit Gregorius Nyssenus in vita S. Gregorii Thaumaturgi. *Quis enim ignorat cognomen Ponti, quod homines universi tamquam insigne quoddam genti imposuerunt! Quod virtutem illorum qui ab initio locum obtinuerunt, testificatur. Solus enim ex omni terra marique hic Pontus εὔξεινος, hoc est, hospitibus & peregrinis acceptus, nominatur, sive comitatem, humanitatemque erga advenas inibi versantes attestante vocabulo, sive idcirco quod ejusmodi regio est, quæ non incolis modo & indigenis, verum & illis qui ex omnibus partibus eò accedunt & confluunt, vitæ subsidia & commeatus abunde suppeditet. Ea enim ejus natura est, ut omnium rerum quæ ad vitam sustentandam necessariæ sunt, summè fertilis sit, ut nec peregrinorum bonorum sit expers, cui mare propria faciat quæ illic undique asportantur. Quando autem hujusmodi tota natio est, ut quamcumque quis ejus partem per se solam consideraverit, hanc cæteris præstare existimet: Nihilominus communi judicio gentis, velut quoddam reliquarum finitimarum caput, magni Gregorii civitas est, quam urbem Imperator quidam insignis, ex iis qui Romanum Imperium tenuerunt, Cæsar nomine, amore & desiderio loci captus, de suo nomine Neocæsaream vocare dignatus est.* Verum à quo Cæsare civitas id nominis nacta sit, non aperit Nyssenus: à Tiberio vero putaverim, à quo Mazaca quoque Cappadociæ Cæsarea appellata dicitur. *Cappadocia*, Plinio lib. 6. cap. 3. *intus habet Coloniam Claudii Cæsaris Archelaïdem quam præfluit Halys: oppida, Comana, quod Sarus; Neocæsaream, quod Lycus.* Infra rursum. *A Neocæsarea supradicta minorem Armeniam Lycus amnis disterminat.* Itaque Neocæsarea Plinii ætate oppidum potiùs adhuc erat, quam civitas: hanc vero Ptolemæus in Ponti Polemoniaci mediterranea collocat.

Quod rem Ecclesiasticam attinet, affirmare non ausim, ante tempora synodi Constantinopolitanæ generalis primæ, metropoliticis juribus Neocæsareæ sedem potitam esse, quando Basilius ipse magnus epistola 62. ait Ponti episcopos Musonio Neocæsariensi *in conventibus suis primos honores detulisse, non propter ætatis prærogativam, sed præsertim quoniam omnes sapientiæ vetustate superabat.* Quibus innuere videtur in synodis illius provinciæ primum olim locum tenuisse illum, qui, vel ætate, vel episcopali ordinatione reliquis esset anterior, vel merito præcelleret. Sic posthac dicemus Palmam Amastridis episcopum primas aliquando tenuisse in Paphlagoniæ synodis ob seniorem ætatem.

Neocæsariensem ecclesiam Basilius à Gregorio Thaumaturgo institutam significat, illa quam mox appellavi epistola, ubi ait *illum ecclesiæ hujus basim ab initio compertum est*, τὸν ἐξ ἀρχῆς καλῶς πηξάμενον τὴν κρηπῖδα τῆς ἐκκλησίας, quippe qui nimirum paucis admodum illic fidelibus ab initio episcopatus sui repertis, totum fere ejus populum subinde christianum fecit. Ante finem verò epistolæ asserit, à Gregorio ad Musonium usque episcopos singulos ecclesiæ hujus decorem tutatos esse.

EPISCOPI NEOCÆSAREÆ.

I. Gregorius I.

PRimus itaque mihi Neocæsareæ in Ponto episcopus *Gregorius* fuit, qui ob miracula quæ creberrima eximiaque Deo sibi annuente edidit, *Thaumaturgus* est cognominatus. Hunc Origenes Cæsareæ in Palæstina primis Fidei rudimentis imbuit, divinasque literas docuit, ejusque germanum fratrem Athenodorum. In patriam reversus, à Phædimo

ECCLESIA Neocæſareæ.

Amaſeæ præſule, quum diu mutatis ſæpè ſedibus reluctatus eſſet, epiſcopus conſecratus eſt, non nuda in abſentem procul divini numinis invocatione, ut quidam dixere, ſed ſolenni, ut Eccleſiæ leges ferunt, manuum impoſitione, πάντων μετὰ ταῦτα τῶν νομίμων ἐπ᾽ αὐτῷ τελεσθέντων, *peractis ſubinde quæ eccleſiæ ritibus præſcribuntur*, ait diſertè in ejus vita Nyſſenus. Atqui Phædimum Gregorio civitatem illam deſtinaſſe refert, ut pote quæ ad illa uſque tempora ſimulacrorum impuro cultui adeo dedita erat, ut ex innumeris ejus incolis, non plures in ea quam ſeptemdecim Chriſti Fidem tenerent. Viciſſim vero aſſidua ſanctiſſimi ſui paſtoris Gregorii opera & labore, tota ſic Chriſto mancipata eſt, ut non niſi ſeptemdecim gentiles in ea ſuperfuerint, quando poſtremum diem clauſit. Gregorius Nyſſenus Fidei formulam à Joanne Evangeliſta illi in viſu traditam recitat, ſed diverſam ab altera, cujus voces aliquot Baſilius magnus refert epiſtola ſua 64. *ad Neocæſarienſis eccleſiæ Doctores*, quamque ille propter Ælianum Philoſophum conſcripſerat. Quæcumque alia ejus feruntur præclare geſta omitto, ut quæ rurſum in perſequutione Decii Imp. toleravit. Dicam ſolum Gregorium Neocæſarienſem unum fuiſſe ex illis Patribus, qui anno 264. Antiochiam prima vice convenerunt ob Pauli Samoſateni hæreſim. *Inter hos*, ait Euſebius lib. 7. c. 27. *maximè eminebant, Firmilianus Cæſareæ Cappadociæ epiſcopus*, Γρηγόριος δὲ καὶ Ἀθηνόδωρος ἀδελφοὶ, τῶν κατὰ Πόντον παροικιῶν ποιμένες, *Gregorius & Athenodorus fratres eccleſiarum Ponti paſtores*. Alteri poſthac ſynodo, in qua Paulus in totum proſcriptus eſt, anno 270. Gregorium interfuiſſe non legimus; ſed nec conſtat quo tandem anno diem obierit. Gregorium longo tempore eccleſiam ſuam geſſiſſe teſtatur Baſilius epiſt. 64. Ejus ſolennitas in Græca, Latinaque Eccleſia die 17. Novembris agitur.

II. * * *

Quum aliquando vigente hyeme Gregorius iter ageret, contigit, ut in quodam Apollinis fano noctem tranſigere cogeretur, eoque mane egreſſo, nulla, ut antehac, dæmonium ſacerdoti ſuo reſponſa dedit. Mactat iterum atque iterum ſacrificulus victimas, perperam vero, obmuteſcente oraculo. Demum ſilentii cauſam roganti, Gregorii adventu ſe ſede ſua pulſum dixit, nec ſibi alia ratione regredi fas eſſe, niſi Gregorio concedente. Tum ſacerdos ad Gregorium currens, ab ipſo chartam impetrat, qua ſanctus Apollini reditum imperabat. Rediit dœmonium; quo potentiorem eſſe Deum quem Gregorius colebat, ſacerdos intelligens, impia ſuperſtitione ejurata catechumenus factus eſt, baptiſmumque conſequutus, tantum vitæ Fideique merito profecit, ut beato Gregorio poſt ejus obitum ſuffici meruerit. Hæc Ruffinus lib. 7. hiſt. eccl. Euſebianæ cap. 25.

Audiendi non ſunt qui Athenodorum S. Gregorii fratrem Neocæſareæ epiſcopum fuiſſe finxerunt, quando ex Euſebio quem antehac appellavi, conſtat, ambos fratres, diverſarum Ponti eccleſiarum epiſcopi quum eſſent, Antiocheno concilio, à quo Pauli Samoſateni error damnatus primum fuit, ſimul interfuiſſe.

III. Longinus.

Anno 314. Neocæſaream epiſcopi multi variis ex regionibus convenerunt, editiſque quatuordecim decretis ſubſcripſerunt, in quibus *Longinus Neocæſarienſis Ponti Polemoniaci.* Qui Longinus pariter ſubſcriptus legitur Ancyranæ ſynodi canonibus; quin & in Indice Latino Patrum Nicænorum cenſetur de Ponto Polemoniaco.

IV. Theodulus.

Inter epiſcopos, qui epiſtolæ Arianorum conventus Philippopolitani adverſus Sardicenſem ſynodum ſubſcripſerunt, legitur *Theodulus epiſcopus à Neocæſarea.* Baſilius quidem ep. 62. Neocæſarienſibus ſcribebat à tempore magni eccleſiæ ipſorum præſidis Gregorii ad beatum uſque Muſonium, alium poſt alium, ſemper quaſi ex lapillorum pretioſorum ſerie depromptos ipſis à Domino donatos fuiſſe: ſed & epiſtola 64. dixerat, illos qui B. Gregorio ſucceſſere, apoſtolicam doctrinam & Gregorii traditionem uti contubernalem tenuiſſe, ἀφ᾽ ἐκείνου μέχρι τοῦ μακαρίου Μουσωνίου, οὗ τὰ διδάγματα ἔναυλά ἐστι καὶ νῦν ὑμῖν δηλονότι. Cæterum fateri intereſt orthodoxos præſules non paucos illo ævo humanitus aliquid identidem eſſe paſſos, ut Arianorum artibus deciperentur, quum interim ab errore mentes eorum alieniſſimæ eſſent. Plane Baſilius ipſe Dianœi Cæſarienſis Fidem lib. de Spiritu S. cap. 29. prædicat, qui Euſebianorum quoque epiſtolæ Philippopoli ſubſcripſit: utinam non rurſum Ariminenſi formulæ.

V. Musonius.

Neocæſareæ itaque epiſcopus fuit *Muſonius*, cujus laudes Baſilius celebrat epiſtola 62. *Mortuus eſt*, inquit, *vir omnium ſui temporis cunctis ſimul humanis bonis præſtantiſſimus, patriæ columen, eccleſiarum decus, columna & firmamentum veritatis, Fidei in Chriſtum robur, ſuorum munimentum, nullis prorſus adverſariorum machinis expugnabile, cuſtos rituum paternorum, inimicus novorum, qui in ſeipſo*

spectandam præbuit priscam ecclesiæ formam, ad sacram veteris ecclesiæ suæ faciem effingens, ut qui ejus frueretur consuetudine, vivere sibi cum illis videretur, qui ante ducentos & amplius annos luminarium instar resplenduerunt. Ait infra, virum hunc sanctum ad extremam senectutem non pervenisse, tantum vero temporis ad præsidentiam habuisse, tantum corporis virium, quantum ad animi in rebus asperis fortitudinem declarandam necessarium erat: cæterum quanto prolixiore tempore Neocæsarienses beneficentiam ejus experti erant, tanto amplius amissionem ejus sentire. Epistolæ 64. ad magistros Neocæsarienses scribebat, omni studio Arianorum factionem agere, ut apud ipsos Fides subvertatur, ipsaque magni Gregorii traditio, ejusque successorum ad beatum usque Musonium, cujus doctrinæ memoria præsens ipsis erat.

VI. *** VII. Atarbius.

Post Musonii obitum Neocæsareæ sedes aliquandiu vacavit, Arianorum machinationibus, qui rectam ecclesiæ hujus Fidem subvertere nitebantur: sed & episcopum illi dederunt, cujus nomen ignoratur. Cæterum Basilius ep. 7. nihil illum contra religionem molitum significat, uti nec Ancyranum, τέως μὲν ἡ Νεοκαισάρεια καὶ ἡ Ἀγκύρα ἔδοξαν ἔχειν τῶν ἀπελθόντων διαδόχους, καὶ μέχρι νῦν ἡσυχάζουσιν.

Atarbius — Atnon certè is fuit *Atarbius*, qui primæ synodo generali Constantinopolitanæ per Cyrillum lectorem subscripsisse in indice Patrum Latino reperitur! *Provinciæ Ponti Polemoniaci: Atarbius per Cyrillum lectorem.* Neocæsariensem præsulem fuisse Atarbium constat, Basilii ipsius magni consanguineum.

VIII. Dorotheus.

In synodo Constantinopolitana, quæ Flaviano archiepiscopo præside, Eutychem hæreticum pronuntiavit, sedit, subscripsitque *Dorotheus Neocæsareæ episcopus,* cujus locum Longinus presbyter anno insequenti tenuit in secunda prædatoriaque synodo Ephesina. Post biennium vero Atarbius Trapezuntis episcopus ejusdem metropolitæ sui vices supplevit in concilio Chalcedonensi. Ἀταρβίου Τραπεζοῦντος ἐπέχοντος τὸν τόπον Δωροθέου ἐπισκόπου Νεοκαισαρείας. Sic nempe actionis 1. initio legitur: Post vero actione 2. Photinus archidiaconus Dorothei locum tenuisse fertur, Φωτεινοῦ ἀρχιδιακόνου ἐπέχοντος τὸν τόπον Δωροθέου Νεοκαισαρείας, sed manifesto errore, eoque emendando ex aliis gestorum synodi locis, in quibus Atarbium proximè sequitur Photinus archidiaconus, vices gerens Theoctisti Pissinûntis. Sic itaque ab Atarbio act. 6. subscriptum est Δωρόθεος (quod idem ac Θεόδωρος transpositis, ut aliàs sæpè factum, syllabis,) ἐπίσκοπος Νεοκαισαρείας, ὁρίσας ὑπέγραψα διὰ Ἀταρβίου ἐπισκόπου Τραπεζοῦντος *Dorotheus* (sive *Theodorus,*) *episcopus Neocæsareæ definiens subscripsi per Atarbium episcopum Trapezuntis.*

ECCLESIA Neocæsareæ.

IX. Evippus.

In nullo indice Latino metropolitarum ad quos Leo Augustus de nece S. Proterii Alexandrini Literas sacras suas misit, *Evippus* reperitur. At in collectione epistolarum ad eumdem Imperatorem, habetur quoque prolixa una provinciæ Ponti, cui subscripsit omnium primus *Evippus misericordia Dei episcopus metropolis Neocæsareæ sanctæ Dei ecclesiæ.*

X. Bosporius.

Synodo Constantinopolitanæ quæ Menna Patriarcha præside Anthimum illius decessorem & alios hæreticos damnavit, subscripsit *Bosporius episcopus Neocæsariensis,* Βοσπόριος ἐπίσκοπος Νεοκαισαρείας: qui in Quinta synodo generali perinde inter metropolitas sedit & subscripsit.

XI. Gregorius. II.

In Septima synodo generali consedit subscripsitque *Gregorius episcopus Neocæsareæ metropolis,* Γρηγόριος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος Νεοκαισαρείας, qui coram Patribus Act. 6. legebat acta synodi Iconomachorum, Epiphanio diacono singulas ejus partes refellente.

XII. Thomas *martyr.*

Leone Armeno Byzantinis Imperante sedebat *Thomas* Neocæsareæ episcopus circa annum 812. de quo Petrus Siculus in historia Manichæorum: *Michael Rangabes Curopalata religiosus Imperator, qui monachus evasit, & Leo qui post illum imperavit, quum Christianos à Paulicianis Manichæis infestari cernerent, missis in omnes Romanæ ditionis oras literis, cunctos nefariæ sectæ principes necari jusserant,* ἦλθεν οὖν τὸ πρόσταγμα τοῦ βασιλέως καὶ εἰς τὸν Ἀρμενιακοὺς πρὸς Θωμᾶν τὸν ἐπίσκοπον Νεοκαισαρείας. *Venit porro regium edictum ad Armeniæ regiones, ad Thomam episcopum Neocæsareæ, & Paracordacem præfectum. Occidebantur Imperatoris jussu, quotquot exitii duces, mortisque rei reperiebantur. Posthæc quidam è Sergii discipulis, ii nimirum qui Astati,* ἄστατοι, *sive instabiles, appellantur, præfectum per dolum & proditionem interfecerunt, & Cynachoritæ pariter Thomam metropolitam,* καὶ οἱ Κυναχωρῖται ὁμοίως Θωμᾶν τὸν μητροπολίτην, *Melitenemque Astati fugerunt.* Eadem scribit Photius in narratione de iisdem Manichæis, Biblioth. Coislin. pag. 372.

ECCLESIA Neocæsareæ,

XIII. Stylianus.

Expulso per Photium Ignatio Constantinopolitano, Stylianus Mappa Neocæsariensis sub Hadriano Papa II. & Joanne VIII. eorumque successoribus causam illius strenuè defendit, qui & post sancti patriarchæ obitum, imo exstincto Basilio Imper. epistolam cum aliis benè multis episcopis adversus Photii tyrannidem & sectatores ad Stephanum IV. Papam scripsit anno 886. quam Matthæus Raderus Græcè Latinèque edidit cum vita S. Ignatii & actis Octavæ synodi B generalis. Quamquam epistolæ initio *Stylianus episcopus Neocæsareæ Euphratensis* dicitur, Στυλιανὸς ἐπίσκοπος Νεοκαισαρείας τῆς Εὐφρατησίας χώρας. At Neocæsareæ Euphratensis episcopum, nusquam metropolitam reperi. Sedit vero in Octava synodo *Stylianus* hic noster, *Styliano Deo amabili metropolita Neocæsareæ*; subscripsitque perinde inter metropolitas *Stylianus Dei misericordia episcopus Neocæsareæ.* Favet vir clariss. Nicolaus Comnenus Pappadopoli, Prænotionum Mystagogicarum resp. VI. sect. VIII. *De* C *testimonio Confessarii*, ubi de secreto confessionis inviolatè servando. *Similia docuit Antonius Cauleas*, inquit, *post Photium & Stephanum sacris nostris præfectus* (Patriarcha) *sanctorumque honores meritus, Menologio die 11. Febr. relatusque à Nicephoro, sacris omnibus interdixit Stylianum cognomento Mappam metropolitam Cappadocum, celeberrimum exhomologetam sacerdotem adducere ausum ad testimonium.* Metropolitam Cappadocum dicit, quia sequiori ævo Neocæsarea Cappadociæ laxiori sensu censita est. Antonius autem D Cauleas circa ann. 895. patriarchatum iniit.

XIV. Nicephorus I.

Nicolaus III. Patriarcha Constantinopolitanus epistolam synodicam dedit Alexio Comneno Imper. quæ exstat lib. 4. Juris Græco-Rom. pag. 271. in qua refertur, *sub patriarcha Theophylacto*, ἐπὶ Θεοφυλάκτου πατριάρχου, *jussu Romani senioris* (Lacapeni) *Imperatoris*, κελεύσει Βασιλέως Ρωμανοῦ τοῦ πρεσβυτέρου, *Nicephoro quondam pastore principe Neocæsariensi postulante*, ἐξ αἰτήσεως Νικηφόρου τινὸς ποιμενάρχου Νεοκαισαρείας τυγχάνοντος, *constitutum esse tribunal ex pontificibus & eruditis viris senatorii ordinis, eodem Patriarcha præsidente.* Quod certè deinceps Constantinopoli observatum fuisse, imo & hodieque observari, sexcenta monumenta perhibent. Tunc vero hoc in judicio pronuntiatum est, Rhœzæi vel Rhyzæi episcopatum, qui ante ducentos circiter annos archiepiscopatus à S. Germano patriarcha factus erat, Cæsa-

A riensi, seu Neocæsariensi metropolitæ subesse debere, καὶ ἡ νικῶσα τῷ μητροπολίτῃ ἐδόθη. Quæ gesta sunt eo temporis intervallo quod excurrit ab anno 931. quo Theophylactus patriarchatu donatus est, ad annum 947. quo parens ejus Romanus Imperator summam rerum abdicavit.

XV. ***

Ab Eustratio Constantinopolitano, qui patriarchatum gessit anno 1017. decretum synodicum latum est de sobrinis duobus qui matrem & filiam contra jus duxerant, assidente cum metropolitis aliis *Neocæsariensi*, τοῦ Νεοκαισαρείας. Jur. Græco-Rom. lib. 4. pag. 268.

XVI. Theophanes, *vel* Theophylactus.

Synodo Alexii patriarchæ anno M. 6536. mense Decembri 11. Ind. XI. Christi 1028. in qua de donatariis monasteriorum tractatum est, aderat *Theophanes Neocæsareæ*, Θεοφάνους Νεοκαισαρείας. In margine legitur, Θεοφυλάκτου, *Theophylacto*. Jur. Græco-Rom. pag. 259. Sic nempe alteri synodico ejusdem Alexii decreto de diversis causis pertinentibus ad metropoles, archiepiscopatus & episcopatus condendo aderat mense Januarii, Ind. XI. anno 6537. seu Christi 1024. *Theophylactus Neocæsareæ*, Θεοφυλάκτου Νεοκαισαρείας.

XVII. ***

Neocæsareæ metropolita sub Michaële Duca Imp. in Commentaria referebat quæcumque ad urbem Constantinopolitanam spectarent. καὶ ὁ Νεοκαισαρείας τὰ τῆς πόλεως ἀνέγραψατο. Matth. Blastares syntagm. alphabet. lit. K. cap. 32.

XVIII. *** Gregorius III.

In epistola illâ synodali, cujus superiùs, ubi de Nicephoro I. Neocæsareæ, memini, epistolæ Nicolai III. patriarchæ ad Alexium Comnenum Imperatorem, scribendæ adfuisse legitur *metropolita Neocæsareæ*, καὶ ὁ Νεοκαισαρείας μητροπολίτης, attulisseque monumentum Michaëlis Cerularii quondam patriarchæ, aureamque bullam Michaëlis Ducæ Imperatoris, quibus E statuebatur non debere episcopatus à metropolitis suis abstrahi, sine synodi patriarchalis assensu lib. 4. Juris Græco-Rom. p. 271.

Atqui eodem Alexio Imper. & Nicolao patriarcha, anno 1082. conventus solennis nobilium Imperii & episcoporum Constantinopoli coactus est de instaurando veteri decreto *Unionis* de sacrarum imaginum cultu. Aderat *Gregorius Neocæsareæ*, Γρηγορίου Νεοκαισαρείας: Bibl. Coislin. p. 104.

XIX.

XIX. NICEPHORUS II.

Anno Mundi 6651. Christi 1143. Constantinopolitanæ, synodo in qua Cosmas Atticus ob Bogomilorum hæresis suspicionem patriarchatu ejectus fuit, aderat, ejusque destitutioni subscripsit *Nicephorus novæ Cæsareæ metropolita*, ὁ Καισαρείας τῆς νέας Νικηφόρος. Allatius lib. 3. de consens. cap. 12.

XX. *** CONSTANTINUS.

Circa annum 1153. Lucas Chrysoberges synodico decreto sanxit contra illos qui morientium episcoporum, aliave ecclesiarum bona auferrent. Jur. Græco-Rom. lib. 4. pag. 282. Anno vero 1156. *Constantinus Neocæsareæ metropolita* sedebat in synodo altera, in qua Soterichus Panteugenus, Antiochiæ patriarcha designatus, ob errorem de sacrificio Domini damnatus, & ad ordinem redactus fuit. Leo Allat. Vind. syn. Eph. p. 584.

XXI. BASILIUS.

Anno 1166. eodem Luca patriarchatum gerente, synodus altera habita est, in qua tractatum de Alamannorum Fide, quam Joannes quidam monachus hæresis taxaverat, quod Christum Patri minorem humanitatis assumtæ causa dictum affirmarent. Aderat *Basilius Neocæsareæ*, Leone Allatio teste lib. 2. de consens. cap. 20. n. 4. Qui Basilius anno 1171. Novembri 1. Indict. V. perinde reperitur interfuisse synodo Michaëlis Anchiali patriarchæ, in qua statutum ne clerici ex aliena diœcesi creentur, Βασιλείου Νεοκαισαρείας, *Basilio Neocæsareæ*, lib. 3. Jur. Græco-Rom. pag. 227.

XXII. ***.

Isaacius Comnenus Imp. coacta synodo metropolitarum complurium, irritas habendas sanxit ordinationes episcoporum, ad quas vocati non essent omnes & singuli episcopi qui in Urbe versarentur, Constantinopolitana scilicet: cum metropolitis aliis sedebat *Neocæsariensis*, ὁ Νεοκαισαρείας. Juris Græco-Rom. lib. 2. pag. 169.

XXIII. MONOCONSTANTINUS.

Georgius Pachymeres refert lib. 4. histo- A riæ Michaelis Palæologi Imp. cap. 16. collecta synodo, quæ Arsenium Patriarcham destituerat, missos episcopos duos in insulam in quam ille se receperat, *Monoconstantinum* Neocæsareæ, ipsi Arsenio amicitia conjunctissimum, & episcopum Prœconnessi, qui Mocessum tunc administrabat, quos Arsenius audire noluit. ἐκλέγονται τὴν ταχίστην, ἐκ μὲν σφῶν δύο, ὅτε Νεοκαισαρείας Μονοκωνσταντίνου, φίλος ὢν καὶ μᾶλλον ἐκείνῳ, καὶ ὁ Μωκησσοῦ, προεδρεύων τότε τῆς ἐκκλησίας τοῦ Προικοννήσου, κατὰ λόγον ἐπιδόσεως.

XXIV. ***

B Inter epistolas Gregorii Cyprii, qui Andronico Palæogo Michaëlis filio Imper. patriarchatum gessit; multæ inscribuntur, τῷ Νεοκαισαρείτῃ *episcopo Neocæsareæ*; sed cujus nomen non occurrit. Biblioth. Cæsar. lib. 8. cod. 67.

XXV. ***.

Tres Orientis Patriarchæ schismatici, Arsenio Nicomediæ instigante, literas synodales dedisse feruntur, quibus Metrophanem Constantinopolitanum proscindebant, ob admissam unionem, quæ in concilio Florentino C sancita fuerat, quodque metropolitas Latinis faventes Amaseæ, *Neocæsareæ*, Tyanis & Mocessi in Trapezuntio Imperio ordinaverat. Legendæ sunt apud Allat. lib. 3. de conf. cap. 4.

XXVI. GREGORIUS II.

Fingunt Græci post Joannis Palæologi Imp. obitum coactam Constantinopoli synodum, circa ann. 1450. in qua sancita illa Florentiæ cum Romana sede unio ejurata est, ibique adfuisse, & subscripsisse legitur *Gregorius episcopus Neocæsareæ*. Ibid. Addend. ad lib. 3. de consens. col. 1387.

D XXVII. GREGORIUS III.

Responsioni Dionysii patriarchæ super Calvinistarum erroribus datæ anno 1672. subscripsit, Γρηγόριος Νεοκαισαρείας Καππαδοκίας, *Georgius Neocæsareæ Cappadociæ*.

XXVIII. METHODIUS.

Anno 1721. sedebat *Methodius Neocæsareæ*, ὁ Νεοκαισαρείας Μεθόδιος.



II. # ECCLESIA TRAPEZUNTIS.

IN extrema Ponti Euxini ora, inque finibus Colchorum sita est urbs *Trapezus*, Sinopensium colonia Xenophonti, ubi de expeditione Cyri junioris, adeoque civitas Græca, ut Scyllax antehac scripserat, ac subinde Strabo, Τραπεζοῦς πόλις ἑλληνίς. Pomponii Melæ ævo *urbs illustris erat.* Qui de illius situ addit : *Post Harmonassam Trapezûs, deinde Colchis ; in quam ex Amiso duûm millium & ducentorum stadiorum navigatio est : hinc in Phasim mille & CCCC.* Plinio lib. 6. cap. 4. *Trapezûs liberum* (oppidum) *vasto monte clausum :* Et infra : *In ora ante Trapezûntem flumen Pyxites.* Rursum : *Flumen Absarus cum castello cognomine in faucibus à Trapezûnte CL. M. pass.* Accedit & Ptolemæus, cui Trapezûs ultima est Ponti Cappadociæ. In Notitia Hieroclis, aliisque duabus antiquioribus Trapezûs Ponti Polemoniaci civitas est. Verum in ea quæ Leonis Sapientis nomine inscribitur, Lazicæ metropolis est, cui quindecim episcopatus assignantur. *1. Cherauniorum, 2. Chamuzur, 3. Chachæi, 4. Pæper. 5. Cerameorum, 6. Lerii, 7. Bizanorum, 8. Sacabi, 9. Tocharitz, 10. Tochantiertz, 11. Touhuti, 12. Phasianæ, 13. Tozermatzi, 14. Andactorum, 15. Zarimacorum.* Quamobrem quum Phasidis episcopus Lazicæ regionis metropolita esset, ejus jura Trapezûnti data sunt. Ad urbis hujus claritatem accessit, quod exigui cujusdam Imperii caput facta sit circa annum 1261. cujus auctor Alexius Comnenus fuit, quum à Theodoro Lascari Imperatore Nicæa fugiens defecisset. Illud porro Imperium Trapezuntium Colchide & Cappadociæ magna parte constabat : deletum vero fuit à Mahomete II. Turcorum Sultano, à quo postremus Trapezûntiorum Imperator Davides captivus Constantinopolim ductus, neci traditus est. Mahometes vero interim, partem civium in domesticos suos usus assumsit, partem Constantinopolim adduxit, alios extra civitatem in pomæriis habitare jussit : Hujus urbis primaria ecclesia, in qua episcopus sedet, S. Philippi Apostoli nomine nuncupata est.

EPISCOPI TRAPEZUNTIS.

I. DOMNUS.

IN Nicæni concilii Patrum Indice, inter episcopos Ponti Polemoniaci legitur, *Domnus Trapezûntius.*

II. ATARBIUS.

In synodo Chalcedonensi *Atarbius episcopus Trapezûntis* vices gerebat *Dorothei episcopi Neocæsareæ.* Ἀταρβίου Τραπεζοῦντος ἐπέχοντος τὸν τόπον Δωροθέου ἐπισκόπου Νεοκαισαρείας, qui actione VI. pro eodem Dorotheo subscripsit.

III. ANTIPATER.

Relationi synodi Constantinopolitanæ ad Joannem ejusdem urbis archiepiscopum de Severo Antiocheno, ejusdemque sociis hæreticis proscribendis, quæ lecta subinde est act. v. in altero concilio sub Menna, subscripsit *Antipater episcopus Trapezûntius.* Ἀντίπατρος ἐπίσκοπος. Deest civitatis nomen in Græco contextu.

IV. ANTHIMUS *hæreticus.*

Antipatro utique suffectus fuit *Anthimus*, Theodoræ Augustæ Justiniani Imp. conjugis nutibus; tum deinde catholicam Fidem simulans ad Constantinopolitanam sedem, eadem Theodora agente, transiit. Quod testantur sententiæ omnes quæ in ipsum postea latæ fuerunt : unde cautum fuit in synodo quæ Menna patriarcha præside habita est, ne deinceps Trapezûntis ecclesiam in quam denuò irrepserat, teneret. Supplicatione à Mariano archimandrita S. Dalmatii & præpositis aliorum monasteriorum urbis Regiæ & Palestinæ a Justiniano Imp. data disertè fertur, Anthimum ordinatum primo fuisse Trapezûntiorum episcopum, propriâ verò ecclesiâ sua relicta, simulata pietate, favore hæreticorum, Byzantinam subripuisse. Ἄνθιμος ὁ ποτὲ προχειρισθεὶς Τραπεζουντίων ἐπίσκοπος ...... διὰ τῆς ἐκείνων συνάρσεως τὸν τῆσδε τῆς πόλεως θρόνον ἐφαρπάσαι παρὰ πάντας τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς θεσμοὺς καὶ κανόνας. Hunc Agapetus Papa, qui Constantinopolim venerat, ejus hæresi comperta, Regiæ urbis sede dejecerat, sed pristinam repetierat, à qua viri illi sanctissimi illum iterato ejici postulabant. Quod quidem factum est, coacta synodo illa Constantinopolitana cujus præses Mennas archiepiscopus fuit. In Urbe tunc Anthimus aderat, qui ad synodum ter, ut lex ferebat, vocatus, quum venire neglexisset, actione IV. depositionis, anathematisque sententia percussus est. καὶ τῆς Τραπεζουντίων τὸν αὐτὸν Ἄνθιμον ἱερωσύνης ἔξω καθεστάναι συγχωροῦμεν, πάσης τε ἑτέρας αὐτὸν ἱερατικῆς προσηγορίας ἅμα καὶ ἀξίας, καὶ ἐνεργείας ἀλλότριον εἶναι τοῦ λοιποῦ, καὶ ὅλως τοῦ ἐν ὀρθοδόξοις ἀριθμεῖσθαι. Atqui anno 533. quum se orthodoxæ Fidei tenacem fingeret, in Collatione quæ cum Severianis Constantinopoli habita

ECCLESIA Trapezuntis.

est, à catholicorum partibus stabat cum Hypatio Ephesino. Sic enim Innocentius Maroniæ civitatis episcopus Thomati presbytero Collationis narrationem recitans scribebat: *Dominus enim meus vir venerabilis episcopus Seleucensium civitatis, & idem Dominus meus Anthimus Trapezûntinæ civitatis episcopus, qui nobiscum unà in Collatione fuerunt, &c.*

V. Theodorus.

In Sexta synodo generali sedit & subscripsit *Theodorus episcopus civitatis Trapezûntiorum*, Θεόδωρος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Τραπεζουντίων πόλεως.

VI. Christophorus.

In Septima synodo *Christophorus episcopus Trapezûntiorum*, Χριστοφόρος ἐπίσκοπος Τραπεζουντίων: qui alibi & act. IV. præsertim episcopus dicitur *Phasidis, sive Trapezûntiorum*, Φάσιδος, ἤτοι Τραπεζουντίων, & *Trapezûntis*, Τραπεζοῦντος.

VII. Constantinus.

Duabus synodis Alexii patriarchæ, quæ habitæ sunt anno M. 6586. mense Novembri & Januario, Ind. XI. seu Christi 1023. & 1024. aderat *Constantinus Trapezûntis* metropolita, Κωνσταντίνου Τραπεζοῦντος. Jur. Græco-Rom. lib. 4. p. 250.

VIII. Leo.

Illi infaustæ synodo à qua Michaële Patriarcha præside Romanis Leonis Papæ Legatis anathema dictum est, aderat cum paucis aliis *Leo Trapezûntis*, Λέοντος Τραπεζοῦντος. Allat. Dissert. II. de libr. Eccl. Græc.

IX. ***

Anno Christi 1157. habita Constantinopoli synodus est, propter Sotericham Panteugenum Antiochiæ Patriarcham electum, qui Christum sibi uti Deo sacrificium obtulisse negaret. Aderat cum metropolitis aliis *Trapezûntius*, ut didici ex Thesauro Nicetæ choniatæ Græco, qui manu exaratus amplo volumine exstat in Bibliotheca Regia, olim verò fuit Cl. Stephani Baluzii, τοῦ Τραπεζοῦντος. Hunc oscitantius Leo Allatius omisit in Vindiciis synodi Ephesinæ pag. 584. & 585. ubi aliorum qui convenerant singula nomina recitat.

X. Michael.

Anno Christi 1166. habita synodus est, Lucâ Chrysoberge patriarcha præside, propter Alamannos qui Constantinopoli agebant, quos Joannes quidam Corcyrensis, aliique nonnulli erroris insimulabant, quod Christum humanitate Patri minorem dicerent. Damnatus Joannes fuit, adsidente cum metropolitis aliis *Michaële Trapezûntio*.

XI. Niphon.

Synodo Callisti I. Patriarchæ, quæ Joanne Palæologo & Joanne Cantacuzeno Impp. Barlaamum & Acyndynum proscripsit, hæresimque Palamitarum approbavit, aderat & subscripsit *Niphon metropolita Trapezûntis*, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Τραπεζοῦντος, ὑπέρτιμος Νίφων. Celebrata illa synodus est anno M. 6859. Christi 1341.

XII. Theodosius.

In montis Atho descriptione pag. 476. Palæographiæ, ubi *de venerando & Imperatorio monasterio Dionysii*, hæc leguntur: Conspicuum S. Dionysii monasterium excitavit præclarus Trapezûntis Imperator Alexius Comnenus anno 1380. hortatu sancti Dionysii, qui frater natu minor erat Theodosii tunc archiepiscopi Trapezûntis. ὅστις ἦν ἀδελφὸς μικρότερος τοῦ τηνικαῦτα τῆς Τραπεζοῦντος ἀρχιεπισκόπου Θεοδοσίου. Penè suspicarer, hunc ipsum esse qui Theodulus, de quo nunc dicendum.

XIII. Theodulus.

Leo Allatius in Tractatu *de Nilis*, cap. 20. codicis Vaticani 779. Appendicem adfert qua discimus anno 1392. *Theodulum* Trapezuntis episcopatum gessisse, ante annum illum quo codicem ipse exarabat. Ἐγράφησαν αἱ βίβλοι αὗται, ὅ, τε τὸ Μηναῖον σὺν τὰ ἰδιόμελα τοῦ χρόνου ὅλου, Τριώδιόν τε καὶ Ὀκτώηχος, μετὰ καὶ ἐκλεκτοὺς κανόνας τῶν ἁγίων διὰ χειρὸς ἐμοῦ τοῦ ἁμαρτωλοῦ, τάχα δὲ καὶ ἀναξίου ἐπισκόπου Θεοδούλου τοῦ ποτὲ Τραπεζοῦντος, ἐν τῇ Μοσχοβιῶν πόλει μετὰ ἀσθενείας καὶ μακρονοσίας καὶ κόπου πολλοῦ. καὶ οἱ τοῦτο ἀναγινώσκοντες εὔχεσθε ὑπὲρ ἐμῆς ψυχῆς, ὅπως τύχω ἐλέους ἐν τῇ φοβερᾷ ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως, ἵνα καὶ ὑμεῖς τὸν μισθὸν λήψησθε παρὰ τοῦ φιλανθρώπου καὶ ἐλεήμονος Θεοῦ ἡμῶν. ἐτελειώθη τῷ ͵ϛϡ. ιϛ΄. μηνὶ Αὐγούστῳ, ἡμέρᾳ β΄. *Hi codices descripti sunt, Menæum scilicet cum idiomelis, canticisve propriis totius anni, Triodium & Octoëchus, aliique selecti canones sanctorum, manu mei peccatoris & indigni Theoduli, episcopi quondam Trapezûntis, in urbe Moschobiorum inter infirmitates & longas ægritudines, nec sine multo labore. Qui legetis, orate pro anima mea, ut misericordiam nancíscar in horrendo die judicii, & vos mercedem assequemini ab humanissimo & misericorde Deo nostro. Finitus est hic liber anno 6900. mensis Augusti 16. fer. 2.* adeoque anno Christi 1393.

XIV. Dorotheus.

Ad synodum Ferrariensem & Florentinam

ECCLESIA Trapezuntis.

venit, unionisque ibi decreto subscripsit *Dorotheus metropolita Trapezûntis, & locum tenens Cæsariensis*, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Τραπεζοῦντος, καὶ τὸν τόπον ἐπέχων τῆς Καισαρείας Δωρόθεος.

XV. * * *

Martinus Crusius lib. 4. Turco-Gr. pag. 282. literas edidit Metrophanis Patriarchæ, quibus Michaëli Pauliotæ Theodosii Zygomali sororis filio Tabularii munus confirmabat, hisque subscripsit cum aliis metropolita *Trapezûntius*, cujus nomen omissum est, ὁ Τραπεζούντιος.

XVI. Cyrillus.

Anno 1653. Parisiis agebat *Cyrillus Trapezûntis archiepiscopus*, qui clarissimo sodali nostro Jacobo Goar, Congregationis S. Ludovici regis Ord. Prædicatorum tunc vicario generali, manu propria exaratum, subscriptumque testimonium dedit de adorato à Græcis sacro-sancto corpore & sanguine Christi Eucharistico, περὶ τῆς εὐλαβείας καὶ τῆς προσκυνήσεως τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ παρὰ τοῖς Ελλησι. Subscriptio illius est: Κύριλλος ἐλέῳ Θεοῦ ἀρχιεπίσκοπος τῆς Τραπεζοῦντος, ἰδίᾳ χειρὶ ὑπέγραψα. *Cyrillus miseratione divina archiepiscopus Trapezûntis propria manu subscripsi.* Leo Allatius lib. 3. de consens. cap. 11. n. 7. Cyrillum istum Trapezûntium metropolitam illis Græcis annumerat, qui ante paucos annos, quam librum suum scriberet, Apostolicæ sedis communionis amplectendæ causa Romam venerant. Enimvero Clemens Galanus Clericus regularis à sodalibus suis è Colchide *Trapezûntium archiepiscopum* ad Romani pontificis pedes deductum nuper fuisse prodit tom. 1. De conciliatione ecclesiæ Armeniæ cap. 12. pag. 167. multasque passim ejus laudes toto illo capite interserit.

XVII. Joannes.

Responsioni Dionysii patriarchæ super Calvinistarum erroribus anno 1672. subscripsit, *Joannes Trapezûntis*, Ιωάννης Τραπεζούντιος.

XVIII. Ignatius.

Anno 1721. sedebat *Ignatius Trapezûntis*, Ιγνάτιος ὁ Τραπεζοῦντος.

III.

ECCLESIA CERASUNTIS.

CERASUS, Κερασοῦς, Ponti civitas fuit, Straboni, de qua lib. 12. *Ab Amiso navigantibus primò est Herculanum, deinde promontorium Jasonium & Genetes, deinde Cyrotus oppidum, ex quo Pharnacia habitata est, posteà Ischopolis humi prostrata. Posthac sinus, in quo Cerasûs, & Hermonassa mediocres habitationes.* Ex quibus apparet *Cerasûnta* in regione maritima positam fuisse. Plinio verò lib. 6. cap. 4. *Gens Macrocephala, oppidum Cerasus, portus Cordulæ,* ut Cerasûs aliquantum à maris ora distans fuerit. Ejus in omnibus Notitiis est mentio, atque inter metropoles censetur in laterculo qui editus est, lib. 3. Juris Græco-Rom. pag. 245. In Notitia vero Philippi Cyprii *metropolis primum honore donata fertur, tum deinde facta esse Exarchia.* ὁ Κερασοῦντος ἥτις εἰς μητρόπολιν τετίμηται, νῦν δὲ ἐξαρχία. Nomen ejus hodiernum *Chrisanda* est.

EPISCOPI CERASUNTIS.

I. Gregorius.

SEdit in Ephesina synodo *Gregorius episcopus Cerasûntis*, Ponti Polemoniaci Γρηγορίου Κερασοῦντος Πόντου Πολεμωνιακοῦ, ejusque gestis omnibus suffragatus est & subscripsit.

II. Gratidianus.

In Concilio quoque Chalcedonensi sedit & subscripsit *Gratidianus episcopus Cerasûntis*, Γρατιδιανὸς ἐπίσκοπος Κερασοῦντος. In subscriptionibus Latinis epistolæ synodi Ponti Polemoniaci ad Leonem Imp. *Gratianus* dicitur: *Gratianus episcopus Cerasûntis*.

III. Theophylactus.

In Sexto concilio generali *Theophylactus episcopus civitatis Cerasûntis* sedit, & inter episcopos Ponti Polemoniaci subscripsit, Θεοφύλακτος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος πόλεως Κερασοῦντος.

IV. Narses.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus legitur Νάρσης ἐπίσκοπος Κερασοῦντος, *Narses episcopus Cerasûntis*.

V. Joannes.

Septimæ synodo adfuit, & inter Ponti Polemoniaci præsules alios subscripsit, *Joannes episcopus Cerasûntis*, Ιωάννης ἀνάξιος ἐπίσκοπος Κερασοῦντος.

VI. Simeon.

Pseudo-synodo Photianæ post S. Ignatii

patriarchæ obitum adfuisse legitur *Symeon Cerasûntis.* Συμεὼν Κερασουῦτος.

A

VII. Michael.

Pag. 255. Jur. Græco-Rom. & cap. 15. hist. Eccl. Nicephori Callisti, ubi *De translationibus episcoporum*, Michaële Cerulario, Amaseâ Ancyram, & Ancyrâ Cerasûntem, *Michaël* quidam demigrasse fertur, εἰς Κερασοῦντα μετετέθη, καὶ τοῦ θρόνου αὐτῆς ἐγκρατὴς γεγονὼς ὑποβιβασθείς.

VIII. Petrus.

In Constantinopolitana synodo quæ anno 1143. Cosmam Atticum patriarchatu amovit, sedebat *Petrus metropolita Cerasûntis*, ὁ μητροπολίτης Κερασοῦντος Πέτρος: Allat. lib. 2. de consens. cap. 11. ECCLESIA Cerasûntis.

IX. ***

Isaacius Angelus Imp. coacto metropolitanorum & episcoporum qui in Urbe agebant conventu, edixit, irritas deinceps electiones episcoporum futuras, ad quas vocati non erunt episcopi singuli qui in civitate reperirentur. Aderat *metropolita Cerasûntis*, ὁ Κερασοῦντος. Jur. Græco-Rom. lib. 2. p. 174.

IV. ECCLESIA POLEMONII.

POLEMONIUM, Πολεμώνιον, Ponti civitas est à Polemone, quem M. Antonius regem constituerat, ad mare condita, à qua portus *Polemoniacus* dictus, in Ponto Polemoniaco, haud procul à Thermodontis ostiis, ubi etiam à Ptolemæo collocatur: in gente vero Sidenorum à Plinio, ubi *flumen Sidenus; quo alluitur*, inquit, *oppidum Polemonium ab Amiso 120. M. pass.* In Notitiis omnibus, provinciæ quoque Ponti Polemoniaci censetur.

EPISCOPI POLEMONII.

I. Aretius.

QUum in subscriptionibus synodi Neocæsariensis legatur *Eretius Placianensis Galatiæ primæ*, codices aliquot habent *Hystricus Timoniacensis Cappadociæ Polemoniacensis.* Idcirco emendandum forsan fuerit *Aretius Polemoniensis,* quem ecclesiæ Laganiæ in Galatia prima jam adsignavi.

B

II. Joannes I.

Synodo Chalcedonensi adfuit & subscripsit *Joannes episcopus Polemonii,* Ιωάννης ἐπίσκοπος Πολεμωνίου. Quin post septem annos subscripsit quoque epistolæ synodi provinciæ Ponti Polemoniaci ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini.

C

III. Anastasius.

Sextæ synodo generali *Anastasius episcopus Polemonii.* Αναστάσιος χάριτι Χριστοῦ ἐπίσκοπος Πολεμωνίου.

IV. Domitius.

Canonibus synodi Quinisextæ subscriptus legitur, Δομέτιος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος πόλεως Πολεμωνίου, *Domitius minimus episcopus Polemonii.*

V. Constantinus.

In Septima synodo sedit & subscripsit *Constantinus Polemonii episcopus.* Κωνσταντῖνος ἐπίσκοπος Πολεμωνίου. In Græco contextu alibi *Constans* dicitur, quum Latina translatio *Constantinum* ubique ferat.

VI. Joannes II.

In Octava synodo *Joannes misericordia Dei episcopus Polemonii.* In Pseudophotiana quoque sedisse & subscripsisse legitur *Joannes Polemonii.* Ιωάννου Πολεμωνίου, Ιωάννης Πολεμωνίου.

V. ECCLESIA COMANORUM PONTICORUM.

COMANA Pontica Plinii ætate *Manteium* quoque dicebantur. Nimirum Strabo, ubi super Phanaream esse Comana Pontica scribit, ejusdemque nominis esse atque alia Cappadociæ, addit, hæc esse Lunæ deæ sive Dianæ Tauricæ consecrata, ejusque sacerdotem ea in regione maximo honore habitum fuisse. Atqui Urbem hanc ad Irim fluvium esse positam dixerat, qui illam mediam secaret. *Iris fontes habet in Ponto*, inquit; *fluit per mediam urbem Comana Pontica.* Ptolemæo Comana Pontica feminæi generis voce singulari dicitur, Κομάνη Ποντικὴ, estque Ponti Galatici mediterranea civitas. Hanc habent Notitiæ omnes in Ponto Polemoniaco. Ante provinciarum Orientis dispositionem, quæ Theodosio seniore Imperat. vel paulo post ab ejus filio Arcadio facta est, Armeniæ majoris Comana ista putabantur.

ECCLESIA Comanorum Ponticorum.

Martyrologium Romanum & Menologium Græcorum die 22. Maii memoriam habent S. Hermiæ militis, qui ſub Antonino Imp. Amaſeâ Comana deductus, *ab innumeris ſæviſſimiſque tormentis liberatus, carnificem ſuum ad Chriſtum convertit, ejuſdemque martyrii coronæ conſortem fecit, quam tamen ipſe primus gladio obtruncatus, accepit.* Circa annum 175.

EPISCOPI COMANORUM PONTICORUM.

I. Alexander.

Gregorius *Thaumaturgus* à Comanenſibus vocatus, rogatuſque ut epiſcopum ipſis deſignaret, quoniam minimè illos probabant quos eloquentia inſignes judicaverant, *Alexandrum*, qui ex peritiſſimo philoſopho, Chriſtiana humilitate carbonariam artem exercebat, non ſine divino nutu Pontificem conſecravit: quæ Gregorius Nyſſenus recitat in vita Gregorii Thaumaturgi. Florenti adhuc ætate Alexander erat, &, Comanorum eccleſia rite adminiſtratâ, martyrium igne conſummavit, ὡς μέχρι μαρτυρίου φθάσαι διὰ πυρὸς τελειώσας τὸν βίον. Ejus memoria agitur in Martyrologio Romano die 11. Auguſti. *Comanæ in Ponto S. Alexandri carbonarii, qui ex philoſopho diſertiſſimo eminentem chriſtianæ humilitatis ſcientiam adeptus, & à S. Gregorio Thamaturgo in thronum illius eccleſiæ ſublimatus, non ſolum prædicatione, ſed etiam per ignem conſummato martyrio fuit illuſtris.*

II. Prothymius.

Initio act. 1. concilii Epehſini, cum Patribus qui illuc convenerunt, inter Gregorium Ceraſûntis Ponti Polemoniaci, & Palladium Amaſeæ Helenoponti legitur *Prothymius Comanæ*. Πρoθυμίου Κομάνης. Cujus tamen non occurrit nomen in ſubſcriptionibus.

III. Petrus.

Epiſtolæ ſynodi provinciæ Ponti ad Leonem Imp. propter Proterii Alexandrini necem, & de Chalcedonenſi ſynodo ſubſcripſit *Petrus epiſcopus Comanus.*

IV. Joannes I.

In Sexta ſynodo generali inter Ponti præſules alios ſedit & ſubſcripſit *Theodorus epiſcopus Comanorum*, Θεόδωρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Κομάνων.

V. Theodorus.

In Septima ſynodo *Theodorus epiſcopus Comanorum*, utique Ponti, cujus provinciæ præſulum primus legitur, Θεόδωρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Κομάνων.

VI. Joannes II.

Cum Styliano Neocæſareæ epiſcopi alii Stephano Papæ IV. epiſtolam ſcripſerunt, de Photio Conſtantinopolitanæ eccleſiæ quondam tyranno, in cujus inſcriptione *Joannes Comanorum* legitur, Ιωάννου Κομάνων, Ponti utique ſub Neocæſarienſi Styliano.

* * *

VI. ECCLESIA RHIZÆI.

Rhizæum, Ριζαῖον, ad Rhizium utique fluvium, poſita civitas fuit, cujus fluvii Stephanus Byzantinus meminit, nec dubium quin ipſa ſit, quæ Ptolemæo Ρίζος λιμὴν, *Rhizus portus*, apud Ciſſæos in Ponto Cappadocio. Hanc in Ponti finibus Procopius collocat lib. 3. de bello Perſico cap. 29. *Ab urbe Petra*, inquit, *Auſtrum verſus occurrunt Imperii Romani fines, ubi loca incolis frequentia*, τό, τε Ριζαῖον καλούμενον, *Rhizæum, Athenæ, & alia quædam Trapezûntiorum.* Rurſum lib. 4. de bello Gotthico cap. 2. ait urbem hanc biduo diſtare Trapezûnte. Demum lib. 3. de ædif. cap. 3. *Trapezûntium limitem excipit Rhizæum, quod ipſe Juſtinianus novo opere ita condidit, & circum munivit, ut res fidem famamque ſuperet. Nam urbium Perſis contermina nulla eſt, cui magnitudine & firmitate concedat.* Abhinc ſaltem epiſcopatus eſſe cœpit; archiepiſcopatus vero evaſit per ſanctum Germanum Conſtantinopolitanum patriarcham. Verum ducentis poſt annis, ſub Theophylacto Patriarcha, Romano Lecapeno ejus patre Imp. adnitente, in conventu epiſcoporum & procerum, Nicephoro Neocæſarienſi metropolitæ iterum ſubjecta fertur Jur. Gr. Rom. p. 281. In Notitia Leonis Imp. epiſcopatus dumtaxat eſt provinciæ Ponti Polemoniaci, nec prorſus inter Conſtantinopolitanæ diœceſis archiepiſcopatus numeratur. Poſteriori demum ævo Rhizæi antiſtes metropoliticis honoribus donatus fuit, à Patriarchis utique Byzantinis qui poſt captam à Turcis Urbem ſederunt.

ECCLESIA RHIZÆI.

EPISCOPI RHIZÆI.

I. Nectarius.

In Septima synodo generali *Nectarius episcopus Rhizæi*, vel *Rhyzæi* inter episcopos Ponti Polemoniaci sedit & subscripsit Νεκτάριος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ριζαίου, sic act. VII. Alibi verò, & in translatione Latina Νικήτας, *Nicetas* nominatur.

II. Joannes.

In Pseudo-synodo Photiana post S. Ignatii Patriarchæ obitum inter metropolitas sedisse & subscripsisse legitur *Joannes Rhizæi*, Ιωάννου Ριζαίου, Ιωάννης Ριζαίου.

III. Joachim.

Sententiæ synodi, qua Joasaph vigesimus tertius à Constantinopoli à Turcis expugnata Patriarcha sacerdotio amotus fuit, subscripsit, *Joacim metropolita Ræhizæi*, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Ροιζαίου Ιωακείμ. οι pro υ vulgò scriptum reperitur, ac vicissim υ pro οι. in codicibus manuscriptis. Turco-Græc. II. p. 174.

VIII.

ECCLESIA PITYUSSÆ.

Pityussa alias *Opius*, Πιτυοῦσα, vel Ὠπιοῦς, necnon *Pityûs* Πιτυοῦς in extremo Colchidis limite, ad ejusdem nominis amnem posita fuit. Ejus meminit Plinius lib. 6. cap. 5. *In intimo eo tractu*, inquit, *Pityûs oppidum opulentissimum*, quod ultra Cissos vel Cissæos collocat Ptolemæus, Sebastopoli vicinum, imo immanissimis Barbaris, Theodoreto teste. Procopio lib. 3. de ædificiis hanc, quæ *Pityus* olim *magna dicebatur, urbem simul & emporium*, à Romanis destructam scribit, quum fama esset Chosroem eò proposuisse exercitum ducere. Plane Justinianus in Novella 28. ubi de civitatibus Ponti Polemoniaci; *Pityûs*, ait, *& Sebastopolis, inter castra potiùs, quam urbes numerandæ sunt.* Quocirca in unum cum Sebastopoli episcopatum Pityussam coaluisse reperi. Abest certè in Notitiis vetustioribus, quin etiam apud Hieroclem.

EPISCOPI PITYUSSI.

I. Stratophilus.

In Indice Patrum Nicænorum *De Ponto Polemoniaco* legitur *Stratophilus Pityussius.*



IX. PROVINCIA HELENOPONTI.

I. ECCLESIA AMASEÆ, METROPOLIS.

AMASEA, Αμάσεια, Strabonis præstantissimi illius Geographi natalibus insignis, ab
eo sic describitur lib. 12. ut in valle quadam ampla & profunda, exsistat, quam Iris
amnis præterfluit, duobus pontibus junctus, quorum altero ab urbe in suburbanum pergi-
tur, altero à suburbano in interiorem regionem. Petra urbi imminet, alta, præceps, & in
flumen abrupta: habitatio muro munita, ex utrisque lateribus ad vertices duos recurrens.
Amaseam in Cappadocia veteri collocat Plinius, *Amasiam oppidum*, inquit, *quod Iris in
regione Gazacena præfluit*. Ptolemæus vero, *in mediterranea Ponti Galatici*. Varii nummi,
M. Aurelii, Severi, Antonini Caracallæ, & Alexandri Imperatorum supersunt, in quibus
Metropolis prima Ponti scribitur. ΜΗΤΡ. ΠΡΩΤ. ΠΟΝΤ. Ut illorum temporibus
Amaseæ Neocæsarea & aliæ Ponti civitates obnoxiæ fuerint, Ponto nondum in duas pro-
vincias, Helenopontum scilicet & Pontum Polemoniacum, diviso. Quam divisionem à
Constantino factam significat Justinianus Novella sua 28. *de Moderatore Helenoponti*, ubi
statim declarat, quum Helenopontus & Pontus Polemoniacus una provincia essent, uni
præsidi subjecta, duos deinde utrique præfectos fuisse, nulla publica necessitate, nullo præ-
textu exigente: *Quando*, inquit, *in hodiernum usque diem, uno tantum publicorum tributo-
rum & dispositionum tractatore utraque utitur provincia; sed & si quis urbes quæ per utram-
que sunt enumeret, vix unius provinciæ justa & sufficiens mensura resultat, si modo Heleno-
pontum quidem octo urbes impleat, hoc est Amasia, Ibora, Euchaïta, insuper & Zela &
Andrapa, quæque ad climata, hoc est gradus suæ sunt, Sinope & Amissus, antiquæ urbes,
sed & Leontopolis, quæ & ipsa inter urbes numeratur. Aliæ vero Polemonicum Pontum con-
tinent, Neocæsarea, & Comana, & Trapezûs, & Cerasûs, & Polemonium. Pityûs enim &
Sebastopolis, inter castra potius, quam urbes numerandæ sunt, ut inter hosce terminos uterque
Pontus consistat.* Atqui utrumque Pontum, tredecim urbes complectentem, iterum in unum
contraxit Constantinus, voluitque *Helenopontum* appellari, *quod illi nomen à piissimo Prin-
cipe impositum est, occasione honestissima suæ matris, Helenæ scilicet, piissimæ mulieris.* Quo-
circa vetus illud Polemonis nomen, quo plerique in Ponto Tyranni usi sunt, dehinc quies-
cere jubet, primò quia Tyranni fuit, secundò quia urbem de suo nomine appellatam ha-
» bet; tertiò quia pulchrius fuerit regionem Christianorum & regum nominibus designare,
» quam illis quæ *Polemi*, Πολέμου, ι. ε. belli & tumultûs actionem ferunt. Cæterum omnes
» illas tredecim urbes unius esse provinciæ decernit, ut tamen alterutri metropoli, Amaseæ
» scilicet & Neocæsareæ, metropolis nomen non distrahatur, & Dei amantes episcopi, me-
» tropolitani quidem in urbe sua, qui vero sub metropolitanis collocati sunt, ab his qui me-
» tropoles sub sua cura habent, ordinentur. Nihil enim circa sacerdotes illarum innovamus,
inquit; ut proinde Neocæsarea propter hanc Imperatoris sanctionem metropolitica jura sua
in Ponti nuper Polemoniaci ecclesias non amiserit, nec Amaseæ, quæ totius Helenoponti
caput evadebat, obnoxia facta esset. Non omittam *Helenopontum* una cum Bithynia à
quibusdam *Diospontum* esse dictum, atque *Dispontum*. In Notitia Hieroclis Amasea provin-
ciæ Helonoponti metropolis est, ut in Notitiis aliis episcopatuum. Sed & illi primitùs Neo-
cæsariensem ecclesiam subjectam fuisse ex eo colligo, quod Gregorius Thaumaturgus,
quem Neocæsareæ episcopum primum fuisse affirmare ausim, à Phædimo Amaseno ordi-
natus fuit. Primordia autem Christianæ religionis in Ponto ab Apostolicis temporibus ar-
cessenda omninò sunt, quando Petrus epistolam suam priorem inscripsit *Electis advenis dis-
persionis Ponti, Galatiæ, &c.* quibus utique ipse prædicaverat. Sed & mox dicam Primum

Amaseæ

Amaseæ episcopum fuisse *Nicetium*, qui ab eodem Apostolo consecratus est. Quin etiam in in Encomio S. Basilei Amaseæ episcopi dicitur, Petri radios Amaseam, primùm quidem obscuriùs, iterum vero splendidiùs illustrasse, quando ad Romanam & Italicam expeditionem pergebat, & ideo locus in Amasea hactenùs *Cathedra Apostolorum* vocatur. Non omittam in actis S. Andreæ Græcis, quæ apud me à Combefisio nostro exscripta habeo, hunc quoque Apostolum, Petri germanum, provincias illas omnes Ponto Euxino vicinas peragrasse, dum versus Europæ regiones pergeret. Suo mox loco dicemus, primum Iberis episcopum ab Amaseæ præsule datum esse. ECCLESIA AMASEÆ.

EPISCOPI AMASEÆ.

I. NICETIUS.

IN vita S. Basilei Amaseæ episcopi, de quo posthac dicetur, quæ tum Latine, tum Græce edita est inter acta SS. ad diem 26. Aprilis, legitur, n. 2. beatum Apostolum Petrum, quum Romam versus tenderet, nationes Ponti lustrasse, ibique Christi nuntiata doctrina, episcopum constituisse *Nicetium* quemdam, angelicis virtutibus insignem, ac locum in quo fuerat ordinatus, ipseque Petrus docuerat, *Apostolorum cathedram* appellatum esse, Καὶ τόπος ἐν Ἀμασείᾳ μέχρι νῦν Ἀποστόλων καθέδρα καλεῖται, ὡς τοῦ Κορυφαίου τῶν Ἀποστόλων ἐν Ἀμασείᾳ ἐπιχωριάσαντος, καὶ σὺν τόποις ἁγιάσαντος, καὶ ἐν αὐτῇ πρῶτον διδάξαντος, εἶτα ὑποχωρῶν, ὡς ὁ λόγος κατέχει, Νικήτιόν τινα ἀγγελικὸν τὸν τρόπον καὶ τὸν βίον εἰς ἐπίσκοπον κατέστησεν.

Addit Basilei laudator, interlapsis temporibus Amasenæ ecclesiæ administrationem ad nihilum redactam esse, dum fraudibus & erroribus novis rebus studebatur, insanisque & amentibus hominibus cedebatur, cunctis probitatis protritis seminibus. Tamdem vero à Phædimo episcopo facto urbis cives & incolas Apostolicis omnigenisque virtutibus ornatos fuisse.

II. PHÆDIMUS.

III. ATHENODORUS.

Non ille solus Basilei laudator, Phædimum Amaseæ episcopum fuisse perhibet, sed Gregorius inprimis Nyssenus in vita S. Gregorii Thaumaturgi, quem ab ipsomet Phædimo Neocæsariensis ecclesiæ episcopum esse ordinatum narrat. *Quum Phædimus*, inquit, *cui divinitus à Spiritu sancto vis futurorum præsciendorum inerat, Amasenorum ecclesiæ præesset*, Φαιδίμου δὲ κατὰ τὸν χρόνον ἐκεῖνον τῆς Ἀμασέων ἐκκλησίας καθηγουμένου, ᾧ θεόθεν ἐξ ἁγίου πνεύματος προγνωστικὴ δύναμις ἦν, *atque omni studio laboraret ut magnum Gregorium in potestatem redactum ecclesiæ administrationi præficeret, &c.* Ad hunc locum Combefisius in sui codicis margine notatum reperit, περὶ χειροτονίας Γρηγορίου, ἔνθα Φαίδιμος ἐπίσκοπος Ἀμασείας τῆς ἐν Κόλχει χειροτονεῖ ἐπίσκοπον Νεοκαισαρείας. *De Gregorii ordinatione, dum Phædimus Amaseæ in Colchide Neocæsareæ episcopum constituit.* S. Basilei Encomiastes, recitata quoque Gregorii ordinatione, *Phædimum* ait, *virum Apostolicum plures etiam alias, tam vicinas, quam remotas urbes sanctorum episcoporum ordinationibus adornasse, quas non mediocriter Apostolica prædicatione communivit.* Cæterum impietate posthac denuò furente, idolorumque cultu, propter Imperatorum Christianis infestorum edicta, regionem Ponticam, ipsamque Amaseam incultam mansisse. Quod episcoporum successionem penè iterum interruptam videtur significare.

At vero Phædimo paulò post Athenodorum successisse admodum verisimile est, quando Eusebius lib. 7. hist. Eccl. c. 27. fratres ambos, Athenodorum & Gregorium Neocæsariensem, ecclesiarum Ponti pastores fuisse scribit, ubi illos Antiochiam ad synodum quæ Pauli Samosateni hæretici impii causa prima vice cogebatur, accessisse refert: Γρηγόριος δὲ καὶ Ἀθηνόδωρος τῶν κατὰ Πόντον παροικιῶν ποιμένες. Ambo igitur præcipuarum Ponti ecclesiarum pastores erant, quum alter Neocæsariensi, alter vero Amasenæ præesset. Athenodori memoriam agunt in Menæis Græci die 7. Novembris. In Romano vero Martyrologio mentio illius fit die 28. Octobris, his verbis: *Neocæsareæ in Ponto S. Athenodori episcopi fratris S. Gregorii Thaumaturgi, qui doctrina clarus, in persequutione Aureliani martyrium consummavit.* Martyr Neocæsareæ Athenodorus obierit, necne; at certè hujus urbis episcopus non erat, ut mox probatum est. ATHENODORUS.

IV. BASILEUS.

In eodem Martyrologio Romano die 26. Aprilis fertur: *Amaseæ in Ponto S. Basilei episcopi & martyris, qui sub Licinio Imper. illustre martyrium consummavit.* Plura de illo Græci habent in Menologiis eadem die 26. Aprilis, necnon 30. qua corporis ejus inventionem recolunt. Atqui Basileus Amaseæ civis fuit: unde, quia apud eum se receperat Glaphyra Constantiæ uxoris Licinii puellarum una, quam Imperator ille deperibat, Nicomediam adductus, ibidem pro Christo necatus est, ejusque corpus in mare projectum,

ECCLESIA AMASEÆ.

ab Elpidophoro & Parthenio diaconis illius Angelo monente repertum, multo honore tumulatum fuit. Hæc aliaque plura Basilei vitæ scriptor, ejusque laudator ac Menologia. Philostorgius vero Arianus, Basileum Amaseæ & Meletium Sebastopolis Nicæno concilio interfuisse, Photio teste, scribebat lib. i. n. 8. καὶ Βασίλειον τὸν Ἀμασείας ἐπίσκοπον παρεῖναι, καὶ Μελέτιον τὸν Σεβαστουπόλεως. Plane S. Athanasius orat. 1. contr. Arianos utrumque laudat inter præcipuos Arii adversarios, καὶ τῶν μεγάλων, Βασιλείου καὶ Μελετίου, καὶ Λογγιανοῦ, καὶ ὧν σὺν αὐτοῖς τῶν ἀπὸ τῆς Ἀρμενίας καὶ Πόντου, *Magnorum quoque Basilei & Meletii & Longiani scripta, & reliquorum cum ipsis de Ponto & Armenia.* Quamquam erumpentem saltem Arii hæresim Basileus impugnaverit, circa annum 322. vel 323. quo martyr occubuit, eodemque ipso, quo Licinius à Constantino victus prostratusque periit. Concilio Ancyrano, quod anno 314. habitum est, subscriptus legitur *Basileus episcopus Amasiæ Hellesponti*, emendandum *Helenoponti.* Neocæsariensi perinde, *Basileus Amaseæ Hellesponti*, vel *Armeniæ majoris.* Ea scilicet Ponticæ regionis pars illo tempore, Armenia quoque major appellabatur; quod Indices Patrum Nicænorum à Labbeo & Pithœo editi confirmare videntur. Verum in Quesnelliano canonum indice Armeniæ majoris episcopi ab episcopis Helenoponti secernuntur, etsi tamen amanuensis Latinus multiplici in illo exarando errore peccavit. Sic enim habet:

ARMENIÆ MAJORIS.

Arestecisus Diospont. Aeretis.
Helenus Ponti.
Helpideus Comanensis.
Eutychus Amasiæ.

Ubi pro *Helenus Ponti*, omnino legendum *Helenuponti*, Ἑλενουπόντου, vel *Helenoponti*, provinciæ scilicet. Ut vero ad Basileum redeam, corpus ejus Nicomedia Amaseam relatum fuit.

V. Eutychius.

Basileo utique, ut in ejus vita fertur, n. 10. *Eutychius* suffectus fuit, quem ille dum martyrio functurus erat, Elpidophoro & clericis qui aderant, Eutychium Callistrati filium designavit, qui sibi succederet. Id quippè sibi à Domino significatum esse. Ὑμεῖς οὖν ἀδελφοί, inquit, καὶ ἐν Χριστῷ ὑποστρέφοντες, εἰπεῖν ἔχετε τοῖς ἀδελφοῖς, Εὐτύχιον τὸν Καλλιστράτου λήψεσθε μετ' ἐμὲ ἐπίσκοπον. οὕτως γάρ μοι ὁ Κύριος ἐφανέρωσεν. Adjecit, Eutychium effecturum, ut, Deo donante, corpus suum ipsis demum reddatur. Eustratius Constantinopolitanus presbyter in Refutatione eorum *qui negant animas statim atque corporibus propriis solutæ sunt, operari*, hanc vitæ S. Basilei partem integram recitat. Scribebat Eustratius post sexti sæculi medium. Atqui jam monui, in Nicænorum Patrum Indice codicis Quesnelliani inter episcopos Helenoponti censeri *Euthychium Amasiæ*; qui *Eutychianus* in aliis scribitur.

VI. Eulalius.

VII. * * * *Arianus.*

VIII. Eulalius *secundùm.*

Valente Imper. sedebat *Eulalius* Amaseæ in Ponto episcopus, eximiæ vir modestiæ & sanctitatis, ὁ Εὐλάλιος ὁ ἐν Ἀμασείᾳ, τῇ πρὸς τῷ Πόντῳ ἐπίσκοπος, qui quum Fidei causa sub Valente relegatus esset, eo defuncto, data à Gratiano Imp. lege, ut catholici episcopi ecclesias suas recuperarent, ad suam reversus, episcopum alterum quem Ariani sui loco constituerant, obsecrare non dubitavit, ut eamdem quam ipse profitebatur Fidem amplexando, populum civitatis regere pergeret: cui hæreticus abnuens ultro discessit. Hæc Sozomenus lib. 7. cap. 2.

IX. Asterius.

Eulalium excepit *Asterius*, qui Scythæ cujusdam non indocti, quem civis Antiochenus emerat, & literis imbuerat, discipulus primùm fuit. Quum ejus homiliæ aliquot exstent, quas Comfibesius tom. 1. Auctarii Biblioth. PP. Græcorum edidit, in ea quam *De avaritia* pronuntiavit, se ætate Juliano Apostatæ vicina vixisse significat, ubi multos spe magistratuum, regiæque munificentiæ largitionum à divina religione defecisse queritur. *Sunt enim*, inquit, *quorum nostra tempora experimentum præbuere. Quum Augustus ille, qui repente posita christiani persona quam gestaverat*, ἔτι δὴ σε, ὁ καθ' ἡμᾶς βίος ἐν τῇ πλείᾳ παρέδωκεν. ὅτε γὰρ ὁ καθ' ἡμᾶς βασιλεὺς ἀπελθὼν, ὁ τὸ προσωπεῖον τοῦ χριστιανοῦ ἄθεον ἀποτιθεὶς, *tunc ipse Dæmoniis nullo pudore sacra fecit, alios item variis propositis præmiis ad scelus idem invitavit.* In fine homiliæ *De festo Kalendarum*, se rursum eo tempore vivere ait, quo Consules duo ad ordinem redacti erant, aperte Rufinum & Eutropium significans, qui Arcadio Imperatore dignas flagitiorum suorum pœnas persolverant. Ex quibus apparet, eum in vivis fuisse sæculo quarto labente & quinto ineunte; atque adeo S. Joannis Chrysostomi æqualem. Ejus homilias Photius laudat, magnique facit in Biblioth. cod. 271.

ECCLESIA AMASEÆ.

X. Palladius.

In Ephesina synodo sedit, ejusque definitionibus subscripsit *Palladius episcopus Amasiæ*, Παλλάδιος ἐπίσκοπος Ἀμασείας.

XI. Meletius I.

XII. Seleucus.

Constantinopolitanæ S. Flaviani synodo, in qua Eutyches hæreticus pronuntiatus est, aderat *Seleucus episcopus Amaseæ Helenoponti*; Σέλευκος χάριτι Θεοῦ ἐπίσκοπος Ἀμασείας τῆς Ἑλενοπόντου; qui mox adfuit perinde illi con- B ventui, in quo ejusdem synodi acta relecta sunt coram Thalassio Cæsariensi, convictusque iterum erroris Eutyches fuit. Anno autem insequenti ad Ephesinam synodum secundam venit, impiique Dioscori pro Eutyche, & in S. Flavianum Constantinopolitanum & Eusebium Dorylæi decretis volens nolens suffragatus est. Quod tamen post biennium emendavit in concilio Chalcedonensi, decretis illius subscribens actione præsertim VI. Σέλευκος χάριτι Θεοῦ ἐπίσκοπος πόλεως Ἀμασείας, *Seleucus gratia Dei episcopus civi-* C *tatis Amaseæ*. Ad ipsum ut ad alios metropolitas Leo Augustus literas sacras misit de nece S. Proterii Alexandrini, ipseque coacta provinciæ suæ synodo cum suffraganeis suis ea qua par erat Fidei sinceritate Principi rescripsit. Mentio ejusdem Seleuci, illiusque de- MELETIUS cessoris *Meletii* habetur in vita S. Eutychii Constantinopolitani, qui in monasterio Amaseæ religiosum institutum coluerat. *In hac civitate Amasenorum sanctum est monasterium, quod sanctissimi quondam episcopi, Meletius, Uranius & Seleucus ædificandum curaverunt,* D *quandoquidem Meletius, & Seleucus, quum sanctissimam Amasenorum rexissent ecclesiam*, οἱ μὲν δύο, Μελέτιος φημὶ, καὶ Σέλευκος, τὴν τῶν Ἀμασέων ποιμάναντες ἁγιωτάτην ἐκκλησίαν, *in ea sanctè dormierunt; & hucusque miracula operantur.* Quocirca miraculum recitat, quod S. Seleuci invocatione patratum erat. Ubi apparet Meletium in Amasenorum ecclesia regenda Seleuco præivisse. Quod Uranium spectat, alterius civitatis episcopus fuit, Iborum scilicet ut suo loco dicetur.

XIII. Stephanus I.

Quintæ synodo generali interfuit & subscripsit *Stephanus misericordia Dei episcopus Amasenorum claræ metropolis*. Hic utique est ille Amaseæ metropolita, qui corporis infirmitate ad synodum quamprimum venire prohibitus, Eutychium delegavit, qui suas in ea vices suppleret. Verum Eutychius ipse statim à suo in urbem Regiam appulsu, Menna Patriarcha defuncto, nulla mora, nondum in- A choata synodo, ejus in locum suffectus est. Quapropter Stephanus Eutychii promotione audita, receptaque salute, ad concilium venit, cujus celebratio aliquantùm dilata erat; tum propter novi Patriarchæ electionem; tum ob Vigilii Papæ & Occidentalium querelas, quibus non arrideret Tria capitula famosa damnari. Vita S. Eutychii inter acta SS. April. 6.

XIV. Joannes.

In Sexta synodo sedit & subscripsit *Joannes episcopus Amaseæ metropolis Helenoponti.* B Ἰωάννης ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Ἀμασείας μητροπόλεως τῆς Ἑλενουποντίων.

XV. Theodorus.

Quintæ synodi canonibus subscriptus unà cum provinciæ suæ episcopis extra metropolitanorum seriem legitur. Θεόδωρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος πόλεως τῆς Ἀμασέων τῆς Ἑλληνοποντίων (leg. Ἑλενουποντίων) *Theodorus indignus episcopus civitatis Amasenorum provinciæ Helenopontiorum.* In catalogo librorum manu exa- C ratorum R. Domini Constantini Barini qui cum aliis anno 1577. Argentorati editus est, habetur *Theodori episcopi Amasiæ explicatio in Ecclesiasten & Cantica canticorum.* Nec non *ejusdem Theodori Amasiæ dogmatica Panoplia contra Judæos, Armenios & Saracenos.* Obscurum tamen est, an illius Theodori Amaseæ sint qui Trullanis illis canonibus subscriptus fertur; quando nempe hosce libros consulere mihi non licuit.

XVI. Daniel.

D Septimæ synodo generali adfuit & subscripsit *Daniel episcopus Amasiæ*; Δανιὴλ ἐπίσκοπος Ἀμασείας.

XVII. Theophylactus.

Inter acta SS. tom. 1. Martii pag. 886. Græcè editum est compendium vitæ *S. Hesychii Andrapeni Thaumaturgi* ex Synaxario Petri Francisci Chifletii è Soc. Jesu, in cujus fine corporis illius translatio his verbis narratur: Ὅτε τὰ σκῆπτρα τῆς βασιλείας Κωνσταντῖνος σὺν Εἰρήνῃ ἐκυβέρνα, ἐν ἔτει ϛτʹ. ὁ τὴν ἐπισκοπὴν E Ἀμασείας ἰθύνων Θεοφύλακτος, τὸ ἱερὸν σκῆνος τοῦ παμμακαρίου Ἡσυχίου ἐν τῷ δεξιῷ μέρει τοῦ θυσιαστηρίου μετέστησεν, ἐν ᾧ καὶ μέχρι τοῦ παρόντος τιμώμενον ἐδείκνυται. *Anno 6300. Constantino cum Irene Imperium gerente, sacrum S. Hesychii corpus à Theophylacto Amaseæ episcopo translatum est ad dextram altaris partem, ubi & in hodiernum diem veneratione habitum cernitur.* Annus Mundi Constantinopolitanus 6300. incidit in Christi 792.

ECCLESIA AMASEÆ.

XVIII. Nicephorus.

Octavæ ſynodo generali adfuit quoque & ſubſcripſit *Nicephorus miſericordia Dei epiſcopus Amaſeæ,* qui vel à S. Methodio, vel à S. Ignatio ante Photii tyrannidem ordinatus erat.

XIX. Stephanus II.

Anno 925. *Stephanus* eunuchus ex Amaſeæ metropolita Conſtantinopolitanus Patriarcha renuntiatus eſt, ſub Conſtantino & Romano Lecapeno Imperatoribus, Στέφανος εὐνοῦχος ὁ Ἀμασείας μητροπολίτης. Cujus tranſlationis, præter patriarcharum catalogos, Leo Grammaticus, pag. 592. Joannes Scylitzes, Cedrenus, Zonaras & alii Byzantinarum rerum ſcriptores meminere. Item Niceph. Calliſtus lib. 14. hiſt. cap. 39.

XX. * * *

Anno M. 6574. menſis Aprilis die 26. fer. 4. Indict. IV. Chriſti 1067. Joanne Xiphilino patriarcha ſynodus habita eſt, in qua de ſponſalibus nonnulla ſancita ſunt. Conventu finiente advenerunt metropolitæ *Amaſenus, & Melitenenſis,* & quidam alii, ἐλθόντων δὲ ἐν ὑστέρῳ τοῦ Ἀμασείας, τοῦ Μελιτηνῆς. Jur. Græco-Rom. lib. 2. pag. 211.

XXI. * * * Leo.

Sub Luca Chryſoberge patriarcha menſe Martio die 10. fer. 2. hoc eſt anno Chriſti 1156. lit. Dom. B. ſynodale decretum latum eſt, ne clerici morientium epiſcoporum, aliave eccleſiarum bona ſibi vindicarent. Aderat *metropolita Amaſeæ,* τοῦ Ἀμασείας: quem permirum eſt inter illos præſules non recenſeri qui eodem anno Soterichum Panteugenum Antiochiæ patriarcham electum damnaverunt. Ibid lib. 4. pag. 282.. Sub eodem Luca patriarcha in frequenti concilio deſinitum eſt, Alamanos, qui Chriſtum humanitate minorem Patre dixerunt, de ejus deitate rectè ſentire. Aderat *Leo metropolita Amaſeæ.* Allat. lib. 2. De conſenſ. cap. 12. Atqui Leo Amaſeæ metropolita ſedit in altera ſynodo ſub Michaële Anchiali patriarcha, quæ habita eſt anno 1171. Indict. IV. in qua nempe vetitum eſt, *ne clerici ex aliena diœceſi crearentur,* Λέοντος Ἀμασείας. Jur. Græco-Rom. lib. 3. p. 227. Theodorus Balſamon in expoſitionis ſuæ Nomocanonis Photii præfatione, Leonis metropolitæ Amaſeæ meminit, cujus cauſa ſe commentarium illum edidiſſe ſignificare videtur, necnon Conſtantinopolitano tunc patriarcha ſuo Michaële Anchiali. ἐπὶ τῇ ὑποθέσει τοῦ μητροπολίτου ἐκείνου Ἀμασείας κυρίου Λέοντος; περὶ τὸ παρὸν ἀπολμήσαμεν πόνημα. Agebatur ſcilicet de ſede Amiſſi

A quæ annum jam integrum viduata manſerat, utque epiſcopus in ea à Leone metropolitano conſtitueretur, tribus vicibus, ut jure præſcribitur, à Michaële patriarcha Leo admonitus fuerat, quo cunctante epiſcopum ordinare non dubitavit Michaël, juxta atque Leonis Sapientis Imp. edicto ſancitum erat. Ita rurſus Balſamon in cap. 9. tit. 1. Nomocanonis.

XXII. Michael.

In Jur. Græco-Rom. lib. 4. pag. 295. & apud Nicephorum Calliſtum lib. 14. cap. 38.
B fertur: *ſub ſanctiſſimo Patriarcha Domno Michaële* (Anchiali ſcil.) *præſentibus Antiocheno & Hieroſolymitano, & Imperatoriis magiſtratibus in ſynodo, Michaël quidam Amaſeæ epiſcopus renuntiatus eſt,* Μιχαήλ τις ἐπίσκοπος ἐπικηρυχθεὶς Ἀμασείας, *qui deinde ac ſi epiſcopatu vacaret, Ancyranam ſedem accepit, poſtea Ceraſûntem tranſlatus, hujuſque throni compos factus, ad inferiorem gradum detruſus eſt.* Locum integrum recito, quem jam protuli in epiſcopis Ancyræ & Ceraſûntis.

XXIII. * * *

C Iſaacius Angelus Imp. menſ. Sept. die 10. fer. 4. Ind. V. ſive anno Chriſti currente 1187. coacto metropolitarum conventu, lege ſanxit, irritas electiones epiſcoporum futuras, ad quas vocati non eſſent epiſcopi qui in urbe agerent. Aderat cum aliis *Amaſenus.* ὁ Ἀμασείας. Jur. Græco-Rom. lib. 11. pag. 174.

XXIV. Stephanus III.

Synodo Georgii Xiphilini Patriarchæ, in qua tractatum eſt *De juribus territoriorum,*
D menſe Feb. die 13. fer. 2. Indict. XV. ſive anno Chriſti 1197. adfuit *Stephanus Amaſeæ,* Στεφάνου Ἀμασείας. Ibid. lib. 4. p. 283.

XXV. * * *

In ſynodo Calliſti Patriarchæ, in qua Palamitarum errores confirmati ſunt, ſedit metropolita Amaſeæ, ὁ Ἀμασείας, qui & ſubſcripſit, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Ἀμασείας καὶ ὑπέρτιμος. Nomen ejus proprium excidit. Auct. noviſſ. Bibl. PP. Græc. pag. 170.

XXVI. Joasaph.

E In concilio Ferrarienſi & Florentino ſedit & Unionis Decreto ſubſcripſit, *metropolita Amaſeæ Joaſaph,* ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Ἀμασείας Ἰωάσαφ.

XXVII. * * *

Metrophanes II. ex Cyziceno metropolita Conſtantinopolis patriarcha factus, quum unionem quæ Florentiæ cum Romana eccleſia ſancita erat, ſanctè coleret, metropolitas

quatuor suæ Fidei tenaces ordinavit in Imperio A Trapezuntino, *Amaseæ, Neocæsareæ, Tyanis & Mocessi;* de quo, Arsenio Cæsariensi instigante, tres Orientis Patriarchæ in ea sententia expostularunt, quam in Metrophanem ipsum tulisse feruntur, anno M. 6851. Indict. VI. mense Aprili, ann. Christi 1443. *κεχειροτόνηκε μητροπολίτας καὶ ἐπισκοπίδια πρὸς τε τὴν Ἀμάσειαν δηλονότι, καὶ Νεοκαισαρείας, Τύανα καὶ Μωκησοῦ, τὰ τοῖς Λατίνοις πάντα φρονοῦντα.* Allat. lib. 3. De cons. cap. 4.

XXVIII. DANIEL.

Pseudo-synodo illi quæ Sophiana dicitur, in qua tum Gregorius ex Protosyncello Patriarcha CP. quin & Joannes Imp. tamquam Ecclesiæ perduelles, ob initam Florentiæ cum Romana Ecclesia unionem, diris esse devoti feruntur, atque Athanasius in Gregorii locum creatus, adfuisse legitur *Daniel Amaseæ episcopus.* Δανιὴλ ἐπίσκοπος Ἀμασείας. Allat. De consens. col. 1387.

XXIX. * * *

Synodo quam Hieremias Patriarcha statim C à promotione sua anno 1572. coëgit Simoniæ cohibendæ causa, intererat *Metropolita Amasiæ,* τοῦ Ἀμασείας. Hist. Eccl. Turco-Gr. lib. 11. p. 179.

XXX. JOASAPH II.

Inter episcopos, quos Stephano Gerlachio Constantinopoli agente nomina sua in Chartis scripta dedisse vel misisse Martinus Crusius refert lib. 7. Turco-Gr. p. 507. legitur Ὁ μητροπολίτης Ἀμασείας Ἰωασὰφ, ὑπέρτιμος, καὶ ἔξαρχος πάντος Πόντου Εὐξίνου ζπγ'. Ἰνδικτιῶνος γ'. *Metropolita Amaseæ Joasaph, Hypertimus, & Exarchus totius Ponti Euxini, anno 7084. Indict. III.* D Crusius observat: *Ponit Indictionem III. quæ aliunde est secunda.* Annus vero Mundi 7084. Græcis, nobis est Christi 1576.

XXXI. GREGORIUS.

Cyrillo Lucari anno 1621. mense Novembri, Constantinopolitana sede prima vice ejecto, & in Rhodo insula exsulanti, suffectus est, *Gregorius Amaseæ episcopus unoculus,* ἀντ' αὐτοῦ εἰσήχθη ὁ μονόφθαλμος Ἀμασείας Γρηγόριος, qui post tres menses Byzantina quoque sede exactus in exsilio periit. ECCLESIA AMASEÆ.

XXXII. ZACHARIAS.

Dositheus Hierosolymitanus lib. 11. de patriarchis Hierosolymitanis cap. 9. parag. 2. *Zachariam Amaseæ* Cyrilli Berrhœensis patriarchæ assectatorem, consiliorumque participem fuisse prodit, sed impii Lucaris artibus in exsilio interiisse. εἶτα φατριάσας ὁ Βεῤῥοίας Κύριλλος ἅμα τῷ Ἀμασείας Ζαχαρίᾳ, ἐπα-
B τριάρχευσεν αὐτὸς ὁ Βεῤῥοίας... ἀποθανόντος δὲ ἐν τῇ ἐξορίᾳ τοῦ Ἀμασείας.

XXXIII. EZECHIEL.

Ex literis ordinationis Laurentii Cassandriæ, consecratus ille fuit à Parthenio Constantinopolitano patriarcha, Meletio Ephesino, Joanne Heracleensi, Mauricio Ternobensi, *Ezechiele Amaseno,* τοῦ Ἀμασείας κυροῦ Ἐζεκιὴλ, Acacio Naupactensi & Damasceno Bizyæ metropolita.

XXXIV. MELETIUS II.

Inter episcopos, quos Leo Allatius lib. 3. De consens. cap. 11. Romam ætate sua ante sæculi 17. medium Romam venisse refert, ut Apostolicæ sedis communionem captarent, legitur *Meletius metropolita Amaseæ.*

XXXV. GERASIMUS.

Responsioni Dionysii patriarchæ super Calvinistarum erroribus, datæ anno 1672. subscripsit ὁ Ἀμασείας Γεράσιμος. *Gerasimus Amaseæ.*

XXXVI. AGAPETUS.

XXXVII. DIONYSIUS.

Amaseæ metropolita *Agapetus* anno 1721. sedebat, cui successit Dionysius. De quo DIONYSIUS.
Demetrius Procopius in præsentis sæculi eruditis Græcis hæc habet: Διονύσιος Λέσβιος μητροπολίτης Ἀμασείας, *Dionysius Lesbius, Amaseæ metropolita, linguæ Græcæ, ecclesiasticæ eruditionis, rituum, ordinationumque peritus, qui in divinis sacrisque Scripturis legendis operam impendit, sed & Evangelium magno zelo & caritate prædicat & explicat.*

II.
ECCLESIA IBORORUM.

IBORA, Ἴβορα, voce plurali neutra, Helenoponti civitas est, in Notitia Hieroclis, ut in Novella Justiniani Imp. necnon apud Constantinum Porphyrogennetum lib. *De Thematibus,* part. 1. Them. 2. quod *Armeniacum* dicitur; sed vetustioribus Geographis nulla ejus est mentio. Cæterum urbis hujus civis fuit insignis ille asceta Origenianæ doctrinæ studiosus *Evagrius* Ponticus, ut Sozomenus refert lib. 6. hist. cap. 30. ἐγένετο δὲ τῷ μὲν γένει Ἰβήρων (leg. Ἰβόρων) πόλεως, πρὸς τῷ καλουμένῳ Εὐξείνῳ Πόντῳ. Quo testimonio saltem

ECCLESIA IBORORUM. constat, Ibora ad mare sita fuisse. In Notitiis aliis Helenoponti perinde censetur. In ea autem quæ Leonis Sapientis Imp. nomine inscribitur, Πιμόλισα, *Pimolissa,* quoque nominatur. ὁ Ἰβόρων, ἤτοι Πιμολίσης, *episcopus Iberorum, sive Pimolissæ.* Annon forsan ipsa est quæ Ptolemæo Πλευμάταις, *Pleumatais!* pro quo quidam codices habent, sed nihilo fortassis meliori lectione, Πλεύραμις, *Pleuramis.*

EPISCOPI IBORORUM.

I. ARAXIUS.

QUo tempore S. Macrina SS. Basilii & Gregorii Nysseni germana soror in terris vivere desiit, anno scilicet 380. Iberorum civitatis in cujus territorio illa agebat, episcopus erat *Araxius,* qui funus illius curavit. Quod testatur Nyssenus in vita ejusdem S. Macrinæ. *Quum paulatim,* inquit, *progrederetur dies, & locus præ confluentium multitudine angustus fieret,* ὁ τῶν τόπων ἐκείνων διὰ B τῆς ἐπισκοπῆς προεστὼς, Ἀράξιος ὄνομα, παρῆν γὰρ σὺν παντὶ τῷ τῆς ἱερωσύνης πληρώματι, *qui locis illis episcopus præerat Araxius nomine (aderat enim cum universo sacerdotum cætu) præcepit ut sensim tabernaculum præiret.* Illato corpore in ecclesiam quæ SS. Quadraginta Martyrum nuncupatione Deo dicata erat, in qua parentum illius sacra pignora quiescebant; *Ego,* ait Nyssenus, *& regionis episcopus ille cujus mentionem feci,* ἐγώ τε καὶ ὁ μνημονευθεὶς τῶν τόπων ἐπίσκοπος, *corpus è fere-* C *tro tollentes juxta matrem apposuimus, atque ita utriusque votum complevimus, &c.*

II. PANTOPHILUS.

Araxio eodem, ut apparet, anno 380. vel in sequentis primis mensibus defuncto, successit *Pantophilus.* Nam in Indice episcoporum synodi Constantinopolitanæ generalis prioris censetur, *de Provincia Ponti Amasiæ Pantophilus Iborensis.*

III. URANIUS.

Monasterii Amaseni fundatorum unus fuit *Uranius,* qui subinde Iberorum episcopus factus est, & sanitatum prodigiis claruit, uti mox vidimus in Seleuco Amasiæ metropolita, & Meletio, ex vita S. Eutychii Constantinopolitani. *Uranii porro qui Iberorum thronum ornavit, ibique vivere desiit,* Οὐρανίου δὲ τὸν ἐν Ἰβόροις θρόνον διακοσμήσαντος, κἀκεῖσε τελειω- A θέντος, *usque in præsens sepulcrum sanitates operatur. Quod manifestum fit per infirmos, qui singulatim, non pro sua quisque dignitate, sed prout advenire contingit, illuc ingrediuntur, & adducuntur, atque à morbis exemti currunt, glorificantes Dominum.* Atqui Uranius tempore Chalcedonensis concilii sedebat, ad quod Paulum presbyterum delegavit, qui vices suas gereret, Παύλου πρεσβυτέρου ἐπέχοντος τὸν τόπον Οὐρανίου ἐπισκόπου Ἰβόρων. B Pro eo itaque Paulus passim synodi decretis subscripsit. Sed & Uranius ipse subscriptus legitur epistolæ synodi provinciæ Helenoponti ad Leonem Imp. anno 458.

IV. THEODORUS.

In Sexta synodo generali sedit *Theodorus episcopus Iberorum,* Θεοδώρου ἐπισκόπου Ἰβόρων, qui in Latina translatione ad hunc modum subscriptus legitur, *Theodorus Dei gratia episcopus Hellesponti provinciæ* (emend. C *Helenoponti.*) Ejus nomen abest in textu Græco priorum actionum concilii, ut & Theodori Trapezûntis: omninò autem in secunda.

V. PHOTIUS.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus legitur Φώτιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος πόλεως Ἰβόρων Ἑλληναπόντου, legendum Ἑλενοπόντου. *Photius indignus episcopus Iberorum Helenoponti.*

D

VI. PAULUS.

In Octava synodo generali sedit & subscripsit, *Paulus misericordia Dei episcopus Hyberorum,* seu meliùs *Iberorum.*

VII. NICOLAUS.

In pseudo-synodo Photiana post S. Ignatii obitum *Nicolaus Iberorum,* Νικολάου Ἰβόρων. *Nicetas* dicitur in subscriptionibus Νικήτας Ἰβόρων.

III. ECCLESIA AMISI.

AMISSUS, Ἀμισσὸς, vel *Amisus* Ἀμισὸς, *Græca civitas,* Arriano in Periplo, *Atheniensium Colonia,* Ἀμισὸς πόλις Ἑλληνὶς, Ἀθηναίων ἄποικος, ἀξιόλογος *insignis* Straboni, Pontici quondam regni caput, ad mare posita fuit. *Sinope ad noningenta stadia distat,* ait idem Strabo, *quam Theopompus refert primum Milesios, subinde Cappadocum principem condidisse, deinde ab Athenocle & Atheniensibus habitatam, & Piræa nominatam. Post vero Reges occuparunt. Eupator eam templis ornavit, partem muris instruxit. Hanc Lucullus obsedit, deinde Pharmaces*

Bosporo trajecto. Antonius autem Regibus dedit, à D. Cæsare liberatam. Tamdem à Stratone tyranno vexata, post res Actiacas ab Augusto Cæsare liberata est, & optime constituta, quæ cæteram regionem optimam habet, &c. Liberam factam testatur Plinius lib. 6. cap. 2. quam in Paphlagonia penè collocat, ut & Ptolemæus: *Oppida, Gangræ, Carissa, Amisum liberum à Sinope* CXXX. *m. pass.* Paulo post addit: *Amiso junctum fuit oppidum Eupatoria, à Mithridate conditum; victo eo, Pompeiopolis utrumque appellatum est.* In Notitia Hieroclis *Amissus*, Ἀμισσός, Helenoponti censetur, & in Notitiis aliis, quemadmodum & in Novella 28. Justiniani, & lib. Constantini Porphyrogenneti *De Themat.* part. 1. Them. 2. Suos prisca ætate martyres Christi Amisus habuit, inprimisque mulieres, quas ex Menologiis 20. Martii sub Antonino passas ferunt: alii sub Diocletiano. Acta S. Andreæ Græca, quæ apud me habeo, Apostolum hunc Aminsi bis prædicasse ferunt. καὶ πρῶτον μὲν Ἀμινσὸς αὐτὸν ὑπεδέχετο.... καὶ τῇ Ἀμινσῷ πάλιν πρόσεισι.

ECCLESIA AMISI.

EPISCOPI AMISI.

I. Antonius.

In Indice Latino Patrum Chalcedonensis synodi, *De provincia Helenoponti* adfuisse illi legitur *Antonius Amissensis per Olympum Diaconum.* In collectione Baluz. col. 1220. subscriptus reperitur *Helpidius presbyter vices agens reverendissimi Antoniani,* alias, *Antonini episcopi civitatis Amissu* (Sic) Ἀμισσοῦ scilicet. Act. 1. Græcus contextus habet adfuisse *Antonianum Aminsi,* sive *Amissi,* Ἀντωνιανοῦ Ἀμινσοῦ.

II. Erythræus.

Epistolæ synodi provinciæ Helenoponti ad Leonem Imp. subscripsit *Erythrius* (sive Erythræus) *episcopus Amisi.*

III. Florus.

Græci in Menæis die 18. Decemb. memoriam agunt *S. Flori Episcopi Aminsi,* τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Φλώρου ἐπισκόπου Ἀμινσοῦ, qui sedebat sub Justino juniore, Tiberio & Mauritio Impp. ἐπὶ Βασιλείας Ἰουστίνου τοῦ νέου, καὶ Τιβερίου, καὶ Μαυρικίου. Constantinopoli ex patre Floro & Euphemia matre natus, sacrarum profanarumque literarum peritus, quum ducta uxore filios procreasset, monasticæ posthac vitæ nomen dedit, atque Amissi episcopus factus, ecclesiam sibi creditam dignè, nec sine miraculis administravit.

IV. Tiberius.

A In Sexta synodo sedit subscripsitque *Tiberius episcopus Amissi provinciæ Helenoponti,* Τιβέριος ἐπίσκοπος πόλεως Ἀμισοῦ τῆς Ἑλληνοποντίων (Ἑλενοποντίων) ἐπαρχίας.

V. Leo.

In Septima *Leo episcopus Amisi,* Λέων ἐπίσκοπος Ἀμισοῦ.

VI. Basilius.

In Pseudo-Photiana post S. Ignatii patriarchæ obitum, *Basilius Aminsi,* Βασιλείου Ἀμινσοῦ, Βασίλειος Ἀμινσοῦ.

B

VII. ***

In ecclesia Amaseæ, ut in Leone metropolita dixi, tempore Michaëlis Anchiali Patriarchæ & Manuëlis Comneni Imp. vacante anno integro Amisi ecclesia, à patriarcha Leoni injunctum terna vice fuisse, ut episcopum in ea constitueret; quod quum ille detrectaret, unus quispiam, cujus nomen omissum est, ab ipsomet patriarcha pontifex hujus urbis ordinatus fuit, juxta atque Leonis Sapientis Imp. lege edictum erat. Hæc Balsamon in Nomocanonem Photii tit. 1. c. 9.

IV.

ECCLESIA SINOPES.

Sinope, Σινώπη, clarissima Ponti civitas, à veteribus Paphlagoniæ attributa est, juxta mare scilicet posita, in peninsula, quæ Straboni ab Harmene stadiis quinquaginta distare dicitur, ab Arriano autem in Periplo, Amiso stad. 1020. Hanc Milesii condiderunt, quumque libera esset, Pharnacis, ejusque successorum jugum subiit ad Eupatorem usque ac Romanos, qui Eupatorem sustulerunt. Eupator nempe ibi natus & educatus, eximie eam coluit, regiamque suam fecit, ut rursus narrat Strabo. Plinio quoque Paphlagoniæ censetur; *Colonia Sinope à Citoro 164. m. distans.* At Helenoponto assignatur in Notitia Hieroclis & aliis, atque in Novella Justiniani 28. à Constantino vero Porphyrogenneto Cappadociæ tertiæ. *Sinabe* Turcis hodieque dicitur. In actis S. Andreæ Apostoli quæ apud me manu doctissimi Combefisii exarata habeo, Matthias primum Apostolus, deinde Andreas Sinopensibus Evangelium prædicavit, sacerdotes ordinavit.

ECCLESIA SINOPES.

EPISCOPI SINOPES.

I. Philologus.

GRæci in Menologio die 4. Novembris memoriam agunt SS. Patrobæ, Hermæ, Lini, A Caii & *Philologi*, quorum Paulus cap. 16. Epiſt. ad Romanos meminit; Philologum aiunt Sinopes epiſcopum creatum à S. Andrea Apoſtolo. Plane ex Actis ejuſdem S. Andreæ, quæ mox appellabam, ſanctus hic Apoſtolus cum germano ſuo fratre Petro, μετὰ τοῦ συγγόνου αὐτοῦ, Sinopenſibus prædicavit; cujus prædicationis monumentum lapideum ibidem ſupererat. Complures ex Judæis qui urbem incolebant, miraculis apud eos editis ad Chriſtum adduxit, è quibus aliquot ſacerdotio initiavit, qui vita & moribus probatiores erant, ὧν τοὺς δοκιμωτέρους ἱερέας B κατέστησεν. Poſt, Sinopen regreſſus, Philologum epiſcopum conſtituit. ἑδραιοτέρους πάλιν καταστήσας πρὸς θεοσέβειαν, Φιλόλογόν τε προχειρισάμενος αὐτοῖς ἐπίσκοπον, ἀπέπλει πρὸς τὸ Βυζάντιον.

II. Phocas *martyr*.

Martyrologium Romanum die 14. Julii hæc habet: *Sinope in Ponto S. Phocæ martyris ejuſdem civitatis epiſcopi, qui ſub Trajano Imp. carcerem, vincula, ferrum, ignemque pro Chriſto ſuperans, evolavit ad cælum; cujus reliquiæ Viennam in Gallia delatæ, in baſilica SS. Apoſtolorum conditæ ſunt.* Hæc C ex Adone Viennenſi epiſcopo tranſcripta ſunt: ſed longe plura Græci in Menologio, ubi aiunt Phocam Sinope natum & educatum, Trajani temporibus prodigia multa edidiſſe, Amaſeæ quoque & Amiſi; deinde Sinopen regreſſum, ejuſdem urbis ordinatum eſſe epiſcopum; Poſthac autem à lictoribus ab Imperatore miſſis comprehenſum, igne martyrum obiiſſe. Atqui Phocas Sinopes epiſcopus dicitur in Synaxariis quoque Græcorum. Sic Baſilianum die 22. Septembris: *Certamen S. Hieromartyris Phocæ epiſcopi Sinopes.* Ita certe ferunt martyrii illius Acta, D quæ eruditiſſimi Bollandi Continuatores t. 3. Julii edidere, in quibus Phocas Sinopenſium paſtor, adeoque epiſcopus dicitur. πολλῶν γὰρ συναρπασθέντων ἐκ τῆς ἀγέλης τῶν χριστιανῶν, ὥσπερ τις πολύτιμον λίθον ἀναζητεῖ μετὰ φίλων αὐτοῦ καὶ συγγενῶν, οὕτως ἐζήτει τὸν εὐσεβῆ καὶ ὅσιον ποιμένα. *Multis è chriſtianorum grege abreptis, ſicut aliquis pretioſum lapidem cum amicis & cognatis ſuis quærit, ſic quærebat præfectus pium ſanctumque paſtorem.* Tota actorum iſtorum ſerie narrantur quæ ſanctus epiſcopus dixerit geſſeritque, & paſſus fuerit coram Africano præfecto & Trajano Imper. Acta porro illa ex codice Vaticano vetuſta ſatis ſunt, ut pote cum Latinis S. Maximini Treverenſis, & aliis conſona. Verum multiplici A titulo ſubleſtæ fidei ſunt, eoque maxime, quod Trajanum Chriſti deitatem confeſſum, tertio poſt die gravi morbo interiiſſe fabulantur, ac quidem in urbe Sinope. Attamen ſi ſanctum hunc Phocam urbis hujus præſulem fuiſſe verum eſt, apprime prorſus ſecernendus erit à ſancto altero Phoca Sinopenſi hortulano, in cujus laudes ſanctus Aſterius Amaſeæ ſæculo quarto labente metropolita orationem ſingularem habuit. Cæterum ſanctus Phocas Sinopes epiſcopus in actis illis Græcis, de quibus modo dixi, per omnem Armeniam nautarum Ponticorum patronus B habitus aſſeritur.

III. * * *

Marcionis impii hæretici ſanctiſſimus genitor Sinopes in Ponto epiſcopus erat, qui filium ob virginem ſacram ſtupro fœdatam Eccleſia ejecit, Romani quoque preſbyteri communione illum donare noluerunt, nî parentis commendatitias literas proferret. οὗτος τὸ γένος Ποντικὸς ὑπῆρχεν, Ἑλενοπόντου δέ φημι, Σινώπης δὲ πόλεως..... καὶ υἱὸς ἐπισκόπου τῆς ἡμετέρας ἁγίας καθολικῆς ἐκκλησίας. κ. τ. ε. Epiphan. hær. 42. n. 1.

IV. Prohæresius.

Epiſtolæ Arianorum epiſcoporum, qui à C Sardicenſi ſynodo Philippopolim ſeceſſerunt, ſubſcriptus legitur *Prohæreſius epiſcopus à Sinopa.* Nec dubium eſt, quin ille Prohæreſius ſit, qui inter concilii Gangrenſis præſules memoratur: *Euſebius, Aëlianus... Prohæreſius, &c.* Rurſum: *Ælianus, Prohæreſius, Euſebius, &c.*

V. Antiochus.

In concilio Chalcedonenſi ſedit & ſubſcripſit *Antiochus epiſcopus Sinopes*, Ἀντίοχος Σινώπης.

VI. Aelianus.

Epiſtolæ ſynodi provinciæ Helenoponti D ad Leonem Imp. ſubſcripſit *Aëlianus epiſcopus Sinopenſis.*

VII. Pythagoras.

In ſynodo Conſtantinopolitana ſub Menna patriarcha lecta eſt act. v. ſynodi alterius ea in Urbe celebratæ ad Joannem Patriarcham de Severo Antiocheno & aliis hæreticis devovendis, epiſtola, cui ſubſcripſerat *Pythagoras epiſcopus Sinopenſium provinciæ Helenoponti.* Πυθαγόρας ἐπίσκοπος τῆς Σινωπέων τῆς Ἑλενοποντίων ἐπαρχίας.

VIII. Sergius.

VIII. SERGIUS.

Sextæ synodo generali adfuit & subscripsit *Sergius episcopus Sinopes Helenoponti.* Σέργιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Σινωπέων πόλεως.

IX. GREGORIUS.

Septimæ synodo generali *Gregorius episcopus Sinopes.* Γρηγόριος ἐπίσκοπος Σινώπης. Hunc postea Nicetas exercitus Constantini Imp. dux, ut & Andronicum Spatharium, aliosque neci tradidit, ceu Armeniacis co-
A piis adversus Imperatorem favisset, καὶ ἄρξ Ἀνδρόνικον Σπαθάριον... καὶ ἐπίσκοπον Σινώπης, Theophanes ad annum 3. Constantini & Irenes.

ECCLESIA SINOPES.

X. THEODORUS. THEODOSIUS.

Octavæ rursum synodo *Theodorus misericordia Dei episcopus Sinopes.* Annon iste idem fuit ac *Theodosius Sinopes*, qui post S. Ignatii obitum Photianæ synodo adfuisse subscripsisseque legitur? Θεοδοσίου Σινώπης, Θεοδόσιος Σινώπης.

V. ECCLESIA ANDRAPORUM.

Andrapa, Ἄνδραπα, Paphlagoniæ veteris civitas est Ptolemæo lib. 6. cap. 4. quam *Neoclaudiopolim.* Sive Claudiopolim novam appellatam quoque fuisse ait, Ἄνδραπα, ἡ καὶ Νεοκλαυδιούπολις, quamque Olgasimonti subjicit, in Australi parte, Orientem versus. Quæ profectò illa Claudiopolis est quam Plinius l. 5. c. 14. Cappadociæ attribuit, veteri scilicet. Ab Hierocle Helenoponti censetur, ut in aliis Notitiis & Novella Justiniani Imp.

EPISCOPI ANDRAPORUM.

I. PARALIUS.

Concilio Ephesino priori adfuit *Paralius episcopus Andraporum;* quod constat ex Actis ejus Latinis apud Marium Mercatorem, omnibusque subscriptionibus Latinis & Græcis in Collectione Baluziana. Παράλιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Ἀνδραπηνῶν. Idem Paralius sedebat adhuc tempore Chalcedonensis concilii, in quo Eucharius diaconus locum ejus tenuit, & pro eo subscripsit, act. 6. Παράλιος ἐπίσκοπος πόλεως Ἀνδράπων ὁρίσας ὑπέγραψα διὰ Εὐχαρίου διακόνου, *Paralius episcopus civitatis Andraporum definiens subscripsi per Eucharium diaconum.*

II. PAULUS.

Epistolæ synodi provinciæ Helenoponti ad Leonem Imp. subscriptus legitur *Paulus episcopus Adrapenus*, lege *Andrapenus.*

III. JOANNES.

Sextæ synodo generali adfuit & subscripsit *Joannes episcopus Andrapenorum civitatis Helenoponti,* ut Latina translatione fertur; Græ-
B cè verò, Ἰωάννης ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος πόλεως Ἀνδραπηνῶν.

IV. SERGIUS.

Canonibus Quinisextæ synodi subscriptus legitur, Σέργιος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος Ἀνδράπων. *Sergius episcopus Andraporum.*

V. THEODORUS.

In Septima synodo Marinus diaconus vices
C gessit *Theodori episcopi Andraporum.* Μαρῖνος διάκονος, καὶ ἐν προσώπου Θεοδοσίου ἐπισκόπου Ἀνδράπων. *Marinus diaconus, & ex persona Theodori episcopi Andraporum.*

VI. ANTONIUS.

In Pseudo-synodo Photiana post S. Ignatii obitum sedisse legitur *Antonius Andraporum,* Ἀντωνίου Ἀνδράπων, subscriptus verò, Ἀντίοχος Ἀνδράπων, *Antiochus Andraporum.*

VI. ECCLESIA ZALICHI.

Zalichus Ζαλίχος vel Ζάλιχον, *Zalichum* Hierocli Helenoponti censetur, quam Constantinus Porphyrogennetus Them. 2. Armeniaco Themati attribuit, & inter Cappadociæ suæ tertiæ civitates numerat, cum Amasea, Iboris, Andrapis, Amiso, Neocæsarea & Sinope. In Notitiis Episcopatuum *Leontopolis* quoque dicitur, ὁ Ζαλίχου, ἤτοι Λεοντοπόλεως. Plane ad fluvium posita erit, quem Ptolemæus *Zalichum* vocat, in Paphlagonia ejus ævo fluentem, Justinianus Novella 28. *Leontopolim* demum inter civitates haberi ait, ejus scilicet ætate, quum antehac non nisi vicus esset, ut proinde sero episcopali sede donata sit.

ECCLESIA SINOPES.

EPISCOPI ZALICHI.

I. * * *

IN vita S. Eutychii Patriarchæ CP. inter Acta SS. die 6. Aprilis, narratur, voluisse metropolitam Amaseæ, aliosque *nonnullos ad Zalichi urbis episcopatum* Eutychium promovere, ἐπὶ τὸ γένεσθαι αὐτὸν ἐπίσκοπον τῆς Λαζιχηνῶν πόλεως (dubium non est quin Λαζιχηνῶν, pro Ζαλιχηνῶν scribendum sit) Quocirca metropolita Eutychium clericum fecit & lectorem, deinde diaconum, tamdem, presbyterum. Verum Dei nutu factum est, ut Zalichi sedes alteri daretur, καὶ εἰς ἕτερον μετῆλθεν ἡ τοῦ Λαζίχου (Ζαλίχου) ἐπισκοπή.

II. JOANNES I.

In Septima synodo Andronicus presbyter personam gessit *Joannis episcopi Zalichorum*, Ἀνδρόνικος πρεσβύτερος, καὶ ἐκ προσώπου Ἰωάννου ἐπισκόπου Ζαλίχων.

III. JOANNES II.

Pseudo-synodo Photianæ post S. Ignatii obitum *Joannes Zalichi*, Ἰωάννου Ζαλίχου. Ἰωάννης Ζαλίχου.

VII.

ECCLESIA ZELORUM.

ZELA Ζῆλα, nomine Græco plurali, vel femineo singulari, civitas Ponti dicitur, à qua Ζηλῖτις, *Zelitis* regio Straboni, Cappadociæ censetur Plinio c. 3. ubi de Cappadocia, *Megalopolim, Zelam, &c.* Rursum: *Iris flumen deferens Lycum, civitas Ziela intus, nobilis clade Triarii, & victoria Cæsaris;* de qua clade & victoria legendus Hirtius de bello Alexandrino, cui *Ziela oppidum est in Ponto ipso, ut in plano loco satis munitum. Tumulus enim naturalis,* inquit, *velut manu factus, excelsiore undique fastigio sustinet murum. Circumpositi sunt huic oppido magni, multique intercisi vallibus colles, quorum est editissimus unus, qui propter victoriam Mithridatis, & infelicitatem Triarii, detrimentumque exercitus nostri, superioribus locis atque itineribus sæpe conjunctus oppido, magnam in illis partibus habet nobilitatem, nec multò longius millibus passuum tribus abest à Ziela.* Hæc Hirtius. Hunc verò aggerem *naturalem, velut manufactum,* cui Zielam impositam ait, Strabo *Semiramidis tumulum* vocat. *Zelitis regio habet Zela civitatem,* ἐπὶ χώματι Σεμιράμιδος τετειχισμένην, *in aggere Semiramidis muro cinctam, in qua Anaïtidis fanum, quæ ab Armeniis colitur;* quibus innuit tumulum illum verè manu-factum fuisse. Quidquid id est; Zela Ponti Polemoniaci, adeoque Cappadociæ veteris urbs est Ptolemæo, tertia Helenoponti Hierocli, ut & Justiniano. In vita S. Eutychii CP. urbecula est Amaseæ vicina, γειτνιάζει δὲ αὕτη τῇ μητροπόλει Ἀμασείας. Ex epist. 72. S. Basilii, Ariani Zelis synodum habuerunt, in qua erroris sui formulam ediderunt.

EPISCOPI ZELORUM.

I. HERACLIUS.

NEocæsariensis concilii, necnon Ancyrani, quæ Nicænum I. annis 11. præcesserunt canonibus subscriptus legitur, *Heraclius Zenonensis*, i. e. *Zelon, Zelorum, Zelensis, Armeniæ majoris.* Qui Armeniæ majoris episcopus quoque dicitur in editionibus Labbei & Pithœi, in Quesnelliana vero *Helenuponti.*

II. ATTICUS.

Chalcedonensi synodo interfuit & subscripsit *Atticus episcopus Zelorum*, Ἀττικὸς ἐπίσκοπος Ζήλων.

III. HYPERECHIUS.

Epistolæ synodi Helenoponti ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini subscriptus legitur *Hyperitius episcopus Teli:* emendandum *Hyperechius episcopus Zeli*, vel *Zelæ.*

IV. GEORGIUS.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus legitur Γεώργιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ζήλων, *Georgius indignus episcopus Zelorum* inter episcopos Helenoponti.

V. CONSTANTINUS.

In septima synodo sedit & subscripsit *Constans*, (sive ut Latina translatio fert, *Constantinus*) *episcopus Zelorum*, Κώνστας ἐπίσκοπος Ζήλων. De qua varietate alio loco dicetur.

VI. PAULUS.

In Pseudosynodo Photiana post S. Ignatii obitum *Paulus Zelorum*, Παύλου Ζήλων, Παῦλος Ζήλων.



VIII. # ECCLESIA EUCHAITORUM.

EUCHAITA, vel Euchæta, vocabulo neutro plurali, vel femineo singulari, Εὐχαιτα, Helenoponti urbs est in Novella Justiniani 28. Sed nulla ejus memoria occurrit apud alios anterioris ævi scriptores, neque in Hieroclis notitia. In vetustioribus Græcis episcopatuum, inter archiepiscopatus censetur, & metropolis est in illa quæ Leonis Sapientis nomen præfert; sed *cui nullus episcopatus subsit.* νβ'. τῶ Εὐχαΐτων θρόνῳ ὑποκείμενος οὐκ ἔστιν. Hujus urbis prima mihi mentio occurrit in iis quæ Theophanes. ex Theodoro Lectore, ut videtur, Justiniano æquali narrat de Petro Cnapheo sive Fullone, qui Antiochia Pityam relegatus, elusis custodibus, *ad sanctum Theodorum Euchaïtorum* fugit, εἰς τὸν ἅγιον Θεόδωρον Εὐχαΐτων. Zonaræ in Joanne Tzimisce Imp. Euchaïta & *Euchania* eadem civitas est, κατὰ τὴν Εὐχάνειαν ἢ Εὐχαΐτων, quam Cedrenus post Joannem Curopalatam *Euchaniam* dumtaxat nominat. In actis S. Theodori Tironis quæ Latinè dumtaxat edita sunt, *Theodoropolis* à Joanne eodem Tzimisce nuncupata fertur, ob victoriam quam de Russis retulerat ipsa die S. Theodoro sacra, qui pro Romanis sive Græcis pugnare, barbarorumque phalanges frangere visus esset. Quamobrem hac in urbe elegantissimam Deo ædem exstruxit, sancti Martyris invocatione claram, veteri destructa in qua corpus ejus antehac quieverat.

EPISCOPI EUCHAITORUM.

I. EPIPHANIUS.

EUCHAITORUM episcopum anteriorem neminem reperi *Epiphanio,* qui in Sexta synodo generali sedit & subscripsit, Επιφάνιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Εὐχαΐτων πόλεως τῆς Ελενοποντίων χώρας. Hunc Papebrochius à Philippo Labbeo sodali suo deceptus, putavit Nicæno concilio primo interfuisse, quum in illius editionis conciliorum tom. 2. subscriptionum Sextæ synodi partem Nicænæ primæ decretis insulsè adjectam cerneret. In subscriptionibus itidem canonum Quinisextæ synodi ejusdem Epiphanii episcopi Euchaïtorum τῆς Ελενουπόλεως, seu potius τῆς Ελενουπόντου πόλεως nomen visitur.

II. THEOPHYLACTUS.

In Septima synodo inter archiepiscopos & metropolitas sedit *Theophylactus Euchaïtorum,* Θεοφυλάκτου ἐπισκόπου Εὐχαΐτων, qui post Basilium Sylæi act. 7. censetur; alio verò alibi ordine subscriptus legitur.

III. EUPHEMIANUS.

IV. THEODORUS SANTABARENUS.

V. EUPHEMIANUS *secundùm.*

Photius Constantinopolitanæ sedis, S. Ignatio ejecto, compos, *Euphemianum Euchaïtorum,* vi etiam adhibita, exauctoravit, ut Theodorum Santabarenum, qui sedem hanc ambiebat, ejus in locum subrogaret. Sic in S. Ignatii vita Nicetas: πῶς καὶ τὰ κατὰ τὸν Εὐφημιανὸν ἐκεῖνον παρέλθοιμεν σιωπῇ, ὃς Εὐχαΐτων μὲν ἐπίσκοπος ἦν. ἐπεὶ δὲ ὁ Σανταβαρηνὸς τῆς ἐπισκοπῆς ἐκείνης ὡς γειτνιώσης ὠρέγετο, τὸν μὲν βίᾳ χωλάζειν ἀναγκάζει, τὸν δὲ ἀντ' αὐτοῦ χειροτονεῖ. *Sed cur Euphemiani Euchaïtorum episcopi causam silentio dissimulemus, cujus episcopatum propter vicinitatem Santabarenus affectabat. Hunc episcopatu cedere cogit, & illum pro eo constituit.* Atqui Octavæ synodo subinde adfuit recepta sede Euphemianus, ab Ignatio, vel à Methodio pridem ordinatus, illiusque decretis omnibus, ut par erat, subscripsit: *Euphemianus misericordia Dei archiepiscopus Euchaïtorum:*

Theodorus vero *Santabarenus,* nebulo insignis, à Photio, ad ordinem licet redacto & exsulante Patrarum metropolita institutus est: quam tamen capessere sedem quia non potuit, non inficetè per ludibrium appellari meruit *Metropolita Aphantopolis,* Αφαντουπόλεως, *nemini conspicuæ civitatis.* Hunc Photius sacerdotio amotus, Hadriano Papa II. defuncto, Romam ad Joannem VIII. mittere non dubitavit, qui illic Apocrisiarii sui munere fungeretur; quippe quem nuper Basilio Imp. ceu virum eximiæ pietatis, miraculorum gratia, prænotioneque futurorum insignem ostentarat. At vero insignis potius agyrta Theodorus erat, Manichæi hominis filius, ipseque prorsus Manichæus, Symeone Logotheta teste, qui quum junior esset capitali sententia perculsus, à Barda Cæsare monasterio Studii traditus erat, ut mores emendaret: post in prima Photii tyrannide, κατὰ τὴν πρώτην τυραννίδα, ob nequitiam suam illi cœnobio præfici meruit, subinde verò, Photio amoto, sanctissima hac mansione expelli. Rursus Photii artibus Basilii Imper. benevolentiam iniit, Photioque post Ignatii mortem Byzantinum thronum occupante, Euchaïtorum archiepiscopatu donatus fuit. Basilio

THEODORUS SANTABARENUS

ECCLESIA Euchaitorum.

autem defuncto, ab ejus filio Leone Sapiente sacerdotio improbitatis suæ causa privatus fuit; qua nempe illum parenti suspectum invisumque reddiderat. Hæc Symeon Logotheta, hæc Leo Grammaticus, aliique illius circiter ætatis Byzantinarum rerum scriptores.

Euphemianum sedem Euchaïtensem recuperasse jam ostendimus ex Actis Octavæ synodi, cui adfuit & subscripsit. Quin etiam Pseudo-synodo Photianæ post Ignatii mortem adfuisse quoque, subscripsisseque legitur, Εὐφημιανοῦ Εὐχαΐτων. Εὐφημιανὸς Εὐχαΐτων.

VI. Symeon.

Circa tempora utique Photii vixerit *Symeon metropolita Euchaïtorum* cujus epistola ad Joannem monachum & inclusum habetur in cod. Reg. 2897. hoc titulo: τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Συμεὼν μητροπολίτου Εὐχαΐτων ἐπιστολὴ πρὸς Ἰωάννην μοναχὸν καὶ ἔγκλειστον. αὕτη ἁρμόζει παντὶ μοναχῷ κελλίῳ. *Almi patris nostri Symeonis metropolitæ Euchaïtorum epistola ad Joannem monachum & inclusum. Hæc omni monacho in cella degenti convenit.* Itemque ejus exstat alia ad eumdem *Joannem Enclistum*, sive inclusum. In prima meminit sanctorum patrum Antonii, Symeonis, Alypii & Danielis Stylitæ, quo proinde recentior fuit. At Daniel ille Stylita. Leone I. & Zenone Impp. claruit.

VII. Philoteus.

Nicephorus Phocas Imp. accepta Calocyris Patricii ad Tauroscythas defectione, Mysos sibi devincire proposuit, ad quos Nicephorum patricium cognomento Eroticum, & *Philotheum Euchaïtorum præsulem* delegavit, καὶ Φιλόθεον τὸν τῶν Εὐχαΐτων πρόεδρον.

VIII. Michael.

Romanus Argyropulus Imperat. anno 10. tres Patriarchæ Syncellos creavit, in quibus, Michaël Euchaïtorum, cognatione illi conjunctum, καὶ Μιχαὴλ τὸν τοῦ Εὐχαΐτων, καθ' αἷμα τούτῳ ἐγγίζοντα. Curopalates & Cedrenus.

IX. Nicolaus.

Synodo Michaëlis Cerularii Patriarchæ, in qua Leonis Papæ IX. legatis anathema dictum est, adfuit, subscripsitque *Nicolaus Euchaniæ* metropolita, Νικόλαος Εὐχανείας. Allat. Differt. 2. de lib. Eccles. Græc.

X. Joannes.

Circa annum 1054. Euchaïtorum metropolita sedebat *Joannes*, multorum in officiis ecclesiasticis hymnorum editor, qui passim in Bibliothecis manu exarati exstant. Lambecius ex Cæsareo cod. 299. memorat, Ποίημα Ἰωάννου μοναχοῦ, ἐπίκλην Μαυρόποδος, τοῦ ἐν ὑστέροις χρόνοις χρηματίσαντος ἀρχιερέως Εὐχαΐτων, οὗ τὸ ὄνομα ἐντέτακται τῇ ἀκροστιχίδι ἑκάστης ἐννάτης ᾠδῆς. *Poëma Joannis monachi cognomento Mauropedis, qui postea Euchaïtorum pontifex fuit, cujus nomen in fine cujusque cantici inseritur.* Alter hymnorum ejus ibidem titulus est: Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου μητροπολίτου Εὐχαΐτων ὑπόμνημα. *S. P. N. Joannis metropolitæ Euchaïtorum tractatus.* In fine summa hæc vitæ illius subjicitur: Ὁ βίος, *vita.* Οὗτος ἦν ἐπὶ βασιλείας Ῥωμαίων Κωνσταντίνου τοῦ Μονομάχου καὶ Ζωῆς τῆς βασιλίσσης. ἐπὶ δὲ τὰ ἀπὸ τότε συντείνει ἑξήκοντα τέσσαρα πρὸς τοῖς πεντακοσίοις. ἀνὴρ δὲ σοφώτατος καὶ ἁγιώτατος ὢν συνέγραψε πλείους τῶν λόγων, καὶ ἐπιστολὰς, καὶ στίχους ἰαμβικοὺς, καὶ ἄλλα πολλὰ καὶ χάριτος ἄξια, καὶ πολλοὺς τῶν ἀνθρώπων ἐξεπαίδευσε, πεπληρωμένος ὢν τῆς τοῦ παναγίου πνεύματος χάριτος. *Hic exstitit Romanis Imperante Constantino Monomacho & Zoë Imperatrice. Exinde verò anni sunt quingenti-sexaginta-quatuor. Quum vir esset sapientissimus sanctissimusque, multos sermones, tractatusve & epistolas, versus quoque Iambicos scripsit, alia item multa gratia digna; complures etiam homines erudivit, ut qui Spiritus sanctissimi gratiis plenus esset.* Quam vitæ Joannis epitomen Lambecius recitat è Cæsareo codice 211. Ac certe Joannes idem vitam scripsit S. Dorothei junioris Stylitæ, S. quoque Eusebiæ Euchaïtensis, orationes in sanctos Basilium, Gregorium Theologum & Joannem Chrysostomum, quum in causa fuisset, cur una eademque die solenne festum eorum simul deinceps ageretur die 30. Januarii. Sibi enim in insomnio divinitus nuntiatum dixit, neminem è tribus aliis præferendum, ceu potiorem apud Deum locum obtineat. Quod quidem Byzantini scriptores Alexio Comneno Imp. contigisse ferunt, ἐπὶ τῆς βασιλείας Ἀλεξίου τοῦ Κομνηνοῦ ..... ὕπαρ, οὐκ ὄναρ, τοῦ τότε τῆς Εὐχαΐτων πόλεως τῶν ἱερῶν ἐξηγουμένῳ Ἰωάννῃ τοῦ πάνυ ἀνδρὶ, ἀλλὰ μὴν ἐλλογιμωτάτῳ. Cæterum in ipsismet principatus Alexii initiis Joannem Euchaïtorum diem obiisse oportet, quippe quem defunctum Michaël Psellus oratione laudavit, quæ exstat in cod. Reg. 1837. Ἐγκώμιον εἰς τὸν θεοσεβέστατον μητροπολίτην Εὐχαΐτων καὶ πρωτοσύγκελλον. *In religiosissimum Euchaïtorum metropolitam & Protosyncellum.* Hunc pastoralibus muneribus excelluisse ait, ut, quamvis non politica admodum aut sæculari scientia, attamen eloquentia quæ ad Isocratis characterem accederet, Philosophia præsertim christiana ac Theologia, ita claruerit, ut Gregorius alter esse videretur. Ad calcem Bibliothecæ scriptorum

Francicæ gentis, Antonius du Verdier indicem adjecit librorum Græcorum qui manu exarati exſtant, in quibus *Panoplia dogmatica adverſus Saracenos Joannis metropolitæ Euchaïtorum Mauropedis:* quin etiam *ejuſdem Joannis Euchaïtorum metropolitæ Mauropedis, De legibus.*

XI. Basilius.

In ſolenni conventu procerum Imperii & epiſcoporum, quem Alexius Comnenus Imp. anno 1082. coëgit, ad confirmandum Reſcriptum unionis eccleſiarum de ſacrarum imaginum veneratione, ſedebat inter metropolitas *Baſilius Euchaïtorum*, Βασιλείου Εὐχαΐτων. Bibl. Coiſlin. p. 104.

XII. * * *

In Theſauro Nicetæ Choniatæ adverſus hæreſes, qui in Bibliotheca Regia aſſervatur inter codd. Cl. Baluzii, ſynopſis habetur actorum ſynodi quæ Luca Chryſoberge Patriarcha præſide Soterichum Panteugenum Antiochiæ patriarcham deſignatum, erroris de Chriſti ſacrificio reum exauctoravit anno 1168. eique adfuiſſe dicitur *metropolita Euchaïtorum*, τοῦ Εὐχαΐτων.

XIII. Constantinus.

Anno 1161. eodem Luca patriarcha, in ſynodo actum eſt de verbis Domini *Pater major me eſt,* quæ Alamani quidam, qui in Urbe agebant, dicta eſſe contenderant ob aſſumtam à Verbo humanitatem; illorumque adverſarii proſcripti fuere, aderat *Conſtantinus Euchaïtorum.* Allat. lib. 2. De conſenſ. cap. 12. n. 4. Conſtantinus idem anno 1171. ſedit in ſynodo Michaëlis Anchiali Patriarchæ, in qua vetitum eſt ne clerici ex aliena diœceſi ordinarentur. Jur. Græco-Rom. lib. 3. pag. 227.

ECCLESIA Euchaïtorum.

XIV. * * *

Iſaacius Angelus Imper. in epiſcoporum conventu pronuntiavit, irritas fore epiſcoporum electiones, ad quas ſinguli qui in Urbe agerent epiſcopi vocati non eſſent. Aderat cum aliis Euchaïtorum metropolita, ὁ Εὐχαΐτων. Ibid. lib. 2. pag. 174.

XV. Alexius.

Sub Michaële Palæologo coacta ſynodus eſt ad Joſephum Galæſii patriarcham exauctorandum, in qua ſedebat *Alexius Euchaïtorum:* qui tamen deſtitutioni illius refragatus eſt, ut & alii nonnulli, πάντες παρά τινας, ὁ Πόντο-Ἡρακλείας Θεόδωρος οὗτος ἦν, ὁ Εὐχαΐτων Ἀλέξιος, ὁ Ἰωάννης Βρύσεως. *Omnes, exceptis quibuſdam, nimirum Theodoro Ponto-Heracleæ, Alexio Euchaïtorum, Joanne Bryſis, &c.* Pachym. lib. 4. hiſt. cap. 6.

XVI. * * *

In ſynodo Calliſti Patriarchæ, in qua Barlaamo & Acyndyno damnatis, Palamæ errores fanatici admiſſi fuere, *Gabriel Apri metropolita* vices gerebat metropolitæ Euchaïtorum. ὁ τὸν τόπον ἐπέχων τοῦ Εὐχαΐτων.



X. PROVINCIA PAPHLAGONIÆ.

I. ECCLESIA GANGRORUM, METROPOLIS.

PAPHLAGONUM vetusta gens ad Pontum Euxinum sedes habuit, ad Orientalem Bithyniæ partem, à qua Parthenio flumine secernitur. Illi affinis ad Austrum Galatia est, ac versus Solis ortum Haly fluvio terminatur; quo fit, ut olim Sinope, nonnullæque Helenoponti urbes Paphlagoniæ censitæ sint. Posteriori autem ævo, à tempore scilicet Constantini magni, prisca illa Paphlagoniæ dispositio mutata fuit, instituta scilicet Helenoponti speciali provincia. Cæterum, uti veteris, ita & novæ Paphlagoniæ caput *Gangra*, Γάγγρα, metropolisque fuit. Hanc porro Strabo l. 12. oppidum simul & arcem sua ætate fuisse ait, πολισμάτιον ἅμα καὶ φρούριον. *Morsi nuper Regiam;* qui nempe, Antiocho Rege, Paphlagoniam ipse rexerat. Plinio lib. 6. cap. 2. Paphlagoniæ *oppida* sunt, inquit, *Gangræ, Carissa, Amissum liberum, &c.* Alii *Gangra,* Γάγγρα, voce neutra plurali dicunt, alii voce singulari feminea; alii etiam Γάγγρας, *Gangras.* Sozomeno lib. 3. hist. cap. 14. *Gangræ Paphlagoniæ metropolis* est, in quam vicinarum urbium episcopi, propter excessus Eustathii Sebasteni, convenerunt, ἐν Γάγγραις τῇ μητροπόλει. Notissima sunt hujus synodi capita. Cæterum actione ultima Chalcedonensis concilii declaratur, Gangrensis episcopi ordinationem ad Ancyræ metropolitam jampridem spectasse. Eusebius siquidem Ancyranus palam dixit. *Ante hunc* (Petrum scilicet qui concilio tunc aderat) *eum qui fuit, ordinavi. Omnis enim civitas ad me venit Ancyram, Decretum* (electionis ejus) *portantes. Respondi dicens: Ego non sum ex iis qui ordinare desiderant. Commemorabant vero mihi priores qui fuerant ordinati ab episcopo Ancyranorum, duos vel tres.* Refert, Callinicum, quem Proclo Constantinopolitano jubente in Gangrorum throno collocarat, post paucos dies defunctum, statimque de Gangris omnes ad se venisse, rogantes alterum sibi episcopum designari; quod quum abnuisset, Petrum ab illis in urbem Regiam deductum, à Proclo consecratum esse. Qua Eusebii Ancyrani interloquutione, apparet Ancyræ Galatiæ sedem metropolitico jure in Paphlagoniæ ecclesias polluisse: ac certe Paphlagonia Galatiæ pars olim censita fuerat.

EPISCOPI GANGRORUM.

I. HYPATIUS.

IN Nicæna synodo *Hypatium* Gangrorum episcopum sedisse Græcorum Menologia ferunt, Sic Menologium Sirletanum t. 2. Ant. lect. Henrici Canisii ad diem 14. Novembris. *Eodem die natalis S. P. N. Hypatii episcopi Gangrenæ civitatis. Hic fuit unus ex numero trecentorum decem & octo patrum qui adversus Arium hæreticum Constantino Magno Imp. in urbem Nicæam convenerunt: qui post celebratam sanctam synodum ad ecclesiam suam reversus, à Novatianis hæreticis insidiantibus per vicum transiens lapidatus est.* Eadem habet illa ipsa die Martyrologium Romanum ex illo utique Menologio accepta. Basilii Imp. Menologium Hypatium è Cilicia oriundum prodit. Ejus vero vitam in cod. Cæsareo XV. exstare testatur Lambecius lib. 8. Biblioth.

A

II. DIUS.

Circa annum 358. Gangris in Paphlagonia, aliquandiu post Nicænum concilium celebrata synodus est propter Eustathium Sebastiæ in Armenia præsulem, qui Massalianorum erroribus præludebat, eique præfuit *Dius* Gangrorum episcopus, ex Synopsi synodorum quæ à Justello Græcè Latineque evulgata est. Sic nempe habetur n. 71. Ἡ ἐν Γάγγρᾳ ἁγία συναθροισθεῖσα σύνοδος, φέρουσα Δῖον τὸν πάνυ ἑαυτῆς προκαθήμενον, ἥ, ὅρον θεόπνευστον ἐξενέγκασα, πρὸς τοὺς ἐν Ἀρμενίᾳ ἀδελφοὺς ἐξέπεμψεν. *Sancta Gangræ coacta synodus est, Dium præstantissimum præsidem habens, quæ definitionem à Deo inspiratam ad fratres Armeniæ misit.* Exstat hujus synodi epistola ad Armenios fratres, cui præmittuntur episcoporum nomina, qui huic

sacro conventui interfuerant, sed *Dii* nomen inter alia non apparet, non solum in codicibus Græcis, sed nec in Latinis vetustæ translationis Dionysii Exigui. Primus eorum *Eusebius vocatur*, secundus *Hypatius*, tertius *Eulalius*, quartus *Aelianus*, &c.

III. Basilides.

Gangrenorum episcopus fuit *Basilides* Arianus, quem Basilius magnus epist. 72. ad Eustathium Sebastenum scribit, quum Paphlagoniam lustraret, ecclesiarum altaria subvertisse, & in mensis suis propriis sacrificium celebrasse. Epist. 73. hoc in Gangreno agro gestum refert. *Si jam orthodoxus est Basilides*, inquit, εἰ ὀρθόδοξος νῦν Βασιλίδης, *illius Evippii consors & socius; quare quum de Dardania redirent*, ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Γαγγρηνῶν, *in regione Gangrenorum altaria illius subvertebant, mensasque suas substituebant*.

IV. Bosporius.

Ephesinæ synodo interfuit, subscripsitque *Bosporius Gangrorum episcopus*. In actis Græcis sic legitur, Βοσπόριος ἐπίσκοπος Γαγγρῶν τῆς μητροπόλεως, ἐπαρχίας Παμφυλίας (manifesto errore, pro Παφλαγονίας) ὑπέγραψα, ἀποφηνάμενος ἅμα τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ. *Bosporius episcopus Gangrorum, metropolis Paphlagoniæ, subscripsi, pronuntians cum sancta synodo*. Mox vero additur: Ὑπάτιος πρεσβύτερος ἐκ τραπεὶς ὑπ' αὐτοῦ, ὑπέγραψα διὰ τὸ ἀῤῥωστεῖν αὐτόν. *Hypatius presbyter, ejus jussu subscripsi, eo quod ipse ægrotaret*. Hæc in fine act. 1. Bosporii vero nomen initio ejusdem actionis in multis exemplaribus visitur, ceu concilio verè præsens fuerit. Cæterum Contestationi episcoporum plurimorum qui intercesserunt adversus Cyrillum, ne synodum ante Orientalium adventum celebraret, pro eodem Bosporio subscripserat Diogenes Junopolis. *Diogenes episcopus Lonopoleos (Junopoleos) obtinens etiam locum Bosserii (Bosporii) episcopi Gangrensis Paphlagoniæ subscripsi*. Quin imo epistolæ Nestorii ad Theodosium Imp. ipsa die datæ; iterumque epistolæ Orientalium ad ecclesiam Hierapolis, *Bossorus* (Bosforus) *Bosporus episcopus Gangrorum metropolitanus*: sed & alteri rursum eorumdem ad episcopos quos Constantinopolim delegaverant: *Bossorus episcopus Gangrorum*, ut, si subscriptiones istæ veræ sunt, non nisi dudum post inchoatum concilium, mutata sententia, ejus decreta subscriptione sua probaverit.

V. Callinicus.

VI. Petrus.

Ex actis synodi Chalcedonensis, in eo conventu postremo, quo de 28. canone A tractatum est, comperimus *Callinicum Gangrorum episcopum*, Proclo Constantinopolitano volente ab Eusebio Ancyrano consecratum, Gangras deductum esse, ut episcopali throno imponeretur. Quum Philippus Constantinopolitanus presbyter Eusebio objiceret, ipsum de Callinico ordinando ad Proclum scripsisse, regessit Ancyranus Proclum ad se literas dedisse, seque adeo illius nutu Callinicum ordinasse, quem Gangras deduxerit, ut eum in throno collocaret. Cæterum Callinicum post paucos dies defunctum esse subB dit. Quocirca Gangrensibus, qui Ancyram episcopum petituri venerant, se prorsus abnuisse; quippe qui impositiones manuum refugeret; tum vero Gangrensium legatos Ancyra Constantinopolim petiisse, *Petrum* ducentes à Proclo ordinandum: qui quidem Petrus tunc in Chalcedonensi synodo sedebat: καὶ ἤγαγον τὸν Πέτρον. Atqui *Petrus* iste Gangrensis modo eadem actione dixerat, ante se tres ordinatos fuisse à sede Regiæ civitatis, seque ab iisdem archiepiscopis similiter. Adfuerat autem Petrus Gangrensis ante bienC nium impuræ Dioscori Alexandrini Ephesinæ synodo, ejusque factis subsignarat: quod male gestum emendavit in Chalcedonensi; decretis ejus consentiens & subscribens, act. præsertim 6. Πέτρος ἐπίσκοπος μητροπόλεως Γαγγρῶν, ὁρίσας ὑπέγραψα, ὑπὲρ Πολυχρονίου ἐπισκόπου Δαδύβρων καὶ Θεοδώρου ἐπισκόπου Σουρῶν. *Petrus episcopus metropolis Gangrorum definiens subscripsi, pro Polychronio episcopo Dadybrorum & Theodoro episcopo Surorum*. Subscripsit subinde an. 458. epistolæ synodi provinciæ Paphlagoniæ ad Leonem Imp.

ECCLESIA Gangrorum.

PETRUS.

VII. Theodorus.

D Relationi synodi Constantinopolitanæ ad Joannem patriarcham de Severo Antiocheno, aliisque hæreticis damnandis subscripsit, *Theodorus episcopus metropolis Gangrenorum provinciæ Paphlagoniæ*. Θεόδωρος ἐπίσκοπος τῆς Γαγγρηνῶν μητροπόλεως.

VIII. Alexander.

In Quinta synodo generali sedit & subscripsit *Alexander misericordia Dei episcopus Gangrenorum metropolis*.

IX. Alypius.

E In Sexta quoque synodo *Alypius episcopus metropolis Gangrorum provinciæ Paphlagoniæ*. Ἀλύπιος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος τῆς Γαγγρηνῶν μητροπόλεως τῆς Παφλαγόνων ἐπαρχίας. Verum in ea Sextæ hujus synodi subscriptionum parte quam Philippus Labbe, ac si Nicæni concilii prioris esset, ex charta Niliaca Sambuci acceptam tom. 2. concil. edidit, Ὀλύμπιος, *Olympius*, non Ἀλύπιος, *Alypius* legitur.

X. SERGIUS.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus legitur, Σέργιος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος τῆς Γαγγρηνῶν μητροπόλεως. *Sergius minimus episcopus metropolis Gangrenorum.*

XI. MARCELLINUS.

Nicetæ filii Artabazi, qui sub Constantino Copronymo tyrannidem arripuit, consiliorum particeps erat *Marcellinus metropolis Gangrorum præsul;* cui proinde caput amputatum fuit, ut fert Nicephori CP. historiarum illa pars, quam Dionysius Petavius Græcè Latinèque evulgavit, Μαρκελλίνου δὲ τοῦ συνόντος αὐτοῦ ἀρχιερέως τῆς Γαγγρηνῶν μητροπόλεως τὴν κεφαλὴν ἐξέτεμε.

XII. CONSTANS.

Septimæ synodo generali adfuit subscripsitque *Constantinus episcopus Gangrorum,* Κωνσταντῖνος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Γαγγρῶν.

XIII. BASILIUS.

Octavæ item synodo *Basilius misericordia Dei Gangrarum metropolita,* ab Ignatio scilicet, vel à Methodio ordinatus.

XIV. NICOLAUS.

XV. STEPHANUS.

Synodo Photianæ post S. Ignatii obitum, inter metropolitas sedisse & subscripsisse legitur *Nicolaus Gangrarum,* Νικολάου Γαγγρῶν, Νικόλαος Γαγγρῶν. At inter episcopos minoris subsellii legitur quoque *Stephanus Gangrarum,* Στεφάνου Γαγγρῶν. Quem conjectari licet, Basilio defuncto ab Ignatio fuisse constitutum; Nicolaum vero ex illis fuisse quos Photius olim ordinaverat, quique idcirco alteri antepositus fuerit.

STEPHANUS.

XVI. PETRUS II.

Decreto synodico Sisinnii I. patriarchæ, quo vetitum est ne duo fratres sobrinas duas ducerent, condendo aderat *Petrus Gangrarum,* Πέτρος Γαγγρῶν. Jur. Græco-Rom. lib. 3. pag. 203.

XVII. CHRISTOPHORUS.

Joannem Curcuem Constantinus Porphyrogennetus patricium castralem & cubicularium creavit, ex Armeniaca stirpe oriundum, è Dacia Darbiti oppido, patre non obscuro, quin Palatino valde opulento, Joannis Icanatorum domestici filio. *Hunc sacras literas doctum ferebant à Christophoro metropolita Gangrarum consanguineo suo.* λέγεται δὲ A καὶ τὰ ἱερὰ γράμματα ἐκπεπαιδεῦσθαι παρὰ Χριστοφόρου μητροπολίτου Γαγγρῶν τοῦ συγγενοῦς αὐτοῦ. Per ora volabat, dixisse Christophorum, fore ut Joannes ille solatio & redemtioni Romanorum esset. Incert. contin. hist. Byzant. in Romano Lecapeno n. 12. pag. 264.

XVIII. NICEPHORUS.

Lib. 4. Jur. Græco-Rom. pag. 295. ubi *De Translatione episcoporum,* hoc notatur: Νικηφόρος μητροπολίτης Γάγγρας, ἡγούμενος γεγονὼς τοῦ Κοσμιδίου, ἔλαβεν, ὡς σχολάζων, τὴν B μητρόπολιν Ἄμαστριν. *Nicephorus Gangræ metropolita, Cosmidii præpositus, tamquam episcopatu feriatus esset, accepit metropolim Amastrim.* Ceu nimirum Gangris sistere non posset, monasterii præfectura interim donatus erat, ac tamdem Amastrim translatus. Eadem leguntur apud Nicephorum Callistum lib. 14. cap. 38. Quæ utroque in loco contigisse significantur post tempora Michaëlis Cerularii. Quocirca Nicephorus iste alius non est, ab illo Gangrarum Nicephoro, qui adfuit celebri illi procerum & episcoporum conventui, C in quo Alexio Comneno Imp. priscum unionis Decretum de sacrarum imaginum veneratione relectum est & instauratum anno 1082. Νικηφόρου Γάγγρας. Biblioth. Coisl. pag. 104.

XIX. ***

Anno M. 6643. Aug. 20. fer. 6. Ind. VI. sive Christi an. 1135. episcopi duo, qui præter leges erant ordinati, Bogomilici erroris rei, destituti sunt in synodo, cui aderat metropolita *Gangrensis,* τοῦ Γαγγρῶν. Allat. lib. 2. D de cons. cap. 12.

XX. ***

Luca Chrysoberge Patriarcha anno 1151. in synodo CP. prohibitæ sunt nuptiæ septimi gradus, assidente cum aliis metropolita *Gangrensi* τοῦ Γαγγρῶν. Jur. Græco-Rom. pag. 218.

XXI. JOANNES.

Eodem Luca præside Alamanorum de Christi Deitate Fides vera sinceraque judicata est in frequenti synodo, eorumque adversarii E damnati, assidente quoque *Joanne Gangrorum.* Allat. lib. 2. cap. 12.

XXII. THEODORUS.

In synodo Georgii Xiphilini Patriarchæ, in qua statutum est *de juribus territoriorum,* sedebat anno 1197. *Theodorus Gangrorum,* τοῦ Γαγγρῶν Θεοδώρου. Jure Gr. Rom. lib. 4. pag. 283.



II. ECCLESIA

II. ECCLESIA JONOPOLIS.

STRABONI Paphlagoniæ *oppidulum*, πολίχνιον Ἀβωνουτεῖχος, *Abonotichos* fuit, sive *Aboni murus*, Æsculapio sacrum, quod ex Luciano in *Pseudomanti*, Ἰωνόπολιν, *Ionopolim*, sive *Ionum civitatem*, ab Alexandro impostore appellatam discimus, qui audaci facinore hoc loco ab Imperatore donari impetraverat. Atqui Abonotichus à Ptolemæo in Galatia maritima, seu Ponti littore ponitur post Callistratium, Orientem versus. Paphlagoniæ *Junopolis*, Ἰωνόπολις urbs est Hierocli, & in aliis Notitiis, ut & in Novella 29. Justiniani.

EPISCOPI JONOPOLIS.

I. PETRONIUS.

IN Indice Patrum Nicænorum secundus de A provincia Paphlagoniæ legitur *Petronius Junopolis*, sive *Jonopolis*.

II. DIOGENES.

Inter episcopos qui Ephesi Contestationi subscripserunt, ne Cyrillus Alexandrinus concilii celebrationem inchoaret ante Joannis Antiocheni adventum, subscriptus legitur *Diogenes episcopus Lonopoleos* (leg. Ionopoleos) *obtinens locum metropolitæ Bossorii* (Bosforii) *episcopi Gangrensis Paphlagoniæ*.

III. RHENUS. B

Inter Chalcedonensis concilii Patres act. 1. & 2. censetur *Rhenus episcopus Ionopolis*, Ῥήνου Ἰουνωπόλεως, sive Ἰωνοπόλεως, ut in subscriptionibus act. 3. Ῥῆνος Ἰωνοπόλεως.

IV. HYPERIUS.

Aut Jonopolis, aut Dadybrorum episcopus fuit *Hyperius*, cujus mentio est in inscriptione epistolæ synodi provinciæ Paphlagoniæ ad Leonem Imperat. pro quo *Saturnilus Amastridis* suscripsit.

V. GEORGIUS.

In Sexta synodo sedit & subscripsit *Georgius episcopus Jonopolis*, Γεώργιος ἐπίσκοπος Ἰουνοπόλεως, sive Ἰωνοπόλεως; rursumque τῆς Ἰουνιτῶν πόλεως, *civitatis Junitarum* vel *Jonitarum*: qui subscriptus quoque legitur canonibus Quinisextæ synodi, Γεώργιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Ἰουνοπόλεως τῆς Παφλαγονίας, *Georgius misericordia Dei episcopus Junopolis Paphlagoniæ*.

VI. HERACLIUS.

In Septima quoque synodo, *Heraclius episcopus Junopolis*, Ἡράκλειος ἐπίσκοπος Ἰουνοπόλεως.

VII. ANTHES.

In Octava legitur, *Anthes misericordia Dei episcopus Hiunopoleos*, delenda litera H.

VIII. GREGORIUS.

In Pseudo-synodo Photii, *Gregorius Junopolis*, Γρηγορίου Ἰουνοπόλεως, Γρηγόριος Ἰουνοπόλεως.

III. ECCLESIA DADYBRORUM.

DADYBROS in Paphlagonia ponit Justinianus Novella 29. *Germanicopolim, Gangram, Pompeiopolim, Dadybros, Tumulos Amastridis, & Junopolim*: Constantinus item Porphyrogennetus, qui Δαδύβραν, *Dadybram* voce feminea dixit: Dadybra, Δάδυβρα etiam Paphlagoniæ censetur Hierocli, ut in aliis Notitiis. Hanc antiquiores auctores nesciunt.

EPISCOPI DADYBRORUM.

I. POLYCHRONIUS.

IN Latino Patrum concilii Chalcedonensis C Indice legitur *Polychronius Dadyrorensis* pro *Dadybrensis*. Act. VI *Petrus Gangrensis* subscripsit pro *Polychronio Dadybrorum*, ut pro absenti, καὶ ὑπὲρ Πολυχρονίου Δαδύβρων. *Hyperius*, qui, ut prædixi, subscripsit epistolæ synodi Paphlagoniæ ad Leonem Imp. aut *Dadybrorum*, aut *Jonopolis* episcopus fuit.

II. CYRION.

In omnibus codicibus Latinis (nam Græci nulli supersunt) Quintæ synodo adfuisse & subscripsisse fertur, *Cyrion episcopus Dadymorum*, emendo *Dadybrorum* μ pro β, ob utriusque literæ similitudinem in libris vetustissimis Græcis.

III. PHOCAS.

Sextæ synodo generali adfuit & subscripsit, ut & subinde Quinisextæ canonibus, Φωκᾶς ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Δαδύβρων, *Phocas misericordia Dei episcopus Dadybrorum*.

IV. NICETAS.

Septimæ item synodo *Nicetas episcopus*

ECCLESIA Dadybrorum. *Dadybrorum*. Νικήτας ἐπίσκοπος Δαδύβρων. A Hunc Leo Allatius ad calcem to. 1. Græciæ orthodoxæ, necnon vir Cl. Nicolaus Comnenus Papadopoli Prænot. Myst. Resp. 11. sect. 9. n. 6. eumdem esse censent atque Nicetam David, qui S. Ignatii CP. vitam scripsit: quod tamen temporum enormis distantia minimè patitur. Melius forsan putandus erit ipse auctor commentarii in carmina S. Gregorii Nazianzeni; quippe qui in inscriptione *Nicetas Dadybrensis* dicitur. Κυρου Νικήτα Δαδύβρων ἐπισκόπου *Domni Nicetæ Dadybrorum episcopi*. Quamquam fateor, præmissam vocem Κυρου, *Domni*, recentioris ævi auctorem innuere. Quidni vero saltem etiam *Dabybrorum episcopus* censeatur, *Nicetas Paphlago*, cujus Encomia in sanctos Apostolos Combefisius noster edidit in Auctario novissimo Bibliothecæ Patrum Græcorum?

V. Christophorus.

Pseudo-synodo Photianæ post S. Ignatii CP. obitum adfuisse & subscripsisse legitur *Christophorus Dadybrorum*, Χειστοφόρου Δαδύβρων, Χειστοφόρος Δαδύβρων.

IV. ECCLESIA SORORUM.

HIEROCLI Paphlagoniæ tertia civitas est *Sora*, Σῶρα, ut & Constantino Porphyrogenneto, qui nomine singulari femineo Σώραν, *Soram* dixit. Hanc habet Notitia quoque vetus episcopatuum una: miror autem omissam in Novella Justiniani, nisi ipsa *Germanicopolis* sit.

EPISCOPI SORORUM.

I. Theodorus.

IN concilio Chalcedonensi act. VI. ut prædictum est, *Petrus Gangrensis pro Polychronio episcopo Dadybrorum, & Theodoro Sororum* subscripsit, quasi absentes essent; qui tamen in Latinis Indicib. inter præsentes censentur.

II. Olympius.

Post annos septem epistolæ synodi provinciæ Paphlagoniæ ad Leonem Imp. subscribebat *Olympius episcopus Soranus*.

III. Joannes.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus legitur Ἰωάννης ἀνάξιος ἐπίσκοπος πόλεως Σώρων τῆς Παφλαγόνων ἐπαρχίας. *Joannes indignus* B *episcopus civitatis Sororum provinciæ Paphlagoniæ*.

IV. Theophanes.

Septimæ synodo adfuit & subscripsit *Theophanes episcopus Sororum*, Θεοφάνης ἐπίσκοπος Σώρων.

V. Phocas.

Octavæ synodo, *Phocas misericordia Dei episcopus Soron*, Σώρων. *Sororum*.

VI. Constantinus.

Pseudo-synodo Photianæ post S. Ignatii obitum adfuisse & subscripsisse legitur, *Constantinus Soræ*, Κωνσταντίνου Σώρας, Κωνσταντῖνος Σώρας.

V. ECCLESIA POMPEIOPOLIS.

INter Gangras & Sinopen exstabat *Pompeiopolis*, ut tabulis Peutingeri ostenditur, haud procul Amiso posita. Ex quibus emendatur Ptolemæus, qui illam Austrum versus prope Ancyram collocat. Hanc Strabo lib. 12. secernere non videtur ab altera Ciliciæ, quam ibidem dicit à Mithridate Eupatore post Nicomedem Bithynum devictum conditam esse. Veriùs Plinius lib. 6. c. 6. ubi de Paphlagonia: *Amiso, junctum fuit oppidum Eupatoria*, inquit, *à Mitridate conditum. Victo eo, Pompeiopolis utrumque appellatum est;* Amisum utique & Eupatoria. At certe oppida illa duo sejuncta manserunt, quibus eodem tempore episcopi duo diversi diu præfuerint, ut ex collatione perspicuum fiet. Ptolemæo lib. 5. cap. 6. Pompeiopoils civitas est Galatiæ veteris, sed in Paphlagonia mediterranea. In synodorum actis, Paphlagoniæ dicitur, quemadmodum in Notitia Hieroclis & recentioribus aliis: apud Justinianum quoque & Porphyrogennetum. Cæterum in Notitiis antiquioribus ecclesiarum, Pompeiopolis Paphlagoniæ XV. archiepiscopatus est, & LX. in ea quæ Leonis Imp. nomen præfert.

EPISCOPI POMPEIOPOLIS.

I. Philadelphus.

IN Indice Latino Patrum Nicænorum, *de provincia Paphlagoniæ*, legitur *Philadelphus Pompeiopolitanus*.

II. Sophronius.

In Seleucienſi ſynodo, *Sophronius Pompeiopolis in Paphlagonia*, Σωφρόνιος ὁ Πομπηϊουπόλεως ἐν Παφλαγονίᾳ, à Georgio Alexandrino, *Acacio Cæſarienſi, aliiſque illorum ſociis Arianis*, ad potiorem & ampliorem concilii partem ſeceſſit: qui idcirco anno inſequenti à conventu Arianorum qui Conſtantinopolim confugerant, deſtitui meruit. B Socrates lib. 2. cap. 39. 41. 42. Sozomenus lib. 4. cap. 22.

III. Arginus.

In Epheſinæ ſynodi ſubſcriptionibus act. 1. legitur, Αργῖνος ἐπίσκοπος Πομπηϊουπόλεως τῆς Παφλαγόνων ὑπέγραψα. Συνέσιος πρεσβύτερος ὑπέγραψεν ὑπὲρ αὐτοῦ διὰ τὸ ἀνωμαλεῖν αὐτόν. *Arginus epiſcopus Pompeiopolis Paphlagoniæ ſubſcripſi: pro eo ſubſcripſit Syneſius preſbyter, quum is ægrè haberet.* Nuſquam ejus nomen in Latinis codicibus occurrit.

IV. Ætherius. C

In concilio Chalcedonenſi *Epiphanius preſbyter locum tenuit Ætherii epiſcopi Pompeiopolis*, Επιφανίου πρεσβυτέρου ἐπέχοντος τὸν τόπον Αἰθερίου ἐπισκόπου Πομπηϊουπόλεως, paſſimque pro eo ſubſcripſit. Ætherius verò ipſe poſtea ſubſcripſit anno 458. epiſtolæ ſynodi Paphlagoniæ ad Leonem Imp.

V. Severus.

In Quinta ſynodo ſedit & ſubſcripſit *Severus miſericordia Dei epiſcopus Pompeiopolis Paphlagoniæ.*

VI. Theodorus.

In Sexta item ſynodo, *Theodorus epiſcopus Pompeiopolis provinciæ Paphlagoniæ.* Θεόδωρος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Πομπηϊουπόλεως τῆς Παφλαγόνων ἐπαρχίας.

VII. Theognostus.

Quiniſextæ ſynodi canonibus ſubſcriptus fertur, Θεόγνωστος ἀνάξιος ἐπίσκοπος τῆς Πομπηϊουπόλεως τῆς τῶν Παφλαγόνων ἐπαρχίας, A *Theognoſtus indignus epiſcopus Pompeiopolis provinciæ Paphlagoniæ.*

VIII. Maurianus.

Septimæ ſynodo interfuit & ſubſcripſit *Maurianus epiſcopus Pompeiopolis*, Μαυριανὸς ἐπίσκοπος Πομπηϊουπόλεως, Paphlagoniæ utique, non Ciliciæ, quæ tunc Saracenicæ, non Byzantinæ ditionis eſſet.

IX. Joannes.

Octavæ etiam ſynodo *Joannes Archiepiſcopus Pompeiopolis*, adeoque Paphlagoniæ.

X. Theodosius.

Pſeudo-ſynodo Photianæ poſt S. Ignatii CP. obitum, *Theodoſius Pompeiopolis*, ac quidem inter Archiepiſcopos, Θεοδοσίου Πομπηϊουπόλεως, Θεοδόσιος Πομπηϊουπόλεως.

XI. Basilius.

Anno 997. Siſimio Patriarchæ CP. ſynodali condendo decreto, ne *duo fratres conſobrinas duas ducerent, &c.* Aderat *Baſilius Pompeiopolis*, Βασιλείου Πομπηϊουπόλεως. Jur. Gr. Rom. p. 203.

XII. Michael.

In conventu ſolenni, quo *Tomus unionis* de ſacrarum imaginum veneratione Alexio Comneno Imp. denuò ſancitus fuit, anno 1082. ſedebat *Michael Pompeiopolis*, Μιχαὴλ Πομπηϊουπόλεως. Bibl. Coiſlin. pag. 104.

XIII. Leo.

Germanus II. Patriarcha Conſtantinopolitanus anno 1232. menſe Aug. Indict. v. Nicææ, ubi tunc ſedebat, ſynodum habuit, in qua mandata Chriſtophoro Ancyrano dedit, quæ ad Manuelem Epiri Deſpotam ferret. D Aderat *Leo Archiepiſcopus Pompeiopolis*, τοῦ Πομπηϊουπόλεως Λέοντος. Lambec. Biblioth. Cæſareæ cod. 231.

XIV. Gregorius.

Sententiæ qua Joannes Calecas Patriarcha Joannis Cantacuzeni Imp. & Palamitarum factione à communione & ſede amotus fuit, ſubſcripſit *Gregorius metropolita Pompeiopolis*, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Πομπηϊουπόλεως Γρηγόριος, καὶ ὑπέγραψα. Ibid. lib. 8. cod. 6.



VI. ECCLESIA AMASTRIS.

PLINIO lib. 6. cap. 2. in Paphlagonia eſt *Seſamum oppidum, quæ nunc Amaſtris dicitur.* De ejus ſitu Strabo ait : *Poſt Parthenium amnem Amaſtris eſt, de nomine conditoris appellata. Ea in peninſula poſita portus habet ex utraque iſthmi parte. Amaſtris uxor fuit Dionyſii Heracleæ tyranni, & Oxiathris filii fratris Darii, qui cum Alexandro bellum geſſit. Ea è trium urbium incolis fecit unam civitatem, Seſamo ſcilicet, Cytoro & Cromna, quarum Poëta* (Homerus) *in inſtruendis Paphlagonibus meminit. Quarta Teios, citò deſcivit à ſocietate, cæteris in ea manentibus. Seſamus Amaſtris arx & caput illarum fuit.* Cæterum Arrianus in Periplo Amaſtrim *urbem Græcam* eſſe dicit, πόλις ἑλληνὶς, *nonaginta ſtadiis à Parthenio amne diſtantem.* Plinius alter lib. 10. epiſt. 99. Trajano ſcribebat, *Amaſtrim urbem elegantem & ornatam eſſe, quæ habeat inter præcipua opera pulcerrimam eamdemque dignisſimam plateam*, Juſtinianus, *Tumulos Amaſtris* dixit. Atqui Ponti cenſetur Ptolemæo, ut & *Cromna & Cytorum* ; Paphlagoniæ vero Hierocli, & in Notitiis aliis deinceps. In ea quæ Leonis Imp. nomine inſcripta proſtat, inter metropoles quinquageſima-tertia, νγʹ. numeratur, ſed cui nullus addictus eſt epiſcopatus. Id quod Georgius Amaſtrenſis ab Imperatore Conſtantino IV. S. Taraſio agente impetravit, quum metropolita Gangrenſis ſuperiùs erga ipſum ageret ; quemadmodum in ejus vita fertur. Hodie Amaſtris ignobilis vicus eſt, nec ullus ſupereſt qui metropolitæ aut epiſcopi Amaſtridis nomen, aut titulum gerat.

EPISCOPI AMASTRIS.

I. PALMAS.

SÆculo Eccleſiæ ſecundo claruit *Palmas* epiſcopus Amaſtrenſis, quem Dionyſus Corinthi apud Euſebium, lib. 4. hiſt. cap. 3. ad eccleſias Ponti Bacchylidis & Elpiſti hortatu ſcribens, earum *Epiſcopum appellat*, ἐπίσκοπον αὐτῶν ὀνόματι Πάλμαν ὑποσημαίνων, *qui multa de caſtitate & nuptiis peroraret, & cunctos qui à lapſu quovis, ſive delicto, aut hæretica pravitate reſilirent, benigne ſuſcipi ſuaderet.* Ad hæc orta de aſſignanda Paſchatis celebrandi die quæſtione, Palmas ſynodo epiſcoporum Ponti, tamquam ipſorum antiquiſſimus, qui magnopere venerandus eſſet, præfuit, τῶν δὲ κατὰ Πόντον ἐπισκόπων, ὧν ὁ Πάλμας, ὡς ἀρχαιότατος προὐτετέτακτο. ait Euſebius lib. 5. cap. 23.

B

II. HERACLIUS.

In Baſilii Imp. Synaxario, quod inter Acta SS. poſt to. 1. Julii Græcis typis excuſum eſt, die 18. Maii memoria legitur *S. Hyacinthi Chriſti Martyris, qui piis parentibus natus eſt Theocleto & Neonilla, ſub Heraclio epiſcopo Amaſtridis*, ἐπὶ Ἡρακλείου ἐπισκόπου Ἀμάστριδος. Synaxaria alia *Heraclidem* dicunt. Quo tempore ſederit hic, vel Hyacinthus obierit, nec Menæa docent, neque laudatio Hyacinthi à Niceta Paphlagone dicta, quam Combefiſius noſter cum aliis anno 1666. edidit. At certe ſub Ethnicis principibus.

C

III. HESYCHIUS.

In Nicænorum Patrum Indicibus *de provincia Paphlagoniæ* tertius eſt *Heſychius Amaſtrianenſis.* Alii atque alii codd. *Eupſychius*, *Eutychius*, imo & *Euphronius.*

IV. THEMISTIUS.

In Chalcedonenſi ſynodo *Philotimus preſbyter vices geſſit Themiſtii epiſcopi Amaſtridis*, Φιλοτίμου πρεσβυτέρου ἐπέχοντος τὸν τόπον Θεμιστίου ἐπισκόπου Ἀμαστρίδος. Act. VI. ſubſcripſit *Themiſtius epiſcopus Amaſtridis per Philotimum preſbyterum.* Θεμίστιος ἐπίσκοπος Ἀμάστριδος διὰ Φιλοτίμου πρεσβυτέρου.

V. SATURNILUS.

Epiſtolæ ſynodi Paphlagoniæ ad Leonem Imper. ſubſcripſit *Saturnilus epiſcopus Amaſtrenæ civitatis, & pro ſanctiſſimo epiſcopo Hyperio, quum ægrotaret.*

VI. ASTERIUS.

In concilio CP. ſub Menna ſedit & ſubſcripſit *Aſterius epiſcopus Amaſtridis*, Ἀστέριος ἐπίσκοπος Ἀμάστριδος.

VII. COMETAS.

In Sexta ſynodo Irenarchus diaconus Amaſtris, locum ſupplevit *Cometæ epiſcopi ſui.* Εἰρηνάρχος ἐλέῳ Θεοῦ διάκονος τῆς ἐν Ἀμάστρει ἁγίας τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας, καὶ τὸν τόπον ἀναπληρῶν Κωμιτᾶ τοῦ ἁγιωτάτου μου ἐπισκόπου.

VIII. ZOÏLUS.

Quiniſextæ ſynodi canonibus *Georgius diaconus ſanctæ eccleſiæ Amaſtridis Paphlagoniæ locum ſupplens Zoïli ſanctiſſimi epiſcopi ſui, definiens ſubſcripſit*, Γεώργιος ἐλέῳ Θεοῦ

διάκονος τῆς ἁγίας ἐκκλησίας Αμάςριδος, ἐπαρ- A χίας Παμφυλίας (leg. Παφλαγονίας) καὶ τὸν τόπον ἀναπληρῶν Ζωΐλου τοῦ ἁγιωτάτου ἐπισκόπου μου, ὁρίσας ὑπέγραψα.

IX. Joannes.

Ad tempora Iconomachiæ proxima revoco *Joannem Amaſtridis*, quem vir clariſſimus Nicolaus Comnenus à Papadopoli appellat *Prænotionibus Myſtagogicis*, Reſp. 3. ſect. 1. n. 9. ubi morem Græcorum, omnes liquores per quadraginta ſitulas expiandi defendit. Hæc, inquit, ratio quadragenarii numeri, B quem ne quis uni Correſſianæ fidei innixum putet, norit eumdem eſſe cum tradita per Leonem monachum ſcriptorem orthodoxum ſub Leone Iſauro oratione de Martyrio, per *Joannem Amaſtridis* epiſcopum, de cultu ſacr. imag. orat. 2.

X. Gregorius.

Septimæ ſynodo interfuit & ſubſcripſit *Gregorius epiſcopus Amaſtridis*, Γρηγόριος ἐπίσκοπος Αμάςρις. ubique in ſynodi actis *Gregorius* dicitur, nuſquam *Georgius*, quem ta- C men à Georgio de quo ſequitur, vix ſecernendum puto.

XI. Georgius.

Circa eadem tempora ſedebat *Georgius Amaſtris epiſcopus*, quando S. Joannes Gotthiæ epiſcopus fuga lapſus è cuſtodia qua à Chagano Chazarorum tenebatur, Amaſtrim venit, ubi paulò poſt diem obiit, ut in vita ejus inter acta SS. fertur. *Joannes, quum dies quadraginta Dei verbum prædicaſſet, & quæ ſaluti conducerent, omnibus ſuaſiſſet, in manus* D *Dei ſpiritum commendavit. Quem in arca Georgii ſanctiſſimi epiſcopi Amaſtridis homines civitatis cum ſuffimentis & cereis depoſuerunt*, ἐμβαλλόμενοι εἰς τὸ γλωσσοκόμον Γεωργίου ἐπισκόπου Αμάςριδος. Atqui Georgius hic Amaſtridis ipſe eſt, cujus memoriam agunt Græci in Menæis die 21. Febr. Chromnis ex vicino Amaſtridi oppido oriundus erat, ſolitariamque primùm vitam egit, à qua non ſine vi à S. Taraſio Conſtantinopolitano avulſus, Amaſtridis epiſcopus, civibus obnixè rogantibus conſecratus eſt, etſi alterum Conſtan- E tinus Imperator deſtinaverat. Quum erga eum Gangrenſis metropolita ſuperbiùs ageret, obtinuit à principe, ut ſua ſedes ab illius poteſtate eximeretur, archiepiſcopalis facta, aut metropolitana, atque adeò Conſtantinopolitanō dumtaxat throno obnoxia. Ipſe vero Conſtantino & Irene Impp. & Nicephoro, Taraſio patriarchis vitæ ſanctitate & divinis ſignis claruit. Ejus vita Latinè exſtat inter Acta SS. tom. 3. Febr.

XII. Stephanus.

Octavæ ſynodo interfuit & ſubſcripſit *Stephanus miſericordia Dei archiepiſcopus Amaſtridis;* ordinatus proinde à S. Ignatio, vel à S. Methodio.

XIII. Eudocimus.

Pſeudo-ſynodo Photii, *Eudocimus Amaſtridis*, Εὐδοκίμου Αμάςριδος, Εὐδόκιμος Αμάςριδος.

XIV. Nicephorus.

Circa tempora Michaëlis Cerularii patriarchæ, *Nicephorus Gangræ metropolita, monaſterii Coſmidii præpoſitus factus, tamquam epiſcopatu vacaret, accepit Amaſtrim metropolim, moxque Ceraſûntem.* Νικηφόρος μητροπολίτης Γάγγρας ἔλαβεν ὡς σχολάζων καὶ τὴν μητρόπολιν Αμάςριν, κ. τ. ἑ. Jur. Græco-Rom. l. 4. pag. 295. Niceph. Calliſt. lib. 14. cap. 38.

XV. * * *

Sub Joanne Xiphilino patriarcha anno M. 6575. Mart. 19. Ind. IV. ſive ann. Chr. 1083. ſynodicum decretum latum eſt de ſponſalibus clericorum, aliiſque nonnullis; aſſidebat *metropolita Amaſtridis*, τοῦ Αμάςριδος. Ibid. l. 3. pag. 213.

XVI. * * *

Joanne Comneno, ſeu Calo-Joanne Imp. menſe Maio Ind. III. Leone Stypiota patriarcha, adeoque anno Chr. 1141. Bogomilorum hæreſis multa capita proſcripta ſunt in concilio, in quo ſedebat *metropolita Amaſtridis*, τοῦ Αμάςριδος. Allat. lib. 2. De conſ. cap. 11.

XVII. Constantinus.

Anno M. 6652. Chriſti 1144. fer. 4. Indict. x. Coſmas Atticus Patriarcha Bogomilicæ hæreſis ſuſpectus deſtitutus fuit ſynodi ſententia, cui ſubſcripſit, *Conſtantinus metropolita Amaſtridis*, ὁ ἐλάχιστος μητροπολίτης Αμάςριδος Κωνςαντῖνος. Ibid. cap. 12.

Menſis Aprilis die 11. Ind. XIV. Chriſti 1148. Lucas Chryſoberges patriarcha, coacta ſynodo, nuptias ſeptimi gradûs prohibuit, aſſidente *metropolita Amaſtridis*, τοῦ Αμάςριδος. Jur. Græco-Rom. pag. 217.

XVIII. Joannes II.

Anno M. 6664. Chriſti 1156. Indict. IV. ſynodus altera Soterichum Panteugenum Antiochiæ patriarcham electum ob errorem de Chriſti ſacrificio proſcriptus fuit. Aderat cum aliis *Joannes Amaſtridis*. Allat. Vind. ſyn. Eph. pag. 585. Item alteri quoque, in qua Alamanorum Fides de Chriſti Deitate,

ECCLESIA AMASTRIS

& horum verborum Domini ſenſu, *Pater major me eſt,* approbata fuit anno 1166. Idem Allat. lib. 2. De conſenſ. cap. 12.

XIX. Nicolaus.

Synodum Nicææ anno 1232. Germanus II. Patriarcha habuit, in qua Chriſtophoro Ancyræ Commonitorium Manuëli Ducæ Epiri & Theſſalonicæ Deſpotæ ferendum datum eſt, atque in ea ſedebat *Nicolaus Amaſtridis,* Νικολάου Ἀμάςριδος Bibl. Cæſar l. 6. cod. 231. Ipſe proinde fuit *archiepiſcopus ille ſive metropolita Amaſtridis,* qui Joanne Vatacio Imp. in ſynodo Nymphæi in Bithynia anno inſequenti coacta cum fratribus quibuſdam Prædicatoribus ac Minoribus, Gregorii Papæ IX. apocriſiariis, diſputans, Græcorum ſuorum cauſam defendit. Exſtat hujus ſynodi geſtorum magna pars apud Rainaldum ad illum annum, & apud Wadingum tom. 2. Annal. Minorum, aliaque rurſum inter ſchedas meas. In Theſauro Nicetæ Choniatæ Cl. Baluzii fragmentum reperi epiſtolæ ejuſdem nî fallor, Nicolai, quem *Caloëthem* cognominat, epiſcopi Amaſtridis ad Demetrium Comnenum Gorenum, qua declarabat patris atque filii nuptias cum amita & conſobrina licitas prorſus non eſſe. Ἐξ ἐπιστολῆς τοῦ Ἀμάςριδος κυροῦ Νικολάου τοῦ Καλοήθους πρὸς τὸν Κομνηνὸν κυρὸν Δημήτριον τὸν Γορηνόν. Λέγεται ὡς ἡ σὴ θυγάτηρ ἔτεκε σοι, ἡ σήμερον ἡρμοσμένη Κομνηνῇ, κατηγγυᾶται τῷ υἱῷ τοῦ Κομνηνοῦ ἐκείνου, ᾧ σύζυγος ἦν ἡ θεία τῆς γυναικός σου, ἡ πατράδελφος ταύτης. εἰ οὖν αὕτη ἐστὶν ἡ ὑποσχεθεῖσα τῷ Κομνηνοῦ υἱῷ εἰς συνάφειαν, πέως ἐμοὶ οὐκ ἀρέσκεται, διότι πατέρα καὶ υἱὸν λαβεῖν θείας καὶ ἀνεψιᾶς θυγατέρα, μέχρι τοῦ νῦν παρὰ τῆς ἐκκλησίας οὐ δέδοκται. *Ex epiſtola epiſcopi Amaſtridis Domni Nicolai Caloëthis ad Domnum Demetrium Comnenum Gorenum. Fertur filiam tuam, quam tibi peperit Comnena, quæ tua hodie uxor eſt, deſponſatam eſſe filio Comneni illius cui nupſerat amita conjugis tuæ, ſoror patris illius. Quod ſi ipſa eſt, quæ promiſſa eſt filio Comneni conjugii gratia, hoc non mihi probatur; quando ad hanc uſque diem ab Eccleſia ratum non eſt, ut pater & filius amitæ & conſobrinæ filiam ducat.*

XX. * * *

Michaële Palæologo Imp. & Joanne Becco patriarcha, Amaſtridis metropolita alter, unus fuit è præcipuis eccleſiæ Græcæ epiſcopis, qui Gregorio Papæ IX. epiſtolam dederunt de ſarcienda unione cum Latina eccleſia; ad quos viciſſim Gregorius reſcripſit ante celebratam ſynodum Lugdunenſem ſecundam.

XXI. Callinicus.

Anno mundi 6859. Chriſti 1351. Ind. IV. menſe Aug. coacta Conſtantinopoli ſynodus eſt à Calliſto patriarcha, quæ Barlaamum & Acyndynum, alioſque Palamitarum impugnatores damnavit; illique aderat cum aliis *Callinicus* metropolita Amaſtridis, qui ſubſcripſit: ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Ἀμάςριδος καὶ ὑπέρτιμος Καλλίνικος. *Humilis metropolita Amaſtridis & Hypertimus Callinicus.*



XI. PROVINCIA HONORIADIS.

I. ECCLESIA CLAUDIOPOLIS, METROPOLIS.

PROVINCIAM *Honoriadem* dictam Theodosius Junior Imperat. instituit propter Honorium Imp. patruum suum, ut fert in chronico Joannes Malelas part. 2. pag. 69. *Ἐποίησεν καὶ ἄλλην ἐπαρχίαν, ἀπομερίσας ἀπὸ Βιθυνίας, ἥν τινα ἐκάλεσεν Ὀνωριάδα, εἰς ὄνομα τοῦ αὐτοῦ θείου Ὀνωρίου. Alteram quoque provinciam instituit, à Bithynia avulsam quam de Honorii patrui sui nomine Honoriadem appellavit.* Addit, eum *metropolitica jura, unaque Præfectum Heracleæ Ponti dedisse, δοὺς δίκαιον μητροπόλεως καὶ ἄρχοντα Ἡρακλείᾳ τοῦ Πόντου.* Verum in Notitia Hieroclis Honoriadis civitas prima, quemadmodum in reliquis Notitiis ecclesiarum, *Claudiopolis* est, quæ *Bithynium* olim nominabatur Ptolemæo teste lib. 5. c. 1. Κλαυδιούπολις, ἡ καὶ Βιθύνιον, positaque erat in Bithynia mediterranea. Straboni scilicet concinit, cui Bithynium perinde mediterranea civitas est supra Teïum *vel* Tium, ad orientale latus Elatæ fluvii. Plinio quoque Bithynium intus est in Bithynia, nulla *Claudiopolis* appellatione, quam tamen à Claudio I. Imperatore, non à secundo videtur obtinuisse, propter Ptolemæi locum quem protuli. Antonini Itinerarium omitto, in quo Claudiopoli Ancyram Galatiæ iter assignatur, *Claudiopoli Cratiam.* Quocirca obiter monebo, nonnulla in illo Itinerario identidem occurrere, Antonini Pii & Caracallæ Impp. temporibus recentiora. Sed nec Vaillantius ullam Claudio I. Cæsare coloniam in Bithynia deductam collocatamve reperit. Quidquid id est, Justinianus Novella 29. quum ex Honoriade & Paphlagonia unam dumtaxat provinciam conflaret, Honoriadis provinciæ urbes sic recenset: *Præfectus provideat Prusiadi, Cratiæ, Hadrianopoli, Tio, Claudiopoli, Heracleæ.* At noluit de dignitate sedium Gangrorum & Claudiopolis, quæ metropoliticis juribus ecclesiasticis potiebantur, quidquam minui vel mutari. Ex Epistola synodi provinciæ Honoriadis ad Leonem I. Imp. certum fit Claudiopolitanam sedem ipso Chalcedonensis concilii ævo metropolitana dignitate ecclesiastica potitam fuisse. Constantinus Porphyrogennetus Them. 6. *Claudiopolim* metropolim dicit *Mariandynorum,* quod priscum nomen erat gentis illius, cujus regio *Honorias* à Theodosio Juniore nuncupata est, Mariandynorum autem sinum Plinius in Bithynia memorat.

EPISCOPI CLAUDIOPOLIS.

I. AUTONOMUS.

MIhi penè primus Claudiopolis, sive Bithynii olim, ecclesiæ præsul est *Autonomus episcopus*, cujus memoriam agunt Græci in Menæis die 12. Maii, quemque ex Italia tempore Diocletiani in Bithyniam venisse ferunt, ubi à Cornelio christiano exceptus, quum ecclesiæ S. Michaëlis cœlestis militiæ Ducis præfuisset, atque in ea Cornelium ipsum episcopum creasset, Claudiopolim petiit, ubi verbum Dei prædicavit. Tum ad Cornelium invisendum profectus, dum in illa ecclesia S. Michaëlis sacra faceret, à Gentilibus deprehensus, lignis & lapidibus ad altare necatus est. Hæc Menologia, in quibus perperam mihi mentio videtur fieri Templi nomine S. Michaëlis nuncupati. Excerptum vitæ S. Autonomi quo hæc eadem narrantur, integrum infra recitabo in ecclesia *Sorei* provinciæ Bithyniæ.

A

II. CALLICRATES.

Socrates lib. 3. hist. cap. 25. præcipuos quosdam memorat Macedonii partium episcopos, qui Joviano Imp. libellum supplicem dederunt, rogantes ab ecclesiis ejici, qui Filium Patri dissimilem dicebant, inque illorum loca alii constituerentur. Horum unus erat cum Basilio Ancyrano, & Silvano Tarsensi *Callicrates Claudiopolis*, Καλλικράτης Κλαυδιουπόλεως. Quamquam utrius Claudiopolis, Isauriæ, an Honoriadis? non continuo constat.

ECCLESIA HONORIADIS.

III. GERONTIUS.

Synodo Constantinopolitanæ, in qua Nectario archiepiscopo præside anno 394. de causa Agapii & Bagadii qui de Bostreno episcopatu contendebant, tractatum fuit, aderat *Gerontius Claudiopolis*. Γερόντιου Κλαυδιανουπόλεως, leg. Κλαυδιουπόλεως.

IV. OLYMPIUS.

In subscriptionibus Latinis concilii Ephesini act. 6. legitur *Olympius episcopus Claudiopolis per episcopos Epiphanium & Theosebium*, scilicet Epiphanium *Cratiæ*, & Theosebium vel Eusebium Heracleæ Ponti. *Olympii* vero nomen abest in codicibus Græcis.

V. CALOGERUS.

In altera Ephesina, prædatoria illa synodo sedit, ejusque prophanis decretis suffragatus est *Olympius presbyter, locum tenens Calogeri episcopi Claudiopolis Ponticæ*, Ὀλυμπίου πρεσβυτέρου ἐπέχοντος τὸν τόπον Καλογήρου Κλαυδιουπόλεως τῆς Ποντικῆς. Cujus etiam Calogeri vices post biennium in Chalcedonensi concilio gessit *Apragmonius episcopus Tii*. Ἀπραγμονίου ἐπισκόπου Τίου ἐπέχοντος τὸν τόπον Καλογήρου ἐπισκόπου Κλαυδιουπόλεως. Translatio Latina habet, *Calogeri episcopi Ponticæ Honoriadis*. Item act. 6. Calogerus subscriptus legitur Καλόγηρος ἐπίσκοπος Κλαυδιουπόλεως, ὁρίσας ὑπέγραψα διὰ Ἀπραγμονίου ἐπισκόπου Τίου, *Calogerus episcopus Claudiopolis definiens subscripsi per Apragmonium episcopum Tii*.

VI. CARTERIUS.

Leo Imp. ut aliis metropolitis, ita & *Carterio reverendissimo episcopo Claudiopolis*, sacras literas misit de nece S. Proterii Alexandrini, illeque, coacta provinciæ suæ Honoriadis synodo, responsoriam dedit, quæ in Epiphanii scholastici collectione habetur. Idem Carterius subscriptus legitur Decreto synodico Gennadii Constantinopolitani *de Simoniacis*. Καρτέριος ἐπίσκοπος μητροπόλεως Κλαυδιουπολιτῶν. *Carterius episcopus metropolis Claudiopolitanorum*.

VII. HYPATIUS.

Relationi synodi Constantinopolitanæ ad Joannem Patriarcham de Severo Antiochenæ sedis invasore, ejusque sociis hæreticis subscripsit *Hypatius episcopus Claudiopolitanorum provinciæ Honoriadis*, Ὑπάτιος ἐπίσκοπος τῆς Κλαυδιοπολιτῶν τῆς Ονωριατῶν ἐπαρχίας. Lecta est act. 5. concilii sub Menna patriarcha.

VIII. EPICTETUS.

In illo concilio quod Menna Patriarcha A præside celebratum est, sedit & subscripsit *Epictetus episcopus Claudiopolis Honoriadis*. Sic Latina translatio. In Græco textu: Ἐπίκτητος ἐπίσκοπος Κλαυδιουπόλεως.

IX. VINCENTIUS.

Claudiopolis, Honoriadis, non certe Isauriæ, episcopus erat *Vincentius episcopus Claudiopolitanus metropoleos*, qui ut & Orientales alii, subscripsit Constituto Vigilii Papæ *de Tribus capitulis*. Hic subdiaconi munus in ecclesia Romana obierat, ut fertur col. B 1540. novæ collectonis conciliorum Baluzii, collat. 7. Quintæ synodi, ubi à Justiniano Imp. convocati dicuntur *reverendissimi episcopi occidentales cum clericis Vigilii*; insuper, & *Vincentio reverendissimo episcopo Claudiopolitano*, & ad eos missi *Cethegus, Petrus & Patricius gloriosissimi patricii*, ut testes adessent chartis aperiendis quas Vigilius Papa *de Tribus capitulis* olim scripserat. *Et omnibus præsentibus cognoverunt quidem sua signacula eidem chartæ imposita, Vincentius religiosissimus, & servus-Dei reverendis-* C *simus subdiaconus. Quibus disruptis, lecta est charta, & cognovit seriem Vincentius reverendissimus, & confessus est quod ipse administravit negotio, subdiaconis S. Romanæ Ecclesiæ tunc connumeratus*. Perperam quis putaverit Vincentium hunc fuisse episcopum *Claudiopolis* in Pannonia, quæ hodie *Clausemburg* & *Colosvar* dicitur! Hæc enim metropolis numquam fuit.

X. CYPRIANUS I.

In Sexta synodo generali sedit & subscripsit D *Cyprianus episcopus Claudiopolis provinciæ Honoriadis*, Κυπριανὸς ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Κλαυδιουπολιτῶν μητροπόλεως τῆς Ονωριατῶν ἐπαρχίας.

XI. NICETAS.

In Septima synodo *Nicetas episcopus Claudiopolis*, inter metropolitas sedit & subscripsit: Νικήτας ἀνάξιος ἐπίσκοπος Κλαυδιουπόλεως.

XII. CYPRIANUS.

In Octava synodo, *Cyprianus misericor-* E *dia Dei metropolita Claudiopolis*, qui vel à S. Ignatio, vel à S. Methodio ordinatus erat. Sed & posthac adfuisse quoque legitur Pseudo-synodo Photianæ. Κυπριανοῦ Κλαυδιουπόλεως.

XIII. IGNATIUS.

Epistolæ duæ Photii, 115. & 125. inscribuntur Ἰγνατίῳ μητροπολίτῃ Κλαυδιουπόλεως, *Ignatio metropolitæ Claudiopolis*, quarum secunda

ſecunda explicat, cur in Domini paſſione velum Templi ſciſſum ſit: priore vero innuit, Ignatium illum ſui cauſa injuriis affectum, atque anathemate perculſum, eumque cuncta patienter ferre hortatur. Quod argumento eſt, eum pro Cypriano à Byzantinæ eccleſiæ prædone Photio Claudiopolitanæ eccleſiæ præfectum fuiſſe, pulſo Cypriano legitimo ejus paſtore, qui à ſanctiſſimi Ignatii Patriarchæ partibus ſtabat, quique redacto ad ordinem Photio, Ignatioque illo altero diris devoto & amoto, ſedem repetiit ſuam. Sed S. Ignatio in vivis adhuc ſuperſtite, Ignatius ille ſpurius fatis conceſſerat, quando nulla ejus eſt mentio inter Pſeudo-Photianæ ſynodi præſules, ſed Cypriani dumtaxat, de quo jam à me dictum eſt.

XIV. JOANNES I.

Anno Chriſti 1027. ſub Alexio patriarcha ſtatutum eſt *de monaſteriorum donatoriis*, aderatque *Joannes Claudiopolis*, Ἰωάννου Κλαυδιουπόλεως. Jur. Gr. Rom. pag. 258.

XV. * * *

Ad ſynodum quam Joannes Xiphilinus die 26. April. fer. 4. Ind. IV. anno M. 6574. Chriſti 1066. habuit, in qua de *Sponſalibus* præſertim *clericorum* tractatum eſt, acceſſit metropolita *Claudiopolis*, τοῦ Κλαυδιουπόλεως. Ibid pag. 211. 212. & 214.

XVI. JOANNES II.

Anno 1082. in conventu procerum Imperii & epiſcoporum, quem Alexius Comnenus Imp. coëgit, Tomi unionis de cultu ſacrarum imaginum firmandi cauſa, inter metropolitas ſedebat *Joannes Claudiopolis*, Ἰωάννου Κλαυδιουπόλεως. Bibl. Coiſlin. p. 104. Qui Joannes Claudiopolis in alio epiſcoporum conventu apud Nicolaum Grammaticum patriarcham cum aliis metropolitis ſedebat, ut reſponderet interrogationibus Baſilii Philippopolis *de nuptiis patrui avunculive, fratris aut filiæ, cum amita & matertera, & cum fratris & ſororis filio*, atque unus è tribus fuit,

A qui quæſtionem procraſtinandam cenſuere. Ibid pag. 215.

XVII. GREGORIUS.

Sententiæ ſynodi in qua Coſmas Atticus patriarcha ob Bogomilorum hæreſim cujus ſuſpectus erat, exauctoratus fuit, ſubſcripſit *Gregorius metropolita Claudiopolis* ὁ μητροπολίτης Κλαυδιουπόλεως Γρηγόριος. Hic ſubinde iterum adfuit alteri ſynodo, in qua Luca Chryſoberge patriarcha præſide, Soterichus Panteugenus, Antiochiæ itidem patriarcha
B electus, cum erroris ſui ſociis proſcriptus eſt anno 1156. Allatius lib. 2. De conſ. cap. 12. & Vindic. ſyn. Epheſ. pag. 585.

XVIII. JOANNES III.

Anno 1166. in frequenti ſynodo, eodem Luca patriarcha præſide, Alamanorum Fides de Chriſti erga Patrem ob humanam naturam ſuam inferioritate, recta ſinceraque judicata eſt, ſedente cum metropolitis aliis *Joanne Claudiopolis*. Allat. lib. 2. De conſ. c. 12.

C

XIX. JOANNES IV.

Doſitheus Hieroſolymitanus inter Græcos ſcriptores Latinis infenſos *Joannem Claudiopolis* numerat, lib. 10. cap. 9. Is utique eſt *Joannes metropolita Claudiæ*, qui Allatio l. 2. cap. 18. & alibi teſte, epiſtolam in Latinos ſcripſit, *de Azymis, ſuffocatis, & aliis*. Cæterum nugax auctor eſt, ait Allatius, pleraque exſcribens ex Nicolao Hydruntino, qui ann. 1192. vivebat.

XX. * * *

D Lib. 3. Jur. Græco-Rom. pag. 240. exſtat ſynodale decretum *De tranſlationibus epiſcoporum*, cui ferendo aderat *Nicephorus Pontoheracleæ, locum tenens metropolitæ Claudiopolis*, τοῦ Ποντοηρακλείας, καὶ τὸν τόπον ἐπέχοντος τοῦ Κλαυδιουπόλεως, Νικηφόρου. Habita hæc ſynodus eſt Julii die 10. fer. 1. Ind. VIII. ſive anno Chr. 1221. Manuële Critopulo patriarcha, qui tunc, occupata à Francis Conſtantinopoli, Nicææ in Bithynia morabatur.

II. ECCLESIA HERACLEÆ PONTI.

HERACLEA Ponti, Plinio lib. 6. cap. 1. oppidum eſt Lyco flumini appoſitum, quod tamen Arrianus in Periplo 20. ſtadiis à Lyco remotum ait. Ptolemæus *Ponti Heracleam* dixit, Πόντου Ἡράκλεια, quemadmodum alii quoque. Urbs Græca fuit, Megarenſium colonia in Mariandynorum finibus Straboni, ad Pontum Euxinum cum portu commodo & commendabili, εὐλίμενος καὶ ἀξιόλογος. Ut veteres hanc Bithyniæ cenſuerunt, ita & Hierocles & recentiores Honoriadis. Atqui ſequiori ævo metropolis eccleſiaſtica facta eſt, in quam tranſlata videntur Claudiopolitanæ ſedis jura, ut pote ſcilicet quæ à prima conſtitutione provinciæ Honoriadis, primaria illius civitas à Theodoſio Imp. declarata erat. Stat hodie & *Penderachi* vocitatur.

ECCLESIA HERACLEÆ PONTI.

EPISCOPI HERACLEÆ PONTI.

I. Eusebius.

Theosebium episcopum pro Olympio Claudiopolis Ephesinæ synodi decretis subscripsisse dixi, qui idem mihi videtur esse ac *Eusebius Heracleæ episcopus*, quem suo perinde loco inter episcopos alios subscriptum passim reperimus, Εὐσέβιος ἐπίσκοπος Ἡρακλείας, atque initio act. 1. in codd. Latinis *Heracleæ Honoriadis*, disertè assignatur. *Eusebius Heracleæ Honoriadis*, ut & apud Marium Mercatorem.

II. Theodorus I.

In synodo Chalcedonensi sedit & subscripsit, *Theodorus episcopus Heracleæ Ponti*, Θεόδωρος ἐπίσκοπος Ἡρακλείας Πόντου.

III. Epiphanius.

Constantinopolitanæ item synodo sub Menna cum Abrahamio Cratiæ adfuit, *Epiphanius episcopus Heracleæ Ponticæ*, Ἐπιφάνιος ἐπίσκοπος Ἡρακλείας Ποντικῆς.

IV. Stephanus.

Sextæ synodo generali, *Stephanus episcopus Heracleæ Ponti*, Στέφανος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Ἡρακλείας Ποντικῆς. In subscriptionibus canonum Quinisextæ synodi, in quibus nomen ejusdem Stephani occurrit, additur, Ὀνωριατῶν πόλεως, *civitatis Honoriatarum.*

V. Joannes I.

Septimæ synodo, *Joannes episcopus Heracleæ Ponti*, ut fert Latina translatio act. 7. Ἰωάννης ἐπίσκοπος Ἡρακλείας.

VI. Paulus.

Nicolaus Papa I. epist. ad Michaëlem Imp. inter præcipuos antistites, qui S. Ignatii CP. causam adversus Photium tuebantur, *Paulum Heracleæ Ponti*, memorat.

VII. Meletius.

Pseudo-synodo Photianæ post S. Ignatii obitum adfuit & subscripsit *Meletius Ponto-Heracleæ*, Μελετίου Ποντοηρακλείας, Μελέτιος Ποντοηρακλείας.

VIII. Nicephorus.

Synodo Constantinopolitanæ, in qua Manuële Critopulo patriarcha præside, Romani metropolitæ Dyrrachii quæstionibus responsum est, *Nicephorus Pontoheracleæ* aderat, Ποντοηρακλείας Νικηφόρου. Qui perinde alteri quoque synodo interfuit, in qua actum est *De translationibus episcoporum*, quum locum teneret metropolitæ *Claudiopolis*, τοῦ Ποντοηρακλείας, καὶ ἐπέχοντος τὸν τόπον τοῦ Κλαυδιουπόλεως, Νικηφόρου. Idem Nicephorus in illa synodo Germani II. Patriarchæ sedebat, à qua *Christophorus* Ancyræ delegatus est ad Michaëlem Ducam, Epiri & Thessalonicæ despotam. τοῦ Ποντοηρακλείας Νικηφόρου. Jur. Gr. Rom. pag. 240. Lamb. Bibl. Cæsar. cod. 231.

IX. Theodorus II.

Georgius Pachymeres in *Michaële Palæologo* lib. 4. cap. 6. inter episcopos qui Joseph Galesii patriarchæ destitutioni repugnarunt, *Theodorum Heracleæ Ponti*, sive *Pontoheracleæ* memorat, ὁ Ποντοηρακλείας Θεόδωρος.

X. * * *

Heracleæ Ponti metropolita ex iis Orientalis ecclesiæ metropolitis fuit, qui Michaële Palæologo Imp. epistolam Gregorio Papæ X. scripserunt de ecclesiæ Græcæ cum Latina reconciliatione, & ad quem vicissim suam inscripsit Papa: *Venerabilibus fratribus Ephesino . . . Heracleæ Ponti.*

XI. Joannes II.

Nicephorus Gregoras lib. 9. hist. cap. 17. pag. 300. veteris editionis, *Joannem Heracleæ Ponti metropolitam* avunculum fuisse suum prodit, suumque item à teneris annis curatorem, qui diem postremum decrepitus senex obiit, quo tempore Esaias patriarcha destitutus fuit. ἐν τούτοις καὶ Ἰωάννης ὁ ἐμὸς μετά γε Θεὸν κηδεμὼν ἀπὸ βρέφους φανεὶς ὁ πρὸς μητρὸς θεῖός μου, εἰς βαθὺ γῆρας ἐληλακὼς, καταλύει τὸν βίον ἐν τῇ λαχούσῃ μητροπόλει, quem neque senium, neque pedum ægritudo adducere umquam potuit, ut de juvenili, summaque vitæ spiritualis exercitatione aliquid remitteret. ἦν δὲ ἡ λαχοῦσα αὐτὸν μητρόπολις ἡ κατὰ Πόντον Ἡράκλεια, *erat autem ejus metropolis Heraclea Ponti*; quem Heracleoticus populus ut patrem, Deique plenum virum suspexit, nec agrestem, nec temerarium doctorem, linguam è suggesto insanè exserentem, quæ auditorum aures magno, ineptoque strepitu sauciaret; sed numquam ad inutilia declinantem, quin ab adolescentia sua, lingua, auribus, animoque probe institutum, sacra profanaque eloquentia satis ad auditores suos regendos instructum. Id quod Gregoras compertum cunctis fore ait, qui vitam illius quam ipse conscripserat, adire voluerint. ἔξεστι δὲ τοῖς βουλομένοις ὁποῖος καὶ ὅσος τὴν ἀπάσαν ἀρετὴν ὁ ἀνὴρ, ἐξ οὗ περ ἡμεῖς αὐτοῦ συγγεγράφαμεν βίου.

XII. METHODIUS.

In synodo Callisti Patriarchæ, quæ Palamitarum errores admisit & confirmavit, sedit & subscripsit *Methodius metropolita Ponto-heracleæ & Hypertimus*, Ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Ποντοηρακλείας ὁ Ὑπέρτιμος, Μεθόδιος. ECCLESIA HERACLEÆ PONTI.

III.

ECCLESIA TII.

TIUM, Τῖον, vel *Teïum*, Τήϊον, Straboni lib. 12. Bithyniæ oppidulum fuit, nihil dignum habens unde commendaretur : *nisi quod ex ea Philotærus ortus erat, à quo genus Attalicorum regum.* Arriano urbs Jonica est ad mare, Milesiorum colonia. Plinio, in Bithynia *oppidum est. Tium ab Heraclea triginta octo millibus pass. fluvius Bilis : sequuntur Parthenii fluminis ostia.*

EPISCOPI TII.

I. APRAGMONIUS.

IN Ephesina synodo, ac post viginti annos A in Chalcedonensi sedit & subscripsit *Apragmonius episcopus Tii*, Ἀπραγμόνιος ἐπίσκοπος Τίου, quin & in ista vices gessit Calogerii metropolitæ Claudiopolis.

II. ANDREAS.

Relationi synodi C P. ad Joannem Patriarcham de Severo Antiocheno, & aliis hæreticis quæ lecta est act. v. concilii sub Menna subscripsit *Andreas episcopus Tianorum provinciæ Honoriadis*, Ἀνδρέας ἐπίσκοπος τῆς Τιανῶν, τῆς τῶν Ονωριατῶν ἐπαρχίας, ὑπέγραψα τῇ ἀναφορᾷ. B

III. EUGENIUS.

Synodo Constantinopolitanæ sub Menna adfuit & subscripsit *Eugenius episcopus Tii*, Εὐγένιος ἐπίσκοπος Τίου.

IV. LONGINUS.

Sextæ synodo generali *Longinus episcopus Tii.* Λογγῖνος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Τίου.

V. MICHAEL.

Septimæ synodo *Michaël episcopus Tii*, Μιχαὴλ ἐπίσκοπος Τίου.

VI. CONSTANTINUS.

Octavæ synodo *Constantinus misericordia Dei episcopus Tii.* Qui in Pseudo-synodo Photiana posthac sedisse quoque legitur Κωνσταντίνου Τίου, Κωνσταντῖνος Τίου. Hic est profectò *Constantinus ille Teïensis*, sive *Tii*, cujus Latinè exstat apud Surium ad diem 2. Julii, *Sermo de inventione reliquiarum S. Euphemiæ martyris*, quæ ad ejus ætatem incorruptæ & intemeratæ servatæ erant, quasque Constantino & Irene matre Impp. Tarasio Patriarcha & Andrea Chalcedonensi metropolita, ex insula Lemno Chalcedonem relatas narrat, quum sub Leone Isauro loculus, in quo depositæ erant, ossibus cadaveris alterius repletus fuisset, ipsumque Templum sordibus conspurcatum. *Hæc ergo postquam vidi*, inquit, *totus plenus lacrymis & ejulatibus egressus sum, admirans omnipotentis Dei tolerantiam & permissionem.* Quæ aliaque Constantini dicta innuunt satis, eum non procul ab eo tempore abfuisse, quo reliquiæ S. Euphemiæ à Chalcedonensibus receptæ sunt.

IV.

ECCLESIA CRATIÆ.

CRATIA, quæ *Flaviopolis* dicitur Ptolemæo, Φλαβιούπολις ἡ ἡ Κρατία, à Flavio Vespasiano, quantum capio, ejusve filiorum altero, appellationem hanc alteram habuit, in Bithyniæ veteris mediterraneo posita, quæ subinde Honoriadis censita est, ut fert Notitia Hieroclis; quin & aliæ subinde. In Itinerario Antonini prima civitas est euntibus Claudiopoli Ancyram.

EPISCOPI CRATIÆ.

I. PHILETUS.

EUSEBIANORUM, qui à synodo Sardicensi Philippopolim Thraciæ secesserunt, C episcoporum unus fuit *Philetus episcopus à Cratia*, qui illorum epistolæ subscriptus legitur.

II. PAULUS.

Quo tempore Eudoxia Augusta in Joannem Chrysostomum sæviebat, circa Paschale festum, *sanctus Paulus Cratiæ episcopus imperterrita fiducia*, sic eam alloqui, *non dubitavit*, ὡς τὸν ἅγιον Παῦλον τῆς Κρατίας ἐπισκόπων ἀδείλῳ τῇ παῤῥησίᾳ: *Eudoxia, Deum time, tuorum te liberorum misereat, nec sanctam Christi solennitatem sanguinis effusione viola.* Palladius Dial. *De vita S. Joan. Chrys.* p. 82. 83. Ac certè Paulus Cratiæ unus erat è quadraginta

ECCLESIA CRATIÆ.

episcopis, qui Theophili Alexandrini synodo repugnarunt.

III. EPIPHANIUS.

Concilio Ephesino adfuit & subscripsit *Epiphanius episcopus Cratiæ*, Ἐπιφάνιος ἐπίσκοπος Κρατείας.

IV. GENETHLIUS.

In concilio Chalcedonensi *Eulogius presbyter locum tenuit Genethlii episcopi Cratiæ*, B Εὐλογίου πρεσβυτέρου, ἐπέχοντος τὸν τόπον Γενεθλίου ἐπισκόπου Κρατείας: qui pro illo subscripsit act. VI. Γενέθλιος ἐπίσκοπος Κρατείας ὁρίσας ὑπέγραψα διὰ Εὐλογίου πρεσβυτέρου, *Genethlius episcopus Cratiæ definiens subscripsi per Eulogium presbyterum.*

V. PLATO.

Relationi synodi CP. ad Joannem Patriarcham de Severo Antiocheno & aliis hæreticis, quæ lecta est act. v. concilii sub Menna, subscripsit *Plato episcopus civitatis Cratianorum*, Πλάτων ἐπίσκοπος τῆς Κρατιανῶν πόλεως.

VI. ABRAMIUS.

In vita S. Sabæ archimandritæ in Palæstina A fertur, *Abramium* ex cœnobii Turrium monacho haud procul Hierosolymis, ad Cratiæ episcopatum evectum esse, ἐξ ἧς ἦν ὁ ἡμῶν Ἀβράμιος ὁ Κρατείας ἐπίσκοπος, qui synodo Constantinopolitanæ sub Menna adfuit & subscripsit, Ἀβράμιος ἐπίσκοπος Κρατείας. *Abramius episcopus Cratiæ.*

VII. DIOGENES.

In Quinta synodo sedit & subscripsit *Diogenes misericordia Dei episcopus Cratianorum.*

VIII. GEORGIUS.

In Sexta synodo *Georgius episcopus Cratiæ Honoriadis*, Γεώργιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Ονωριάδος, qui & Quinisextæ synodi canonibus perinde subscriptus reperitur.

IX. CONSTANTINUS.

In Septima synodo *Constantinus episcopus Cratiæ*, qui in Græco textu *Constans* nomi- C natur, Κώνστας ἀνάξιος ἐπίσκοπος Κρατείας.

X. BASILIUS.

In Octava demum synodo *Basilius misericordia Dei episcopus Cratiæ*. Quin etiam subinde in Photiana post S. Ignatii obitum, Βασιλείου Κρατείας, Βασίλειος Κρατείας.

V.

ECCLESIA HADRIANOPOLIS.

SUam quoque Paphlagonia *Hadrianopolim* habuit, quæ Honoriadi à Theodosio juniore attributa fuit. In vita S. Alypii monachi, quam doctissimi nostri Combefisii manu exaratam habeo, una dicitur civitatum Mariandynorum Paphlagonum, μία τῶν Μαρυανδυνῶν αὕτη τῶν Παφλαγόνων ὑπάρχουσα; Ἀδριανούπολις καλουμένη. In Notitia Hieroclis, & in alia veteri, Hadrianopolis sexta civitas est Honoriadis, quinta in veteri altera ecclesiarum; nec omissa est à Justiniano in Novella XXIX. Hanc Holstenius jure secernendam monet ab Hadrianis Bithyniæ civitate, ut suo loco perspicuum fiet.

EPISCOPI HADRIANOPOLIS.

I. EVETHIUS.

IN Indice Patrum Nicænorum *De provincia* D *Bithyniæ* legitur *Evethius Hadrianopolis.*

II. THEOPHILUS.

Pelagius presbyter in Chalcedonensi concilio vices gessit *Theophili episcopi Hadrianopolis*, Πελαγίου πρεσβυτέρου ἐπέχοντος τὸν τόπον Θεοφίλου ἐπισκόπου Ἀδριανουπόλεως, pro quo subscripsit Act. 6. Θεόφιλος ἐπίσκοπος Ἀδριανουπόλεως ὁρίσας ὑπέγραψα διὰ πρεσβυτέρου μου Πελαγίου. *Theophilus episcopus Hadrianopolis* E *definiens subscripsi per presbyterum meum Pelagium.*

III. THEODORUS.

Relationi synodi Constantinopolitanæ ad Joannem Patriarcham de Severo Antiocheno & aliis hæreticis subscripsit, *Theodorus episcopus ecclesiæ Hadrianopolis provinciæ Honoriadis.* Θεόδωρος ἐπίσκοπος τῆς κατὰ τὴν Ἀδριανούπολιν ἐκκλησίας τῆς τῶν Ονωριατῶν ἐπαρχίας. Dubio procul Theodorus iste est, cui S. Alypii monachi mater filium obtulit coram altari ab eo educandum, προσάγει τῷ θυσιαστηρίῳ καὶ εἰς χεῖρας τοῦ τηνικαῦτα ἀρχιερεῖ. Θεόδωρος αὐτῷ ὄνομα. Quocirca Alypius posthac ab eo diaconus est ordinatus, cui res Ecclesiæ suæ curandasco mmisit. S. Alypii vitam apud me Combefisii nostri manu inter schedas ejus exaratam habeo.

IV. PLATO.

In Sexta synodo sedit & subscripsit *Plato episcopus Hadrianopolis Honoriadis*, Πλάτων ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Ἀδριανουπόλεως Ονωριάδος.

V. NICETAS.

In Septima synodo *Nicetas episcopus Ha-*

drianopolis in ſerie epiſcoporum Honoriadis, Νικήτα ἐπισκόπου Αδριανουπόλεως. Qui tamen act. III. ſubſcriptus legitur Νικήτας ἐπίσκοπος Αδριανῶν, *Nicetas epiſcopus Hadrianorum.*

VI. SOPHRONIUS.

In ſynodo Photiana poſt S. Ignatii obi- A tum, *Sophronius Hadrianopolis*, Σωφρονίου Αδριανουπόλεως, Σωφρόνιος Αδριανουπόλεως. An non forſan Hadrianopolis Piſidiæ? quod tamen vix admiſero, quando Hadrianopolis Honoriadis remota adeò non erat, ut facilè poſſet hujus urbis epiſcopus Conſtantinopolim ad ſynodum accedere.

ECCLESIA Hadrianopolis

VI. # ECCLESIA PRUSIADIS.

IN Notitia Hieroclis, aliiſque epiſcopatuum, necnon in Novella Juſtiniani XXIX. *Pruſa*, Πρῦσα, quæ & *Pruſias*, Προυσιάς Honoriadis & Paphlagoniæ cenſetur, præter Pruſam alteram Bithyniæ civitatem ad Olympum montem. Prior mediterranea, ad Hypium fluvium poſita erat, qui in Pontum in Mariandynorum finibus labitur; quæ rurſum à Pruſiade altera ſecernenda venit, quæ ad Cium amnem exſtabat.

EPISCOPI PRUSIADIS.

I. HESYCHIUS.

INter Patres Concilii Nicæni primi de provincia Bithyniæ cenſetur *Heſychius Pruſenſis juxta Hypium fluvium.* B

II. OLYMPIUS.

In Chalcedonenſi Concilio Modeſtus presbyter locum tenuit *Olympii epiſcopi Pruſiadis Honoriadis.* Ita teſtantur indices Latini: *Olympius Pruſiadenus per Modeſtum presbyterum.* Nomen ejus è ſubſcriptionibus Græcis excidit. In Latinis vero Baluzianæ Collectionis, legitur, *Modeſtus presbyter Pruſiadæ pro epiſcopo meo.* C

III. DOMITIUS

In Sexta ſynodo inter Honoriadis epiſcopos ſedebat, *Domitius epiſcopus Pruſiadis*, Δομετίου ἐπισκόπου Προυσιάδος, qui & decretis ejus definitionibuſque ſubſcripſit. Hic act. 8. adverſus Stephanum Monotheletam ſic excepit, ποῦ σοῦ τὸ ἄτοπον, βλάσφημε; ἐὰν συνθελητὴς ὁ Αδὰμ τοῦ Θεοῦ, οὐκ οὖν καὶ συνδημιουργός. D *Quorſum hæc abſurditas tua, blaſpheme! Si Adam ejuſdem ac Deus voluntatis eſt, ergo ſimul cum eo conditor rerum.* Huic concilio aderat etiam Polychronius Pruſenſis.

IV. THEOPHILUS.

In Septima ſynodo inter epiſcopos Honoriadis perinde ſedit & ſubſcripſit *Theophilus epiſcopus Pruſiadis*, Θεόφιλος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Προυσιάδος. Sedebat quoque *Theodorus Pruſæ.*

V. PAULUS.

Græci in Menologiis die 7. Maii memoriam recolunt *S. Pauli Pruſiadis epiſcopi & confeſſoris, qui vixit illis temporibus quibus ab hoſtibus ſanctarum imaginum eccleſia oppugnabatur, ob cujus defenſionem multa paſſus & in exſilium miſſus, in pace quieſcens, ſpiritum Deo commendavit.* Nulla ſynaxaria Græca hunc Pruſæ epiſcopum aſſignant, ſed Pruſiadi. Gravi autem apertoque errore in Romano Martyrologio eadem ipſa die, *Paulus epiſcopus Peluſii* dicitur.

VI. CONSTANTINUS.

Octavæ ſynodo adfuit & ſubſcripſit *Conſtantinus miſericordia Dei epiſcopus Pruſiadis*, adeoque Honoriadis.

VII. LEO.

Pſeudo-ſynodo Photianæ poſt S. Ignatii obitum adfuiſſe & ſubſcripſiſſe legitur *Leo Pluſiadis*, Λέοντος Πλουσιάδος, Λέων Προυσιάδος, ſive Προυσιάδος, λ pro ρ. ut ſæpe fit.



XII. PROVINCIA BITHYNIÆ.

I. ECCLESIA NICOMEDIÆ METROPOLIS.

QUÆ in Nicænæ synodi actis à Gelasio Cyziceno adornatis *Diospontus* provincia dicitur, Ponticæ diœcesis regio, hæc præsertim *Bithynia* censenda est. Atqui una Bithynia provincia habita est ad tempora usque Valentiniani & Valentis Impp. qui provinciam istam in duas partiti sunt, quarum primæ, ut olim, caput Nicomedia fuit, secundæ Nicæa. Etsi vero Principum dispositione Nicæa secundæ Bithyniæ metropolis instituta erat; quod tamen res ecclesiasticas pertinet, Nicomediensis antistitis potestati obnoxia diu interim mansit, ut & reliquæ ejusdem novæ provinciæ civitates; quæ quidem metropolitica jura sarta-tecta Nicomediensi servari concilii Chalcedonensis Patres decreto speciali act. 13. sanxerunt: quod etiam in posterum valere voluerunt, ubi metropolis nova ab Imperatoribus institueretur. Quod Nicomediam spectat, omnibus notissima, quin & ipso Plinii ævo præclara civitas est à Nicomede Bithyno Zipœtis filio, Zelæ patre condita in intimo Propontidis sinu qui Astacenus dicitur. De ea Strabo ait: *Post Chalcedonem sequitur littus quod Astacenus sinus appellatur, qui Propontidis pars est, in quo condita Nicomedia, dicta de uno quodam Bithynorum regum. Multi enim eo nomine vocati fuerunt, quemadmodum Ptolemæi propter nominis claritatem.* His retro temporibus omissis, Nicomedia sub Diocletiano præsertim Imp. longè clarior evasit, quam ille Romæ æquare vellet, quo Romani senatûs auctoritatem minueret, ut Lucius Cæcilius narrat lib. *De mortibus persequutorum.* Hoc vero decessoris sui consilium. Magnus Constantinus mutavit, ac Byzantium Nicomediæ prætulit, cujus situs præstantior omnibus arrideret. Cæterum Nicomediâ frequentibus terræ-motibus quassatâ, eximia ejus ædificia quibus admodum ornabatur, solo tenus diruta sunt. Huic urbi Christianæ religionis rudimenta Apostolorum Coryphæus Petrus intulit, dum Romam ducto per Ponti provincias itinere pergeret. Quocirca primam epistolam suam inscripsit, *Electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ Asiæ & Bithyniæ.* Paulus vero, quum in *Bithyniam ire tentaret, non permisit Spiritus sanctus,* Act. 16. v. 7. Illos autem Andreas germanus Petri docuit, ut & reliquos Ponti regionum incolas, unde in Thraciam trajecisse fertur. Lucas Evangelista in Bithynia quoque prædicavit, ubi & diem postremum obiit. Ad Nicomediæ autem ecclesiam medio sæculo à Christi nativitate secundo Dionysius Corinthi episcopus scripsit, qua epistola, Eusebio Cæsariensi teste, Marcionis hæresim impugnans, veritatis regulæ firmiter adhærebat. Inprimis vero frequentissima florentissimaque ecclesia hæc evaserat, quo tempore Diocletianus summam rerum capessivit, cujus ille sacram ædem, è regione Imperatorii sui palatii in edito loco constructam, Maximiano Cæsare instigatore funditus erui jussit: tum deinde innumerabiles utriusque sexûs martyres haud secus ac Romæ, ea in urbe Christi causa interemti sunt. Notitias taceo omnes, quibus Nicomedia Bithyniæ saltem primæ metropolis est.

EPISCOPI NICOMEDIÆ.

I. PROCHORUS.

NOn modo Dorotheo Tyri & Hippolyto Thebano, ac Menologiorum scriptoribus quibus Petrus de Natalibus adstipulatur, *Prochorus*, unus è septem Diaconis, quos Apostoli Hierosolymis creaverant, primus Nicomediæ episcopus fuit, Πρόχωρος ἐπίσκοπος Νικομηδίας, verum etiam in oratione Græca de Petri & Pauli peregrinationibus idem fertur. *Magnus autem Petrus reversus Antiochiam, quum Evodium constituisset Episcopum, venit Synadam in Phrygiæ civitatem, deinde Nicomediam, ubi quum Prochorum episcopum ordinasset,* ἐν ᾗ τὸν Πρόχωρον ἐπίσκοπον χειροτονήσας, *Ilium venit in Hellesponti oppidum.* Martyrologia vero Latina asserunt Prochorum Antiochiæ martyrem occubuisse die 9. Aprilis.

ECCLESIA NICOMEDI.

II. EVANDER.

Primasius libro qui *Prædestinatus* inscribitur, in hæresi *Ophitarum* ait: *Contra hos susceperunt Bithyniæ sacerdotes,* inquit, *id est civitatis Chalcedonis & Nicomediæ episcopi, Theocritus & Evander, & confutantes eos publicè superarunt. Atque superventum facientes eis per collegia eorum, in Bithyniæ, ut dixi, partibus per possessiones clanculo, ubi hæc ipsa perpetrabant, & sacerdotes eorum eliminarunt, & serpentes occiderunt, & rationem reddentes omni populo, maximam partem plebis ab hoc periculo liberarunt.* Theocritus itaque Chalcedonis, & Evander Nicomediæ ecclesiam sæculo secundo regebant, quo in Bithynia grassabatur illud virus Ophitarum.

III. CYRILLUS.

IV. ANTHIMUS.

Acta SS. Indis Persæ & Domnæ, quæ Latine apud Surium exstant ad diem 26. Decemb. perhibent *Cyrillum Nicomediæ episcopum,* quo tempore Maximianus in barbaros pergebat, Domnam fecisse catechumenam, & paulopost baptizasse cum Inde eunucho, eoque pontifice annuente, facultates omnes suas in pauperes impendisse: ambobus vero in carcerem trusis, custodes à Præfecto poposcisse, ut Domnam quæ insaniam simulabat, inde ejiceret. Quocirca *Anthimus,* qui tunc Nicomediæ episcopatu post Cyrillum fungebatur, à Præfecto accersitur, ut pote cui virgo commendata erat. Atqui S. Anthimus Nicomediæ episcopus jam ante sedebat, quam Diocletiani in Christianos omnes edictum promulgaretur, quippe quem Eusebius in ipsissimet Diocletianeæ insectationis initiis, seu anno Christi 304. martyrio functum & capite minutum refert lib. 8. c. 6. *ἐν τούτῳ τῆς κατὰ Νικομήδειαν ἐκκλησίας ὁ τηνικάδε προεστὼς Ἄνθιμος, διὰ τὴν εἰς Χριστὸν μαρτυρίαν ἀποτέμνεται. κατὰ τὴν ἀρχὴν τοῦ διωγμοῦ.* Quamobrem Anthimi martyrium rectè assignatur in chronico Paschali, anno 19. Diocletiani. Ejus mentio fit in Martyrologio Romano die 27. Aprilis, ad quem proinde martyrii ejus narratio regesta est inter Acta SS. ejusdem mensis. In ea tamen disertè fertur, Anthimo caput amputatum esse tertio mensis Septembris. In eodem chronico Paschali ad illum Diocletiani annum 19. excerptum habetur epistolæ S. Luciani Martyris ad Antiochenos, quo pretiosam S. Anthimi necem nuntiabat. *συναγγελίζομαι δὲ ὑμᾶς ὡς Ἄνθιμος ὁ πάπας τῷ τοῦ μαρτυρίου δρόμῳ ἐτελειώθη. Simul vobis annuntio, Anthimum Papam martyrii studio obiisse.* Quum autem in Martyrologiis sexcenti Christi martyres in eadem urbe

ANTHIMUS.

A occidisse narrentur, in iis etiam episcopi complures apparent, nullus Anthimi successor indicatur; de quibus proinde nulla hic afferre interest.

V. EUSTOLIUS.

Anno 314. Nicomediæ episcopus sedebat *Eustolius,* quo synodo Ancyranæ adfuit, subscripsitque, *Eustolius Nicomediæ Bithyniæ.*

VI. EUSEBIUS *primùm.*

Eustolio utique suffectus est famosissimus B ille Arianorum princeps *Eusebius,* cujus causa illius sectæ præsules *Eusebiani* quoque dicti sunt. Hic ex ecclesia Berytensi cui præfectus fuerat, ad Nicomediensem transvolavit, Licinii, qui in Oriente imperabat, quantum ex Constantini ad Nicomedienses epistola colligendum datur, opera. Ibi enim Constantinus ait, *Eusebium, iis qui tunc temporis dominabantur, omni ope adjuvantibus, Nicomediam venisse, & rectum disciplinæ ordinem perturbasse,* præpostera (scilicet ad eorum sedem, Berytensi relicta) promotione. Ammianus Mar- C cellinus lib. 2. pag. 219. Eusebium Nicomediæ præsulem cognatione, licet remotiori ac longiori, cum Juliano apostata fuisse conjunctum declarat. At vero Antiochiæ primùm educatus videtur, quippe qui S. Luciani unà cum Ario discipulus fuit. Quocirca Arii hæresim & doctrinam malis artibus concinnavit, auxit & fovit tamquam magister, qui discipulus haberi nollet. Constantinus in ea quam mox appellabam epistola, certissimis se confirmaturum argumentis asserit, eum Licinio tyranno militari penè ministerio sub- D sidio fuisse, deprehensosque presbyteros & diaconos, qui suam hac in re illi operam præstarent. Atqui epistolam hanc Imperator scribebat, quum Eusebius à concilio Nicæno cui adfuerat, episcopatu dejectus esset, qui Fidei formulam quam Patres condiderant, admittere detrectaret. Quamobrem queritur, quod post definitam à concilio Fidem veram, Nicomedienses in illius hæresis societatem venerant, per Eusebii institutionem pravamque doctrinam conscientiam induentes à veritate aversam: hortatur & mandat *ut episcopo fideli* E *& sincero demum accepto, ad eum oculos convertant.* Quia vero epistola hæc non Nicomediensibus solis, sed & Nicænis civibus data est, hinc est quod versus finem ait, Eusebium & Theognium Nicænum à se longissime deportari jussos. Tum addit: *Vestrum nunc est ea fide oculos in Deum conjicere, in quo vos semper olim fuisse constat, & esse decet, & efficere ut gaudeamus, puros & orthodoxos episcopos nacti.* Planè Philostorgius apud Nicetam choniatam lib. 5. Thesaur. cap. 8.

Eusebium, Theognium, & Marim Chalcedonensem in Gallias relegatos esse narrat. A Theodoretus lib. 1. hist. cap. 5. Arii ad Eusebium Nicomediensem epistolam recitat, ab illo scriptam ubi primùm ab Alexandro Alexandrino archiepiscopo suo damnatus fuit, adeoque anno 320. ut Eusebius Nicomediensem sedem anno saltem 319. capessiverit.

VII. Amphion *primùm.*

Eusebio à Nicæna synodo ad ordinem redacto, Nicomediensi ecclesiæ à Patribus episcopus designatur *Amphion*, ut post epi- B stolæ Constantini excerptum quod laudavimus, Theodoretus subjungit: *Et Nicomediam quidem Amphion regendam, Nicæam vero Chrestus suscepit*, καὶ τὴν μὲν Νικομήδειαν Ἀμφίων ἐπιστεύθη, τὴν δὲ Νικαίαν Χρῆστος. Caverant utique Patres; caverat & Imperator, ne Nicomedienses & Nicæni hæreticis Eusebii doctrinis jam imbuti, ejusdem furfuris præsules sibi crearent. De utriusque promotione Athanasius in Apologia sua 2. aiebat: *Bene siquidem cognitum habetis, Amphionem quidem Nicomediæ*, ὅτι Ἀμφίων μὲν ἐν Νικο- C μηδείᾳ, *Chrestum vero Nicææ, in eorum locum constitutos* (Eusebii & Theognii) *ob impietatem & communionem, quam illi cum Arianis à concilio Nicæno reprobatis habuerant.*

VIII. Eusebius *iterum.*

Eusebius ille, quemadmodum & Theognius, exsilii sui pertæsus, suadente Imperatoris sorore Constantina, Nicænam Fidem simulatè demum amplexus est, ei vafro animo subscribens, circa anni 328. finem, vel 329. D initia, moxque ambo, nullo, ut leges ferebant, synodali dato decreto, in pristinas sedes invaserunt. Id diserte significat Athanasius Apologia sua 2. Sed nec Eusebii simulationem tacuit Philostorgius, à quo illum Nicænæ formulæ revera subscripsisse discimus, quum ὁμοιούσιον, *similis substantiæ*, sub voce ὁμοούσιον, *ejusdem substantiæ* intelligeret. Quin etiam lib. 1. cap. 10. Philostorgius rursum narrabat Secundum Ptolemaïdis episcopum, alterum Arianæ hæresis patronum, Eusebio aliquando dixisse; *Eusebi, subscripsisti, ne in exsi- E lium ducereris. Ego confido in Deum, te infra annum exsilio multatum iri.* Simulatam quoque eorum pœnitentiam rerum Ecclesiæ scriptores tangunt, ac Socrates lib. 1. hist. cap. 14. libellum ipsorum regessit, quo tum *Consubstantialis* vocem admittebant, tum anathema Ario pronuntiabant. Eusebius itaque recepta sede Nicomediensi, Constantini animum ita sibi conciliavit, ut nihil non tentaverit in catholicos antistites; nihil non, inquam, patrare auderet. Notæ omnibus sunt, quas ille insidias Athanasio magno Alexandrino paraverit, ut eum sua sede pelleret, quæ ejus nutu variis in conciliis Tyri, Hierosolymis, & alibi contra leges gesta sint. Anno 336. Constantinopolim venit, tum ut Principem Athanasio infensiorem redderet, eumque procul amandari impetraret; tum ut efficeret Arium ab Alexandro Constantinopolitano communione donari. Post Constantini obitum, defuncto quoque sancto illo Regiæ urbis præsule Alexandro, à Constantio Imp. in ejus sedem, Nicomediensi relicta insiluit, circa annum 339. Paulo legitimo illius pastore Cucusum in Armenia deportato.

IX. Amphion *secundùm.*

Eusebio ad Constantinopolis thronum evecto, Nicomediensi ecclesiæ *Amphion* redditus est, qui non ita se catholicæ Fidei studiosum præstitit. Nam anno 347. Sardicam ad synodum quæ ibi cogebatur, quum venisset, ab ea, Eusebianis junctus, Philippopolim cum illis secessit, quorum encycliæ epistolæ subscriptus legitur *Amphion episcopus à Nicomedia.*

X. Cecropius.

Post Amphionem anno 351. Nicomediæ sedebat *Cecropius;* qui nempe eo anno Sirmiensi viginti duorum episcoporum synodo, quæ Photinum illius urbis episcopum hæreticum proscripsit. Athanasius epist. ad solitarios Cecropium Laodicea Syriæ Nicomediam à Constantio Aug. translatum perhibet, & oratione 1. contra Arianos eumdem Cecropium, perinde atque Auxentium Mediolanensem & Epictetum hypocritam alterum, se calumniis atque insidiis in rectæ religionis professores insignem præbuisse, hosque tres, quum ultra octoginta mansiones morarentur, nec vulgo noti essent, episcoporum sibi negotiatos nomen. Quamquam à genuinis Arianis Cecropius desciviσse videtur, propter epistolam quam ad eum, ut ad Macedonium Constantinopolitanum, Basilium Ancyranum & Eugenium, utique Nicænum, Georgius Laodicenus scripsit adversus impiam Aëtii & Eudoxii de Deo Verbo sententiam. Hanc recitat Sozomenus lib. 4. c. 13. datam anno 358. illo ipse nimirum, quo Cecropius ipse, multorum episcoporum coacta Nicomediæ à Constantio Imp. synodo, solus cum altero de Bosporo, terræ motu intra ecclesiam oppressus periit. Nec omittendum, eodem anno 358. in conventu Constantinopolitano Basilium Ancyranum episcopatu ab Acacianis multiplici titulo amotum esse, quorum hic unus erat, quod, quum Imperator Aëtium Nicomediam duci jussisset, ut de criminibus quorum reus agebatur, coram Cecropio responderet,

respondere, cui rem Princeps commiserat, eodem Cecropio suaserat, ut ea sola præstarent, quæ ipse suggereret; qua nempe tunc apud Constantium valebat auctoritate. Sozom. lib. 4. cap. 23.

A

XI. Marathonius.

Marathonium à Macedonio qui Constantinopolitanam sedem tenebat, ante Seleuciensem synodum Nicomediæ factum episcopum, Socrates lib. 2. cap. 38. & Sozomenus lib. 4. cap. 26. scripsere, adeoque adversus Cecropium; quod plane abstrusum videtur. Sozomenus eodem loco refert Macedonium Constantinopolim vicinasque regiones turbasse, sibi patrocinantibus Eleusio Cyzici & Marathonio, qui antea Diaconi officio in ipsius ecclesia functus erat, ac cœnobia virorum & mulierum curaverat; hunc vero Nicomediæ antistitem creasse, ἐπίσκοπον Νικομηδέων κατέστησεν, qui auctor Macedonio fuisse ferebatur illius hæresis quæ Macedonianorum ab eo dicta est, quæque etiam *Marathonianorum* appellabatur. Ita Socrates, necnon Sozomenus cap. 27.

B

XII. Onesimus.

Acacius Cæsariensis in Palæstina, rebus in conventu Constantinopolitano post Seleuciensem synodum habito, pro voto confectis, ipso quo Cecropius anno obiit, ad episcopos revertens, qui ὁμοούσιον *consubstantiale profitebantur passim per ecclesias constituit,* inquit Philostorgius, *ac Nicomediæ quidem Onesimum pro Cecropio,* καθίστησι μὲν ἐν Νικομηδείᾳ ἀντὶ Κεκροπίου Ὀνήσιμον, quem alibi non reperi.

C

XIII. Euphrasius.

Tempore synodi Constantinopolitanæ generalis prioris Nicomediæ sedebat *Euphrasius,* qui eidem concilio adfuisse legitur in Indice Latino, *Euphrasius Nicomediensis.* Ac certe Gregorius Nyssenus epist. 13. Nicomediensibus scribens, *beatum* illum prædicabat, ut pote jam defunctum, τοῦ μακαρίου Εὐφρασίου ἐπισκόπου διὰ πάσης ὁσιότητος, ἑαυτὸν, καὶ ὑμῖν, οἷον σειραῖς τισὶ τῇ ἀγάπῃ τῇ βραχύτητι ἡμῶν συνδήσαντος, *quum beatus Euphrasius episcopus caritate veluti catenis quibusdam seipsum, vosque cum exiguitate nostra devinxerit.*

D

XIV. Patricius.

Euphrasium utique excepit *Patricius,* de quo eadem ad Nicomedienses epistola Nyssenus dicere pergit, ceu cui successor suffectus esset, quum ipsi Gregorio concilium illud generale injunxisset ecclesiarum Bithyniæ & Ponti curam & regimen. *Nos autem,* ait, *excusationem hanc nostram apud caritatem vestram instituentes dicimus, nec anteactis temporibus, nec post beati Patricii obitum,* μετὰ τὴν [illegible] τοῦ μακαρίου Πατρικίου μετάστασιν, *in suscipienda ecclesiæ curatione, quemadmodum muneris nostri ratio postulabat, negligentes umquam fuisse.* Ex quo epistolæ loco discimus, Patricium paucis annis ab Euphrasio defuncto in vivis superstitem fuisse.

ECCLESIA NICOMEDIÆ.

XV. Gerontius.

XVI. Pansophius.

Sozomenus lib. 8. cap. 8. mihi auctor est *Gerontium* qui sub Ambrosio magno Mediolanensis ecclesiæ diaconus fuerat, eoque gradu ob præstigias quasdam quas admiserat amotus, quum medicam artem Constantinopoli exerceret, ubi Ambrosii famæ detrahere non dubitabat, ab Helladio Cæsariensi Nicomediæ nihilominus episcopum esse ordinatum. Quod ubi Ambrosius patratum novit, apud Nectarium Constantinopolitanum expostulavit, ut Gerontius qui contra regulas promotus esset, ad ordinem redigeretur. Verum Nectarii negligentiâ vani cassique ejus conatus fuerunt, obsistentibus ex adverso Nicomediensibus, quorum ille animos sibi admodum conciliaverat. Cæterum Nectario defuncto, Gerontius Nicomediensi sede à S. Joanne Chrysostomo faciliori negotio ejectus est, ejusque in locum suffectus *Pansophius,* Eudoxiæ Arcadii Aug. uxoris olim pædagogus; qui tamen etsi pius, moribusque compositis erat, à Nicomediensibus ægrè admissus fuit, ac non sine seditione, ob beneficia complura quibus Gerontium optime de se meritum causabantur: quæ quidem illi per Regiam urbem etiam cantillare non dubitabant, ut majorem invidiam sanctissimo archiepiscopo conflarent.

PANSOPHIUS.

XVII. Diodorus.

Post Pansophium utique Nicomediensi ecclesiæ præfuit *Diodorus,* cujus mentio est in libro, qui *Prædestinatus* inscribitur, hæresi 58. *Metangismonitarum;* qui nempe transmigrationem animarum tenerent. *Egit contra hos Diodorus episcopus Nicomediæ;* quæ hæresis in illo catalogo Massalianicâ posterior est.

E

XVIII. Himerius.

Nicomediæ episcopus erat *Himerius,* quo tempore Nestorius Constantinopoli sedebat, cujus aliquando causæ patrocinatus est. Contestationi siquidem multorum illorum episcoporum qui intercesserunt, ne Cyrillus Alexandrinus Ephesinam synodum non exspectato Orientalium adventu auspicaretur,

ECCLESIA NICOMEDIÆ

primus omnium ſubſcripſit *Himerius metropolita Nicomediæ;* quinetiam epiſtolæ ſynodi Orientalium Hierapolitanæ & aliis eccleſiis datæ, unde meruit à ſancta ſynodo communione & epiſcopatu ejici. In collectione Caſſinenſi ex Tragœdia Irenæi Tyrii cap. 72. epiſtola Theodoreti exſtat eidem Himerio data, quam Pelagius Papa II. recitat in ea quam Iſtriæ epiſcopis ſcripſit. In ea Theodoretus Himerio gratulatur de certaminibus quæ pro *Apoſtolica Fide,* (Neſtorii ſcilicet cauſam tuendo) obierat. Cap. 70. epiſt. ad Helladium Tarſenſem, Theodoretus rogat, ut certiorem faciat Himerium, ſe pietatem, ſeu veram Fidem non amiſiſſe; hoc eſt, ad Cyrilli Alexandrini ſenſum non acceſſiſſe. Cap. 87. epiſtola ad Joannem Antiochenum ſignificat, ſe literas accepiſſe *ſanctiſſimi & Deo amiciſſimi epiſcopi Himerii, culpantis nos,* inquit, *tamquam communis certaminis proditores.* Ad ſanam mentem eum rediiſſe conjicio; quippe quem non reperio cap. 190. inter epiſcopos, qui ſuæ pro Neſtorio pertinaciæ pœnas dederunt, Imperatoris quoque judicio proſcripti.

XIX. Eunomius.

Anno 449. Nicomedienſi eccleſiæ præerat *Eunomius,* quo prædatoriæ ſynodo Epheſinæ adfuit & ſubſcripſit *Ariſton preſbyter vices agens Eunomii epiſcopi Nicomediæ,* καὶ Ἀρίστωνος πρεσβυτέρου ἐπέχοντος τὸν τόπον Εὐνομίου ἐπισκόπου Νικομηδείας. Poſt biennium Ariſtonis facinus emendavit Eunomius ipſe in concilio Chalcedonenſi, cujus pars non ignobilis fuit. Ac primùm latam in Dioſcorum Alexandrinum ſententiam, Tomumque Leonis Papæ, ſive epiſtolam illius ad Flavianum CP. approbavit, definitionique concilii ſubſcripſit, act. 3. & 6. Εὐνόμιος ἐπίσκοπος Νικομηδείας. In cauſa Photii metropolitæ Tyri & Euſtathii Berytenſis quæ ſubinde à Patribus agitata eſt, ſynodi Anatolii CP. quæ metropolitica jura Euſtathio aſſeruerat, ſententiæ refragatus eſt, eo maxime quod Photius abſens judicatus fuerat. Quum Anatolii ſynodus epiſcopos, quos Photius in novæ Phœniciæ urbibus ordinarat, ad preſbyterorum ordinem depreſſiſſet, Eunomius ſententiam improbans, *eum nequidem preſbyterio dignum eſſe* clamavit, *qui epiſcopatu dignus non foret.* Act. 13. eccleſiæ perinde ſuæ jura adverſus Anaſtaſii Nicæni conatus, qui ſecundæ Bithyniæ ordinationes ambiebat, egregiè tuitus eſt, evicitque, ut deinceps priſcorum metropolitanorum auctoritas perſtaret, quamlibet novas provincias Imperatores crearent. Obſtitit etiam ne ſynodus approbaret ordinationes in ſua provincia peragi Conſtantinopolitani præſulis decreto vel nutu. Ei poſtea actioni interfuit, in qua canon 28. editus eſt de augendis Conſtantinopolitanæ ſedis privilegiis, quem ſibi non arridere ſignificavit, quippe cui omninò non ſubſcripſit, uti nec epiſt. ad Leonem Papam qua illius confirmatio poſcebatur, niſi poſtremo loco ſubſcriptus reperitur. Poſt annos ſeptem Leo Imp. ad eum ut ad reliquos metropolitas literas ſacras miſit de nece Proterii Alexandrini, *Eunomio reverendiſſimo epiſcopo Nicomediæ:* ejus vero ſynodica ad Leonem Aug. epiſtola in collectione Epiphanii ſcholaſtici non exſtat. Cæterum ſubſcriptus quoque viſitur decreto ſynodi Gennadii CP. contra Simoniacos *Eunomius epiſcopus metropolis Nicomediæ,* Εὐνόμιος ἐπίσκοπος τῆς μητροπόλεως Νικομηδείας.

XX. Stephanus I.

Relationi anno 518. factæ à Conſtantinopolitana ſynodo Joanni Patriarchæ de Severo Antiocheno & aliis hæreticis ſubſcripſit *Stephanus epiſcopus Nicomediæ,* Στέφανος ἐπίσκοπος Νικομηδείας. Relatio illa regeſta eſt act. 5. concilii ſub Menna. Idem Stephanus anno 520 ſubſcripſit quoque Relationi alterius ſynodi CP. ad Hormiſdam Papam de electione Epiphanii Patriarchæ, *Stephanus miſericordia Dei epiſcopus Nicomedienſium metropolitanus.*

XXI. Thalassius.

Conſtantinopolitano illi concilio quod Menna Patriarcha anno 536. celebratum eſt, adfuit & ſubſcripſit *Thalaſſius epiſcopus Nicomediæ,* Στέφανος ἐπίσκοπος Νικομηδείας.

XXII. Joannes I.

Quintæ ſynodo generali, *Joannes humilis epiſcopus Nicomedienſium metropoleos.*

XXIII. Joseph.

Tempori quod Quintam illam ſynodum ſubſequutum eſt, aſſignandus venit *Joſeph Nicomediæ epiſcopus,* cujus nomine inſcriptum fragmentum reperi *ſermonis habiti in perſequutionibus,* in Cod. Reg. 2951 fol. 191. Ἰωσήππου τοῦ ἁγιωτάτου ἐπισκόπου Νικομηδείας, ἐκ τοῦ λόγου τοῦ ἐν διωγμοῖς. Qui vel ad Conſtantis Imp. Monotheletæ, vel Leonis Iſauri ad ſummum ætatem referri debet: imo Iconomachica hæreſi longè anterior fuit, quippe cujus teſtimonium codicis conſarcinatori dignum viſum eſt, quo Imaginum ſacrarum effractores revincerentur: ſic porro habet: τοὺς ὑπὲρ Χριστοῦ χριστοπρεπῶς λάμψαντας, καὶ τελείαν τὴν πρὸς αὐτὸν ἐνδειξαμένους γνώμην, καὶ κατὰ τὸ, ἕως σαρκὸς, καὶ αἵματος δι' ὑπομονῆς διαπρέψαντας, παντοίως προσέχει γεραίρειν ἡμᾶς οὐ

μόνον γὰρ τοῦ ἀκούειν αὐτῶν τῶν ἄθλους, καὶ ζηλοῦν καλὸν, ἀλλὰ καὶ οἱ χρωματικοῖς αὐτοὺς ἀπομορφωσάμενοι τύποις ὑπόγραμμον τῆς ἐκείνων ἀνδρείας αὐτοὺς ἑαυτοῖς, καὶ τοῖς μετ' αὐτοὺς παρέστησαν. *Illos qui pro Christo, ut Christo decet claruerunt, seque perfecto erga ipsum animo gesserunt, nullis non munerari honoribus oportet. Non solum enim illorum sunt audienda, æmulandaque certamina, sed & qui ea coloratis figuris dessormavere, sibi posterisque virtutis illorum specimen præstituerunt.* Codex descriptus fuit ex vetustiore altero, qui circa annum Mundi 6267. imo 6367. Christi 859. exaratus erat, dum Iconomachica lues Orientem pervadebat, totusque variorum Patrum excerptis constat ad Monophysitas, Monotheletasque & Iconoclastas confutandos idoneis.

XXIV. Petrus I.

Sextæ synodo generali adfuit & tamdem subscripsit *Petrus episcopus Nicomediæ metropolis provinciæ Bithyniæ*, Πέτρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος τῆς Νικομηδέων μητροπόλεως τῆς Βιθυνῶν ἐπαρχίας. Hic quum Monotheletico errori antehac favisset, act. 11. rectæ Fidei libellum porrexit ipse suique socii, propter quem à Patribus admissus est. Idem Petrus subscriptus perinde legitur Quinisextæ synodi canonibus.

XXV. Joannes II. *hæreticus.*

Constantinus Copronymus coacta frequenti synodo, cujus gestorum non nisi pauca fragmenta supersunt, sacrarum imaginum venerationem proscripsit. In ea autem inter præcipuos censitus est, *Joannes Nicomediæ;* cui proinde anathema dictum in septimo concilio generali act. 7. & 8. Ἰωάννῃ Νικομηδείας, *Joanni Nicomediæ.*

XXVI. Constantinus I.

In vita S. Stephani Junioris sub Copronymo martyris tom. 4. Monum. Eccl. Gr. pag. 477. legimus Imperatorem illum in monasterium Chrysopolitanum quo Stephanus se receperat, Theodosium Ephesi, & *Constantinum Nicomediæ*, novarum rerum, sive dogmatum, auctorem misisse, καὶ Κωνσταντῖνον τὸν νεωτερίζοντα Νικομηδείας, Constantinum item Nacoliæ & alios, qui illum disputatione vincerent; Constantinum autem Nicomediæ vigenti corpore animoque turgentem, qui trigesimum ætatis annum dumtaxat ageret, auditis quæ vir Dei Theodosio Ephesi reposuerat, humi jacentem calcibus petivisse, ut coram ipsis surgens staret, Constantini vero impetum cohibuisse Palatinos duos, Callistum & Comboconomum.

XXVII. Petrus II.

Septimæ synodo interfuit subscripsitque *Petrus Nicomediæ episcopus sequens traditionem catholicæ Ecclesiæ.* Πέτρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Νικομηδείας, ἐξακολουθῶν καὶ τῇ παραδόσει τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας.

ECCLESIA NICOMEDIÆ

XXVIII. * * *

XXIX. Theophylactus.

Menologium Sirletanum die Martii 7. memoriam habet *S. P. N. Theophylacti episcopi Nicomediæ, qui ex partibus Orientis Constantinopolim veniens, hæresim eorum qui sanctarum imaginum eversionem moliebantur, argumentis & divinarum literarum testimoniis confutabat, ita ut Imperatoris hæretici jussu, in Strobelum castrum missus sit, ac transactis in exsilio triginta annis ob catholicæ Fidei defensionem, migravit ad Dominum.* In Romano Martyrologio ejus perinde memoria fit eadem die 7. Martii, ubi *Theophilus* dicitur, non *Theophylactus*. Vixit autem sub Leone Armeno; quippe cui Theodorus Studita epistolas aliquot dedit, Θεοφυλάκτῳ Νικομηδείας, *Theophylacto Nicomediæ.* Epistola 4. libri 2. biennium jam esse ait, ex quo curam hanc cogitationemque versabat, ut sacro illius vertici scriberet. Hunc *patrem suum* appellat, *columnam veritatis, rectæ Fidei fundamentum, Ecclesiæ firmamentum, victorem, Christiferum Pontificem, confessionis Fidei testem,* μάρτυρα, *qui,* sub Leone Armeno scilicet, *carcere & exsilio plexus esset sanctarum imaginum causa. Annon enim,* inquit, *martyrii corona tibi præsto est, qui propter Christum exsul & peregrinus graves erumnas toleras, idque in corpore, tum natura sua imbecillo, tum passionibus, sat scio, asceticæ vitæ laboribus attrito. Gloriatur in te orthodoxorum chorus, lætatur Nicomediensium civitas, triumphatque orbis terrarum te ostentans, decantataque olim vetera præsulum suorum probra depellens. Exultat animo Tarasius, ex caula manuque sua prius ovem, tum subinde pastorem inclytum cernens, depugnantem modo & discrimen omne petentem pro Fide orthodoxa, qui quod in se erat, per synodum Dei gratia contulit temporibus Augustæ quæ* εἰρήνης, *Pacis nomen gerit, pacemque dedit.* Ubi Theodorus significare videtur Theophylactum Constantinopoli natum, vel educatum fuisse. Cœtera legi possunt apud Baronium ad ann. 816.

Atqui Theophylactum, non illum esse puto Nicomediæ episcopum, à quo, in illa tempestate, qua viri sancti complures jactati fuere, quum Josephi œconomi communionem detestarentur, à quo Michaël Imp. Irenes Augustæ filius, ejusque pellex adultera Theodora nuptiales coronas contra leges acceperant, Æmylianus monachus παρὰ τοῦ Νικομηδείας, à Nicomediæ episcopo vinctus in Thyniam deductus est verberibusque & ludibriis affectus,

ECCLESIA NICOMEDIÆ

direpto monaſterio perinde ac ſi hoſtium A ſtragem paſſus eſſet. Hæc narrat epiſtola 47. lib. 1. Theodorus Studita. Ille vero Nicomediæ præſul Theophylacti deceſſor potius fuerit, quam ſucceſſor.

XXX. JOANNES III.

Inter epiſtolas Photii, XVII. inſcribitur Ἰωάννῃ μητροπολίτῃ Νικομηδείας, *Joanni metropolitæ Nicomediæ,* quem ſibi moleſtum infenſumque queritur, ut proinde Joannes S. Ignatii, non prædonis hujus partes coluerit. Incipit: Οὔτε παίζειν οἶδα, οὔτε παιζόντων ἀνέχεσθαι. B *Neque ludere novi, neque ludentes ſuſtinere, &c.* Poſt Ignatii igitur reſtitutionem ſedebat ſaltem Joannes, qui tamen inter octavæ ſynodi Patres non reperitur.

XXXI. GEORGIUS.

Synodo Conſtantinopolitanæ, quæ poſt S. Ignatii obitum ob Photium reſtitutum coacta eſt, adfuiſſe & ſubſcripſiſſe legitur *Georgius Nicomediæ,* Γεωργίου Νικομηδείας, Γεώργιος Νικομηδείας. Sic profecto legendum, non ut Harduinus in editione Conci- C liorum Γρηγορίου, *Gregorio.* Photio nimirum arctiſſima conjunctus neceſſitudine erat *Georgius Nicomedienſis,* quem prima vice, qua Conſtantinopolitanæ ſedis compos fuit, ex magnæ eccleſiæ Chartophylace, Bithyniæ metropoli impoſuerat. Id quod Photius ipſe teſtatur epiſt. 24. quam ad ipſum ſcripſit Γεωργίῳ μητροπολίτῃ Νικομηδείας, *Georgio Nicomediæ metropolitæ.* Alias quoque illi epiſtolas dedit, quæ exſtant hodie: ac miſſis aliis, epiſt. 126. quæ Euſchemoni Cæſareæ & eidem *Georgio Nicomediæ* inſcribitur, veluti ſe D Byzantina ſede ejectum, ita illos quoque, ut par erat, Ignatio thronum ſuum recipiente ejectos ſignificat. Illorum conſtantiam laudat atque fiduciam in Deum adverſus malorum ingruentium tempeſtatem, quam tyrannidis intenſionem vocare non dubitat vaferrimus ſimulator, ipſe nuper Byzantinæ eccleſiæ tyrannus, τὴν χειμῶνα τῶν κακῶν, καὶ τῆς τυραννίδος ἐκτεινόμενον. Nicomedienſem itaque ſedem Georgius Ignatio defuncto repetiit. Hujus utique ſunt homiliæ *Georgii Nicomediæ,* quas Combefiſius Græcè Latinèque E evulgavit tom. 1. Auct. Bibl. PP. Græc. non anterioris qui tempore Heraclii Imp. & Georgii Piſidæ claruerit, ut viro doctiſſimo viſum eſt. Vide Leon. Allat. Diatriba de Georgiis pag. 313. Georgius Nicomediæ metropolita apud doctiſſimum Abbatem Nicolaum Papadopoli Prænot. Myſtag. Reſp. 6. Sect. VII. *de probationibus teſtium,* n. 5. à Matthæo monacho citatus fertur lib. *De traditionibus eccleſiaſticis,* tit. *De Judicibus ſacris.*

XXXII. STEPHANUS II.

Siſinnio II. Patriarcha, Nicomediæ metropolita ſedebat *Stephanus II.* qui anno 997. illius ſynodo adfuit, in qua, ut fertur lib. 4. Jur. Græco-Rom. pag. 197. prohibitum eſt, ne ambæ ſorores ambos fratres ducerent. Nicetas Stethatus in vita *Symeonis* illius quem *Juniorem Theologum* vocant, Stephanum Nicomediæ multis nominibus commendatiſſimum fuiſſe perhibet, & *Alexinæ,* neſcio qua de cauſa, cognominatum, ὁ τῆς Ἀλεξίνης. Hunc epiſcopatui ceſſiſſe refert, ut Sergio patriarchæ ſemper adeſſet, ut pote ſyncellus ejus factus; ſed & ab eo Symeonem aſſiduè exagitatum ob nova vanaque dogmata quæ è ſuo cerebro effundebat, quibus etiam Palamitis illo tempore præluſit. Joannes Scylitzes & Cedrenus aiunt, Stephanum, ut pote qui vir clariſſimus erat, ſapientia & virtute inſignis, ab Imperatore Baſilio Bulgaricida delegatum ad Sclerum qui rebellarat, ut eum ad ſaniorem mentem reduceret, ſed caſſo conatu. In multis codicibus manu exaratum reperi opuſculum inſcriptum, τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Στεφάνου συγκέλλου καὶ μητροπολίτου Νικομηδείας σύντομος ἐξήγησις καὶ διάγνωσις τοῦ τριμεροῦς τῆς ψυχῆς. *S. P. N. Stephani Syncelli metropolitæ Nicomediæ enarratio brevis & notitia triplicis animæ partis,* qua Joannis Damaſceni de eodem argumento ſcriptum contractius exhibetur.

XXXIII. ANTONIUS.

Anno M. 6545. Chriſti 1035. Nicomediæ antiſtes eligitur *Antonius Paches* eunuchus, Imperatori Michaëli Paphlagoni genere propinquus, ſed nulla quæ epiſcopum deceret, virtute clarus, quinimo bovis inſtar taciturnitate ſtupidus. Quum autem Joannes eunuchus alter Imperatoris illius germanus frater Conſtantinopolitanam ſedem ambiret, conciliorum ejus participes fuerunt Demetrius Cyzici, *Antonius Nicomediæ,* Sidæ quoque & Ancyræ metropolitæ qui fratres quoque germani erant, ut, Alexio Patriarcha amoto, ejus in locum Joannes conſtitueretur; quod tamen illis ſucceſſit. Joann. Curopal. fol. 102. Cedrenus pag. 740.

XXXIV. BASILIUS.

Novella prima ſecundaque Alexii Comneni Imp. datæ ſunt propter litem qua judicio contendebant Anna fratris Baſilii *metropolitæ Nicomedienſis* filia, & Stephanus Cæſareæ epiſcopus adverſus Michaëlem Protoſpatharium & Tagmatophylacem, qui Baſilii metropolitæ hæres erat, ἀναμέσον Ἄννης τῆς ἀνεψιᾶς τοῦ ἀποβεβιωκότος μητροπολίτου Νικομηδείας.

ECCLESIA NICOMEDIÆ.

XXXV. Constantinus II.

Alexio Comneno Imp. & Nicolao Grammatico Patriarcha anno 1082. Tomus unionis pro sacrarum imaginum veneratione iterum assertus est in numeroso procerum Imperii & episcoporum conventu, inter quos sedebat *Constantinus Nicomediæ*, Κωνσταντίνου Νικομηδείας. Bibl. Coislin. pag. 104.

XXXVI. Nicetas.

XXXVII. Joannes IV.

XXXVIII. Theophylactus II.

Calo-Joanne Comneno Alexii filio Imp. colloquium Constantinopoli habitum est inter *Nechitam*, sive potius *Nicetam Nicomediæ*, & Anselmum Havelbergensem episcopum, Lotharii Germanorum Imp. Oratorem, de capitibus, quorum causâ Græci à Latinis defecerant; quod editum exstat tom. 13. Spicilegii Dacheriani, ubi sic porro Anselmus lib. 2. de Niceta scribit: *Erat prædictus Archiepiscopus magnus apud Græcos religionis typos, acerrimus eloquio & cautissimus in dando & accipiendo responso: præsertim quum ipse inter duodecim electos Didascalos, qui studiis Græcorum solent præesse, tunc temporis fuerit præcipuus, & ab universis in officium nostræ disputationis adversum me electus.*

Alter à Niceta Nicomediensis metropolita synodo interfuit, in qua ad ordinem redacti sunt episcopi duo præter leges ordinati & Bogomilicæ impietatis rei, Clemens Sasimorum & Leontius Balbissæ anno 1143. ὁ Νικομηδείας. Anno autem insequenti Ind. VII. mense Feb. Nicomediæ metropolita in altera synodo sedebat, in qua Niphon monachus Bogomilorum impietatis conscius damnatus fuit. Hic vero non Nicetas, ut videtur, sed *Joannes* vocabatur, quod compertum fit ex subscriptionibus synodalis sententiæ qua Cosmas Atticus ejusdem hæresis suspectus, patriarchatu anno 1146. amotus fuit. Subscriptus enim legitur ὁ ἐυτελὴς μητροπολίτης Νικομηδείας Ἰωάννης, *Exiguus Nicomediæ metropolita Joannes.* Trium illarum synodorum acta Leo Allatius edidit lib. 2. De consens. cap. 12.

JOANNES IV.

Dum anno 1151. Indict. IV. synodali decreto, Luca Chrysoberge patriarcha, sancitum est ne nuptiæ septimi gradus ratæ essent, sedebat *metropolita Nicomediæ*, τοῦ Νικομηδείας, lib. 3. Jur. Græco-Roman. pag. 218. Hic porro aut Joannes IV. erat, aut *Theophylactus II.* qui anno 1156. concilio alteri interfuit, in quo Soterichus Panteugenus Antiochiæ Patriarcha electus destitutionis sententiam subiit, qui negaret Christum sibi uti Deus verbum est, sacrificium perinde atque Patri & Spiritui sancto obtulisse vel offerre. Allat. vind. syn. Eph. p. 584.

THEOPHYLACTUS II.

XXXIX. Michael.

Anno M. 6674. Christi 1166. synodo rursum vocatâ, actum est de Alamanis qui Constantinopoli agebant, quosque nonnulli de Christi Deitate erroris accusarant. Horum vero fides pura rectaque judicata est, sedente cum aliis *Michaële Nicomediæ* metropolita, Allat. lib. 2. De consens. cap. 12.

XL. Joannes V.

Anno 1232. Germanus II. Patriarcha coacta synodo, quædam in mandatis Christophoro Ancyræ metropolitæ dedit ad Michaëlem Ducam Epiri & Thessalonicæ Despotam, considentibus cum eo episcopis decem, in quibus *Joannes Nicomediæ, totius Bithyniæ Exarchus*, τοῦ Νικομηδείας καὶ ἐξάρχου πάσης Βιθυνίας Ἰωάννου. Lambec. Bibl. Cæsar. lib. 5. cod. 231.

XLI. * * *

Inter metropolitas, qui Michaële Palæologo Imp. ecclesiæ Græcæ unioni cum Romana instaurandæ consenserunt, scriptâ Gregorio Papæ X. epistolâ, *Nicomediensis* fuit, cujus ut aliorum siletur nomen. Quod Gregorius testatur responsoriæ suæ ad illos initio. *Gregorius episcopus....venerabilibus fratribus Ephesino....Nicomediæ, &c.*

XLII. Caracalus.

Sub Andronico Palæologo seniore Michaëlis filio, Gregorio Cyprio Patriarchatu amoto, suffectus ei fuit Athanasius, cujus ordinationis cooperator fuit Nicomediensis antistes, quem Pachymeres *Caracalum* nominat, Καράκαλος, nisi hoc ei cognomentum potiùs quam proprium fuerit. Is porrò Athanasii cervici jugum sive librum Evangelii, ut lege fertur, imposuit, ὡς δὲ ὁ Νικομηδείας τὸν ζυγὸν τοῦ ἐυαγγελίου ἐπῆγε. Pachym. *in Andronico* lib. 1. cap. 15.

XLIII. * * *

In Regio cod. 2964. habetur Nicephori Chumni *Denontiatio adversus Niphonem, qui patriarchatum malè gessit, sacræ synodo exhibita à Nicomediæ & Mitylenes metropolitis* ἔλεγχος κατὰ τοῦ κακῶς πατριαρχεύσαντος Νίφωνος, ἀνενεχθεὶς παρὰ τοῦ Νικομηδείας, καὶ τοῦ Μιτυλήνης πρὸς τὴν ἱερὰν σύνοδον.

XLIV. Macarius.

Ad Ferrariensem, ac subinde Florentinam synodum venit, & Decreto unionis subscripsit

ECCLESIA NICOMEDIÆ

Macarius metropolita Nicomediæ, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Νικομηδείας Μακάριος. Sed & subditur *Methodius Lacedemonis, & locum tenens Nicomediensis.* Atqui Methodius iste subscripsit quoque epistolæ Constantinopoli ad Bohemos missæ, quâ ipse cum aliis quatuor declarabat unionem Florentiæ sancitam, simulatam prorsus, non sinceram fuisse; cæterum nequaquam sibi probari ait Bohemorum mores, ut pote priscis ecclesiæ legibus contrarios. Dudum vero prius Nicomediæ Macarius sedebat, quam in Italiam ad concilium pergeret. Nam Gregorius Proto-syncellus in Responsione ad epistolam Marci Ephesini, testatur eum unà cum Euthymio qui posthac patriarcha fuit, Joasapho Ephesino & Macario præposito monasterii Pantocratoris Romam profectum, benedictionem à Papa accepisse, quos viros sapientia & virtute admirabiles dicit. ἀλλ' οἱ ἡμέτεροι οἱ κατὰ σοφίαν καὶ ἀρετὴν θαυμάσιοι, Νικομηδείας τε Μακάριος καὶ Εὐθύμιος, ὁ ἐς ὕστερον ἐπὶ τὴν προεδρίαν τῆς Κωνσταντινουπόλεως προβιβασθεὶς..... ἐκεῖσε παραγενόμενοι, εὐλογίαν παρὰ τοῦ πάπα ἐλάμβανον. Præterea Macarius idem censetur inter episcopos ementitæ synodi illius quam *Sophianam* vocant, in qua unionem cum Romana ecclesia Florentiæ constitutam, ejuratam esse ferunt, Athanasio nescio quo patriarcha pro Metrophane, per Macarium Nicomediensem, Neophytum Nicænum, & Metrophanem Cyzicenum ordinato. Allat. Addend. ad librum de consens.

XLV. DIONYSIUS.

Post Hieremiam I. patriarcham, qui Sophiæ metropolita fuerat, sæculo decimo-sexto medio Constantinopolis pontifex est creatus *Dionysius* Galata oriundus, Nicomediensis metropolita, die 17. April. ut narratur in historia patriarcharum qui post urbem à Turcis captam sederunt, lib. 2. Turco-Græc. p. 164. 165. 166. Magnus scilicet Sacellarius, Serpeta nomine, coram synodo & collecta multitudine dixit: *Pontifices sancti, venerabiles clerici fratres, & universe piorum cœtus aures præbete. Nuperus patriarcha fel. mem. Hieremias sæpenumero quando cum clericis nobis sedebat, aiebat, se mortuo neminem alium esse qui patriarcha fieret, nisi sanctum Nicomediæ præsulem. Illum quippe esse antiquum Pontificem, humilem & pacificum*, μόνον ὁ ἅγιος Νικομηδείας, διότι εἶναι παλαιὸς ἀρχιερεὺς, γέροντας, ταπεινὸς καὶ εἰρηνικός. Cui major pars eorum qui aderant cum Galatianis & Caramanitis, atque aliis, qui Nicomediensem diligebant, & continuo in magnam ecclesiam deductum patriarchali throno imposuerunt. Paulo ante dicitur Dionysius à Theolepto Hieremiæ prima vice patriarchatu fungentis decessore ordinatus. ἦτον δὲ αὐτὸς ὁ κῦρις Διονύσιος, καὶ ὁ κῦρις Ἱερεμίας χειροτονία τοῦ προτέρου πατριάρχου κυροῦ Θεολήπτου. Vivere autem Theoleptus desierat ante 23. annos & menses aliquot. Quamobrem viginti-quatuor saltem annos Dionysius Nicomediensi ecclesiæ præfuerat.

XLVI. * * *

Hieremias II. Patriarcha anno 1574. statim atque Constantinopolitanam sedem capessivit, synodum coëgit abolendæ simoniæ causa, inque ea sedebat metropolita *Nicomediæ*, τοῦ Νικομηδείας. Lib. 2. Turco-Gr. pag. 179.

XLVII. SISINNIUS.

Martinus Crusius lib. 7. Turco-Gr. p. 507. ubi episcopos Græciæ recenset, qui Stephano Gerlachio honoris ergo nomina sua in Chartis descripserant, *Sisinnium Nicomediensem* memorat, ὁ μητροπολίτης Σισίννιος Νικομηδείας. Indict. VI. in Junio anno 1578. Atqui anno 1580. epistolæ ecclesiæ CP. ad Moschorum Imp. de Hieremia patriarcha sibi restituto subscripsit idem *Sisinnius Nicomediæ*, ὁ Νικομηδείας Σισίννιος.

XLVIII. CYRILLUS.

Anno 1641. Parthenius Patriarcha I. conventum habuit metropolitarum, in quo actum est de voce μετουσίωσις, quæ *Transubstantiationem* significat. Hanc omnes admittendam retinendamve censuerunt, quorum unus erat *Cyrillus Nicomediensis*, quod Methodius patriarcha illustrissimo D. Nointelio Christianissimi regis apud Turcorum Imp. Oratori testatus est. Tom. 3. de Perpet. fid. Euch. pag. 683.

XLIX. NEOPHYTUS.

To. 3. de Perpet. Fidei de Eucharistia Testimonium editum est trium metropolitanorum Ecclesiæ Græcæ Calvinianis erroribus contrarium, quorum unus fuit *Neophytus Nicomediæ*, datum Peræ die 18. Jul. anno 1671.

L. PAISIUS.

Anno 1721. sedebat *Paisius* Nicomediæ metropolita, ὁ Νικομηδείας Παΐσιος, qui anno 1726. labente ad Patriarchatum Constantinopolitanum translatus fuit.



II. ECCLESIA CHALCEDONIS.

E regione Constantinopolis, in ipsis Bospori faucibus, Chalcedon civitas stat, de qua Strabo lib. 12. *Eadem Bithynia Hellespontia Phrygia nominatur, cujus est Chalcedon in Ponti ore jacens, quam Megarenses condidere.* Plinius quoque lib. 5. cap. 32. *Rursus coëuntibus terris pertinentes usque Bosphorum Thracicum; in eis Chalcedon libera à Nicomedia LXXII. CCCCC.* Ejus olim emporium Chrysopolis fuit, quæ hodie vicus est *Scutari* dictus, vineis amœnissimus à Turcis habitatus, partim in valle, partim in sinus promontorio Damalico è regione arcis Imperatoriæ. Chalcedon vero civitas episcopalis jam olim fuit, concilio quarto generali quod in ea celebratum est, celebris, eamque ob causam metropolis titulo ornata, sed absque suffraganeis. Quinimo act. 3. & 6. ejusdem concilii Chalcedonis episcopus Eleutherius inter metropolitas sedisse & subscripsisse legitur. Non omittendum in Nummis Καλχηδὼν *Calchedon* legi, non ut vulgo fertur Χαλκηδὼν, *Chalcedon:* Sed tritum loquendi scribendique morem sequor.

EPISCOPI CHALCEDONIS.

I. THEOCRITUS.

Jam dixi ex libro qui *Prædestinatus* dicitur, A Evandrum Nicomediæ & *Theocritum Chalcedonis* Ophitarum *hæresim debellasse. Contra hos susceperunt Bithyniæ provinciæ sacerdotes, id est civitatis Chalcedoniæ & Nicomediæ episcopi Theocritus & Evander, & confutantes eos publicè superarunt.*

II. MARIS.

Sæculo quarto famosus fuit *Maris* episcopus Chalcedonis, Arianæ hæresis fautor, qui Nicæno Concilio interfuit, sed non nisi reluctans & invitus ne sedem amitteret, fidei formulæ subscripsit, Socrate teste lib. 1. c. 8. B Sozomeno quoque lib. 1. cap. 20. Gelasio Cyziceno & aliis. Quinimo Philostorgius Arianus apud Nicetam lib. 5. Thesauri c. 8. scripsit Marim Chalcedonis, Eusebium Nicomediæ, & Theognim Nicææ, quia subscribere noluerunt, in Gallias amandatos esse, nec nisi diu post finitam synodum subscripsisse. Nimirum Maris cum Eusebio Nicomediensi, Ario, aliisque ejusdem generis, Luciani martyris discipulum se fuisse jactitabat; quod Philostorgius narrat lib. 2. n. 15. Synodo Tyriæ, in qua bellum ab Arianis pri- C mùm Athanasio indictum est, interfuit, & ex illis fuit, qui cum aliis ejusdem sanctissimi archiepiscopi hostibus in Mareotim delegati sunt, ut de criminibus quæ illi objiciebantur, inquirerent. Mox ad Hierosolymorum synodum venit, quæ ecclesiæ Resurrectionis consecrandæ causa cogebatur. Rursum Antiochenæ adfuit anno 342. quintusque numeratur initio epistolæ Julii Papæ ad ejusdem concilii præsules. Eusebio Constantinopolitano, olim Nicomediensi, defuncto, Maris Chalcedonensis cum Theodoro Heracleæ, Theogni Nicææ, Ursacio & Valente, Macedonium Paulo sanctissimo antistite expulso, in illam sedem intruserunt. Sardicæ coacta synodo, Philippopolim Thraciæ Arianarum partium episcopi secesserunt, quorum epistolæ subscriptus ante Acacium Cæsariensem legitur *Thelaphius episcopus à Chalcedonia.* At certe Maris in vivis tunc superstes adhuc erat, quippe qui ad Juliani, Jovianique Augusti tempora usque perseveravit. Quinimo anno 359. post Seleuciensem synodum conventui quinquaginta episcoporum Arianorum aderat, & cum illis Ariminensem formulam auxit, nonnullis interjectis, quibus *substantiæ* & *hypostasis* voces eliminabantur. Hæc Socrates lib. 2. cap. 41. Sozomenus lib. 4. cap. 24. Anno 362. Juliano Christianos vexante, Maris affecta ætate captus oculis, hunc religionis impium desertorem, Dei hostem appellavit; cui, quum ille cæcitatem objectaret, hisque verbis illuderet, *Deus tuus Galilæus te non sanabit,* regessit Maris: *Deo grates habeo, qui me luminibus orbavit, ne vultum cernerem tuum qui in omnigenam impietatem projectus sis.* Socrat. lib. 3. cap. 10. Plura deinceps de Mari non suppetunt, nisi quod in vita S. Isaacii Monachi, quæ inter Acta SS. tom. ult. Maii edita est, *Mares* vel *Maris Chalcedonis*, Μάρης Καλχεδόνος cum Eleusio Cyzici & aliis Arianis adfuisse legitur conventui episcoporum, quem Imperii sui initio Theodosius Imp. Constantinopoli coëgit. Id quod certe à vero aberrare fateri cogor.

III. THEODULUS.

In Indice Patrum Constantinopolitanæ synodi generalis primæ, *De provincia Bithyniæ* legitur *Theodulus Chalcedonensis.* Attamen in vita S. Isaacii Monachi die 13. Maii huic concilio interfuisse fertur *Philotheus Chalcedonensis*, qui Theoduli successor fuit. Quocirca in primo synodi conventu anno

ECCLESIA Chalcedonis.

381. ſediſſe *Theodulum* dixero; in ſecundo, anno inſequenti, *Philotheum.*

IV. Philotheus.

In vita S. Hypatii monaſterii Chalcedonenſis in Rufinianis, ſive à Rufino fundati, aſcetæ, cap. 41. habemus illius urbis epiſcopum *Philotheum,* à quo Iſaacius preſbyter in Apoſtolorum eccleſia, reluctans licet, ordinatus fuit. *ἦν γὰρ χειροτονηθεὶς ἐν τῷ ἁγίῳ* Ἀποσολίῳ *πρεσβύτερος, τοῦ μακαρίου* Φιλοθέου *μετὰ βίας αὐτὸν χειροτονήσαντος.*

V. Cyrinus.

Quem Marcellinus Comes in Chronico Indict. XI. Honorio & Eutychiano Coſſ. *Severum Chalcedonenſem* epiſcopum dicit, hunc Socrates lib. 6. cap. 14. & 17. Sozomenus lib. 8. cap. 16. 17. Palladius Dial. de vita S. Joannis Chryſoſtomi *Cyrinum* nominant. Genere hic Ægyptius fuit, Theophilo Alexandrino affinis, Sozomeno teſte. Unde in S. Joanne Chryſoſtomo inſectando illi ſe ſocium præbuit, & ex illis epiſcopis fuit qui illum in ſynodo ad Quercum Chalcedonis ſuburbium damnavere. Tum vero forte accidit ut Maruthas Meſopotamienſis epiſcopus incautus alterum illi pedem calcando protereret; quo caſu prohibitus eſt, ne cum aliis ad Imperatorem accederet. Poſt augeſcente morbo pes ejus à Chirurgis abſciſſus fuit, maloque contagioſo pedem quoque illius alterum afficiente, hic quoque illi eſt amputatus, ſicque tamdem vir in Chryſoſtomum maledicentiſſimus, & ad inſidias ei parandas ultra modum intentus, doloribus confectus periit.

VI. Eulalius.

Chalcedonenſis epiſcopus *Eulalius* erat, quo tempore Neſtorius Conſtantinopolitanam ſedem capeſſivit. In vita quippe S. Hypatii quam ſuperiùs appellavi, fertur, ab eo Neſtorii nomen è ſacris eccleſiæ ſuæ, quæ à S. Apoſtolis Petro & Paulo *Apoſtolium* dicebatur, diptychis eraſum, ubi primum ille impietatem ſuam promſit. *Quod ubi audivit* ὁ εὐλαβέςατος Εὐλάλιος, *reverendus admodum Eulalius, rem Neſtorio ſignificavit, ejuſque juſſu Hypatium increpavit. Qui reſpondit: Ex quo improbe loqui cœpit de Domino meo, ei amplius non communico, nec nomen ejus inter ſacra recitari ſuſtineo. Non enim jam epiſcopus eſt. Cui Eulalius cum ſtomacho, Apage,* inquit, *emenda quæ feciſti; ſin minus novi quid tecum agam. Hypatius vero: Fac quod vis,* inquit, *Ego nihil non pati præſto ſum; hac enim mente illud jam feci. Quamobrem, accepta Neſtorii à ſynodo Epheſina depoſitione, lecta hæc fuit in eccleſia coram populo, præſentibus Eulalio & Hypatio,* παρόντων ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ Εὐλαλίου καὶ Ὑπατίου. Quum Leontius præfectus olympicos ludos Chalcedone vellet inſtaurare, Eulalium Hypatius admonuit, ut illi obſiſteret, remque exſequi contemnente epiſcopo, Hypatius archimandritarum cœtum collegit, qui Præfecti conſilium diſſolverent. Tum Leontius morbum ſimulans, Conſtantinopolim ſeceſſit: Ex quo *Epiſcopus Eulalius intellexit vere cruci confixum eſſe Hypatium, qui nihil non Dei cauſa facturus eſſet.* Narratur item in eadem vita, Alexandrum quemdam archimandritam ex Aſia minore in urbem Regiam cum monachis centum veniſſe, qui, quod Principes libere increparet ſi quid ab eis malè actum noſſet, in exſilium ire juſſus eſt. Hos vero Chalcedone Hypatius excepit; verum Eulalius accepto à Principibus mandato, hominum turbam miſit, qui illos ex Apoſtolorum eccleſia verberibus cæſos expulerunt. Nihilominus curam eorum egit Hypatius, repugnante licet epiſcopo, donec non ſine divini numinis inſtinctu, ira Principum ſopita eſt. Quamobrem Alexander cum ſuis monachis Conſtantinopolim regreſſus, Acœmetorum in ea monaſterium fundavit.

VII. Eleutherius.

Sedente *Eleutherio* Chalcedonis epiſcopo, ſanctum in ea urbe Concilium generale quartum celebratum eſt, in cujus actis inter metropolitas ſediſſe ſubſcripſiſſeque legitur, Ἐλευθέριος ἐπίσκοπος τῆς Χαλκηδόνος. Imo act. 16. ceu jam eccleſia ſua metropolis titulo donata eſſet, ſubſcripſit, Ἐλευθέριος ἐπίσκοπος τῆς μητροπόλεως Χαλκηδόνος *Eleutherius epiſcopus metropolis Chalcedonis;* niſi cui forſan ſuſpecta vox μητροπόλεως, *metropolis* ſit. Cæterum anno 458. ad ipſum ut ad alios metropolitas Leo Imp. literas ſacras miſit ob patratam Alexandriæ necem archiepiſcopi Proterii. *Eleutherio reverendiſſimo epiſcopo Chalcedonenſi.* Demum ſubſcriptus legitur ſynodali decreto Gennadii Conſtantinopolitani contra Simoniacos, quod latum eſt anno 452.

VIII. Heraclianus.

Poſt ſynodum Chalcedonenſem, circa tempora Anaſtaſii Imp. claruit *Heraclius* ſive *Heraclianus* Chalcedonenſis epiſcopus, qui pro duabus Chriſti naturis adverſus Severianos, ac præſertim Sotericum Cæſarienſem Severi Antiocheni ſocium pugnavit. In collectaneis manu exaratis adverſus varias hæreſes, quæ aſſervatur in Collegio Pariſienſi Ludovici M. fragmentum habetur librorum *Heracliani in Sotericum,* ἐκ τῶν Ἡρακλειανοῦ πρὸς

πρὸς Σωτήριχον. Rursum, ἐκ τῶν Ἡρακλειανοῦ, ὅτι οὐ διαιρεῖται πάντως ὁ ἀριθμὸς, ὥς τινές φασιν. *Ex Heracliani ſcriptis, quod numerus diviſionem animo non admittat, uti quidam aïunt.* Ejus contra Manichæos concertationum ſummam Photius ediſſerit in Biblioth. cod. 85. Ἀνεγνώσθη Ἡρακλειανοῦ ἐπισκόπου Χαλκηδόνος κατὰ Μανιχαίων ἐν βίβλοις εἴκοσι. *Lege Heracliani epiſcopi contra Manichæos viginti libros.* In iis laudata ait, Titi Boſtrenſis, Serapionis Tmueos, & Diodori in eoſdem hæreticos volumina. Horum Heracliani librorum Photius iterum meminit in *Epitome hiſtorica de Manichæis iterum pullulantibus*, quam in Bibliotheca Coiſliniana Græcè Latinèque doctiſſimus Montefalconius evulgavit. Ex iiſdem libris Sophronius Hieroſolymitanus quædam mutuatus erat in ſua ad Honorium Papam epiſtola, quibus duas in Chriſto operationes oſtenderet. Ipſo rurſum Photio teſte cod. 231. *Heraclianus Chalcedonis epiſcopus multum adverſus Dei hoſtes Manichæos certamen obiit*, καὶ Ἡρακλειανὸς ὁ Χαλκηδόνος ἐπίσκοπος, ὁ πολὺν κατὰ τῶν θεομάχων Μανιχαίων ἀγῶνα βαλλόμενος.

IX. Marcianus.

Relationi ſynodi Conſtantinopolitanæ ad Joannem patriarcham de Severo Antiocheno & aliis hæreticis, quæ lecta eſt in altera ſynodo ſub Menna itidem patriarcha, act. 5. ſubſcripſit *Marcianus epiſcopus Chalcedonis*, Μαρκιανὸς ἐπίσκοπος Χαλκηδόνος. Item Relationi ad Hormiſdam Papam de ordinatione Epiphanii archiepiſcopi in locum Joannis defuncti, ſubſcriptus perinde legitur *Marcianus miſericordia Dei epiſcopus Chalcedonenſis civitatis metropolitanus.*

X. Photinus.

In concilio illo ſub Menna patriarcha ſedit & ſubſcripſit *Photinus epiſcopus Chalcedonis*, Φωτεινὸς ἐπίσκοπος Χαλκηδόνος. & act. 5. quum Archimandritæ complures & monachi libello dato poſtularent Severum Antiochenum, Petrum Apameenſem & alios eorum ſocios damnari, multique illorum ſubſcribendo ſubjunxerant, *ſe ſanctiſſimi Photini epiſcopi Chalcedonenſis curis & regimini obnoxios eſſe*, ὑπὸ Φωτεινὸν τὸν ὁσιώτατον ἐπίσκοπον Χαλκηδόνος.

XI. Constantinus I.

In Quinta ſynodo, *Conſtantinus miſericordia Dei epiſcopus ſanctæ Dei eccleſiæ Chalcedonenſium.*

XII. Nicetas I.

In Menologiis die 28. Maii memoria colitur, *S. P. N. Nicetæ epiſcopi Chalcedonenſis, & S. Hieromartyris Helladii.* Nullo vero mihi monumento conſtat quo tempore Nicetas iſte claruerit.

XIII. Probus.

Dionyſius Jacobitarum Syriæ patriarcha in hiſtoria eccleſiaſtica, *Probi* cujuſdam meminit, qui Monophyſitarum hæreſi Conſtantinopoli, ad quam Alexandriâ venerat, abnegata, Chalcedonenſis epiſcopus eo tempore factus eſt, quo Damianus Monophyſiticæ ſectæ Alexandrinæ præerat, & Petrus Callinici Antiochenæ: hoc eſt circa annum 591. Subdit vero, Probum ſub vitæ finem hæreſim quam ejuraverat, denuò profeſſum eſſe. Joſeph Simeon Aſſemani t. 2. Bibl. Orient. pag. 72. & ſeqq.

XIV. Joannes I.

In Sexta ſynodo ſedit & ſubſcripſit *Joannes epiſcopus metropolis Chalcedonis provinciæ Bithyniæ*, Ἰωάννης ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Χαλκηδόνος μητροπόλεως τῆς Βιθυνῶν ἐπαρχίας. Qui ſynodi Quiniſextæ canonibus ſubſcriptus etiam legitur.

XV. Stauracius.

In Septima item ſynodo, *Stauracius epiſcopus Chalcedonis*, Σταυράκιος ἁμαρτωλὸς ἐπίσκοπος Χαλκηδόνος.

XVI. Cosmas.

In Menologiis Græcorum, etiam in Sirletano apud Henricum Caniſium tom. 2. Antiq. lect. die 18. Aprilis memoria fit *S. Coſmæ epiſcopi Chalcedonis*, Μνήμη τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Κοσμᾶ ἐπισκόπου Χαλκηδόνος, « quem armaturam induiſſe aiunt ad deſtructionem munitionum illorum qui Chriſti imaginem peſſumdabant: quorum profligata ſuperbia, illius honorem aſſeruit, confeſſioniſque ſuccinctus gladio, adorandam docuit. » Menologium recentiùs die 7. Aprilis ejus certamina Leone Armeno Imp. contigiſſe refert, atque ab illo in exſilium miſſum, ad cæleſtem patriam migraſſe.

XVII. Joannes II.

Coſmæ utique ſucceſſit *Joannes*, ad quem multæ epiſtolæ exſtant Theodori Studitæ in Coiſlinianis codicibus. Atqui ex earum unius (n. 275.) inſcriptione apparet illum monaſterii Chalcedonis præpoſitum fuiſſe, ac Fidei cauſa exſilium toleraſſe. Ea vero quæ lib. 2. n. 160. edita habetur, *Gregorio filio*, ſeu alumno ſuo data, ejuſdem Joannis metropolitæ Chalcedonis meminit, cujus cauſa ſcripſerat *de Reſtitutione ſæculi.* Αὐτῷ ἐν τῇ προτέρᾳ

ECCLESIA Chalcedonis.

ἐπιστολῇ περὶ τοῦ τῆς Χαλκηδόνος ἁγιωτάτου μητροπολίτου, κ. τ. ἑ. *quæ igitur in priore epistola de sanctissimo Chalcedonis metropolita, velut ex transcursu dicta sunt, uberius & explicatius nunc dicentur. Dic porro illi, qua patrem alloqui decet reverentia, &c.* Ipse est Chalcedonensis præsul Joannes, qui in vita S. Joannicii monachi apud Surium die 2. Novemb. legitur, cum Petro Nicææ, & Theodoro Studita illum dum morti proximus erat, invisisse. Nam in textu quoque Græco quem reperi in cod. 303. Coisliniano, *Joannes* disertè nominatur Ἐγένετο τότε τοὺς ἐκκρίτους τῶν πατέρων συμφωνῆσαι εἰς τὴν σκέψιν τοῦ ἁγίου ἀπελθεῖν. ὑπῆρχον δὲ ἐκ τῶν μητροπολιτῶν ὁ παναγιώτατος Ἰωάννης ὁ Χαλκηδόνος, καὶ Πέτρος ἁγιώτατος μητροπολίτης Νικαίας κ. τ. ἑ. *Contigit tunc sanctissimos è Patribus in unam sententiam concordasse, ut sanctum inviserent. Erant autem è metropolitis quidem omnino sanctissimus Joannes Chalcedonis, & Petrus sanctissimus metropolita Nicææ, eque monasteriorum præpositis, sacratissimus Clemens, Theodorus Studita, & Joseph, magnæ tunc ecclesiæ œconomus, &c.*

XVIII. BASILIUS.

XIX. ZACHARIAS.

XX. BASILIUS *secundùm.*

XXI. ZACHARIAS *secundùm.*

Octavæ synodo generali adfuit, atque sententiæ qua Photius Byzantinæ sedis invasor proscriptus est, subscripsit *Basilius misericordia Dei archiepiscopus, seu metropolita Chalcedonis.* Qui vel à S. Ignatio vel à S. Methodio patriarcha fuerat consecratus.

ZACHARIAS.

Hunc proinde Photius sua sede Chalcedonensi exegit, dum in Byzantinam sedem primo irrepsit, ac pro eo *Zachariam Copham* consiliorum suorum consortem, Chalcedonensem episcopum creavit. Quamobrem illum post celebratam synodum, in qua Nicolao Papæ anathema dicere ausus erat, ad Ludovicum Germaniæ Imp. delegare non dubitavit, unà cum Theodoro Cariæ, cui illius synodi suæ acta in Italiam deferrent, acta inquam, in quibus Ludovicus βασιλεὺς, h. e. *Imperator,* Byzantinorum more appellabatur; quod Græci hactenus decessoribus illius denegarant. Quod quidem Photius commentus erat, ut Ludovici benevolentiam aucuparetur, & per suos nuntios Nicolao Papæ infensum redderet. Hæc narrat Nicetas David in vita S. Ignatii. ὁ μὲν οὖν ταῦτα κατασκευασάμενος διὰ χειρὸς Ζαχαρίου τοῦ Κωφοῦ, ὃς ὑπ' αὐτοῦ τῆς Χαλκηδόνος ἐκεχειροτόνητο μητροπολίτης, καὶ Θεοδώρου τοῦ ἀπὸ Καρίας εἰς Λαοδίκειαν μετατεθέντος, τὰς παραλόγους καὶ ἐναγεῖς

A πράξεις πρὸς Ἰταλίαν ἐξαπέστελλεν. Verum paucis ab eorum profectione diebus Michaële Imp. necato, Basilius Augustus cursores misit, qui Zachariam, ejusque socium reverti cogerent: παρευθὺ δὲ πέμψας εἰς καταδρομὴν, τοὺς περὶ τὸν Ζαχαρίαν τὸν Χαλκηδόνος, ἐκ μέσης ἀπέστρεψε τῆς ὁδοῦ. Hoc pacto igitur nebulonis Photii fraus cunctis innotuit. Quocirca Ignatio suæ sedi restituto, amandatoque procul Photio, *Basilius* Chalcedonensem suam quoque recepit, Zacharia itidem ejecto. Quinque ad *Zachariam Chalcedonis*

BASILIUS *secundùm.*

B metropolitam Ζαχαρίᾳ μητροπολίτῃ Χαλκηδόνος, epistolæ Photii exstant, tamquam suarum calamitatum participem: duabus aliis se valetudinis illius sollicitum significat. Demum post S. Ignatii obitum Photius, Byzantino iterum occupato throno, synodum numerosam coëgit, in qua *Zacharias* ille *Cophas* sedit, multaque identidem interloquutus est. Quid tum Basilio factum, ignoratur.

ZACHARIAS *secundùm.*

XXII. NICON *electus saltem.*

Doctissimus Abbas à Papadopoli, *in Prænotionibus mystagogicis,* Resp. 2. Sect. IX. *De interstitiis ordinum, Niconem Chalcedonensem* nominat inter Græcos complures quos laudat, qui adversus Joannem Papam VIII. obmurmurarunt, calamumque strinxerunt, quod Photium in interdictum sibi solium insilire permisisset. *Chalcedonensis, seu ut diximus, hypopsephii Niconis, in oratione contra Santabarenum, apud Collectanea Chariophyli in Photium, &c.* Niconem itaque Basilio defuncto suffectum arbitror, quo tempore Zachariam suum Photius Chalcedone

D restituit.

XXIII. DANIEL.

Sub Sisinnio II. patriarcha anno 997. synodali decreto duorum fratrum cum consobrinis duabus nuptiæ prohibitæ sunt, sedente cum aliis *Daniele Chalcedonis,* Δανιὴλ Χαλκηδόνος. lib. 3. Jur. Græco-Rom. p. 197.

XXIV. JOANNES III.

In catalogo scriptorum Constantini Barini, qui cum aliis inter Antiquitates urbis

E Constantinopolitanæ Argentorati anno M. C. LXXVIII. typis excusus est, memoratur *Joannis metropolitæ Chalcedonensis Demonstratio in synodum quæ Penthecte I. Quinisexta dicitur, & in canones illius.* Qui Joannes duobus aliis ejusdem nominis de quibus dixi, recentior prorsus fuit.

XXV. THEODORUS.

Synodali decreto Alexius patriarcha anno 1023. & 1024. multa sanxit de diversis

causis quæ metropoles, archiepiscopatus, episcopatus & monasteria spectabant, assidente, utroque illo anno, *Theodoro Chalcedonensi*, Θεοδώρου Χαλκηδόνος. Ibid lib. 4. p. 250. & 256.

XXVI. Nicetas II.

Inter episcopos paucos infaustæ illius synodi, quæ Michaële Cerulario patriarcha præside Leonis IX. Papæ Legatis anathema dixit, sedebat *Nicetas Chalcedonis & Syncellus*, καὶ Νικήτα Χαλκηδόνος καὶ Συγκέλλου. Allat. Differt. 2. de lib. Eccl. Græc.

XXVII. * * *

Joannes Scylitzes in historia narrat, sub Michaële Duca Imp. sententia lata in Romanum Diogenem perduellionis convictum, ut oculi ejus effoderentur, *metropolitam Chalcedonis*, aliosque antistites intercessisse, ut ab ea pœna eximeretur. Ita quoque Cedrenus.

XXVIII. Leo.

Alexio Comneno Imp. anno 1182. sedebat *Leo Chalcedonensis*, qui in causa fuit, cur Alexius Tomum unionis ecclesiasticæ de sacrarum imaginum honore firmaret. Frequens habitus est Procerum Imperii & episcoporum conventus, cui præter Imperatorem præfuerunt patriarchæ duo, Nicolaus Grammaticus CP. & Simeon Hierosolymitanus. Decretum edidere quod in Bibliotheca Coisliniana cod. 36. sic inscribitur. Τὸ σημείωμα τὸ γεγονὸς ἐπὶ τῇ προβάσει ἑνώσεως τῆς συνόδου, καὶ αὐτοῦ τοῦ ἀπὸ Χαλκηδόνος Λέοντος, καὶ εὐσεβεῖ ἀποφάσει περὶ τῆς προσκυνήσεως τῶν ἁγίων εἰκόνων παρὰ τοῦ κρατίστου ἁγίου ἡμῶν βασιλέως κυροῦ Ἀλεξίου τοῦ Κομνηνοῦ, τοῦ ἐπ᾽ εὐσεβεῖν Θεοῦ χάριτι διὰ παντός. *Decretum datum in promovendo unionem synodi, ipsiusque Leonis Chalcedonis, piamque sententiam de adoratione sanctarum imaginum, ab optimo sanctoque Imperatore nostro Alexio Comneno, qui per Dei gratiam pietate conspicuus fuit.* Sanctio autem, seu Decretum ipsum his verbis incipit. Γραφὴ πρὸς τὸν Ἀδριανουπολίτην Νικόλαον πεμφθεῖσα παρὰ τοῦ χρηματίσαντος μητροπολίτου Χαλκηδόνος Λέοντος κ. τ. ἑ. *Epistola ad Nicolaum Hadrianopolitanum missa à Leone Chalcedonis metropolita, præter alios in quorum manus incidit, delata ad potentem & sanctum Imperatorem nostrum, quæ cum lecta esset, deprehensa est habere multa ad sacrarum imaginum venerationem spectantia, sanctorum Patrum doctrinis contraria, &c.* Hæc quidem initio Decreti, quæ intellectu facilia non sunt iis, qui ejus sanciendi causam nescierint. Verum hanc demum assequutus sum, lecto Nicetæ Choniatæ Thesauro Baluziano manu exarato, Tomo sive Sectione XXIII. ubi fertur, Alexium Imp. quum pecuniis indigeret, quibus stipendia militibus daret, sacra quævis argentea è templis extracta monetariis tradidisse. *Quod videns*, inquit, *Chalcedonensis præsul Leo, vir quidem eruditi sermonis non admodum studiosus, omnis vero virtutis sectator accuratissimus, divinique ardoris plenus, palam id quod gerebatur, Iconomachiam appellabat. Quod, ut adstrueret, dictis abutebatur eorum qui religioone fulserant, & adversus imaginum hostes clarissime certaverant, Nicephori scilicet patriarchæ Constantinopolitani, & Theodori Studitæ. At profecto non congruè satis, nec citra scandalum. Unde coacta tunc temporis synodus, illius destitutionem decrevit; quippe qui dure imaginum causâ loquutus erat, quum materiam ipsarum etiam deletis figuris imagines esse Christi & sanctorum insulsè assereret, quin male-sonas voces in Imp. jactaret. Quamobrem paulopost Mesembriam ad Pontum est relegatus.* Græca quia non hactenus prostitere, hic adjicienda censeo: ὅπερ ἰδὼν ὁ τῆς Καλχηδόνος πρόεδρος Λέων, ἀνὴρ τῶν λόγων τῆς παιδεύσεως οὐκ ἐραστὴς ἀκρόατος, ἀρετῆς δὲ ἁπάσης καὶ ἀκριβέστατος, καὶ ζήλου τοῦ κατὰ Θεὸν ἔμπλεως, εἰκονομαχίαν πρόδηλον τὸ γεγονὸς κατωνόμαζεν, ἀποχρώμενος εἰς τοῦτο καὶ ῥήμασι τῶν ἐπ᾽ εὐσεβείᾳ λαμψάντων, καὶ κατὰ τὴν εἰκονομαχίαν ἀγωνισαμένων λαμπρότατα, τούτου πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως Νικηφόρου καὶ τοῦ Στουδίτου Θεοδώρου, πλὴν οὐχ ἁρμοδίως ταύτῃ καὶ ἀπροσκόπως. ὅθεν ἡ τότε σύνοδος καθαίρεσιν τούτου καταψηφίζεται. τὴν γὰρ ὕλην καὶ μετὰ τὴν τοῦ σχήματος ἀφάνισιν εἰκόνας Χριστοῦ καὶ τῶν ἁγίων παραλόγως ἀπεφαίνετο. μικρὸν δὲ καὶ ὑπερόριος εἰς Μεσημβρίαν τὴν εἰς Πόντον ἀπάγεται. *Imperator vero*, pergit Nicetas, *pœnitentia motus eorum quæ Chalcedonensi inflicta erant, quum virum veneraretur, crebris eum epistolis hortabatur, ut mentem mutaret; sed & consobrinum illius Hadrianopoli accersivit*, τὸν ἀνεψιὸν αὐτοῦ ἐπεκέκλητο μεταστειλάμενος, *suadens ut literas patruo suo ea qua par erat urbanitate scriberet, benevolumque erga ipsum Imperatoris animum significaret, invitans, ut à proposito quod nulli laudarent, desciscerет. Nihil vero his motus Leo, sententiam non deposuit, quin Imperatoris pœnitentiam ridebat. Demum vero multorum hortationibus lenitus, synodi decreto consentiens, thronum recepit suum.* καὶ τῇ συνόδῳ συμφωνήσας τὸν αὖθις θρόνον ἀπέλαβεν. Hæc Nicetas, legendus in hist. Byzantina, necnon Anna Comnena lib. 5. Alexiadis, quæ Leonem ob pertinaciam sua sede dejectum subdit p. 130. Cæterum p. 139. nonnulla ingenuè refert, propter quæ illi sanctitatis fama asserta est.

ECCLESIA Chalcedonis.

ECCLESIA Chalcedonis.

XXIX. Michael.

Inter Theophylacti Bulgarorum archiepiscopi epistolas, una inscribitur *Domino Michaëli episcopo Chalcedonis*, Τῷ τῆς Χαλκηδόνος κυρίῳ Μιχαὴλ, vigesima septima scilicet, qua violatos canones queritur, quum præter suam sententiam monachus quidam intra archiepiscopatûs sui terminos templum & sacrarium exstruere cœpisset, Constantinopolitani patriarchæ Stauropegium causatus: quem proinde Theophylactus à communione summoverat, Byzantino archiepiscopo B nulla in Bulgaricam diœcesim suam auctoritate pollente.

XXX. Constantinus II.

Anno 1156. *Constantinus Chalcedonis*, sedit in concilio, in quo Soterichus Panteugenus Antiochiæ patriarcha electus ad ordinem redactus fuit. Vind. syn. Ephes. pag. 584. sed & rursum anno 1166. in altero concilio in quo Alamannorum de Christi Deitate Fides recta puraque judicata est. Id. lib. 2. de consens. cap. 12. C

XXXI. Nicolaus.

Georgius Pachymeres in *Michaële Palæologo* lib. 5. cap. 22. narrat die 16. Februar. (anno 1275.) *Nicolao Chalcedonense* sacris operante, in Palatio, τοῦ Χαλκηδόνος Νικολάου ἱερουργοῦντος κατὰ τὰ ἀνάκτορα, præsentibus cum Imperatore nuntiis Romanis, utraque lingua recitatam fuisse, quam vocamus *Epistolam*, lectione sumta ex Actis Apostolorum, propter solennitatem depositionis sacrorum vinculorum Petri Apostoli; sanctum quoque Evangelium Græce & Latine, D ac demum Romani Papæ commemorationem pronuntiatam à Diacono. Nec dubium quin Nicolaus iste, metropolitanus ille Chalcedonis fuerit, qui cum aliis Orientalis ecclesiæ metropolitanis pro ecclesiæ utriusque unione Gregorio Papæ X. scripserat, quemadmodum initio epistolæ ipsorum fertur. *Metropolitanus Chalcedonis superhonoratus* (ὑπέρτιμος) *cum ea quæ circa me est synodo.* Quamquam non tacendum, suffraganeum nullum episcopum Chalcedonensi obnoxium E fuisse, uti supra monuimus, quem ad suam synodum vocaret. Anno quoque 1275. mense Maio Joannes Beccus patriarcha synodum coëgit octo metropolitanorum, in qua magnæ ecclesiæ Referendarius, cui Escammatismeno cognomen, palam coram Imperatoribus confessus est se locum quemdam operum S. Gregorii Nysseni adulterasse, quo S. Spiritus ex Patre & Filio processio vindicabatur. Aderat *Nicolaus Chalcedonensis & hypertimus*, A τοῦ Χαλκηδόνος Νικολάου, ὁ ὑπερτίμου. Allat. de consens. lib. 3. cap. 1. n. 5.

XXXII. ***

Athanasius patriarcha C P. synodum habuit, in qua Joannes Drimys ecclesiæ & Andronico Imp. seniori infensus proscriptus fuit. Aderat *metropolita Chalcedonis & hypertimus*, τοῦ Χαλκηδόνος καὶ ὑπερτίμου. Inter epistolas Athanasii cod. Reg. olim illustrissimi archiepiscopi Remensis.

XXXIII. Jacobus.

Anno M. 6859. Christi 1351. Joanne Palæologo & Joanne Cantacuzeno Imp. Constantinopoli synodus coacta fuit, quæ Callisto patriarcha præside Barlaamum & Acyndynum Palamitarum expugnatores proscripsit. In ea sedit & subscripsit *Jacobus metropolita Chalcedonis, totiusque Bithyniæ Exarchus*, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Χαλκηδόνος, καὶ ὑπέρτιμος καὶ ἔξαρχος πάσης Βιθυνίας.

XXXIV. Hyperbius.

Doctissimus Abbas à Papadopoli in Mystagog. Prænotionibus, pag. 259. *Hyperbium* laudat Chalcedonensem archiepiscopum sive metropolitam: quo vero tempore vixerit, non indicat.

XXXV. Euthymius.

Anno 7073. mense Januario Indict. VIII. Christi anno 1564. Joasaph patriarcha multorum criminum, inprimis Simoniæ reus, depositionis sententiam subiit, cui cum aliis subscripsit *Euthymius metropolita Chalcedonis*, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Χαλκηδόνος Εὐθύμιος. lib. 2. hist. Turco-Gr. pag. 172.

XXXVI. ***

Hieremias II. patriarcha statim ab ordinatione sua anno 1572. synodum coëgit ad abolendam apud suos Simoniacam labem, ibique aderat *metropolita Chalcedonensis*, Ibid pag. 179.

XXXVII. ***

Eodem Hieremia secunda vice destituto, suffectoque illius in locum Sultani jussu Pachomio, hujus ordinationis adjutores præ reliquis fuere metropolitæ *Chalcedonis & Cyzici, tauri-pingues*, ait Monembasiæ Dorotheus, καὶ ἦσαν βοηθοὶ τοῦ μάλιστα ὁ Κυζίκου καὶ ὁ Χαλκηδόνος, οἱ ταῦροι πίονες, qui nempe Principis mandato obsequendum causabantur, eosque plectendos qui repugnarent.

XXXVIII. Josaphat.

A Cyrillo Lucari dum Patriarchatum

Byzantinum prima vice gereret, *Josaphat*, Joasaph utique Andrius, sive insulæ Andri archimandrita, Chalcedonensi episcopatu donatus fuit, ob venenum, ut fertur, Timotheo patriarchæ, cujus ille sedem mox obtinuit, propinatum. Quod Leo Allatius rei gestæ æqualis narrat lib. 3. De consens. c. 15. *Timotheus*, inquit, *mortem obiit, apertissimo, ut fama est, veneno sublatus, dum apud Hollandiæ Oratorem exquisitissimis epulis compotaretur, venenum propinaverat Josaphatus Andrius archimandrita post epulas, quam ad bibendum alter alterum invitaret: composuerat Apollonius Chius medicus non infimi nominis. Domum reversus intestinis doloribus cruciari cæpit, gravedine capitis affligi, lumen oculorum turbari & abire in confusionem & tenebras, &c. Accersitur ad curam Apollonius, alvum clysmo trahendum esse, ait, infundit, mille conductus aureis, clysmum, & unà novum venenum injicit. Sic Timotheus duplicis veneni vi oppressus animam efflat. Res postea patuit. Nam Archimandritam Cyrillus pro veneno archiepiscopatu Chalcedonensi remunerat. Postea inter eos turbis exortis, Archimandrita spoliatus episcopatu, rem totam aperuit. Quod ægrè ferens Cyrillus, ex comitatu suo nonnullos qui se satellites Turcici Imperii fatebantur, legavit, ut eum Constantinopolim adducerent, captum & Lembo impositum, à terra longius acti profundum in mare demerserunt. Sic divino numine agente, pœnas perpetrati parricidii Josaphatus persolvit, per eum cujus se impiissimi consilii ministrum præbuerat.* Quæ anno 1620. gesta sunt. Dositheus Hierosolymitanus Timotheum veneno interiisse fatetur, ejus vero necis Cyrillum Lucarem fuisse auctorem non putat.

XXXIX. ISAAC.

Ex Dositheo Hierosolymitano lib. 3. de patriarch. Hierosol. cap. 6. par. 2. quum Anthimus II. anno 1634. Patriarchatum Constantinopolitanum abdicasset, *Isaac* Chalcedonensis metropolita apud Turcicæ aulæ Ministros egit, ut ejus sedem obtineret; quod ei pro voto non successit; quinimo in Hungariam exsul amandatus est.

XL. DIONYSIUS I.

In synodo Cyrilli Berrhœensis Patriarchæ, quæ Constantinopoli habita est propter Cyrilli Lucaris Calvinianos errores, sedit & subscripsit *Dionysius Chalcedonis*, ὁ Χαλκηδόνος Διονύσιος.

ECCLESIA Chalcedonis.

XLI. PACHOMIUS.

Synodo alteri quæ à Parthenio patriarcha Jasii in Moldoblachia anno 1642. celebrata est propter Calviniana Lucaris dogmata, adfuit subscripsitque *Pachomius Chalcedonis*, ὁ Παχώμιος Χαλκηδόνος: Hic anno præcedenti adfuerat conventui alteri Constantinopoli habito, in quo de voce μετουσίωσις *Transubstantiatio* actum erat; an Orientalis Ecclesiæ Fidem efferret; Tom. 3. de Perp. fid. Euc. pag. 583. Ad hæc anno 1643. Subscripsit literis ejusdem Parthenii patriarchæ, quibus librum qui inscribitur, *Orthodoxa Confessio Catholicæ atque Apostolicæ Orientalis Ecclesiæ*, approbabat, ὁ Χαλκηδόνος Παχώμιος.

XLII. HIEREMIAS.

Responsioni Dionysii Patriarchæ super erroribus Calvinistarum, quæ data est anno 1672. subscripsit ὁ Χαλκηδόνος Ἱερεμίας, *Hieremias Chalcedonis*; qui anno anteriore testimonio simili de Fide Orientalis Ecclesiæ circa eadem capita perinde subscripserat. Ibid.

XLIII. DIONYSIUS II.

Jacobo Larissæ quondam metropolita Byzantinæ sedi secunda vice per episcopos restituto, *Dionysio* qui eam nuper occupaverat, Chalcedonensis episcopatus assignatus est, ut ibi quietè ageret, τὸν Διονύσιον ἔδωσαν τὴν Χαλκηδόνα. Ind. Patriarch. Constant. ab anno 1594.

XLIV. CLEMENS.

Circa annum 1687. Callinicus patriarcha, habita synodo *Clementem* Chalcedonensem ad Hadrianopolis sedem transtulit, è qua Neophytum synodali decreto ejecerat. Ibid.

XLV. GABRIEL.

Anno 1702. *Gabriel* metropolita Chalcedonis ad Constantinopolitanam sedem communibus suffragiis promotus fuit.

XLVI. PARTHENIUS.

Anno 1721. sedebat *Parthenius* Chalcedonis metropolita, ὁ Χαλκηδόνος Παρθένιος.



III.

ECCLESIA APOLLONIADIS.

APOLLONIA, Ἀπολλωνία Mysiæ veteris civitas est, ad Rhyndacum amnem Stephano. Ptolemæo vero lib. 5. cap. 2. eadem Apollonia ad Rhyndacum posita Phrygiæ minoris censetur. Strabo lib. 12. de Bithynis ait: *Bithyni, quum prius Mysi essent, à Thracibus, Bithynis & Thynis qui ibi habitavere, ita sunt postea nominati. Thynicæ gentis Thyniacum littus, quod juxta Apolloniam est & Salmydenum.* Apolloniam autem Strabo atque Plinius perinde ad Rhyndacum collocant, juxta lacum quod ab ea *Apolloniaticum* nuncupatum est. In Notitiis *Apollonias,* Ἀπολλωνιὰς *scribitur,* & Bithyniæ censetur, quæ sæquiori ævo Deiparæ virgini dicata, Θεοτοκιανὰ, *Theotociana* dicta est voce plurali neutra. Præterea Apollonias Bithyniæ, Leunclavio teste, ipsa est quæ apud Byzantinos scriptores *Lopadium* nominatur. Plane Nicetas Choniates lib. 2. hist. n. 5. Lopadium ad Rhyndacum ponit. Fuit porro & Apollonias Cariæ, atque altera rursum in Lydia.

EPISCOPI APOLLONIADIS.

I. MARCUS *martyr.*

DIe 25. Junii in Menologiis memoria agitur *S. Marci episcopi Apolloniadis & martyris,* ὁ ἅγιος Μάρκος ἐπίσκοπος Ἀπολλωνιάδος, λίθων ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ κρεμασθέντων ἐξαρθρωθεὶς τελειοῦται. *S. Marcus episcopus Apolloniadis, lapidibus manibus ejus appensis totus luxatus consummatur.* Atqui in Menologio Sirletano apud Canis. Tom. 2. Antiq. lect. ad diem 21. ejusdem mensis consobrinus dicitur S. Barnabæ Apostoli, quod accepit ex Dorotheo Tyrio: cui omissum martyrii genus. Cæterum hunc Bithynicæ Apolloniadi tribuendum puto.

A

II. GORGONIUS.

In Indice Nicænorum PP. *de provincia Bithyniæ,* legitur *Gorgonius Apolloniatis,* vel *ab Apolloniade.*

III. EUGENIUS.

Contestationi episcoporum qui intercesserunt, ne synodus Ephesina ante Orientalium adventum inchoaretur, subscripsit *Eugenius episcopus Apolloniadis Bithyniæ;* qui tamen, ut Latina acta passim ferunt, eidem quoque synodo interfuit.

IV. PAULUS.

In synodo S. Flaviani Constantinopolitani, in qua Eutyches hæreticus declaratus est, sedit & subscripsit *Paulus episcopus sanctæ ecclesiæ civitatis Apolloniatarum,* Παῦλος ἐπίσκοπος τῆς Ἀπολλωνιατῶν πόλεως ἁγίας ἐκκλησίας, qui subscribens actionibus alterius conventûs, in quibus prioris acta coram Thalassio Cæsariense relecta sunt, episcopum se dixit *Apolloniatarum provinciæ Bithyniæ,* ἐπαρχίας Βιθυνίας. Non ergo sedis incertæ, ut putavit Harduinus.

V. CYRIACUS.

Decreto synodi Gennadii Constantinopolitani contra Simoniacos post Stephanum Prusæ subscripsit *Cyriacus episcopus Apolloniadis,* Κυριακὸς ἐπίσκοπος Ἀπολλωνιάδος.

VI. ANASTASIUS.

In Sexta synodo generali sedit & subscripsit *Anastasius episcopus Theotocianorum, sive Apolloniadis provinciæ Bithyniæ.* Sic Latina translatio vetus; Textus vero Græcus: Ἀναστάσιος ἐπίσκοπος Θεοτοκιανῶν. In subscriptionibus acclamationis ad Constantinum Imp. diserte dicitur *episcopus Theotocianorum, sive Apolloniadis,* Θεοτοκιανῶν, ἤτοι Ἀπολλωνιάδος.

B

VII. SYMEON.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus legitur Συμεὼν ἀνάξιος ἐπίσκοπος Θεοτοκιανῶν τῆς Βιθυνῶν ἐπαρχίας, *Symeon indignus episcopus Theotocianorum provinciæ Bithyniæ.*

VIII. THEOPHYLACTUS.

Inter episcopos Bithyniæ in Septima synodo sedit & subscripsit *Theophylactus episcopus Apolloniadis,* Θεοφύλακτος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ἀπολλωνιάδος.

C

IX. NICETAS.

Ejusdem utique Apolloniadis Bithyniæ episcopus censendus est *S. Nicetas,* cujus memoria fit in Menologio Sirletano Canisii ad diem 20. Martii. Eadem die *S. P. N. Nicetæ Apolloniadis episcopi confessoris, qui pro defensione sanctarum imaginum persequutionem passus, eo quod nollet venerabilem Christi Domini & immaculatæ matris ejus imaginem negare, in exsilium missus, & variis afflictionibus tentatus, beatam præstans confessionem, Deo ipsi animam tradidit.*

D

X. MICHAEL.

In pseudo-synodo Photiana post S. Ignatii obitum adfuisse & subscripsisse legitur

Michaël Apolloniadis, Μιχαὴλ Ἀπολλωνιάδος. Quidni Bithyniæ?

X I. * * *

Ex Niceta Choniata in *Andronico Comneno* Imp. lib. 2. Andronicus in Bithynia sæviens, post excisam Prusam, *Lopadium* sive A Apolloniam transiit, ubi perinde grassatus est, *hujusque urbis episcopo oculum unum effodit*, καὶ τὸν ἐπίσκοπον ἑνὸς στερήσας τῶν ὀφθαλμῶν, quia urbis suæ hominibus non succensuerat, sed pacato animo motum illorum sustinuerat.

ECCLESIA Apolloniadis.

IV.

ECCLESIA PRUSÆ.

UTI Prusiadem Honoriadis à Prusia Ziclæ filio conditam Strabo refert, sic Prusam à Prusa altero, qui cum Cræso Lydiæ rege bellum gessit, quod consultò observat Stephanus. *Prusa quoque Bithyniæ urbs*, inquit, *admodum exigua est*, καὶ αὕτη μὲν πόλις μικρὰ Βιθυνίας, *quam condidit Prusias, qui cum Cræso bellum gessit*. Legendum quippe non Κύρου, sed τοῦ Κροίσου πολεμήσαντος, aut melius Strabo, τοῦ πρὸς Κροῖσον πολεμήσαντος. Hanc idem Strabo ad Olympum montem Mysium conditam ait, πρὸς τῷ Ὀλύμπῳ τῷ Μυσίῳ, *rectisque legibus administrari*. Plinius quidem lib. 5. cap. 32. in ora Bithyniæ Prusam *sub Olympo monte conditam* scribit, sed ab Hannibale; quod tamen postremum deceptus asseruit, Prusiadem à Prusa non secernens. Denique Prusam ad Olympum montem Bithyniæ memorat Ptolemæus, ut & Notitiarum scriptores, quam Byzantini Imperatores metropolim sequiori ævo fecerunt. Non desunt qui pro *Prusa Prusiadem* scribant; sed & *Theopolis* nuncupata est, cujus cognominis causa me hactenus fugit. Hodie vero *Bursa* dicitur.

EPISCOPI PRUSÆ.

I. ALEXANDER *martyr*.

IN Menæis die 9. Junii memoria fit *Sacrati* B *martyris Alexandri episcopi Prusæ*, καὶ τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Ἀλεξάνδρου ἐπισκόπου Προύσης, sed de quo plura non suppetunt.

II. PATRICIUS *martyr*.

In eisdem Menæis die 19. Maii memoria quoque est τοῦ ἁγίου μάρτυρος Πατρικίου ἐπισκόπου Προύσης, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ ἁγίων, Ἀκακίου, Μενάνδρου, Πολυαίνου. *S. Martyris Patricii episcopi Prusæ, & sociorum ejus Acacii, Menandri, Polyæni*. In Canisii Menologio commemoratio ejus fit, 28. April. & 19. Maii, C ac secundo loco, perinde atque in aliis, hæc narrantur: *Patricius hic vocatus ad judicium ob Christi Fidem, adstitit Julio præsidi, qui quum ei persuadere non posset, ut quod confessus erat, abnegaret, jussu Præfecti in ferventes aquas injectus, quibus quum læsi essent qui eum injecerant, incolumis ipse evasit, ac postremo ense obtruncatus est una cum Acacio, Menandro & Polyæno*. Ejus quoque eadem die mentio fit in Martyrologio Romano. In cod. Coisliniano 305. Chronicon habetur Georgii Hamartoli, in quo fol. 200. refertur, D *Patricii episcopi Prusæ responsio ad judicem*.

III. GEORGIUS.

In Nicænorum Patrum Indice Latino *de provincia Bithyniæ*, legitur *Georgius Prusiadis ad Olympum montem*. Pithœi codices, *Rusiates, ab Rusiadis*. Nimirum Librarii *Prusiadem* pro *Prusa* scripsere.

IV. TIMOTHEUS *martyr*.

Rursum in Menæis die 10. Junii recolitur Certamen *sacro-sancti martyris Timothei episcopi Prusæ*, Ἄθλησις τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Τιμοθέου ἐπισκόπου Προύσης. Hic, quum sub Juliano Apostata ecclesiam curaret quæ sibi obtigerat, Draconem lustrum illic habentem, cujus halitu homines transeuntes pecoraque necabantur, viaque adeò omnis Prusam inter & Thermas sive balnea deserta reddebatur, objecto velo quo consecrati panes tegebantur, disrupit & interemit. Julianus ὁ παραβάτης, sive Apostata, auditis prodigiis quæ Timotheus Dei nutu patrabat, caput ei jussit amputari. In synaxario Basilii Porphyrogenneti. τελεῖται δὲ ἡ σύναξις αὐτοῦ ἐν τῷ ἁγιωτάτῳ αὐτοῦ μαρτυρίῳ τῷ ὄντι ἔνδον τοῦ εὐαγοῦς ξενῶνος· ἐν τῷ Δευτέρῳ. *Celebratur ejus solenne festum in sanctissimo ejus martyrio, quod est apud sanctum hospitale, in Deutero*. Quibus verbis significari videtur illum Constantinopoli passum, in regione quæ Δεύτερον sive Secunda dicebatur, aut Martyrum Templum dicitur, in quo sancti Martyris corpus quiescebat. In Sirletano Menologio *episcopus Prusiadis* dicitur. *Apud Prusiada sacro-sancti martyris Timothei ejusdem civitatis episcopi, qui sub Juliano Apostata, &c*. Quod de Prusiade, sive Prusa Bithyniæ Martyrologii Romani consarcinatores intellexerunt. Ibi enim hac ipsa die legitur: *Prusiade in Bithynia S. Timothei episcopi & martyris sub Juliano Apostata*. Reliqua Menologia vel Synaxaria suadent ut *Prusam* pro *Prusiade* legamus,

Atqui ejusdem *S. Timothei* nuncupata nomine ecclesia Constantinopoli revera fuit, de qua doctissimus Cangius in *Constantinopoli Christiana* pag. 140. A

V. EUSTATHIUS.

Inter Constantinopolitani concilii generalis præsules *de provincia Bithyniæ*, censetur *Eustasius* vel *Eustathius Prusensis*.

VI. PETRUS.

Ad Ephesinam synodum venit, & Contestationi subscripsit illorum episcoporum, B qui intercesserunt, ne Cyrillus Alexandrinus eam inchoaret, non exspectato Joannis Antiocheni adventu. *Petrus episcopus Prusæ Bithyniæ.* Mox verò rursum sententiæ quæ prima die à synodo in Nestorium lata est, perinde subscripsit, Πέτρος ἐπίσκοπος Προύσης, *Petrus episcopus Prusæ*.

VII. STEPHANUS.

Synodali Gennadii Constantinopolitani *de Simoniacis* decreto subscripsit *Stephanus episcopus Prusensium*; Στέφανος ἐπίσκοπος Προυσαέων. C

VIII. THEOCTISTUS.

In Quinta synodo sedit & subscripsit *Theoctistus humillimus episcopus Prusæ*.

IX. POLYCHRONIUS.

In Sexta synodo sedit *Polychronius episcopus Theopolis sive Prusæ*, quemadmodum legitur initio act. 18. Πολυχρονίου ἐπισκόπου Θεουπόλεως, ἤτοι Προύσης. Qui prima vice subscripsit: Πολυχρόνιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Θεουπολιτῶν πόλεως τῆς Βιθυνῶν ἐπαρχίας, D ὁρίσας ὑπέγραψα διὰ Θεοδοσίου τοῦ εὐλαβεστάτου πρεσβυτέρου τῆς κατ' ἐμὲ ἁγιωτάτης ἐκκλησίας. *Polychronius misericordia Dei episcopus Theopolitanæ civitatis Bithyniæ provinciæ, definiens subscripsi per Theodosium presbyterum ecclesiæ meæ sanctissimæ.* Rursum perinde acclamationi Patrum Constantino Imp. Πολυχρόνιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Θεουπόλεως ἤτοι Προύσης, ὁρίσας ὑπέγραψα διὰ χειρὸς Θεοδοσίου, διὰ τὸ πρεσβῦτον αὐτοῦ γῆρας. Latina translatio *Polychronius episcopus Theopolis seu Prusæ definiens subscripsi per manum* E *Theodosii propter meam senectutem.*

X. THEODORUS.

In Septima synodo, *Theodorus episcopus Prusæ*, Θεόδωρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Προύσης.

XI. NICETAS.

In synodo Photiana post S. Ignatii obitum, legitur *Nicetas Prusæ*, Νικήτα Προύσης, Νικήτας Προύσης.

XII. PATRICIUS.

Joannes Antiochenus Patriarcha, qui sæculo labente undecimo & duodecimo incepto vixit, in Ecclogis suis asceticis fragmentum protulit ex *scriptis Patricii episcopi Prusæ, de Thermis sponte nascentibus*, ἐκ τῶν Πατρικίου Προύσης, περὶ τῶν αὐτοφυῶν θερμῶν. Cod. Cæsar. CCXLI. apud Lambec. lib. 5. Laudatur etiam à Michaële Glyca in Annalibus p. 17. tamquam acceptum ex Patricii ipsius Prusensis præsulis oratione in S. Pionium Martyrem. Consulendæ Labbæi notæ.

XIII. LEO.

Synodo illi Germani II. Patriarchæ, quam Nicææ habuit anno 1232. mense Augusto, in qua Christophoro Ancyræ mandata Michaëli Despotæ Epiri ferenda tradita sunt, aderat *Leo Prusæ* metropolita, Λεόντος τοῦ Προύσης. Lambec. Bibl. Cæs. cod. 231.

XIV. * * *

Unioni ecclesiæ Orientalis cum Romana, quam Michaël Palæologus Imp. meditabatur, suffragatus est cum metropolitis aliis *metropolita Prusæ*, ut disertè legitur in inscriptione epistolæ synodi Constantinopolitanæ ad Gregorium Papam X. *metropolitano Prusæ*, necnon initio literarum Gregorii ad ejusdem synodi Pontifices: *Venerabilibus fratribus, Ephesino . . . Alaniæ, Prusæ, Madytorum.*

XV. NEOPHYTUS I.

Michaële Palæologo Imp. defuncto, quum Andronicus ejus filius illam cum Romana ecclesia unionem ejurasset, & episcopos qui ei consenserant, sedibus suis ejiceret, Prusæ in Bithynia episcopus creatus est *Nicolaus* quidam emeritus Imperatoriæ culinæ minister, qui monastico de more habitu suscepto, *Neophyti* sibi nomen accivit. ἐπεὶ δ' ἐπὶ τῇ Προύσῃ ἐπικεκήρυκτο πρόεδρος ὁ ἐκ μαγκιρευτῶν Νικόλαος, μετονομασθεὶς ἐκ μοναχῶν εἰς Νεόφυτον. Hic, quod multis reprehensione dignum visum est, inito pontificatu, novum quid patravit, ut nempe propter receptum nuper in sacris Tabulis Papæ nomen per dies aliquot abstinentiam à carnibus edixerit, ad tam grande scelus expiandum. Quam præposteri, importunique jejunii pœnam Prusenses ægre ferentes, dira imprecabantur commemorationis illius auctori, adeoque Joanni Becco, qui à Constantinopolitana ejectus nuper sede, Prusam fuerat relegatus. At *Nicolaus*, sive *Neophytus* paulo post ipse destitui quoque meruit; quippe qui libello subscripserat, quem Germanus Hierapolis metropolita adversus ipsummet Beccum exarraverat; in quo nempe aliqua

aliqua reprehenſione digna viderentur. Pachym. in *Andronico.* lib. 1. cap. 34. & lib. 2. cap. 10.

XVI. * * *

Anno 1565. Joaſaph Patriarcha aliquot criminum ac Simoniæ præſertim reus, ſynodi ſententia exauctoratus fuit, cui ſubſcripſit *Gregorius metropolita Pruſæ,* ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Γρηγόριος Προύσης. lib. 2. hiſt. Turco-Gr. p. 172. Idem *Gregorius Pruſæ,* anno 1579. ſubſcripſit epiſtolæ Metrophanis patriarchæ, qui Joaſapho ſuffectus fuerat, Nauplii & Argorum metropolitæ datæ, qui repetundarum multiplici titulo accuſabatur, lib. 4. Turco-Gr. pag. 286. ubi p. 297. epiſtola itidem exſtat ejuſdem Gregorii metropolitæ Pruſæ ad Theodoſium Zygomalam, ſed cujus annus, menſiſque ac dies non apparent. Ipſe igitur eſt ille *metropolita Pruſæ,* qui anno 1572. ſedit quoque in ſynodo Hieremiæ II. patriarchæ in qua tractatum eſt de abolenda Simonia, lib. 2. pag. 179.

XVII. Neophytus II.

Anno 1580. *Neophytus* metropolita Pruſæ ſedebat, qui ſubſcriptus reperitur epiſtolæ, quam eccleſia Conſtantinopolitana Imperatori Moſchorum ſcripſit, de reſtituto ſibi patriarcha Hieremia II. ὁ Προύσης Νεόφυτος.

XVIII. Chrysanthus.

Anno 1642. Indict. x. Parthenius patriarcha ſenior in Valachiam & Moldaviam ſuſcepto itinere, Giaſii apud Moldavos ſyno- A dum habuit ad elevandam invidiam quam eccleſiæ Græcæ Calviniani creaverant, propter hæreſis eorum capita quæ à Cyrillo Lucari eidem eccleſiæ afficta fuerant. Aderat Chryſanthus Pruſæ, Χρύσανθος Προύσης.

XIX. Gabriel.

Parthenio IV. Chienſi quondam metropolita, ac ſubinde Conſtantinopolitano patriarcha, à Turcis ſuſpenſo, quum patriarchalis ſedes dies triginta vacaſſet, *Gabriel Gani* metropolita eâ donatus fuit; quem tamen B epiſcopi non admiſerunt. Quamobrem Pruſam tranſlatus eſt. Verum idem Gabriel Pruſæ quoque ſuſpenſus fuit, quod Judæum quemdam baptizaſſet, quem Judæi antehac Turcam ſeu Muſulmanum factum mentiebantur. Index Patriarch. CP. ab anno 1594.

XX. Parthenius.

Metropolita Pruſæ primum fuit Parthenius cognomento *Cumcumis,* Παρθένιος ὁ Κουμκούμης, qui poſt Gabrielem Gani Conſtantinopolitanus patriarcha fuit ad annum C uſque 1660.

XXI. Neophytus III.

Hoc ſæculo decimo octavo adulto ſedebat *Neophytus Pruſæ,* ut charta mihi Venetiis tranſmiſſa docet.

XXII. Cyrillus.

Sedebat anno 1721. *Cyrillus metropolita Pruſæ,* ὁ Προύσης Κύριλλος.

V.

ECCLESIA SOREI.

PRÆTER *Sora* Paphlagoniæ civitatem, *Soreus,* Σωρεὸς, Bithyniæ oppidum fuit, cujus nulla mihi occurrit apud veteres Geographos mentio, nulla in Notitiis ullis, etiam Hieroclis. At proprium aliquando epiſcopum habuit, primis ſaltem eccleſiæ ſæculis, uti mox ex Actis S. Autonomi conſtabit, in quibus pauca hæc de illius ſitu diſcere licet. *Situs eſt* inquiunt, *ad dexteram ei qui navigat in ſinum Nicomediæ.* Quæ certe nota Geographica urbem à *Soris* Paphlagoniæ procul diſtantem indicat.

EPISCOPI SOREI.

I. Cornelius.

LEo Allatius lib. de Ætate & Interſtitiis in collatione ordinum apud Græcos p. 159. ex actis Martyrii S. Autonomi, cujuſdam in Italia civitatis epiſcopi pauca hæc recitat, ex quibus comperimus ſub Imperatoribus Romanis, qui Chriſtianos religionis cauſa inſectabantur, Sorei epiſcopum fuiſſe conſtitutum nomine *Cornelium.* Αὐτόνομος τὴν Ἰταλίαν καταλιπὼν ἀφικνεῖται πρὸς Βιθυνίαν, καὶ θείοις κατακολουθῶν νεύμασι προσέχει χωρίῳ τινὶ, ᾧ τοὔνομα μὲν Σωρέος. κεῖται δὲ ἐν δεξιᾷ τῷ εἰσπλέον-

D τι τὸν τῆς Νικομηδείας κόλπον· καὶ ξενίζεται παρ' ἀνδρὶ Κορνηλίῳ τὴν κλῆσιν. συχνόν τε χρόνον προσδιατρίψας αὐτῷ, καταρτίζει μὲν αὐτὸν τῆς διδασκαλίας, οἶκον δὲ Θεοῦ οἰκονομήσας, εὐκτήριον Μιχαὴλ τοῦ τῶν ἀγγέλων ἀρχηγοῦ κατωσιωμένον, χειροτονεῖ τὸν Κορνήλιον ἐν αὐτῷ τῆς διακονίας τῷ ἀξιώματι. καὶ αὐτῷ παραδοὺς τὴν τῶν πιστῶν ἐπιμέλειαν, ἐπὶ τὴν τῶν Λυκαόνων καὶ Ἰσαύρων ἀπαίρει, κήρυξ κἀκεῖ γενέσθαι τῆς εὐσεβείας προθυμούμενος. εἶτα πάλιν ἐπανελθὼν πρὸς τὸν Κορνήλιον, καὶ τὸν καταβληθέντα σπόρον αὐτῷ τῆς θεογνωσίας πολύχουν βλαστήσαντα καρπὸν εὑρηκὼς, ἐπὶ τὸν πρεσβυτέρου βαθμὸν εὐθέως ἀνάγει. ἐπεὶ δὲ

ECCLESIA SOREI.

Διοκλητιανὸν εἰς τὴν Νικομήδειαν ἥκοντα ἔγνω, πᾶν μὲν γένος χριστιανῶν, καὶ ἡλικίαν πᾶσαν ἐκτέμνειν σπουδάζοντα, ἐξαίρετον δέ τινα καὶ μεμεριμνημένην τὴν περὶ Αὐτόνομον ποιούμενος ζήτησιν, ἐπὶ τὸ Μαντίνιον καὶ τὴν Κλαυδιούπολιν οὗτος ἀπέπλει· πόλεις δὲ αὗται περὶ τὸν Εὔξεινον κείμεναι πόντον· κἀνταῦθα τὸν λόγον τῆς εὐσεβείας διασπεῖραι κατεπειγόμενος. ὡς δὲ κατὰ νοῦν αὐτῷ πάντα συνεργίᾳ χριστοῦ. προσεχώρει, αὖθις ἐπὶ Σωρεοὺς ἀναστρέφει, τὸν Κορνήλιον καὶ τὴν κατ' αὐτὸν ἐκκλησίαν ἐπισκεψόμενος, ἣν πολυπλασιασθεῖσαν πάλιν εὑρὼν, τὸν μὲν Κορνήλιον, τῷ τῆς ἐπισκοπῆς ἀξιώματι τελειοῖ, αὐτὸς τὴν Ἀσιανῶν ἐπέρχεται χώραν. κ. τ. ἑ. *Autonomus relicta Italia, in Bithyniam adpulit, divinoque nutui obsequens in locum venit cujus nomen Soreus* (situs autem est *ad dexteram ei qui navigat in sinum Nicomediæ*) *hospitioque excipitur à quodam nomine Cornelio, apud quem quum diu versatus esset, doctrina eum imbuit. Dei autem oratoria æde structa, ac Michaëlis Angelorum Principis nuncupatione donatâ, Cornelium in ea diaconum ordinat. Tum cura illi animarum mandata, in Lycaoniam & Isauriam proficiscitur, prædicator illic esse religionis cupiens. Reversus deinde ad Cornelium, ubi semen quod jecerat, multiplicem cognitionis Dei fructum ab eo productum reperit, quem ad Presbyteri gradum promovet. Ubi vero comperit Diocletianum, qui Christianum nomen & genus omne exscindere studebat, admodum sollicitè Autonomum quærere, navigavit ille Mantinium & Claudiopolim, quæ urbes sunt ad Pontum Euxinum positæ, ubi etiam religionis serere verbum contendit. Omnibus itaque, Deo adjuvante, illi ex sententia procedentibus, Soreum revertitur Cornelium invisurus & ejus ecclesiam. Quam rursus admodum multiplicatam nactus, Cornelium quidem episcopi dignitate auget, ipse vero in Asiæ regionem pergit, &c.*

VI. ECCLESIA PRÆNETI.

PRÆNETUS, quam Stephanus Byzantinus *Pronectum* vocat, Πρόνεκτος, *Bithyniæ civitas est*, inquit, *prope Drepanum, quam Phœnices condidere.* Socrates lib. 6. hist. cap. 16. ubi narrat revocatum è primo exsilio Joannem Chrysostomum, ac Brisonem Eunuchum, qui ab Eudoxia imperatrice eam in rem missus erat, eum offendisse Preneti vel Præneti; subdit, hanc *emporium esse è regione Nicomediæ*, Ἐμπόριον δὲ τοῦτο κατεναντικρὺ Νικομηδείας. Notitiæ in Bithynia Prænetum quoque habent, ὁ Πραινέτου, *episcopus Præneti;* ex quo apud Hieroclem legendum Πραίνετος, non Πρίνετος.

EPISCOPI PRÆNETI.

I. SISINNIUS.

QUinto concilio generali interfuit & subscripsit *Sisinnius misericordia Dei episcopus sanctæ ecclesiæ Præneti civitatis.*

II. THEODORUS.

Concilio quoque Sexto generali sedit & subscripsit *Theodorus episcopus civitatis Prænetiorum provinciæ Bithyniæ*, Θεόδωρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος τῆς Πραινετίων πόλεως τῆς Βιθυνῶν ἐπαρχίας.

III. COSMAS.

Synodi in Trullo canonibus subscriptus legitur, Κοσμᾶς ἀνάξιος ἐπίσκοπος τῆς Πραινετίων πόλεως τῆς Βιθυνῶν ἐπαρχίας, *Cosmas indignus episcopus Prænetiorum provinciæ Bithyniæ.*

IV. JOANNES.

In Septima synodo sedit & subscripsit *Joannes episcopus Præneti*, Ἰωάννης ἀνάξιος ἐπίσκοπος Πραινέτου.

V. EUGENIUS.

In synodo quæ ob Photii restitutionem habita est, *Eugenius Præneti*, Εὐγενίου Πραινέτου, Εὐγένιος Πραινέτου.

VII. ECCLESIA HELENOPOLIS.

HELENOPOLIS, Ἑλενούπολις, Bithyniæ civitas est in omnibus Notitiis, cujus priscum nomen *Drepanum*, Δρέπανον fuit, vel Δρεπάνη *Drepane*. Helenopolis à Constantino magno dicta est propter genitricem suam Helenam, quæ in ea diem supremum obiit. Quod innuit Sozomenus lib. 2. cap. 1. Nicephorus item Callistus lib. 7. cap. 48. imo & additamentum ad Eusebii librum Chronicorum posteriorem: *Drepanum Bithyniæ civitatem in honorem martyris Luciani ibi conditi Constantinus instauravit, & ex vocabulo matris suæ Helenopolim nuncupavit.* Urbs est maritima ad sinum Astacenum, ait Stephanus, Bosphoro proxima: cujus tamen nulla veteribus Geographis aliis mentio.

ECCLESIA Helenopolis.

EPISCOPI HELENOPOLIS.

I. MACRINUS.

IN Indice Patrum Nicænorum *de provincia* A *Bithyniæ,* legitur *Macrinus Helenopolis:* hoc est *Drepanes,* quæ subinde *Helenopolis* nuncupata est.

II. PALLADIUS.

In Dialogo de vita S. Joannis Chrysostomi habemus *Palladium Helenopolis,* unum fuisse ex episcopis qui ejus causa Romam ad Innocentium Papam perrexerant, ἐπεὶ Παλλάδιος ἐπίσκοπος Ἑλενουπόλεως, qui quum Constantinopolim repetiisset, Syenen in remotius Thebaïdis oppidum deportatus est, Socrates B insuper lib. 7. c. 25. testatur *Palladium Helenopolis Asponam translatum fuisse,* Παλλάδιος ὁ Ἑλενουπόλεως μετηνέχθη εἰς Ἄσπωνα. De hoc Palladio consule, quæ in episcopis Asponæ Galatiæ primæ dicta sunt.

III. ALEXANDER.

Palladio exsulante & Helenopolitana sede ejecto, subrogatus omnino fuit *Alexander,* quem Socrates loco mox appellato, *Helenopoli Hadriano migrasse* subdit, Ἀλέξανδρος C ἀπὸ Ἑλενουπόλεως μετηνέχθη εἰς Ἀδριανούς.

IV. LEONTIUS I.

Anno 536. synodo Constantinopolitanæ sub Menna adfuit & subscripsit, *Leontius episcopus Helenopolis Bithyniæ,* Λεόντιος ἐπίσκοπος Ἑλενουπόλεως Βιθυνίας.

V. THEODORUS.

Quintæ synodo generali, *Theodorus misericordia Dei episcopus sanctæ ecclesiæ Helenopoleos.*

VI. LEONTIUS II.

Sextæ synodo, *Leontius episcopus Helenopolitanæ civitatis provinciæ Bithyniæ,* Λεόντιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Ἑλενουπολιτῶν πόλεως τῆς Βιθυνῶν ἐπαρχίας.

VII. JOANNES.

Canonibus synodi Quinisextæ, sive in Trullo subscriptus legitur, Ἰωάννης ἐλάχιστος ἐπίσκοπος τῆς Ἑλενουπολιτῶν πόλεως, τῆς Βιθυνῶν ἐπαρχίας. *Joannes minimus episcopus Helenopolitanorum civitatis provinciæ Bithyniæ.*

VIII. DAVID.

In Septima synodo sedit & subscripsit *David episcopus Helenopolis,* Δαβὶδ ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ἑλενουπόλεως.

IX. LEO.

In Photiana synodo sub Joanne Papa VIII. *Leo Helenopolis,* Λέοντος Ἑλενουπόλεως, Λέων Ἑλενουπόλεως.

VIII.

ECCLESIA BASILINOPOLIS.

BASILINOPOLIS Bithyniæ civitas est in omnibus Notitiis, etiam primæ, quamvis ejus ordinationem Nicænus olim episcopus seu metropolita sibi vindicaverit. Recentem urbem innuebat act. 13. concilii Chalcedonensis Anastasius Nicænus, quum diceret: *Imperator quidam Julianus, aut nescio quis ante eum, fecit illam civitatem, & sumens curiales ex Nicæa, ibi constituit, & consuetudo ex tunc observatur, ut si forte Basilinopoli curialis defuerit, de Nicæa mittatur, & vicissim Nicæam Basilinopoli transferatur, quumque prius regio seu vicus, aut oppidum esset, subinde civitas evaserit,* καὶ ἡ πρότερον ῥεγεὼν, πάλιν μετὰ ταῦτα ἐγένετο πόλις. Quando itaque Basilinopolis in rebus civilibus à Nicæa pendebat, hinc episcopi Nicæni ejus episcopos semel atque iterum ordinare non dubitarunt, unde Nicænus Anastasius in Chalcedonensi synodo objectabat: *Ostendi ego quot à Nicæa ordinati sint, ostendat Eunomius, quot à Nicomedia:* nihil vero tunc ab eo confectum est. Alioqui rursum epistolæ exstant divini Chrysostomi ad Nicææ episcopum, quibus mandabat, uti Basilinopolim vaderet, ejusque ecclesiam corrigeret.

EPISCOPI BASILINOPOLIS.

I. ALEXANDER.

BAsilinopolis episcopus à Joanne Chryso- D stomo constitutus fuit *Alexander,* patria Cyrenensis, è genere suæ civitatis Senatorio, qui monachus adhuc adolescens factus, deinde diaconus, post presbyter, episcopalem dignitatem adeptus est, postquam in urbem Regiam ob negotia quædam venerat. Orta deinde in Chrysostomum persequutione, Alexander à Basilinopolitana plebe ejectus, Cyrenen repetiit, ubi quietus egit, etsi sibi liberum erat ad ecclesiam suam redire. Quocirca Synesius epistola sua 66. à Theophilo Alexandrino quærebat, num Alexandrum tamquam episcopum colere oporteret, quem ob

ECCLESIA Basilinopolis.

prolixiorem à Basilinopolitana ecclesia absentiam, sacra communione donandum non censeret. Quod etiam epistola 67. significat, quam scribebat dum vix primum episcopatus sui Cyrenensis annum expleverat. Atqui non omittenda Synesii verba, quibus, tum se erga Chrysostomum melius quam suus Archiepiscopus Theophilus affectum præbebat, tum Alexandrum à beatissimo illo pontifice ordinatum testabatur. καὶ Ἰωάννῃ τῷ μακαρείτῃ συστὰς πρὶν στασιάσασθαι τὰς ἐκκλησίας, ὑπὸ τῆς ἐκείνου χειρὸς, ἐπίσκοπος ἀνεδείχθη τῆς Βιθυνῶν Βασιλινουπόλεως, *& pie defuncto Joanni adhærens prius, quam ecclesiæ per illius inimicos dissiderent, episcopus designatus est Basilinopolis.*

II. GERONTIUS.

In Chalcedonensi concilio sedit & subscripsit *Gerontius episcopus Basilinopolis,* Γερόντιος ἐπίσκοπος Βασιλινουπόλεως, cujus tamen prætermissum nomen est in Indice Latino. Ipse videtur esse quem Anastasius Nicænus act. 13. non à se, sed à decessore suo consecratum causabatur. At saltem anno 448. interfuerat, subscripseratque Gerontius synodo Constantinopolitanæ in qua Eutyches, Flaviano archiepiscopo præside, hæreticus renuntiatus fuit.

III. CYRIACUS.

Relationi synodi Constantinopolitanæ alterius, quæ anno 518. celebrata est à Joanne patriarcha de Severo Antiocheno & aliis hæreticis, subscripsit *Cyriacus episcopus Basilinopolis,* Κυριακὸς ἐπίσκοπος Βασιλινουπόλεως. Latina translatio *Dominicum* vocat.

IV. SISINNIUS.

In Sexta synodo sedit & subscripsit, ut & Quinisextæ synodi canonibus *Sisinnius episcopus Basilinopolis,* Σισίννιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Βασιλινουπόλεως.

V. GEORGIUS.

In Septima rursum synodo, *Georgius episcopus Basilinopolis,* Γεώργιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Βασιλινουπόλεως.

VI. ANTHIMUS

In Photianâ synodo, quæ Joanne Papa VIII. habita est, *Anthimus Basinopolis,* seu Basilinopolis, Ἄνθιμος Βασινουπόλεως, vel Ἄνθης *Anthes* Βασινουπόλεως, sive Βασιλινουπόλεως.

IX.

ECCLESIA HADRIANORUM.

HADRIANI, Ἀδριανοὶ, urbs Bithyniæ Hierocli, ut aliis Notitiarum scriptoribus ad Olympum montem posita, velut numismatum inscriptiones ferunt, ΑΔΡΙΑΝΩΝ ΠΡΟΣ ΟΛΥΜΠΟΝ, *Hadrianorum ad Olympum.*

EPISCOPI HADRIANORUM.

I. EVETHIUS.

IN Nicænæ synodi Patrum indice Latino *de provincia Bithyniæ;* censetur *Evethius Hadrianiensis.*

II. ALEXANDER.

Socrates, lib. 7. hist. cap. 27. uti Palladium Helenopoli Aspona translatum tradit, *ita & Alexandrum Helenopoli Hadrianos,* καὶ Ἀλέξανδρος ἀπὸ Ἑλενουπόλεως μετηνέχθη εἰς Ἀδριανοὺς, *Bithyniæ* scilicet, alios non novi.

III. DAVID.

In concilio Chalcedonensi subscriptus legitur *David episcopus Adrianorum,* Δαβὶδ ἐπίσκοπος Ἀδριανῶν.

IV. ELIAS.

Synodo Constantinopolitanæ quæ Menna patriarcha præside Anthimum ejus decessorem, aliosque ejusdem generis hæreticos proscripsit, aderat *Elias episcopus Hadrianorum provinciæ Bithyniæ,* Ἠλίου Ἀδριανῶν τῆς Βιθυνῶν ἐπαρχίας. Ita legitur act. 2. ejusque mentio fit act. 3. & 4. nusquam in subscriptionibus.

V. JOANNES.


In Sexta synodo sedit & subscripsit, ut fert Latina translatio: *Joannes episcopus Hadrianopolis provinciæ Bithyniæ.* Sic legendum, ut in textu Græco, *provinciæ Hellespontiorum,* Ἰωάννης ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Ἀδριανῶν πόλεως τῆς Ἑλλησποντίων ἐπαρχίας. Nulla civitas Hadriani dicta in Hellesponto exstitit, sed *Adrania,* cujus episcopus Cyricus in hac eadem synodo simul sedebat.

VI. NICEPHORUS.

In Septima synodo inter episcopos Bithyniæ, act. 4. & 7. *Nicephorus episcopus civitatis Hadrianæ.* Sic Latina translatio, Græcus contextus, Νικηφόρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος πόλεως Ἀδρανοῦς, Ἀδριανοῦς. Legero saltem Ἀδριανῆς.

VII. BASILIUS.

In Photii synodo quæ ob ejus restitutionem habita est, *Basilius Hadrianæ,* Βασιλείου Ἀδριανῆς, Βασίλειος Ἀδριανῆς.



X. # ECCLESIA CÆSAREÆ.

CÆSAREA Bithyniæ à Ptolemæo posita fertur inter Rhyndacum amnem & Olympum montem, quam & *Smyraleam* quoque dictam subdit, ἡ καὶ Σμυράλεια, vel, ut codices Palatinus & Coislinianus habent, *Smyrdianam*, Σμυρδιανή. Cæsaream Bithyniæ assignant perinde Notitiæ omnes.

EPISCOPI CÆSAREÆ.

I. RUFUS.

IN indice episcoporum qui Nicæno concilio interfuerunt, *de provincia Bithyniæ*, legitur *Rufus Cæsariensis*.

II. PAULUS,

Relationi synodi Constantinopolitanæ ad Joannem Patriarcham de Severo Antiocheno, ejusque sociis hæreticis subscripsit *Paulus episcopus Cæsareæ Bithyniæ*, Παῦλος ἐπίσκοπος Καισαρείας τῆς Βιθυνίας.

III. JOANNES.

Synodo Constantinopolitanæ sub Menna, adfuit *Joannes Cæsareæ Bithynorum provinciæ*, Ἰωάννου Καισαρείας τῆς Βιθυνῶν ἐπαρχίας, qui act. 4. & 6. subscripsit.

IV. THEODOSIUS.

Celebris est S. Maximi confessoris cum *Theodosio Cæsareæ Bithyniæ*, episcopo Monotheleta concertatio, quam Anastasius Bibliothecarius jam olim Latine transtulit, iterumque doctissimus Combefisius Græce Latineque edidit.

V. THEODORUS.

A In Sexta synodo sedit & subscripsit *Theodorus episcopus Cæsareæ Bithyniæ*, Θεόδωρος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Καισαρείας Βιθυνίας. Sic passim: Θεοδώρου Καισαρεία τῆς Βιθυνίας, *Theodoro Cæsareæ Bithyniæ*, non *Stephanus* Στέφανος, ut semel in subscriptionibus.

VI. CONSTANS.

In Septima synodo *Constans*, vel, ut translatio Latina, *Constantinus episcopus Cæsareæ Bithyniæ*, Κώνστας ἀνάξιος ἐπίσκοπος Καισαρείας τῆς Βιθυνίας. Plane amanuensis
B actorum hujus synodi Græci perpetuus error fuit, ut *Constantem* pro *Constantino* scripserit, propter hanc Notariorum abbreviationem κνςς, qua non nude *Constans*, sed *Constantinus* ab illis significabatur. Quod quidem semel hic, ut spoponderam, observasse sufficiat.

VII. THEOPISTUS.

In synodo Photiana sub Joanne Papa VIII. *Theopistus Cæsareæ Bithyniæ*, Θεοπίστου Καισαρείας τῆς Βιθυνίας, Θεόπιστος Καισαρείας τῆς Βιθυνίας.

XI. # ECCLESIA NEOCÆSAREÆ.

PRÆTER Cæsaream, de quo mox diximus, *Neocæsarea*, seu *Cæsarea nova in Bithynia*, quoque fuit, ut Notitiæ ferunt, quam & *Aristam* nominatam discimus ex actis Septimæ synodi, & Notitia Leonis Sapientis Imp. ὁ Ἀρίστης. Hujus Neocæsareæ Stephanus meminit, velut & Ponticæ. In Notitia recentiori Philippi Cyprii metropolis titulo augetur. Z. ὁ Νεοκαισαρείας, ἥτις καὶ εἰς μητρόπολιν τετίμηται. At certè sine suffraganeis.

EPISCOPI NEOCÆSAREÆ.

IN metropolitis Neocæsareæ Ponticæ observavi à vero prorsus non esse alienum, illius ecclesiæ episcopum fuisse *Theodulum à Neocæsaræa*, qui subscriptus reperitur epistolæ episcoporum magna parte Arianorum, qui à Sardicensi concilio Philippopolim secesserunt. Alioqui Neocæsareæ Bithyniæ tribuendus erit.

I. OLYMPIUS.

INter concilii Constantinopolitani generalis prioris Patres, *de provincia Bithyniæ censetur Olympius Neocæsariensis*.

C
II. CYRIACUS.

Relationi synodi Constantinopolitanæ ad Joannem patriarcham de Severo & aliis hæreticis subscripsit, Κυριακὸς ἐπίσκοπος Νεοκαισαρείας τῆς Βιθυνῶν ἐπαρχίας, *Cyriacus episcopus Neocæsareæ provinciæ Bithyniæ*.

III. JOANNES.

Canonibus synodi Quinisextæ subscripsit *Joannes episcopus Neocæsareæ provinciæ Bithyniæ*, Ἰωάννης ἀνάξιος ἐπίσκοπος Νεοκαισαρείας πόλεως τῆς Βιθυνῶν ἐπαρχίας.

ECCLESIA Neocæsareæ.

IV. Leo.

In Septima synodo generali sedit & subscripsit inter Bithyniæ episcopos act. 4. & 7. *Leo episcopus Neocæsareæ, sive Aristæ.* Λέων ἐπίσκοπος Νεοκαισαρείας, ἤτοι Αρίστης.

A

V. Tarasius.

In synodo Photiana sub Joanne Papa VIII. *Tarasius Aristæ*, Ταρασίου Αρίστης, lego Αρίστης. Quamquam in veteri Notitia una, *Erista* scribitur, non Arista, ὁ Ερίστης, *episcopus Eristæ.*

XII.

ECCLESIA DASCYLII.

Dascylium Bithyniæ civitatum una est in Notitia Hieroclis, Δασκύλειον, quam Ortelius eamdem esse putavit, atque Prusiadem Honoriadis, quandoquidem Prusia & Dascylium locus idem est, iidemque numeri assignantur apud Ptolemæum: id quod tamen in Geographiæ Ptolemaïcæ accurata à Bertio editione non apparet. Sed & in Sexta synodo aderant episcopi Prusiadis & Dascylii. Strabo *Dascylium* ad paludem Dascyliticam posuit: Plinio in ora maritima est, uti Ptolemæo. Melæ, *trans Rhyndacum fluvium est Dascylos.* Notitiæ omnes *Dascylium* dicunt, ὁ Δασκυλείου, *episcopus Dascylii.*

EPISCOPI DASCYLII.

I. Joannes.

Episcopum Dascylii neminem reperio B Sexta synodo generali anteriorem, in qua sedit cum aliis Bithyniæ præsulibus *Joannes episcopus Dascylii.* Act. 18. subscriptus legitur, Ιωάννης ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Δασκυλεωτῶν τῆς Ελλεσποντίων ἐπαρχίας, *Joannes misericordia Dei episcopus Dascyleotarum provinciæ Hellespontiorum*; sed emendandum τῆς Βιθυνῶν ἐπαρχίας, *provinciæ Bithyniæ*, ut & in *Joanne episcopo Hadrianorum* diximus. Enimvero Latina translatio vetus ubique habet: *Joannes indignus*, vel, *misericordia Dei, episcopus Dascylii Bithyniæ regionis.* Sic canonibus synodi in Trullo subscripsit. Ιωάννης ἀνάξιος ἐπίσκοπος Δασκυλίας (leg. Δασκυλίου) τῆς Βιθυνῶν ἐπαρχίας, *Joannes indignus episcopus Dascylii provinciæ Bithyniæ.*

II. * * *

In Septima synodo *Basilius presbyter* sedit & subscripsit inter episcopos Bithyniæ, *locum servans throni Dascylii.* Βασίλειος πρεσβύτερος, καὶ τοποτηρητὴς θρόνου τοῦ Δασκυλίου.

III. Georgius.

In Octava synodo generali *Georgius misericordia Dei episcopus Dascylii;* qui subinde adfuit synodo habitæ ob Photii restitutionem, Γεωργίου Δασκυλίων, *Georgio Dascyliorum:* at in subscriptionibus *Gregorius* nominatur, Γρηγόριος Δασκυλίου, *Gregorius Dascylii.* Id quod aliàs contingere identidem à nobis observatum est.

XIII.

ECCLESIA DAPHNUSIÆ.

Daphnusia, Δαφνουσία, Ptolemæo insula est, quæ & *Thynias* dicitur ἡ Θυνίας, ἡ καὶ Δαφνουσία νῆσος. Thyniam insulam Strabo collocat in fronte Galli fluvii, ubi in mare influit. Plinio, uti Straboni, *est ultra Heracleam adversa Bithyniæ Thynias, quam Barbari Bithyniam vocant.* Thyni, Plinii ætate, oram omnem illam maris tenebant. Daphnusiam habent Notitiæ episcopatuum, ὁ Δαφνουσίας, quam tamen nescivit Hierocles.

EPISCOPI DAPHNUSIÆ.

I. Sabas.

In Menæis die I. Maii memoria fit *S. Sabæ* C *episcopi Daphnusiæ*, Μνήμη τοῦ ἁγίου Σάβα ἐπισκόπου Δαφνουσίας.

II. Leo.

In Octava synodo sedit *Leo Daphnusiæ*, qui postquam ab Ignatio patriarcha ad Photium defecerat, act. 2. pœnitentiæ libellum Patribus unà cum aliis qui perinde lapsi erant, obtulit, admissusque est.

III. Antonius.

In Pseudo-synodo Photiana post S. Ignatii obitum sedit & subscripsit *Antonius Daphnusiæ*, Αντωνίου Δαφνουσίας, Αντώνιος Δαφνουσίας.





XIV. ECCLESIA CADOSIÆ.

CADOSIA, Καδωσία, Bithyniæ civitas dicitur in actis Sextæ synodi generalis, cujus sedes episcopalis subinde coaluit cum Gallensi, sive Lophi.

EPISCOPI CADOSIÆ.

I. * * *

IN vita S. Theodori Sicæotæ episcopi Anastasiopolis, qui sub Mauritio, Phoca & Heraclio Impp. claruit, quæ inter Acta SS. edita est ad diem 22. April. *Cadosiæ episcopus* à Theodoro dum per illam civitatem transiret, sanatus fertur ab articulorum pedum manuumque laxatione.

II. GEORGIUS.

In Sexta synodo sedit & subscripsit *Georgius episcopus Cadosiæ Bithyniæ*, Γεώργιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Καδοσίας τῆς Βιθυνίας; A qui rursum Galli episcopus dicitur, Γεωργίου ἐπισκόπου Γάλλου, *Georgii episcopi Galli*. Qui synodi Quinisextæ canonibus subscriptus legitur, Γεώργιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Καδοσέων τῆς Βιθυνίας. *Georgius indignus episcopus Cadosiensium Bithyniæ*.

III. CONSTANTINUS.

In synodo Photiana postrema, *Constantinus episcopus Cadûs*, Κωνσταντίνου Καδοῦς, Κωνσταντῖνος Καδοῦς.



XV. ECCLESIA LOPHI.

IN Notitia veteri una, & in ea quæ Leonis Imp. nomine inscribitur, necnon in recentiori Philippi Cyprii, episcopalis civitas est *Gallus* sive *Lophus*, ὁ Γάλλου ἤτοι Λόφου. In veteri altera *Gallus* sive Cadosia, ὁ Γάλλου, ἤτοι Δοσίας (emend. Καδοσίας) *Gallum* civitatem dictam puto à Gallo fluvio, ad quem utique condita est. *Lophum* vero à Cadosia secerno, donec certo novero, non duas, sed unam urbem fuisse quæ tribus nominibus eodem tempore appellata sit.

EPISCOPI LOPHI.

I. CYRION.

IN Septima synodo sedit & subscripsit *Cyrion episcopus Lophi*, Κυρίων ἀνάξιος ἐπίσκοπος Λόφων.

II. IGNATIUS.

Duæ Photii epistolæ exstant *Ignatio episcopo Lophorum* datæ, Ιγνατίῳ ἐπισκόπῳ Λόφων, B asperæ satis, quarum prima quæ 23. est, significat, *Ignatium* nunc à se episcopali dignitate donatum ex infimo prorsus gradu, sed à sua esse ecclesiæ communione abscindendum, nisi quantocius improbè agere desinat. Hos porro episcopos ambos Cadosiæ ecclesiæ assignare nihil vetat.



XVI. ECCLESIA CII.

CIUS, Κῖος, prisca Bithyniæ civitas, à Cio Herculis in Argonautica expeditione socio condita fertur; cujus meminit Plinius lib. 5. c. 32. ubi indicato Troadis fine & Mysiæ initio, *Postea*, inquit, *sinus, in quo flumen Ascanium, oppidum Bryllion, amnis Hylas & Cios cum oppido ejusdem nominis, quod fuit emporium non procul accolentis Phrygiæ, à Milesiis quidem conditum, in loco tamen qui Ascania Phrygiæ vocabatur.* Strabo innuere videtur hanc Prusiadem quoque à Prusia Ziela, qui & Prusam exstruxit, instauratore appellatam; sed Geographi sensum modò rimari non usquequaque interest, quando *Cius* à nemine altero *Prusias* dicta reperitur, nisi ipsa sit quæ *Prusias ad mare* dicta est. Ejus situm Scyllax paucis describit: *Promontorium Ciani sinus, & ad sinistram, Cius urbs & Cius fluvius.* Mela duos ibi modicos sinus observat, quorum *alter sine nomine Cion amplectitur, Phrygiæ haud longè jacentis opportunissimum emporium.* In Notitia Hieroclis Ponticæ, sive Bithyniæ, civitas *Cius* est, quæ in aliis inter metropoles censetur, ἐκ τῆς Βιθυνίας ὁ Κίου, *E Bithynia, metropolita Cii*: quo certe titulo donatur in actis Constantinopolitanæ synodi sub Menna, quamvis ejus episcopus Theognius in Sexta synodo inter simplices episcopos sederit, & Leo perinde in Septima. In Octava Joannes Cii *archiepiscopus*; sed etiam medio sæculo

ECCLESIA CII.

duodecimo: quod ſubſcriptionibus ſententiæ in Coſmam Atticum Patriarcham latæ exploratum fit, apud Leonem Allatium lib. 2. De conſ. cap. 12. Quæ quidem obſervaſſe oportet, ex quibus, ut & aliis ſubſcriptionibus ſimilibus, evincitur, Acta illius ſynodi ſub Menna variis in locis à Græculis adulterata fuiſſe, ut fruſtra Byzantini cauſentur, Mennam in eo concilio *œcumenici Patriarchæ* titulo donatum.

EPISCOPI CII.

I. Cyrillus.

IN Indice Patrum Concilii Nicæni *de Provincia Bithyniæ,* legitur *Cyrillus à Cio.*

II. Adamantius.

Epiſtolæ Orientalium magna parte Arianorum Philippopolitani conventus, qui à Sardicenſi concilio ſeceſſerant, ſubſcripſit, *Adamantius epiſcopus à Cio.*

III. Theosebius.

Coacta Epheſi ſynodo generali propter Neſtorium hæreticum, epiſcopi complures interpellarunt, ne Cyrillus ejus celebrationem inchoaret ante Joannis Antiocheni & Orientalium adventum, quorum Conteſtationi ſubſcripſit *Theoſebius epiſcopus Cii Bithyniæ.* Hic quum pertinaciùs Neſtorianæ factioni adhæreret, communione & ſacerdotio à ſancta ſynodo meruit amoveri. Interim vero ſubſcripſit quoque epiſtolæ Orientalium ad Hierapolis Euphratenſis eccleſiam, quæ exſtat in Caſſinenſi ex Tragœdia Irenæi collectione cap. 13. Cæterum c. 190. ejuſdem collectionis de eodem Theoſebio hæc habentur: *Theoſebius epiſcopus Cii, qui erubeſcentibus eum ejicere habentibus poteſtatem, in ſua defunctus eſt eccleſia, nec tamen Neſtorii depoſitioni conſenſit, nec communicare ullatenus pertulit Cyrillo.* Cap. 85. exſtat *Theodoreti ad Theoſebium* epiſtola, cujus initio ſignificatur *Cium* civitatem à via publica remotam fuiſſe.

IV. Bassus.

In Epheſinæ ſynodo alteri, quæ *Prædatoria* dicta eſt, ſubſcriptionibus, legitur *Baſſus epiſcopus Chii;* emendandum vero *Cii,* quando in ea ſedebat etiam *Tryphon epiſcopus inſulæ Chii,* necnon *Gennadius Tei* vel *Tii.*

V. Hedistus.

In Conſtantinopolitana ſynodo quæ Menna patriarcha celebrata eſt, ſedebat *Hediſtus epiſcopus Cii.* Ἥδιϛος ἐπίσκοπος Κίου, qui & alio in loco *metropolita Cii* dicitur, Ἡδίϛου τῆς μητροπόλεως Κίου. De voce *metropolis Cii* quid ſentiam ſuperiùs aperui.

VI. Theognius.

In Sexta ſynodo generali ſeorſim à Metropolitis ſedit & ſubſcripſit *Theognius,* vel *Theognis Cianorum Bithyniæ,* Θεόγνιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Κιανῶν πόλεως. Latina tranſlatio vetus: *Theognius miſericordia Dei epiſcopus civitatis Cii Bithyniæ regionis definiens ſubſcripſi per manus Georgii diaconi & diſpenſatoris ſanctæ eccleſiæ meæ, pro infirmitate qua detineor.* Subſcripſit poſt Andream Methymnæ Leſbi inſulæ.

VII. Joannes I.

Quiniſextæ ſynodi Canonibus ſubſcriptus legitur Ἰωάννης χάριτι Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ ἡμῶν ἐπίσκοπος τῆς Βιθυνῶν ἐπαρχίας, *Joannes gratia Chriſti veri Dei noſtri epiſcopus Bithynienſium provinciæ.* Proxime ſequitur Theophylactus Methymnæ, ideo hunc aſſignandum conjicio eccleſiæ Cii.

VIII. Leo.

Septimæ ſynodo adfuit, & poſt Euſtathium Methymnæ perinde ſubſcripſit *Leo epiſcopus Cii,* Λέων ἀνάξιος ἐπίσκοπος Κίου.

IX. Eustathius.

In Menologio Petri Franciſci Chiffletii die 29. Martii memoria fit *S. P. N. Euſtathii epiſcopi Cienſis in Bithynia, de quo hæc feruntur: Sanctus hic pater noſter & confeſſor Euſtathius mundum hunc reſpuens monachus factus eſt, dein ſacerdotio initiatus, archiepiſcopus vero Cienſis, divino cultui deſignatus, longo tempore eccleſiam Dei gubernavit ſecundum ordinationem & traditionem ſanctorum Apoſtolorum. Quo tempore hæreſis contra omnes eccleſias eſt reſuſcitata, ſanctus hic vir divino quodam igne ſuccenſus, & ſacræ Scripturæ meditatione armatus, funda verarum actionum depulit omnes qui videbantur furore aduſti contra Dei eccleſiam. Tunc aliquis ex his Theomachis Imperatori impio tunc regnanti renuntiarunt, quas deberet opponere minas, exterationes, flagellationes. Tamdem poſt alia omnia, fuſtibus crudeliter percuſſum propter venerationem & honorem ſanctarum imaginum exſulem extra epiſcopatum ejecerunt. In exſilio ergo aliquando perſiſtens, in magna fuit afflictione, & injuria peſſimè habitus: ſed Deum in fame & ſiti collaudans, diſceſſit ad æternas manſiones.* Euſtathii nudum nomen eadem die recitatur in Menologio Sirletano t. 2. Antiq. lect. Caniſii.

X. Joannes II.

ECCLESIA CII.

X. JOANNES II.

In Octava synodo sedit & subscripsit *Joannes misericordia Dei archiepiscopus Cii.*

XI. EPIPHANIUS.

In Pseudo-Photiana, post S. Ignatii obitum, *Epiphanius Cii,* inter archiepiscopos censetur, Ἐπιφανίου Κίου, Ἐπιφάνιος Κίου.

XII. CONSTANTINUS.

Anno 997. in synodo Sisinnii II. Patriarchæ, in qua prohibitum est ne duo fratres consobrinas duas ducerent, sedebat *Constantinus Cii,* Κωνσταντῖνος Κίου. Jur. Græco-Rom. lib. 3. pag. 203.

XIII. GEORGIUS.

Sententiæ synodi Constantinopolitanæ, qua Cosmas Atticus Bogomilicæ hæresis reus anno 1143. Patriarchatu amotus est, subscripsit *Georgius Archiepiscopus Cii,* Γεώργιος A εὐτελὴς ἀρχιεπίσκοπος Κίου. Allat. l. 2. De consens. cap. 12.

XIV. * * *

Lucæ Chrysobergæ patriarchæ synodo, in qua vetitum est, ne morientium episcoporum bona auferrentur, aderat *archiepiscopus Cii,* τοῦ Κίου. Jur. Græco-Rom. lib. 4. pag. 282.

XV. MICHAEL.

Synodo illi alteri, in qua eodem Luca B patriarcha præside Alamannorum qui Constantinopoli agebant, & hæresis accusati erant causa judicata est, aderat *Michaël Cii,* Allat. De consens. lib. 2. cap. 12.

XVI. JOANNES III.

Synodali decreto Georgii Xiphilini patriarchæ *De juribus territoriorum* condendo aderat *Joannes Cii,* τοῦ Κίου Ἰωάννου. Jur. Gr. Rom. lib. 4. pag. 283.



XVII. ECCLESIA MELANGIORUM.

MELANGIA, Μελάγγεια, *Melange,* Μελάγγινα, *Melangina,* Joanne Cinnamo multis in locis teste, ut & Niceta Choniate, Bithynia oppidum fuit ad Olympum montem, à quo Melangenorum dicta regio, haud procul Nicæa & à Rhyndaco flumine distans, quin & Dorylæo proxima, ut disertè fertur apud Cinnanum lib. 2. n. 16. ubi Conrardum Germaniæ Imp. Philomelium usque perrexisse narrat, nihilque illi sinistri accidisse donec Melangia usque & Dorylæum oppidum (Melangenorum utique) venisset, μέχρι Μελαγγείων καὶ Δορυλαίου πόλεως. Quæ proinde Melangia diversa erat à *Melangia,* quam Pausanias in Peloponneso & in Arcadia collocat. Nulla vero ejus mentio est in Notitiis; quæ tamen proprium aliquando episcopum habuit, sæculo saltem decimo tertio-medio.

EPISCOPI MELANGIORUM.

I. CONSTANTINUS.

GEorgius Pachymeres in *Michaële Palæologo* lib. 2. cap. 8. narrat, episcopos Byzantinæ diœcesis qui Nicææ convenerant, ægrè demum consensisse, Michaëlem Palæo- C logum, Theodoro Augusto puero omisso, Imperatorem inaugurari, ac *Constantinum Melangiorum episcopum* admodum contulisse, ut Sardensis metropolita in cæterorum sententiam concederet, à qua hactenus discrepaverat, καὶ τοῦ Μελαγγίων Κωνσταντίνου.



XVIII. ECCLESIA RHYNDACES.

RHYNDACUM fluvium habemus in Bithynia, qui in Propontidem labitur, ubi Joannes Cinnamus lib. 1. hist. n. 6. lib. 2. n. 5. & alibi, Rhyndacenam regionem, *Rhyndacenos campos* appellatos prodit, εἰς τὴν ἐπὶ Ρυνδακῷ αὐλιζόμενος πεδιάδα. Ibi proinde oppidum *Rhyndacem* dictum exstitisse oportet, quando Rhyndaces episcopos habemus, etsi nulla occurrit in Notitiis episcopatus hujusce mentio. Cæterum non absurde quis suspicetur Rhyndacem urbem istam, unam fortassis esse è tot illis urbibus quas ad Rhyndacum, vel circa Rhyndacum amnem structas fuisse diximus! Melangiam fortè, aut Cæsaream, aut Apolloniadem, aut ejusdem regionis alteram!

ECCLESIA RHYNDACES

EPISCOPI RHYNDACES.

I. JONAS.

II. LEO.

DOctiſſimus Abbas Nicolaus Comnenus à Papadopoli in *Prænotionibus Myſtagogicis*, Reſp. 3. Sect. III. *De defectu natalium* n. 5. pag. 90. Quid igitur mirum, ait, ſi Græcia plauſum edidit Calliſto Patriarchæ, licet & Photiano, & palam in reliquis Palamitæ, quum *Jonam epiſcopum* Rhyndacenum exauctoravit ob crimen Simoniæ, quod nunc impunè graſſatur, tum propterea quod ſpurios nothoſque homines Chriſti ſacratiori ministerio ſineret nomen dare! Nam tertio ſententiæ capite hæc verba complectitur. Ὁ δὲ πονηρὸς οὗτος ποιμὴν, μᾶλλον δὲ ληστὴς, εἰς τάξιν κλήρου πᾶν ὅ, τι μιαρὸν ἀνεδέξατο, καὶ χειροτονήσας ἀκανονίστοις ἀνθρώποις δωροδοκίας ἕνεκα, καὶ τοῖς ἀναφανδὸν οὐ γνησίοις τὰς χεῖρας ἐπέθηκε, καθιερώσας τοὺς ἐν ἀσελγείᾳ κακῶς ἐσπαρμένους.

A *Malus autem hic paſtor, imo potius latro, ad ordinem cleri ſordidum omne recepit, atque irregulares homines ſacris initians munerum gratia, etiam non legitimis manus impoſuit, conſecrans in libidine male ſatos.* (In tomo depoſitionis Ionæ epiſcopi Rhyndaceni.)

Pergit vir pereruditus de Rhyndaceno epiſcopo altero: Cui decreto publice dixit encomium Leo Rhyndacenus in ipſa Regia æde concionatus his eruditiſſimis verbis: τὸ λοιπὸν, παναγιώτατε πάτερ, ἡ θεία σου πρόνοια καλῶς ἡμῖν ἀπεφήνατο, καταδικάζουσα τὸν ληστὴν, τὸν τὴν ἐκκλησίαν μιάναντα. B *Ergo, ſanctiſſime pater, divina iſthæc providentia tua bene nobis edixit, damnans latronem illum qui conſpurcavit eccleſiam.* Ex quibus duos habemus Rhyndaces epiſcopos Jonam & Leonem, quorum alter alteri proxime, eodem Calliſto utique patriarcha, ſucceſſit.



XIII. PROVINCIA BITHYNIÆ SECUNDÆ.

I. ECCLESIA NICÆÆ, METROPOLIS.

NICÆA, Νικαία, primi & septimi Concilii generalis celebratione Christianis spectatissima civitas, ad hunc modum à Strabone lib. 12. describitur. *Nicæa Bithyniæ metropolis juxta lacum Ascanium est, quam campus ingens & valde felix circumstat, æstate tamen non admodum salubris. Eam primum Antigonus Philippi filius condidit, & Antigoniam nominavit: postea Lysimachus ab uxoris nomine filia Antipatri,* NICÆAM *appellavit. Urbis ambitus stadiorum est sexdecim in figura quadrata, quæ in campo sita quatuor portas habet ad rectos angulos & munitionem excisa. Quare ex uno lapide qui circa medium gymnasium positus est, omnes quatuor portæ cernuntur.* In actis S. Andreæ Græcis, quæ apud me sunt, Nicæa à Trajano Imp. mœnibus cincta dicitur, sive ejus instaurata mœnia. Hanc Plinius in ultimo Ascanii sinus recessu, seu *Ascanii* qui dicitur *Lacus,* collocat. Metropolis Straboni Bithyniæ dicitur, cui tamen Nicomedia prælata fuit, sub Romanis sæculi præsertim quarti Principibus. Sub Valentiniano autem & Valente Imp. Bithyniæ provincia in duas divisa, secundæ Metropolis facta est, data lege quæ lecta est act. 13. concilii Chalcedonensis una cum lege altera eorumdem Principum, qua Nicomediensibus significabant jura ipsorum nihil ea institutione mutanda, sed augenda potius. Quocirca quum Nicænus pontifex Bithyniæ secundæ episcoporum ordinationes sibi vindicare tentaret, à Chalcedonensis ejusdem synodi Patribus definitum est, Nicomediensem præsulem utriusque Bithyniæ regimine, ut antè, potiturum: non enim priscum ordinem & dispositionem ecclesiarum mutari debere, mutato à Principibus provinciarum statu: id quod etiam in posterum servandum sanxerunt. Quod certè decretum dudum inviolatum perseveravit, ut neque Septimæ synodi ævo ullos episcopatus potestati suæ obnoxios Nicænus antistes nosset, sed omnes utriusque Bithyniæ permistim una tamen serie, in illis actis recenseantur; quamvis Nicænus inter metropolitas post Nicomediensem sedisse videatur. Cæterum vetustiores ecclesiarum Notitiæ Nicæam secundæ Bithyniæ metropolim ferunt, cui quinque vel sex episcopatus assignant. Obiter dicam Regiam illam domum, in qua Nicænus sacer conventus generalis primus Constantino Imp. coactus fuit, in ecclesiam S. Sophiæ nomine dicatam mutatam fuisse, urbis scilicet primariam.

EPISCOPI NICÆNI.

I. THEOGNIUS *Arianus, primùm.*

II. CHRESTUS.

NICÆÆ episcopum neminem reperio *Theognio*, vel *Theogni*, ut Latini scribunt, anteriorem, qui, si sua sit Philostorgio fides, Luciani martyris discipulus quondam fuerat. Tempore Nicæni concilii primi ea in urbe episcopus ipse sedebat, & quia Arii patrocinium susceperat, edito à Patribus symbolo subscribere noluit, propter vocem ὁμοούσιον, *Consubstantialem,* quam minimè probabat. Ob pertinaciam itaque suam sacerdotio amotus fuit, & in Gallias exsulare jussus, suffecto
CHRESTUS ejus in locum episcopo altero, cui *Chresto* nomen fuit: quod tertio mense à celebratione concilii factum Philostorgius idem scripsit A lib. 1. n. 10. Exstat apud Theodoretum lib. 1. hist. c. 19. Constantini Imp. ad Nicomedienses & Nicænos, qua hortabatur, ut designatos sibi pro Eusebio & Theognio Præsules placide reciperent.

Theodoretus Chrestum Nicænis datum episcopum subdit, velut & Athanasius Apologia II. *Benè nostis,* ait, *Amphionem Nicomediæ, Chrestum Nicææ in illorum* (Eusebii & Theognii) *locum ob impietatem & communionem quam cum Arianis à concilio Nicæno reprobatis habuerunt, episcopos substitutos esse,* οἴδατε γὰρ ἀκριβῶς ὅτι Ἀμφίων μὲν ἐν Νικομηδείᾳ, Χρηστὸς δὲ ἐν Νικαίᾳ κατεστάθησαν ἀντ' αὐτῶν. Theognii autem & Eusebii exsilium ad tres annos integros protractum Philostorgius asserebat.

ECCLESIA NICÆÆ.

III. Theognius *secundùm.*

Eusebius ac Theognius ab exsilio demum regressi sunt, subscripta, vel simulatè saltem, Concilii formula, suasque sedes, Amphione & Chresto abactis, receperunt. Qui nihilominus catholicæ Fidei insidiari non cessarunt, genuinosque Ecclesiæ alumnos exagitare. Synodo itaque Tyriæ Theognius interfuit, nihilque in ea molitus non est, quò Athanasius Alexandrinus proscriberetur, auctorque criminis illius fuit, cujus causa sanctissimus ille Fidei assertor in Gallias est amandatus: quod refert Athanasius ipse Apol. 2. De quo Theognii facinore Sardicensis concilii Patres hæc habent in sua ad ecclesias epistola. *Lectæ sunt enim literæ factæ à Theognio falsæ, adversus coëpiscopos nostros Athanasium & Marcellum, ut Imperator adversus illos commoveretur: & hæc convincebant qui tunc Theognis diacones fuerunt.* Uti Constantinum, ita & Constantium ejus filium in orthodoxos perinde accendit Theognius, atque post Eusebii fatum, ipse cum suæ factionis episcopis è Constantinopolitana sede sanctum Paulum abigi curavit, Macedoniumque ejus in locum suffecit: de quo Sozomenus l. 3. c. 7. post Socratem. Atqui Theognius an. 355. jam obierat, quo Constantius Imp. cum Liberio Papa colloquium habuit. Pontifici siquidem Imperator dixisse fertur, ex illis quinque quos synodus Tyria in Mareotem delegaverat, ut de objectis Athanasio criminibus inquirerent, duos jam obiisse, *Theognium & Theodorum*, οἱ δύο τεθνήκασι, Θεόγνιος καὶ Θεόδωρος. Theodor. lib. 2. hist. cap. 16. Quid Chresto interim factum sit, nusquam reperio.

IV. Eugenius *Arianus.*

Philostorgius lib. 9. n. 8. res sub Valente Imp. gestas narrando scribebat, Eudoxium Constantinopolitanum Arianum Nicæam ivisse, ut episcopum illic ordinaret, quum Eugenius ejus præsul fatis jam concessisset, τέθνηκε γὰρ Εὐγένιος ὁ ταύτης ἐφορεύων. Atqui Sozomenus lib. 4. c. 8. inter potiores episcopos Antiocheni concilii, quod Ariani statim à morte Constantis Imper. anno 355. cogi curaverunt, & in quo, Athanasio pulso, Georgium in ejus sedem intruserunt, Eugenius Nicææ memoratur, καὶ Εὐγένιος Νικαέων. Quocirca quorumdam opinatio est, illum ex eis fuisse, qui à Sardicensi concilio secedentes, Philippopoli conventum habuerunt, ipsumque esse, qui Librariorum librariorum errore epistolæ illorum subscriptus legitur, *Eugenius episcopus à Lisicia*, pro *à Nicæa.* Cæterum viri quoque eruditi Eugenium Nicææ illum esse existimant, qui, Macedonio Constantinopolitano, Basilio Ancyrano, & Cecropio Nicomediensi epistolam adversus Aëtium ejusque patronum Eudoxium scripsit, quam lib. 4. hist. cap. 13. Sozomenus regessit. Diem obiit anno 370. quo etiam Eudoxius; quippe quem Eudoxium Philostorgius lib. 9. n. 8. ait, non potuisse negotium conficere, cujus causa Nicæam venerat; ut nempe episcopum in Eugenii defuncti locum crearet, quum hoc tempore mortem ipse obierit.

V. Hypatius I. *Arianus.*

Eugenio Hypatium suffectum comperio ex Philostorgio, qui eodem lib. 9. n. 19. scribebat, Theodosium Imperat. Arianos & Eunomianos, ipsorumque adeo episcopum Demophilum urbe Regia ejecisse: quocirca *Hypatium Nicæa perinde pulsum, ad natale solum, Cyrum in Syria rediisse.* καὶ Ὑπάτιον δὲ τῆς Νικαίας ἀποδιωχθεὶς, πρὸς τὴν γεννησαμένην Κύρον τὴν ἐν Συρίᾳ παραγίνεται. Quod an. 389. accidisse oportet. Hic utique Hypatius ille ipse fuit Aëtii discipulus, cujus meminit Epiphanius hær. 73. & 78. quemque Eudoxius, quum Germaniciæ in Syria, ac subinde Antiochiæ episcopatum gereret, educaverat, adeoque Nicænæ ecclesiæ antistitem designarat.

VI. Dorotheus.

Hypatio proinde subrogatus fuit *Dorotheus Nicæus*, qui concilio generali Constantinopolitano primo interfuisse legitur in Indice. Ex quo apparet, eum jam ante Hypatio suffectum fuisse; ac certe statim atque Theodosius rerum summam capessivit.

VII. Anastasius I.

In Concilio Chalcedonensi act. 1. 2. & 3. Eusebius & Constantinus presbyteri vices gesserunt *Anastasii Nicæni*, Εὐσεβίου καὶ Κωνσταντίνου πρεσβυτέρων ἐπεχόντων τὸν τόπον Ἀναστασίου ἐπισκόπου Νικαίας, qui act. 6. subscripsit ipse, Ἀναστάσιος ἐπίσκοπος Νικαίας, *Anastasius episcopus Nicææ.* Quinimo act. 13. de juribus metropoliticis cum Eunomio Nicomediensi litem habuit, atque à Patribus judicatum est, ut Metropolitæ titulo contentus, secundus post Nicomediensem in provinciæ synodis sederet, quivis autem ejus successor, & reliqui de secunda Bithynia episcopi, à Nicomediensi ordinarentur. In catalogo metropolitarum, ad quos Leo Imperator literas sacras misit propter necem S. Proterii Alexandrini, nec Anastasius, nec Petrus Nicææ memorantur.

VIII. Petrus I.

Synodali decreto Gennadii Constantinopolitani contra Simoniacos, subscriptus legitur

Πέτρος ἐπίσκοπος μητροπόλεως Νικαίας. *Petrus* A *episcopus metropolis Nicææ.*

IX. Appio.

Theophanes in Annalibus ad annum 1. Justini senioris Imp. pag. 142. narrat, *Appionem*, quem Anastasius Imper. jusserat ex Patricio episcopum *Nicææ, reluctantem licet, ordinari*, Ἀππίωνα τὸν πατρίκιον, ὃν ἐν Νικαίᾳ βίᾳ ἐχειροτόνησεν ἐπίσκοπον, Prætorio Præfectum creasse, ut pote virum valde prudentem.

X. Anastasius II.

B Relationi synodi Constantinopolitanæ ad Joannem Patriarcham de Severo Antiocheno & aliis hæreticis, an. 518. subscripsit *Anastasius episcopus Nicææ*, Ἀναστάσιος ἐπίσκοπος τῆς Νικαίας. Lecta fuit act. 5. concilii sub Menna. Consimili modo subscripsit Relationi synodi alterius Constantinopolitanæ ad Hormisdam Papam de Epiphanii Archiepiscopi ordinatione, anno 520. *Anastasius misericordia Dei episcopus Nicæensium metropolitanus.* Sedit insuper illi synodo quam Mennas Patriarcha anno 535. celebravit, subscripsitque Ἀναστάσιος ἐπίσκοπος τῆς Νικαέων μητροπόλεως. *Anastasius episcopus Nicææ metropolis.* C

XI. Stephanus.

Anastasii, ut videtur, successor fuit Stephanus, qui in Quinta synodo generali sedit & subscripsit, *Anastasius misericordia de episcopus Nicænorum metropolis.*

XII. Theophilus.

Sub Mauricio & Phoca Impp. Nicææ episcopus sedebat *Theophilus*, quo hortante Gregorius Cæsariensis in Cappadocia presbyter orationem edidit de trecentis decem & octo Patribus Nicænis, ut Bollandus observat in Actis SS. ad 22. Januarii pag. 78. quod & colligitur ex ejusdem sermonis exordio tom. 2. Biblioth. PP. Græcorum, ubi ille ait: Πείθεσθαι τοῖς ἡγουμένοις ἐκ τῆς ἀποστολικῆς ἐπιτροπῆς παραινέσεως, ὦ Θεόφιλε, ὑπετάγην τῷ τιμίῳ πατρὶ προβαλλομένῳ μοι συγγράψαι διὰ βραχέων περὶ τῶν ἁγίων τριακοσίων δέκα καὶ ὀκτὼ πατέρων κατὰ Νικαίαν συνελεύσεως, ἐκδοῦναί τε τῇ κατ᾽ αὐτὸν ἐν Νικαίᾳ ἁγιωτάτῃ ἐκκλησίᾳ. *Præpositis obedire jussus ab Apostolo,* E *ô Theophile, parui reverendo Patri, qui auctor fuit ut de trecentorum decem & octo sanctorum Patrum Nicææ conventu aliquid ederem, ejusque sanctissimæ ecclesiæ Nicænæ.* Paulò ante finem significat, eo se ævo scribere, quo Persæ in Orientale Imperium Romanum irruperant, quod sub Phoca & Heraclio contigit, quando Sarbarus exercitûs Chosroïs junioris Persarum regis Dux Asiæ provincias Chalcedonem usque populatus est.

XIII. Photius.

ECCLESIA NICÆÆ.

In Septima synodo generali sedit & subscripsit *Photius episcopus Nicææ metropolis provinciæ Bithyniæ*, Φώτιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Νικαέων τῆς Βιθυνῶν ἐπαρχίας.

XIV. Georgius.

Trullanis canonibus subscriptus legitur *Georgius episcopus Nicææ metropolis provinciæ Bithyniæ*, Γεώργιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος τῆς Νικαέων μητροπόλεως τῆς Βιθυνῶν ἐπαρχίας.

XV. Anastasius III.

Ad sæculi septimi exitum, vel octavi initia refero *Anastasium* illum Nicænum, cujus in Psalmos commentariorum excerpta passim leguntur in cæteris Græcis. Decimo sæculo illum longe vetustiorem esse evincit Coislíniana catena cod. 48. quæ eo sæculo exarata est. Quæstiones præterea Anastasii Sinaïtæ nomine inscriptæ, in Gentiani Herveti editione nonnulisque codicibus Anastasium Nicænum auctorem præferunt, quæ exiguo primùm numero scriptæ fuerunt, quo tempore Saraceni Palæstinam occupaverant, adeoque sæculo septimo vel octavo.

XVI. Hypatius II.

Septimæ synodo quæ Nicææ celebrata est, interfuit ac subscripsit *Hypatius episcopus Nicææ*, Ὑπάτιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Νικαίας.

XVII. Ignatius.

Suidæ in Lexico, *Ignatius* Diaconus, qui SS. Tarasii & Nicephori Constantinopolis D Patriarcharum vitas scripsit, Nicææ metropolita fuit, Ἰγνάτιος διάκονος καὶ σκευοφύλαξ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας Κωνσταντινουπόλεως, καὶ γεγονὼς μητροπολίτης Νικαίας γραμματικός. *Ignatius Diaconus & Scevophylax magnæ ecclesiæ Constantinopolitanæ, qui Nicææ factus est episcopus, Grammaticus, scripsit vitas sanctorum Tarasii & Nicephori, & beatorum patriarcharum elegos sepulcrales, epistolas, Iambos in Joannem Antartem, & alia multa.* Initio vitæ S. Tarasii declarat, se cum illo fuisse arctissima familiaritate conjunctum, & in poëticis exercitatum; vixisse vero, quando Michaël Traulus Leoni Armeno Imperium & vitam ademit, juxta atque Leoni Tarasius in somnis præmonuerat. Quam S. Nicephori vitam scripsit, exstat apud Surium & Bollandum ad diem 25. Febr.

XVIII. Inger.

In vita S. Joannicii monachi apud Surium ad diem 4. Novembris sub Leone Armeno & Michaële Traulo Imp. Nicææ episcopus

ſediſſe fertur, *Inger* nomine vel cognomine. Sic enim n. 34. *Sanctum rurſus recepit beata quies & ſilentium in monte Tricabize. Hoc tempore Inger ille, haud ſecus ac vermis floribus, laboribus exercitationis clarebat. Quo factum eſt ut crearetur Nicænæ civitatis antiſtes. Cæterum non habebat fructum rectæ Fidei: cujus deceſſum quum præſciviſſet Pater, quodam monacho ex Eliæ altaribus (is erat Baſilius) ad ipſum miſſo, juſſit eum, mendacio & umbra dimiſſa, adhærere veritati, tametſi ſtultiſſimus ille Inger in improba Iconomachorum hæreſi ſtatuiſſet commori miſerabiliter.* An Inger hæreſim tamdem depoſuerit, non ſatis aperit auctor. Hic porro videtur Nicænæ ſedi intruſus à quodam Principe hæreſis illius patrono, legitimo paſtore procul amandato, Petro ſcilicet, de quo nunc dicendum.

XIX. Petrus II.

Eumdem S. Joannicium, dum morti proximus erat, inviſit cum Joanne Chalcedonis, Theodoro Studita & aliis *Petrus ſanctiſſimus Nicææ metropolita*, Πέτρος ὁ ἁγιώτατος μητροπολίτης Νικαίας, qui nempe Leone Armeno Imper. cum S. Nicephoro Conſtantinopolitano, Æmiliano Cyzici, Theophylacto Nicomediæ, Euthymio Sardium, & Michaële Synnadorum metropolitanis ſacrarum imaginum defenſionem ſuſcepit, ut fert vita S. Nicetæ Hegumeni Medicienſis in Bithynia, n. 34. Ad hunc Petrum forſan ſpectat quod Cl. Nicolaus à Papadopoli in Prænotionibus Myſtagogicis, Reſp. 6. ſect. 8. *De teſtimonio* confeſſarii n. 10. ex Macario Hieromonacho in expoſitione canonum Pœnitentiæ S. Baſilii exordio affert, Nicephorum Conſtantinopolitanum, quum Iconoclaſtas in Eccleſiæ gremium revertentes, ex teſtimonio ſacerdotum à confeſſionibus Nicænus antiſtes rejiceret, ſeverè ad eum quamvis exſulem reſcripſiſſe, ἱεροσυλίαν εἶναι τὸν ἀθετισμόν· ὅτι οἱ πνευματικοὶ μαρτυρήσαντες περὶ τῶν ἐν ἀπορρήτῳ γνωστῶν, ἀνίεροι, ἀφωρισμένοι, καὶ ἀναθεματισθέντες τῇ αὐτοῦ μαρτυρίᾳ εἰσίν, *ſacrilegium eſſe rejectionem hanc: nam confeſſarios, qui de rebus quæ ſecreto ipſis nota ſunt, teſtificantes, profanos, excommunicatos, & anathemati obnoxios eſſe conteſtabatur.* Exſtant vero ad Petrum Nicææ metropolitam aliquot Theodori Studitæ epiſtolæ. In primis vero, Nicephoro Imper. Nicææ pontifex factus, quum à Nicephoro Patriarcha adverſus Joſephum Theſſalonicenſem & aliquot epiſcopos, Platonem quoque & Theodorum Studitam propter Joſephum œconomum ſtaret, eis aliquando exoſus fuit. Theodorus Studita lib. 1. epiſt. 47. Nicææ & Chryſopolis epiſcopos ad Studianum veniſſe monaſterium ait, A uti monachos compellerent ad Joſephum illum ejuſque ſocios in communionem admittendos, τήν τε ἐκεῖσε ἄφιξιν τοῦ Νικαίας καὶ Χρυσοπόλεως. Lib. 2. ep. 9. Nicænum hac in cauſa ſic affectum ſcribit, ut ruinam epiſcopis crearet, καὶ ὁ τῆς Νικαίας εἰς πτῶμα κεῖται τῶν ἐπισκόπων. Verum epiſt. 31. ejuſdem libri 2. Nicænum hunc epiſcopum mentem mutaſſe dicit, quemadmodum & Patriarcham, ἀλλὰ μὴν καὶ ὁ Νικαίας. Quocirca epiſtolam ibidem 25. Petro Nicææ ſcripſit de vitanda hæreticorum communione. Rurſum 101. B de præſcribendo lapſis pœnitentiæ tempore. Epiſt. 127. calumniatores hæreticos oſtendit, qui Nicænam ſynodum ſecundam localem, non œcumenicam fuiſſe mentiebantur.

XX. Theophanes.

Nicææ à Methodio patriarcha conſtitutus fuit *Theophanes*, Palæſtinus monachus, Theodori *Grapti* germanus frater, ipſe quoque *Graptus*, quod amborum fratrum cognomentum fuit, ex quo Theophilus Imperator hæreticus, in frontibus eorum verſus ignominiæ C plenas inſcribi juſſit, exſilioque illos, aliiſque ſuppliciis multavit ſacrarum imaginum cauſa. Theophanes, quum martyr eſſet, ait Theodori vitæ ſcriptor, & Chriſti ſtigmatibus honeſtaretur, mercedem à Deo aliam, magnamque omnino, & quæ auferri non poſſet, exſpectans, interim Nicææ Bithyniæ ſedem, concurrentibus bonorum ſtudiis obtinuit. In hiſtorico ſermone de Reſtitutione ſacrarum imaginum t. 2. Auct. Biblioth. PP. Græc. pag. 737. illi celebritati adfuiſſe *Theophanes Nicææ, poëta & Graptus* dicitur, ſub Theo- D dora Auguſta & Methodio Patriarcha, καὶ Θεοφάνης μητροπολίτης Νικαίας ποιητὴς καὶ γραπτός. Quæ reſtitutio ſolennis facta eſt anno 842. Cæterum quando ſanctorum virorum & monachorum qui eidem ſolennitati interfuerunt, magnus mirabilium effector Joannicius præcipuus memoratur, quem à Petro Nicæno, aliiſque dum morti proximus erat, viſitatum fuiſſe ex illius vita diximus, hinc colligendum foret Theophanem Reſtitutionis hujus tempore nondum fuiſſe promotum ad Nicænam ſedem, adeoque à viris E doctis conſultò ordinationem ejus aſſignatam annum 845. Ejus porrò memoria colitur in Menologiis & in Martyrologio Romano die 27. Decemb.

XXI. Nicephorus.

XXII. Amphylochius.

XXIII. Gregorius *Syracuſanus*.

Theophani utique ſucceſſit *Nicephorus*, à S. Ignatio, niſi alioqui à S. Methodio,

ECCLESIA NICÆÆ.

ordinatus; quippe qui adfuit Octavæ synodo generali, cujus decretis subscripsit *Nicephorus misericordia Dei metropolita Nicææ.* Hunc Photius, ubi post S. Ignatii obitum Constantinopolitanam denuò sedem occupavit, Nicæna ejectum, orphanorum recipere curam coëgit, suffecto ejus in locum *Amphilochio Cyzici.* Quo tempore factum opinor, ut Nicæa metropoliticis juribus frui cœperit, addictis illis sex secundæ Bithyniæ episcopatibus; quandoquidem Cyzicus, ex qua Amphilochius migrabat, Hellesponti ecclesiarum ordinationibus fruebatur. Quocirca Notitiæ, quæ Photii ævo concinnatæ sunt, civitates sex Nicenæ sedi obnoxias numerant.

AMPHILOCHIUS.

Amphilochio paulo post exstincto, ejus in locum Photius *Gregorium Asbestam* suum, episcopatu olim Syracusano à S. Ignatio & Benedicto Papa V. pulsum, promovit, qui mox synodo illi Photii, quæ post ejus restitutionem habita est, adfuisse subscripsisseque legitur, Γρηγορίου Νικαίας, *Gregorio Nicææ.* Sed ipse quoque mox sublatus fuit. Hunc Photius ejusmodi Epitaphiis ornare non dubitavit, ac si cum magnis Patribus, tum vita, tum moribus comparandus esset; quia nempe miser ille, quandiu in vivis egit, linguam novaculæ instar in S. Ignatium acuerat. Hæc omnia de Nicephoro, Amphilochio, & Sulphureo Gregorio paucis hisce verbis Nicetas Paphlago contraxit in vitâ S. Ignatii. Καὶ Νικηφόρον μὲν Νικαίας μητροπολίτην βιάζεται παραιτησάμενον ὀρφανοτρόφον εἶναι, Ἀμφιλόχιον δὲ τὸν Κυζίκου πρὸς τὴν Νίκαιαν μεθίστησι, καὶ ταχὺ θανόντος αὐτοῦ τὸν Συρακουσίων ἀντικαθίστησι Γρηγόριον.

GREGORIUS.

Apud Nicephorum Callistum lib. 14. hist. 39. ubi *de Translationibus episcoporum* disputat, legitur Syracusarum Gregorium sub Leone Sapiente Imp. in metropolim Nicæam Photio auctore transiisse; quod Basilii potiùs Macedonis, Leonis parentis, ævo assignandum erat. Mox subjungitur, *ejusdem urbis* (Nicænæ utique) *episcopum Niconem Hierapolim migrasse*, καὶ μὴν καὶ ὁ Νίκων τῆς αὐτῆς ἐπίσκοπος πόλεως εἰς Ἱεράπολιν, quasi Nicon Nicææ revera pontifex fuerit. Verum amanuensis error est, qui emendandus ex capite *de Translationibus episcoporum*, quod exstat lib. 4. sive Græco-Rom. pag. 294. quodque Callistus exscribebat, ubi dicitur, sub Leone Philosopho Imp. & Photio patriarcha, *Gregorius Syracusanus Nicæam esse translatus; Joannes Larissenus Synnada, Amphilochius Cyzico Nicæam, episcopus Macres Theodorus Laodiceam, & ejusdem civitatis* (Laodiceæ scilicet) *Nicon translatus Nicopolim,* καὶ ὁ Μάκρης Θεόδωρος μετετέθη εἰς Λαοδίκειαν, καὶ ὁ Νίκων τῆς αὐτῆς πόλεως ἐπίσκοπος μετετέθη εἰς Ἱεράπολιν.

XXIV. JOANNES.

Sæculo nono exeunte, vel decimo inchoato, sedebat *Joannes metropolita Nicænus,* cujus ad Zachariam Armeniæ metropolitam, seu *Catholicum, De Domini nativitate* librum Combefisius edidit To. 3. Auctar. Biblioth. PP. Græc. Hunc auctorem appellat Anastasius Cæsariensis in opusculo *De jejunio Deiparæ,* quod prodiit Tom. 1. Monum. Eccl. Græcæ; quinetiam Nicon Rhaïthensis in opusculis duobus quæ de hoc argumento scripsit, quæque in schedis meis habeo, καὶ εἰς λόγον Ἰωάννου μητροπολίτου Νικαίας, πρὸς Ζαχαρίαν τὸν Καθολικὸν τῆς μεγάλης Ἀρμενίας. In vivis agebat Nicon sub Basilio & Constantino fratribus Impp. ut ipse in opusculo II. significat. Quin etiam ex Catholicorum Armeniæ serie compertum fiet, Zachariam illum cui Joannes Nicænus scribebat, tempore Photii sedisse; ad quem nimirum exstat ejusdem Photii epistola, quam Galanus in Armenicis suis Armenicè Latinèque edidit.

XXV. ALEXANDER.

Constantinus Porphyrogennetus Imp. ut liberalium artium studia apud suos instauraret, Rhetorum ludo præfecit *Alexandrum Nicææ metropolitam,* Ἀλέξανδρον μητροπολίτην Νικαίας: Incert. continuat. hist. Byzant. post Theophan. in Constantino Porphyrogen. n. 14. pag. 1278.

XXVI. DANIEL.

Commentarium in Novellas Justiniani scripsit *Daniel archiepiscopus,* sive metropolita, *Nicænus,* cujus particulam doctiss. Nicolaus Comnenus à Papadopoli recitat in Prænotionibus Mystagog. Resp. 3. Sect. 111. *De Eunuchis,* n. 6. Ejus utinam ætatem indicasset.

XXVII. CONSTANTINUS.

Decretum duplex exstat synodale Alexii patriarchæ lib. 4. Juris Græco-Rom. p. 250. & 256. quorum primum datum est anno 1022. mense Novembr. Indict. XI. *De iis qui per donationem monasteria consequuntur,* necnon de rebus *ad metropolitas, archiepiscopos & episcopos spectantibus:* alterum, *De diversis causis ad metropoles, archiepiscopatus, & episcopatus spectantibus;* quibus condendis aderat *Constantinus Nicææ,* Κωνσταντίνου Νικαίας.

XXVIII. THEODORUS.

Leo Allatius Diatriba *De Simeonibus* pag. 132. spondet, se publici juris facturum epistolas Nicolai Patriarchæ Constantinopolitani, *Theodori metropolitæ Nicæni,* Photii, &c.

ECCLESIA NICÆÆ.

Quod tamen morte præventus non præstitit: utinam vero saltem Theodori tempora nos docuisset.

XXIX. Eustratius.

Nicææ metropolita fuit *Eustratius* ille, cujus exstant in Aristotelis Analytica & Ethica copiosi commentarii, qui & calamum strinxit adversus Proculani Mediolanensis librum de Processione Spiritus sancti. Clarebat Alexio Comneno Imp. errorisque damnatus fuit, ut discimus, ex Niceta Choniate tom. 23. Thesauri, eâ nimirum parte quæ typis etiam Latinis nondum edita est. χρόνου τινὸς διαγενομένου, τούτου (Ἰωάννου τοῦ Ἰτάλου) μαθητὴς Εὐστράτιος, ὃς τῆς τῶν Βιθυνῶν πόλεως Νικαίας ἀρχιερατικῶς προεδρεύε, πολλάκις ἐπὶ βασιλικοῦ βήματος μετὰ Λατίνων εἰς λόγους ἐλθὼν, περί τε ἀζύμων καὶ τοῦ θείου πνεύματος, καὶ θελήσας γραφῇ παραδοῦναι ὅσα εἴρηκε πρὸς τοὺς Λατίνους, καὶ οἷα παρ᾽ ἐκείνων ἐν τῷ διαλέγεσθαι ἀκηκόει, οὐκ ἀσφαλῶς, οὐδὲ ἐπαινετῶς τοὺς περὶ τοῦ πνεύματος λόγους ἐξενήνεγκεν· ἐνίοτε δὲ κατὰ Φιλιπποὐπολιν ἐπ᾽ ἀκροάσει τοῦ βασιλέως ἐπ᾽ Ἀρμενίου τινὸς περὶ τῶν δύο τοῦ Χριστοῦ φύσεων ποιούμενος τὴν διάλεξιν, οὐδέποτε καθηκόντως τῇ θεηγορίᾳ ἐπέβαλεν, ἀλλ᾽ ἀνῳδῶς ἐφθέγξατο, καὶ πρότερον καὶ νῦν τῷ πατρὶ λατρεύειν τοῦ κυρίου τὸ πρόσλημμα· οὐκ οἶδ᾽ ὁπόθεν τὴν ἐκθέσιμον ταύτην τὴν φωνὴν ποιησάμενος. πρὸς δὲ τὸ ἄτοπον ταύτην, καὶ παντάπασιν ἀσυνήθη ῥῆσιν ἐκπλαγεὶς ὁ Ἀρμένιος, ὕβρεσι τὸν Εὐστράτιον ἔπλυνε, Τζυάκλην καλέσας. δηλοῖ δὲ ἡ λέξις παρὰ Ἀρμενίοις τὸν κτηνοβατούμενον· ἀλλὰ καὶ οἱ ἑστῶτες τοῦ βασιλέως λόγιμοι ἄνδρες τῆς λέξεως ἐπιλαβόμενοι, ὡς αἱρετίζοντι τῷ Εὐστρατίῳ ἐπέπληττον. μικρὸν δὲ ὕστερον καὶ τῆς ἀρχιερωσύνης Εὐστράτιος καθαιρεῖται, ὡς γενήτωρ νέας αἱρέσεως. *Aliquanto tempore elapso, discipulus illius Joannis Itali monachi novæ alterius doctrinæ auctoris Eustratius, qui Nicææ Bithyniæ metropolis pontifex erat, quum sæpè coram Imperatoris tribunali cum Latinis disputasset de Azymis & de Spiritu sancto, mandare scriptis volens quæ Latinis attulerat, quæque ab eis inter disputandum audierat, non accuratè, nec laudabiliter suos sensus enuntiavit. Quin etiam quum Philippopoli in audientia Imperatoris cum Armenio quodam de duabus Christi naturis colloqueretur, nonnulla de Deo non consulta prorsùs injecit, & nullo pudore effutiit, jam olim nuncque assumtam à Verbo naturam Deo Patri servilem præstare cultum, vocis hujus expositionem nescio quo auctore subjiciens. Qua absona voce, ejusque insulsa explicatione audita attonitus Armenius, probris Eustratium adspersit, Tzyaclen eum appellans, quod Armeniorum lingua hominem belluino more gradientem significat. Sed etiam qui Imperatori adstabant viri prudentes & eruditi, improbato dicto, Eustratium tamquam hæreticum increpabant. Paulo post vero Eustratius tamquam novæ hæresis parens pontificatu amovetur:* Nicetas scriptum subjungit, quo Eustratius morti proximus errorem abjecit, quem non rectè protulerat. Hæc de eo Choniates. Cæterum Anna Commena Alexii Imp. filia lib. 14. Alexiadis, ubi prædicat quæ suus parens gesserit ad Manichæos qui circa Philippopolim Thraciæ incolebant, catholica doctrina imbuendos, ejus testes adjutoresque fuisse subdit Eustratium Nicææ antistitem, virum sacris externisque doctrinis eruditum; qui Stoïcos & Academicos in dissertando superaret. Συμπαρῆσαν αὐτῷ Εὐστράτιος, ubi mox omnino legendum ὁ τότε τῆς Νικαίας. In cod. Regio 3327. exstat ejusdem *Eustratii metropolitæ Nicæni enarratio collationis habitæ cum Proculano archiepiscopo Mediolanensi de processione Spiritus sancti.* Quæ nimirum contigit anno 1113. quo Grosulanus, sive Proculanus Constantinopoli versabatur.

XXX. Nicetas.

Circa hæc eadem tempora ex Chartophylace magnæ ecclesiæ Nicææ metropolita fuit *Nicetas*, cujus dissertatiunculam in schedis meis habeo non contemnendam prorsùs, hoc titulo: Νικήτα χαρτοφύλακος, τοῦ Νικαίας, κατὰ ποίους χρόνους, καὶ διὰ τίνας αἰτίας ἐσχίσθη ἀπὸ τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἡ Ῥωμαίων ἐκκλησία. *Nicetæ Chartophylacis, Nicææ episcopi, quibus temporibus, & quibus de causis Romana ecclesia à Constantinopolitana sejuncta est.* Hanc sæpe laudat Allatius.

XXXI. Leo.

Sententiæ synodi qua Cosmas Atticus Patriarcha Bogomilorum hæresis suspectus, exauctoratus fuit, subscripsit ὁ μητροπολίτης Νικαίας Λέων, *Leo metropolita Nicææ*, qui ipse, ut conjicere licet, paulo ante adfuerat synodis duabus in causa episcoporum Sasimorum & Balbissæ, qui nempe ab uno dumtaxat episcopo metropolita suo Tyanensi contra leges ordinati, Bogomilorumque hæresis rei, sacerdotio amoti sunt; τοῦ Νικαίας. Anno 1151. in synodo Lucæ patriarchæ, in qua nuptiæ septimi gradus sunt prohibitæ, metropolita Nicænus sedebat, τοῦ Νικαίας, ipse prorsùs *Leo*, qui post annos quatuor (1155. scilicet) adfuit etiam synodo illi, cujus sententia Soterichus Panteugenus Patriarchatu Antiocheno, ad quem designatus erat, excidit ob errorem de sacrificio Christi. Quæ cuncta mihi suppeditat in primis Allatius lib. 2. De cons. cap. 12. passim, & in Vind. syn. Ephes. p. 584. necnon lib. 3. Jur. Gr. Rom. p. 218.

XXXII. Georgius II.

XXXII. Georgius II.

In altera synodo ejusdem Lucæ Patriarchæ, in qua Alamanorum qui Constantinopoli agebant, Fides de Christi Deitate sincera judicata est anno 1166. sedebat cum metropolitis aliis quamplurimis *Georgius Nicææ*, ex eodem Allatio lib. 2. De cons. cap. 12. qui in Addendis col. 1374. innuit, *Georgium Nicænum*, nescio qua de causa in jus vocatum eodem anno 1166. coram Luca Patriarcha, ejusque synodo, ad quam Manuel Imp. scripsit ut mitiùs cum eo ageretur. Συνοδικὸν σημείωμα περὶ τοῦ, ὅτι γραφὲν σήμερον πάλιν διὰ τοῦ αὐτοῦ βασιλικοῦ Γραμματικοῦ. ἀπηγγέλη τῇ ἡμῶν μετριότητι, καὶ τῇ ἱερᾷ καὶ θείᾳ συνόδῳ, ὡς οὐ προστακτικῶς, ἀλλ' ὡς ἐν εἴδει συμβουλῆς ὁ κράτιστος ἡμῶν ἅγιος βασιλεὺς φιλανθρωπότερον διατεθῆναι περὶ τὸν Νικαίας ἡμῖν ὑποτίθησιν. *Synodale decretum fert rursum hodie per eumdem Imperatorium Grammaticum, sive libellum nostræ mediocritati, & sacræ divinæque synodo nuntiatum, nostrum sanctum Imperatorem non jubendo, neque mandando, sed quasi consulendo proponere, ut humaniùs erga Nicænum agamus.*

XXXIII. Gerasimus I.

Cl. Nicolaus à Papadopoli *in Prænotionibus Mystagogicis*, Resp. 6. sect. 7. *De præparationibus testium ad examen*, contendit, in causis ecclesiasticis feminas admittendas non esse, idemque *Gerasimum* Nicænum asseruisse ait. Γυνὴ οὐ μαρτυρεῖ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς· ἔξω γὰρ τούτων τὸ γυναικῶδες· καὶ τῷ ἐπιτιμίῳ καθυποβάλλεται ὁ ἀρχιερεὺς τὰς τοῦ θηλυκοῦ μαρτυρίας δεχόμενος. *Mulier in rebus ecclesiasticis testimonium non dat: aliis enim causis episcopus pœnæ subjacet, qui feminæ testimonium ad miserit.*

XXXIV. Nicolaus.

Quo tempore Andronicus Comnenus Imper. Nicæam Bithyniæ obsidebat, hujus urbis pontifex erat *Nicolaus* nomine, qui civibus convocatis tempori cedere persuasit, ut se illi dederent. ὁ τότε τῆς Νικαίας ἀρχιερεὺς Νικόλαος τὴν ἀνάγκην εἰς φιλότιμον ἀνατίθησι. καὶ δὴ τὸν λαὸν ἐκκλησιάσας, ὑποτίθησιν ἐνδοῦναι τῷ καιρῷ καὶ τοῖς πράγμασι, καὶ ἕως ἡ πόλις τοῖς κύμασι τῆς μάχης ἀβάπτιστος, ἐγχειρίσαι φερόντως Ἀνδρονίκῳ. Nicetas Choniates hist. p. 184.

XXXV. Theophanes II.

Anno 1276. Michaël Palæologus Imper. metropolitas duos Leonem Heracleæ, & *Theophanem Nicææ*, καὶ τὸν Νικαίας Θεοφάνην, Oratores Romam misit ad Nicolaum Papam III. quem fatis concessisse repererunt: nec vero benignè adeò à Martino IV. ejus successore, uti speraverant, sunt excepti. Rebus itaque infectis, dum Constantinopolim redirent, Heracleensis medio itinere diem postremum obiit. Igitur Theophanes hic Nicænus unioni cum Romana Ecclesia ineundæ consenserat; nec dubium quin ipse sit cujus est mentio initio epistolæ Gregorii X. Papæ ad episcopos Orientalis Ecclesiæ, qui sibi de hoc negotio scripserant: *Venerabilibus fratribus, Ephesino... Nicomediæ, Nicææ, &c.* Plane Leo Allatius lib. contra Hottingerum pag. 475. *Theophanem Nicææ*, habet inter episcopos, qui magnis studiis ecclesiarum unionem promoverant sub Michaële Imper. eumque Joanni Becco, ejusque sociis præmittit, additque eum fuisse rerum Theologicarum & externarum peritissimum.

XXXVI. * * *

Andronicus Imp. Michaëlis filius, statim à morte parentis, ejurata Romanæ Ecclesiæ communione, episcopos sedibus suis ejecit, maleque vexavit, quotquot illius ineundæ auctores fuerant vel patroni, in quibus *metropolita Nicææ*. Quocirca alius fuit à Theophane II. metropolita ille Nicænus, qui Græcorio Cyprio patriarchatu amoto, Athanasii successoris illius ordinationi interfuit anno 1299. Pachym in *Andronico* lib. 2. cap. 15.

XXXVII. Theophanes III.

Sæculo decimo-quarto medio *Theophanes Nicææ* episcopus sedebat circa annum 1347. quo tempore Græci Palamitarum errores admiserunt. Libros ejus sex contra Judæos Regii codices duo complectuntur; imo octavum laudat Allatius lib. de synodo Photiana pag. 541. Poëmata item aliquot, quæ Gonsalvus Pontius Latinè vertit. Epistolæ quoque ejus exstant, una *De munere & officio sacerdotali* ad Provinciæ suæ sacerdotes, altera ad Nicænos suos *De Christiani officio*, ubi Acyndynistarum æquè ac Judæorum consortium fugiendum docet, quas in Bibliotheca Vaticana asservari testatur Possevinus in Appendice ad Apparat. sacr. pag. 16. Theophanis ejusdem in cod. Bodleiano 193. libri quinque exstant de Lumine quod trium Apostolorum oculos in monte perstrinxit, tres quoque contra Latinos, unus item de Trinitate, & unus de B. Virgine & Incarnatione.

XXXVIII. Alexius.

Cæsareo codice 324. continentur varii canones sive Cantica Ecclesiastica, quorum secundus est, *In sanctum Demetrium Poëma sacratissimi metropolitæ Nicææ domni Alexii*, Ποίημα τοῦ μητροπολίτου Νικαίας κυροῦ Ἀλεξίου. Ejus ætatem me fugere fateor.

ECCLESIA NICÆÆ.

XXXIX. Bessarion.

Nemini non notus est *Bessarion metropolita Nicææ,* genere & patria Trapezuntius, qui ad Nicænam sedem provectus est anno circiter 1436. post exactos in monasterio 20. annos. In Italiam venit ad synodum quæ anno 1438. Orientalis ecclesiæ cum Occidentalis conciliandæ gratiâ cogebatur, quæque Ferrariæ primùm, deinde Florentiæ habita est. Post multas concertationes, in quibus suorum causam egerat, unionem tamdem ecclesiarum pro virili sua promovit. Decreto unionis subscripsit, Βεσσαρίων ἐλέῳ Θεοῦ ἀρχιεπίσκοπος Νικαίας, καὶ τὸν τόπον ἐπέχων τοῦ Σάρδεων. *Bessarion misericordia Dei archiepiscopus Nicææ, & locum tenens Sardensis.* Mirum est, *archiepiscopum* hic potiùs scriptum esse quam *Metropolitam*: aliàs enim Nicænum *Archiepiscopum* nuncupatum nullum observavi. Constantinopolim reversus, fovendæ unioni quæ Florentiæ sancita erat, operam dedit, quin Regiæ hujus urbis Patriarcha renuntiatus fuit; sed gentiles suos minimè sibi faventes sentiens, honori cedens, in Italiam rediit, ubi ab Eugenio Papa IV. inter Romanæ Ecclesiæ cardinales est cooptatus. A Nicolao V. Tusculanus episcopus factus, Bononiensem legationem obiit. Paulo Papa III. defuncto, præpostera domestici cujusdam sui erga ipsum cura & sollicitudine Pontificatu summo excidit, ad quem omnium cardinalium votis assumebatur. Legatus ad Francorum Regem, missus, id munus infeliciter gessit, brevique subinde, anno 1472. Venetiis ætatis suæ 77. decessit. Vir fuit pereruditus, Platonicæ Philosophiæ plus æquo studiosus, cujus idcirco memoriæ schismatici nullis non injuriis detrahunt.

XL. Neophytus.

XLI. Stauracius.

Anno 1452. *Neophytus metropolita Nicænus*, adfuisse fertur synodo illi, in qua schismatici initam Florentiæ unionem ejuratam fabulantur, atque Athanasium, nescio quem ab illo Patriarcham ordinatum, ut & à Macario Nicomediensi, & Metrophane Cyziceno. Cæterum bellæ hujus synodi actis *Stauracius episcopus Nicææ* subscriptus legitur, Σταυράκιος ἐπίσκοπος Νικαίας. Allat. Addend. ad lib. De consens. col. 1393. 1387. Dositheus Hierosolymitanus in Patriarch. Hierosolym. lib. 10. c. 9. §. 3. exceptiones Allatii adversus eam hanc synodum solvere contendens, hanc non statim atque cœpta est absolutam fingere cogitur, adeoque primis illius actionibus Neophytum adfuisse, cui brevi postmodum exstincto, Stauracius suffectus est; id

STAURACIUS.

A quod planè nunquam certo teste firmaverit.

XLII. Cyrillus.

Hieremias II. ex Larissæ metropolita Patriarcha Constantinopolitanus anno 1572. synodum abolendæ apud suos Simoniæ caussa habuit, cui aderat cum aliis *Nicææ metropolita*, τοῦ Νικαίας.

Atqui Martinus Crusius in Annotationibus ad historiam Ecclesiasticam Turco-Græciæ pag. 204. Gerlachium suum Germanici Imperii cancellarium an. 1575. die 26. Martii B hæc Constantinopoli scripsisse refert. Petii à Rhetore D. Johanne Zygomala hodie me ad metropolitam de Nicæa duci, quem infra triduum advenisse audiveram. Convenimus virum humanissimum, & linguæ antiquæ non imperitum. Epistola altera 27. Novembris 1575. Nicæa metropolis adhuc, sed absque episcopatibus est, cujus metropolita 30 Maii mihi dixit in urbe Nicæa tres ecclesias esse 1. τῆς παναγίας. h. e. *Mariæ* *, (juxta quam amplissimus locus videtur, in quo Concilium habitum fuerit) 2. τῶν ἁγίων Θεοδώρων. C 3. τοῦ ἁγίου Γεωργίου: in tota præfectura esse circiter quinquaginta ecclesias: huic Nicæno *Cyrillo* nomen esse, Ephesio Athanasio, Thessalonicensi Joasaph, in epistola 17. Maii 76. (1576.) ad me scribit. Pergit Crusius: die 17. (lege 1.) Augusti 76. Græci festum Inventionis Crucis & septem Macchabæorum martyrum celebrarunt, præsente Nicææ metropolita. Addit *Cyrillum* in libello Gerlachio an. 7083. mense Junio Indict. II. id est 1574. subscripsisse, Ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Νικαίας Κύριλλος, *Humilis metropolita* D *Nicææ Cyrillus*. Sed inprimis anno 7088. Christi 1579. subscripsit literis Metrophanis Patriarchæ datis, Michaëli Pauliotæ, Zygomalæ sororis filio, cui Tabularii officium confirmabatur, Ὁ Νικαίας Κύριλλος. Ibid. p. 282. rursum eodem anno Commonitioni datæ ad metropolitam Nauplii, qui repetundarum accusabatur, Ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Νικαίας Κύριλλος· *Humilis metropolita Nicææ Cyrillus*, p. 287. Demum hunc subscripsisse quoque reperio epistolæ ecclesiæ Constantinopolitanæ ad Moschorum Imper. de restitutione E Hieremiæ Patriarchæ.

* vox est hominis Eutheram.

XLIII. Porphyrius.

Synodo quam Parthenius Constantinopolitanus Patriarcha an. 1642. in Moldavia habuit, Cyrilli Lucaris Calvinianorum errorum caussâ, subscripsit *Porphyrius nuperus Nicææ metropolita*, Ὁ πρώην Νικαίας Πορφύριος. Hic utique est Porphyrius ille Nicææ metropolita, cujus exstat, *Periodus, seu circuitus montis Atho politicis carminibus Græcis*

descriptus, quam ad calcem Paleographiæ suæ Græcæ doctissimus Montefalconius edidit, pag. 500. Ibi fertur Porphyrium Nicææ metropolitam hoc opus tunc scripsisse, *dum Prohegumenus adhuc erat monasterii Imperatorii & Patriarchalis S. Joannis Præcursoris in Nigro mari propè Sozopolim.* περὶ τοῦ πανιερωτάτου μητροπολίτου Νικαίας Πορφυρίου, προηγουμένου ἔτι ὄντος τῆς βασιλικῆς καὶ πατριαρχικῆς μονῆς τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ προδρόμου, τῆς ἐν τῇ Μαύρῃ θαλάσσῃ κειμένης πλησίον Σωζοπόλεως.

XLIV. Nathanael.

Dositheus Hierosolymitanus lib. 2. de Patr. Hierosf. cap. 2. part. 7. inter Græos qui nupero sæculo doctrina claruerunt, *Nathanaëlem Nicææ metropolitam* decimo-sexto loco memorat, eumque Athanasii Patellarii Constantinopolitani, Nectarii Hierosolymitani, & Nicephori Alexandrini Patriarcharum gentilem, familiaremque fuisse ait, adeoque patria Cretensem. Ναθαναὴλ μητροπολίτης Νικαίας, καὶ Ἀθανάσιος Κωνσταντινουπόλεως ὁ Πατελλάρος, φίλοι καὶ συμπατριῶται Νεκταρίου πατριάρχου Ἱεροσολύμων. Nathanaël proinde Porphyrio posterior fuit.

XLV. Methodius.

Responsioni Dionysii Constantinopolitani Patriarchæ super Calvinistarum erroribus anno 1672. subscribebat *Methodius Nicææ*, Ὁ Νικαίας Μεθόδιος.

XLVI. Gerasimus II.

Anno 1721. sedebat *Gerasimus Nicææ metropolita*, Ὁ Νικαίας Γεράσιμος.

II.

ECCLESIA APAMEÆ AD MÆANDRUM.

QUÆ *Myrlea* olim, vel à *Myrle* Colophoniorum Duce, vel à Myrlea Amazone, dicta civitas est, hanc Nicomedes Epiphanes Prusiæ Bithynorum regis filius à matre Apama *Apameam* appellavit: Romanam vero posthac coloniam admisit. Quæ cuncta tradit Strabo lib. 12. cui concinit Plinius lib. 5. c. 32. *Apameæ, quæ nunc,* inquit, *Myrlea Colophoniorum:* rursùs: *Intus Bithynia, Colonia Apamena Agrippinensis.* Quod indicat coloniam illam à Marco Agrippa sub Octaviano Augusto illuc deductam esse. Ptolemæo autem Apamæa hæc Bithyniæ in ora, vel non procul à Propontidis littore posita est, quam sequuntur Rhyndaci fluminis ostia. Hanc habet Hierocles in Bithynia, & in Notitiis aliis archiepiscopatus est, imo sequiori ævo metropolis facta fuit.

EPISCOPI APAMEÆ.

I. Theophilus.

SOCRATES lib. 7. cap. 36. *Theophilum* Apameæ Asiæ translatum Eudoxiopolim esse scribit, quæ pridem Selybria dicebatur. Θεόφιλος ἀπὸ Ἀπαμείας τῆς ἐν Ἀσίᾳ μετηνέχθη εἰς Εὐδοξιούπολιν, τὴν τὸ παλαιὸν Σαλυβρίαν καλουμένην. Aliis *Theosebius*, Θεοσέβιος nominatur. Jur. Græco-Rom. pag. 293.

II. Eulysius.

Apameæ Bithyniæ sæculi decimi quarti initio episcopus sedebat *Eulysius*, qui Joannis Chrysostomi causam egregiè defendens, eo in exsilium iterum acto, Romam petiit, Innocentio Papæ literas episcoporum è synodo ejusdem S. Joannis quindecim ferens, necnon optimi Anysii Tessalonicensis, quibus priorem & posteriorem Constantinopolitanæ urbis calamitatem, aut sane direptionem, ejus ablato pastore, describebant. Μετὰ Κυριακόν. *Post Cyriacum Synnadorum, qui Romam quoque fugerat;* ait Palladius in Dialogo, παρεγένετο Εὐλύσιος ὁ Ἀπαμείας τῆς Βιθυνίας, ἐπιδοὺς γράμματα πεντεκαίδεκα ἐπισκόπων τῆς συνόδου Ἰωάννου, καὶ τοῦ καλογήρου τῆς Θεσσαλονίκης ἐπισκόπου. Atqui vinctus in Bithynia cum Cyriaco detentus fuerat, deinde innocentes ambo dimissi sunt. Pallad. Dial. p. 26. 86. Quin etiam Chrysostomus ipse epist. 1. ad Innocentium.

III. Philippus.

Socrates lib. 7. hist. cap. 34. *Philippum* episcopum Apameæ Asiæ, seu Bithyniæ, Eudoxiopolim Thraciæ translatum refert, seu illam quæ Selymbria olim dicebatur, ἀπὸ δὲ τῆς ἐν Ἀσίᾳ Ἀπαμείας Φίλιππος εἰς Εὐδοξιούπολιν ἤγετο, ᾗ τὸ ἀρχαῖον Σαλαμβρία ὄνομα ἦν. Annon vero Philippus, qui supra Theophilus?

IV. Callinicus.

In Ephesina synodo sedit, subscripsitque *Callinicus episcopus Apameæ*, Καλλίνικος ἐπίσκοπος Ἀπαμείας. Qui rursum Constantinopolitanæ synodo anno 448. aderat; in qua Eutyches hæresis damnatus est, in cujus subscriptionibus disertè dicitur *episcopus Apameæ Bithyniæ*, Ἀπαμείας τῆς Βιθυνίας. Post tres annos itidem in Chalcedonensi concilio sedit, in cujus act. 2. initio legitur *Callinicus Apameæ Hexapolis*, Καλλινίκου Ἀπαμείας Ἑξαπόλεως.

ECCLESIA APAMEÆ ad Mæandrum

V. Marcus.

In Constantinopolitana synodo sub Menna Patriarcha anno 536. sedebat in dextero latere *Marcus episcopus metropolis Apameæ provinciæ Bithyniæ*, Μάρκου τῆς μητροπόλεως Ἀπαμείας τῆς Βιθυνῶν ἐπαρχίας, qui & subscripsit act. 4. & 5. At certè tunc temporis Apamea Bithyniæ, metropolis non censebatur.

VI. Theopemptus.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus legitur Θεόπεμπτος ἐπίσκοπος τῆς Ἀπαμέων πόλεως τῆς Βιθυνῶν ἐπαρχίας. *Theopemptus episcopus civitatis provinciæ Bithyniæ.*

VII. Eustratius.

Septimæ synodo interfuit *Eustratius episcopus Apameæ civitatis provinciæ Bithyniæ*, Εὐστρατίου ἐπισκόπου Ἀπαμείας τῆς Βιθυνῶν ἐπαρχίας, qui & decretis ejus subscripsit. In Latina translatione, *Eustathius*, & *Eustachius* nominatur.

VIII. Eulampius.

Act. Octavæ synodi Eulampio Apameæ anathema dictum est, qui nempe ab Ignatio pridem deficiens, Gregorio Syracusano adhæserat, & Photii partes acerrime etiam in synodo coram Patribus propugnabat. Πᾶσι τοῖς ὀπαδοῖς αὐτοῦ καὶ ὑπερασπισταῖς, καὶ Γρηγορίῳ τῷ ποτὲ ἀρχιεπισκόπῳ Συρακουσῶν, καὶ Εὐλαμπίῳ τῷ καθῃρημένῳ καὶ ἀποσχιστῇ. *Omnibus sectatoribus & propugnatoribus ejus, & Gregorio quondam archiepiscopo Syracusarum & Eulampio exauctorato, & schismatico.* Nicetas Paphlago.

IX. Paulus.

In eadem Octava synodo sedit & subscripsit A *Paulus archiepiscopus Apameæ* (non *metropolita*) quem nempe S. Ignatius pro illo Eulampio episcopum constituerat.

X. Sophronius.

In Pseudo-synodo Photiana, post S. Ignatii obitum, inter metropolitas & archiepiscopos sedebat *Sophronius Apameæ*, Σωφρονίου Ἀπαμείας, Σωφρόνιος Ἀπαμείας. Aderant quoque Theognostus Apameæ & Theodorus Apameæ, Pisidiæ scilicet.

XI. Georgius.

B Anno 1146. Cosmas Atticus Patriarcha Bogomilorum hæresis suspectus, lata in synodo sententia exauctoratus fuit, cui subscripsit *Georgius Apameæ metropolita*, Ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Ἀπαμείας Γεώργιος. Qui post decem annos synodo alteri sub Luca Chrysoberge Patriarcha aderat, in qua Soterichus Panteugenus Antiochiæ Patriarcha designatus ad ordinem redactus est. Allat. Vind. syn. Eph. pag. 581.

XII. Isaacius.

C Alteri synodo frequenti quæ habita est anno 1166. mense Martio & Aprili propter Alamanos, quos Græci quidam hæresis accusabant, aderat *Isaacius Apameæ* metropolita. Idem. lib. 2. De consens. cap. 12.

XIII. * * *

Sub Michaële Palæologo Imp. ineundæ inter utramque ecclesiam, Romanam scilicet & Orientalem concordiæ assensus est metropolita Apameæ, ut colligitur ex epistola Gregorii X. ad episcopos Orientis, *Venerabilibus episcopis, Ephesino .... Serrarum, Apameæ, &c.*

III.

ECCLESIA LINOES.

IN Notitiis eposcopatuum, Bithyniæ secundæ civitas est *Linoë*, ut etiam in actis quarumdam synodorum. De ejus autem situ nihil apud auctores reperio.

EPISCOPI LINOES.

I. Anastasius.

QUinisextæ synodi canonibus subscripsisse legitur Ἀναστάσιος ἐπίσκοπος Λινόης τῆς Βιθυνῶν ἐπαρχίας, *Anastasius episcopus Linoës provinciæ Bithyniæ.*

II. Leo.


In Septima synodo sedit & subscripsit *Leo* D *episcopus Linoës*, Λέων ἀνάξιος ἐπίσκοπος Λινόης.

III. Basilius.

IV. Cyrillus.

In Pseudo-synodo Photii post S. Ignatii obitum, *Basilius Linoës*, Βασιλείου Λινόης, Βασίλειος Λινόης. Item *Cyrillus Linoës*, Κυρίλλου Λινόης, Κύριλλος Λινόης. CYRILLUS.





IV. ECCLESIA GORDO-SERVORUM.

IN Notitiis episcopatuum, Bithyniæ secundæ civitas dicitur Γορδουσέϐων, *Gordo-servorum*, cujus etiam in synodorum mentio, nec alia videtur esse ab ea quam Strabo lib. 12. Γορδουκώμην, *Gorducomen*, i. e. Gordivicum dicit, Cleonis prædonis patria, à quo aucta quum esset, *Juliopolis* est appellata, propter Julium utique Cæsarem. *Gordiucome*, ait Plinius lib. 5. cap. 32. *quæ Juliopolis vocatur.* Hanc in Olympena regione ad Mysiæ fines collocat, quin etiam Ptolemæus.

EPISCOPI GORDO-SERVORUM.

I. ISIDORUS.


IN Sexta synodo sedisse legitur *episcopus Justinianopolis Gordi* Θεοδώρου ἐπισκόπου Ἰουστινιανουπόλεως Γόρδου, qui & bis subscripsit act. 18. A Θεόδωρος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος νέας Ἰουστινιανουπόλεως, ἤτοι Μέλης τῆς Βιθυνῶν ἐπαρχίας, *Theodorus episcopus novæ Justiniapolis sive Melæ Provinciæ Bithyniæ.* Vetus translatio Latina, primo loco habet, *Justinianopolis Gordi.* Quibus tamen in locis erratum à librariis puto, quod ex subscriptionibus emendandum venit; in quibus legitur: Θεόδωρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος νέας Ἰουστινιανουπόλεως δευτέρας τῆς Βιθυνῶν ἐπαρχίας. B *Theodorus indignus episcopus novæ Justinianopolis secundæ provinciæ Bithyniæ.* Mox sequitur: Ἰσίδωρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Γορδοσέρϐων τῆς Βιθυνῶν ἐπαρχίας. *Isidorus indignus episcopus Gordo-servorum provinciæ Bithyniæ.* Ex quo apparet amanuensium Græcorum error, qui in actis Sextæ synodi describendis *Theodorum Justinianopolis ab Isidoro Gordi*, vel *Gordo-servorum* non distinxerunt.

II. NEOPHYTUS.

In Septima synodo sedit & subscripsit, *Neophytus episcopus Gordo-servorum*, Νεόφυτος ἐπίσκοπος Γορδοσέρϐων.

III. STEPHANUS.

In Octava synodo, *Stephanus misericordia Dei episcopus Gordo-servorum;* qui in synodo Photiana post S. Ignatii obitum sedisse quoque & subscripsisse legitur, Στεφάνου Γορδοσέρϐων.



V. ECCLESIA MODRENÆ, *sive* MELÆ.

NOTITIÆ episcopatuum omnes in Bithynia secunda *Modrenam* habent, sive *Melam*, ὁ Μοδρηνῆς ἤτοι Μέλης, vel Μελίνων *Melinorum*, aut Μελῶν, *Melenorum*. In eadem regione, Strabone teste, locus erat, *Modra* dictus, unde Gallus fluvius in Sangarim influebat, & à quo *Modrena* regio. *Melæ* nomen veteribus ignotum est. Ex actis vero synodi Sextæ generalis discimus hanc fuisse dictam *Justinianam* vel *Justinianopolim novam*, νέας Ἰουστινιανουπόλεως, ἤτοι Μέλης.

EPISCOPI MELÆ.

I. MACEDONIUS.

QUintæ synodo generali adfuit & sub- C scripsit, *Macedonius misericordia Dei episcopus Justinianæ novæ provinciæ Bithyniæ.*

II. THEODORUS.

Sextæ, ut jam dictum est, adfuit quoque *Theodorus episcopus Justinianopolis, sive Melæ, provinciæ Bithyniæ*, Θεόδωρος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος νέας Ἰουστινιανουπόλεως, ἤτοι Μέλης τῆς Βιθυνῶν ἐπαρχίας: qui & subscriptus legitur D Quinisextæ synodi canonibus, Θεόδωρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος νέας Ἰουστινιανοῦ (adde πόλεως, vel lege Ἰουστινιανῆς) τῆς Βιθυνῶν ἐπαρχίας, *Theodorus indignus episcopus novæ Justinianæ, &c.*

III. NICETAS.

In Septima synodo sedisse legitur *Nicetas episcopus Melæ*, Νικήτα ἐπισκόπου Μέλης, qui in Latinis codicibus identidem *Nectarius* nominatur, ut & in Græcis act. 7. Νεκτάριος ἐπίσκοπος Μέλης.

IV. CONSTANTIUS.

In Octava item synodo *Constantius misericordia Dei episcopus Melæ.*

V. PAULUS.

Pseudo-synodo Photii post S. Ignatii CP. obitum adfuisse legitur *Paulus Melæ*, Παύλου Μέλης, Παῦλος Μέλης.





VI. ECCLESIA NUMERICORUM.

NUMERICUM vel *Numerica*, voce plurali neutra, in Notitiis ecclesiarum civitas episcopalis est provinciæ Bithyniæ, ὁ Νουμεεικοῦ, ὁ Νουμεεικῶν, quam apud auctores nullos reperio, præterquam in actis Octavæ synodi.

EPISCOPI NUMERICORUM.

I. CONSTANTINUS.

IN Octava synodo generali sedit & subscripsit *Constantinus misericordia Dei episcopus Numericorum.*





DIŒCESIS ASIANA,

CUJUS CAPUT EPHESUS.

DE DIŒCESI ASIANA.

Ephesina les è primariis una.

I. POST præcipuas quatuor orbis Christiani sedes, Romanam, Alexandrinam, Antiochenam, & Hierosolymitanam, quinta censita olim fuit Ephesina, Asianæ diœcesis caput & metropolis. Quod testantur varia quæ hinc inde supersunt antiquitatis ecclesiasticæ documenta.

Hoc Arabici canones perhibent.

II. Atque afferre statim mihi liceat canonem trigesimum-primum Arabicorum eorum qui Nicænæ synodo attributi sunt, quo præcipuæ sedes, earumque ordo enarrantur. Hoc fertur, *quatuor hisce thronis universum orbem constitui, ut sit princeps & præpositus ipsis Dominus sedis sancti Petri Romæ, sicut præceperunt Apostoli: post illum Dominus magnæ Alexandriæ, & est sedes Marci. Tertius vero Dominus Ephesi, & est sedes Joannis Theologi: quartus tamdem Dominus Antiochiæ, & est sedes Petri: & dividentur omnes episcopi sub manibus horum quatuor Patriarcharum; episcopi verò parvarum civitatum, quæ sunt in ditione magnarum urbium sub manibus metropolitanorum.* Canone vero 38. *transfertur Patriarchatus Ephesi ad Regiam urbem,* seu Constantinopolitanam, *ut honor sit regno & sacerdotio simul, & honoretur episcopus ejus,* nempe Ephesi, *nec parvipendatur propter translationem patriarchatus ejus, honoreturque nomine Primatis, scilicet Catholici.* Canone demum 41. additur: *Post hanc sessionem tributus est patriarchatus Domini Ephesi Domino Constantinopolis, & factus est secundus in gradu, Alexandrinus vero tertius.*

Melioribus testimoniis onfirmatur

III. Quamvis exigua admodum sit horum canonum Arabicorum auctoritas, quorum auctores ignorantur, iisque contra veteris Ecclesiæ traditionem, imo Nicæni ipsiusmet concilii sanctionem, Ephesina sedes Antiochenæ præponatur; is tamen ecclesiarum antiquus ordo erat, ut episcopus Ephesi, quintus haberetur. Sic certe in Codice canonum Romanæ Ecclesiæ, quem Paschasius Quesnellius post Leonis Magni opera, tom. 11. edidit, quique circa Gelasii Papæ tempora consarcinatus videtur, ipso statim initio, ubi præcipuarum christiani orbis sedium ordo affertur, post statutam Hierosolymitanæ ecclesiæ dignitatem, continuò de Ephesina sequitur: *Apud Ephesum vero beatissimus Joannes apostolus & evangelista, multo tempore post resurrectionem & ascensionem in cælos Domini Nostri Jesu-Christi commoratus est, ibique etiam Evangelium quod secundum Joannem dicitur, divina inspiratione conscripsit, atque requievit: & ob hoc episcopus Ephesiis pro tanti Apostoli & Evangelistæ memoria præ cæteris episcopis honorabiliorem obtinet sedem.* Hic porrò catholicæ ecclesiæ eximiarum sedium ordo in illo Codice Nicænis canonibus præit: ut mihi verisimile sit, Arabicorum canonum auctorem illos ad similem quemdam codicem concinnasse.

Canones Romanæ Ecclesiæ.

Orientalium testimonia.

IV. In Codice Regio vitæ S. Silvestri Papæ, quam Græcè Latinèque Franciscus noster Combefisius edidit, quæque Gelasii Papæ ætatem superat, tametsi supposititia sit, nugisque & fabulis scatens, Ephesina sedes una quoque censetur è quinque primariis; ubi nempe Eusebius Cæsariensis Pontificum *Ecclesiæ Romanæ, Antiochenæ, Hierosolymitanæ, Ephesinæ, & Alexandrinæ* indices exarasse proditur, τουτέστι Ῥώμης, Ἀντιοχείας, Ἱεροσολύμων, Ἐφέσου, καὶ Ἀλεξανδρείας. Non omittam, episcopos Ægypti orthodoxos in sua ad Leonem Imperat. de nece S. Proterii Alexandrini epistola, à principe postulasse, ut quæ apud ipsos nefanda patrata erant, nota faciant, uti Romano, ita *& Anthiocheno, Hierosolymitano, & Thessalonicensium*

urbis episcopo, & Ephesino. Inprimis vero Andreas Cæsareæ Cappadociæ antistes, ejusve saltem successor & exscriptor Arethas in commentario ad c. 2. Apocalypsis, versumque 5. isthæc verba quæ Angelo ecclesiæ Ephesi dicuntur, *Veniam citò, & movebo candelabrum tuum de loco suo*, à quibusdam sic accepta tradit, ut amotione candelabri sacerdotalis throni Ephesini privilegiorum ad Constantinopolitanum translatio prænuntiata sit. Ἄλλως κίνησιν λυχνίας τινὲς καὶ τὸν ἱερατικὸν Ἐφέσου θρόνον ὑπέλαβον Κωνσταντινουπόλει τὰ πρεσβεῖα ἑαυτῆς ἐπιδοῦσα. Voces commentarii Græcas recito, quarum sensus satis intelligitur, licet contextus omnis sanus non sit, nec nisi codicum manu exaratorum subsidio purgari possit. Cæterum hoc loco confirmatur illud, quod Arabicis canonibus 38. & 41. asseritur Ephesinæ ecclesiæ prærogativas ad Byzantinam esse translatas.

Ephesinæ ecclesiæ auctoritas præsertim à Paulo apostolo.

V. Atqui eximia illa quondam Ephesinæ sedis præcellentia, ejusque in varias Asiæ provincias de qua mox disputabimus, auctoritas, non ex hoc solummodo nata est, quod Joannes Apostolus & Evangelista specialem ecclesiæ Ephesi curam, regimenque in se receperit; sed quod Apostolus gentium Paulus, qui eam primitus fundaverat, & integro biennio instituerat, excoluerat-que, hanc quoque minorum quæ per regiones illas erectæ erant, ecclesiarum caput esse voluerat. Ephesum namque, quum in Asia & Illyrico hinc inde prædicasset, circa annum Domini 54. appellens, discipulos aliquot Baptistæ Joannis divini in ea reperit, quos integra Christi fide & doctrina imbutos, sacris baptismi melioris quam antea fuerant undis expiavit, sanctique insuper Spiritûs copiosa effusione perfecit. Ibi duos, ut dicebam, annos agens, effecit, ut omnes qui habitabant in Asia verbum Domini audirent, Judæi & Gentiles: quod narrat Lucas in Actis Apostolorum cap. 19. Addit, tunc temporis tentasse quosdam de circumeuntibus Judæis exorcistis invocare super eos qui habebant spiritus malos nomen Domini Jesu, adjurantes illos per Jesum quem Paulus prædicabat: respondisse spiritum nequam, *Jesum novi, & Paulum scio; vos autem qui estis!* Mox hominem quem dæmonium vexabat, in illos insilientem, ambos prostravisse, ut nudi & vulnerati fugerent. Quod quum omnibus notum factum esset, tum Judæis, tum Gentilibus, qui Ephesi habitabant, tanta nominis Christi existimatio fuit, ut multi in eum credentes, peccata sua palam confiterentur, & qui fuerant curiosa sectati, magicisve artibus dediti, libros suos coram omnibus comburerent. Ex quo vehementer crevit verbum Dei, amplificatumque est per Asiam. Tamdem Paulus Epheso exire coactus est ob seditionem, quam Demetrius argentarius in ipsum ideo excitaverat, quod novâ ejus doctrinâ, non Ephesinæ urbis dumtaxat, sed totius quoque Asiæ populi à Dianæ cultu, cujus ille icunculas fabricabat, averterentur. Quibus omnibus apertum fit, Ephesinam ecclesiam frequentissimam fuisse ipsis prædicationis Pauli temporibus, qui primus ejus fundator atque institutor fuit, eamque cæterarum Asiæ veluti parentem fuisse.

Ephesus civitas, quæ.

VI. Erat Ephesus, sub primis Cæsaribus & imperatoribus, *alterum* præter Smyrnam, *Asiæ lumen*, ait Plinius lib. 5. cap. 29. *Amazonum olim opus, multis antè expetita nominibus. Alopes, quum pugnatum ad Trojam est, mox Ortygia & Morges vocitata est, & Smyrna cognomento Trachea, & Samornion, & Prælea. Attollitur monte Pione, alluitur Cayſtro in Cilbianis jugis orto, multosque amnes deferente, quos Phyrites amnis expellit... Fons in urbe Callipia, & templum Dianæ, complexi è duobus regionibus duo Selinuntes.* De templo Dianæ dicere omitto, cujus causa Plinius lib. 36. rursum ait: Ephesum admirationem fuisse Græcæ magnificentiæ, & inter mundi miracula censitam. Strabo lib. 14. Ephesum esse maximum Asiæ cis Taurum emporium scribit. At Plinius, quum conventus novem per Asiam esse ferat, ut è totidem singulis civitatibus in quibus fiebant multæ aliæ inferiores penderent, Smyrnæum Ephesino præponit: ut Ephesus toti Asiæ non proinde dominaretur.

Ephesus Proconsulis Romani Asiæ sedes.

VII. Cæterum post Christianæ religionis initia Ephesus Proconsulis Asiæ sedes fuit, & Asiæ metropolis instar habebatur, ut Hieronymus disertè perhibet in præfatione in epistolam Pauli ad Ephesios. Ad eam itaque, Ulpiano teste, uti primariam metropolim, sub Antoninis Imperatoribus, Asiæ Proconsulem per mare accedere oportebat. *Quædam provinciæ etiam hoc habent* (ait in leg. *observare* §. *Quædam* de off. Proconf.) *ut per mare in eam provinciam Proconsul veniat, scilicet usque adeo ut Antoninus noster Augustus ad desideria Asianorum exscripserit, Proconsuli necessitatem impositam per mare in Asiam applicare,* καὶ τῶν μητροπόλεων πρώτην Ἔφεσον, *inter matrices urbes Ephesum primam attingere.*

Provinciæ diœcesis Asiæ.

VIII. Onuphrius Panvinius, ubi Romanum Imperium describit, quale ante Constantini M. ætatem dispositum erat, provinciam proconsularem secundam ponit *Asiam cis Halym & Taurum montem, in qua Lydia, Ionia, Caria, Mysia major, Phrygia & Hellespontus;* ex quibus provinciis aliæ plures institutæ sunt à Constantino ejusque successoribus, ut sub Constantio ejus filio decem essent, undecim sub Theodosio seniore ac deinceps, quemadmodum

quemadmodnm fert Theodoretus lib. 5. hiſt. eccl. cap. 28. καὶ τῆς Ἀσίας ὅλης· ὑπὸ ἕνδεκα δὲ καὶ αὕτη ἀρχόντων ἰθύνεται. Quin & duodecim ſub Theodoſio juniore, nimirum Aſia, Lydia, Caria, Helleſpontus, Phrygia Pacatiana, Phrygia ſalutaris, Pamphylia prima, Pamphylia ſecunda, Piſidia, Lycaonia, Lycia, & Inſulæ Cyclades.

Epheſina eccleſia Aſianis prælata.

IX. Harum regionum eccleſias Epheſina ſedes curabat, ex quo Paulus Epheſi per biennium agens, Aſiam omnem cæleſti doctrina imbuerat; quod bis fertur feciſſe Act. 18. v. 19. & c. 19. v. 1. & ſeqq. Eo autem ad alias provincias profecto, Joannes Apoſtolus eamdem in urbem veniens, & ad obitum uſque ſuum commorans, cunctas, ut Hieronymus loquitur, Aſiæ fundavit rexitque eccleſias, quas Epheſini quoque epiſcopi diſpoſitioni reliquit. Quocirca Chryſoſtomus hom. 15. in epiſt. ad Timotheum, eidem Timotheo, non Epheſiorum dumtaxat eccleſiam creditam ait, verum integram quoque nationem Aſiæ, καὶ ἔθνος ὁλόκληρον τὸ τῆς Ἀσίας, atque idcirco, illum ab Apoſtolo moneri, ne ſeniorem preſbyterum coram omnibus arguat, epiſcopum ſignificando. Propter quam Epheſini præſulis, in Aſiæ eccleſias poteſtatem, turbidiſſimis Arianæ hæreſis temporibus, quum Menophantus Epheſinus epiſcopus omnes illas regiones ea impietate infeciſſet, Hilarius teſtatur lib. *De ſynodis* n. 63. abſque epiſcopo Cyzici Eleuſio & paucis cum eo, *ex majori parte Aſianas decem provincias, intra quas tunc conſiſtebat,* vere Deum neſciviſſe. Poſt vero, ſub Theodoſio principe, quia Valente Imperatore mutata diœceſium adminiſtratio civilis fuerat, dum alii catholicam Fidem, alii hæreticam ſectarentur, Conſtantinopolitana ſynodus generalis prima, ut eccleſiaſticum ordinem inſtauraret, canone 11. ſanxit, *ut Alexandriæ epiſcopus Ægypti curam gereret, Antiochenus Orientis; ſed & Aſianæ diœceſis epiſcopi ea quæ ſunt in Aſia, & quæ ad Aſianam tantummodo diœceſim pertinent, &c.* hoc eſt epiſcopus Epheſi cum Aſianæ ſuæ diœceſis ſynodo.

Epheſini epiſcopi in multus provincias auctoritatis ſpecimina.

X. Has itaque provincias ille Patriarchali auctoritate moderabatur, cujus regiminis ſpecimina & argumenta exſtant in Dialogo Palladii Helenopolitani de vita S. Joannis Chryſoſtomi, ubi narrat quæ geſta ſunt in cauſa Antonini epiſcopi Epheſini, qui in ſynodo Conſtantinopolitana, ad quam forte convenerat, multorum criminum, ac ſimoniacæ præſertim labis reus actus fuit. Tum Chryſoſtomi in Aſiam atque Epheſum profectionem ſubjungens, teſtatur, congregatis Lydiæ, Aſiæ, Cariæ, maximeque Phrygiæ, utriuſque ſcilicet, epiſcopis « ſeptuaginta, Heraclidem in Antonini qui nuper obierat, ab ipſis, ut à ſanctiſſimo Joanne, « ordinatum eſſe, καὶ συναγαγόντες τούς τε Λυδίας ἐπισκόπους, καὶ Ἀσίας, καὶ Καρίας, εἰς ἑβδομήκοντα ἄνδρας, ποιοῦνται τὴν χειροτονίαν, τῶν πολλῶν ἐκ προθυμίας ἑκουσίου ἀπαντησάντων, μάλιστα Φρυγῶν. Id quod aperto argumento eſt, Aſiæ particularis, Lydiæ, Cariæ & Phrygiæ epiſcoporum ordinationem ad Epheſinum antiſtitem ſpectaſſe, ut ad ipſos Epheſini. Atqui ſeptuaginta illi præſules Epheſum ad Joannem Chryſoſtomum convenerunt, ut pote qui civitati illi viciniores erant. Sozomenus lib. 8. cap. 6. perhibet, è tredecim, vel, ut Palladius in Dialogo habet, ſexdecim, epiſcopis, qui pecuniarum aut munerum largitione ab Antonino Epheſino per Aſianam diœceſim ordinati erant, alios fuiſſe de Aſia provincia, alios inſuper de Phrygia, & alios de Lycia. Omitto Polycratem Epheſinum in epiſtola quam Aſianorum ſuorum, ſeu ſynodi ſuæ, nomine, Victori Papæ de Paſchate priſco ſuo ritu agendo ſcribebat, jam tunc ſignificaſſe, provinciis Aſiæ, Lydiæ, Phrygiæ, aliiſque præfuiſſe, è quibus conſuetudinis ſuæ teſtes proferebat.

Helleſpontus Aſianæ diœceſis provincia.

XI. Quando Hilarius lib. de Synodis n. 63. decem Aſiæ provinciarum epiſcopos præter Eleuſium Cyzici, & aliquot alios, Deum nequidem ſciviſſe aiebat, apertè ſignificabat, Helleſpontum, cujus caput Cyzicum erat, unam ex illis decem fuiſſe; quod innui mihi videtur in actis Nicænæ ſynodi quæ à Gelaſio Cyziceno conſcripta ſunt, ubi fertur Concilii decreta à Theona Cyziceno miſſa eſſe Eutychio Smyrnæ & Marino Troadis. Quinimo in indice Patrum ſanctæ hujus ſynodi, quem à magno Athanaſio contextum exiſtimare licet, una Aſiæ & Helleſponti provincia eſt. In Notitia quoque Hieroclis ejuſdem diœceſis provincia eſt Helleſpontus. At minime tacendum, in indice Patrum Conſtantinopolitanæ ſynodi prioris provinciam Helleſponti provinciæ Aſiæ perperam præire, ac ſi Aſianæ diœceſis pars non eſſet.

Pamphilia, quoque.

Pamphyliam, utramque profecto, Epheſino Primati ſubjectam fuiſſe, diſerte ſignificarunt Orientales cum Joanne Antiocheno in ſua Relatione ad Imperatorem Theodoſium per Palladium Magiſtrianum; quo nempe loco queruntur, plures ex Aſia & Ægypto, nec non ex Pamphylia cum Memnone Epheſino ad Epheſinam ſynodum conveniſſe, quam Princeps Sacris ſuis literis injunxerat. *Quapropter,* inquiunt, *ne turbatio, aut aliqua tumultuatio concilium infeſtet, veſtra Chriſti amans Celſitudo juſſi, ut duo tantum cuilibet metropolitano adſint: nam & nos pietatis veſtræ literis obſequuti, totidem adduximus: quum tamen, ſi quidem multitudine opus fuiſſet, plurimos egregiè in divinis dogmatibus inſtitutos, nec ulla ratione cum*

imperita divinarum rerum Aſiaticorum & Ægyptiorum turba conferendos, nobiſcum habere potuiſſemus. Niſi enim hoc ſtatuatur, fieri non poteſt, quin aliqua rurſus oriatur confuſio: quinquaginta quippe ſunt Ægyptii, Ἀσιανῶν δὲ τῶν ὑπὸ Μέμνονα τὸν τῆς τυραννίδος ἡγεμόνα τεσσαράκοντα, καὶ τῶν ἐν Παμφυλίᾳ αἱρετικῶν Μασσαλιωτῶν λεγομένων δώδεκα, χωρὶς τῶν συνόντων τῷ αὐτῶν μητροπολίτῃ, καὶ ἑτέρων καθῃρημένων καὶ ἀκοινωνήτων, *ſub Memnone tyrannidis duce quadraginta Aſiatici, duodecimque ex Pamphylia hæretici Maſſaliotæ dicti, præter alios metropolitanum eumdem comitantes, excommunicatos, depoſitos, &c.* Maſſaliotas appellat epiſcopos de Pamphylia, qui cum Memnone Epheſio convenerant, quod ea in regione Maſſalianorum hæreſis graſſaretur.

Piſidia & Lycaonia, atque Lycia.

XII. Quod Piſidiam & Lycaoniam attinet, nullo documento ſpeciali, Epheſini præſulis in utramque provinciam auctoritas comperta nobis eſt. Hoc dumtaxat obſervavero, Sozomenum, quem ſuperiùs appellavi, narrare à Chryſoſtomo deſtitutos fuiſſe epiſcopos de Lycia, qui ab Antonino Epheſino pecuniarum aut munerum largitionibus ordinati ferebantur. At Lycia tunc temporis, ut ex Joanne Malala oſtendam, Lycaoniæ provinciæ pars erat. Quamquam non omittendum, Valente Imperatore, quum Arianorum & Macedonianorum hæreſes Aſiæ provincias pene omnes inficerent, in Lycia aliquantos exſtitiſſe epiſcopos rectæ Fidei tenaces, quorum ſe ſollicitum præbuit Cæſarienſis epiſcopus Baſilius Magnus. Sed & Amphilochius Iconii turbatiſſima illa tempeſtate, poſthabita Epheſinæ ſedis communione, ad ejuſdem Baſilii magni nutum Piſidiæ, Lycaoniæ, adeoque Lyciæ, ſed & Iſauriæ quoque veteris, eccleſias adminiſtraſſe, epiſcopos per eas regiones impune ordinando, novoſque creando; quæ ex ejuſdem Baſilii epiſtolis confirmabo, ubi de provinciis Piſidia & Lycaonia ſuus erit ſermo.

Helleſpontus ab Aſiana diœceſi avulſa.

XIII. At vero Helleſpontum cum metropoli ſua Cyzico ab Aſiana prius diœceſi avulſam eſſe, quam ſynodus Chalcedonenſis haberetur, ſedique Byzantinæ addictam conjicio, ex quo Siſinius Conſtantinopolitanus, mortuo Cyzicenorum metropolita, civibus illius urbis & clericis minime conſultis, Proclum eis epiſcopum deſignaverat; quem tamen illi, quod à ſe de more electus non eſſet, minime receperunt, alio in defuncti locum quantocyus ſuffecto. Sed & Cyzicenus Diogenes act. 6. concilii Chalcedonenſis multa, ceu jam Byzantinæ ſedi in totum deditus eſſet, interloquutus fertur, ut deinceps Epheſi archiepiſcopus, non in urbe ſua à diœceſis ſuæ præſulibus, ſed in Regia ordinaretur. Quod tamen iſta Actione minime confectum fuit.

Byzantinorum conatus in Epheſinam ſedem in ſynodo Chalcedonenſi.

XIV. Nimirum Actione illa 11. Chalcedonenſi tractatum eſt de cauſa Stephani & Baſſiani, qui mutuò de Epheſina ſede litigabant. Amborum jura & argumenta æquo examine expenſa ſunt, & uterque exauctorari meruit. Tum Conſtantinopolitani clerici à Patribus decerni multo ſtudio poſtularunt, ut Epheſini præſulis ordinatio ad ſuam ſedem transferretur, & pro Baſſiano & Stephano alter in urbe Regia ab Anatolio quamprimum conſecraretur. Velut enim à Joanne Chryſoſtomo Heraclidem ordinatum, ita nec ita pridem Memnonem itidem Epheſinum, Conſtantinopolitanæ ſedis nutu confirmatum aſſerebant, ὁ Μνήμων ὧδε ἐβεβαιώθη. Diogenes Cyzici morem iſtum olim quidem fuiſſe fatebatur, ut non niſi Epheſi Epheſinus Pontifex conſecraretur: Verum quæ in Baſſiano & Stephano contigerant, ex eo nata eſſe pertendebat, quod Conſtantinopoli neuter ordinatus erat: Epheſi ſiquidem

Repugnant Aſiani.

Salgamarios, Σαλγαμαρέοις, nullo virorum delectu epiſcopos deſignari. Aſiani vero præſules qui huic Actioni intererant, negaverunt poſſe fieri ut ſibi ab Anatolio Conſtantinopolitano epiſcopus Epheſinus daretur: quin humi proſtrati ſynodum omnem non ſine lacrymis obteſtati ſunt, ne id fieret. Ordinato ſiquidem alibi, præterquam Epheſi Pontifice, actum iri de tota civitate. Leontius Magneſiæ inſuper ait: *A S. Timotheo uſque nunc viginti ſeptem epiſcopi fuere, Epheſi omnes ordinati,* ἀπὸ τοῦ ἁγίου Τιμοθέου μέχρι νῦν εἴκοσι ἑπτὰ ἐπίσκοποι ἐγένοντο· πάντες ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐχειροτονήθησαν. *Solus Baſſianus adhibitâ vi hîc* (Conſtantinopoli) *factus eſt, & multæ cædes hinc ortæ ſunt.* Byzantinis clericis regerentibus, Baſilium à Proclo Conſtantinopolitano Theodoſii Imp. nutu, & Cyrillo Alexandrino probante, fuiſſe conſecratum, à Patribus una voce conclamatum eſt, *oportere ut canones obtineant.* Demum clericis canonem centum & quinquaginta Patrum, ſive Conſtantinopolitanæ ſynodi generalis prioris afferentibus, inſtanterque cauſantibus, Conſtantinopolis privilegia minime perire debere, negotium in diem craſtinam differendum pronuntiavere Proceres, qui ſynodi geſta moderabantur. Verum Patres hanc in rem denuò conveniſſe nullo documento conſtat. Nihil certe Byzantini clerici obtinuerunt ante poſtremas actiones, de quibus nunc eſt dicendum.

Canon Chalcedonenſis Aſianam diœceſim Conſtantinopolitanæ ſedi ſubjiciens.

XV. Abſoluta concilii Chalcedonenſis celebratione, quum maxima pars epiſcoporum poſt ſextam Actionem, deincepſque ad ſua remeaſſent, poſt finitam Actionem decimam quintam, eamque poſtremam legitimam, Byzantini clerici iterum contenderunt, obtinueruntque, ut

quotquot è Patribus, aut Chalcedone, aut in urbe Regia vicina remanſerant, iterum convenirent, canonemque ſancirent, quo eccleſia Conſtantinopolitana Romanæ æquipararetur, ſecundoque poſt illam loco potiretur, inſuper & Ponti & Aſiæ, & Thraciæ diœceſium metropolitæ ſedis illius ordinationi ſubjicerentur. Aberant ab hac Actione Leonis Papæ Legati; ſed nec adeſſe voluerant, finitam ſynodum cauſantes. Illi vero canoni qui XXVIII. cenſetur eorum qui à ſynodo conſtituti ſunt, epiſcopi multi & metropolitæ ſubſcripſerunt, ac non Diogenes modo Cyzicenus cum Hellepontiacis ſuis, ſed & Romanus Myrorum Lyciæ, Florentius Sardium Lydiæ, Nunechius Laodiceæ Phrygiæ, volentes nolentes adſtipulati ſunt.

Non ſine adhibitæ vi à multis ſubſcriptus.

XVI. At certe multos Pontificum vi adactos eſſe ut aſſentirentur & ſubſcriberent, Leo Magnus incunctanter, ex Legatorum utique ſuorum relatione, aſſeruit epiſtola 79. qua de Anatolio ad Marcianum Imp. ſcribebat, *credidiſſe illum huic tam intemperanti cupiditati poſſe prodeſſe, quod ei quorumdam conſenſum ſuum præbuiſſe dicitur extorta ſubſcriptio. Quocirca ſuperbum nimis eſſe & immoderatum, alienum jus velle præripere, atque ut omnis creſcat dignitas, tot metropolitanorum impugnare primatus, quietiſque provinciis, & olim ſanctæ ſynodi Nicænæ moderatione diſpoſitis, bellum novæ perturbationis inferre.* Quin etiam epiſtola 80. ad Anatolium data; *In totius*, inquit, *eccleſiæ perturbationem ſuperba hæc tendit elatio, quæ uti abuti voluit concilio ſynodali, ut fratres in Fidei tantummodo negotio convocatos, & definitione ejus cauſæ quæ erat curanda, perfunctos, ad conſentiendum ſibi, aut depravando traduceret, aut terrendo convelleret.* Illo igitur Chalcedonenſi canone præcipua illa Epheſinæ eccleſiæ prærogativa adimebatur, qua duodecim, undecimve provincias adminiſtrabat, earumque metropolitas inprimis ordinabat; omni deinceps illa poteſtate ad Conſtantinopolitanam ſedem delata, à qua Epheſinus ipſe præſul deberet ordinari.

Epheſini canoni repugnant.

XVII. Sanctionem hanc Epheſini cives, & clerus indigne tulerunt, eoque erga Chalcedonenſes Patres moroſo animo fuerunt, ut ipſa ſanctæ ſynodi decreta alia & definitiones, quæ legitime, &, ut regulæ ferebant, communi omnium qui convenerant, conſenſu ſancita erant, nullo diſcrimine habito floccifecerint. Joannem Epheſinum, qui Baſſiano & Stephano ad ordinem redactis ordinatus omnino ſua in urbe fuit, quum ad ipſum Leo Imp. anno 457. ſcripſiſſet, de Concilii definitione Fidei, ipſius & Aſianorum epiſcoporum ſynodico ſuffragio confirmanda, nullum, ut alii fere omnes metropolitæ, reſponſum dediſſe apparet. Conſtantinopoli vero Joannem conſecratum non eſſe, ex hoc ſaltem infero, quod epiſcopi provinciæ Aſiæ illi canoni aſſentiri quando editus, relectuſque eſt, noluerunt, velut Act. XI. reluctati erant, ne pro Baſſiano & Stephano Conſtantinopoli alter conſecraretur. Enimvero ut Byzantinus præſul in tot illis trium diœceſium provinciis, quarum multæ jugum ejus abnuebant, metropolitas ordinandi jus arriperet, exſpectandum erat Leonis Papæ judicium, ad quem epiſcopi qui decretum condiderant, illud confirmandum detulerant.

Epheſii canoni Chalcedonenſi repugnant.

XVIII. In illa vero ſua ad Leonem epiſtola, cujus veri auctores erant Conſtantinopolitani clerici cum Anatolio archiepiſcopo ſuo, ut Epheſinam eccleſiam Byzantinæ ſedi ſubjici melius oſtenderent, nominatim Epheſios propter epiſcoporum ſuorum promotiones frequenter Apoſtolicam ſedem adiviſſe, Romaniſque pontificibus moleſtos accidiſſe inſinuaverant; *μάλιστα τῶν Ἐφεσίων ἕνεκεν πλειονάκις ὑμῶν διενοχληθέντων.*

Reluctantur ampliùs ſub Baſiliſco Tyranno.

XIX. Sed inprimis, poſtquam, Leone Auguſto defuncto, Zenoni ejus ſucceſſori Baſiliſcus tyrannus Imperium ademerat, hujus literis quibus Chalcedonenſe concilium proſcribebatur, Aſiani præſules ultro ſuffragati ſunt. Quum enim Epheſum conveniſſent, libellum ad Baſiliſcum dederunt, quo mala multa ab illa ſynodo parta querebantur, ſexcentas cædes patratas, & orthodoxorum cruorem iniquiſſime fuſum: orthodoxos ſcilicet vocabant illos, qui duarum in Chriſto naturarum profeſſioni nolebant acquieſcere. Illum inſuper *obteſtabantur coram Jeſu Chriſto Salvatore, ut epiſcopi tot calamitatum auctores, tum præcipuè Conſtantinopolitanus, qui nequiter multis in rebus prævaricatus reperiebatur, juſto & canonico judicio condemnaretur.*

Acacius CP. jus ſibi vindicat in Aſianam diœceſim.

XX. Conſtantinopolitanus ille præſul, adverſus quem Aſiæ epiſcopi expoſtulabant, Acacius erat, qui ſtatim, Leone Imperatore defuncto, canonem illum XXVIII. Chalcedonenſem, à Marciano, ut ſæpe dictum eſt aliàs, antiquatum, inſtaurare contendebat, immodicæ vir ambitionis. Quocirca Timotheus Aëlurus, qui, Leone imperante, in Alexandrinam ſedem, legitimo antiſtite Proterio necato, irruperat, qua apud Baſiliſcum valebat auctoritate, Epheſum quum appuliſſet, urbis hujus eccleſiæ *jus patriarchatus*, *τὸ πατριαρχικὸν δίκαιον*, quo à Chalcedonenſis concilii Patribus ſpoliata fuerat, quamprimum reddidit, eidemque ſedi Paulum epiſcopum reſtituit, qui jam antè pro veteri ritu & more à provinciæ epiſcopis fuerat ordinatus, quemque Acacius ſub Zenone ejecerat. Quibus patrandis ſocius Timotheo aderat Petrus Cnapheus impius alter Antiochenæ eccleſiæ tyrannus. Hæc Evagrius

Ephesini Acacio CP. se dedunt.

Scholasticus recitat lib. 3. histor. eccl. cap. 5. & 6. ex Anastasio Hierosolymitano, necnon ex Zacharia Rhetore, qui multa horum temporum monumenta Eutychianæ seu Dioscorianæ hæresi faventia, collegerat. Verum, redacto paulò post ad ordinem Basilisco, ubi Zeno Imperium recuperavit, Asiæ episcopi Acacium multiplici nomine sibi infensum placare studentes, petita quantocyùs veniâ, pœnitentiæ libellos ei obtulerunt, quibus asserebant se non ex animo, sed vi necessitateque coactos, Basilisci literis subscripsisse, atque Chalcedonensis concilii statuta quævis ultrò suscepturos. Quocirca canonem XXVIII. cujus causa ab Ecclesia catholica defecerant, volentes nolentes amplexi sunt.

Ephesii Chalcedonensi synodo iterum infensi.

XXI. Cæterum Anastasio post Zenonem imperante, infestoque bello rectæ Fidei alumnos insectante, Ephesii pristinum odium erga sanctissimam synodum resumserunt. Nam sub primis Justini senioris, qui Anastasium proxime excepit, temporibus, Dioscorus Romanæ ecclesiæ diaconus, quem Hormisdas Papa Constantinopolim delegaverat, in sua ad hunc Apostolicæ sedis Pontificem suggestione, quæ tom. 4. Concil. edit. Labb. col. 1512. visitur, scribebat, *modicum in Ephesina civitate contigisse scandalum; ubi contemta est & injuriata synodus Chalcedonensis.*

Compressi tamdem.

XXII. Sed hæc Ephesiorum morositas, quin infensus erga sacrum Chalcedonense concilium animus compressus, victusque tamdem fuit sub Justino seniore illo, ejusque præsertim successore Justiniano, qui in Novellis, titulo *De Sacrosanctis ecclesiis,* cap. 16. illud confirmavit, quod canone Chalcedonensi XXVIII. ferebatur, ut nempe Byzantinæ sedis jurisdictioni diœceses tres, Pontica, Asiana, & Thracica subessent.

Asianæ diœcesi prælata Pontica.

XXIII. Quum vero, Ephesiis jugum diu abnuentibus, Cæsarienses qui Ponticæ diœcesi præerant, Constantinopolitani præsulis sese priores subdidissent, hinc penè dixero accidisse, ut apud Byzantinos, Ephesi episcopo Cæsariensis prælatus sit, & urbis Regiæ sedis πρωτόθρονος evaserit; primo scilicet inter novæ amplæque illius diœcesis Constantinopolitanæ metropolitas loco donatus, quum in Imperii quoque Orientalis dispositione, qualem Notitia Hieroclis nobis exhibet, Asiana diœcesis Ponticæ anteiret. Non tamen tacendum, in ipsa synodo Chalcedonensi & Thalassium Cæsaræ-Cappadociæ Stephano Ephesi ubique fere præponi, & in illo de quo hactenus disputavi canone XXVIII. ejusdem synodi, Ponticam diœcesim ante Asianam iterum atque iterum nominari,

Ephesinus præsul Asianæ diœcesis Exarchus dictus. Quando.

XXIV. Cæterum archiepiscopi Byzantini, ne Ephesinæ sedis dignitatem in totum depressisse, vel exstinxisse viderentur, ejus metrepolitæ *Exarchi Asianæ diœcesis* titulum indiderunt. Quam quidem appellationem ab Ephesinis, uti nec à Cæsariensibus usurpatam, aut illis attributam, nusquam reperi ante synodum Sextam generalem, in qua post Cæsariensem metropolitam subscriptus passim legitur *Theodotus misericordia Dei episcopus metropolis Ephesiorum,* ϗ Ἔξαρχος τῆς Ἀσιανῆς διοικήσεως, *& Exarchus Asianæ diœcesis.* Latina translatio vetus habet, *& primatum habens Asianæ diœceseos.* Malui vero *Exarchum* dicere, quam *Primatem*, propter illos, ac certe eruditos nuperi ævi scriptores, qui, Joanne Morino duce, Cæsareæ, Ephesi & Heracleæ antistites, Ponticæ, Asianæ, & Thracicæ diœcesium Exarchos vulgo nuncupatos scripserunt, tamquam supremos earum Primates αὐτοκεφάλους, Patriarchis non absimiles, à quibus sola Ἐξάρχων, *Exarchorum* appellatione discreparent: quod nullo veteri testimonio vindicare potuerunt, sola nixi istarum Sextæ synodi subscriptionum auctoritate; quum vocis illius ἔξαρχος genuinum sensum assequuti omnino non essent.

Quo sensu quare potestate.

XXV. Enimvero nomen Ἔξαρχος nequaquam tunc episcopo Ephesino aut Cæsariensi assignatum est, ut eo umquam significaretur ille, qui summo jure diœcesim integram administraret, vel olim administrasset; penes quem fuisset episcoporum, ac metropolitarum in primis ordinatio, ad quem ecclesiarum singularum causæ judicandæ finiendæque, ut apud Patriarchas fiebat, delatæ essent; qui demum ad suam synodum diœcesis suæ provinciarum variarum præsules vocasset: sed ea voce designabatur ille, qui speciali Patriarchæ delegatione, diœcesi, vel provinciæ, vel ecclesiæ alicui invigilabat, quam identidem Patriarchæ nomine visitaret. Sic suos quoque metropolitæ Exarchos præficiebant, & hodieque præficiunt, qui obnoxias illis ecclesias singulas lustrant. Exarchos perinde Græci vocant illos quoscumque Patriarchæ sui ad monasteria quæ ipsis passim per provincias omnes proxime & unicè subjecta sunt, invisenda mittere consueverunt: quorum potestas est, ecclesiastica dignitate, quin & communione privandi quoscumque ejusmodi pœnis dignos repererint, vicissimque pœnitentes absolvendi. Etiamnum Ephesius archiepiscopus *Hypertimus, & totius Asiæ Exarchus dicitur,* ὑπέρτιμος ϗ ἔξαρχος πάσης Ἀσίας: Verum Heracleæ pontifex non solum Thracisæ diœcesis, quam olim summa potestate regebat, sed *Mocedoniæ* quoque *Exarchus* nuncupatur, Ἔξαρχος τῆς Μακεδονίας, quæ Illyrici Orientalis provincia fuit sub Thessalonicensi metropolita, non Thracicæ ditionis. Sin quispiam forte regerat, ipsos quoque Patriarchas obiter fuisse *Exarchos* appellatos, ut & quosvis

etiam metropolitas, ceu magnæ diœceſis, aut peculiaris provinciæ præſides & præfectos: at nuſquam ea voce ſpecialis dignitas patriarchali ſimilis trito uſu ſignificata fuit.

Quidpiam ab Epheſinis de priſcis ſuis juribus repetitum.

XXV. Non hîc omittam, ſub Michaële Palæologo Imp. Iſaacium Epheſi archiepiſcopum, ut priſtina quædam ſaltem eccleſiæ ſuæ jura quandantenus vindicaret, adverſus Joannem Beccum Conſtantinopolitanum Patriarcham contendiſſe, ut monaſteria quæ per Aſiam omnem patriarchalibus Stauropegiis condita erant, epiſcoporum, in quorum parœciis exſtarent, juriſdictioni reſtituerentur. Cauſa vero cecidit ille, ne Conſtantinopolitanus antiſtes *Œcumenici* titulum inanem geſtare videretur, imo & *Patriarchæ*. Quando certè Patriarchæ Orientis alii diœceſium ſuarum monaſteria cuncta ſummo jure adminiſtrabant, excluſa omni in ea ordinariorum præſulum, in quorum ditionibus poſita eſſent, auctoritate.

Epheſinus, Archiepiſcopus olim hodieque dictus.

XXVII. Priſcæ Epheſini pontificis in Aſianam diœceſim omnem poteſtatis inſigne unum dumtaxat ei ſuperfuit, *Archiepiſcopi* titulus, quo nonniſi præcipuarum ſedium antiſtites, qui provinciis variis jura dicebant, quarto quintoque ſæculis ornari cœperunt. Sed ille tamdem apud Græcos veluit, ex quo per omnes paſſim provincias Archiepiſcopi multi creati ſunt, qui Patriarchis quidem proxime ſubeſſent, ſed metropolitis eſſent inferiores.

Timotheus Epheſi primus epiſcopus.

XXVIII. Quod Epheſinam ipſammet eccleſiam ſpectat, hanc Apoſtolo Paulo primitus fundatam & inſtitutam dixi, cui fideliſſimum diſcipulum ſuum Timothæum ſubinde cum impoſitione manuum preſbyterii præfecerit, ut primus Epheſiorum epiſcopus Timotheus exſtiterit. Enimvero Leontius Magneſiæ præſul in concilio Chalcedonenſi palam declaraſſe narravimus, Stephanum Epheſinum qui huic ſacræ ſynodo intererat, vigeſimum ſeptimum eſſe à Timotheo: Quæ Timothei ordinatio facta eſſe mihi videtur circa annum 65. quo Paulus in Judæam ex Achaïa & Macedonia pergens, Miletum quæ Epheſi vicina erat appulit, ubi Epheſinæ eccleſiæ preſbyteris vocatis, quos Spiritus ſanctus epiſcopos conſtituerat illius eccleſiæ Dei rectores, cuncta illis injunxit quæ ad commiſſam ipſis gregem adminiſtrandum opus eſſent. Timotheus quippe, quo biennio Paulus Epheſinam, Aſianamque eccleſiam inſtituebat, quum Diaconi duntaxat apud ipſum officio fungeretur, cum Eraſto ejuſdem miniſterii ſocio miſſus eſt in Macedoniam, ut fertur Act. 19. v. 22. in quam & Apoſtolus ipſe ſubinde petiit, ſed & Hieroſolymam poſtmodum pergens, multos itineris ſui comites habuit, in quibus Timotheus memoratur Act. 20. v. 4. quem tamen in Palæſtinam uſque iviſſe nullo deinceps teſtimonio divini Lucæ conſtat. Quamquam Romæ Apoſtolo Timotheus aderat, dum epiſtolas ille ad Philippenſes & Colloſſenſes ſcriberet, ut ex earum inſcriptionibus ſit compertum. At vero Timotheus Epheſinum gregem regebat, quo tempore Paulus Roma dimiſſus Aſiæ iterum civitates luſtravit, ita ut Laodicea Phrygiæ ad Timotheum Epheſi jam agentem epiſtolam primam Apoſtolus ſcripſerit. Secundam Româ dedit quo tempore Neroni Imperatori iterum ſiſtendus erat, martyrio tamdem ultimo functurus.

Epheſina eccleſia à Joanne Apoſtolo erudita & gubernata.

XXIX. Quando Paulus Mileto Hieroſolymam proficiſcens tranſivit, nondum, ut apparet, Joannes Epheſum advenerat, ſed nec eum hanc in urbem veniſſe priùs crediderо, quàm à Paulo Timotheus epiſcopus ordinatus fuerit; eſſe alias certe à Joanne potiùs quàm à Paulo primus datus Epheſiis antiſtes eſſet. Verum certiſſima veterum relatione conſtat, Joannem Apoſtolum & Evangeliſtam Epheſi obiiſſe, quum cunctas Aſiæ fundaſſet & inſtituiſſet eccleſias. Sic nimirum ſanctus Hieronymus loquutus eſt in ſuo eccleſiaſticorum ſcriptorum catalogo, quum Joannes ſpeciali cura Epheſinam, Aſianaſque eccleſias multis annis coluerit. Cæterum Irenæus lib. 3. adverſus hæreſes cap. 3. Paulum quidem Epheſi eccleſiam primùm fundaſſe ſcripſit, Joannem vero ea in urbe uſque ad Trajani tempora egiſſe, ἀλλὰ καὶ ἡ ἐν Ἐφέσῳ ἐκκλησία ὑπὸ Παύλου μὲν τεθεμελιωμένη, Ἰωάννου δὲ παραμείναντος αὐτοῖς μέχρι τῶν Τραϊανοῦ χρόνων. Polycrates quoque Epheſi antiſtes Irenæi æqualis, quum morem Paſchatis ipſa decima-quarta Lunæ menſis primi celebrandi apud Aſianos receptum contra Victorem Papam defenſaret, epiſtola, quam Euſebius recitat, lib. 5. hiſt. cap. 24. ad Joannem qui ſupra pectus Domini recubuit, quique Epheſi poſtremum diem obiit, ceu traditionis ſuæ teſtem vel auctorem provocavit. Imo Epheſi ab illo conſcriptum Evangelium affirmat ex cunctorum relatione Hieronymus: Ad hæc, ſanctiſſimus Apoſtolus in inſula Patmo exſulans, Apocalypſim Chriſti Domini juſſu ſeptem eccleſiis quæ ſunt in Aſia nuncupavit, ſingularumque adeo, Epheſi primùm, deinde Smyrnæ, Pergami, Thyatiræ, Sardium, Philadelphiæ, Laodiceæ Angelis ſive epiſcopis. Clemens Alexandrinus in libro inſcribitur qui, *Quis dives ſalvandus ſit*, refert Joannem ab exſilio regreſſum ſub Nerva principe, civitates Aſiæ peragraſſe, tum, ut epiſcopos paſſim crearet, tum ut eccleſias formaret & inſtitueret, tum demum, ut quos ſibi Spiritus ſanctus indigitaret, in clerum cooptaret.

Joannes Evangeliſta poſt Timotheum eccleſias Aſiæ rexit.

XXX. Quinvetuſtus ſcriptor Græcus vitæ S. Timothei, cujus meminit in Bibliotheca Photius codice 254. hoc perhibet, Timotheum quidem necatum eſſe à Gentilibus, Domitiano

Imperatore, ipſo quo illi impuram & amentem *Catagogiorum* celebritatem agebant die: Joannem vero ſub Nerva Epheſum reverſum, cum ſeptem qui ſibi aderant epiſcopis, urbis hujus eccleſiam adminiſtraſſe, καὶ αὐτὸς δὲ ἑαυτοῦ ἑπτὰ συμπαρόντων ἐπισκόπων Ἐφεσίων ἀντιλαμβάνεται μητροπόλεως: quod Trajani quoque temporibus, non intermiſſa veræ Fidei prædicatione, præſtitit. Hæc Photius in iſta Timothei vita, ſimplici illa qua priſci ſcriptores Chriſtiani utebantur loquutione, narrata obſervat. In altera quam Bollandus poſt Pithœum inter Acta SS. Polycratis Epheſii nomine inſcriptam edidit ad diem 24. Januarii, nulla Epheſinæ eccleſiæ per Joannem poſt Timothei martyrium adminiſtratæ fit mentio: ex quo apparet non eamdem hanc eſſe vitam, cujus ſynopſim dedit Photius in Bibliotheca. At quod Polycratis Epheſii nomen inane vanumque præferat, ex hoc nunc intulero, quod Timotheum Epheſi *archiepiſcopum* appellet: quæ vox quarto Eccleſiæ ſæculo, nedum ſecundo, uſurpari cœpit.

Epheſinus præſul ab Aſiæ provinciæ epiſcopis conſecratus.

XXXI. Atqui ſeptem epiſcopi quos Joanni è Patmo inſula Epheſum regreſſo, ad eccleſiarum Aſiæ regimen adfuiſſe ex vetuſtiore vita S. Timothei diximus, illimet utique erant, ad quos ſanctiſſimus Evangeliſta Apocalypſim mittere juſſus eſt, quorum ſinguli ſic ſingularis unius eccleſiæ curam gererent, ut quod communibus conſiliis ſuffragiiſque tractarent, & decernerent, unuſquiſque in commiſſa ſibi eccleſia obſervari curaret, rurſumque ad commune conſilium referret, quidquid negotii apud ſuos accideret.

Eccleſias Aſiæ ſeptem olim epiſcopi regebant.

XXXII. Epheſini epiſcopi electio penes clerum populumque erat; ad ejus vero ordinationem provinciæ Aſiæ epiſcopi conveniebant. Quocirca Baſſianus, qui Epheſinam ſedem aliquandiu tenuit, in concilio Chalcedonenſi, quum illam adverſus Stephanum repeteret, ſe à quadraginta epiſcopis conſecratum dixit, quando nempe tempore illo quadraginta & uno epiſcopatibus provincia Aſiæ conſtabat. Quamquam, ſi quem forte de provinciis aliis Aſianæ diœceſis Epheſi ob negotia aliquot agere contigiſſet, hos ad archiepiſcopi ſui ordinationem vocatos fuiſſe nequaquam negavero.

Hodiernus eccleſiarum Aſiæ ſtatus.

XXXIII. Epheſus, nobilis illa Aſiæ metropolis, miſerandum in modum hodie proſtrata jacet, ut neque civitas vel oppidum ſit, ſed vicus ſolis veterum monumentorum quibus olim egregiè ornabatur, ruderibus & parietinis clarus. Primaria Epheſi eccleſia quæ *Maria* dicebatur, non ſtat prorſus, vixque ulla ejus veſtigia apparent: altera quæ *Joannis* appellabatur, Mohammedanorum hodie delubrum, ſeu Meſchita eſt. Perpauci ibi Chriſtiani reperiuntur, quorum eccleſiola procul ab urbis loco remota eſt: qui vix paſtorem habent, à quo res divinas edoceantur. Cæterum Epheſi præſulum ſucceſſio perſeverat, ſed alio in loco ſedere ſolent, ut aliis Orientis epiſcopis ac metropolitis factum eſt; quorum civitates ob Sarracenorum & Turcorum graſſationes & tyrannidem interierunt: & quum pro quadraginta & uno epiſcopatibus, qui metropolitæ Epheſi ordinationi obnoxii erant, ſequiori ævo octo dumtaxat, haberet, quemadmodum Notitiis recentioribus perhibetur, hodie nullus ei prorſus ſupereſt, exſtinctis cunctis fere Aſiæ civitatibus; ex quo infideles harum regionum domini evaſerunt. Quocirca ſuperius ubi de Pontica diœceſi, monendum lectorem duxi, à ſæculo ſaltem undecimo medio Turcarum & Tartarorum in Aſiam exundationibus, Anatolici tractus urbes pene omnes, quæ à Saracenorum ætate perſeveraverant, direptas dirutaſque fuiſſe. Quo factum eſt, ut unà etiam eccleſiæ interierint, nec niſi metropolitarum nomina ſuperfuerint, qui nempe Conſtantinopoli ab Imperatoribus & Patriarchis crearentur. Ut vero honeſtus qui epiſcopos decebat victus erat eis ſuppeteret, Alexius demum Comnenus Imperator lege ſanxit, ut monaſteriorum præfecturis, aliiſque cœnobiorum officiis donarentur. Quam ſanctionem recitat Balſamon in obſervatione ad canonem XXXVII. concilii in Trullo. Quamquam non tacendum eſt, Balſamonis, inſequentique ſæculo ſtetiſſe adhuc Epheſum, ejuſque adeo eccleſiam, quin etiam alias hinc inde quaſdam provinciarum Aſiæ, quæ demum poſtrema Timuri ſive Tamerlanchi Tartari impreſſione deletæ penitus fuerunt.



I. PROVINCIA ASIÆ.

I. ECCLESIA EPHESI, METROPOLIS.

POSTQUAM de Aſiana diœceſi & urbe Epheſo, cujus epiſcopi olim auctoritati illa ſuberat, ſatis dictum eſt, nunc ad ejuſdem urbis epiſcopos recenſendos pergo.

EPISCOPI EPHESI.

I. S. Timotheus.

Paulus Apoſtolus inſtituta Epheſi eccleſia chriſtiana, primum ſubinde ei paſtorem & epiſcopum præfecit diſcipulum ſuum *Timotheum*, ad quem epiſtolas duas ſcripſit, quæ manibus omnium teruntur. Euſebius lib. 3. hiſt. cap. 4. traditione conſtare ait, Timotheum primum fuiſſe illius urbis præſulem; quod etiam Leontius Magneſiæ epiſcopus palam declaravit Act. 11. concilii Chalcedonenſis, *ἀπὸ τοῦ ἁγίου Τιμοθέου μέχρι τοῦ νῦν, εἴκοσι ἑπτὰ ἐπίσκοποι ἐγένοντο*, *à ſancto Timotheo ad hoc uſque tempus viginti ſeptem epiſcopi fuerunt*. Vitæ illius ſcriptor, apud Photium in Biblioth. cod. 254. hunc in *Catagogiorum* celebritate necatum fuſtibus ab Ethnicis ſub Domitiani principatu perhibet. Petrus Pithœus Timothei vitam edidit, quæ Polycratis Epheſii epiſcopi nomen præfert, quæque rurſum inter Acta SS. die 24. Januarii prodiit. Ejus vero auctoritas hoc prorſus, ut alia omittam, argumento nutat, quod Timotheum Joanne Apoſtolo exſulante ſuffectum ferat, quando certioribus teſtibus docemur eum à Paulo ipſiſmet Neronis Imperatoris temporibus Epheſinæ eccleſiæ præfectum. Id quod & ambæ Apoſtoli hujus ad ipſum Timotheum epiſtolæ teſtificantur, in quibus ei regulas præſcribit, quibus eam eccleſiam aliaſque per Aſiam ritè adminiſtret. Quamquam minime tacendum, Palladium dialogi de vita S. Joannis Chryſoſtomi ſcriptorem cap. 139. illius auctoris aſſertioni faviſſe, ut proinde poſteriore ævo nata non ſit. Sophronius qui librum S. Hieronymi de ſcriptoribus eccleſiaſticis Græce tranſtulit, diſerte ſcripſit, Timotheum à beato Paulo Epheſiorum epiſcopum ordinatum eſſe, ibique martyrium obiiſſe: Τιμόθεος δὲ ὁ ἐπίσκοπος Ἐφέσου καταςαθεὶς ὑπὸ τοῦ μακαρίου Παύλου, καὶ ἐνδόξως ἐκεῖ ἐμαρτύρησε. Cui ut aliis præivit auctor Conſtitutionum quæ Apoſtolorum dicuntur, quarum locum mox afferam. Audiendus omninò non eſt Dorotheus ille Tyrius, qui Phygellum. Apoſtoli ejuſdem Pauli deſertorem, Hermogenis ſocium, cujus in 2. ad Timotheum I. v. 15. eſt mentio, primum ab ipſo Paulo Epheſiis epiſcopum datum comminiſcitur, ac regnante in Romanorum civitate Nerone, Maximoque Proconſule Aſiæ, ſed ſubinde exauctoratum, quod Simonis Magi nefanda dogmata ſectaretur Φύγελλος, ὁ τὰ Σίμωνος φρονήσας, Ἐφέσου ἐπίσκοπος.

II. Joannes I.

Ex Conſtitutionibus quæ *Apoſtolorum* dicuntur, atque antiquiſſimæ ſunt, lib. 8. c. 46. Timotheus Epheſi epiſcopus à Paulo Apoſtolo ordinatus fuit, & *Joannes* ab Evangeliſta Joanne, τῆς δὲ Ἐφέσου Τιμόθεος ὑπὸ Παύλου, Ἰωάννης δὲ ὑπὸ Ἰωάννου. Quod utique ſic accipiendum venit, ut, Timotheo martyrio functo, ab Apoſtolo Joanne qui Epheſi agebat, Joannes alter, Domini quondam diſcipulus è ſeptuaginta duobus unus, ſit ſuffectus, quem & *Joannem preſbyterum* cognominabant. Hujus Joannis auditor Papias Hierapolitanus fuit, qui traditiones ab eo acceptas enarrationibus quibuſdam alienis infarciit, Euſebio teſte lib. 3. hiſt. eccl. c. ult. ubi & illius ſepulcrum, velut & Evangeliſtæ Joannis Epheſi exſtare ait. Cæterum apud Dorotheum Tyrium quem Synaxaria Græcorum ſequuntur ad diem 4. Novembris *Caïus* Apoſtoli Pauli diſcipulus, cujus mentio eſt Rom. 16. v. 23. & 1. Cor. 1. v. 21. necnon Act. 19. v. 29. Epheſi epiſcopus fuit, quem tamen Pergami potiùs eccleſiæ præfuiſſe ſuo poſthac loco dicemus.

ECCLESIA EPHESI.

Onesimus.

Ex epiſtola S. Ignatii Antiocheni ad Epheſios diſcimus, eo tempore quo Romam extremo martyrio à beſtiis devorandus ductus fuit, *Oneſimum* Epheſi epiſcopum fuiſſe, qui nempe ad illum inviſendum feſtinaverat. *Plurimam enim,* inquit, *multitudinem veſtram in nomine Dei ſuſcepi in Oneſimo,* ἐν Ὀνησίμῳ, *qui in caritate inenarrabilis eſt,* ὑμῶν δὲ ἐν σαρκὶ ἐπισκόπῳ, *veſtro autem in carne epiſcopo.* Atqui Oneſimum hunc Epheſiorum antiſtitem, ipſum eſſe quem Paulus tum ad Philemonem data epiſtola, tum in aliis ſuis olim commendaverat, exiſtimarunt, ſed & aſſeruerunt Martyrologiorum ſcriptores, Beda, Adon atque Uſuardus præſertim, apud quem legitur die 16. Februarii: *Natalis B. Oneſimi, de quo Paulus Apoſtolus ad Philemonem ſcribit: quem etiam poſt ſanctum Timotheum Epheſiorum epiſcopum ordinavit, prædicationiſque verbum illi commiſit. Hic vinctus Romam perductus, & pro Fide Chriſti lapidatus, ibidem ſepultus fuit. Inde ad locum ubi epiſcopus fuerat ordinatus, corpus ejus delatum eſt.* Hunc ſub Trajano Aug. & Tertullo urbis Præfecto paſſum fert Metaphraſtes apud Surium. Verum Oneſimus non potuit ab Apoſtolo epiſcopus conſtitui poſt Timotheum, qui non niſi ſub Domitiano Imp. ut prædictum eſt, martyrium obiit. In Menologio Græcorum die 1. Decembris annua memoria fit *SS. Antonii junioris, & Oneſimi archiepiſcopi Epheſi.*

VIII. Polycrates.

Anno 196. Epheſinæ eccleſiæ *Polycrates* epiſcopus præerat, quo priſci ſuorum moris in Paſchali ſolennitate die 14. menſis primi celebranda ſe tenaciorem præbens, à Victore Papa communionis exſors factus eſt. Ejus ad Victorem epiſtolæ, quâ cauſam ſuam tuebatur, magnam partem recitat Euſebius lib. 5. cap. 24. Cæterum Sozomenus mihi auctor eſt lib. 7. cap. 13. eum reconciliatum paulopoſt fuiſſe cum Romano Papa: ubi tamen in illius textu mendum irrepſit, ut *Polycarpus,* pro *Polycrate* ſcriberetur. Planè tempore Nicænæ ſynodi nullum antiquæ illius conſuetudinis Paſchatis agendi veſtigium apud Aſianos ſupererat, nec condendæ adverſus illam legis cauſam præbuerunt illi Conſtantino Auguſto; ſed Creſcentius quidam in Meſopotamia epiſcopus, cum Cilicibus nonnullis & Meſopotamiis, velut ex Euſebio & Epiphanio compertum fit. Quamquam non me fugit, priſtini erroris illo tempore ac deinceps aliquandiu tenaces quoque fuiſſe Lydos aliquot de Philadelphia, quorum

A pervicaciam Epheſina ſynodus compeſcuit. Polycrates in ſua illa, de qua dixi ad Victorem epiſtola, teſtatur, octavum ſe ſui generis Epheſiorum epiſcopum eſſe, ἑπτὰ μὲν ἦσαν συγγενεῖς μου ἐπίσκοποι, ἐγὼ δὲ ὄγδοος.

IX. Apollonius.

Proxime poſt Polycratem, ut videtur, Epheſinam eccleſiam excepit *Apollonius,* Montaniſtarum acerrimus, Euſebio teſte l. 5. c. 13. expugnator, cujus librum Περὶ ἐκστάσεως Tertullianus deditiore opera confutare
B conatus eſt, ut fert Hieronymus in catalogo Script. eccl. Auctor libri qui *Prædeſtinatus* inſcriptus fuit, hær. 26. de Montaniſtis agens, perinde ait: *Scripſit contra eos librum ſanctus Soter Papa urbis, & Apollonius Epheſiorum antiſtes.* Atqui calamum adverſus eam hæreſim ſtringebat Apollonius, quadrageſimo anno ab illius exortu, ſeu ex quo Montanus ſimulatam illam Prophetiam ſuam effundere cœperat, ὡς ἄρα τεσσαρακοστὸν ἐτύγχανεν ἔτος, ait Euſebius, ἐπὶ τὴν τοῦ συγγράμματος αὐτοῦ γραφὴν, ἐξ οὗ τῇ ψευδοποιητῷ αὐτοῦ ψευδοφητείᾳ
C ὁ Μορτανὸς ἐπικεχείρηκε.

Menophantus.

Apollonii Epheſini epiſcopi ſucceſſores nullos mihi eccleſiæ monumenta ſuppeditant ad Conſtantini uſque magni tempora, quibus Epheſi ſedebat *Menophantus* Arianicæ factionis ſocius; qui tamen ad Nicænam ſynodum quum veniſſet, editæ in ea formulæ Fidei ſubſcripſit. Hunc Philoſtorgius Luciani martyris diſcipulum fuiſſe aiebat, lib. 2. n. 15. Anno 347. ad Sardicenſem ſynodum acceſſit:
D cum Patribus vero convenire renuit, ſed clam cum Euſebianis ſuis Philippopolim Thraciæ ſeceſſit, eorumque ad eccleſias epiſtolæ ſubſcripſit, *Menofantus epiſcopus ab Efeſo.* Verum interim Sardicenſe concilium ſacerdotium illi, aliiſque abrogavit, quod Patres literis ſuis palam teſtati ſunt. *Quæ autem decreta ſunt à ſancta ſynodo in Theodorum, Narciſſum, Stephanum, Acacium, Menofantum, Urſacium, Valentem, ac Georgium anteſignanos Arianæ hæreſeos, qui & in vos & in Eccleſiam peccaverant, ex his quæ ſubjecta*
E *ſunt, cognoſcetis.* Adfuit iterum ſynodo triginta epiſcoporum, quod anno 356. Antiochiæ habitum eſt, in quo pro Athanaſio Georgius Alexandrinis epiſcopus deſignatus fuit. Hanc ſynodum Henricus Valeſius male à Sozomeno l. 4. c. 8. Conſtante Auguſto in vivis adhuc agente, celebratam ferri monet; quando norunt omnes Conſtantem exſtinctum eſſe anno 350. Georgium vero non niſi anno 356. poſt Conſulatum Arbæthonis & Lolliani Alexandriæ ſedem occupaſſe.

Nulla

Nulla ultra hunc annum de Menophanto occurrunt, nec tempore Seleuciensis synodi anno 359. superstes videtur fuisse.

EVETHIUS.

Ephesi episcopus Valente Imp. fuit *Evethius*, Macedonianæ hæresis assectator, quo defuncto, Constantinopolim ad synodum generalem venit, quam Theodosius Augustus anno 382. rei ecclesiasticæ instaurandæ causâ cogebat. Ibi suæ factionis sociis præfractè adhærens, catholicam de Verbi Dei consubstantialitate, deque Spiritûs S. deïtate Fidem B profiteri renuit. Quod testatum legimus apud Photium Bibl. cod. 267. & in vita S. Isaac monachi, quæ inter Acta SS. exstat ad diem 13. Maii. *Ex parte vero Arii & Macedonii, Eleusius Cyzici, Marcianus Lampsaci, Evethius Ephesi*, Εὐήθιος Εφέσου, *&c.* Diu illum imperante Theodosio in ea sede perseverasse simile vero non est. Quamquam non omittendum, etiam imperante Theodosio, à Marino Ariano qui Demophilo Constantinopoli suffectus fuerat, Ephesi episcopum ordinatum esse Agapium, qui in ea urbe ejusdem C sectæ alumnis præesset. Sed orto Marinum inter & Agapium dissidio, multi eorum clerici qui utriusque ambitione offensi erant, ad catholicam unionem, consubstantialitatem Verbi Dei profitentes conversi sunt, ita Socrates lib. 5. c. 13. & Sozom. lib. 7. c. 17.

ANTONINUS.

Anno 400. Ephesino episcopatu fungebatur *Antoninus*, qui quum eo anno Constantinopoli in synodo sederet, quam S. Joannes Chrysostomus de more habebat, ab Eusebio D Valentinianopolis episcopo multorum criminum reus actus est; quorum hoc primum fuit, quod ordinationes accepta pecunia fecerat: præterea quod, dimissa pridem uxore, liberos nihilominus, in episcopum promotus susceperat; quod item vasis argenteis sacris conflatis, argentum in proprios usus insumseraт; quod ablatum è baptisterio marmor in balneum suum transtulerat; quod jacentes ecclesiæ suæ columnas aliquot in triclinium suum asportatas erexerat; quod prædia quæ E Juliani quondam Imp. parens Basilinæ ecclesiæ reliquerat, ipse sua propria fecerat & vendiderat; demum quod puer illius, patratæ cædis auctor, apud ipsum tamen impune ageret. His synodus auditis, quia nulli flagitiorum illorum in urbe Regia testes præsto aderant, episcopos tres delegavit, qui Ephesum de illis inquisituri pergerent. Testes ab Antonino præventos corruptosque fuisse ferunt, ac re infecta episcopi Constantinopolim redierunt. Paulo post fato fungitur Antoninus, quo tempore Joannes ipse Chrysostomus profectionem in Asiam parabat, A juxta atque synodus constituerat. Obiit porro ille circa finem anni 400. Legendus Palladius Dial. de vit. S. Joann. Chrysost. à p. 126. ad 133.

HERACLIDES.

Antonino itaque jam defuncto, Ephesum Chrysostomus venit, ut laboranti Asianorum ecclesiæ mederetur; habitoque in ea urbe episcopi alterius eligendi causâ concilio, cui septuaginta, de Asia, Lydia, Caria, & Phrygia præsules interfuerunt, Ephesinæ plebis clerique votis in varia studia scissis, Heraclidem diaconum suum, genere Cyprium, professione monachum, Evagrii quondam in Scetensi Ægypti solitudine alumnum, omnigena disciplina, ac divina præsertim instructum, cunctis demum benigne adnuentibus in episcopum promovit. Hunc vero subinde Theophilus Alexandrinus, quo in Joannis Chrysostomi nomen & amicos livore percitus erat, Macario Magnesiæ instigatore & criminatore, indicta causa, absentem sacerdotio privavit in ea synodo quæ è Quercu Chalcedonis suburbio in urbem Regiam, exacto Chrysostomo, migraverat. Præcipua crimina quorum reus Heraclides agebatur, hæc erant, quod Cæsareæ in Palestina Aquilini diaconi vestes furatus esset, quodque Origeniano dogmate imbutus, illud mordicùs teneret, ut pote ab Evagrio insigni Origenis assectatore monasticis regulis institutus. Post exauctorationem porro suam Nicomediæ toto quadriennio carcere inclusus manserat, quando hæc Palladius narrabat Dial. de vita Joan. Chrysost. pag. 134. 135. 196. 197. Socrates strictim hæc refert lib. 6. c. 11. 17. Sozom. lib. 8. c. 6. & 12.

* * *

CASTINUS.

Illius nomen qui Heraclidi suffectus fuit, incompertum mihi prorsus est: cujus promotionem ad hunc modum narrat Palladius, p. 134. *In locum illius, vel potiùs in locum Joannis qui Evangelium scripsit, & super sapientiæ pectus fideliter recubuit, de quo scriptum est, quem diligebat Jesus, cui successit Timotheus Pauli discipulus, ad quem duæ feruntur epistolæ, succedit abominatio desolationis. Ordinant enim Victoris tribuni eunuchum, quem in episcopali sede collocant; & qui a septuaginta episcopis fuerat constitutus, in carcere usque hodie maceratur, vir encycliis disciplinis eruditus, divinarumque scripturarum peritus, qui in eremo solitariam vitam egerat, tresque annos diaconi officium exsequutus erat. Atque utinam eunuchus ille quem ordinarunt, honestam*

ECCLESIA EPHESI.

vitam egisset, dimidium hoc malum foret. At nunc terræ vermis, ventris mancipium, feminarum amore insanum, inverecundum, ebrietati deditum, venale, illiberale, avarum, à nativitate ferro petitum, nec vir nec femina, furiosum, quique, ut sæpe audivi, inter satyrica convivia theatrales puellas humeris gestarat hedera redimitus caput, craterem manu tenens in modum fabulosi Bacchi. Quæ cuncta patravit, non prius, quam Christo initiaretur, sed suscepto baptismate, per hæc ostendens, se nec resurrectionem credere. Uti nempe nec ipsi qui Origeniani tunc audiebant.

CASTINUS

Atqui bellus ille episcopus, à Theophilo ejusque factionis præsulibus Heraclidi subrogatus, alius forsan non fuerit ab illo *Castino*, quem Aëtius Constantinopolitanus diaconus Act. 11. Chalcedonensis concilii palam dixit in urbe Regia ordinatum esse Ephesiorum antistitem, καὶ Κασῖνος ᾧδε ἐχειεοτονήθη, *& istic Castino impositæ sunt*. Quod tamen postremum Leontius Magnesiæ episcopus inficiatus est.

MEMNON.

Celebris est *Memnonis* Ephesi episcopi in ecclesiæ fastis memoria, quo sedente synodus Ephesina generalis habita est anno 431. Nestoriusque hæreticus proscriptus fuit; & quum potiores ejus post Cyrillum Alexandrinum in illo sacro conventu fuerint, hinc Orientalis diœcesis episcoporum odium subiit, eoque magis, quod nullam eis ecclesiam in urbe sua, ut pote à legitima synodo alienis, concesserat, in qua divina mysteria peragerent. Jactabant in eum, quod triginta episcopos, imo quadraginta ex Asia, undecim è Pamphylia, tùm astu, tùm metu inductos Ephesum accivisset. Quocirca Memnonem, ut & Cyrillum præ aliis, latâ sententiâ sacerdotio privatos dixerunt; quam tamen Sancta synodus susdeque habitam confestim rescidit. Egerunt illi apud Ephesinum senatum & plebem ut antistes alter pro Memnone eligeretur: nihil vero confecerunt. Hoc unum ab Imperatore obtinuerunt, ut sententiæ quam tulerant, aliqua ratio haberetur; re vero melius cognita, Princeps literis datis synodum solvit, Cyrillumque & Memnonem suis ecclesiis restituendos pronuntiavit. Multos annos synodo superstes Memnon fuit. Act. 2. synodi Chalcedonensis Philippus Constantinopolitanus presbyter Memnonem à Constantinopolitano throno confirmatum fuisse dixit: καὶ Μέμνων ὧδε ἐβεβαιώθη. Bassianus qui tunc de Ephesina sede cum Stephano contendebat, vim sibi à Memnone clamabat allatam, ut Evazorum episcopus consecraretur, quo procul fieret Epheso, in qua ab omnibus amabatur. Plura de Memnone non occurrunt.

BASILIUS.

Memnonem excepit *Basilius*, quod disertè fertur Act. 11. concilii Chalcedonensis, huncque Aëtius archidiaconus à Proclo Constantinopolitano, Theodosio, Imp. annuente, Cyrilloque Alexandrino ordinatum dixit: Καὶ Βασίλειον ὁμοίως ὁ μακάειος Πέρκλος ἐχειεοτόνησε· καὶ ὁ μακάειος Θεοδόσιος συνηγόρησε τῇ τοιαύτῃ χειεοτονίᾳ, καὶ ὁ μακάειος Κύειλλος ἐπίσκοπος Ἀλεξανδρείας· Cæterum Leontius Magnesiæ regessit, hunc quidem, solumque Basilium in urbe Regia fuisse ordinatum: propter quod facinus præter tritum morem admissum multæ Ephesi cædes patratæ erant. Nec plura de Basilio Ephesino suppetunt.

XXVII. BASSIANUS.
XXVIII. STEPHANUS.

Basilio paulo post promotionem suam mortuo, locum ejus obtinuit *Bassianus*, quem Memnon ex hospitii pauperum præfecto, Evazorum episcopum constituerat, etiam adhibita vi, ut ipse Bassianus Act. II. concilii Chalcedonensis causatus est. Quocirca post Memnonis obitum Basilius successor illius, vocato concilio provinciæ, alium Evazis episopum dedit, & Bassianum Ephesi remanere permisit. Hunc statim atque Basilius diem clauserat, multi de clero & populo per episcopos quadraginta qui convenerant, quorum unus Olympius Theodosiopolis erat, Ephesino throno imposuerunt. ejusque promotionem Theodosius Imp. mox ratam habuit, missa illi per Eustathium silentiarium Sacra. Tum Bassianus in urbem Regiam appulsus, ejusdem Augusti & Procli archiepiscopi communionem & benevolentiam iniit, necnon episcoporum, qui illic agebant. Proclus quoque synodicam de eo clero populoque Ephesino dedit. *Mansi autem*, aiebat ille coram Patribus, *sic annos quatuor*, ἔμεινα δὲ οὕτως ἐγὼ τετραετῆ χρόνον, *ita ut episcopos deinceps decem ordinaverim.* Hæc de sua in Ephesinum præsulem promotione Bassianus. Mox de sua destitutione pergit: *Lectis Imperatoris literis, actisque Deo gratiis, Missas postridie celebravimus: post Missas injicientes manus incluserunt me, illataque vi indumentum sacerdotii mei, meaque bona abstulerunt, unumque è suis accipientes Stephanum, episcopum crearunt.* Rursum se tres menses inclusum mansisse ait, ordinato interim *Stephano*. Hæc Bassianus, quem Olympius Theodosiopolis confessus est à se solo, ut tumultuanti turbæ morem gereret, in Ephesino throno collocatum, quum per canones non liceret unum dumtaxat episcopum ecclesiam disponere, maximeque tantæ metropolis. Stephanus vero Bassianum strictis gladiis & fustibus ad episcopalem sedem

deductum dixit, ideoque ſanctorum Patrum judicio, Leonis ſcilicet Romani Papæ, Flaviani Conſtantinopolitani, necnon Alexandrini Antiochenique Pontificum, Epheſino epiſcopatu dejectum. *Romanus epiſcopus eum depoſuit,* inquit, *Alexandrinus eum damnavit. Relatum eſt ab epiſcopo Alexandrinæ civitatis ſanctiſſimæ memoriæ principe ſcribente; illuc allatæ ſunt etiam literæ à beatiſſimo & ſanctiſſimo Papa Romano, quatenus hunc eſſe non oporteret epiſcopum; & manifeſtæ ſunt literæ.* Hæc iterum iterumque Stephanus coram univerſo concilio & proceribus qui aderant. Nihilominus ſententia multorum fuit, qui per Lucianum Bizyæ & Meliohthongum Heliopolis epiſcopos proloquuti ſunt, oportere illum qui quatuor annos ſine contentione epiſcopatum geſſerat, decemque epiſcopos, & clericos ordinaverat, cujus etiam communionem velut epiſcopi ſui Stephanus ipſe, quum presbyter eſſet, aliique clerici foverant, non ſine ſynodi judicio ejici, quando maxime Proclus Conſtantinopolitanus epiſcopatum illius literis ſuis confirmaverat.

Sed neque Stephanus ipſe ſine ſtrepitu ordinatus fuerat, ac ſubinde in ſynodo ſecundâ Epheſinâ ſedens, impiis Dioſcori Alexandrini decretis aſſenſus erat, Στέφανος ἐπίσκοπος τῆς Ἐφεσίων. *Stephanus epiſcopus Epheſiorum eccleſiæ.* ut fertur Act. 1. concilii Chalcedonenſis, in qua & ipſe poſtmodum ſedit, & cujus definitionibus Act. 4. & 6. pro ſe, ſuæque provinciæ Aſiæ epiſcopis abſentibus ſuffragatus eſt. Ejus vero, Baſſianique cauſâ Act. 11. diſceptatâ hæc Patrum ſententia fuit, *neque Baſſianum, neque Stephanum reverendiſſimos, dignos eſſe qui in civitate iſta ſint epiſcopi.* Cæterum habituros illos eſſe dignitatem epiſcopalem & communionem, neceſſariaque vitæ ſuſtentacula à ſanctiſſima Epheſiorum eccleſiâ. Quamobrem perperam Evagrius lib. 2. hiſt. cap. 4. ſcripſit, exploſo per ſynodum Chalcedonenſem Baſſiano, Stephanum admiſſum eſſe, ἐδικαιώθη ἐξενεχθῆναι Βασιανὸν, καὶ Στέφανον δεχθῆναι.

XXIX. Joannes II.

Abſoluta ſynodo Chalcedonenſi, epiſcopi Aſiæ qui poſtremæ ſeſſionis decreto repugnaverant, ne Aſiana aliæque duæ diœceſes Conſtantinopolis præſulis ordinationi ſubjicerentur, Epheſi convenientes epiſcopum ibidem legitimum conſtituerunt. Atqui non alter illis abdicatis ſuffectus videtur præter Joannem, ad quem ut ad alios Orientis metropolitas poſt aliquot annos Leo Auguſtus ſcripſit de nece Proterii Alexandrini, deque Alexandrinorum in Chalcedonenſem ſynodum rebellatione, *Joanni reverendiſſimo epiſcopo Epheſi.* Joannis vero, ejuſque ſynodi provinciæ Aſiæ epiſtola non exſtat in Collectione Epiphanii ſcholaſtici, quam Latine tranſlatam habemus. Quidni Joannes reſponſionem diſtulerit, ne approbatis ſynodi decretis, detrimenti aliquid ſedis ſuæ juribus accederet? Plura nuſquam de illo occurrunt.

XXX. Paulus *hæreticus.*

Circa prima Zenonis Imperat. tempora, Epheſi epiſcopus ſedebat *Paulus*, à provinciæ Aſiæ antiſtitibus de priſco more ordinatus. Ea vero ſede exactus fuit ab Acacio Conſtantinopolitano, Imperatoria accedente poteſtate, qui canone illo de quo dictum eſt Chalcedonenſi nixus, Aſiæ & Ponti metropolium diſpoſitionem ordinationeſque ſibi vindicabat. Fugato autem Zenone à Baſiliſco tyranno, quum novus hic Auguſtus Chalcedonenſi ſynodo detraheret, Timotheus Aëlurus Alexandrinæ eccleſiæ pervaſor impius, ut Aſiæ eccleſias ſibi magis conciliaret, Paulum ſedi ſuæ reſtituit, patriarchicaque illi jura reddidit, velut ex Zacharia Rhetore tradit Evagrius lib. 3. cap. 6. *Timotheus,* inquit, *Conſtantinopoli egreſſus, Epheſum perrexit, Paulumque hujus urbis epiſcopum, qui jam ab epiſcopis provinciæ de more veteri creatus erat, in ea ſede qua exciderat collocavit, Epheſinæque eccleſiæ jus patriarchatus reddidit, quod Chalcedonenſe concilium illi ademerat,* ἐνεθρόνισέ τε τὸν Παῦλον ἀρχιερέα τῶν Ἐφεσίων, ὃς δὴ ἐκεχειροτόνητο μὲν ἀνὰ τὴν ἀρχαιοτέραν ὑπὸ τῶν τῆς ἐπαρχίας ἐπισκόπων· ἐκπεπτώκει δὲ τοῦ θρόνου. ἀποδίδωσι δὲ τῇ Ἐφεσίων καὶ τὸ πατριαρχικὸν δίκαιον, ὅπερ αὐτὴν ἀφεῖλεν ἡ ἐν Χαλκηδόνι σύνοδος, ὥς μοι λέλεκται. Verum aliquanto poſt, redacto à Zenone ad ordinem Baſiliſco, Paulus iterum Epheſo pellitur, & Aſiæ epiſcopi iram Acacii metuentes, pœnitentiæ libellos ei miſerunt, quorum præcipua capita Evagrius recitat cap. 8. & 9. De ea Pauli Epheſini, qui Timothei Aëluri communionem coluerat, deſtitutione Simplicius Papa, Acacio gratulatus eſt epiſtola quam Lucas Holſtenius in Collectione Romana ſua publici juris fecit. Ex quibus apertum eſt, Paulum definitam Chalcedone Fidem inficiatum eſſe. Quis vero ejus locum obtinuerit, incompertum eſt.

XXXI. Aetherius.

Ex vita S. Joannis ſilentiarii, τοῦ ἡσυχαστοῦ, quæ exſtat inter Acta Sanctorum ad diem 13. Maii fertur *Aëtherium* Aſiæ regionis archiepiſcopum in Palæſtinam loca ſancta adoratum veniſſe, tum conſcenſa navi ut in regionem ſuam repedaret, vento Aſcalonem verſus rejectum, atque in ſomnis monitum,

ECCLESIA EPHESI.

ut Joannem ſilentiarium in Laura S. Sabbæ A inviſeret, eumque tamquam ſanctum propter epiſcopalem unctionem veneraretur, qui dignitatem illam ſuam ſedulo hactenùs celaverat. *Ἀνήρ τις ἐκ τῆς μὲν Ἀσιανῶν ὁρμώμενος χώρας, Αἰθέριος δὲ καλούμενος, τῇ τάξει ἀρχιεπίσκοπος ὤν.* Atqui illo ævo archiepiſcopus in Aſia nemo appellabatur præter quam Epheſinus Pontifex. Claruit vero ille, ut apparet, ſub Anaſtaſio Imper.

XXXII. Hypatius I.

Sub Juſtino I. qui poſt Anaſtaſium Imperium auſpicatus eſt anno 513. Conſtanti- B nopolitanam eccleſiam regente Epiphanio, Epheſi ſedebat *Hypatius* catholicus, qui cum eodem Epiphanio & Euſebio epiſcopo ſanctiſſimo, cui *Papæ* additum cognomen erat, divino Sabbæ archimandritæ in Regiam urbem è Paleſtina advenienti obviam ivit, eumque ad Imperatorem deduxit, quemadmodum in ejuſdem S. Sabbæ vita fertur, *μεθ' ὧν ἐξῆλθον οἱ περὶ τὸν πατριάρχην Ἐπιφάνιον, καὶ τὸν Πάπαν Εὐσέβιον, καὶ τὸν ἐπίσκοπον Ἐφέσου Ὑπάτιον, οἵτινες λαβόντες ἤγαγον τῷ βασιλεῖ.* C Anno autem 532. Conſtantinopoli celebre illud cum Severianis epiſcopis de Fide colloquium Hypatius habuit; in quo nempe libri Dionyſio Areopagytæ falſo nomine inſcripti ab hæreticis laudatos prima vice eſſe aiunt. Romam poſthac ab eodem Epiphanio Patriarcha, imo & à Juſtiniano Imper. delegatus eſt cum Demetrio Philipporum, ut Monachos Acœmetos, qui Neſtoriano animo vocem hanc, *Unus de Trinitate paſſus eſt*, tamquam hæreticam improbabant, ab Apoſtolica ſede damnari curaret. Exſtat ea de D cauſa Juſtiniani ad Joannem Papam II. epiſtola, necnon Joannis ad Juſtinianum, quæ poſterior Romæ data eſt, *VIII. cal. April. Juſtiniano Aug. IV. & Paulino, VV. clariſſ. coſſ.* hoc eſt anno 534. Hujus legationis meminit Liberatus Breviar. c. 20. necnon Procopius l. De bell. Goth. p. 314. qui & Hypatii in urbem Regiam reditum memorat pag. 316. Anno ſubinde 536. Conſtantinopolitanæ ſynodo, quæ, Menna patriarcha præſide, Anthimum ejuſdem Mennæ deceſſorem hæricum proſcripſit, aderat & ipſe Hypatius, E ejuſque decretis ſubſcripſit.

XXXIII. Andreas.

Epheſi epiſcopus ſedebat *Andreas*, quo tempore Mennas Conſtantinopoli. Nam exemplo primo profeſſionis Fidei, quod Vigilius Papa Conſtituto ſuo inſeruit, Mennas ſubſcripſit, Theodorus quoque Cæſareæ, *& Andreas Epheſinus epiſcopus:* qui ſubinde ſynodo Quintæ generali adfuit atque ſubſcripſit. Procopius in Hiſtoria Arciana refert Theodoſium uxoris Belizzarii Antoninæ amaſium, qui Epheſum ſeceſſerat, quum univerſa quæ ad ſe ſpectarent, Belizzario à Calligano eunucho eſſe patefacta reſciviſſet, in Joannis Apoſtoli templum confugiſſe, ſed Photio cuidam quem Belizzarius illuc miſerat, traditum eſſe ab Andrea epiſcopo, data illi pecuniæ ſumma, *Ἀνδρέας δὲ ὁ Ἐφέσου ἀρχιερεὺς χρήμασιν οἱ ἀναπεισθεὶς, τὸν ἀνθρωπον ἐνεχείρησεν.*

XXXIV. Procopius *hæreticus.*

Juſtiniano I. Imp. ſedebat *Procopius* Epheſi epiſcopus, qui in hæreſim Julianiſtarum, ſive Incorrupticolarum, quam olim abjuraverat, iterum lapſus, eamdem ad extremum uſque ſpiritum retinuit. Eo è vivis ſublato, conveniunt ſeptem ejuſdem hæreſis preſbyteri, ut pontificem alium illius loco præficiant. Quumque nullus ſupereſſet ejus factionis epiſcopus, qui ordinationem rite faceret, ipſi Eutropium quemdam monachum in medium producunt, ejuſque capiti manum defuncti Procopii imponunt, orationes ordinationis interim recitantes. Atque ita conſecratus Eutropius, alios ipſe ſolus decem epiſcopos ordinavit, quos ad diſſeminandum in Oriente & Occidente errorem diſtribuit, Conſtantinopoli ſcilicet, Alexandriæ, Antiochiæ, in Arabia, in Perſide & uſque ad Homeritas. Primus Homeritarum pſeudo-epiſcopus Sergius fuit, qui ſubſtituto ſibi Moyſe, antequam annos quatuor impleret, interiit. Nonnulli vero ex ipſis in Sophenem & Arzuntidem profecti ſunt, & in Armeniam uſque pervadentes, populos illos Julianiſtarum hæreſi infecere. Hæc Joannes Aſiæ, qui narrationem abſolvit, aſſerendo, *ſe & omnes Aſiæ regiones hujus rei teſtes eſſe.* Atqui narrationem hanc mihi ſuppeditat vir doctus Joſeph Simeon Aſſemanus Maronita tom. 2. Bibl. Orient. p. 86. & ſeqq. Ordinationes vero à Julianiſtis qui Armenos deceperant, præter receptum eccleſiæ morem factas legimus in Narratione de rebus Armeniæ, ſed non à meris preſbyteris. Ibi enim fertur, quum Julianiſtæ epiſcopi tres dumtaxat eſſent, Juliano mortuo, reliquos duos, quia regulis Patrum cautum erat, ne epiſcopus niſi à tribus itidem epiſcopus conſecraretur, cadavere nondum ſepulto, dum illi quem ejus loco ſufficiebant, manus imponebant, mortui quoque manum admoviſſe, ut ternarium munerum explerent. Timotheus Conſtantinopolitanus preſbyter auctor eſt, Eſaianos Acephalos ſibi epiſcopos creaviſſe, admota manu Epiphanii cujuſdam de Palæſtina epiſcopi.

XXXV. Abramius.

Ex Joanne Moscho cap. 37. Prati spirit. *Abramius*, qui cœnobiorum Byzantinorum in Palæstina fundator erat, ut & Constantinopoli illorum, qui ab ipso Abramitæ dicti sunt, Ephesi subinde episcopus fuit. ὁ Ἀββᾶς Ἀβράμιος, ὁ πρῶτον μὲν τὴν ἐν Κωνσταντινουπόλει λεγομένην τῶν Ἀβραμιτῶν μονὴν συστησάμενος, ὃς καὶ ὕστερον γεγονὼς ἀρχιεπίσκοπος Ἐφέσου. Atqui bonus & mansuetus pastor fuit, ὁ καλὸς καὶ πρᾶος ποιμήν. Legenda quæ de eo Moschus illo loci recitat.

XXXVI. Rufinus.

Ephesi *Rufinus* episcopus sedebat, anno 597. Indict. XI. quo sanctus Gregorius Papa data illi epistola sui Regesti 11. clericum commendabat, qui ne legere quidem sciret. *Rufino episcopo Ephesi.*

XXXVII. Theodorus I.

In Sexta synodo generali, quæ adversus Monotheletas habita est, sedit subcripsitque *Theodorus Ephesiorum metropolis episcopus, & Asianæ diœcesis Exarchus.* Θεόδωρος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Ἐφεσίων μητροπόλεως καὶ ἔξαρχος τῆς Ἀσιανῆς διοικήσεως.

XXXVIII. Stephanus II.

Quinisextæ seu Trullanæ synodi canonibus post Cyriacum Cæsareæ subscriptus legitur: *Stephanus episcopus Ephesiorum metropolis Asianorum provinciæ*, Στέφανος ἀνάξιος ἐπίσκοπος τῆς Ἐφεσίων μητροπόλεως τῆς Ἀσιανῶν ἐπαρχίας. Sic scribendum, non τῶν Καισαρέων, ut perperam edita ferunt. Huic tribuenda venit *Canonica synopsis*, Canonum scilicet Nicænorum, Ancyranorum & aliorum, quæ habetur in cod. Cæsareo.

XXXIX Hypatius II.

Græci in Menologio die 20. Septembris memoriam recolunt *Hypatii*, qui ex monacho Ephesiorum episcopus fuit, necnon Andreæ quem ille presbyterum creaverat, quos Leo impius (Isaurus utique Imp.) carcere inclusit, indeque eductos, eorum capite imaginibus sacris impositis, barbis pice illitis per mediam urbem Regiam trahi, & ad Xerolophum jugulatos, canibus devorandos exponi jussit.

XL. Theodosius *hæreticus*.

Iconomachorum episcoporum antesignamus fuit *Theodosius* Tiberii Apsimari quondam Imperatoris proles, Ephesi metropolita, qui Constantini Copronymi an. 13. impuræ ejus synodi Constantinopolitanæ trecentorum triginta episcoporum cum Sisinio Pastilla
A Pergensi episcopo præses fuit; ὧν ἐξῆρχον Θεοδόσιος ὁ Ἐφέσου υἱὸς Ἀψιμάρου καὶ Παστιλλᾶς ὁ Πέργης, ait ad illum Copronymi annum Theophanes. Habita ea synodus est à die 10. Februarii ad 8. Augusti Indict. VIII. anno Christi 754. Hic non multo post cum Constantino Nicomediæ B. Stephanum juniorem martyrem adortus, hunc acriter exagitavit, ut sacrarum imaginum venerationem abnegaret. Quod quidem fuse in ejusdem sancti vita narratur. Theodosio itaque anathema dictum est à Septima synodo generali act. 7.
B & 8. Θεοδοσίῳ τῷ ψευδωνύμῳ ἐπισκόπῳ Ἐφέσου ἀνάθεμα.

XLI. Joannes III.

In Septima synodo generali, considebat, ejusque decretis subscripsit, *Joannes episcopus Ephesi*, Ἰωάννης ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ἐφέσου, qui mihi videtur fuisse *Joannes ille monachus & archiepiscopus Ephesi*, cujus nempe memoriam agunt Græci in Menæis bibliothecæ nostræ Græcis ad diem 4. Augusti, καὶ μνήμη τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν καὶ ἀρχιεπισκόπου Ἐφέσου Ἰωάννου μοναχοῦ. Huic etiam adscribendus
C liber *De schismate*, quem doctissimus Allatius laudat in sua *de Methodiis* Diatriba, ac certe, ut ex excerpto apparet, eo tempore vixit quo monachi Studitæ à sanctis Patriarchis Tarasio & Nicephoro secessionem fecerant. *Ad Studitas vero hæc dicimus*, ait, *nisi anathemate feriant quæ à patre suo Theodoro adversus Tarasium & Nicephorum patriarchas, etsi non ipsum Theodorum, uti nec Theodoretum.*

XLII. Theophilus.

D Anno 824. quum sanctus Nicetas monasterii Medicii in Bithynia Hegumenus ad Propontidem die 3. Aprilis, ad Deum migrasset, ad ejus exequias celebrandas convenerunt *sanctissimus Theophilus Ephesi*, ὅ, τε ἁγιώτατος Θεόφιλος τῆς Ἐφέσου, *sanctusque Joseph Thessalonicensis, qui consuetos funerum ritus exsequentes, corpus ejus in sarcophago deposuerunt.* Quæ quidem legi possunt apud Bollandum in Actis SS. ad illam diem 3. Aprilis. Theodorus Studita nonnullas eodem Theophilo literas dedit, quarum
E duas Baronius recitat ad annum 816. quibus docemur, hunc ecclesiæ Ephesinæ suæ Fidem de sacris imaginibus adhibendo honore, variis erumnis suppliciisque toleratis confirmasse: *Te beatissime Pater*, inquit, *qui magnus diceris & extolleris, & prædicaris Orienti & Occidenti, maximi Apostoli, Evangelistæ & Theologi thronum digne decorans per ea quæ passus es, & pateris etiam nunc, carnis tuæ sanguine vitam illustrans* . . . In fine rursum: *Te vero potens manus custodiat ad gloriam*

ECCLESIA EPHESI.

ecclesiæ suæ, ut columen, ut fundamentum, ut propugnaculum, videamusque te humiles nos & indigni ad Asiaticam terram redeuntem, sicut illum olim ex Pathmi custodia Solem Evangelii, aut in cœlis supra decem civitates Pontificalibus condecoratum. Quæ hunc exsilio proscriptum indicant. Tres item aliæ ad eumdem Theophilum Theodori epistolæ supersunt, nempe lib. 2. 40. 70. & 152.

XLIII. Marcus I.

Anno 833. *Marcus* Archiepiscopus Ephesi cum Proto-Spathario à Theophilo Imp. in Gallias ad Ludovicum Pium Imp. delegatus est, quem à filiis Imperio spoliatum reperit. Cæterum munera quæ Lothario Ludovici filio destinata erant, eidem obtulit, quæ vero parenti Ludovico, subtraxit. Lotharius legatum tamquam ad se missum accedentem admisit, nihilque aliud ad Theophilum præter tragœdiam, cujus testis erat, reportantem remisit.

XLIV. Basilius II.

Octavæ synodo generali adfuit subscripsitque *Basilius misericordia Dei archiepiscopus Ephesi;* qui nempe ante Photii tyrannidem à S. Ignatio, vel à Methodio fuerat ordinatus. Nulli siquidem illorum quos impius ille per diversa loca episcopos crearat, ad sanctum illud concilium venerunt, nisi ut perduelli illi patrocinio essent, præter paucos admodum quorum nec ordinationes admissæ sunt, juxta atque Nicolaus Papa sanxerat, ut pote ab illegitimo patriarcha factæ.

XLV. Gregorius.

Restituto post S. Ignatii mortem sedi Byzantinæ Photio, coactaque Constantinopoli synodo, cui Legati Joannis Papæ adfuerunt, *Gregorius* Ephesi episcopus in ea sedisse subscripsisseque fertur, Γρηγόριος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Ἐφέσου. Sic, inquam, fertur in excerptis quæ Joanni Becco tribuuntur tom. 2. Pandect. canonum Breveregii. In gestis vero hujus synodi quæ apud me manu exarata habeo, ea subscriptio non exstat, sed passim Gregorius episcopus Ephesi in favorem Photii interloquutus legitur.

XLVI. Cyriacus.

Ephesi metropolita fuit, Romano Argyropulo Græcis imperante, *Cyriacus*, à quo Patriarchæ Syncellus in ipsis Imperii ipsius primordiis renuntiatus est, ut pote Patriarchæ Alexii consanguineus, adjunctis ei sociis duobus, Demetrio Cyzici, & Michaële Euchaïtorum. Quæ Cedrenus narrat ex Joanne Scylitze Curopalata. Atqui *Cyriacus* aderat synodo in qua idem Alexius Patriarcha decretum dedit de his qui monasteria Principum largitione obtinent, ut fertur lib. 3. Juris Græco-Rom. pag. 259. ταῦτα εἰς ἐπήκοον ἀναγνωσθέντα θεοφιλεστάτων μητροπολιτῶν, Κυριακοῦ Ἐφέσου κ. τ. ε. *Hæc lecta audientibus religiosissimis metropolitis, Cyziaci Ephesi, &c.*

XLVII. Theodorus II.

Cyriaco utique successit *Theodorus II.* Ephesi archiepiscopus, qui S. Sisinium Romano imperante natum Tei episcopum ordinavit, ut in ejus vita fertur apud Torcellum, à quo accepit Ferrarius in SS. Italiæ pag. 818.

XLVIII. Nicephorus.

Sæculo undecimo medio Ephesi metropolita sedebat *Nicephorus* Proto-Syncellus Constantinopolitani Patriarchæ, cujus mortem luxit Michaël Psellus junior Monodiâ quæ inter ejus opera alia exstat in cod. Reg. 183. Μονῳδία εἰς τὸν πρωτοσύγκελλον καὶ μητροπολίτην Ἐφέσου Νικηφόρον. Hunc ab eruditione ut & virtute commendat, cujus specimina quædam reliquerat, editis nonnullis sermonibus, ἴχνη ἡμῖν καταλέλοιπε, καὶ σπέρματα ἐν ταῖς τῶν λόγων πραγματείαις, τῆς τε ἀρετῆς. Addit & morum suavitatem, qua affectionibus humanis superior evaserat.

XLIX. * * *

Anno Mundi 6574. Christi 1066. Joannes Xiphilinus Patriarcha synodum habuit de sponsalium celebratione, quæ novo tunc decreto sancita confirmataque est. Aderat cum aliis metropolita Ephesi, τοῦ Ἐφεσίου. lib. 3. Jur. Græco-Rom. pag. 211.

L. Michael.

Michaël Ducas Parapinaceus Imperat. à Nicephoro Botaniata anno 1078. Imperio exutus, factusque monachus, Patriarchæ & metropolitarum de more sententia, Ephesi episcopus renuntiatus fuit, ψήφῳ τοῦ πατριάρχου καὶ τῶν μητροπολιτῶν χειροτονεῖται Ἐφέσου ἐπίσκοπος, ait Scylitzes Curopalata. Nicephorus vero Bryennius lib. 3. c. 24. rem ita refert. ὁ τηνικαῦτα τὸν τῆς πατριαρχείας θρόνον ἰθύνων· ἦν δὲ Θωμᾶς (lege Κοσμᾶς) ὁ μέγας καὶ περιβόητος, τὴν καθαρότητα τοῦ ἀνδρὸς γινώσκων, τῷ κλήρῳ ἐγκατέλεξε, καὶ μετ' ὀλίγον μητροπολίτην Ἐφέσου κεχειροτόνηκε. *Qui ergo patriarchalis solii clavum tenebat (Cosmas hic erat magnus ille celebratissimusque) viri puritatem compertam habens, clero ipsum adlegit, ac paulo post Ephesi metropolitam ordinavit.* Adeoque post annum 1080. quo Cosmas ille Byzantinum thronum subiit, semel Ephesum Michaël venit, unde in urbem

ECCLESIA EPHESI,

Regiam regressus, in monasterio Mamantis aliquandiu quietus egit, manibus suis laborans. Post vero fuga elapsus, in Italiam perrexit, à Gregorio Papa VII. & Roberto Apuliæ duce auxilia petiturus, quibus Imperio restitueretur. Ac Robertus quidem cum Boamundo filio expeditionem adversùs Byzantinos paravit, ea vero nihil confectum est. Paulo post Alexius Comnenus rerum summam adeptus, multis honoribus Michaëlem fovit. Leo Allatius, Diatriba *DE PSELLIS* pag. 4. hunc esse Michaëlem Ephesi putat, cujus exstant in Aristotelem expositiones.

LI. Joannes IV.

Anno 1143. Clemens Sasimorum episcopus, & Leontius Balbissi provinciæ Cappadociæ secundæ, in synodo Constantinopolitana multiplici de causa exauctorati sunt. Aderat metropolita Ephesi, ϗ ἱερωτάτων ἀρχιερέων, τοῦ Ἐφέσου, ut gesta ferunt apud Allatium lib. 2. De cons. cap. 11. Atqui anno insequenti, Mundi 6652. Christi 1144. *Joannes Ephesi* in altera simili synodo sedit, in qua Cosmas Atticus patriarcha destitutus quoque fuit, ob Bogomilorum hæresis suspicionem, latæque in eum sententiæ cum metropolitis aliis sat multis subscripsit, Ἰωάννης ἀρχιεπίσκοπος Ἐφέσου, ϗ ἔξαρχος πάσης Ἀσίας. *Joannes archiepiscopus Ephesi, & Exarchus totius Asiæ.* Hic quoque, nî fallor, ejusve successor Nicolaus an. 1156. Ind. IV. sedebat in alterâ synodo, in qua Soterichus Panteugenus Antiochiæ patriarcha electus, ob errores quos pertinaciùs defensabat proscribi meruit; præsente, inquam, metropolita Ephesi τοῦ Ἐφέσου, cujus etiam divinus pro vera Fide ardor actorum initio laudatur, eaque quæ interloquutus est recitantur. Annon vero sapientissimus ille fuerit Joannes metropolita Ephesi, quem Balsamon in Trullanum canonem XX. ait fluenta Philosophiæ fluvii instar effudisse, & Κολπωτὸν, id est *Sinuosum* appellatum ait, qui in regionem quæ ipsum sortita erat, veniens, episcoporum nutu publicè passim docebat, ὁ σοφώτατος ἐκεῖνος μητροπολίτης Ἐφέσου κῦρις Ἰωάννης, ὁ κατὰ ποταμοὺς προχέων τὰ τῆς φιλοσοφίας νάματα, Κολπωτὸς λεγόμενος.

LII. Nicolaus.

Manuële Comneno Imperatore synodus quoque habita est, Luca Chrysoberge patriarcha præside, in qua de Alamannorum qui Constantinopoli agebant, Fide quæsitum est, quum illi Christi humanitatis suæ causa dixisse assererent, *Pater major me est.* Quorum sensum Joannes Irenicus monachus, aliique erroris taxabant: sed causa A ciderunt, ipsique vicissim potiusque damnari meruerunt. In ea autem ille sedebat cum multis metropolitis aliis, Allatio teste lib. 2. De cons. cap. 11. *Ephesi Nicolaus;* qui anno subinde 1170. iterum synodo interfuit Michaëlis Anchiali, cujus statuta exstant lib. 3. Jur. Græco-Rom. p. 227. Νικολάου Ἐφέσου, *Nicolao Ephesi.*

LIII. * * *

Sub Isaacio Angelo Imp. in Constantinopolitana rursum synodo definitum est irB ritas fore episcoporum electiones, ad quas vocati non essent episcopi singuli qui in Urbe versarentur. Aderat cum aliis metropolita Ephesi, ὁ Ἐφέσου. Jur. Græco-Rom. lib. 3. pag. 175.

LIV. Nicephorus II.

Quo tempore Michaël Palæologus Imperii corona redimitus fuit, Ephesinus episcopus *Nicephorus* erat, vir religione moribusque venerabilis, qui quum illius coronationi adesset, ei ultro assensus est, non statim intelliC gens, quid ille in Joannem Lascarim unicum Imperii hæredem pupillum moliretur: sed & quum Arsenius patriarcha subinde dignitatem abdicaret, cessionisque libellum, qualis ab eo poscebatur, dare renueret, consilii auctor Nicephorus fuit, ut sacerdotio potius ille ejiceretur, ceu qui nullis servatis vel uniùs diei interstitiis, ordinibus singulis, Theodoro Imper. urgente, initiatus esset. Tum Arsenio synodi sententia ad ordinem redacto, ejus in locum ipse suffectus fuit anno 1260. Erat is, ut religione commenD datus, ita & zeli non mediocris, qui se dudum patriarchatu dignum non taceret. Hæc Georgius Pachymeres in Michaële Palæologo, lib. 2. cap. 8. & 17. Nicephori hujus ab Ephesina, in Byzantinam sedem translationis Nicephorus Gregoras meminit; Nicephorus item Callistus, lib. 14. cap. 39.

LV. Isaacius.

Nicephoro utique suffectus est *Isaac* Michaëlis Palæologi *Spiritualis* pater, sive confessarius, quem ipsum esse censeo Ephesi E metropolitam, qui in inscriptione literarum quas Græciæ episcopi Gregorio Papæ X. unionis ecclesiarum sarciendæ causa scripserant anno 1274. omnium primus appellatur. *Metropolita Ephesius superhonoratus, Exarchus totius Asiæ, & ea quæ circa me est sancta synodus.* Cæterum Isaacius, ut Imperatoris Michaëlis benevolentiam foveret, alieno se animo præbuit erga Joannem Beccum, auctorque Michaëli fuit, ut patriarchalem jurisdictionem minueret, data Novella de Stauro-

ECCLESIA EPHESI.

pegiis supprimendis, seu monasteriis & ecclesiis, quæ per singulas provincias Patriarchæ soli parerent, illisque ordinariorum episcoporum porestati subjiciendis. Quæ tamen lex mox revocata fuit, quippe qua *Œcumenici* Patriarchæ dignitati derogaretur. Constantinopoli Isaacius agebat, quando Nicolai Papæ III. Legati in Urbem venerunt, Imperatori nuntiantes, vocem *Filioque* symbolo prorsus adjiciendam esse. Quos ille ut à cœpto deterreret, palamque faceret ludibrium non fuisse, sed sinceram pacem quæ cum Latinorum ecclesia sancita erat, ad publicas custodias duxit, ut ipsosmet Imperatoris cognatos necessariosque in eis detentos cernerent, qui unioni consentire noluissent. Subinde verò rursum Joanni Becco repugnavit, asserenti vocem per *Filium*, quæ Græcis Patribus familiaris fuit, idem sonare quod Latinis *ex Filio*. Hæc de eo Pachymeres lib. 6. cap. 16. 23. Inter epistolas Gregorii Cyprii qui Constantinopolitanum Patriarchatum post Beccum gessit, nona inscribitur, τῷ προέδρῳ Ἐφέσου Ἰσαάκ, *Præsuli Ephæsi Isaac*, Lambecio teste lib. 8. Bibl. Cæsar. cod. 67.

LVI. Joannes V.

Joannis Becci Patriarchæ quondam Constantinopolitani scriptum, quo Latinorum Patrum de Spiritus sancti *ex Filio* processione dictum coincidere demonstrabat cum Græcorum itidem Doctorum simili voce *per Filium*, schismaticorum ingenia mire torquebat; ac, Michaële Palæologo defuncto, quum Andronicus filius ejus Imperator Gregorium Cyprium Patriarcham creasset, Joannis Damasceni præsertim sententiæ, quam Beccus laudaverat, exponendæ provincia eidem Gregorio injuncta est. Hic verò Damasceni dictum sic edisseruit, ut Latinorum sensum insinuare videretur. Quocirca schismatici præsules Cyprii Tomum carpere cœperunt, quorum præcipui fuere *Joannes Ephesius, licet absens esset, Daniel Cyzicenus & Theoleptus Philadelphiæ*. Καὶ μείζοις δὲ πρῶτοι ὁ Ἐφέσου τοῦ ἦσαν Ἰωάννης ἔτι ἀπὼν, ὁ Κυζίκου Δανιὴλ, καὶ ὁ Φιλαδελφίας Θεόληπτος, qui ab illius mox communione desciverunt, in causaque fuerunt, ut Gregorius patriarchatu demum cederet. Literas in Gregorium obtrectationis plenas ad Asianos suos Joannes scripsit, propter quas custodiæ ab Imperatore traditus est, imo & episcopali potestate aliquandiu caruit: id quod testatur Pachymeres lib. 3. hist. Andronici cap. 24. ubi etiam refert de quibusdam chartis Athanasii, qui Gregorio Patriarchæ suffectus erat, reconditis, & post ejus amotionem primam repertis, propter quas Andronicus Alexandrinum Patriarcham qui in Urbe agebat vocavit, quin etiam Joannem Ephesi, nudam & inanem gerentem tunc episcopatus speciem, συνέρχεται δὲ ὁ τῆς Ἐφέσου Ἰωάννης, οὕτως ἀργῶς τῆς τιμῆς ἔχων. At certè Imperatore moliente, ut Joannes sedi suæ restitueretur, Cosmas qui & Joannes Patriarcha, Philadelphiensisque obsistebant. Quod ubi Andronicus cum episcopis iterum tentasset, solusque Patriarcha repugnaret, hunc ipsum objecto nescio quo crimine Ecclesiæ solio deturbavit. Quæ cuncta Pachymeres recitat lib. 2. cap. 4. & 8. lib. 3. cap. 24. & lib. 4. cap. 10. 27. Joannem hunc Ephesi episcopum *Clidam* cognominat Allatius in Creyghton p. 644. Pachymeres vero *Joannem Cheilam* scripsit, similiter & Gregoras, ubi nempe Joannem Cheilam Ephesium, & Danielem Cyzicenum pœnas dedisse narrat, quod secundo vento elati, Gregorium, qui bene de illis meritus erat, insectati essent. Enimvero urbium eorum spectabiles, fideque dignissimi clerici utrumque nefandorum plurimorum reos apud Imperatorem datis scriptis egerant, quæ, quum palam lecta essent, in urbem Regiam ambo deducti sunt, ubi, post inquisitionis tempus crebris dilationibus elusum, annuis tamdem ecclesiarum suarum redditibus quibus alebantur privati, vitæ reliquum miserè transegerunt.

LVII. Myron.

In Codice Cæsareo 265. antiquo satis, sed chartaceo, ait Lambecius, decimo loco habetur Neophyti Hieromonachi *Encomium in sacratissimum & divinum Ephesi metropolitam Myronem*. Ἐγκώμιον Νεοφύτου ἱερομονάχου τοῦ ἐγκλείστου εἰς τὸν πανιερώτατον καὶ θεῖον μητροπολίτην Ἐφέσου Μύρωνα. Incipit: Καθάπερ ἐπὶ τῶν διὰ χρείας. Quo vero tempore vixerit, obscurum est.

LVIII. * * *

Inter Palamiticæ sectæ adversarios clarus fuit Ephesi antistes, qui, causam eorum propugnante promoventeque Joanne Cantacuzeno Imper. necnon & Callisto Patriarcha, exauctoratus fuit cum metropolita Ganni, quos idem Cantacuzenus Acydynianorum sectæ *capita* vocat, lib. 4. histor. cap. 23. ὧν τὸ κεφάλαιον, ὅ, τε Ἐφέσου καὶ ὁ Γάννου.

LIX. Matthæus.

Anno Mundi 6855. mense Sept. Ind. xv. Christi 1346. metropolitæ quidam Relationem ad Annam Imperatricem Andronici II. viduam scripserunt adversus Joannem Calecam Patriarcham, qui Barlaamo & Acyndyno contra Gregorium Palamam faveret. Huic subscripsit

ECCLESIA EPHESI.

subscripsit *Matthæus metropolita Ephesi*, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Ἐφέσου Ματθαῖος, ut fert Cæsareus codex 6. lib. 6. Hic proinde ille ipse est metropolita Ephesi, à quo Cantacuzenus refert Barlaamum & Acyndynum, quin & Joannem Calecam Patriarcham anathemate perculsos fuisse; cui etiam tribuenda epistola est, quam Lambecius in codice Cæsareo 329. hoc titulo exstare ait; Τῷ τιμιωτάτῳ καὶ λογιωτάτῳ μεγάλῳ τῆς μεγάλης τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησίας Χαρτοφύλακι, Ματθαῖος ταπεινὸς ἐπίσκοπος Ἰωνίας καὶ Ἀσιάτιδος γῆς, ἐν Χριστῷ χαίρειν. *Honoratissimo disertissimoque magno magnæ Ecclesiæ Christi Chartophylaci, Matthæus episcopus Ioniæ & Asiatidis regionis, bene valere.*

LX. JOSEPH.

Georgius Phranza lib. 1. chronici c. 38. sui scribit, anno Mundi 6921. Christi 1416. mortuo Euthymio Patriarcha Constantinopolitano, ejus loco electum esse *Josephum* Ephesi metropolitam; qui subinde ad synodum Ferrariensem & Florentinam celebrandam venit.

LXI. JOASAPH.

Josepho Constantinopolim translato, successor utique datus est *Joasaph*, qui Ephesino episcopatu eo tempore fungebatur, quo Josephus Byzantino. In urbe Regia colloquio interfuit, in quo actum de legatione concilii Basileensis ad Imperatorem missa ad utriusque Ecclesiæ Latinæ & Græcæ unionem instaurandam. Statutum porro est, ut synodicum Basileense decretum examini panderetur, hujusque negotii sequestri duo designati sunt unà cum magno Domestico, *ex episcopis, D. Joasaph Ephesi*, ἐκ τῶν ἀρχιερέων ὁ Ἐφέσου κῦρ Ἰωασάφ, *& Heracleæ Antonius, è cruciferis, magnus Chartophilax, &c.* Aliis rursum ibi conventibus hic noster Joasaph Ephesius priùs adfuit, quam profectionem in Italiam cum Patriarcha susciperet Imperator, eique Antiochenus Patriarcha vices suas in concilio celebrando commiserat. Quæ Silvester Syropolus habet hist. concil. Florent. sect. 2. cap. 27. 33. & sect. 3. c. 3. Ejusdem Joasaph Ephesii meminit Gregorius Protosyncellus in Responsione ad epistolam Marci Ephesii successoris illius, cumque olim cum Macario Nicomediæ & Euthymio qui postea Patriarcha fuerat, ad Romanum Pontificem missum ait, dudumque adeo priùs, quam Ephesinæ ecclesiæ præficeretur: qui tres viri sapientia & virtute spectatissimi, benedictionem ab eo acceperant. Ἀλλ' οἱ ἡμέτεροι, οἱ κατὰ σοφίαν καὶ ἀρετὴν θαυμάσιοι, Νικομηδείας τε Μακάριος, καὶ Εὐθύμιος, ὁ εἰς ὕστερον ἐπὶ τὴν προεδρίαν τῆς Κωνσταντινουπόλεως προβιβασθεὶς, καὶ Ἰωασὰφ ὁ Ἐφέσου, καὶ Μακάριος ὁ τῆς μονῆς τοῦ Παντοκράτορος προεστάμενος, ἐκεῖσε παραγενόμενοι, εὐλογίαν παρὰ τοῦ Πάπα ἀνελάμβανον. Inter codices exaratos manu, quos doctissimus Assemanus Maronita ab Oriente Romam advexit, quique in Vaticana bibliotheca depositi fuerunt, duodecimus inscribitur, *Joasaphi metropolitæ Ephesi Responsio ad interrogationes Georgii Danzinii presbyteri.*

LXII. MARCUS.

Illi conventui in quo deliberatum est de quibus cum Latinis in synodo proxime celebranda tractandum esset, *Marcus Eugenicus* aderat, qui cum Georgio Scholario provinciam hanc in se recepit, ut libros causæ suæ adversus Latinos defensandæ idoneos evolveret. Interim Joasaph Ephesius fato fungitur, ejusque sedem Marcus obtinet, quod proinde contigit anno 1488. Hic statim ab ordinatione sua ad synodum quæ Ferrariæ celebranda erat, proficiscitur, vices in ea suppleturus patriarchæ Antiocheni. Vir fuit, ut pervicacissimi, ita & sordidissimi animi, qui, nulla ab Eugenio Papa mercede accepta ob S. Eugenii imaginem quam ei dono obtulerat, in Romanos deinceps mentem linguamque exacuit. Florentiam translato concilio, quotidianas cum Joanne à Montenigro Dominicano disputationes habuit, quarum is exitus fuit, ut quum Imperator Joannes Palæologus aliique demum ad ecclesiarum unionem finiendam consentirent, Marcus, clam arrepta fuga, Constantinopolim versùs properaverit, ubi contra initam concordiam multa in vulgus spargens, Græcos ab ea probanda deterruit. Circa annum 1450. synodo nescio cui, post Joannis Imp. obitum habitæ, in qua Athanasium nescio quem, Patriarcham sedisse ferunt, adfuisse subscripsisseque legitur, *Marcus Ephesi, & tamquam Exarchus Patriarcharum*, Μάρκος ὁ Ἐφέσου ὑπέγραψα, καὶ ὡς ἔξαρχος τῶν πατριαρχῶν. In historia Politica Turco-Græciæ, Marcus in concilio Florentino *Exarchus* fuisse designatus dicitur. Vivere porro desiit, ut videtur, ante captam à Turcis Constantinopolim. Nam in primis lib. 2. histor. eccles. Turco-Græc. Dionysius, qui septimus ab expugnata urbe Patriarcha fuit, sub Marci Ephesii disciplinâ vixisse dicitur cunctis illius vitæ diebus; dein in civitate versatus est ipso obsidionis tempore, eâque captâ, Hadrianopolim cum multis aliis christianis abductus.

LXIII. METROPHANES.

Doctissimus Abbas Nicolaus Papadopoli in Prænotionibus Mystagogicis *Metrophanem*

ECCLESIA EPHESI.

Ephesi metropolitam appellat ; quo vero tempore claruerit, non prorſus indicat.

LXIV. * * *

Lib. 2. Turco-Græc. pag. 130. obſervatur, ordinationi Raphaëlis Hieromonachi Servii, qui octavus Patriarcha poſt urbis excidium fuit, non adfuiſſe Cæſareæ & Epheſi metropolitas, καὶ ὁ Καισαρείας καὶ ὁ Ἐφέσου δὲν ἦλθον.

LXV. Daniel.

Maximo defuncto, qui nonus ab expugnata Urbe Patriarcha fuit, *Daniel* præſertim B Epheſi pontifex unus eorum cenſebatur, qui illius locum obtineret, vir optimus, & egregie doctus. ἦτον δὲ τῷ καιρῷ ἐκείνῳ ἀρχιερεὺς χρησιμώτατος ὁ Ἐφέσου κῦρ Δανιὴλ, ὁ πολλὰ λογιώτατος. Vicit tamen Nyphon Theſſalonicenſis, *Ibid.*

LXVI. Athanasius.

Ex epiſtola Stephani Gerlachii ad D. Cancellarium Jacobum ſcripta anno 1575. die 28. Novembris, quæ refertur lib. 5. Turc. Græc. pag. 506. tunc temporis Epheſi ar- C chiepiſcopus erat *Athanaſius.* Nam ubi de Nicæno metropolita, & urbe Nicæna dixit, ſubdit in fine, hunc Nicænum nominari Cyrillum, Epheſium vero *Athanaſium*, Theſſalonicenſem Joaſaphum. Quocirca, p. 507. inter viros Græciæ inſignes, qui nomina ſua in chartis eidem Gerlachio exararunt, legitur *Epheſi metropolita Athanaſius, hypertimus, Aſiæque totius Exarchus*, ὁ Ἐφέσου μητροπολίτης Ἀθανάσιος, ὑπέρτιμος, καὶ ἔξαρχος πάσης Ἀσίας. 24. Aug. 1576. Indict. 1. Hic quinquagenarius tunc erat, gravis, vene- D randus, ſed brevi ſubinde conceſſit fatis.

LXVII. Sophronius.

Martinus Cruſius mox *Sophronium* Athanaſio ſucceſſiſſe, Gerlachio teſte, ſcribit, ὁ Ἐφέσου μητροπολίτης Σωφρόνιος, ὑπέρτιμος, καὶ ἔξαρχος πάσης Ἀσίας. Hic anno 1780. ſub- A ſcripſit epiſtolæ eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ad Moſcoviæ Imperatorem de reſtituto Hieremia Patriarcha, ὁ Ἐφέσου μητροπολίτης Σωφρόνιος, καὶ ἱκέτης τῆς βασιλείας σου. *Sophronius metropolita Epheſi, tuæque Majeſtatis ſupplex.*

LXVIII. Meletius.

Anno 1639. Laurentius Caſſandriæ in Macedonia epiſcopus conſecratus eſt à Parthenio ſeniore Patriarcha Conſtantinopolitano, cujus cooperatorum unus fuit *Meletius* B *Epheſi;* id quod literæ teſtantur Patriarchales de illius ordinatione, quas apud me habeo, τοῦ Ἐφέσου κυροῦ Μελετίου. Nec dubito quin ipſe ſit Meletius ille Epheſi archiepiſcopus Μελέτιος Ἐφέσιος, cujus epiſtolæ ad Theologos Lugdunenſes Batavos particulam Joannes Claudius Calviniſtarum Charentonienſium miniſter jactabat, ceu errores ſuos admodum adſtrueret. Hæc ſcripta fertur circa annum 1650. quo Païſius è Conſtantinopolitana ad Cyzicenam ſedem detruſus, ad Epheſinum epiſcopatum tranſlatus fuit; Me- C letio utique, qui Calvinianæ ſectæ cum Cyrillo Lucari placitis faveret, deſtituto, & per Europam errante. Epiſtolæ fragmentum illud legere eſt ad calcem libri, qui inſcribitur. *Hiſtoire critique de la créance & des couſtumes des Nations de Levant.*

LXIX. Païsius.

Circa annum itaque 1650. *Païſius* ex Lariſſæ metropolita ad Conſtantinopolitanum thronum evectus, quum ſecunda vice Patriarchatum capeſſiviſſet anno 1645. mox D eo ejectus, Cyzicena donatus ſede fuit, ac non multo poſt Epheſina καὶ ἐπῆρε τὴν Κύζικον, καὶ μετὰ ταῦτα ἔδωκαν τὴν Ἔφεσον. Index Patriarch. CP. ab anno 1594.

LXX. Cyrillus.

Nuper ſedebat Cyrillus. ὁ Ἐφέσου Κύριλλος, anno ſcilicet 1721.

II.

ECCLESIA HYPÆPORUM.

IN Notitiis ſecunda Aſiæ civitas *Hypæpa* ſunt, ad Tmolum Lydiæ montem haud procul *Sardibus* poſita, Ovidii quondam ætate exigua. *Tmolus,* inquit Metamorph. 11. v. 150. *illinc parvis finitur Hypæpis;* per quæ nimirum, Strabone lib. 13. teſte, è Tmolo in Cayſtrum campum deſcenſus erat. Hypæpeni à Plinio lib. 5. cap. 29. memorantur. A ſynodo Conſtantinopolitana, cui Joannes Chryſoſtomus præerat, Antonino Epheſi multorum criminum reo, judices delegati ſunt in Aſiam, adjecta cautione, ut is epiſcopus Aſiæ communionis exſors foret, qui intra duos menſes Hypæpa cauſam dicturus ſuam, non accederet. Lib. 2. Jur. Græco-Rom. pag. 90. in ora Notitiæ Leonis Sapientis Imp. adnotatur, urbem hanc metropolim eſſe factam ab Imp. Iſaacio Angelo Comneno, ἐτιμήθη εἰς μητρόπολιν παρὰ τοῦ βασιλέως κυρίου Ἰσαακίου ἀγγέλου. Ea vero diruta, ſupereſt loco *Papa* nomen.

EPISCOPI HYPÆPORUM.

I. MITHRES.

IN Indice episcoporum sacræ synodi Nicænæ, *De provincia Asiæ* legitur *Mithres Popanensis*, vel *Panensis*, pro Latinorum codicum varietate. Scribendum *Hypæpensis*, vel *Hypæpon.* Sic Latini quoque codices Actorum synodi Ephesinæ, in nova Collectione cl. Baluzii col. 632. Euporum vocant episcopum *civitatis Papon*, de quo mox. A

II. EUPORUS.

Adfuit nimirum Ephesino concilio generali primo, subscripsitque Εὔπορος ἐπίσκοπος Ὑπαίπων, *Euporus episcopus Hypæporum.* B

III. JULIANUS.

Secundæ synodo Ephesinæ adfuit, & subscripsit *Julianus humilis episcopus Hypæporum,* qui quidem assensum istum suum postea revocavit in concilo Chalcedonensi, cujus definitionibus perinde subscripsit, Act. præsertim 6. Ἰουλιανὸς ἐπίσκοπος πόλεως Ὑπαίπων.

IV. ANTONIUS.

Actione x. synodi generalis Sextæ Monotheleticam hæresim ejuravit, & concilii definitionibus aliisque ejus gestis subscripsit *Antonius episcopus Hypæpenorum civitatis provinciæ Asiæ,* Ἀντώνιος ἐπίσκοπος Ὑπαιπηνῶν πόλεως τῆς Ἀσιανῆς ἐπαρχίας.

V. THEOPHYLACTUS.

Nicænæ quoque synodo secundæ interfuit, suffragatusque est *Theophylactus episcopus Hypæporum.* Θεοφύλακτος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ὑπαίπων.

VI. GREGORIUS.

Synodo demum illi quæ ob Photii in Ignatii defuncti obitum in Constantinopolitana sede restitutionem habita fertur, subscriptus legitur *Gregorius Hypæporum,* Γρηγορίου Ὑπαίπων.

III. # ECCLESIA TRALLIUM.

QUÆ *Trallis* Plinio, Græcis Τράλλεις *Tralles* dicitur, voce plurali, ut etiam Ciceroni aliisque Latinis. Urbs est Lydiæ veteris, ab Attalo Trojano post Trojæ excidium condita; non certe ad Mæandrum amnem, uti Stephanus dixit, sed aliquantum ab eo distans, *Post Magnesiam* (Mæandri) ait Strabo lib. 14. *via Tralles ferens, ad lævam habet Mesogidem montem, ad dexteram Mæandri campum, qui à Lydis simul & Caribus & Ionibus, & Milesiis & Mynsis habitatur. Sita est in vertice quodam plano, qui promontorium natura munitum habet, cujus circuitus sat bene septus est. Optime habitatur, si qua alia civitas Asiæ, à civibus opulentis.* Priscum illi nomen *Evanthia,* Stephano teste, quod ejus ager varietate florum amœnum sit. Plinio quoque, *Evanthia* primum, de *Seleucia atque Antiochia* audiit. Cæterum Straboni aliæ Tralles sunt Mæandrum transeunti, medio fere itinere ubi sunt Cariæ fines. Verum de his nobis minime sermo est. Trallensis ecclesiæ antiquitatem testatur S. Ignatii martyris ad Trallenses epistola, eamque Notitiæ omnes provinciæ Asiæ attribuunt. Urbem aliquando Michaël Palæologus Imp. instauravit, quæ paulo post à Francis capta extremum excidium passa dicitur. Hodie locus *Chera* appellatur.

EPISCOPI TRALLIUM.

I. PHILIPPUS.

EX Synaxario Basilii Porphyrogenneti Imp. *S. Philippus* septem primorum Diaconorum unus, qui Eunuchum Candacis reginæ Æthiopum sacris undis expiavit, primus subinde Trallium episcopus fuit: ἐν Τράλλῃ τῆς Ἀσίας ἐπίσκοπος γενόμενος ἐτελειώθη, quod etiam Menæa ferunt. Dorotheus vero Tyri, hunc ad Indos perrexisse scripsit & in Arabia, nec non in Taprobana insula, quæ *Ceylam* dicitur, prædicasse: de quibus fides sit penes auctorem. C

II. POLYBIUS.

Ignatius Antiochenus epistolæ ad Trallenses initio, *Polybium* episcopum ipsorum Smyrnam ad se venisse scripsit. καθὼς ἐδήλωσεν μοι Πολύβιος ὁ ἐπίσκοπος ὑμῶν, ὃς παρεγένετο θελήματι Θεοῦ, καὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐν Σμύρνῃ. *Quemadmodum ostendit mihi Polybius episcopus vester, qui voluntate Dei & Jesu-Christi Smyrnam convenit, ut ego in ipso omnem multitudinem vestram specularer.*

III. HERACLEON.

Concilio Ephesino priori interfuit *Heracleon, qui & Theophilus episcopus Trallium.* Ἡρακλέων, ὁ καὶ Θεόφιλος ἐπίσκοπος Τραλλέων.

IV. MAXIMUS.

Spuriæ alteri Ephesinæ synodo interfuit

ECCLESIA TRALLIUM.

Maximus episcopus Trallium, impiique Dioscori decretis suffragatus est. Quod tamen Stephanus Ephesinus post biennium in concilio Chalcedonensi emendavit act. 6. pro ipso subscribens, ut bene fertur in translatione Latina tom. 4. concil. col. 605. *Maximus Trallianorum.*

V. ASCLEPIADES.

Exstat epistola *Asclepiadis episcopi Trallianorum* nomine inscripta, ad Petrum Cnapheum, sive Fullonem Antiochenæ sedis pervasorem de Trisagii hymni interpolatione, quam à Nestoriano quopiam confictam, ut & alias ejusdem furfuris, singulari olim inter Damascenicas dissertatione comprobavi. At Asclepiadem circa illa tempora Trallibus revera sedisse noverat ille auctor.

VI. URANIUS.

Inter Quintæ synodi Patres sedebat *Uranius Trallensis*, qui subscriptus legitur *Uranius misericordia Dei episcopus Trallianorum Lydiæ provinciæ.* Hoc est provinciæ civilis Lydiæ, etsi provinciæ ecclesiasticæ Asiæ sub Epheso: quod certò constat ex subscriptionibus concilii Chalcedonensis, necnon concilii Trullani.

VII. MYRON.

Canonibus itaque synodi Quinisextæ, quæ vulgo *in Trullo* cognominatur, subscriptus reperitur, Μύρων ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Τραλλέων πόλεως τῆς Ασιανῶν ἐπαρχίας. *Myron misericordia Dei episcopus Trallium provinciæ Asianorum.*

VIII. THEOPHYLACTUS.

In Septima synodo inter alios episcopos Asiæ sedebat, atque subscripsit *Theophylactus episcopus Tralles* vel *Trallæ*, Θεοφύλακτος ἐπίσκοπος Τράλλης.

IX. THEOPHANES.

Sæculo nono sedebat *Theophanes episcopus Tralles*, qui Octavæ synodo adfuit & subscripsit, à S. Methodio proinde vel à S. Ignatio, non ab impio Photio ordinatus.

X. THEOPISTUS.

Synodo alteri, quæ post S. Ignatii obitum Photii in Byzantinam sedem restitutionem habita fertur, adfuisse, subscripsisseque legitur *Theopistus Trallium*, Θεόπιστος Τραλλέων.

IV. ECCLESIA MAGNESIÆ AD MÆANDRUM.

Inter provinciæ Asiæ civitates censetur Magnesia ad Mæandrum amnem posita, quæ à Plinio lib. 5. cap. 29. sic describitur: *Supra Marathesium, aliaque oppida, Magnesia Mæandri cognomine insignis, à Thessalica Magnesia orta. Abest ab Epheso XV. m. pass. Trallibus amplius M. M. M. Antea Thessaloce & Androlitia nominata, & littori apposita Derasidas insulas secum abstulit mari.* Straboni non Magnetum modo Thessalicorum, sed Cretensium quoque colonia fuit. Alia item Magnesia fuit ad Sipylum montem; utraque vero provinciæ Asiæ censetur in Notitiis. Quæ autem ad Mæandrum, *Magnesia* hodie dicitur. S. Ignatius epistolam scripsit ad ecclesiam Magnesiæ ad Mæandrum, τῇ οὔσῃ ἐν Μαγνησίᾳ τῇ πρὸς Μαιάνδρῳ. Bollandus ad diem 10. Februarii acta edidit SS. Charalampii & sociorum ejus martyrum, qui sub Severo Imper. passi sunt, iisque narratur Magnesiæ populum omnem, Charalampio prædicante, Christo nomen dedisse: utrius vero Magnesiæ, nullo indicio constat. Cæterum S. Charalampius sacerdos Antiochiam Pisidiæ translatus, ibidem martyrio postremo functus est.

EPISCOPI MAGNESIÆ.

I. DAMAS.

S. IGNATIUS ad Magnesios epistolam scribens, se meritum esse ait, qui illos per *Damam Deo dignum episcopum ipsorum videret*, ἐπεὶ ἠξιώθην ἰδεῖν ὑμᾶς διὰ Δαμᾶ τοῦ ἀξιοθέου ὑμῶν ἐπισκόπου.

II. EUSEBIUS.

Epistolæ Arianorum qui à Sardiensi synodo Philippopolim secessere, subscriptus legitur *Eusebius à Mignenia;* vel, ut alii codices habent, *à Magnenia:* legendum *Magnesiæ;* utra vero minime definiam.

III. MACARIUS.

Magnesiæ Asianæ episcopus erat *Macarius*, Heraclidæ, quem S. Joannes Chrysostomus Ephesi episcopum creaverat, in synodo ad Quercum Chalcedonis suburbium, delator. Ita Photius Biblioth. Cod. 59. ὁ δὲ καθήγορος Ἡρακλείδου, ὁ Μαγνήτων πόλεως ἐπίσκοπος ἦν ὀνόματι Μακάριος. Utrius rursum Magnesiæ, compertum non est. Cæterum Macarii Magnetis lucubrationis cujusdam adversus Gentiles fragmenta Nicephorus Constantinopolitanus expendit in libris quibus Iconomachorum hæresim profligavit. Imo

ECCLESIA MAGNESIÆ.

integrum illud opus habuit Alphonsus Turrianus, ex quo multa passim defloravit, quibus Fidei capita adversus nostri temporis hæreticos propugnaret. In Annotationibus ad lib. 5. Constit. Apostol. Magnetem vetustissimum auctorem l. 3. Apologiarum pro Evangelio contra Theosthenem calumniatorem, hæc scripsisse ait : *Ipse dixit* (Christus) *Hoc est Corpus meum:* οὐ γὰρ τύπος σώματος, οὐδὲ τύπος αἵματος, ὥς τινες ἐῤῥαψῴδησαν, πεπωρωμένοι τὸν νοῦν, ἀλλὰ κατ' ἀλήθειαν αἷμα καὶ σῶμα Χριστοῦ. *Non enim est typus Corporis & Sanguinis, ut quidam obcæcata mente nugati sunt, sed revera Sanguis & Corpus Christi.* Integrum Macarii Magnetis opus utinam Græcis Latinisque literis aliquando prodeat!

IV. DAPHNUS.

Synodo Ephesinæ generali primæ adfuit & subscripsit *Daphnus Magnesiæ Mæandri episcopus :* Δάφνος ἐπίσκοπος Μαγνησίας Μαιάνδρου. Quidam codices Græci *Magnum* vocant Μάγνος, librariorum utique errore.

V. LEONTIUS.

In Ephesina synodo altera sedebat *Leontius Magnesiæ Mæandri episcopus*, ac sententiam dixit pro Eutyche hæretico; inque A S. Flavianum Constantinopolitanum & Eusebium Dorylæi; quod male gestum emendavit in synodo Chalcedonensi, cujus decretis subscripsit act. 6. Λεόντιος ἐπίσκοπος Μαγνησίας Μαιάνδρου. Act. 11. Ephesinæ ecclesiæ jura tuitus est, ne ejus episcopus nisi Ephesi ordinaretur.

VI. PATRICIUS.

In Sexta synodo generali sedit & subscripsit, *Patricius Magnesiæ ad Mæandrum Asianæ provinciæ episcopus*, Πατρίκιος ἐπίσκοπος B Μαγνησίας πρὸς Μαίανδρον τῆς Ἀσιανῶν ἐπαρχίας: qui subscriptus quoque canonibus Trullanis legitur Πατρίκιος ἐπίσκοπος Μαγνήτων περιτομαιάνδρον τῆς Ἀσιανῶν ἐπαρχίας. Lege πρὸς τὸν Μαίανδρον.

VII. BASILIUS.

Septimæ synodo adfuit, *Basilius episcopus Magnesiæ Mæandri*, Βασίλειος ἐπίσκοπος Μαγνησίας Μαιάνδρου.

VIII. THEOPHILUS.

Item synodo quæ sub Joanne Papa VIII. de Photii restitutione habita est, adfuisse fertur *Theophilus Magnesiæ*, Θεοφίλου Μαγνησίας, quin etiam Lucas *Magnesiæ Anelii.*

V.

ECCLESIA ELÆÆ.

ELÆA, Æolidis olim oppidum ad mare situm erat, inter quam & Pitanen Caïcus amnis fluebat, à qua Elaïticus sinus dictus est, Adramyteni pars. Pergamenorum quondam navale fuit, Straboni, Plinio, Ptolemæo & Scyllaci notum, cujus etiam in Notitiis mentio. Nupera ætate *Alea* dicta est, Molano teste.

EPISCOPI ELÆÆ.

I. ESAIAS.

CHALCEDONENSI synodo adfuit & subscripsit *Esaïas episcopus Elæitanus*, Ἡσαΐας ἐπίσκοπος Ἐλαϊτῶν. In Indice Latino Patrum *Isaïas Eleas.*

II. OLBIANUS.

Septimæ quoque synodo *Olbianus episcopus Elææ*, Ὀλβιανὸς ἐπίσκοπος Ἐλαίας.

III. THEODULUS.

Theodorus Balsamon in expositione canonis 51. Apostolorum, *Theoduli* monachi C meminit, qui episcopus Elææ fuit, quique scandali compescendi causa, necnon impiorum quorumdam hominum vitiligantium nugacitatis, caseum & ovum edere non dubitaverat. Καὶ ὁ μακαρίτης ἐκεῖνος, ἡσυχαστὴς, ὁ Σεσιδηρωμένος λεγόμενος, καὶ ὁ χρηματίσας ἐπίσκοπος Ἐλαίας Θεόδουλος, διὰ περιαίρεσιν σκανδάλου καὶ φλυαρίας κακῶν τινῶν, τυροῦ ἢ ὠοῦ γευσάμενος. Vox ista ὁ μακαρίτης innuit Theodulum non ita pridem à Balsamonis ævo claruisse.

VI.

ECCLESIA ADRAMYTII.

ADRAMYTUM vel ADRAMYTIUM, urbs Mœsiæ Asiaticæ Scyllaci, à qua Adramytenus dictus sinus, vetusta satis civitas fuit; ad quam Herodotus, lib. 7. c. 12. Xerxis exercitum per campum Thebanum perrexisse scripsit. Provinciæ Asiæ censetur in Notitiis, & in ea quam Hierocles Synecdemus conscripsit, legitur Ἀδραμύτιον, ἡ ποτὲ Λύρνησος, *Adramutium, quæ Lyrnesus* olim. Exiguum hodie oppidum est, quod Turcis, Leunclavio teste, *Endromit* dicitur, aliis *Sandimitri.*

ECCLESIA ADRAMYTII

EPISCOPI ADRAMYTII.

I. HELLADIUS.

IN Ephesina synodo priore sedit & subscripsit *Helladius episcopus sanctæ Dei ecclesiæ Adramytii.* Ἑλλάδιος ἐπίσκοπος τῆς ἁγίας τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας τῆς κατὰ τὸ Ἀδραμύττιον.

II. AURELIUS.

In conventu synodi Constantinopolitanæ in quo, Flaviano Archiepiscopo & Thalassio Cæsariensi præsidibus, Eutyches hæresis convictus fuit, sedebat *Aurelius episcopus Adramytenæ civitatis.* Αὐρηλίου τῆς εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Ἀδραμυττηνῶν πόλεως.

III. FLAVIANUS.

Spuriæ synodo Ephesinæ aderat Aurelii successor *Flavianus*, Φλαβιανὸς ἐπίσκοπος Ἀδραμύττου; pro quo tamen, ut pro aliis episcopis Asiæ qui aberant, in Chalcedonensi subscripsit Stephanus Ephesi act. 6. Φλαβιανὸς ἐπισκόπος Ἀδραμύττου, *Flaviano episcopo Adramyti.*

IV. JULIANUS.

In codice Regio 2951. qui in extremis paginis ex antiquiore altero exscriptus legitur, excerptum reperi libri cujusdam ab A Hypatio Ephesino editi, quod inscribitur: Ὑπατίου ἀρχιεπισκόπου Ἐφέσου ἐκ τῶν περὶ (lego πρὸς) Ἰουλιανὸν ἐπίσκοπον Ἀζαμυτίου (Ἀδραμυτίου) συμμίκτων ζητημάτων, βιβλίου α΄. κεφαλαίου ε΄, περὶ τῶν ἐν τοῖς ἁγίοις οἴκοις. *Hypatii Ephesi archiepiscopi, ex quæstionibus variis ad Julianum episcopum Adramitii libro 1. cap. 5. De iis qui in sanctis ædibus sunt.* Clarebat, ut suo loco dictum est, Hypatius ante Quintam synodum generalem Justiniano Imper.

V. THEODORUS.

Inter Patres Sextæ synodi generalis sedit B & subscripsit *Theodorus episcopus Adramytenorum provinciæ Asianæ*, Θεόδωρος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Ἀδραμυττηνῶν πόλεως Ἀσιανῆς ἐπαρχίας.

VI. BASILIUS.

In Septima quoque synodo sedit subscripsitque *Basilius Adramytii episcopus*, Βασίλειος ἐπίσκοπος Ἀδραμυτίου.

VII. MICHAEL.

Item in Octava subscripsit *Michaël misericordia Dei episcopus Adramytii*, ab Ignatio utique Patriarcha, vel à Methodio ordinatus.

VII.

ECCLESIA ASSI.

ASSUS Mœsiæ vel Mysiæ olim civitas, necnon Troadis, Plinio lib. 2. c. 76. *Eadem,* ait iterum lib. 5. c. 30. *quæ Apollonia.* Æolicorum colonia est, Pomponio Melæ, cui, ut & Ptolemæo, *Assum* Ἀσσὸν dicitur, neutrius generis voce. In Actis Apostolorum c. 20. v. 13. & 44. femini generis est, εἰς τὴν Ἀσσὸν. Ex quibus locis S. Paulum, ut & Lucam, aliosque itineris ejus socios, eam in urbem venisse constat; quidni etiam christianam ecclesiam in ea fundasse! *Nos autem conscendentes navem,* ait Evangelista, *navigavimus in Asson, inde suscepturi Paulum. Sic enim disposuerat ipse per terram iter facturus, quum autem convenisset nos in Asson, &c.* In Notitia Hieroclis Assus quadragesima secunda civitas est provinciæ Asiæ, quam habent & aliæ Notitiæ. Molano teste, hodie *S. Quaranta* nuncupatur.

EPISCOPI ASSI.

I. ORION.

INter Nicænæ synodi Patres *De provincia Asiæ*, legitur *Orion Jassi,* lege *Assi.*

II. MAXIMUS.

In Concilio Ephesino primo generali sedit & subscripsit Μάξιμος ὁ ἐλάχιστος ἐπίσκοπος Ἀσσοῦ, *Maximus minimus episcopus Assi.* In vivis adhuc superstes erat tempore synodi C Chalcedonensis, à qua quum abesset, nomine ejus, ut aliorum qui non convenerant ex Asiana diœcesi, act. 6. subscripsit Stephanus Ephesius, Μαξίμου πόλεως Ἀσσοῦ, *pro Maximo civitatis Assi.*

III. JOANNES.

Septimæ synodo generali adfuit & subscripsit *Joannes episcopus Assi,* Ἰωάννης ἐπίσκοπος Ἀσσοῦ.



VIII. ## ECCLESIA GARGARORUM.

GARGARA Mysiæ quoque civitas erat, ad Idam montem, in sinus Adramyteni promontorio ad Septemtrionem posito, à monte Gargaro, qui Idæ cacumen erat, nomen habens. Gargara & Assum, Æolicorum coloniæ sunt Straboni lib. 12. Gargarorum meminere Polybius, ut & Ptolemæus, & alii antiquiores: ejus quoque mentio est in Notitiis.

EPISCOPI GARGARORUM.

I. JOANNES.

RElationi synodi Constantinopolitanæ ad Joannem Patriarcham de Severo Antiocheno, ejusque affectatoribus hæreticis subscripsit *Joannes episcopus Gargarensium provinciæ Asiæ*, Ιωάννης ἐπίσκοπος Γαργαρέων ἐπαρχίας Ἀσίας.

A

II. THEODORUS.

Synodo Quintæ generali adfuit & subscripsit *Theodorus misericordia Dei Gargarorum episcopus*. Ita codices quidam Latini; alii *Coradensium*, alii *Gordeon*.

III. EPHRAIM.

Synodo de Photii restitutione, *Ephraïm Gargarorum*, Ἐφραὶμ Γαργάρων.

IX. ## ECCLESIA MASTAURORUM.

MASTAURA Lydiæ civitas est cis Mæandrum, circa Tralles & Nysam positum Straboni, à qua *Mastaurenses* dicti Plinio lib. 5. cap. 29. quæ in Notitiis Græcis de provincia Asiæ sub Epheso censetur.

EPISCOPI MASTAURENSES.

I. THEODOSIUS.

SYnodo generali Ephesinæ primæ adfuit & subscripsit *Theodosius episcopus Mastaurorum*, Θεοδόσιος ἐπίσκοπος Μαστaύρων; qui post annos octodecim perinde venit ad synodum alteram Ephesinam; cujus iniquis decretis assensus est.

B

II. SABATIUS.

Stephanus Ephesinus per Hesperium Pytanensem subscripsit synodi Chalcedonensis definitionibus pro episcopis provinciæ Asiæ absentibus, in quibus *Sabatius Mastaurorum*; quod perhibent Latinæ translationis codices.

III. THEODORUS.

Sextæ synodo adfuit, cujusque decretis subscripsit, Θεόδωρος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Μασταυρηνῶν τῆς Ἀσιανῶν ἐπαρχίας, *Theodorus misericordia Dei episcopus Mastaurensium provinciæ Asiæ*.

IV. CONSTANTINUS.

Inter episcopos synodi Nicænæ secundæ sedit & subscripsit, *Constans*, sive *Constantinus episcopus Mastaurorum*, Κωνσταντῖνος ἐπίσκοπος Μαστaύρων.

X. ## ECCLESIA BRIULLORUM.

BRIULA, Βρίουλα, quæ in Notitia Hieroclis Πρίουλλα *Priulla*, plurali nomine neutrius generis, scribitur, Lydiæ quoque civitas erat cis Mæandrum sita haud procul Epheso, à qua *Briullitæ* Plinio. Ejus meminit quoque Ptolemæus, necnon Notitiæ Græcæ episcopatuum.

EPISCOPI BRIULLENSES.

I. TIMOTHEUS I.

IN indice episcoporum Nicæni concilii *De provincia Asiæ* censetur, *Timotheus Briulorum*.

II. TIMOTHEUS II.

Ephesinæ synodo adfuit & subscripsit Ηλιόθεος *Heliotheus*, vel ut alii codices habent, Τιμόθεος ἐπίσκοπος Βριουλιτῶν, *Timotheus episcopus civitatis Briulitarum*.

III. RUFINUS.

In concilio quoque Chalcedonensi, *Rufinus episcopus civitatis Briulorum*, Ῥουφῖνος ἐπίσκοπος πόλεως Βριούλων.

IV. GEORGIUS.

In synodo itidem Septima generali *Georgius episcopus Briulorum*, Γεώργιος ἐπίσκοπος Βριούλων.

XI. # ECCLESIA PITANES.

PITANE civitas Æolidis est prope Caïcum fluvium in ora Mysiæ. *Ab Ida monte, qui ad Lectum usque fluvium descendit,* ait Strabo, *usque ad Caïcum sunt Assus, Adramytium, Atarneus, & Pitane, & Elaïticus sinus; quibus omnibus Lesbiorum insula ex adverso consurgit.* Rursumque; *Pitane urbs Æolica, quæ duos portus habet, & Evenus fluvius, qui eam præterfluit; ex quo aquæductus Adramytenis factus est.* Illic lateres coquebantur, qui in aquis natarent. *Pitanen* habent Notitiæ Græcæ.

EPISCOPI PITANES.

I. HESPERIUS.

INter Patres synodi Chalcedonensis sedit *Hesperius Pitanes episcopus,* qui act. 6. subscripsit nomine Stephani Ephesini pro episcopis provinciæ Asiæ qui aberant, *Stephanus episcopus Ephesi metropolis, & pro religiosissimis episcopis absentibus sub me constitutis, &c.* ὑπέγραψα διὰ Ἑσπερίου ἐπισκόπου Πιτάνης, *subscripsi per Hesperium episcopum Pitanes.*

II. APOLLO.

Decreto synodico Gennadii Constantinopolitani de Simoniacis subscripsit *Apollo episcopus Pitaniæ,* Ἀπόλλω ἐπίσκοπος Πιθανίας, θ. pro τ.

III. EPIPHANIUS.

Aderat synodo Constantinopolitanæ sub Menna archiepiscopo, *Epiphanius sanctæ ecclesiæ Pitanes episcopus,* Ἐπιφάνιος ἐπίσκοπος τῆς ἐν Πιτάνῃ ἁγίας ἐκκλησίας.

IV. PARDUS.

Synodo Septimæ generali, *Pardus episcopus Pitanes,* Πάρδος ἐπίσκοπος Πιτάνης.

XII. # ECCLESIÆ MYRINÆ.

MYRINA à Myrino conditore dicta, civitas olim Æolidis fuit, portum habens, Straboni & Melæ; ad mare proinde posita, haud procul etiam Cuma, seu Cyme, juxta quam campi Myrinenses, in quibus Grynium oppidum; *eaque Sebastopolim se vocat,* Plinio teste lib. 5. cap. 30. *Myrinam* habent Notitiæ Græcæ.

EPISCOPI MYRINÆ.

I. DOROTHEUS.

IN Ephesina synodo sedit & subscripsit *Dorotheus episcopus Myrinæ,* Δωρόθεος ὁ ἐλάχιστος ἐπίσκοπος Μυρίνης.

II. PROTERIUS.

Sedit quoque in concilio Chalcedonensi, & act. 6. subscripsit *Proterius episcopus civitatis Myrrhinæ,* Προτέριος ἐπίσκοπος πόλεως Μυῤῥίνης. Index Maffæi Latinus, *Petronius Myrinæus.*

III. JOANNES.

In Quinta synodo generali, *Joannes episcopus Myrines provinciæ Asiæ.*

IV. COSMAS.

In Septima synodo generali, *Cosmas episcopus Myrinæ,* Κοσμᾶς ἐπίσκοπος Μυρίνης.

XIII. # ECCLESIA NYSÆ ASIANÆ.

UT in Cappadocia, ita in Asia *Nysa* civitas fuit, cujus supersunt excusa pridem numismata, quæ inscribuntur ΝΥϹΕΩΝ, & ΝΥϹΑΕΩΝ, unico C. sive Σ ut bene Strabo, non duplici, ut apud Ptolemæum. Vicina Trallibus fuit ad Mesogidem montem in mediterranea, in duas veluti urbes torrente præterlabente divisa, Strabone teste. *Ejus pars,* inquit, *amphitheatro ornata est, quæ occultum torrentis excursum habet. Theatro duo extrema, quorum alteri gymnasium subest juniorum, alteri forum & senatus. Campus ad Austrum, ubi subjacet, &c.* Quæ urbem Lydiæ veteris non ignobilem fuisse ostentant; Asiæ vero censetur in Notitiis. Sunt qui *Nicen* subinde dictam volunt, quæ in Jure Græco-Romano lib. 3. p. 246. Archiepiscopatus est: sed perperam prorsus, quando Nice civitas est Thraciæ, ipsaque Archiepiscopalis.

ECCLESIA NYSÆ ASIANA.

EPISCOPI NYSÆ ASIANÆ.

I. THEODOTUS.

INter episcopos Asiæ qui synodo Ephesinæ primæ aderant, post Heracleonem Trallium, & ante Theodorum Anineti, *Theodotus Nysæ* memoratur. Subscripsit Θεόδοτος ἐπίσκοπος Νύσσης.

II. MOEONIUS.

In concilio quoque Chalcedonensi inter episcopos Asiæ subscripsit act. 6. *Mœonius episcopus civitatis Nyssæ.* Μαιόνιος ἐπίσκοπος πόλεως Νύσσης. Censetur inter episcopos Asiæ in indice Maffæi. Actione 11. ejusdem synodi Cassianus presbyter Ephesinus, palam dixit, se, quum Bassiano hactenus communicasset, à Stephano ejus æmulo, & Mœonio vi & verberibus adactum ut juraret, se deinceps Stephani partes sequuturum.

III. SISINIUS.

Sextæ synodo generali adfuit & subscripsit *Sisinnius episcopus civitatis Nyssæorum Asianorum provinciæ,* Σισίννιος ἐπίσκοπος τῆς Νυσσαέων πόλεως τῆς Ἀσιανῶν ἐπαρχίας. Qui & Trullanæ synodi canonibus subscriptus legitur.

IV. THEODOSIUS.

In Septima synodo, præter Joannem Nyssæ, inter episcopos Asiæ sedit & subscripsit *Theodosius Nyssæ,* Θεοδόσιος ἐπίσκοπος Νύσσης.

V. NICOLAUS.

In Octava *Nicolaus misericordia Dei episcopus Nysæ;* Asianæ scilicet: sequuntur enim Joseph Aneorum, Athanasius Magnesiæ, aliique de Asia. Aderat & Joannes archiepiscopus Nyssæ Cappadociæ.

VI. MICHAEL.

In synodo quæ Photii restituti causa convenit, adfuerunt *Ignatius Nyssæ,* Ιγνατίου Νύσσης, & Michaël Nyssæ Μιχαὴλ, Νύσσης. Posteriorem hunc Nysæ Asiæ assigno, alterum Nyssæ Cappadociæ.

XIV. ECCLESIA TEMNI.

TEMNUS, Τῆμνος, Æolica Straboni civitas, *unde Hermagoras fuit, qui de arte dicendi scripsit.* Plinio quoque lib. 5. c. 30. *Æolis, quondam Mysia appellata, & intus Ægæ, Attalia, Posidea, Neontichos, Temnos, &c.* Hanc in ore Hermi fluvii olim positam dixerat cap. 29. Xenophontis ætate, imo & Homeri, si Herodoto in vita illius credimus, exstabat, civitas minime magna. Sub Epheso ponitur in Notitiis.

EPISCOPI TEMNI.

I. EUSTATHIUS.

STephanus Ephesi in concilio Chalcedonensi act. 6. per Hesperium Pitanes pro episcopis provinciæ Asiæ absentibus subscribens, *Eustathium episcopum civitatis Temeni* memoravit, Εὐσταθίου πόλεως Τέμνου. In translatione Latina pro Temno *Tymbria* legitur: ac certe Plinio in Mysia *Tymbre* civitas erat, lib. 5. c. 3. Hæc tamen in Notitiis abest.

II. THEOPHILUS.

Inter Asiæ episcopos in Septima synodo sedit & subscriptus in translatione Latina habetur *Theophilus episcopus Thymnon.* Legerat interpres Τήμνων, unde fecit *Timnon,* & librarii subinde *Thymnon.*

III. IGNATIUS.

In Octava synodo post Athanasium Magnesiæ sequitur subscriptus *Ignatius indignus episcopus Timonis,* lege *Temni.*

XV. ECCLESIA METROPOLIS.

METROPOLIS urbium Lydiæ postrema est Ptolemæo, prope Colophonem & Prienem, de quibus infra, circa Caystrum: quam Plinius obnoxiam Epheso fuisse scribit lib. 5. cap. 29. *Ephesum alterum Asiæ lumen,* ait, *remotiores conveniunt, Cæsarienses, Metropolitæ, Cylbiani inferiores, & superiores, Mysomacedones, Mastaurenses, Briullitæ Hypæpeni, Dioshieritæ.*

ECCLESIA Metropolis.

EPISCOPI METROPOLIS.

I. Marcellinus.

Synodo Chalcedonensi adfuit & subscripsit *Marcellinus episcopus civitatis Metropolis*, Μαρκελλῖνος ἐπίσκοπος πόλεως Μητροπόλεως.

II. Joannes.

In synodo de restitutione Photii *Joannes episcopus Metropolis*, Ιωάννου μητροπόλεως.

XVI.

ECCLESIA ANINETORUM.

Anineta Ἀνίνητα, provinciæ Asiæ civitas est in Notitiis Hieroclis, & Græcis aliis: Ἀνίνητον *Aninetum* dicitur in actis synodi Ephesinæ & Chalcedonensis; ab eaque populi *Aninetii* dicti. Hujus urbis apud antiquiores auctores mentio fit.

EPISCOPI ANINETORUM.

I. Hermogenes.

In Martyrologii Hieronymiani MSS. codicibus, præsertim Lucensi & Bruniano die 3. Maii memoria fit *S. Hermogenis* his verbis: *Provincia Asiæ in Liminata civitate Natalis S. Hermogenis ab antiquis.* Quod Hermogenem Apostoli Pauli, alteriusve discipulum indicat. Pro *Liminata* vero civitate *Aninetam* scribendum fuisse puto, ac librarios Latinos qui Græca legerent, Λ pro Α sumentes *Liminatam* fecisse. Perperam enim fingatur Limenum Pisidiæ civitatem significari. Annon vero ille ipse est Hermogenes, quem cum Phygello & reliquis de Asia à se aversum testatur Paulus epist. 1. ad Tim. 1. v. 15. qui proinde ad ipsum redierit!

II. Theodorus.

Synodo Ephesinæ priori interfuit *Theodorus Anineti*, Θεοδώρου Ανινήτου.

III. Modestus.

Synodo quoque Chalcedonensi subscripsit Act. 6. *Modestus episcopus civitatis Anineti*, Μοδέστος ἐπίσκοπος πόλεως Ανινήτου.

XVII.

ECCLESIA NOVÆ-AULÆ.

Nova-Aula Νέα-Αὐλή, Asianæ provinciæ civitas est in Notitia Hieroclis, aliisque Græcis, quæ in actis synodi Chalcedonensis Theodosiopolis etiam appellatur.

EPISCOPI NOVÆ-AULÆ.

I. Philippus.

Act. 1. concilii Chalcedonensis, in Latinis codicibus legitur adfuisse *Philippus Novæ-Aulæ, quæ & Theodosiopolis:* in Græco textu habetur dumtaxat Φιλίππου Νέας-Αὐλῆς *Philippo Novæ-Aulæ*, ut in Græcis subscriptionibus. In Latinis rursum act. 3. p. 1219. Novæ collectionis conciliorum Baluzianæ reperitur *Philippus episcopus Theodosiopolis; sive Novæ-Aulæ.* Quem conjicio ipsum esse *Philippum Theodosianorum*, qui ante viginti annos à Joanne Antiocheno adversus legitimam synodum Ephesinam adhæserat, ejus inprimis ad ecclesiam Hierapolis epistolæ subscribens. Vide Collect. Christiani Lupi ex Tragœdia Irenæi.

XVIII.

ECCLESIA PERPERENES quæ et THEODOSIOPOLIS.

En *Theodosiopolim* alteram in provincia Asiæ, quam eamdem esse Notitiæ produnt ac Perperenem, ὁ Θεοδοσιουπόλεως, ἤτοι Περπερήνης. Plinius Perperenem olim Mæandram dictam testatur; quæ in Æolide mediterranea à Strabone collocatur, & à Ptolemæo. Mitylene in insula Lesbo metropoliticis juribus auctâ ab Alexio Comneno Imper. obnoxia illi facta est Perperine.

EPISCOPI PERPERENES.

I. Pollion.

In indice Patrum Nicænorum *de provincia Lydiæ* censetur, *Pollion Perperensis*, seu *Perperenensis*.

II. Paulinus.

Synodo Constantinopolitanæ, in qua, Flaviano archiepiscopo præside, Eutyches hæresis reus actus est, & convictus, duobus

conventibus interfuit, ut Latini codices ferunt; *Paulinus episcopus Theodosiopolis provinciæ Asiæ*, qui in Græcis est Παυλῖνος ἐπίσκοπος Θεοδοσιουπόλεως, *Paulinus episcopus Theodosiopolis*. Hujus synodi acta regesta sunt act. 1. concilii Chalcedonensis, cui ipse quoque intererat, ut fertur initio Act. 1. Παυλίνου Θεοδοσιουπόλεως, *Paulino Theodosiopolis Asiæ*, initio Act. 2. similiter, & in indice Maffæi, nechon in Pithœi, *Paulinus Perperenotanus*.

Eidem synodo aderat, subscripsitque Theodosiopolis episcopus alter, *Olympius*, Ὀλυμπίῳ Θεοδοσιουπόλεως, Ὀλύμπιος ἐπίσκοπος Θεοδοσιουπόλεως, qui in indice Maffæi *Olympius Ebazotanus* dicitur quasi *Evazorum*.

ECCLESIA Perperensis.

XIX. ECCLESIA VALENTINIANOPOLIS ASIÆ.

VALENTINIANOPOLIM Asiæ nullæ Notitiæ habent, sed acta synodi Chalcedonensis, ex quibus comperimus eumdem fuisse Valentinianopolis, qui *Auliocomes*, episcopum. Atqui Αὐλίου κώμη, *Auliocome*, q. d. *Aulii Vicus*, oppidum est Asiæ in Notitia Hieroclis, in aliis Αὐρηλίου κώμη, *Aureliocome*, imo & Αὐρηλιούπολις. *Aureliopolis*.

EPISCOPI VALENTINIANOPOLIS.

I. EUSEBIUS.

QUum Joannes Chrysostomus synodum Constantinopoli celebraret anno 400. *Eusebius* è Cilbianis jugis oriundus, Valentinianopolis Asiæ episcopus, libellos Patribus porrexit, quibus Antoninum Ephesinum septem criminum reum agebat, quæ quum negaret Antoninus, Eusebius ea probare non valens vel negligens, communione exclusus fuit, tamquam causæ desertor & calumniator. Mortuo paulo post Antonino Eusebius audiri à Joanne testes poscit, sex nimirum episcopos, qui à se munera Antonino data confessi sunt, ut ab eo consecrarentur. *Pallad. Dial. de vita S. Joann. Chrysost. p. 126. & seqq.*

II. THOMAS.

B Concilio Ephesino primo adfuit & subscripsit *Thomas episcopus Valentinianopolitanus*, Θωμᾶς ἐπίσκοπος Βαλεντινιανουπόλεως, qui rursum an. 448. in synodo Flaviani Constantinopolitani sedebat, in qua Eutyches hæresis convictus fuit; qui & interloquutus est act. 11. de tenenda Fide quæ Nicææ & Ephesi definita erat. Rursum cum à concilio Constantinopolitano abesset act. 6. Stephanus Ephesi per Hesperium Pitanæ pro eo subscripsit, Θωμᾶ Αὐλιουκώμης, *pro Thoma Auliocomæ*. In indice Patrum ejusdem concilii Latino Maffæi & Pithœi inter Patres C qui eidem concilio aderant, de provincia Asiæ censetur *Thomas Auliocomenos, & Valentinianopolitanus;* ut unus ejusdem vel ad summum vicinarum urbium episcopus Thomas fuerit.

XX. ECCLESIA ARCADIOPOLIS.

ARCADIOPOLIM Notitiæ Græcæ omnes habent in provincia Asiæ; cujus priscum nomen ignoratur, ut & locus ac situs.

EPISCOPI ARCADIOPOLIS.

I. ALEXANDER.

COncilio Ephesino adfuit & subscripsit *Alexander episcopus Arcadiopolis*, Ἀλέξανδρος ἐπίσκοπος Ἀρκαδιουπόλεως.

II. GERONTIUS.

Stephanus Ephesinus act. 6. synodi Chalcedonensis pro episcopis Asiæ provinciæ qui aberant, subscribens, *Gerontium Arcadiopolis* memoravit, Γεροντίου Ἀρκαδιουπόλεως.

III. CHRISTOPHORUS.

Inter Patres Quintæ synodi generalis sedit *Christophorus episcopus Arcadiopolis Asianorum*.

IV. NICEPHORUS.

D Inter episcopos Asiæ in Septima synodo sedebat *Nicephorus episcopus Arcadiopolis*, Νικηφόρος ἐπίσκοπος Ἀρκαδιουπόλεως.

V. SIMEON.

In synodo Constantinopolitana, in qua de Photii restitutione actum est, sedisse fertur *Simeon Arcadiopolis*. Συμεὼν Ἀρκαδιουπόλεως.

VI. * * *

Nicephorus Callistus lib. 14. cap. 39. de translatione episcoporum agens, Leontopolis antistitem sub Alexio Comneno Imper. Arcadiopolim translatum scripsit, καὶ ὁ Λεοντοπόλεως ἔσχεν Ἀρκαδιούπολιν.

XXI.

ECCLESIA PERGAMI.

IN *Teutremia parte Troadis*, ait Plinius, *longe clarissimum Asiæ Pergamum, quod intermeat Selinus, præfluit Cætius, profusus a Pidaso monte.* Regia olim fuit Attalorum, & Eumenis, ubi quondam celebre Matris Deûm simulacrum, delubrum item Æsculapii, præsertim vero Eumenis bibliotheca. Addit Plinius, *Pergamenam fuisse tractûs hujus jurisdictionem, ad quam convenirent Thyatyreni, Mygdones, Mossini, Bregmenteni, Hieracomitæ, Perpereni, Tyareni, Hierapolenses, Hermatopolitiæ, Atalenses, Pantarenses, Apollonidienses, & aliæ inhonoræ civitates.* Primis Christianæ religionis temporibus Pergami ecclesia exstitit, ad cujus *Angelum*, episcopumve Apocalypsim suam S. Joannes misit. Atqui sedem Satanæ ibidem fuisse dicit, utique propter superstitiones gentiles Matris Deûm & Æsculapii, quæ illic maxime vigebant. Pergamum sub Epheso censent Notitiæ veteres, post hæc autem sequiori ætate metropolis evasit.

EPISCOPI PERGAMI.

I. Caius.

EX Constitutionibus Apostolicis lib. 7. cap. 46. à Joanne Evangelista primus Pergami episcopus creatus est *Caius*, Περγάμου δὲ Γάϊος, ille utique ad quem scripsit Joannes epistolam suam tertiam, quæ inscribitur, *Senior Gaio carissimo;* quem profecto epistolæ contextus satis indicat alicui ecclesiæ præfuisse. Alius vero est Caius ille a Caio Pauli discipulo, cujus mentio fit Rom.16. v. 23. & 1. Cor. 1. v. 21. quem ex Origene Thessalonicæ episcopum fuisse suo loco dicam. Quidni vero Caius hic Pergami episcopus sit ille *Caius Derbeus*, qui Paulum eumdem Apostolum Hierosolymam pergentem comitatus legitur Act 20. v. 4.

II. Antipas.

Pergami episcopus *Antipas* fuerat, quando Joannes idem in Patmo insula Apocalypsim vidit, qui nempe Domini ore laudari meruit cap. 2. v. 12. *In diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est ubi Satanas habitat.* Atqui Antipam Pergami episcopum fuisse asseruere Andreas Cæsariensis, ejusque successor Arethas, qui martyrium ejus legerant. Memoriam illius Menologium Græcorum recolit die 11. Aprilis, quinetiam Martyrologium Romanum, his verbis: *Pergami in Asia S. Antipæ testis fidelis, cujus meminit Joannes in Apocalypsi. Is sub Domitiano Imp. in bovem æneum caudentem conjectus, martyrium consummavit.*

III. * * *

Antipæ itaque successor fuit *Angelus ille*, episcopusve *ecclesiæ Pergami*, ad quem Dominus hæc scribenda præcepit: *Hæc dicit qui habet romphæam utraque parte acutam: Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanæ, & tenes nomen meum, & non negasti Fidem meam: & in diebus illis Antipas servus meus qui occisus est ubi Satanas habitat. Sed habeo adversus te pauca, quod habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum filiis Israël, edere & fornicari: ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaïtarum similiter. Pœnitentiam age, si quominus veniam tibi cito, & pugnabo cum illis in gladio oris mei. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis, &c.*

IV. Theodotus.

Auctor libri qui *Prædestinatus* inscribitur, ad hæresim decimam-quintam, quæ *Colorbasiana* est, à Colorbasio suo auctore dicta, ait, *Hanc sanctus Theodotus de Pergamo episcopus, habita synodo septem episcoporum, anathematizavit.*

V. Carpus *martyr.*

In Menologio seu Synaxario Græcorum quod ex codice Sirleti Cardinalis Henricus Canisius Latine evulgavit, die 13. Octobris *Memoria habetur SS. Carpi episcopi Pergami, Papyli, & aliorum martyrum sub Decio Imp.* Sed in Synaxario Collegii Claromontani Parisiensis plura adduntur, hic refellenda; nimirum: *Certamen SS. Martyrum Carpi & Papyli, Agathodori & Agathonices sub Decio Imp. è quibus & Carpus erat Pergamæorum ecclesiæ episcopus post discessum Joannis Apostoli & Evangelistæ, à quo Papylus est Diaconus constitutus. Qui comprehensi à Valeriano Proconsule & Præside Asiæ, Christum confessi, equis ligati, & coacti coram Præside currere, ad Sardes usque tracti sunt, ubi in ligno suspensi, in ramenta lacerati sunt, &c.* Quam absonum sit, Carpum post Joannis Apostoli discessum, excessumve, Pergami episcopum esse constitutum, Papylumque Diaconum à Joanne ipso factum, sub Decio Imp. hoc est post annum 250. esse passos, nemo non

ECCLESIA PERGAMI.

ſenſerit. In actis vero ejuſdem S. Carpi quæ Græcè Latinèque proſtant inter Acta SS. tom. 2. Aprilis pag. 4. & 965. habemus illum, patria Pergamenus quum eſſet, pontificatu donatum, Thyatires, Chriſtianam Fidem præſicaſſe, ubi & à Valerio ſeu Valeriano prædide comprehenſus fuit, ὁ Κάρπος μὲν ἀρχιερωσύνης ἐπιβὰς, τὰ τῆς εὐσεβείας μυστήρια ἀνήγγειλε τοῖς Θυατείροις, Papylo ſibi diaconi officio fungente. Ambo autem cum ſociis raptati, poſt varia ſupplicia, Pergamum reducti ſunt, ubi capitum obtruncatione martyres occubuere.

VI. Eusebius.

Epiſtolæ Arianorum qui à Sardicenſi concilio Philippopolim ſeceſſerunt, ſubſcripſit *Euſebius epiſcopus de Pergamo;* qui jam antè anno 340. Gangrenſi ſynodo interfuerat, quippe cujus decretis ſubſcriptus legitur.

VII. Dracontius.

In ſynodo Seleucienſi, epiſcopis qui convenerant in duas partes ſciſſis, qui ab Acacio Cæſarienſi & Georgio Alexandrinæ ſedis tyranno ſtabant, epiſcopatum *Dracontio* abrogarunt, ceu relicta Galatia Pergamenam eccleſiam occupaſſet. *Ita Socr. lib. 2. c. 42. Sozom. lib. 4. cap. 24.*

VIII. Barlaamus.

Synodo Antiochiæ à S. Meletio coacta, libellum Patres Joviano Imp. porrexerunt, quo Nicæna Fides confirmabatur. Huic ſubſcripſit *Barlaamus Pergami,* Βαρλάαμος (lego, Βαρλάαμος) Περγάμου. *Socr. lib. 3. cap. 25.*

IX. Philippus.

Epheſinæ ſynodo interfuit & ſubſcripſit *Philippus epiſcopus civitatis Pergamorum,* Φίλιππος ἐπίσκοπος τῆς Περγαμέων πόλεως.

X. Eutropius.

Ad ſynodum alteram Epheſinam venit *Eutropius Pergami epiſcopus,* impiiſque Dioſcori decretis ſuffragatus eſt. Poſt biennium vero Stephanus Epheſi in concilio Chalcedonenſi, pro illo ac reliquis Aſiæ epiſcopis qui aberant, ſubſcripſit per Heſperium Pitanes, *pro Eutropio civitatis Pergami,* Εὐτροπίου τῆς Περγάμου πόλεως.

XI. Joannes.

Ante ſæculi ſexti medium ſedebat *Joannes Pergami epiſcopus,* qui Monophyſiticæ ſectæ nomen dederat; ex Dionyſii Jacobitarum Patriarchæ chronico, quo illum alioſque ejuſdem generis claruiſſe ſcripſit. *Joſeph Aſſeman. Diſſert. de Menophyſitis.*

XII. Theodorus.

Sextæ ſynodo generali interfuit & ſubſcripſit *Theodorus epiſcopus Pergami civitatis Aſianæ provinciæ,* Θεόδωρος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος πόλεως Περγάμου τῆς Ἀσιανῶν ἐπαρχίας.

XIII. Basilius.

Septimæ item ſynodo generali, *Baſilius epiſcopus Pergami,* Βασίλειος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Περγάμου.

XIV. Methodius.

Synodo quæ ob reſtitutum Byzantinæ ſedi Photium habita eſt, adfuiſſe fertur, *Methodius Pergami,* Μεθοδίου Περγάμου.

XV. ***

Joannes Scylitzes Curopalata pag. 101. 6. & ex ipſo Cedrenus ad annum Mundi 6542. Chriſti 1036. obiter meminerunt epiſcopi Pergami & miniſtrorum ejus, ubi de obitu Conſtantini Phagiſſæ eunuchi, patria Paphlagonis, qui Imperatori Michaëli IV. familiaris erat. θεασαμένου δέ τινος πρότερον τῶν ὑπηρετουμένων τῷ ἐπισκόπῳ (Περγάμου)

XVI. Arsenius.

Sub Andronico Palæologo ſeniore Imp. poſtquam Joannes Coſmas Patriarchatum ex toto abdicaverat, coacta ſynodo, miſſi ad illum ſunt Nicephorus Cretenſis & *Pergami Arſenius,* ὁ τὸν Περγάμου Ἀρσένιον, qui ab eo quærerent, quæ cauſæ eſſent abdicati epiſcopatus, deque Sacramento quo ſe obſtrinxiſſe viſus erat. *Pachym. lib. 4. cap. 31.* Ipſe utique Pergami epiſcopus ille eſt, qui Novellæ Andronici de ſupprimendis donariis quæ in epiſcoporum ordinationibus diſtribuebantur, ſubſcribere noluerat, uti neque Smyrnenſis, πλὴν δυοῖν, τοῦ τε Σμύρνης καὶ τοῦ Περγάμου. Metropolita quoque Pergami, eodem Andronico Imp. ſynodo adfuit Athanaſii Conſtantinopolitani, in qua Joannes Dreimys nuperus patriarcha proſcriptus fuit, τοῦ Περγάμου τοῦ ὑπερτίμου. *Cod. Reg. olim Archiepiſcopi Remenſis.*



XXII. # ECCLESIA PRIENES.

Priene, Πριήνη, urbs est Cariæ, eaque vetusta satis Ptolemæo, imo & Plinio, qui eam habet inter Ionicas Cariæ civitates. Hanc ad Mæandri ostia Strabo collocat, haud procul à mari, quam à quibusdam *Cadmæam* nominatam, à Philisto qui ex Bæotia venerat, conditam scribit. Addit Byam septem Græciæ sapientum unum, Prienes natum esse. Atqui provinciæ Asiæ Priene censetur in Notitiis.

EPISCOPI PRIENES.

I. Theosebius.

In Ephesina synodo sedit & subscripsit *Theosebius episcopus Prienes*, Θεοσέβειος ἐπίσκοπος Πριήνης.

II. Isidorus.

Act. 6. concilii Chalcedonensis Stephanus Ephesi pro *Isidoro Prienes*, ut pro reliquis provinciæ Asiæ episcopis subscripsit, Ἰσιδώρου πόλεως Πριήνης.

III. Paulus.

Canonibus Quinisextæ synodi subscriptus A legitur, *Paulus episcopus civitatis Prieneorum provinciæ Asianorum*. Παῦλος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Πριηνέων τῆς Ἀσιανῶν ἐπαρχίας.

IV. Demetrius.

Pag. 265. Juris Græco-Rom. synodicum scriptum habetur Constantini Lichudis patriarchæ Constantinopolitani de servo criminoso, in quo mentio fit *Demetrii Prienes episcopi*, cui Demetrius Titii cujusdam servus, ob patratam cædem viginti-quatuor aureorum pretium de more recepto pro magna ecclesia per Defensores persolverat, Δημητρίῳ ἐπισκόπῳ Πριήνης.

XXIII. # ECCLESIA ANÆORUM.

Anæa, Ἀναία, feminini generis nomine, vel neutrius pluralis dicta civitas, Scyllaci jacuit in Periplo Lydiæ. Hanc habent in provincia Asiæ Notitiæ veteres episcopatuum : in actis vero synodi Ephesinæ Phrygiæ attribuitur. Annon ipsa est quæ *Anava*, vel *Anaya*, apud Herodotum, quam Xerxes inter Cœlenos & Collossas positam prætergressus, vicinasque salis fodinas, Colossas venit. Atqui Phrygia Lydiæ olim censebatur. Miror Anæa Straboni, Plinio, Ptolemæo & Melæ prætermissa.

EISCOPI ANÆORUM.

I. Olbianus *Martyr*.

Græci in Menologiis die 29. Maii memoriam agunt *sancti martyris Olbiani episcopi civitatis Aneorum*, τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Ὀλβιανοῦ ἐπισκόπου πόλεως Ἀνέων, qui sub Maximiano Imp. Alexandro & Maximo Coss. Julio & Æliano præsidibus, quia sacra Diis facere noluerat, nudus ignitis obeliscis transfossus primùm fuit, tum in carcerem trusus, & ad secundam examinationem servatus, quum constanter in tormentis se gereret, laniatus, tamdem in flammam accensam injectus, jaculis confixus, spiritum reddidit.

II. Modestus,

In Ephesina synodo sedit & subscripsit *Modestus episcopus Aneorum civitatis Phrygiæ*. Μόδεστος ἐπίσκοπος τῆς Ἀνέων πόλεως τῆς Φρυγίας. Hunc Lucas Holstenius p. 140. Annotationum in Geographiam sacram, putavit episcopum fuisse *Œnadorum* in Lycia, propter B codicem Latinum antiquissimum actorum illius synodi, in quo *Œneanensis* dicitur; sed corrupta vox est pro *Aneorum*, & Græca Ἀνεῶν· Librarii siquidem alii Latini scripserunt *Aneanensis*, vel *Aneatorum*. Atqui Modestus in episcoporum provinciæ Asiæ qui concilio simul aderant serie, passim in ejusdem synodi gestis reperitur.

III. Zoticus.

Act. 6. concilii Chalcedonensis Stephanus Ephesinus pro absentibus Asiæ provinciæ C præsulibus subscribens, *Zoticum Anææ civitatis* memoravit, Ζωτικοῦ πόλεως Ἀναίας, vel Ἀνέας.

IV. Marcellus.

Synodo Constantinopolitanæ sub Menna Patriarcha adfuit & subscripsit *Marcellus episcopus Anæorum*. Μάρκελλος ἐπίσκοπος Ἀναίων τῆς Ἀσιανῶν πόλεως, σύμψηφος ὤν.

ECCLESIA ANÆORUM.

V. JOANNES.

Sextæ quoque synodo generali adfuit, subscripsitque, *Joannes episcopus Aneorum provinciæ Asianæ.* Ιωάννης ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Ανέων τῆς Ασιανῶν ἐπαρχίας, qui tamen in translatione Latina perperam identidem dicitur *episcopus Amathuntorum Asianæ regionis*, quum nulla in Asia urbs Amathus umquam exstiterit. In subscriptionibus Canonum Trullanorum perinde Joannes idem scribitur *episcopus Aneorum provinciæ Asianorum*, ἐπίσκοπος Ανέων τῆς Ασιανῶν ἐπαρχίας.

VI. SABBAS.

Septimæ synodo inter provinciæ Asiæ A præsules sedebat, *Sabbas episcopus Aneorum*, Σάββας ἐπίσκοπος Ανέων.

VII. JOSEPH.

Octavæ rursum inter Nicolaum Nysæ, & Athanasium Magnesiæ Asiæ provinciæ episcopos subscriptus visitur *Joseph misericordia Dei episcopus Anchorum*, legendum *Aneorum*.

VIII. ATHANASIUS.

In synodo quæ ob restitutum Byzantino throno Photium habita est, sedisse subscripsisseque fertur *Athanasius Anei*, & *Anæi*, Αθανασίου Ανέου, Αθανάσιος Αναίου.

XXIV. ECCLESIA ÆGÆÆ.

ÆGÆA, Αἰγαία, Ælicarum civitatum una erat, Herodoto teste lib. I. Strabo Αἰγὰς *Ægas* scribit, ut & Plinius, cui Ægæ intus Ælidis sunt, hoc est in mediterranea; quod etiam Scyllax tradit in Periplo ὑπὲρ δὲ τῆς Κύμης ἐν μεσογαίᾳ πόλις Ελληνὶς ἐστιν Αἰγαί. *Supra Cyman in mediterranea, urbs Græca Ægæ.* Hanc episcopatuum Notitiæ non habent; ipsa vero, nî fallor, est, quæ in Notitia Hieroclis Απάη, *Apaë* scribitur, sed & sequenti ævo Αγάη dicta est. At certe episcopi Ægææ variis conciliis interfuisse leguntur.

EPISCOPI ÆGÆÆ.

I. THEODORUS.

QUo tempore aperta Ephesi spelunca fertur, in qua martyres septem quos *Dormientes* appellitarunt, quievisse reperti sunt, *Theodorus quidam* Αεγίων, vel Αἰγαίων, *Ægæorum episcopus erat*, de resurrectione non rectè sentiens. Θεόδωρός τις, ὃς εἴθε μὴ ὤφελε, τῆς Αἰγαίων πόλεως ἐπισκοπεῖ. Cujus discipuli, quos in errorem secum traxerat, prodigio illo admodum perstricti dicuntur. *Photius Bibl. cod. 253.*

II. STEPHANUS.

Ephesinæ synodo generali adfuisse & subscripsisse legitur *Stephanus episcopus Gaiopolis Asiæ*, ut ferunt Latinæ translationis codices, quem episcopum *Ægææ civitatis*, τῆς Αἰγαίων πόλεως fuisse puto; quando nimirum subscriptiones illæ Latinè dumtaxat exstant, non Græcè.

III. CYRIACUS.

Inter episcopos Asiæ in synodo secunda Ephesina prædatoria sedit, sententiamque dixit *Cyriacus episcopus Ægææ*, Κυριακὸς ἐπίσκοπος Αἰγέας, seu Αἰγαίας, & Αἰγλης, legendum Αἰγάης. Post biennium vero in synodo Chalcedonensi melioribus decretis subscripsit act. 6. Κυριακὸς ἐπίσκοπος Αἰγάης, *Cyriacus episcopus Ægaës*, sive *Ægeæ*, veluti Latini codices habent.

IV. BASILIUS.

B In concilio Chalcedonensi, *Stephanus Ephesi* pro episcopis Asiæ absentibus act. 6. subscribens, *Basilium episcopum civitatis Asæorum*, Βασίλειον πόλεως Ασαίων, ubi profecto legendum Αἰγαίων, quando etiam Stephanus idem subscripsit pro *Zotico Anæorum.*

V. RUFINUS.

Decreto synodico Gennadii Constantinopolitani de Simoniacis subscriptus legitur *Rufinus episcopus Ægæorum*, Ρουφῖνος ἐπίσκοπος Αἰγαίων.

In Septima synodo inter episcopos Asiæ sedit, subscripsitque *Constans locum tenens civi-* C *tatis Agaes*, Κώνστας τοποτηρητὴς πόλεως Αγάης.

In synodo quæ Photii Constantinopolitanæ sedi restituti causa coacta est, sedisse leguntur *Clemens Baës*, Κλήμεντος Βάης, Κλήμης Βάης· itemque *Basilius Baes*, Βασιλείου Βάης, Βασίλειος Βάης, quin etiam *Basilius Ebaes*, Βασίλειου Εβάης, Βασίλειος Εβάης. Rursus *Menas Ægiæ*, Μηνᾶ τῆς Αἰγίας, Μηνᾶς Αγίας. *Michaël Agiæ*, Μιχαὴλ τῆς Αγίας· Quæ urbes ubi gentium exstiterint, nescio: ac certè pro Εβάης, *Ebaes*, legero Αγάης, *Agaës*, & pro Αγίας, *Agiæ*, *Ægæa*, ut altera earum *Ægæa* Asiæ fuerit. Cæterum hac in synodo bini earumdem civitatum episcopi sedisse reperiuntur, quorum alter scilicet à S. Ignatio, alter à Photio quondam esset ordinatus.

XXV. # ECCLESIA ANDERORUM.

ANDERA, Ανδηρα, vel *Andeira*, *Andira*, Ανδηρα, Mysiæ quondam Asiaticæ urbs est Straboni, Plinio quoque apud quem *Andera* scribitur, diversaque illi prorsus est ab Antandro, quæ è regione forsan illius posita erat, ut in episcopatum unum ambæ coaluerint. Utraque tamen abest in Notitiis.

EPISCOPI ANDERORUM.

I. PAULUS.

IN Indice Patrum concilii Nicæni *de provincia Asiæ* censetur *Paulus Anderensis*, Alii vero deinceps non occurrunt episcopi *Anderorum*, sed Antandri.

XXVI. # ECCLESIA ANTANDRI.

ANTANDRUS, Αντανδρος, Mysiæ Asiaticæ civitas fuit, inter Assum & Adramytium posita Straboni, *sub monte cui nomen Alexandreæ, ubi dicunt Deas à Paride esse judicatas;* quia nempe mons iste Idæ montis clivus erat. Plinio: *Rursus in littore Antandros, Edonis prius vocata, deinde Cimmeris.* Hanc habent Notitiæ omnes sub Epheso metropoli, ac Sophiano eadem est quæ *Sandimitri*.

EPISCOPI ANTANDRI.

I. ARETIANUS.

STEPHANUS Ephesi act. 6. synodi Chalcedonensis pro *Aretiano civitatis Antandrorum episcopo* absente subscripsit, Αρετιανοῦ πόλεως Αντάνδρου.

II. ZOSIMUS.

Act. 5. synodi Constantinopolitanæ sub Menna anno 536. subscriptus legitur *Zosimus episcopus Antandri provinciæ Asiæ*, Ζώσιμος ἐπίσκοπος Αντάνδρου τῆς Ασιανῶν ἐπαρχίας: qui anno 553. sedit quoque in Quinta synodo generali.

III. MARINUS.

In Septima synodo sedit & subscripsit A *Marinus episcopus civitatis Antandri:* Μαρῖνος ἐπίσκοπος πόλεως Αντάνδρου.

IV. CONSTANTINUS.

In synodo quoque de Photii restitutione sedebat *Constantinus Atandrorum*, Κωνσταντίνου Ατάνδρων, Κωνσταντῖνος Ατάνδρων.

V. * * *

Anno Mundi 6664. Christi 1166. synodo Constantinopolitanæ Lucæ Chrysobergæ Patriarchæ, in qua Soterichi Panteugeni Antiocheni patriarchæ electi error B proscriptus fuit, aderat *episcopus Antandri*. Leone Allat. teste Vindic. syn. Ephes. p. 585. ubi illius nomen omissum.

XXVII. # ECCLESIA SIONIS.

SION, Σιών, Asiæ civitas sub Epheso in Notitia una Græca reperitur, nusquam vero apud antiquiores scriptores, nisi in conciliorum quorumdam actis. Nec dubium quin à monte Sion Hierosolymitano nuncupata fuerit.

EPISCOPI SIONIS.

I. NESTORIUS.

IN Ephesina synodo *Nestorius episcopus Sionis* sedit & subscripsit, Νεστόριος ἐπίσκοπος Σιὼν ὑπέγραψα.

Sionis episcopum fuisse *Basilium* illum, quæ civitatis Asæorum πόλεως Ασαίων dicitur, pro quo, ut pro episcopis provinciæ Asiæ absentibus Stephanus Ephesi act. 6. synodi Chalcedonensis subscripsit, inficias prorsus non iero.

II. JOANNES.

C Canonibus Trullanæ synodi, sive Quinisextæ, subscriptus legitur *Joannes episcopus civitatis Sion provinciæ Asiæ*, Ιωάννης ἐπίσκοπος πόλεως Σιὼν τῆς Ασιανῶν ἐπαρχίας.

III. PHILIPPUS.

In Septima synodo Theognius presbyter vices gessit *Philippi episcopi Sion*, ut legitur act. 4. Θεόγνιος πρεσβύτερος, ἐκ προσώπου Φιλίππου ἐπισκόπου Σιών.

XXVIII. ECCLESIA

XXVIII ECCLESIA DIOSHIERI, *sive* CHRISTOPOLIS.

IN Notitiis & synodorum actis oppidum provinciæ Asiæ est Διὸς ἱερὸν, *Dioshieron*, quod *Fanum Jovis* significat. Ad Caystrum fluvium ponitur à Ptolemæo in Lydia : à Philadelphia ortum versus, nec multum Epheso distabat, quando Plinius lib. 5. c. 29. *Dioshieritas* habet inter illos qui ad Ephesi conventum & jurisdictionem spectabant. Christianis vero temporibus, meliori nomine *Christopolis* dicta est.

EPISCOPI DIOSHIERI.

I. EUSTORGIUS.

ACT. 6. synodi Chalcedonensis Stephanus Ephesinus per Hesperium Pitanes pro *Eustorgio* episcopo *civitas Dioshieri*, ut pro reliquis de Asia absentibus subscripsit, Εὐστοργίου πόλεως Διὸς ἱεροῦ.

II. ZOETUS.

In Sexta synodo sedit & subscripsit *Zoëtus episcopus Christopolis*, *sive Dioshieri*, *Asianæ regionis*, Ζώητος ἐπίσκοπος Χειστουπόλεως, ἤτοι Διὸς ἱεροῦ, τῆς Ασιανῶν ἐπαρχίας, qui perinde subscriptus legitur canonibus Quinisextæ synodi.

III. * * *.

In synodo quæ Athanasio patriarcha Byzantino præside, Joannem Drimyn nuperum patriarcham Ecclesiæ & Imperatori perduellem pronuntiavit & proscripsit, sedebat *Archiepiscopus Christopolis*, τοῦ ἀρχιεπισκόπου Χειστουπόλεως. Ex cod. Reg. olim Archiepiscopi Remensis Tellerii inter ejusdem Athanasii epistolas.

XXIX. ECCLESIA ALGIZORUM.

ARGIZA, Αργιζα, civitas est Asiæ sub Epheso metropoli in Notitia Hieroclis: in altera librarii errore *Augaza* scribitur : in actis vero Chalcedonensis, Septimæque synodorum, Αλγίζα, *Algiza*, voce plurali neutra. Nulla ejus apud veteres mentio occurrit.

EPISCOPI ALGIZORUM.

I. PROCLUS.

SYnodo Chalcedonensi interfuit & subscripsit *Proclus episcopus Algizorum*, Πρόκλος ἐπίσκοπος πόλεως Αλγίζων.

II. LEONTIUS.

Septimæ *Leo*, alias *Leontius episcopus Algizorum*, Λεόντιος ἐπίσκοπος Αλγίζων. Scilicet versio Latina *Leonem* dicit.

XXX. ECCLESIA COLOPHONIS.

URBS IONIÆ fuit *Colophon*, ex qua nonnulli Homerum oriundum tradunt, inter Ephesum & Smyrnam sita, eamque Lydiæ censuit Herodotus, à quo *Colopon* dicitur, Κολόπων. Colophonem vero veterem evertit Lysimachus ut Ephesum amplificaret; dum nempe cum Antigono bellum gereret: haud procul autem nova surrexit de cujus situ hæc Mela scripsit lib. 1. cap. 17. *Colophon, quam Mopsus quidem Mantûs filius statuit ad promontorium quo sinus clauditur, quod altera parte, alium quem Smyrnæum vocant, efficit, angustissimisque cervicibus reliqua extendit.* Ex quo apparet, eam haud procul à mari exstitisse. Quocirca, Strabone teste, *Colophonii navales quondam copias sat amplas habuere, & equitibus tantùm excelluerunt, ut ubicumque difficulter bella componi poterant, illorum equitatus auxilio dirimebantur; qua ex re ductum proverbium est; Colophonem addidit, quum summa operi manus imponitur.* Eamdem itaque urbem in ora maritima jure posuit Ptolemæus, quam Halesum fluvium adfluere Plinius ait. In Notitiis inter urbes Asiæ censetur, quam Niger hodie *Belvedere* nuncupatam asserit.

ECCLESIA Colophonis.

EPISCOPI COLOPHONIS.

I. SOSTHENES.

SYNAXARIA, seu Menologia Græcorum *Sosthenem* illum, cujus nomen inscribitur initio primæ apostoli Pauli ad Corinthios, *Colophoniadis* episcopum fuisse produnt: utinam vero non auctore Pseudo-Dorotheo Tyrio.

II. TYCHICUS.

Græci perinde tradunt *Tychicum Asianum*, qui ejusdem sancti apostoli è Græcia per Asiam Hierosolyma pergentis cum aliis comes fuit, & cujus ipse Paulus identidem in epistolis meminit, ac præsertim in illa quam ad Titum scripsit cap. 7. v. 12. Colophonis post Sosthenem episcopatum gessisse; quem tamen nugator ille Dorotheus Sardicopolis A in Bithynia episcopum facit. In vita quoque S. Auxibii Solorum in Cypro episcopi Tychicus Neapolis in eadem insula pontifex ab apostolo Paulo post S. Barnabæ excessum creatus fertur.

III. EUTHALIUS.

Synodo Ephesinæ primæ adfuit & subscripsit *Euthalius episcopus Colophoniorum*, Εὐθάλιος ἐπίσκοπος τῶν Κολοφωνίων.

IV. ALEXANDER.

Stephanus Ephesi act. 6. synodi Chalcedonensis per Hesperium Pitanes pro episcopis provinciæ Asiæ qui absentes erant, subscripsit, in quibus *Alexander civitatis Colophonis*, Ἀλεξάνδρου πόλεως Κολοφῶνος.

XXXI.

ECCLESIA CALOES.

CALOE, Καλόη, post Colophonem sequitur in Notitia Hieroclis, hancque Notitiæ aliæ perinde sub Epheso statuunt, quam ad lacum Caloum in Sardiana Lydiæ planitie positam puto; ubi nempe, Strabone teste, Caloïnæ Dianæ templum exstabat, quod in religione maxima habebatur, ut delubri locus in urbem *Caloen* dictam creverit.

EPISCOPI CALOES.

I. APHOBIUS.

EPhesinæ synodo generali adfuit *Aphobius episcopus Caloës*, ut acta Latina omnia ferunt, non Κορώνης, *Coronæ*; uti Græca.

II. GREGORIUS.

Trullanæ synodi canonibus subscriptus legitur Γρηγόριος ἀνάξιος ἐπίσκοπος τῆς Καλαντῶν πόλεως, τῆς Ἀσιανῶν ἐπαρχίας, legendum Καλοηττῶν. *Gregorius indignus episcopus civitatis Caloëtarum, provinciæ Asianorum.*

III. THEOPHANES.

In Septima synodo, seu Nicæna II. sedit & subscripsit *Theophanes episcopus Caloës*, Θεοφάνης ἀνάξιος ἐπίσκοπος Καλόης.

XXXII.

ECCLESIA LEBEDI.

POST *Colophonem*, ait Strabo, *est Coracius mons, & insula Dianæ sacra, in quam cervas parituras tranare crediderunt. Postea est Lebedus* Λέβεδος, *quæ centum & viginti stadiis abest à Colophone. Hoc loco artificum Liberi patris conventus est, & Ionum habitatio usque ad Hellespontum.* Fuit proinde Lebedus urbs Ionica, quam Herodotus lib. 1. Lydiæ assignat. Plinius lib. 5. cap. 29. post Colophonem & Apollinis fanum Lebedum ponit. Scyllax ad mare sitam supponit, ut & Teum & Colophonem. Habent Notitiæ Græcæ, quæ hodie, Leunclavio teste, *Lebedizi* dicitur.

EPISCOPI LEBEDI.

I. CYRIACUS.

IN Latrocinio Ephesino impiis Dioscori decretis volens nolens subscripsit *Cyriacus episcopus Lebedi*, Κυριακὸς ἐπίσκοπος Λεβέδου.

II. JULIANUS.

Stephano Ephesino in ista synodo prædatoria comes aderat *Julianus* cum Crispino diacono, Notarii vices agens, quorum chartas notarii Dioscori vi illata deleverunt, digitis eorum vix non fractis. Subinde Lebedi episcopus factus est, ac pro illo Stephanus idem act. 6. concilii Chalcedonensis, uti pro aliis absentibus, subscripsit, Ἰουλιανοῦ πόλεως Λεβέδου. Vide p. 130. act. 6. concil. Chalced.

III. THEOPHANES.

Septimæ synodo generali adfuit & subscripsit *Theophanes episcopus Lebedi*, Θεοφάνης ἐπίσκοπος Λεβέδου, qui act. 7. *Thomas* nominatur.

XXXIII. # ECCLESIA TEI.

TEOS, Τέως, vel *Teus*, aut *Tius*, Anacreontis poëtæ patria, ab Athamante quondam condita, urbs Lydiæ veteris fuit, Scyllace teste, imo in peninsula. Lydiæ quoque eam assignat Herodotus, ab Ionibus fundatam. Pomponius Mela promontorium in quo structa erat, describens, *altera parte eo Smyrnæum sinum effici* ait: *inde latius abire in peninsulæ faciem super angustias, hinc Teum, hinc Clazomenen.* In Notitiis Teos Asiæ civitas censetur.

EPISCOPI TEI.

I. DAPHNUS.

QUo tempore Smyrnensi ecclesiæ S. Polycarpus præerat, Teensem gerebat *Daphnus*, ut in ejusdem beati martyris vita legitur n. 25. *Contigit ut in Teo veniret ad thermas Lebadiæ, ad Daphnum quemdam episcopum, qui post sumtum cibum narravit ei penuriam suam, quodque modicum sibi alimentum agrum colendo pararet; quumque ostenderet ei dolia sua pene vacua, extendens ad ea manus, ait: In nomine Jesu-Christi utere; & ab ea hora tanta fuit copia post semen terræ commissum, ut secum & familiam suam aleret, & aliis largiretur.* Additur, & aliud aucti iterum apud eumdem Daphnum vini prodigium. Atqui S. Ignatius epistol. ad Smyrnenses *Daphnum incomparabilem salutat*, nostrum utique Teensem, & Δάφνον τὸν ἀσύγκριτον.

II. MAXIMUS.

In indice Patrum concilii primi Nicæni *de provincia Asiæ*, legitur *Marinus Theopolis*. Codices quidam habent *Hellenopolis*, perperam. Legit interpres, Τέου πόλεως, *civitatis Tei.*

III. GENNADIUS.

Prædatoriæ synodo Ephesinæ interfuit *Gennadius episcopus Teïensis*, Γεννάδιος ἐπίσκοπος Τηΐων, qui in translatione Latina non sine errore dicitur *provinciæ Helladis*, quando inter episcopos Lebedi & Evazorum reperitur. Enimvero act. 6. concilii Chalcedonensis Stephanus Ephesi subscribendum curavit pro *Gennadio civitatis Teorum*, ut pro reliquis absentibus, Γενναδίου πόλεως Τέων.

IV. CYRILLUS.

V. SISINNIUS.

Torcelli prope Venetias colitur *S. Sisinnius Tii in Ionia episcopus*, Ferrario teste in SS. Italiæ ad diem 2. Febr. & 14. Julii, cujus & vitæ compendium in fine operis edidit. In ea Sisinnius Smyrnæ natus, Romano (Argyropulo scilicet) Byzantinis imperante, dicitur, & à Theodoro Ephesiorum archiepiscopo, Cyrillo Tii præsuli suffectus, exactis 24. episcopatûs annis, ad cælum migrasse. Cujus corpus Torcellum translatum, 16. kalend. Martii, in ecclesia sanctimonialium S. Joannis servatur. Atqui Theodorus Ephesi nullus mihi alias occurrit, præter illum qui Sextæ synodo generali interfuit.

XXXIV. # ECCLESIA ERYTHRARUM.

ERYTHRÆ, Ἐρύθραι, civitas vetus est, una è tredecim Ioniæ, in peninsula exsistens, *portum habens* ait Strabo, *& quatuor parvas insulas ante eum, quas* ἵπποις, *equos vocant.* Huic ex adverso Chius insula est; quum ad Mimanta montem, Ammiano Marcellino teste, supposita esset. Ibi antiquum Herculis fanum: Pausaniæ in Achaïcis, & hinc quoque oriunda Erythræa Sibylla, quæ sub Alexandro magno claruit. Erythrarum portus duos dicit Strabo, quorum alter *Casystes* vocabatur, alter *Erythræ*, eodem quo civitas nomine. Atqui Erythrarum in Notitiis est mentio inter provinciæ Asiæ urbes.

EPISCOPI ERYTHRARUM.

I. EUTYCHIUS.

IN Ephesino concilio sedit, & sententiam adversus Nestorium dixit *Eutychius episcopus Erythræorum*, Εὐτύχιος ἐπίσκοπος Ερυθραίων.

II. DRACONTIUS.

Stephanus Ephesi act. 6. synodi Chalcedonensis pro absentibus episcopis provinciæ Asiæ subscribi curavit, in quibus *Dracontius civitatis Erythræ*, Δρακόντιος πόλεως Ερύθρας.

III. THEOCTISTUS.

Synodo Quintæ generali, actione præsertim VIII. adfuit & subscripsit *Theoctistus episcopus Erythæon*, sive *Erythræorum.*

IV. EUSTATHIUS.

Septimæ synodo *Eustathius episcopus Erythrarum*, Εὐστάθιος ἐπίσκοπος Ερύθρων.

V. ARSAPHIUS.

Octavæ item synodo *Arsaphius episcopus Erythræ*, sub Methodio vel Ignatio Patriarchis ordinatus.

XXXV. # ECCLESIA CLAZOMENARUM.

ERYTHRAS sequuntur in Notitiis *Clazomenæ*, antiqua civitas Ionica, Lydiæ quondam censita, ad mare vero posita, cum portu, Scyllace teste. Condita primum fuerat eo in loco qui Chytrium dicebatur, mutata vero subinde sedes fuit è regione octo insularum, timore Persarum, ut fert Pausanias, atque in insulam incolæ migrarunt, quæ subinde, ducto ab Alexandro Magno aggere continenti juncto, peninsula facta est. Smyrna in metropolim evecta ab Alexio Comneno Imp. Clazomenarum ei sedes contributa est.

EPISCOPI CLAZOMENARUM.

I. EUSEBIUS.

CONcilio Ephesino priori, & rursum post viginti annos Chalcedonensi adfuit & subscripsit *Eusebius episcopus civitatis Clazomenarum*, Εὐσέβιος ἐπίσκοπος πόλεως Κλαζομένων.

II. MACARIUS.

In Octava quoque synodo adfuisse & subscripsisse legitur *Macarius episcopus Elizomenæ* : corrigendum prorsus *Clazomenæ*.

XXXVI. # ECCLESIA CYMÆ.

CYMÆ, vel potius *Cyme*, vel *Cyma*, Κύμη, prisca civitas fuit Æolidis, Herodoto teste l. 1. quam Pelops condidit, victor *reversus è Græcia*, inquit Mela; *Cymenque Œnomano victo nominavit, pulsis qui habitabant indigenis, à duce Amazone Cyme. Phryconis* quoque dicta est à Phrycone illius regionis tractu. Strabo *maximam & optimam fuisse*, ait, *Æolicarum urbium, ac cæterarum jure metropolim*; hancque adeo ad mare positam significat. Ejus meminerunt Ptolemæus & Notitiæ veteres.

EPISCOPI CYMÆ.

I. MAXIMUS.

ADfuit Ephesino Concilio, ejusque contra Nestorium decretis subscripsit *Maximus episcopus Cymæ*, Μάξιμος ἐπίσκοπος Κύμης.

II. CHRYSOGONUS.

In synodo Chalcedonensi act. VI. à Stephano Ephesi per Hesperium Pitanes subscriptum est pro *Chrysogono episcopo civitatis Cymæ*, Χρυσογόνου πόλεως Κύμης. Sic nempe legendum potius, quam Μύκης, docent Latini codices omnes, etiam in Baluziana Collectione. Quamquam non omittendum in Notitia Hieroclis scribi Μύκη pro Κύμη.

III. MATTHIAS.

Synodo Constantinopolitanæ, quæ Mena patriarcha præside, Anthimum & alios hæreticos proscripsit, adfuit, subscripsitque *Matthias episcopus Cymæ*, Ματθίας ἐπίσκοπος Κύμης.

IV. ANATOLIUS.

Synodo Quintæ generali perinde, *Anatolius episcopus Cymæ*.

V. STRATONICUS.

Rursum synodo Septimæ generali, *Stratonicus episcopus Cymes*. Στρατόνικος ἐπίσκοπος Κύμης.

XXXVII # ECCLESIA PALÆOPOLIS.

CIvitatem *Palæopolim* dictam, in provincia Asiæ collocant Notitiæ veteres episcopatuum, non Hieroclis; quam nusquam alias reperi, nisi in conciliorum gestis; in quibus identidem Παλαιὰ πόλις, *Palæopolis*, id est *Antiqua civitas*, distinctis vocibus scribitur.

EPISCOPI PALÆOPOLIS.

I. RHODON.

IN Ephesino concilio sedit & subscripsit *Rhodon episcopus Palæopolis Asiæ*. Ῥόδων ἐπίσκοπος Παλαιᾶς πόλεως τῆς Ἀσίας. Aderat Libanius Palæopolis alterius, Pamphyliæ scilicet secundæ.

II. BASILICUS.

In concilio Chalcedonensi *Basilicus episcopus Palæopolis* sedebat, Βασιλικὸς ἐπίσκοπος τῆς παλαιᾶς πόλεως, ac quidem provinciæ Asiæ, ut in indice Latino Maffæi fertur, *Basilicus Palæuspolitanus*.

ECCLESIA Palæopolis.

III. EUSEBIUS.

In concilio Constantinopolitano sub Menna, *Eusebius episcopus Palaaspoleos*, Εὐσέβιος ἐπίσκοπος τῆς Παλαιᾶς πόλεως.

IV. GEORGIUS.

Canonibus Quinisextæ synodi subscriptus legitur *Georgius episcopus Palæopolis, provinciæ Asiæ*, Γεώργιος ἐπίσκοπος τῆς Παλαιουπόλεως, τῆς Ἀσιανῶν ἐπαρχίας.

V. GREGORIUS.

In Septima synodo eadem cum Asiæ episcopis serie subscripsit *Gregorius episcopus Palæopoleos*. Γρηγόριος ὁ ἀνάξιος ἐπίσκοπος τῆς Παλαιᾶς πόλεως. Aderat quoque *Libanius* Palæorum.

VI. PETRUS.

Hujus utique Palæopolis Asiæ episcopus A fuit, *Petrus episcopus Palæorum* qui legitur in subscriptionibus Octavæ synodi generalis: quia nempe Asia Constantinopoli vicinior erat, quam Pamphylia. Sin vero alteri Palæopoli reddendus erit.

VII. JULIANUS.

Palææ quoque civitati, sive Palæopoli Asiæ assigno *Julianum Paliæ*, cujus mentio fit in actis synodi in qua de Photii in Byzantinam sedem restitutione actum est, Ἰουλιανοῦ Παλίας, Ἰουλιανὸς Παλίας, ut legendum omnino sit Παλαιᾶς.

XXXVIII. ECCLESIA BARETTORUM.

BARETTA, Βάρεττα, voce plurali neutrâ, inter provinciæ Asiæ civitates habent Notitia Hieroclis, & Græca vetus altera; quæ apud scriptores alios non occurrit, nisi in actis synodorum.

EPISCOPI BARETTORUM.

I. JOANNES.

ACT. 6. concilii Chalcedonensis Stephanus Ephesi subscribendum curavit, pro *Joanne civitatis Barettorum*, qui aberat, Ἰωάννου πόλεως Βαρέττων. In translatione Latina legitur *Bargazorum*: sed *Bargaza* Cariæ civitas erat, non Asiæ: quin & alii codices Latini habent, *Barettorum*, Luca Holstenio teste.

II. ZOTICUS.

Quinisextæ synodi canonibus subscripsit *Zoticus episcopus Baretorum provinciæ Asiæ*, B Ζωτικὸς ἀνάξιος ἐπίσκοπος Βαρέτων, τῆς Ἀσιανῶν ἐπαρχίας.

III. LYCASTUS.

In Septima synodo generali sedit & subscripsit *Lycastus episcopus Baretorum*, Λύκαστος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Βαρέτων.

IV. GEORGIUS.

In synodo quoque Constantinopolitana de restitutione Photii, *Georgius Baratæ*, Γεωργίου Βαρατᾶ.

XXXIX. ECCLESIA EVAZORUM.

EVAZA Asiæ minoris civitatem (voce plurali neutra, vel feminea) frustra quæro apud auctores qui Asiam descripserunt. Habet vero Hieroclis Notitia, ut & conciliorum gesta, ex quibus comperimus, eam fuisse nuncupatam *Theodosiopolim*; ac certe, ut conjicio, propter Theodosium juniorem Imperat.

EPISCOPI EVAZORUM.

I. EUTROPIUS.

IN synodo Ephesina sententiam in Nestorium ejusque assectatores dixit & subscripsit *Eutropius episcopus Evazorum*, Εὐτρόπιος ἐπίσκοπος Εὐάζων.

II. BASSIANUS.

Eutropio utique suffectus est *Bassianus*, qui act. 11. synodi Chalcedonensis se à Memnone Ephesino Evazorum episcopum, reluctantem licet, ordinatum dixit. *A juvenili ætate*, inquit, *cum pauperibus vixi, &* πτωχεῖον, C *pauperum domum feci, in qua septuaginta lectos posui, omnesque languentes & ulceratos suscipiebam. Memnon, qui Ephesi erat episcopus, invidens in istis, quoniam diligebar ab omnibus, nihil non egit ut expellerer de civitate* (Epheso) *& immisit manus suas ut ordinarer episcopus Evazorum*, ἐπέβαλε τὰς χεῖρας αὐτοῦ ἐπὶ τῷ χειροτονῆσαί με ἐπίσκοπον Εὐάζων. *Et hoc fecit; ego autem non acquiescebam; sed ab hora tertia usque ad sextam in altari me plagis affecit, & sanctum Evangelium & altare sanguine est impletum.* Se porro nequaquam Evaza perrexisse subdit, nec eam

ECCLESIA Evazorum.

civitatem vidisse: id quod rursum coram A Patribus declaravit. Ejus causam Basilius Memnonis successor in concilio tractavit, eique reddita communio est, necnon episcopatûs dignitas & locus.

III. * * *

Bassiano Evazorum ecclesiam posthabente, ejusque causa in concilio judicata & finita, alter tamdem à Basilio Memnonis successore subrogatus fuit, cujus nomen omisit Bassianus, ubi rerum circa se gestarum ordinem recitat; ut inde colligere liceat, diversum B illum fuisse ab Olympio, de quo mox dicetur. *Basilius autem agnoscens violentiam quam passus sum*, inquit, *& quoniam machinatio fuerat, alterum in illa civitate ordinavit episcopum*, ἐχειροτόνησεν ἐν τῇ πόλει ἐκείνῃ ἄλλον ἐπίσκοπον.

IV. Olympius.

Latrocinali concilio Ephesino *Olympius episcopus Evazorum* interfuit, & sententiam de Eutyche hæretico absolvendo dixit, quin etiam Dioscorum Alexandrinum appellare C non dubitavit *synodi præsulem, potioremque ac beatissimum patrem, atque universalem archiepiscopum*, καὶ οἰκουμενικὸν ἀρχιεπίσκοπον. Quam adulationem suam quadantenus post biennium retractavit in Chalcedonensi concilio. Atqui Evazorum ecclesiæ jam præerat, quando Basilio Ephesino defuncto, Bassianus in locum illius provectus fuit, uti Bassianus ipse palam dixit, inaugurationis suæ testem appellans Olympium, qui tunc in synodo sederet. Atqui Olympius hic mox Theodosiopolis episcopus nuncu- D patur, qui se à clericis Ephesi vi ad episcopatus dignitatem assumtum compulsumque asserit; ut ipse solus, nullo altero episcoporum manus imponente, Bassianum pro Stephano in Ephesina sede collocaret. *Olympius reverendissimus episcopus Theodosiopolis dixit: Post mortem Basilii in ea civitate* (Ephesi) *agebam, in qua episcopus sum Theodosiopolis ordinatus*, ἐν ᾗ κεχειροτόνημαι ἐπίσκοπος Θεοδοσιουπόλεως. *Mandaverunt mihi clerici ejusdem civitatis Ephesi dicentes: Veni huc ut canonicè ordinationem accipiat civitas, quoniam obdormivit sanctæ memoriæ Basilius qui fuit episcopus. Ego has literas accipiens, adveni credens alios reverendissimos episcopos vocatos esse. Ante tres dies quam Bassianus ingrederetur, dum diverterem in quodam hospitio, reverendissimos episcopos præstolabar, ut secundum morem ordinatio fieret. Quum ergo primam, secundam & tertiam sustinuissem diem in hospitio, & alter nullus Deo amicissimorum esset inventus episcopus, tamdem venientes quidam è reverendis clericis dicunt mihi: Alii episcopi non sunt hic, quid facto opus est? Dicebam ego: Solus quid possum facere? Quoniam extra rationem canonum est ab uno dumtaxat episcopo ecclesiam ordinari, & maximè tantæ metropolis.* Mox narrat, illatam sibi vim ut Stephanum ordinaret. Reclamavit vero Bassianus, mentitum asserens. Cæterum passim Olympius cùm Theodosiopolis, tum Evazorum episcopus scribitur, nec ulla pœna castigatus. In indice Latino Maffæi concilii hujusce Patrum, *De provincia Asiæ* legitur *Olympius Evazenensis* pro *Evazon*, Εὐάζων, *Evazorum.*

V. Gregorius.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus fertur *Gregorius episcopus civitatis Evazorum, provinciæ Asianæ.* Γρηγόριος ἀνάξιος ἐπίσκοπος τῆς πόλεως Εὐάζων, τῆς Ἀσιανῶν ἐπαρχίας.

VI. Nicodemus.

In Septima synodo sedit & subscripsit *Nicodemus episcopus Evazorum*, Νικόδημος ἐπίσκοπος Εὐάζων.

XL. ECCLESIA BALCEÆ.

TEUTHRAMIA mediterranea Asiæ regio, quam Mysi olim occupaverant, civitates multas habuit, quas Plinius lib. 5. cap. 30. numerat, *Pionias, Andera, Dalen, Stabulum, Conigium, Tegium, Baliciam, &c.* At vero nulla *Balceæ* in Notitiis mentio; quam tamen eamdem esse atque *Baliciam* illam Plinii penè dixero.

EPISCOPI BALCEÆ.

I. Chrysaphius.

IN actis Ephesinæ synodi primæ Latinis, ei adfuisse fertur *Chrysaphius episcopus Balceæ*, qui in subscriptionibus Latinis *Chrysaphius episcopus Balcenus* perinde legitur. In Græcis vero *Chrysaphius Dages* dicitur, Χρυσαφίου Δάγης. Maluero saltem Δάλης, quando Plinius in eadem illa regione *Dalen* habet, ut Balceæ simul & Dales episcopus Chrysaphius fuerit.

XLI. # ECCLESIA PHOCÆÆ.

PHOCÆA Pomponio Melæ ultima Ioniæ civitas eſt, & Plinio, ac certe veteribus laudatiſſima, ultra Smyrnam ſita; quam Iones habitavere, quamvis Lydiæ quoque cenſita ſit, ſecundum Herodotum; quin etiam Æolidis apud Ptolemæum. Cæterum hanc ab Athenienſibus conditam fert Strabo, in ſinu maris. Quocirca Phocenſes navigandi artis periti, longis navibus omnium primi utentes, Maſſiliam nobiliſſimam Galliæ urbem & emporium exſtruxerunt. In Notitiis Provinciæ Aſiæ urbs eſt Phocea, Φωκέα, ſeu Φωκαία potius.

EPISCOPI PHOCÆÆ.

I. MARCUS.

IN ſubſcriptionibus epiſtolæ ſynodi Sardicenſis ad Julium Papam, quæ Latinè dumtaxat ſuperſunt, legitur *Marcus de Fiſcia*, vel *Fiſcea*, quem autumant Phoceæ epiſcopum fuiſſe. A

II. THEOCTISTUS.

In concilio Epheſino adſuit & ſubſcripſit *Theoctiſtus epiſcopus civitatis Phocæorum*, Θεόκτιστος ἐπίσκοπος τῆς Φωκέων πόλεως.

III. QUINTUS.

Synodo item Chalcedonenſi *Quintus epiſcopus civitatis Phoceæ*. Κοΐντος ἐπίσκοπος πόλεως Φωκείας. Ubique ſcilicet ſcribitur Φωκείας, ut Latinè dicamus, *Phoceæ*, vel *Phoceia*. B

IV. JOANNES.

Quiniſextæ ſynodi canonibus ſubſcriptus legitur *Joannes epiſcopus Phocæorum, Aſianorum provinciæ*, Ἰωάννης ἀνάξιος ἐπίσκοπος πόλεως Φωκέων, τῆς Ἀσιανῶν ἐπαρχίας.

V. LEO.

In Septima ſynodo ſedit & ſubſcripſit *Leo epiſcopus Phoceæ*, Λέων ἀνάξιος ἐπίσκοπος Φωκείας.

VI. NICETAS.

In Octava ſynodo, *Nicetas miſericordia Dei epiſcopus Phociæ*.

VII. PAULUS.

Inter epiſcopos ſynodi Conſtantinopolitanæ, in qua actum eſt de Photii reſtitutione, penultimus legitur, *Paulus Phocæ*, Παῦλου Φώκης, Παῦλος Φώκης.

VIII. * * *

Ex Chalcondyla lib. 2. de reb. Turc. Phocææ epiſcopus Timurum, ſive Tamerlanem Tartarorum Dynaſtam invitavit, uti regionem ſuam, quæ venationibus commodiſſima eſſet, occuparet. τοῦ δὲ Φωκέων ἀρχιερέως ἐπαγομένου σφισὶν ἐπὶ χώραν κυνηγῆσαι τὴν κρατίστην.

XLII. # ECCLESIA MAGNESIÆ AD SIPYLUM.

PRÆTER Magneſiam ad Mæandrum fluvium, ejuſdem nominis altera in eadem Aſiæ provincia fuit ad Sipulum montem, Lydiæque veteris cenſita, quam hodie *Monteſcho* dictam ferunt: hinc Plinio cap. 29. *Magnetes à Sipulo*. Strabo Magneſiam à Sipylo ævo ſuo terræ motu corruiſſe narrat; quam interim Ægis & Temno procul non diſtare ait, liberamque judicatam eſſe à Romanis. In quibuſdam ſynodorum actis dicitur *Magneſia Anelii*, ex quibus emendanda venit Leonis Imp. Notitia, in qua Smyrnæ non ita pridem metropoli factæ civitates ſeptem aſſignantur, & Magneſia ſeorſim ab Anelio numeratur. β'. ὁ Μαγνησίας γ'. ὁ Ἀνηλίου. 2. *Magneſiæ*, 3. *Anelii*.

EPISCOPI MAGNESIÆ AD SIPYLUM.

HUjus forſan Magneſiæ ad Sipulum epiſcopus fuerit *Euſebius* ille, quem in Magneſia altera, conventus Philippopolitani epiſtolæ ad Africanos ſubſcripſiſſe dixi. C

I. EUSEBIUS.

Inter Epheſinæ ſynodi Patres ſedit & ſubſcripſit *Euſebius epiſcopus Magneſiæ Sipuli*, uti Latini codices diſerte ferunt.

II. ALEXANDER.

Act. 6. ſynodi Chalcedonenſis Stephanus Epheſi ſubſcribendum curavit pro *Alexandro civitatis Magneſiæ ad Sipylum*, uti diſerte quoque fertur in tranſlatione Latina; quum Græcus contextus tantummodo habeat, Ἀλεξάνδρου πόλεως Μαγνησίας; *Alexandri civitatis Magneſiæ*; ſed ſynodo quoque intererat *Leontius Magneſiæ* ad Mæandrum.

ECCLESIA Evazorum.

civitatem vidisse: id quod rursum coram A Patribus declaravit. Ejus causam Basilius Memnonis successor in concilio tractavit, eique reddita communio est, necnon episcopatûs dignitas & locus.

III. * * *

Bassiano Evazorum ecclesiam posthabente, ejusque causa in concilio judicata & finita, alter tamdem à Basilio Memnonis successore subrogatus fuit, cujus nomen omisit Bassianus, ubi rerum circa se gestarum ordinem recitat; ut inde colligere liceat, diversum B illum fuisse ab Olympio, de quo mox dicetur. *Basilius autem agnoscens violentiam quam passus sum*, inquit, *& quoniam machinatio fuerat, alterum in illa civitate ordinavit episcopum*, ἐχειροτόνησεν ἐν τῇ πόλει ἐκείνῃ ἄλλον ἐπίσκοπον.

IV. Olympius.

Latrocinali concilio Ephesino *Olympius episcopus Evazorum* interfuit, & sententiam de Eutyche hæretico absolvendo dixit, quin etiam Dioscorum Alexandrinum appellare C non dubitavit *synodi præsulem, potioremque ac beatissimum patrem, atque universalem archiepiscopum*, ὁ οἰκουμενικὸν ἀρχιεπίσκοπον. Quam adulationem suam quadantenus post biennium retractavit in Chalcedonensi concilio. Atqui Evazorum ecclesiæ jam præerat, quando Basilio Ephesino defuncto, Bassianus in locum illius provectus fuit, uti Bassianus ipse palam dixit, inaugurationis suæ testem appellans Olympium, qui tunc in synodo sederet. Atqui Olympius hic mox Theodosiopolis episcopus nuncu- D patur, qui se à clericis Ephesi vi ad episcopatus dignitatem assumtum compulsumque asserit; ut ipse solus, nullo altero episcoporum manus imponente, Bassianum pro Stephano in Ephesina sede collocaret. *Olympius reverendissimus episcopus Theodosiopolis dixit: Post mortem Basilii in ea civitate* (Ephesi) *agebam, in qua episcopus sum Theodosiopolis ordinatus*, ἐν ᾗ κεχειροτόνημαι ἐπίσκοπος Θεοδοσιουπόλεως. *Mandaverunt mihi clerici ejusdem civitatis Ephesi dicentes: Veni huc ut canonicè ordinationem accipiat civitas, quoniam obdormivit sanctæ memoriæ Basilius qui fuit episcopus. Ego has literas accipiens, adveni credens alios reverendissimos episcopos vocatos esse. Ante tres dies quam Bassianus ingrederetur, dum diverterem in quodam hospitio, reverendissimos episcopos præstolabar, ut secundum morem ordinatio fieret. Quum ergo primam, secundam & tertiam sustinuissem diem in hospitio, & alter nullus Deo amicissimorum esset inventus episcopus, tamdem venientes quidam è reverendis clericis dicunt mihi: Alii episcopi non sunt hîc, quid facto opus est! Dicebam ego: Solus quid possum facere! Quoniam extra rationem canonum est ab uno dumtaxat episcopo ecclesiam ordinari, & maximè tantæ metropolis.* Mox narrat, illatam sibi vim ut Stephanum ordinaret. Reclamavit vero Bassianus, mentitum asserens. Cæterum passim Olympius cùm Theodosiopolis, tum Evazorum episcopus scribitur, nec ulla pœna castigatus. In indice Latino Maffæi concilii hujusce Patrum, *De provincia Asiæ* legitur *Olympius Evazenensis* pro *Evazon*, Εὐάζων, *Evazorum.*

V. Gregorius.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus fertur *Gregorius episcopus civitatis Evazorum, provinciæ Asianæ.* Γρηγόριος ἀνάξιος ἐπίσκοπος τῆς πόλεως Εὐάζων, τῆς Ασιανῶν ἐπαρχίας.

VI. Nicodemus.

In Septima synodo sedit & subscripsit *Nicodemus episcopus Evazorum*, Νικόδημος ἐπίσκοπος Εὐάζων.

XL.

ECCLESIA BALCEÆ.

TEUTHRAMIA mediterranea Asiæ regio, quam Mysi olim occupaverant, civitates multas habuit, quas Plinius lib. 5. cap. 30. numerat, *Pionias, Andera, Dalen, Stabulum, Conigium, Tegium, Baliciam, &c.* At vero nulla *Balceæ* in Notitiis mentio; quam tamen eamdem esse atque *Baliciam* illam Plinii penè dixero.

EPISCOPI BALCEÆ.

I. Chrysaphius.

IN actis Ephesinæ synodi primæ Latinis, ei adfuisse fertur *Chrysaphius episcopus Balceæ*, qui in subscriptionibus Latinis *Chrysaphius episcopus Balcenus* perinde legitur. In Græcis vero *Chrysaphius Dages* dicitur, Χρυσαφίου Δάγης. Maluero saltem Δάλης, quando Plinius in eadem illa regione *Dalen* habet, ut Balceæ simul & Dales episcopus Chrysaphius fuerit.

XLI. ECCLESIA PHOCÆÆ.

PHOCÆA Pomponio Melæ ultima Ioniæ civitas est, & Plinio, ac certe veteribus laudatissima, ultra Smyrnam sita; quam Iones habitavere, quamvis Lydiæ quoque censita sit, secundum Herodotum; quin etiam Æolidis apud Ptolemæum. Cæterum hanc ab Atheniensibus conditam fert Strabo, in sinu maris. Quocirca Phocenses navigandi artis periti, longis navibus omnium primi utentes, Massiliam nobilissimam Galliæ urbem & emporium exstruxerunt. In Notitiis Provinciæ Asiæ urbs est Phocea, Φωκέα, seu Φωκαΐα potius.

EPISCOPI PHOCÆÆ.

I. MARCUS.

IN subscriptionibus epistolæ synodi Sardicensis ad Julium Papam, quæ Latinè dumtaxat supersunt, legitur *Marcus de Fiscia*, vel *Fiscea*, quem autumant Phoceæ episcopum fuisse. A

II. THEOCTISTUS.

In concilio Ephesino adfuit & subscripsit *Theoctistus episcopus civitatis Phocæorum*, Θεόκτιστος ἐπίσκοπος τῆς Φωκέων πόλεως.

III. QUINTUS.

Synodo item Chalcedonensi *Quintus episcopus civitatis Phoceæ*. Κοΐντος ἐπίσκοπος πόλεως Φωκέιας. Ubique scilicet scribitur Φωκέιας, ut Latinè dicamus, *Phoceæ*, vel *Phoceia*. B

IV. JOANNES.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus legitur *Joannes episcopus Phocæorum, Asianorum provinciæ*, Ιωάννης ἀνάξιος ἐπίσκοπος πόλεως Φωκέων, τῆς Ασιανῶν ἐπαρχίας.

V. LEO.

In Septima synodo sedit & subscripsit *Leo episcopus Phoceæ*, Λέων ἀνάξιος ἐπίσκοπος Φωκέιας.

VI. NICETAS.

In Octava synodo, *Nicetas misericordia Dei episcopus Phociæ*.

VII. PAULUS.

Inter episcopos synodi Constantinopolitanæ, in qua actum est de Photii restitutione, penultimus legitur, *Paulus Phocæ*, Παύλου Φώκης, Παῦλος Φώκης.

VIII. * * *

Ex Chalcondyla lib. 2. de reb. Turc. Phocææ episcopus Timurum, sive Tamerlanem Tartarorum Dynastam invitavit, uti regionem suam, quæ venationibus commodissima esset, occuparet. τοῦ δὲ Φωκέων ἀρχιερέως ἐπαγομένου σφισὶν ἐπὶ χώραν κυνηγῆσαι τὴν κρατίστην.

XLII. ECCLESIA MAGNESIÆ AD SIPYLUM.

PRÆTER Magnesiam ad Mæandrum fluvium, ejusdem nominis altera in eadem Asiæ provincia fuit ad Sipulum montem, Lydiæque veteris censita, quam hodie *Montescho* dictam ferunt: hinc Plinio cap. 29. *Magnetes à Sipulo*. Strabo Magnesiam à Sipylo ævo suo terræ motu corruisse narrat; quam interim Ægis & Temno procul non distare ait, liberamque judicatam esse à Romanis. In quibusdam synodorum actis dicitur *Magnesia Anelii*, ex quibus emendanda venit Leonis Imp. Notitia, in qua Smyrnæ non ita pridem metropoli factæ civitates septem assignantur, & Magnesia seorsim ab Anelio numeratur. β'. ὁ Μαγνησίας γ'. ὁ Ανηλίου. 2. *Magnesiæ*, 3. *Anelii*.

EPISCOPI MAGNESIÆ AD SIPYLUM.

HUjus forsan Magnesiæ ad Sipulum episcopus fuerit *Eusebius* ille, quem in Magnesia altera, conventus Philippopolitani epistolæ ad Africanos subscripsisse dixi. C

I. EUSEBIUS.

Inter Ephesinæ synodi Patres sedit & subscripsit *Eusebius episcopus Magnesiæ Sipuli*, uti Latini codices diserte ferunt.

II. ALEXANDER.

Act. 6. synodi Chalcedonensis Stephanus Ephesi subscribendum curavit pro *Alexandro civitatis Magnesiæ ad Sipylum*, uti diserte quoque fertur in translatione Latina; quum Græcus contextus tantummodo habeat, Αλεξάνδρου πόλεως Μαγνησίας; *Alexandri civitatis Magnesiæ*; sed synodo quoque interearat *Leontius Magnesiæ* ad Mæandrum.

ECCLESIA MAGNESIÆ ad Sipylum.

III. STEPHANUS.

Sextæ ſynodo generali adfuit & ſubſcripſit *Stephanus Magneſiæ Aneliorum, provinciæ Aſiæ*, Στέφανος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Μαγνησίας, τῆς τῶν Αἰμιλίων ἐπαρχίας. Emendandum τῶν Ανηλίων & τῆς Ασιανῶν ἐπαρχίας. Aderat etiam *Patricius Magneſiæ ad Mæandrum*.

IV. BASILIUS.

Septimæ item ſynodo *Baſilius epiſcopus Magneſiæ Sipyli*, Βασιλείου ἐπισκόπου Μαγνη-A σίας Ηπείλου. leg. Σιπύλου. Aderat pariter Baſilius alter Magneſiæ alterius.

V. ATHANASIUS.

Octavæ rurſum ſynodo *Athanaſius, epiſcopus Anhelii Magneſiæ* à ſancto Ignatio, vel à S. Methodio utique pridem ordinatus.

VI. LUCAS.

In ſynodo de Photii reſtitutione, *Lucas Anhelii Magneſiæ*, Λουκᾶ ἀνηλίου Μαγνησίας, Λουκᾶς ἀνηλίου Μαγνησίας.

XLIII.

ECCLESIA SMYRNÆ.

SMYRNA urbs Aſiæ vetus ad hanc uſque diem celeberrima, nobileque emporium, ab *Amazone condita* fertur apud Plinium, *ab Alexandro reſtituta, in ora Smyrne, amne Mileto gaudens non procul orto.* Potiſſimum illius oræ emporium erat ipſa Homeri ætate, quin ſi Smyrnæis fides eſt, ipſa Homeri patria, cui delubrum in urbe ſua dedicaverunt. *Quum duodecim Ionicæ civitates eſſent; Smyrna*, ait Strabo, *Epheſiis auctoribus, in Ionicam ſocietatem allecta eſt.* Æolicam vero dicit Herodotus, quemadmodum Epheſum. Quin, Strabone teſte, colonia Epheſiorum fuit. Cæterum Smyrnæ civitati ſua in alias juriſdictio erat. *Smyrnæum conventum*, ait Plinius, *magna Æoliæ pars frequentat, præterque Macedones, Hyrcani cognominati, & Magnetes à Siphylo.* Eccleſiam Smyrnæ Joannes Evangeliſta inſtituit, velut & reliquas Aſiæ, & in Apocalypſi Angelo eccleſiæ Smyrnæ ſcribere jubetur, diuque Epheſinæ ſedi obnoxia manſit. In Notitiis antiquioribus epiſcopatuum, Archiepiſcopi ſedes dicitur, nec inter metropoles cenſetur, quum tamen in ſubſcriptionibus canonum Trullanorum legatur, *Stephanus epiſcopus Smyrnæorum metropolis provinciæ Aſianorum*, τῆς Σμυρναίων μητροπόλεως· Ασιανῶν ἐπαρχίας. Verum pro μητροπόλεως; legendum prorſus πόλεως *civitatis*, quando inprimis additur, Ασιανῶν ἐπαρχίας, *provinciæ Aſianorum*, uti civitates aliæ ejuſdem provinciæ ſub Epheſo metropoli. In ea Notitia quæ Leonis Sapientis Imp. nomine inſcribitur, quæque lib. 11. Juris Græco-Rom. edita eſt, Smyrna metropolis eſt, cui epiſcopatus ſex attribuuntur, *Phocæa, Magneſia Anelii*, ſive ad Sipylum, *Clazomenarum, Archangeli & Petra.* At vero Archangeli & Petræ civitatum ſitum aſſequi hactenus non potui, quin nec ulli utriuſque præſules mihi occurrerunt.

EPISCOPI SMYRNÆ.

I. ARISTO I.

II. STRATÆAS.

III. ARISTO II.

IN Apoſtolicis Conſtitutionibus lib. 7. cap. 47. *Ariſto* primus Smyrnæ epiſcopus fuiſſe legitur, ſecundus *Strataas*, tertius *Ariſto* alter. *Joannes Epheſi, à me Joanne*, ait Joannes Apoſtolus, *Smyrnæ vero primus Ariſto, poſt quem Strateas Loïdis filius, tertius Ariſto*, Σμύρνης δὲ Αρίστων πρῶτος, μεθ' ὃν Στραταίας ὁ Λωΐδος, καὶ τρίτος Αρίστων. Qui locus majoris mihi auctoritatis eſſe debet, quam quod ſpurius ille Dorotheus ſcripſit, Smyrnæ epiſcopum primum fuiſſe *Apollo*, cujus in Actis Apoſtolorum & in epiſtola 1. ad Corinthios fit mentio.

STRATÆAS

De Stratæa hæc in actis S. Polycarpi, de quo mox, hæc habentur: *Diebus Azymorum è Galatia veniens, ingreſſus eſt Aſiam Paulus, aliquam Smyrnæ poſt plurimos labores apud* B *fideles arbitratus requiem ſibi in Chriſto fore, atque inde Hieroſolymam profectus eſt. Divertit igitur Smyrnæ apud Strateam, qui ejus in Pamphylia fuerat auditor, eratque Eunices, filius, filiæ Loïdis. Hæ ſunt illæ, quarum ſcribens ad Timotheum ita meminit: Fidei quæ eſt in te non ficta, quæ & habitavit in avia tua Loïde, & matre tua Eunice. Hujus igitur utens hoſpitio Paulus, ad ſe fideles convocavit, deque Paſcha & Pentecoſte diſſeruit, admonens eos de novi Teſtamenti ſacrificio in pane & vino, idque peragi diebus* C *Azymorum ſolenniter oportere, & retineri novum paſſionis & reſurrectionis myſterium, &c.* Quibus diſcimus quidem, Stratæam conſobrinum fuiſſe Timothei, Smyrnenſis vero eccleſiæ naſcentis præſulatum geſſiſſe, quum illi brevi tempore Ariſto primus præfuiſſet. Quæ

Pionius

Pionius vitæ Polycarpi martyris ſcriptor de feſto Paſchatis iſtic interſerit, juvat recitare: *Quibus verbis viſus eſt docere voluiſſe Apoſtolus, neque extra Azymorum tempus celebrandum eſſe Paſcha, ut quidam hæretici faciunt, præſertim Phryges, neque vero neceſſarium eſſe ut decima-quarta Luna peragatur, quum omnino decimam-quartam ne nominarit quidem, ſed ſolum Paſcha Azymorum diebus, confirmans evangelium Pentecoſtes.* Ubi Pionius docet nos, Aſiæ eccleſias ſua ætate à priſtino celebrandi Paſchatis more deſciviſſe, totius orbis conſuetudine ab eis ſuſcepta. De Ariſtone II. nihil mihi modò dicendum ſuppetit.

Aristo II.

IV. Bucolus.

Suidas in *Polycarpo* primum fuiſſe Smyrnæ epiſcopum *Bucolum* ſcribit, ut pote Polycarpi deceſſorem. *Polycarpus Joannis Evangeliſtæ auditor, ſucceſſor vero Bucoli primi Smyrnenſium eccleſiæ epiſcopi*, διάδοχος δὲ Βουκόλου τοῦ πρώτου ἐπισκοπήσαντος τῆς Σμυρναίων ἐκκλησίας. Plane in Polycarpi vita fertur, ſanctum hunc martyrem, Smyrnam, quum junioris eſſet ætatis, ex Oriente advectum à religioſa femina *Calliſta* nomine, ab eaque redemtum educatumque eſſe: hunc à Bucolo unice amatum, diaconumque creatum, docendi manus ſuſcepiſſe: quocirca Bucolum, quum eum preſbyterum ordinaſſet, poſt longum ab eo pietatis ſtadium emenſum, divinitus ſæpius admonitum, hunc ſucceſſorem ſuum fore. Bucoli veneranda memoria notatur in Synaxario Baſilii Imperat. die 16. Febr. ejuſque in laudem canonem Acroſticon S. Joſephus hymnographus condidit.

V. Polycarpus *Martyr.*

In vita ſancti Polycarpi narratur, Bucolum morti proximum, *Polycarpi* manum pectori primum ſuo, deinde vultui admoviſſe, hunc ſibi ſucceſſurum ut innueret. Tum in Bucoli exequiis Euchariſtiæ ſacrificium à Polycarpo peractum, qui paucis poſt diebus, plebe flagitante, à vicinis qui convenerant epiſcopis conſecratus eſt Smyrnenſis eccleſiæ præſul. Cæterum Irenæus lib. 3. cont. hær. c. 3. teſtatur, Polycarpum præceptorem ſuum, non ſolum ab Apoſtolis chriſtianam religionem edoctum, & cum multis qui Dominum viderant converſatum eſſe, ſed etiam *ab ipſiſmet Apoſtolis* (Joanne utique Evangeliſta, aliiſque Domini diſcipulis) *in Aſia, in ea quæ Smyrnæ eſt eccleſia conſtitutum epiſcopum: quem*, inquit, *& nos vidimus in noſtra prima ætate, &c.* Ex epiſtola quoque illius ad Florinum hæreticum, cujus excerptum Euſebius exſcripſit lib. 5. hiſt. cap. 20. conſtat, Polycarpum auditorem Evangeliſtæ fuiſſe: quidni

A etiam Philippi, ſeu Diaconi, ſeu Apoſtoli, qui in Phrygia Aſiæ vicina vixit? Aut ergo utriuſque manuum impoſitione promotus fuerat, aut ſaltem eorum nutu & auctoritate. Quamquam Hieronymus in Scriptoribus eccleſiaſticis diſerte ait: *Polycarpus Joannis auditor, ab eo Smyrnæ epiſcopus ordinatus, totius Aſiæ princeps fuit.* Iſtam Polycarpi à Joanne, aliiſve Apoſtolis ordinationem omiſſam miror à Pionio in ejus vita, quæ profecto eximiæ vetuſtatis characteres præfert; etſi à genuinis ejus martyrii actis identidem
B videtur diſcrepare. Quod Hieronymus ſubdit, Polycarpum *totius Aſiæ principem fuiſſe*, de ejus Fide, doctrinaque intelligendum eſt, non de ulla in Aſiæ eccleſias poteſtate eccleſiaſtica: id quod certe ſubſequentes hæ voces innuunt: *quippe qui nonnullos Apoſtolorum, & eorum qui viderant Dominum, magiſtros habuerit & viderit.* Romam venit ſub Aniceto Pontifice, Antonino Pio Imper. anno 158. propter eccleſiarum diſcrepantiam in Paſchate celebrando. Aniceti ſenſum vir ſanctus apud ſuos non putavit admittendum;
C cæterum multos in ea urbe Marcionis & Valentini erroribus deceptos reduxit ad Fidem. Illic Marcione ſibi obviam facto, & ab eo quærente, annon ipſum agnoſceret, *Novi*, reſpondit Polycarpus, *primo genitum Satanæ* Smyrnam reverſus, Marco Antonino Vero & Lucio Aurelio Commodo Impp. quarta poſt Neronem perſequutione, ætatis ſuæ anno 86. ſedente Proconſule in amphitheatro, igne conſumtus eſt. Quod dum animo recolo, vix mihi perſuadeo, Polycarpum, qui nonniſi anno 81.
D chriſtianæ Aëræ natus erat, in Smyrnæ epiſcopum ab Evangeliſta Joanne promotum fuiſſe annos vix natum viginti: quando omnium una ſententia eſt, Joannem anno circiter à Chriſti nativitate centeſimo, ſub initiis Imperii Trajani Auguſti vivere deſiiſſe. Exſtat apud Euſebium lib. 5. hiſt. c. 14. integra Smyrnenſis eccleſiæ de ejus martyrio epiſtola ad Philadelphienſem, & omnes ubique locorum ſanctæ & catholicæ Eccleſiæ parœcias; quin etiam illius ad Philippenſes epiſtola hodieque ſupereſt.

E

VI. Papyrius.

VII. Camerius.

S. Polycarpo ſuffectus *Papyrius* fuit Smyrnenſis eccleſiæ preſbyter: tum deinde Papyrio, *Camerius* quem Polycarpus diaconum ordinaverat. Ita teſtatur in beatiſſimi martyris vita Pionius. *Conſtituit vero Polycarpus*, inquit, *alios quidem diaconos, interque illos unum cui Camerio nomen, qui tertius ab eo,* (poſt Papyrium nempe) *illam rexit Eccleſiam.*

Camerius.

ECCLESIA SMYRNÆ.

Addit à Polycarpo commissam fuisse Camerio curam ecclesiarum quæ in pagis erant, seu chorepiscopum hunc esse constitutum, quum sancto martyri addictissimum se præberet. Pionius porro ille qui Polycarpi vitam adornavit, in fine significat, à Caio primum compositam illam fuisse ex S. Irenæi scriptis, tum deinde à Socrate quodam ex Caii illius codicibus. Pionium vitæ S. Polycarpi scriptorem, à Pionio Martyre, presbytero Smyrnense, qui Decio Imper. passus est, minime secernendum putavero.

VIII. Thraseas.

In epistola Polycratis episcopi Ephesini ad Victorem Papam de festo Paschali comperimus *Thraseam* Eumenia ex civitate Phrygiæ oriundum, Smyrnæ diem obiisse. Episcopus certè hic erat, qui Asiatico more Paschæ festum ævo suo celebrasse eà in epistola per-[illegible]

IX. Eudæmon.

[illegible] gestis S. Pionii martyris, qui, ut modo [illegible] Trajano Decio Imp. medio sæculo Ecclesiæ tertio passus est *Eudæmon* Smyrnensis episcopus, Christiana religione abnegata, inanibus Diis immolavit. Sic nempe n. 16. apud Surium ex Metaphraste fertur: *Æditimus Polemon & Theophilus Magister equitum cum satellitibus & turba multa supervenerunt, atque dixerunt: Ecce Eudæmon præsul vester immolavit: vos item obtemperate. Interrogabunt vos in templo Lepidus & Eudæmon, &c.*

X. Eutychius.

In indice Latino Patrum Nicænæ synodi *de provincia Asiæ* censetur *Eutychius Smyrnæ*. Quocirca in actis ejusdem synodi a Gelasio Cyziceno compositis, Theonas Cyzici inter subscriptiones sancitam à Patribus Fidei formulam ecclesiis Asiæ Hellesponti, Lydiæ & Cariæ misisse fertur, διὰ τῶν ὑπ' αὐτὸν ἐπισκόπων Εὐτυχίου Σμύρνης καὶ Μαρίνου Τρωάδος; *per episcopos sub ipso constitutos, Eutychium Smyrnæ & Marinum Troadis.* Nimirum Menophantus Ephesi, Arii hæresim mordicus tenens episcopali gradu à synodo dejectus erat, curaque proinde ecclesiarum Asiæ metropolitæ Cyzici mandata.

XI. Idduas.

In Ephesino concilio sedit & subscripsit, *Idduas episcopus Smyrnæ.* Ἰδδύας ἐπίσκοπος Σμύρνης.

XII. Ætherichus.

Synodis, seu conventibus, qui Flaviano Constantinopolitano & Thalassio Cæsariensi Eutychis hæretici causa habiti sunt, aderat *Ætherichus Smyrnensis,* an. 448. tum anno quoque insequente prædatoriæ synodo Ephesinæ, in qua impiis Dioscori nutibus morem gessit. Verum post biennium ad concilium Chalcedonense venit, ejusque definitionibus ultro subscripsit. Αἰθέριχος ἐπίσκοπος Σμύρνης ὁρίσας ὑπέγραψα διὰ Παύλου διακόνου. *Ætherichus episcopus Smyrnæ definiens subscripsi per Paulum diaconum.* Evagrius lib. 2. hist. eccl. c. 18. in synopsi concilii ejusdem Chalcedonensis, pro Æthericho *Proterium* scripsit. Planè Latinus actorum interpres act. XI. col. 688. edit. Labb. *Proterium* quoque habet, non *Ætherichum.* Attamen Leo Imper. accepta Proterii Alexandrini nece, quum ad metropolitas & præcipuos Orientis episcopos scriberet, ut suam de isto facinore, deque concilio ipso Chalcedonensi sententiam ederent, literas sacras suas misit, *Æthericho reverendissimo episcopo Smyrnæ;* quod certo indicio, est Ætherichum magni tunc nominis præsulem fuisse. Cæterum nulla ad eum responsoria epistola exstat Ætherichi Smyrnensis uti neque Joannis Ephesini.

XIII. Photius.

Inter episcopos qui sæculo sexto adulto Monophysiticam hæresim tuebantur, Dionysius Jacobitarum patriarcha *Photium* Smyrnæ claruisse tradit in chronico ad annum 546. Is nempe Smyrnensem sedem dudum ante illum annum sub Anastasio Imp. capessiverat, atque ex illis fuit quos Justinus Anastasii successor ejecit. Non enim Justiniano imperante Monophysita ullus Smyrnensibus datus fuisset episcopus. Vid. tom. 2. Bibl. Orient. Dissert. de Monophys.

XIV. Calloas.

Concilio quod Mennas Constantinopolitanus in causa Anthimi decessoris sui hæretici habuit, *Calloas episcopus Smyrnæ* adfuit, subscripsit, Καλλόας ἐπίσκοπος Σμύρνης, ac quidem seorsim à metropolitis.

XV. Stephanus.

In subscriptionibus canonum Quinisextæ synodi legitur, Στέφανος ἐπίσκοπος τῆς Σμυρναίων μητροπόλεως τῆς Ἀσιανῶν ἐπαρχίας. *Stephanus episcopus Smyrnæ metropolis provinciæ Asianorum.* Legendum prorsus πόλεως *civitatis*, non μητροπόλεως, *metropolis.* Nec certe inter metropolitas *Stephanus* subscribit; sed necdum tempore Septimæ synodi *Smyrna* metropolis censebatur.

XVI. * * *

In Septima synodo Smyrnensis sedis vices

supplevit presbyter quidam, nomine *Gregorius*, rursumque *Antonius* monachus act. 1. subscripsit, Γρηγόριος πρεσβύτερος, καὶ τόπον ἐπέχων τῆς ἐπισκοπῆς Σμύρνης, *Gregorius presbyter, & locum tenens episcopatus Smyrnæ.* Act. 4. & deinceps, Αντώνιος ἀνάξιος μοναχὸς, καὶ ἐκ προσώπου θρόνου Σμύρνης, *Antonius indignus monachus, & ex persona sedis Smyrnæ.* Sic & translatio Latina. Aut igitur Smyrnæ episcopus obierat, aut propter hæresim sacris imaginibus infensam amandatus erat.

XVII. * * *

Theodorus Studita Leonis Armeni Imp. jussu Smyrnam cum Nicolao discipulo suo translatus, *urbis illius antistiti, viro mali patrono, & impietatis præceptori, traditur,* παραδίδοται τῷ ταύτης προέδρῳ, ἀνδρὶ προστάτῃ τῦ κακοῦ, καὶ τῆς ἀσεβείας ἀφηγητῇ. Ibi Bardam Imperatoris propinquum ab hæresi revocavit, quem tamen pessimus ille Smyrnensium episcopus ad pristinum errorem suasionibus suis reduxit, quum ei valetudinis confirmandæ obtentu Eulogiæ nomine vasculum oleo plenum porrexisset, καὶ τῆ προτέρας γίνεται δόξης, κακῷ συμβούλῳ τῷ κατὰ Σμύρναν χρησάμενος ἐπισκόπῳ. Vita S. Theod. Stud. n. 97. & 101.

XVIII. Metrophanes.

Quo tempore Photius Ignatii Constantinopolitani thronum occupavit, sanctissimi patriarchæ causam strenuè egit *Metrophanes* metropolita Smyrnæ, qui proinde sede quoque sua ejici à Photio meruit. Quocirca Nicolaus Papa epist. ad Michaëlem Imp. Metrophanem inter primos habet qui ab Ignatii partibus stabant. Restitutus vero fuit ab Octavo generali concilio, à quo Photius proscriptus vicissim est. Ejus exstat epistola Emmanueli Patricio Tabellariorum præfecto, de Photio quem multiplici de causa communionis ecclesiasticæ exsortem & indignum ostendit. In illius inscriptione *metropolita* dicitur, Μητροφάνης μητροπολίτης Σμύρνης, ut non ita pridem Smyrna metropoliticis juribus aucta esset. Ex hac vero epistola discimus, Photium ab Imperatore Michaële designatum primitùs fuisse qui Ignatii collega foret, atque episcopalis muneris adjutor, mox vero ab eo ejectum esse Ignatium. Nescio cujus fraude *Metrophanis Smyrnensis* nomine, epistola Photii ad patriarchas Orientis inscripta fertur; quippe qua Romanæ ecclesiæ mores, doctrinaque de Spiritus sancti processione ex Filio acriter perstringuntur. Quidni Photii ipsius, ut nempe invidiam illi apud Romanos crearet? Quidquid id est: post Ignatii obitum Photius, in Byzantinam denuo sedem invadens, Metrophanem iterum Smyrna abegit, quem, coacta sui causa synodo, sub Joanne Papa VIII. inducere minime potuit, ut communionis suæ consors fieri vellet.

XIX. Nicetas.

Metrophane Smyrnensi sede extruso, subrogatus est à Photio *Nicetas*, qui synodo adfuit, in qua de ejusdem Photii restitutione tractatum est, & in qua pro Photio multa interloquutus fertur. Νικήτας ὁ θεοφιλέστατος μητροπολίτης Σμύρνης. *Nicetas Deo amabilissimus metropolita Smyrnæ.* In Simeonis Metaphrastæ epistolis duæ inscribuntur *Nicetæ metropolitæ Smyrnæ.* Νικήτᾳ μητροπολίτῃ Σμύρνης, in quibus eum sibi amicissimum dicit, mores probissimos, æquitatemque illius prædicat; modestiam item, mansuetudinem, sed & politiorem literaturam commendat: sacerdotum denique sapientissimum & summè philosophum pronuntiat, σοφώτατε τῷ ὄντι καὶ φιλοσοφώτατε ἱερέων. Scribebat Simeon Leone Sapiente Imp. post cujus obitum in vivis diu superstes fuit, ut proinde Nicetas multos annos in episcopatu egerit.

XX. Theodorus I.

Ad hæc circiter tempora assignandus venit sanctus ille *Theodorus* episcopus Smyrnensis cujus nomine nuncupata ecclesiola Pergami exstat, inque christianorum Græci ritus cessit. Ita Jacobus Spon de ecclesiis ad quas Joannes Evangelista Apocalypsim misit.

XXI. Joannes.

Michaël Cerularius synodum de more coëgit propter libellum quo Humbertus de Silva-candida, ejusque socii legati Romani Græcorum doctrinæ nonnulla capita damnaverunt, ibique aderat *Joannes Smyrnæ* metropolita, Ιωάννης Σμύρνης. Leo Allat. de lib. Eccl. Græc. pag. 161.

XXII. * * *

Luca Chrysoberge Constantinopolitano patriarcha 11. April. Indict. XIV. hoc est anno 1166. habita synodus est, in qua nuptiæ septimi gradus vetitæ fuerunt. Aderat metropolita *Smyrnæ*, τῦ Σμύρνης. Jur. Græco-Rom. lib. 3. pag. 217.

XXIII. Georgius.

Pag. 238. ejusdem Jur. Græco-Rom. synodus refertur Manuelis Charitopuli patriarchæ, in qua de variis quæstionibus pronuntiatum fuit. Aderat *Georgius Smyrnæ*, τῦ Σμύρνης Γεωργίου. Hic alteri quoque ejusdem Manuelis synodo interfuit, in qua de episcoporum translationibus tractatum est: ibid p. 240. Sedebat itaque circa annum 1220.

ECCLESIA SMYRNÆ.

XXIV. Calophorus.

Arsenio patriarcha à Michaële Palæologo amoto, ejusque in locum suffecto Nicephoro Ephesi, ejus promotionem multiplici de causa improbavit *Calophorus* Smyrnensis, aliasque adjecit quas omiserant illi qui Nicephoro repugnabant. ὁ γὰρ Καλοφόρος Σμύρνης, εἰ καὶ παρῃτεῖτο, ἀλλὰ καὶ ἑτέρας αἰτίας προὐβάλλετο, δοξάσας ἱκανὰς εἰς παραίτησιν. Eamobrem sua ipse sede expelli ab Imperatore meruit. Pachym. lib. 2. cap. 17.

XXV. Isaacus.

Calophoro ab Imperatore suffectus est, *Isaacus*, vir eximius Pachymeri, qui è monasterio Xeropotami in occiduis partibus, sive in Europa sito, Nicæam venerat. εἶχε δὲ καὶ εἰς ψῆφον Σμύρνης τὸν Ἰσαὰκ, ἄνδρα καὶ αὐτὸν γηραιὸν, ἐκ τῆς κατὰ τὴν δύσιν Ξηροποτάμου μονῆς ὁρμώμενον. Nicephorus vero patriarcha ipso tempore quo illum consecrabat, in morbum incidit, quo paulopost interiit. Pachym. Ibid. cap. 27.

Michaël Palæologus, recepta demum Constantinopoli, Orientalis ecclesiæ cum Romana unionem meditari cœpit, quam ut conficeret, coactis simul ditionis suæ metropolitis, apud illos egit, ut epistolam Gregorio Papæ X. scriberent, communionem poscentes Apostolicæ sedis. Horum unus fuit Smyrnensis, ut apparet ex ejusdem Gregorii responsoria, quæ inscribitur: *Venerabilibus fratribus, Ephesino, Heracleæ in Thracia . . . . Smyrnensi.*

XXVI. * * *

Georgius Pachymeres in *Andronico* Imp. lib. 3. cap. 3. narrat, Smyrnæ atque Pergami episcopos obstitisse Imperatoris Novellæ, qua episcoporum in ordinationibus donaria præstari prohibebantur: illorum vero nomina omisit, velut etiam lib. 4. c. 21. ubi rursum scribit, Andronicum de Joanne Ephesi archiepiscopo suæ sedi restituendo cogitasse, repugnasse vero Athanasium Patriarcham, Philadelphiensem & Smyrnensem. *Hic vero,* inquit, *sacerdotio suspensus erat ob impertitum* A *ecclesiastica benedictione Malacem quemdam, qui Smyrnam pro Philantropeno rebellante occupaverat, subindeque necatus erat.* ὁ γὰρ τρίτος, ὁ Σμύρνης, ἐγκλήματι καθοσιώσεως ὑπαχθεὶς, ὡς εὐλογήσας τὸν Μαλάκην. κ. τ. ε.

XXVII. Theodorus II.

Leo Allatius in Vindiciis synodi Ephesinæ meminit *Theodori* Smyrnensis, (episcopi, ut videtur) Curopalatæ, ejusque de Azymis, deque Spiritus sancti processione tractatus laciniam ceu nugatoris scriptoris recitat pag. 293.

B

XXVIII. * * *

Anno 1344. Turcis erepta Smyrna est à Latinorum principum copiis, parum vero abfuit quin ab illis denuo occuparetur anno 1351. Cujus periculi auctorem complures faciebant *Archiepiscopum Smyrnensem,* quem proinde Græci ritus alumnum fuisse affirmare licet. Quocirca Clemens Papa VI. Raymundo de Sacheti Morinorum antistiti, qui Apostolicæ sedis legatione his in partibus fungebatur, mandavit, ut de Archiepiscopi facinore inquireret. *Etsi ea,* inquit, *quæ clamor, qui de archiepiscopo ipso ad nos* C *usque pervenit, insinuavitque, te in vicino positum latere non possunt, vera compereris; tanto studeas super hoc celerius providere aliquem virum probum, fidelem & strenuum, prout necessitas exigit, capitaneum deputando ad ejusdem custodiam civitatis, quanto perniciosi viri, si, ut præmittitur, veritas sit comes relatibus, actus & opera graviora pericula Christi fidelibus illarum partium comminantur. Datum Aven. 16. Januar.*

XXIX. Gabriel.

Martinus Crusius p. 507. Turco-Græciæ episcopos recensens Græcos qui nomina sua D Gerlachio in Oriente agenti in chartis exararant, *Gabrielem Smyrnæ* memorat, ὁ Σμύρνης Γαβριὴλ, *anno 1575.* vel *1576.*

XXX. Ananias.

Anno 1721. sedebat *Ananias metropolita Smyrnæ,* ὁ Σμύρνης Ἀνανίας.



II. PROVINCIA HELLESPONTI.

I. ECCLESIA CYZICI, METROPOLIS.

CYZICUS, sive CYZICUM, Κύζικος, Κύζικον, Hellespointi metropolis est in Notitiis, eaque urbs notissima celebratissimaque. Hanc Lucius Florus lib. 3. cap. 5. historiæ commendat, ubi de bello Mithridatico. *Cyzicum nobilis civitas*, inquit, *arce, mœnibus, portu, turribusque marmoreis Asiaticæ plagæ oram illustrat.* Hanc sic describit Strabo lib. 12. *In Propontide est insula Cyzicus, duobus pontibus juncta continenti, feracissima, quingentorum ferè stadiorum ambitu. Ea juxta pontem ejusdem nominis urbem habet, portusque duos clausos, & navalia ducentis plura; urbis pars jacet in planitie, pars secus montem qui Ursorum appellatur. Civitas ipsa & magnitudine, & pulcritudine, & æquitate cum primis Asiæ urbibus contendit, pace & bello apta, ad Rhodiorum & Massiliensium, & antiquorum Carthaginensium formam est instructa.* Atqui Cyzicum insulam ponte cum continente ab Alexandro Magno junctam prodit Plinius. *Ultra insula*, inquit, *quam continenti junxit Alexander, in qua Milesiorum oppidum Cyzicum, antea vocitatum Actonesus* (legero *Arctonesus* propter *montem Ursorum.*) Ptolemæum & alios auctores non refero, qui Cyzici meminere. In Notitiis omnibus metropolis censetur, velut & ab antiquo fuit, atque hodie *Chyzico* dicitur.

Sub Justiniano II. Imp. expugnata à Saracenis Cypro, quum Joannes *Constantiæ* illius metropolis Archiepiscopus in Hellespontum multam Cypriorum turbam secum trahens migrasset, voluit Imperator, & Trullano canone 36. sancivit, ut Constantiæ, quam Justinianopolim de suo nomine appellari voluerat, archiepiscopo Cyzicenus cum aliis Hellesponti subderetur, veluti priùs Constantinopolitano. Quæ tamen sanctio paulò post exsolevit, præsertim quum insulæ Cypro suus redditus esset Archiepiscopus. Quocirca Zonaras ad canonem illum Trullanum scribit: *Hoc autem de Cyzico decretum, an unquam in usu fuerit, haud facile dixero. Nunc quod Cyziceni ordinationem attinet, nullius ille est auctoritatis. Postquam autem Cyprus è Gentilium manibus liberata fuit, quæ in Hellesponto metropoles erant, ad thronum Constantinopolitanum redierunt.*

Non hîc omittendum, in synodi Nicænæ actis, quæ à Gelasio Cyziceno composita sunt, Theonæ Cyzici injunctum esse ferri, ut Concilii decreta mitteret *ecclesiis Asiæ, Hellesponti, Lydiæ, Cariæ per episcopos sub se constitutos, Eutychium Smyrnæ, & Marinum Troadis.* Θεωνᾷ Κυζίκου τοῖς κατὰ τὴν Ἀσίαν καὶ Ἑλλήσποντον, Λυδίαν τε καὶ Καρίαν, διὰ τῶν ὑπ' αὐτὸν ἐπισκόπων, Εὐτυχίου Σμύρνης, καὶ Μαρίνου Τρῳάδος. Jam dixi, quum Menophantus, Ephesi præsertim, propter Arianam impietatem quam mordicus tenebat, Ecclesia à sancta synodo ejectus esset, ad Cyzicenum, tamquam πρωτόθρονον, seu primum Asianæ diœcesis post Ephesinum metropolitam, illarum provinciarum curam mandatam esse. Alioqui enim Smyrnæ episcopus nullo jure Cyziceno suberat. Post vero Cyziceni omnium primi ab Ephesinæ sedis ordinatione desciverunt, seque Byzantinæ ultro dediderunt. Sequiori ævo metropolita Cyzici Ὑπερτίμου, *Hypertini*, q. d. *excellentissimi*, necnon *Hellesponti Exarchi* titulo donatus est, *quartamque sedem in synodis* habuit. Quod quidem videre liceat in Michaëlis Palæologi ad Gregorium Papam X. epistola, quam unionis cum Romana Ecclesia ineundæ gratia scripsit.

EPISCOPI CYZICI.

I. APHRODISIUS.

PRimasius, sive libri qui *Prædestinatus* inscribitur, ubi *de Hæresibus* agit, cap. 49. de *Hierace*, vel *Hieraca* scribens, *Contra hanc*, inquit, *suscepit Aphrodisius Hellesponti episcopus, asserens resurrectionem carnis ex Novo & Veteri Testamento.* Innuit profecto

ECCLESIA CYZICI.

Aphrodisium Cyzici quæ Hellesponti metropolis erat, episcopum fuisse, velut alibi Basilium magnum *Cappadociæ episcopum* dicit, quia Cæsareæ Cappadociæ metropolis episcopatum gerebat. Quem loquendi morem in aliis scriptoribus frequentem esse nemini non observare liceat.

II. THEODOSIUS.

III. NICON.

NICON.

Sæculo III. sedebat *Theodosius* Cyzici episcopus, à quo *S. Nicon*, qui Neapoli Campaniæ patria sua in Rhodopen concesserat, baptizatus subinde fuit, necnon diaconus, presbyter, demumque episcopus ordinatus; quum Angelus Theodosio significasset, oportere ut ecclesiam suam Niconi quem sacris undis tinxerat, regendam traderet, Intra paucos subinde dies Theodosius in illa Rhodopes regione diem clausit. Nicon vero, illius peractis exequiis, Mitylenem insulam petiit, dehinc Naxiam, demumque Neapolim, parentes invisurus. Post in Siciliam cum nonaginta monachis, quos Cyzico adductos Theodosius ei commendaverat, ibidem prope Tauromeniæ montem quem *Asinam* vocitabant, ipse suique socii Decio Imp. martyres occubuerunt. S. Niconis acta apud Bollandi continuatores exstant ad 23. Martii quæ tamen fabellis inspersa esse nemo prudens negaverit.

IV. THEONAS.

In Nicænorum Patrum indice Latino *De provincia Asiæ* primus censetur *Theon*, sive *Theonas Cyzici*, de quo mox dicebam ex ejusdem Nicænæ synodi actis quæ Gelasius Cyzicenus composuit.

V. ASCHOLIUS.

In vita S. Parthenii Lampsaci in Hellesponto episcopi, qui Constantini Magni temporibus claruit, legimus *sanctissimum Cyzicenorum metropolis episcopum nomine Ascholium, quum venerandum hunc & sanctum Parthenium accersivisset, eum episcopatus dignitate ornasse, & Lampsacenæ civitati concessisse.* Vita Parthenii habetur inter Acta SS. die 7. Febr.

VI. MACEDONIUS.

Admodum verisimile est Cyzici episcopum fuisse *Macedonium* illum, qui in subscriptionibus epistolæ conventus Arianorum Philippopolitani legitur *Macedonius episcopus de Turito*, pro *de Cyzico*.

VII. GERMINIUS.

Cyzici circa hæc eadem tempora episcopus *Germinius* fuit, qui, quum Arianæ factionis A esset, Cyzico Sirmium à Constantio translatus fuit in Photini locum, quem tamquam hæreticum deposuerant. Quod S. Athanasius testatur paulo ante finem epistolæ suæ ad Solitarios, *uti Gregorium è Cappadocia Alexandriam, Cecropium Laodicea Nicomediam, ita Germinium Cyzico Sirmium ab Imperatore transmissum*, καὶ εἰς μὲν τὸ Σίρμιον ἀπὸ Κυζίκου μετεπέμψατο Γερμίνιον. Nimirum Sirmium Illyrici caput erat, adeoque ille *Germinius est de Pannonia*, à quo Athanasius Sirmiensem fidei formulam fuisse conditam narrat; B illam nempe quæ à Fl. Hypatii & Fl. Eusebii consulatûs nota incipiebat. Vide Athanasium lib. de synod. Hic vero à pura puta professione Ariana discrepabat, quemadmodum ex ipsius epistola colligitur, quæ inter Hilarii fragmenta prodiit.

VIII. ELEUSIUS.

Germino Cyzici suffectus à Macedonio Constantinopolitano fuit *Eleusius*, qui, ut apparet ex S. Hilarii libro de synodis, episcopatu jam fungebatur anno 356. Hic vero ad C Arianorum, quibuscum communione junctus erat, impietatem non admodum accedebat. Quo fit, ut inter præcipuos illorum qui *Semiarriani* audierunt, censeatur ab eodem Hilario in illo de synodis libro n. 63. Nam *absque episcopo Eleusio,* inquit, *& paucis cum eo ex majori parte, Asianæ decem provinciæ, inter quas consisto, vere Deum nesciunt.* Quocirca eidem Eleusio, ut & Basilio Ancyræ, aliisque ejusdem sententiæ librum hunc suum *De synodis* nuncupavit. Verum Sozomenus lib. 4. c. 20. tradit, *Marathonium & Eleusium, qui* D *in palatio prius militaverat, quam ad Cyzici episcopatum promoveretur, etsi boni habebantur, acerrimos tamen revera fuisse in venandis illis qui Filium Patri consubstantialem profiterentur.* Anno 358. ab Ancyrana synodo ad Constantium Imp. cum Basilio & Eustathio Sebastes in Armenia delegatus est, qui certiorem illum facerent Eudoxium Antiochenum impiis Aëtii placitis favere; utque eum Antiochia pelli suaderent: quorum votis Augustus annuit. Sed & quum Sirmium venissent, auctores ei quoque fuerant, ut Liberius E Papa ad Verbi consubstantialitatem abnegandam cogeretur. Anno 359. Eleusius synodo adfuit Seleuciensi, in qua seorsim ab Acacio Cæsareæ, Georgio Alexandrino & reliquis Arianæ factionis Semiariani aliique omnes conventus egerunt. Quod in causa fuit cur Eleusius ipse anno insequenti episcopatu amotus ab illis fuerit in Constantinopolitana synodo altera, hoc præsertim colore quod Heraclium Tyrium, qui Herculis olim sacerdos fuerat, seseque Cyzicum ob maleficia quorum



reus agebatur, receperat, christiana religione simulata, baptizatum, in diaconum provexisset, quodque aliquos à Mari Chalcedonensi damnatos ordinasset. Quæ recitant Socrates lib. 2. cap. 42. & Sozomenus lib. 4. cap. 21.

IX. Eunomius.

Ariani redacto ad ordinem Eleusio, continuò in illa sua synodo Constantinopolitana *Eunomium* Cappadocem ex obscurissimo Corniaspinæ regionis loco, cui *Oltisero* nomen, oriundum, cujus avus Priscus a mola & corio, servilique opificio notus fuerat, ei sufficiunt, ut docet nos Gregorius Nyssenus orat. 1. contra ipsum: hominem, inquam, Aëtianæ impietatis vindicem, quem Eudoxius ille Antiochenus diaconum fecerat, Constantiusque biennio antea in Phrygiam relegaverat. Hunc Eudoxius, ubi subinde urbis Regiæ sedem conscendit, consultò monendum curavit ne erroris sui virus Cyzicenis proderet. Quum vero ille minime se privatis in colloquiis contineret, Eudoxius volens nolens sacerdotio tamdem eum amovit, quem Constantius iterum in Pamphyliam exsulem abegit. De illo legendus Epiphanius Hœr. 75. Theodoretus quoque lib. 6. hist. eccl. c. 25. & De hæres. lib. 4. cap. 25. Itemque Philostorgius lib. 6. cap. 1. & seqq. lib. 9. cap. 13. testatur, Eunomio pulso, nullum ei suffectum fuisse episcopum, cunctis Eleusii restitutionem exoptantibus.

X. Eleusius *secundò.*

Vacavit igitur aliquanto tempore, Eunomio extruso, Cyzicena sedes, οὐδεὶς τέως ἀποκατεστάθη ἐπίσκοπος, ait Philostorgius. Demophilus vero, qui Constantinopolitanam ecclesiam Valente Imp. tenebat, illuc cum Dorotheo suæ factionis Antiocheno, aliisque profectus, ut alterum constitueret, nihil conficere valuit, eo quod ab Eleusio docti, κατ' οὐσίαν ὅμοιον, *simile secundum substantiam,* irrevocabiliter profiterentur. Quinimo Demophilus Cyzicenis cum suis sociis concessit, ut Eunomium & Aëtium anathemate feriret; sed & episcopus quem admiserant, Eleusius putà, ὁμοούσιον *Consubstantiale* palam prædicabat. ὁ δὲ χειροτονηθεὶς λαμπρῶς ἐκήρυττε τὸ ὁμοούσιον. Hæc quidem Philostorgius Eunomianus: Sozomenus vero & Socrates narrant, post Lampsacenam synodum à Valente Imperatore coactam fuisse alteram Nicomediæ, in qua Eleusius pristinam sententiam suam strenuè primum defendit, exsilii vero fortunarumque amissionis metu Arianorum fidem admisisse; quamobrem Cyzicum redire permissus est: Verum palam in ecclesia culpam suam confessus, jussit, ut alius pro se episcopus crearetur. Cyziceni vero, quo eum amore propter optimos mores complectebantur, monita ejus nihil curarunt. Tunc porro Eunomium illis à Demophilo designatum fuisse episcopum ferunt, χειροτονεῖ, quem cives Eleusio addictissimi non susceperunt, sed & procul amandarunt. Hæc quidem ambo illi rerum ecclesiæ scriptores: Theodoretus vero lib. 2. cap. hist. 29. veriùs id factum sub Constantio tradit, concinente illi in omnibus Philostorgio Eunomii admiratore. Cyzicenam itaque sedem à Demophilo & Dorotheo recepit Eleusius, quam ad annum usque 381. tenuit; quo nempe Theodosius Imperii compos factus, generale concilium Constantinopoli coëgit; instaurandæ per Orientem rectæ Fidei causa. Huc Eleusius à parte Macedonianorum accessit, inquiunt Socrates & Sozomenus, necnon vitæ S. Isaacii monachi scriptor, quæ exstat inter Acta SS. ad diem 31. Martii. Addit post Socratem Sozomenus, catholicos præsules qui convenerant, Eleusium, ejusque socios compellasse, ut Fidem *Consubstantialis* confirmarent, quam non ita pridem per suos ad Liberium Papam à Lampsacena synodo missos legatos Romæ professi erant; id quod tamen illi facere detrectarunt. Ad hæc, an. 383. Eleusius in altero colloquio, quod inter orthodoxos & variarum sectarum patronos Constantinopoli habitum est, etsi priscorum Patrum apertis testimoniis confutatus cum suis fuerat, ab errore non descivit. Quocirca Socrates addit, hæreticos illos trium sectarum Airanorum, Eunomianorum & Macedonianorum, ob mutuam dissensionem suam in plebium contemtum venisse. Atqui ex his apparet Eleusium, non solum Consubstantialitati Dei Verbi repugnasse, sed etiam Spiritus sancti deïtatem cum Macedonio inficiatum esse. Cæterum Eleusium ad obitum usque suum Cyzici episcopatum gessisse mihi videtur: quo autem anno interierit, obscurum est.

XI. Proclus.

XII. Dalmatius.

Neque compertum nobis est quis Eleusio suffectus episcopus fuerit. At inter Cyzici præsules numerandus omnino venit sanctissimus *Proclus* quem Sisinnius Constantinopolitanus rescripti cujusdam Theodosii Junioris Augusti Attico decessori ejus dati auctoritate fretus, urbis illius episcopum civibus insciis ordinarat. Verum Cyziceni adventum ejus prævertentes, *Dalmatium* monachum episcopum suum consecrari curarunt. Quo factum est, ut Proclus in urbe Regia constiterit, ubi paulo post, Sisinnio episcopo defuncto, successor datus fuit.

ECCLESIA Helleſponti.

DALMATIUS.

Dalmatius verò ad Epheſinum concilium venit, quumque Joannes Antiochenus cum Orientalibus ſuis ad conſtitutum diem non acceſſiſſet; unus ipſe ex illis fuit qui Conteſtatione repugnarunt, ne Cyrillus Alexandrinus concilii celebrationem ante illius adventum inchoaret. Subſcripſit perinde alteri Conteſtationi Orientalium, qui clauſam ſibi Apoſtoli Joannis eccleſiam querebantur, quum interim concilium in majore eccleſia haberetur. Quas quidem ſubſcriptiones legere licet in Collectione ſæpe jam à me laudata ex ſynodico ſeu Tragœdia Irenæi Tyrii cap. 7. & 8. His enim Conteſtationibus ſubſcriptus legitur *Dalmatius epiſcopus Cyzici, Dalmatius epiſcopus Cyzici metropolitanus.* At vero in ipſiſmet Græcis & Latinis ſynodi actis, etiam apud Marium Mercatorem, diſerte fertur *Dalmatium Cyzici epiſcopum* actioni primæ ejuſdem concilii cum Cyrillo Alexandrino & Memnone Epheſino interfuiſſe, ϗ Δαλματίῳ Κυζίκου, *& Dalmatio Cyzici*, quin etiam in ſubſcriptionibus legitur, Δαλμάτιος ἐπίσκοπος τῆς κατὰ Κύζικον ἁγίας τῆ Θεοῦ ἐκκλησίας. *Dalmatius epiſcopus ſanctæ Dei eccleſiæ Cyzici.* Gelaſius Cyzicenus initio commentarii ſui actorum concilii Nicæni, ſe illud opus exſcripſiſſe teſtatur ex vetuſtis membranis *divini laudatiſſimique Dalmatii*, τῆ θείου ϗ ἀοιδίμου Δαλματίου τῆ ἁγίας ϗ καθολικῆς κατὰ Κύζικον ἐκκλησίας ἀρχιεπισκόπου, *ſanctæ & catholicæ Cyzici eccleſiæ archiepiſcopi.*

XIII. DIOGENES.

Prædatoriæ ſynodo Epheſinæ adfuit *Diogenes epiſcopus Cyzici*, cujus profanis decretis ſuffragatus eſt: ſed male factum poſt biennium emendavit in concilio Chalcedonenſi, veniam palam à Patribus poſtulans, omnibuſque, tam quæ Fidei cauſa, quam quæ adverſus Dioſcorum definita ſunt, ex animo ſubſcribens. Διογένης ἐπίσκοπος Κυζίκου. Act. 11. ſententiam dixit de ordinando in urbe Regia epiſcopo Epheſino, Baſſiano & Stephano poſthabitis, qui de illa ſede litigaverant. Sed & actione poſtrema ejuſdem concilii obreptitio canoni XXVIII. quo Ponti & Aſiæ diœceſes Conſtantinopolitani præſulis ordinationi ſubdebantur, ultro aſſenſus eſt. *Diogenes reverendiſſimus epiſcopus Cyzici dixit: Ex animi ſententia ſubſcripſi, uti coram Deo*, ὑπὸ γνώμης ὑπέγραψα, ὡς ἐνώπιον τῆ Θεοῦ. Plane nupera actione altera eidem jam canoni ſubſcripſerat, non ſuo dumtaxat nomine, ſed epiſcoporum etiam Helleſponti qui aberant.

XIV. EVETHIUS.

Leo I. Imperator, accepto de S. Proterii epiſcopi Alexandrini nece nuntio, ad Orien-

A tis, ut ſæpe dictum eſt, metropolitas ſingulos literas ſacras miſit, mandans, ut coactis provinciarum ſuarum ſynodis, ſuam de hoc facinore, deque concilii Chalcedonenſis Fide ſententiam edicerent; inter quos *Evethius Cyzici* memoratur. *Evethio reverendiſſimo epiſcopo Cyzici.* Sed & ejuſdem Evethii exſtat ad eumdem Imperatorem ſynodica, in cujus ſubſcriptionibus perperam legitur *Evoptius epiſcopus metropolis Cyzici.* Sed ex Baluzii codicibus emendandum prorſus eſt *Evethius*: qui proinde anno 458. quo literæ illæ ſcriptæ
B ſunt, Cyzicenæ eccleſiæ præerat.

XV. BASILISCUS.

Armatus militiæ Magiſter à Zenone Imp. filium ſuum *Baſiliſcum* adoleſcentulum creari Cæſarem impetravit; quumvero rebellis factus, Zenonis juſſu necatus eſſet, Baſiliſcus ex Cæſare lector ordinatus, Cyzici ſubinde epiſcopus conſtitutus eſt, quod pontificale munus optime geſſit, ὃς μετὰ ταῦτα Κυζίκου ἐπεσκόπησεν ἄριστα. Hæc de illo Theophanes ad annum 3. Zenonis, quin & chronicon item Paſchale.
C Ac diu quidem Cyzicenis Baſiliſcus præfuit: nam Relationi ſynodi Conſtantinopolitanæ ad Joannem Patriarcham de damnando Severo Antiocheno hæretico, anno 518. ſubſcriptus legitur, Βασιλίσκος ἐπίσκοπος Κυζίκου *Baſiliſcus epiſcopus Cyzici*, itemque poſt biennium Relationi alterius ſynodi ad Hormiſdam Papam de ordinatione Epiphanii Conſtantinopolitani, *Baſiliſcus miſericordia Dei epiſcopus Quizicinenſium metropolitanus*, emendandum *Quizicenſium*, vel *Cyzicenſium.*

XVI. EUSEBIUS.

D Juſtiniano Imp. *Euſebius* Cyzici epiſcopus fuit, Baſiliſci, ut videtur, proximus ſucceſſor, vir, ait Procopius lib. 1. de Bello Perſ. cap. 25. χαλεπὸς ἅπασι τοῖς ἐντυγχάνουσιν, *omnibus qui ad ipſum accederent, gravis & moroſus.* Hic adfuit ſynodo Conſtantinopolitanæ ſub Menna, ejuſque actionibus ſubſcripſit, Εὐσέβιος ἐπίσκοπος Κυζίκου. Tamdem vero ob aſperos & importuniſſimos mores à civibus ſuis necatus eſt. Quod facinus Joannes Malalas in chronico parte 2. p. 223. inprimis patratum narrat à Joanne Cappa-
E doce, qui præfectura quam ſecunda vice obibat, exauctoratus, Cyzici exſulabat; ſed ipſe admiſſi ſceleris morte quoque ſua perſolvit pœnas.

XVII. EUPREPIUS.

Euſebio itaque ſuffectus eſt *Euprepius*, cujus vices geſſit Joannes Ilii epiſcopus in Quinta ſynodo generali, *Joanne religioſiſſimo epiſcopo Ilienſi vicem agente Euprepii religioſiſſimi*

religiosissimi episcopi Cyzicenæ civitatis; Id quod in subscriptionibus perinde fertur.

XVIII. Stephanus.

Sedebat *Stephanus* Cyzici episcopus quo anno Heraclius Imperator renuntiatus est, ipseque apud Theophanem fertur, coronam ex sanctæ Dei genitricis ecclesia, quæ *Artaxa* dicebatur, ablatam, novo Augusto attulisse. Στέφανος δὲ ὁ τῆς Κυζίκου μητροπολίτης λαβὼν στέμμα ἐκ τῆς ἐκκλησίας τῆς Θεοτόκου Αρτάξης, ἀπήγαγεν αὐτῷ τῷ Ηρακλείῳ.

XIX. Joannes.

B

S. Maximus monachus & confessor epistolam scripsit Πρὸς τὸν ἁγιώτατον καὶ μακαριώτατον Ιωάννην ἀρχιεπίσκοπον, *Ad sanctissimum & beatissimum archiepiscopum Joannem, quod anima corporea non sit.* Exstat to. 2. operum illius pag. 238. in cujus ora doctissimus Combefisius monuit, *Joannem Cyzicenum* significari, cujus nomine inscriptæ habentur *Quæstiones in Gregorium*, Nazianzenum scilicet, necnon in Dionysium Areopagitam. Ejus eximiam modestiam Maximus laudat, qua, nec sublimitate superbiret, nec humilitate in despectum veniret, eumque præclara *servi Dei* nuncupatione compellat.

C

XX. Georgius.

Sextæ synodo generali interfuit & subscripsit *Georgius episcopus Cyzici, metropolis provinciæ Hellesponti*, Γεώργιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Κυζικηνῶν μητροπόλεως τῆς Ελλεσποντίων ἐπαρχίας. Hic utique Cyzici episcopus ille fuit, qui sese Gregorio Agrigenti in Sicilia episcopo comitem præbuit itineris, quum Romam peteret ad se purgandum à criminibus quorum reus agebatur, quique ibidem synodo interfuit centum & quinquaginta episcoporum, in qua se Gregorius innocentem probavit, velut in ejus vita narratur apud Surium ad 23. Octobr.

D

XXI. Germanus.

Philippicus, arrepto Imperio, concilium an. 712. coëgit multorum episcoporum, quos tyrannico more compulit, ut Sextam synodum, quæ felici exitu contra Monotheletarum hæresim celebrata fuerat, proscriberent, tum Cyro patriarcha Byzantino, qui sibi repugnabat, ejecto, ejus in locum Joannem IV. promovit. Andreas metropolita Cretæ & *Germanus* Cyzici illius synodi hæreticæ decretis suffragati sunt, sanctæ ac legitimæ synodo anathemate dicto. Ανδρέαν δὲ μητροπολίτην Κρήτης, καὶ Γερμανὸν μητροπολίτην Κυζίκου ὑπογράψαντας προδήλως, καὶ ἀναθεματίσαντας τὴν κατὰ Μονοθελητῶν ἁγίαν οἰκουμενικὴν

E

A ϛʹ. σύνοδον. Hæc Theophanes pag. 302. & 320. Post vero, redacto ad ordinem Philippico, Joannes patriarcha, suo suorumque cæterorum nomine veniam à Constantino Papa petiit, data illi epistola quam Combefisius edidit to. 2. Auctar. bibl. PP. Græc. Artemio deinde, sive Anastasio II. Imperium gerente, Germanus Cyzico Constantinopolim translatus est, Indict. XIII. die 11. Augusti an. 714. eodem Theophane teste pag. 322.

XXII. Æmilianus.

Leone Isauro Imp. sedebat *S. Æmilianus* Cyzici episcopus, quem Græci ab impio illo principe, ὑπὸ τοῦ θηριωνύμου καὶ ἀσεβοῦς Λέοντος variis ærumnis & exsiliis afflictum tradunt in Menologio ad diem 8. Augusti. Hinc Martyrologium Romanum ad eamdem diem perinde habet: *Cyzici in Hellesponto sancti Æmiliani episcopi, qui pro cultu sanctarum imaginum à Leone multa passus, demum in exsilio vitam finivit.*

XXIII. Nicolaus.

Septimæ synodo generali interfuit & subscripsit *Nicolaus episcopus Cyzici*, Νικόλαος ἐπίσκοπος Κυζίκου.

XXIV. Joannes II.

Exstat Theodori Grapti ad *Joannem Cyzici præsulem epistola*, Ιωάννῃ τῷ τῆς κατὰ Κύζικον ἐκκλησίας προέδρῳ, *& reliquum orthodoxorum cœtum*, qua scripsit de ærumnis quas ipse cum fratre Theophane à Theophilo Imper. sanctarum imaginum causa perpessus erat. Citatur ab Allatio in Exercit. cont. Creyght. pag. 709. Theodori epistola ista ad Joannem Cyzicenum. Vitæ autem Theodori magnam partem Combefisius edidit in Manipulo rerum Constantinopolitanarum. Quamobrem Joannes hic noster ille ipse est, qui cum Nicæno episcopo Michaëli Traulo, sive Balbo, Imper. auctor fuit, uti pacem cum Bulgaris coleret, cæteris licet qui tunc aderant, dissentientibus. Theoph. ad ann. 4. ejusdem Michaëlis Imp.

XXV. * * *.

Post Joannem, & ante Methodium utique, Cyzici episcopus erat Eunuchus quidam, qui cum monachis nonnullis Studitis Iconomachorum hæresim fovebat. Nam, quum S. Methodius S. Joannicium monachum in Bithynia morti proximum inviseret, hoc ab illo consilium accepit, ut à monachis Studitis Athanasio & Naucratio caveret, & à Joanne Cucosabba dicto, qui Nicomediæ episcopatu exciderat, necnon τοῦ ἀλογωτάτου Εὐνούχου τῆς Κυζικηνῶν ἐκκλησίας, *ab insanissimo episcopo ecclesiæ Cyzicenorum.* Vit. sancti Joannicii inter schedas Combefisii.

ECCLESIA Hellesponti.

XXVI. Methodius.

In catalogis Patriarcharum Constantinopolitanorum, *Methodius presbyter & monachus, Cyzici primum episcopus factus dicitur*, ἐπίσκοπος γενόμενος Κυζίκου, *indeque ad Constantinopolitanam sedem provectus sub Theodora Augusta Theophili vidua, ejusque filio Michaële Imp.* Nulla tamen episcopatus illius Cyziceni est mentio in ejus vita in Actis SS. die 14. Junii.

XXVII. Antonius.

Nicolaus Papa I. epistola sua 8. quam Michaëli Imp. propter Ignatium Byzantina sede ejectum, intrusumque, in eum Photium neophytum scripsit, inter præcipuos præsules qui sanctissimi patriarchæ causam tuebantur, *Antonium Cyzici* primum commemorat, quem Romam cum aliis venire vellet. Hic proinde est ille Cyzici metropolita, quem Photius quadragesimo suæ tyrannidis die exauctoravit, quod sibi non consentiret, & cujus digiti ejusdem Photii nutu fracti sunt, quo exemplum chartæ ejusdem Photii ipsius manu C exaratæ ex ejus dextera tolleretur, ut fert libellus quem Ignatius, decemque metropolitæ & quindecim episcopi Nicolao Papæ scripserunt, κατέθλασαν δὲ καὶ σὺν δακτύλους τοῦ ἀρχιεπισκόπου Κυζίκου κατ' ἐπιτροπὴν αὐτοῦ, ὃ ἥρπασαν, ὡς ἐνόμισε, τὸ ἴσον τοῦ ἰδιοχείρου αὐτοῦ, καὶ αὐτὸν δὲ ἐκεῖνον καθήρησεν.

XXVIII. Amphilochius *intrusus.*

Antonio à Photio proinde suffectus est *Amphilochius* ille Cyzici, cujus causa amplum illud volumen scripsit, quod Ἀμφιλόχια, *Amphilochia* inscribitur, in quo de illius nomine sexcentis quæstionibus de variis argumentis respondebat. Habetur illud opus Photii inter bibliothecæ Colbertinæ, necnon Coislinianæ codices, ex quo depromtæ sunt sex illæ epistolæ quæ inter Photianas exstant inscriptæ, Ἀμφιλοχίῳ μητροπολίτῃ Κυζίκου, *Amphilochio metropolitæ Cyzici.* Hunc Nicetas Ignatii vitæ scriptor narrat, una cum Theodoro Patrarum missum, ut aram everterent, quam Ignatius in insulæ cujusdam sacrario erexerat; itemque subinde ab illo Nicæam E translatum, paulopost fatis concessisse.

XXIX. Barnabas.

Post Amphilochium Cyzici sedem tenuit *Barnabas*, qui Octavæ synodo interfuit & subscripsit, *Barnabas misericordia Dei archiepiscopus Cyzici;* adeoque ex illis Patribus qui Photium anathemate perculerunt.

XXX. Gregorius.

Quo tempore Photius, Ignatio defuncto, A Byzantinam iterum sedem arripuit, Cyzici episcopatu donatus erat *Gregorius*, qui in concilio quod illius restitutionis causa habitum est, sedit & subscripsit. Γρηγορίου Κυζίκου, Γρηγόριος Κυζίκου.

XXXI. Theodorus I.

Imperante Byzantinis Constantino Porphyrogenneto Leonis Sapientis filio, Cyzicenæ ecclesiæ præerat *Theodorus*, quem Joannes Scylitzes & Cedrenus narrant illius animum exstimulasse adversus Polyeuctum B patriarcham, ut eum sua sede ejiceret. πολλὰ δὲ καὶ Θεοδώρου τοῦ Κυζίκου κατ' αὐτοῦ διερεθίσαντος τοῦτον. Quocirca Imperatore anno 15. ex quo nempe, Romano Lecapeno exstincto, solus regnare inceperat, *ad Olympum montem profectus, in speciem ut Patrum qui illic agebant, precibus armatus, in Syriam contra Saracenos pergeret; reipsa autem, ut cum Theodoro Cyzici, qui illic etiam morabatur, de Polyeucto deturbando consilia agitaret.* Exstat apud Allatium tractatu *de Simeonibus* p. 94. orationis Theodori Cyzici in S. Blasium martyrem mentio.

XXXII. Demetrius.

Michaëlis Paphlagonis Imp. consanguineus fuit *Demetrius* metropolita Cyzici, quem Romanus Argyrus Imper. Syncellum patriarchæ ante creaverat, quam Michaël summam rerum obtineret. Hic subinde Cyzicenæ sedis compos factus, cum Joanne eunucho Michaëlis fratre egit de abrogando patriarchatu Alexio Studitæ, eique sufficiendo illo spadone, κοινοπραγήσαντες ὁ τοῦ Κυζίκου D Δημήτριος, Ἀντώνιος ὁ Νικομηδείας, ὁ τῆς Σίδης κ. τ. ἑ. Verum eorum consilia irrita fuerunt, quemadmodum in Alexio patriarcha dictum est. Legendus Cedrenus p. 748. Possevinus in Indice tractatum Latine edidit cui titulus est, *De Jacobitarum hæresi brevis expositio Demetrii metropolitæ Cyziceni, in quo de Chatzizariis*, quem Constantino Imp. Basilii Imp. fratri nuncupavit. Hunc postea Combefisius noster typis Græcis & Latinis publici juris fecit absque auctoris nomine tom. 2. Auctar. Bibl. PP. Græcorum. E In cod. Reg. 2520. Exstat etiam *Demetrii metropolitæ Cyzici de Sponsalibus* scriptum. Idem Demetrius Cyzicenus à Joanne Scylitze Curopalata initio illius Annalium inter eos censetur qui historias conscripsere. Adfuisse etiam legitur synodo Alexii patriarchæ, in qua statutum est *De diversis causis quæ ad diversas metropoles & archiepiscoporum sedes spectabant*, Δημητρίου Κυζίκου. Lib. 4. Jur. Græco-Rom. pag. 255.

XXXIII. Theophanes.

In illa ſynodo Conſtantinopolitana, in qua Michaële Cerulario præſide anathema dictum eſt Leonis Papæ IX. legatis, aderat *Theophanes Cyzici & Syncellus, conſidentibus Dei amantiſſimis metropolitis*, Θεοφάνους Κυζίκου καὶ συγκέλλου, *Theophane Cyzici & Syncello.* Apud Allat. Diſſ. 2. de libr. eccl. Græcorum.

XXXIV. * * *

In ſynodo Joannis Xiphilini patriarchæ anno mundi 6575. die 26. April. Ind. IV. ſeu Chriſti anno 1066. in qua actum eſt *de Sponſalibus*, ſedebat metropolita *Cyzici*, τοῦ Κυζίκου. Jur. Græco-Rom. lib. 3. pag. 211.

XXXV. * * *. Simeon.

Anno 1103. menſe Nov. Ind. X. Nicolaus Grammaticus patriarcha ſynodicum decretum ſanxit *De præſtatione canonicorum*, ſeu de ſolvendo tributo in ordinationibus à diaconis & preſbyteris; *aſſidebantque religioſiſſimi metropolitæ Ancyræ, Cyzici, &c.* συνεδριαζόντων αὐτῷ τῶν θεοφιλεστάτων μητροπολιτῶν τοῦ Ἀγκύρας, τοῦ Κυζίκου. Jur. Græco-Rom. lib. 3. p. 269. Hic Cyzici metropolita, cujus, ut aliorum, nomen ſiletur, alius forſan non fuit à Simeone, qui poſt annos quatuor ſedebat in altera ejuſdem Nicolai ſynodo menſe Julio die 4. Indict. XV. anno proinde Chriſti 1107. in qua tractatum eſt *de Sponſalibus*, quæ Joannes quidam Diabatenus cum Maria Theophili dicta trienni inierat, quæque nullo pacto irrita fore conſtitutum eſt. Ibid. p. 216. Item Balſam. in Nomocan. Phot. tit. 13. c. 2.

XXXVI. * * *

Joanne Comneno Imper. Leo *Stypiota* dictus patriarcha concilium habuit, in quo proſcripti ſunt libri Conſtantini Chryſomali, qui multis erroribus, præſertimque Bogomilorum, ſcaterent. Aderat metropolita *Cyzici*, τοῦ Κυζίκου. Allat. lib. 2. de Conſ. c. 11. n. 1.

XXXVII. * * *

Michaële Oxita patriarcha, coacta ſynodus eſt, quæ gravibus de cauſis epiſcopos Saſimorum & Barbaliſſæ in Cappadocia ad ordinem redegit conſidente cum aliis *Cyziceno*, τοῦ Κυζίκου. Allat. ibid. c. 12. Quidni ipſe Theophilus fuerit de quo ſtatim?

XXXVIII. Theophilus.

Anno Chriſti 1147. qui Byzantinis annus Mundi 6655. ut doctiſſimus Pagius oſtendit, die Febr. 22. fer. 4. Ind. IX. coacta metropolitarum & archiepiſcoporum frequenti ſynodo patriarchali ſede amotus eſt Coſmas Atticus

A ceu Nyphone Bogomilorum hæreſis rei ſe patronum præberet, lataeque in eum ſententiæ ſubſcripſit *Theophilus Cyzici metropolita*, ὁ εὐτελὴς μητροπολίτης Κυζίκου Θεόφιλος.

XXXIX. Joannes III.

Anno Mundi 6664. Chriſti 1156. Ind. VI. ſynodus, Luca patriarcha præſide, celebrata eſt propter Soterichum Panteugenum Antiochiæ patriarcham deſignatum, qui ſacrificium Patri, non Filio, in eccleſia offerri aſſeveraret. Aderat cum metropolitis aliis *Joannes*
B *Cyzici.* Allat. Vindic. Syn. Epheſ. pag. 584. uter, Joannes, an qui ſequitur Baſilius, Cyzicenus ille metropolita fuerit, qui in altera ſynodo ſedebat, in qua nuptiæ ſeptimi gradus prohibitæ ſunt, in incerto eſt. Vide Jur. Græco-Rom. pag. 217.

XL. Basilius I.

Eodem Luca Chryſoberge patriarcha, in urbe Regia diſputatum eſt propter Alamannos qui in ea agebant, aſſerentes Filium dici Patre minorem humanitatis aſſumtæ cauſa.
C Horum ſententiam rectam eſſe definitum eſt in ſynodo frequenti anno Mundi 6674. Indict. XV. Chriſti 1166. in qua ſedit *Baſilius Cyzicenus.* Allat. lib. 2. De conſ. cap. 12. Atqui Baſilius idem, ut apparet, ſynodo quoque aderat ejuſdem patriarchæ, in qua de nuptiis ſeptimi gradus iterum tractatum fuit, decretumque eſt, ne deinceps ejuſmodi nuptiæ fierent; quæ vero antehac contractæ eſſent, indivulſæ manerent, τοῦ Κυζίκου. Jur. Græco-Rom. lib. 3. pag. 217.

XLI. Joannes IV.

D

Cyzicenæ eccleſiæ anno 1170. epiſcopus erat *Joannes* alter, qui die 1. Nov. fer. 4. Ind. IV. in ſynodo ſedebat, in qua ſtatutum fuit *ne clerici ex aliena parœcia crearentur.* Ἰωάννου Κυζίκου, Joanne Cyzici. Ibid. pag. 227. Anno ſubinde 6687. die 10. Septemb. fer. 4. Indict. V. Iſaacius Angelus Imp. vocatis tribus patriarchis, Conſtantinopolitano, Antiocheno & Hieroſolymitano, & epiſcopis qui in Urbe agebant, quæſivit à Cyzici metropolita curnam violatos canones expoſtu-
E laret. Ille electiones epiſcoporum in Urbe, non accitis epiſcopis quotquot in ea agerent, vulgo fieri cauſatus eſt. Quocirca longa diſquiſitione habita, ſancitum eſt, legitimam nullam deinceps fore, ad quam ſinguli præſules invitati non eſſent. Atqui *Joannes* hic vocabatur, τὸν πανιερώτατον μητροπολίτην Κυζίκου κῦριον Ἰωάννην, *ſacroſanctum Cyzici metropolitam D. Joannem.* Ibid. lib. 11. p. 169. Quamobrem Joannes idem metropolita Cyzici fuit, qui ſynodo alteri ſub Joanne

ECCLESIA Hellesponti.

Xiphilino patriarcha menſe April. fer. 4. Ind. IV. anno Mundi 6694. Chriſti 1174. ſediſſe legitur, in qua definitum eſt, oportere omnino nuptiis ſponſalia præire. Aſſidebat enim cum metropolitis aliis, τοῦ Κυζίκου. Ibid p. 211.

XLII. Georgius.

Recuperata à Græcis de Francis Conſtantinopoli, Michaële Palæologo Imp. in eam ingreſſo, *Georgius* Cyzici antiſtes juſſus eſt, pontificali veſte accepta, orationem Deo fundere, ἔταξε δὲ καὶ τῶν ἐκεῖσε ἀρχιερέων ἕνα, τὸν τοῦ Κυζίκου Γεώργιον, τὴν στολὴν ὑπενδύντα B τὰ τῆς εὐχῆς ἄρχειν. Hæc Pachymeres lib. 2. cap. 3. qui ſubinde lib. 5. cap. 10. & 13. narrat aliquando, nondum recepta Conſtantinopoli, ſynodum à Joanne Duca Imp. Nicææ habitam, quæ miſit ad Romanum Papam legationem, qua ſe Græci paratos profitebantur ad Romanæ ſedi morem gerendum, ejuſque in ſacra Liturgia commemorationem agendam, ſi Francis qui urbem Regiam ſuam tenebant, favere deſineret. Qua legatione functi ſunt Andronicus Sardenſis & *Georgius Cyzicenus*, καὶ ἀπεστέλλοντο ὅ, τε Σαρδέων Ἀν- C δρόνικος, καὶ ὁ Κυζίκου Γεώργιος. Id geſtum refert Manuële patriarchatum gerente. *Proferebat Michaël Imp.* inquit, *anterioris memoriæ exempla, Imperatorem Joannem Ducam & antiſtites illius temporis cum Patriarcha Manuële conſenſiſſe, ut epiſcopi qui Romam pergerent, paciſcerentur, ſe cum Latinis ſacra Liturgia communicaturos, & Papæ mentionem in ea acturos, ſi modo ille abſtineret à juvandis Latinis qui Urbem tenebant.* Atqui Manuël patriarcha erat quo tempore Innocentius IV. Romæ ſedebat; ab anno ſcilicet D 1243. ad finem anni 1254. ut Andronicus Sardenſis & Georgius Cyzici, ipſimet ſint archiepiſcopi illi *Quiſicenſis & Sardenſis*, quibuſcum, Alexandro Papa IV. teſte, Innocentius ejus deceſſor egerat de eccleſiarum reconciliatione. Hæc, inquam, perhibet Alexander epiſt. ad Urbevetanum epiſcopum ſuum in Oriente legatum, quam Odericus Raynaldus recitat ad annum 1266.

XLIII. Theodorus II.

Sub Michaële Palæologo Cyzici epiſcopus E erat *Theodorus II.* Georgii ſucceſſor, qui Romam perinde miſſus fuit ut eccleſiarum unionem promoveret. Quod ſuis ad Gregorium Papam X. literis Imperator ſignificavit, quas Leo Allatius Latine dumtaxat edidit lib. 2. De conſenſ. c. XV. *Cum eiſdem venerabilibus epiſcopis, & meis nuntiis quos confidenter una cum illis tranſmitto ad præſentiam veſtræ Apoſtolicæ Sanctitatis, videlicet ſanctiſſimo metropolita Cyzicenſi, Hypertimo & Exarcho totius Helleſponti Theodoro, quartam ſedem in concilio* (Byzantino nempe) *obtinente, &c.* Communionem igitur Romanæ Eccleſiæ Theodorus admiſit, ut & alii Græci in concilio Lugdunenſi ſecundo. Poſt vero, Michaële defuncto, quum Byzantini iterum ſchiſma profiterentur, coacta de more Conſtantinopoli ſynodo, quæſiti ſunt quicumque antiſtites ad unionem illam paciſcendam potiores partes habuerant, inprimiſque Theodorus Cyzicenus, qui jam in Prodromi monaſterium ſeceſſerat, ut temporis iniquitatem evitaret. ζητοῦσι καὶ τὸν Κυζίκου Θεόδωρον. ὁ δὲ τῇ τοῦ Προδρόμου ὡς εἶχε προσδυόμενος, ἐπεδέξατο διαφεύγειν τὴν τοῦ καιροῦ δυσχολίαν. Unde juſſus eſt ad ſynodum per Imperatoris miniſtros adduci; quumque intra templi adyta ſe recepiſſet, ſacerdotum & clericorum manus adhibitæ ſunt, ut illinc avelleretur, pœnaſque daret patratæ unionis cum Romanis: quam tamen ille nequaquam ejuravit. Pachymeres, lib. 1. de Andronico cap. 17.

XLIV. Daniel.

Theodoro utique ſuffectus fuit *Daniel*, ὁ Κυζίκου Δανιὴλ, quem Pachymeres lib. 2. cap. 3. refert cum Joanne Chila Epheſi & Theolepto Philadelphiæ palam improbaſſe Tomum, quo Gregorius Cyprius patriarcha exponere conatus erat quoddam S. Joannis Damaſceni dictum aſſerentis, *Patrem eſſe per Verbum Spiritus ſancti productorem*, προβολέα διὰ τοῦ Λόγου ἐκφαντορικοῦ Πνεύματος, quo ſcilicet æterna & ſubſtantiva ſancti Spiritus ex Patre per Filium proceſſio diſertiſſime ſtatuitur. Tum cap. 8. narrare pergit, eos præfracte cum aliis epiſcopis contendiſſe Gregorii expoſitionem orthodoxam non eſſe, utpote quæ à Joannis Becci & Latinorum doctrina non admodum diſtaret, ac proinde Gregorium patriarchatu amovendum eſſe. Quæ geſta ſunt circa annum 1288. Poſthac vero Daniel & Chilas à ſuarum eccleſiarum clericis graviorum criminum rei acti ſunt, ſuiſque perinde ſedibus ejecti. Niceph. Gregor. lib. 6. cap. 10.

XLV. Niphon.

Cyzici epiſcopus erat *Niphon* anno 1303. quo nempe Andronicus Imp. eam in urbem ab Orientalibus tractibus rediens, divertit, poſtquam ille urbis ſuæ muros ad infidelium hoſtium adſultus arcendos inſtaurari curaverat. Quocirca Græci, qui à Mohammedanis Perſis in fugam verſi erant, alii alibi ſparſim, alii ſe intra Cyzici mœnia receperant. Niphon etenim vir ſtrenuus & ſollertiſſimus, ac tum in ſpiritualibus, tum in

civilibus, magno usu tritus habebatur. τῆς δὲ Κυζίκου ἐπιτήχισμα ἄρτι τότε συςάντι, παρὰ τῷ ἐν αὐτῇ προέδρου Νιφῶνος, ἀνδρὸς δραςηρίου καὶ γνώσεως ἐπιβόλου, καὶ οὐ μᾶλλον πνευματικοῖς ἢ κοσμικοῖς τελέσωνος πράγμασιν. Ita Pachymeres lib. 5. cap. 9. Nicephorus vero Gregoras lib. 7. cap. 16. testatur, Niphonem Cyzici, qui ad Constantinopolitanas infulas postmodum evectus est, literarum plane rudem fuisse, qui nec Græcarum elementa sua manu exarare sciret, ὡς μηδὲ τῇ οἰκείᾳ χειρὶ τὰ τῶν γραμμάτων στοιχεῖα γράφειν εἰδώς: Hunc tamen eo fuisse fatetur ingenio, ut, si eruditioni animum adjecisset, inter sapientissimos potuisset censeri: verum divitiarum, splendoris & gloriæ libidine bonas illas dotes inanes reddidisse. Alia subdit sacerdote indigna prorsus, quæ hoc loci recitare non vacat. Matthæus Blastares in Syntagmate Alphabetico canonum lit. K. cap. 32. Niphonem Cyzici censum, aliaque publica negotia suo tempore gessisse refert. καὶ ἐφ' ἡμῶν ὁ Κυζίκου Νήφων (leg. Νίφων) τὴν ἀπογραφὴν καὶ τὰς τῆς δημοσίου ἁπάσας ἐνήργησε δουλείας. Inter Athanasii patriarchæ epistolas una exstat de *Niphone Cyziceno, propter criminationes quæ de eo ferebantur,* περὶ τῷ Νίφωνος Κυζίκου διὰ τὰς κατηγορίας ἀκουσθεὶς περὶ αὐτοῦ. Patriarchatum iniit anno 1310.

XLVI. Nicon *electus*.

Doctissimus abbas Nicolaus Comnenus Papadopoli in Institutionibus Mystagogicis, Resp. 6. sect. 8. n. 71. ubi de confessionis secreto, *Niconem* quemdam Cyzici Hypopsephium, sive episcopum designatum, docuisse refert, illud omnino frangi posse. *Nam re ipsa,* inquit, *frangi secretum hoc posse sub Photio docuit Theophanes fœderatæ Photii mendacitatis præmium nactus Cæsarienses infulas, quemadmodum apertissime constat ex synodico Vecci apud Lascarim in Excerptis Juris-Græci lib. 3. cap. 11. qui Hypopsephium Cyzicenum Niconem, ejusdem criminis damnavit,* τῆς ἀσεβείας Θεοφάνοις τῷ νεοφύτου, *hæredem impietatis Theophanis neophyti, qui Cæsareæ sub Photio episcopus fuit.* Niconem circa Joannis Becci patriarchæ tempora vixisse oportet.

XLVII. Athanasius.

Inter alia scripta Gregorii Palamæ Thessalonicensis episcopi, quibus sanam Acyndyni doctrinam impugnabat, quæque in cod. Coisliniano 78. exstant, unum habetur hoc titulo: Γρηγορίου ἀρχιεπισκόπου Θεσαλονίκης, πρὸς τὸν ἐλλογιμώτατον καὶ θεοφιλέστατον ἀρχιεπίσκοπον Κυζίκου Ἀθανάσιον, ἐρωτήσαντα περὶ τῶν Ἀκινδύνου συγγραμμάτων, εἰ τοῖς τῷ Βαρλαὰμ τὰ ἐκείνου συμφωνεῖ, περὶ τῷ θείου φωτὸς καὶ τῆς θείας χάριτος. *Gregorii archiepiscopi Thessalonicæ, ad eruditissimum & religiosissimum archiepiscopum Athanasium, qui de scriptis Acyndyni sciscitatus erat, an concordarent cum doctrina Barlaam de divino lumine & divina gratia.* Habetur etiam in Regio cod. olim 1402. Ex hac inscriptione apparet istud opus à Palama prius editum fuisse, quam Acyndynus cum Barlaam in Constantinopolitana Callisti Patriarchæ synodo damnaretur; quippe quum in illa Arsenius Athanasii successor sederit. Imo certe ante annum Mundi 6849. Ind. IX. sive Christi 1341. quo concilium aliud mense Augusto habitum est, in quo Barlaam & Acyndynus damnati fuere. In eo enim inter metropolitas sedebat *Athanasius Cyzici,* ὁ Κυζίκου Ἀθανάσιος, qui subinde subscripsit Relationi aliquot episcoporum ad Annam Imperatricem, Andronici II. viduam, adversus Joannem Calecam Patriarcham, quæ scripta est anno 1346. Mundi 6855. mense Sept. Indict. XV. Quin & anno insequenti subscripsit iterum sententiæ exauctorationis ejusdem patriarchæ Joannis, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Κυζίκου Ἀθανάσιος, ὑπέρτιμος καὶ ἔξαρχος πάσης Ἑλλησπόντου. *Athanasius humilis metropolita Cyzici, Hypertimus, & Exarchus totius Hellesponti.* Lambec. Biblioth. Cæsar. lib. 4. cod. 6.

XLVIII. Arsenius.

Anno ab orbe condito 6859. Christi 1351. celebrata Constantinopoli synodus illa fuit, in qua, Callisto patriarcha præside, una cum Antiocheni & Hierosolymitani patriarcharum legatis Gregorii Palamæ fanatica placita approbata sunt, proscriptique denuo fuere Acyndynus & Barlaam. Aderat cum metropolitis aliis *Arsenius Cyzici,* qui consueto more subscripsit: ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Κυζίκου καὶ ἔξαρχος πάσης Ἑλλησπόντου, Ἀρσένιος. *Arsenius humilis metropolita Cyzici, Hypertimus & Exarchus totius Hellesponti.* Hujus synodi acta edidit Combefisius in Auctario novissimo bibliothecæ PP. Græcorum, parte 2. Vide Allat. de synodo Photiana pag. 444. & advers. Hottinger. p. 327.

XLIX. Matthæus.

Eodem sæculo labente Cyzici metropolita sedebat *Matthæus,* qui anno 1395. in Byzantinum patriarcham promotus fuit post Callistum II.

L. Metrophanes I.

Ad Ferrariensem & Florentinam synodum an. 1438. cum aliis Græciæ præsulibus venit *Metrophanes Cyzici* tunc metropolita, atque Decreto unionis quod in illa editum

eſt, ſubſcripſit, *locumque explevit epiſcopi Ancyræ*, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Κυζίκου, καὶ τὸν τόπον ἐπέχων τοῦ Ἀγκύρας, Μητροφάνης ὑπέγραψα. Anno ſubinde 1440. vernâ tempeſtate à Cyzicena ſede ad Conſtantinopolitanam tranſlatus fuit, Gregorio Phranza teſte lib. 2. cap. 17. Leo Allatius in Addendis ad lib. 3. De conſenſ. col. 1382. acta protulit neſcio cujus ſynodi, quam poſterioris ætatis Græci Conſtantinopoli in S. Sophiæ templo celebratam finxerunt, & in qua Athanaſium neſcio quem, pro Metrophane iſto noſtro Patriarcham ordinatum fabulantur à *Metrophane Cyzici*, Macario Nicomedienſi, Neophyto Nicæno, ipſomet Antonio Heracleenſi præſente. Qui tamen Metrophanes alter Cyzici decreto, quo Metrophanem patriarcham proſcribebant, minime ſubſcriptus reperitur, ſed *Parthenius Cyzici*, Παρθένιος ἐπίσκοπος Κυζίκου, uti neque *Neophytus Nicææ*, ſed *Stauracius*. Quæ quidem, ut alia paſſim, quæ illis in actis animadvertere licet, veteratorem auctorem produnt. Quod Metrophanem Cyzici primum metropolitam, deinde Conſtantinopolitanum patriarcham ſpectat, Silveſter ipſe Syropulus in hiſtoria Florentinæ ſynodi ſect. 11. c. 1. hunc egregie commendat ab eximia virtute, quam à puero monaſticis diſciplinis præfulgens excoluerat, ut magnam ſibi laudem ex vita bene inſtituta apud omnes comparaverit: quem cuncti ſummo honore proſequebantur uti venerabilem divinumque hominem, καὶ ἐτίμων αὐτὸν πάντες ὡς σεβάσμιον καὶ θεῖον, καὶ ἐνάρετον ἄνθρωπον: quem proinde Joannes Imperator, utpote ſancitæ cum Occidentali eccleſia unionis tenacem, dignum judicavit, qui Joſepho patriarchæ defuncto ſuccederet.

LI. Parthenius.

In actis itaque bellæ illius ſynodi Conſtantinopolitanæ ſediſſe in ea legitur, ut prædictum eſt, *Parthenius epiſcopus Cyzici*. Allat. in Addend. lib. 3. De conſenſ. p. 4. col. 1387. & 1450. Quem certe Parthenium vix fictitium alioqui hominem fuiſſe putaverim.

LII. Joasaph.

Anno Mundi 7073. menſe Januar. Ind. VIII. ſive Chriſti 1566. *Joaſaphus* Conſtantinopolitanus, patriarcha propter ordinationes illegitime factas, imo ſimoniace, deſtitutus fuit in ſynodo multorum epiſcoporum, cujus decreto ſubſcripſit cum aliis *Joaſaph metropolita Cyzici*, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Κυζίκου Ἰωασάφ.

LIII. Achilius.

Lib. 4. Turco-Græc. pag. 285. Martinus Cruſius literas edidit Metrophanis III. Patriarchæ datas propter metropolitam Nauplii & Argyrorum, qui repetundarum ſæpe reus fuerat. Datæ feruntur menſe Februario, Ind. VIII. anno ſcilicet Chriſti 1579. quibus ſubſcripſit *Achilius humilis metropolita Cyzici*, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Κυζίκου Ἀχίλλειος. Quum anno inſequenti 1580. Hieremias II. Patriarcha ſedem ſuam, qua amotus erat, repetiiſſet, gratulatoriæ epiſtolæ, quam ille eccleſiæ ſuæ nomine Moſcorum Imperatori dedit, ſubſcripſit quoque idem *Achilius Cyzici*, ὁ Κυζίκου Ἀχίλλιος.

LIV. * * *

Pachomio Leſbio in locum Hieremiæ II. patriarchæ Sultani Amurathæ juſſu ſuffecto, *pro ejus ſcelerata ordinatione ſtabant in primis metropolitæ Cyzici & Chalcedonis*, ait Dorotheus Monembaſienſis in Synopſi. καὶ ἦσαν βοηθοί του, μάλιστα ὁ Κυζίκου καὶ ὁ Χαλκηδόνος, quos ille *tauros pingues* appellat, οἱ ταῦροι πίονες, qui dicerent obtemperandum eſſe « mandato Principis, illoſque plectendos qui « repugnarent. «

LV. Anthimus.

Anno 1642. ſynodo quam Parthenius ſenior Patriarcha in Moldoblachia celebravit propter Calviniana capita, quibus Cyrillus Lucaris ejus deceſſor Orientalem eccleſiam labefactare molitus erat, adfuit & ſubſcripſit *Anthimus Cyzici*, ὁ Κυζίκου Ἄνθιμος. Hic anno 1539. literis ejuſdem patriarchæ de ordinatione Laurentii Caſſandriæ in Macedonia archiepiſcopi, quas apud me in ſchedis habeo, perinde ſubſcripſerat, ὁ Κυζίκου Ἄνθιμος. Quin etiam anno 1641. conventui interfuit metropolitarum, quos Parthenius patriarcha accivit, ut ſententiam edicerent de voce μετουσιώσεως, qua *Tranſubſtantiatio* ſignificatur; eamque retinendam eſſe cenſitum eſt. Tom. 3. Perp. Fid. Euch. p. 683.

LVI. Païsius.

Eodem nupero ſæculo *Païſius* patriarcha poſt Cyrillum Spanum creatus, exacto undecimo pontificatus menſe ejectus eſt, Cyzicenæque eccleſiæ præfectus, tum deinde Epheſinæ. Ita ſynopſis patriarcharum Conſtantinopolitanorum ab anno 1594. quam doctiſſimus Anſelmus Bandurius to. 2. Antiq. Conſtantinopol. pag. 1000. typis Græcis Latiniſque publici juris fecit.

LVII. Metrophanes II.

Poſt acta ſynodi Hieroſolymitanæ, in qua Cyrilli Lucaris Calviniana dogmata iterum proſcripta ſunt anno 1672. eodem volumine

Parisiis excusa est *Responsio Dionysii patriarchæ Constantinopolitani de Calvinianæ ejusdem hæresis capitibus*, cui metropolitæ & episcopi Græci complures subscripserunt, in quibus post Bartholomæum Heracleæ, sequitur *Metrophanes Cyzici*, ὁ Κυζίκου Μητροφάνης. Quin anno 1671. die 18. Julii Metrophanes idem ecclesiæ Orientalis Græcæ testimonio alteri de iisdem capitibus subscripserat, ut videre est To. 3. Perp. Fid. Euch. pag. 572.

A

LVIII. Cyrillus.

His nuperis annis Athanasio Patriarchæ suffectus est *Cyrillus metropolita Cyzici*, patria Lesbius, ex Demetrii Procopii opusculo de iis qui apud Græcos nostræ ætate scientiæ laude claruerunt.

LIX. Auxentius.

Anno 1721. sedebat *Auxentius Cyzici*, ὁ Κυζίκου Αὐξέντιος.

II. ECCLESIA GERMÆ.

GERMA Hellesponti civitas est in Notitiis, quæ Γέρμαι, *Germæ*, voce plurali scribitur apud Hieroclem. Ptolemæo *sacra Germa*, ἱερὰ Γέρμα dicitur in Mysia minore. Stephano Hellesponti quoque est vicina *Cyzico*, πλησίον Κυζίκου: quam Socrates Valente Imper. terræ motu magna parte periisse ait.

EPISCOPI GERMÆ.

I. Antonius.

Ex Socrate lib. 7. hist. cap. 31. *Antonius Germæ episcopus*, Nestorii Constantinopolitani in hæreticis exagitandis ardens studium æmulabatur, Macedonianis præsertim; quod sibi ab illo injunctum causabatur. Quod illi non ferentes, homines submiserunt, à quibus interfectus fuit. Necem ejus Marcellinus Comes narrat ad consulatum Florentii & Dionysii. *Nostri*, inquit, *orthodoxi, Macedonianorum ecclesiam extra muros Urbis* (CP.) *positam abstulerunt, quoniam iidem Macedoniani Antoninum Germis (Germes, Germæ) episcopum interfecerunt.* Quod proinde facinus anno 429. patratum fuit.

II. Timotheus.

Antonio, sive Antonino, proxime successit *Timotheus*, qui concilio Ephesino generali priori interfuit, ejusque decretis subscripsit: Τιμόθεος ἐπίσκοπος τῆς Θερμανῶν πόλεως ἐπαρχίας Ἑλλησπόντου, legendum Γερμανῶν, vel Γερμῶν. *Timotheus episcopus civitatis Germarum provinciæ Hellesponti.* In quibusdam codicibus Latinæ translationis dicitur *episcopus Termæ* interpretis vitio, qui T. pro Γ. in Græco contextu legebat. In ejusdem synodi apud Marium Mercatorem actione 1. diserte legitur, *Timotheus episcopus Germæ Hellesponti.* Quod certè mirum; quando quidem quoque Timotheus idem subscriptus legitur Contestationi multorum episcoporum, qui feruntur intercessisse, ne Cyrillus Alexandrinus Concilii celebrationem auspicaretur ante Joannis Antiocheni & Orientalium episcoporum adventum, *Timotheus episcopus Termanorum civitatis Hellesponti:* quæ quidem

A Contestatio, ut sæpè jam dictum est, exstat in Collectione ex Tragœdia Irenæi Tyrii, c. 7. Quod certe mirum quando act. 2. ejusdem Concilii idem noster *Timotheus episcopus Germæ Hellesponti* cum Daniele Coloniæ & Commodo Tripolis Lydiæ à Patribus delegatus fuit, ut Joannem Antiochenum ejusque diœcesis episcopos, qui Ephesum tamdem advenerant, ad synodum invitarent. Sedebat adhuc anno 451. nam actione VI. & XVI. concilii Chalcedonensis Diogenes Cyzici suo & episcoporum provinciæ suæ

B absentium nomine subscribens, *Timotheum Germæ* memoravit; καὶ Τιμοθέου Γέρμης. Quinimo ipse est qui subscriptus quoque legitur epistolæ synodi Hellesponti ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini, *Timotheus Ceramensis*, pro *Germensis*. In vivis igitur superstes erat anno 458.

III. Epitynchanius.

Synodo Constantinopolitanæ, quæ Menna patriarcha Constantinopolitano habita est adversus ejus decessorem Anthimum hære-

C ticum anno 536. adfuit & subscripsit *Epitynchanius episcopus Germæ*. Ἐπιτυγχάνιος ἐπίσκοπος Γέρμης ὁρίσας ὑπέγραψα.

IV. Theodorus.

Inter Patres Septimæ synodi generalis una cum aliis Hellesponti episcopis, sedit & subscripsit *Theodorus episcopus Germæ*, Θεόδωρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Γέρμης.

V. Stephanus.

Synodo de restitutione Photii, *Stephanus Germæ* Στεφάνου Γέρμης, inter metropolitas sedebat.

III. # ECCLESIA PŒMANINI.

PŒMANIUM, Ποιμάνιον, pro quo Hierocles habet *Pœmanentum*, Ποιμάνεντος, librariorum utique errore pro Ποιμανῖνος *Pœmaninus*, ut synodorum quarumdam acta ferunt. In tribus etiam aliis Notitiis Græcis Hellesponti tertia civitas vel oppidum est, imo territorii Cyziceni castrum, cujus tamen episcopi proprii fuerunt. Plinius lib. 5. cap. 30. post Metropolitas in Mysia collocat, *Pœmanenos Macedones*.

EPISCOPI PŒMANINI.

I. STEPHANUS.

Concilio Chalcedonensi interfuit *Stephanus Pœmanini*, Στεφάνου Ποιμανίνου: ita passim act. 1. 2. & alibi, ex quibus emendandum in subscriptionibus, Ποιμανίνου, pro Ποιμανήνου. In Latina translatione act. 1. & 16. episcopus *Primnesiæ* scribitur, alibi paulò melius *Primanini*. A

II. JOANNES.

Epistolæ synodicæ episcoporum Hellesponti ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini, deque tenenda synodo Chalcedonensi, subscripsit *Joannes Pœmanæus*, vel *Pœmaninus*.

III. MERCURIUS.

Sedit in Sexta synodo, subscripsitque *Mercurius episcopus civitatis Pœmanini provinciæ Hellespontiorum*. Μερκούριος ἐπίσκοπος πόλεως Ποιμανίνου τῆς Ἑλλησποντίων ἐπαρχίας.

IV. LEONTIUS.

In Septima quoque synodo *Leontius episcopus Pœmanini*, Λεόντιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ποιμανίνου.

V. NICEPHORUS.

In synodo de restitutione Photii, *Nicephorus Pœmanini*, Νικηφόρου Ποιμανίνου. Νικηφόρος Ποιμανίνου.

IV. # ECCLESIA OCÆ.

OCAM vel *Occam* Hellesponti civitatem ex nullo auctore comperi, præterquam ex Notitiis Græcis, & actis conciliorum, in quibus Ωκη & Οκη scribitur.

EPISCOPI OCÆ.

I. ALEXANDER.

Diogenes Cyzici metropolita actione 6. & 16. concilii Chalcedonensis pro episcopis provinciæ suæ qui aberant, subscripsit, quorum primum nominavit *Alexandrum civitatis Ocæ*, ἤγουν Ἀλεξάνδρου πόλεως Οκης: qui subscriptus subinde legitur epistolæ synodi Cyzicenæ ad Leonem Imp. *Alexander episcopus Occæ*. B

II. SIMEON.

Septimo concilio generali adfuit & subscripsit *Simeon episcopus Ocæ*, Συμεὼν ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ωκης.

III. STRATEGIUS.

Synodo quæ ob Photii restitutionem sub Joanne Papa VIII. habita est, *Strategius Ocæ*, Στρατηγίου Ωκης.

V. # ECCLESIA BARIS.

IN Notitia Hieroclis quarta Hellesponti civitas sub Cyzico *Barispe*, Βαρίσπη dicitur: in aliis vero quartus episcopus est, ὁ Βάρεως, *Bareos* seu *Baris*. Quæ civitas nusquam alias occurrit.

EPISCOPI BARIS.

I. EUTYCHIANUS.

Act. 6. synodi Chalcedonensis Diogenes Cyzici pro episcopis provinciæ suæ qui aberant, subscripsit, in quibus *Eutychianus Bares*, C Εὐτυχιανοῦ πόλεως Βαρης. Actione vero 16. episcopus, Βάρεως, *Baris*.

II. DOMNINUS.

Epistolæ synodi Cyzicenæ ad Leonem Imp.

ECCLESIA BARIS.

Imp. omnium postremus subscripsit *Domninus episcopus Varenus*, sive *Barenus*.

III. Paulus.

In Octava synodo generali, à qua Photius Constantinopolitanæ ecclesiæ pervasor damnatus fuit, sedit & subscripsit *Paulus misericordia Dei episcopus Bareos:* initio vero actorum scribitur *Baris*.

IV. Stephanus.

In altera synodo quæ S. Ignatio defuncto, ob Photii restitutionem habita est, *Stephanus Baris*, Στεφάνου Βάρεως, Στέφανος Βάρεως.



VI. ECCLESIA HADRIANOTHERARUM.

IN Notitiis episcopatuum Græcis, Hellesponti sextus episcopus est qui *Hadrianotherarum*, Ἀδριανουθήρων, ex quo emendanda Notitia Hieroclis in qua librariorum errore legitur, Ἀδριανοῦ καὶ Θῆρας pro Ἀδριανουθήρας. Cæterum in margine Notitiæ quæ Leonis Sapientis Imperatoris nomen præfert, additur ἢ Ἀχυράης, sive *Achyraes*, episcopus scilicet, ut posterius urbis nomen fuerit *Achyræ*. Nulla apud veteres ullos scriptores civitatis hujus memoria, nisi in actis synodorum.

EPISCOPI HADRIANOTHERARUM.

I. Patricius.

IN concilio Chalcedonensi sedit subscripsitque *Patricius episcopus civitatis Adrianotherarum*, Πατρίκιος ἐπίσκοπος Ἀδριανουθήρων. In subscriptionibus epistolæ synodi Cyzicenæ ad Leonem Imp. *Patricius episcopus Adrianotheras*.

II. Cyprianus.

Quintæ synodo generali subscriptus legitur *Cyprianus misericordia Dei episcopus Adrianotheron civitatis*.

III. Basilius.

Nicænæ synodo generali secundæ, *Basilius episcopus Adrianotherarum*, Βασίλειος ἐπίσκοπος Ἀδριανοθήρων.

IV. Gregorius.

Constantinopolitanæ synodo de restitutione Photii, *Gregorius Adrianotherarum*, Γρηγορίου Ἀδριανουθήρων, Γρηγόριος Ἀδριανουθήρων.



VII. ECCLESIA LAMPSACI.

LOnge notior est *Lampsacus* Hellesponti civitas, quæ hodieque *Lampsico* nominatur; *Lampsacum*, nomine neutro, Plinio lib. 5. cap. 32. *antea Pityusa dictum est;* quod lib. 4. cap. 11. è regione Callipolis Chersonnesi Thraciæ statuit, velut & Strabo, cui proinde Lampsacus urbs maritima est εὐλίμενος *bonum portum habens*, & cujus solum generosis vinis abundabat. Illic habita anno 364. synodus est, ex Macedonianis seu Semiarianis episcopis magna parte conflata sub Valente Imp. unde Romam missi tres episcopi suorum nomine *consubstantiale Patri Verbum* confessi sunt.

EPISCOPI LAMPSACI.

I. Parthenius.

IN Actis SS. quæ Bollandus edidit ad diem 7. Februarii, prostat vita *S. Parthenii episcopi Lampsaci* in Hellesponto, qui Miletopoli ortus, & ab ejusdem urbe diacono Christodulo institutus, à Phileto episcopo presbyter ordinatus fuit, & ecclesiæ seu parœciæ (hodie nostri *diœcesim* dicunt) Miletopolitanæ visitator, περιοδευτής, quem subinde Ascholius Cyzicenus metropolita Lampsaci episcopum consecravit. Miraculis eximiis claruisse dicitur sub Constantio Magno; quem quum aliquando adiisset, petitionibus suis benigne annuentem nactus est. Crispinus vitæ illius scriptor, *sanctum Christi servum Parthenium dormisse*, ait, *septimo Februarii, juxta calculum Romanorum; juxta Asiaticorum vero, decimo quinto Dystri*, mensis scilicet quondam Macedonum. Ejus proinde in Menæis memoria fit die 7. Februarii.

II. Marcianus.

Lampsaci celebrata illa de qua dixi synodus est, quo tempore hujus urbis ecclesiæ *Marcianus* præerat, ex Macedonianorum seu Semiarianorum grege. Valente Imp. exstincto, Theodosius M. qui ei successerat, Constantinopoli concilium generale fieri voluit ad res Ecclesiæ componendas; ad quod Socrates lib. 5. c. 8. Eleusium Cyzici & Marcianus Lampsaci Macedonianorum præcipuos

ECCLESIA LAMPSACI.

vocatos refert. τῶ δὲ Μακεδονιανῶν μέρους ἡγεῖτο μὲν Ἐλεύσιος ὁ Κυζίκου, καὶ Μαρκιανὸς ὁ Λαμψάκου, qui errorem deponere prorsus noluerunt. Id quod perinde testantur auctores vitæ S. Pauli Constantinopolitani apud Photium cod. 257. & vitæ S. Isacii monachi in Actis SS. die 30. Maii.

III. DANIEL.

Synodo Chalcedonensi adfuit & subscripsit *Daniel episcopus civitatis Lampsaci*, Δανιὴλ ἐπίσκοπος πόλεως Λαμψάκου.

IV. HARMONIUS.

Inter episcopos synodi Cyzicenæ qui epistolæ ad Leonem Imp. subscripserunt, legitur *Harmonius episcopus Lampsaci.*

V. CONSTANTINUS.

Sextæ synodo generali adfuit & subscripsit *Constantinus misericordia Dei episcopus Lampsaci*, Κωνσταντῖνος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Λαμψάκου.

VI. JOANNES.

Septimæ quoque synodo, *Joannes episcopus Lampsaci*, Ἰωάννης ἐπίσκοπος Λαμψάκου.

VII. EUSCHEMON.

Inter epistolas Theodori Studitæ una exstat inscripta *Euchemoni episcopo Lampsaci*, qua narrat quanta pro imaginibus sanctorum tuendis pessus esset. Incipit : ἔγνων ὡς ἡ ὁσιότης σου ἐλλήπται ὑπὸ τῶν διωκτῶν. Ejus memoria fit in Menæis Græcorum die 14. Martii; ubi fertur, miraculis claruisse; à principe vero Iconomacho, Theophilo utique carceri traditum, vitam demum in exsilio finiisse.

VIII.

ECCLESIA ABYDI.

SEquitur in Notitiis Græcis ecclesiasticis episcopus *Abydi*, ὁ Ἀβύδου, quæ Hierocli quoque septima civitas est Hellespontì, maritima scilicet, è regione Sesti Chersonnesi Thraciæ oppidi, ubi angustiæ septem stadiorum sunt, Plinio cap. 32. Ejus frequens apud Homerum mentio. Posteriori ævo metropolis facta est. Vide Nili Notitiam, necnon Philippi Cyprii : nunc ad Cyzicum metropolim reversa est.

EPISCOPI ABYDENI.

I. MARCIANUS.

NUllus mihi Abydenus episcopus occurrit ante synodum Chalcedonensem, in qua sedit & subscripsit act. 6. & 16. *Hermias episcopus civitatis Abydi*, Ἑρμείας ἐλάχιστος ἐπίσκοπος πόλεως Ἀβύδου. Qui & subscripsit epistolæ Cyzicenæ synodi sive Hellesponti ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini, *Hermias episcopus Abydi.*

II. PAMPHILUS.

Epistolæ exstant aliquot Petro Antiocheno, qui *Cnapheus* cognominatus est, inscriptæ adversus eam quum excogitarat Trisagii cantici interpolationem; quarum una *Pamphili episcopi Abydorum* nomen præfert.

III. AMMONIUS.

Relationi synodi Constantinopolitanæ ad Joannem urbis Regiæ archiepiscopum de damnandis Severo Antiocheno & aliis hæreticis, quæ lecta act. 5. synodi Constantinopolitanæ alterius sub Menna, subscripsit *Ammonius permissione divina episcopus Abydi*, Ἀμμώνιος συγχωρήσει Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Ἀβύδου.

IV. ISIDORUS.

Sextæ synodo generali act. 18. subscripsit, *Isidorus episcopus civitatis Abydenorum*, Ἰσίδωρος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Ἀβυδηνῶν πόλεως.

V. JOANNES.

Canonibus synodi Quinisextæ subscriptus quoque legitur Ἰωάννης ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ἀβύδου τῆς Ἑλλησποντίων. *Joannes indignus episcopus Abydi Hellespontiorum.*

VI. THEODORUS I.

In Septima synodo sedit & subscripsit, *Theodorus episcopus Abydi*, Θεόδωρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ἀβύδου.

VII. * * *

Sub Basilio Porphyrogenneto & Joanne Tzimisce Impp. quum Bardas Phocas defecisset, hunc Joannes Scylitzes Curopalata pag. 15. & ex ipso Cedrenus, consiliis præsertim usum narrant *episcopi Abydem*, cujus nomen omisere.

VIII. MICHAEL.

Pag. 282. Juris Græco-Rom. synodus refertur, quam Lucas Chrysoberges, mense Martio fer. II. habuit, in qua vetitum est, ne morientium episcoporum bona auferrentur. Considebat cum aliis metropolitis *Abydenus* τῆς Ἀβύδου. Hunc Michaëlem fuisse nomina-

tum conjicere ex eo licet, quod synodo alteri ejusdem Patriarchæ anno Mundi 6674. Christi 1166. Manuelis Comneni Imper. 23. in qua Alamannorum de Deo Verbo Fides approbata est, aderat *Michaël Abydi*, ut narrat Allatius lib. 2. De cons. cap. 12. n. 4.

IX. Theodorus II.

Sub Georgio Xiphilino patriarcha celebratum est de more concilium mense Februario die 18. fer. 2. Ind. xv. hoc est anno 1197. in quo actum est *de juribus territoriorum*, sedebatque inter metropolitas *Theodorus Abydi*, Θεόδωρος Ἀβύδου. Jur. Græco-Rom. p. 283.

X. * * *

In episcoporum conventu, in quo Isaacius Angelus Imp. sancivit debere omnino singulos qui in Urbe agerent episcopos vocari ubi episcopus eligendus foret, sedebat metropolita *Abydenus*, ὁ Ἀβύδου. Jur. Græco-Rom. pag. 174.

XI. * * *

Inter episcopos Græcos qui epistolam Gregorio Papæ X. de sarcienda Græcæ ecclesiæ unione cum Romana scripserunt, initio epistolæ *Metropolitanus Abydi* memoratur.

IX. ECCLESIA DARDANI.

Post *Abydum*, ait Strabo lib. 13. *est promontorium Dardanium, & civitas Dardanus*, Δάρδανος, *lxx. stadiis ab Abydo distans*. Plinius *Dardanum* nomine neutro dicit. In Notitiis omnibus habetur: hodieque *Dardanello* oppidum est in Propontidis faucibus celebre.

EPISCOPI DARDANI.

I. Paulus.

In synodo Ephesina aderat *Paulus Dardanorum episcopus*, atque errore, ut puto, librariorum dicitur *episcopus Dardanorum Lydiæ*, pro *Hellesponti*: nisi forsan, ut suspicari licet, pro Δαρδάνων, legere sit Δαλδῶν, *Daldorum*.

II. Petrus.

Synodo Chalcedonensi, *Petrus episcopus civitatis Dardani*, Πέτρος ἐπίσκοπος πόλεως Δαρδάνου, qui & subscriptus legitur epistolæ synodi Cyzicenæ ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini.

III. Phocas.

Relationi synodi Constantinopolitanæ ad Joannem Patriarcham, de Severo Antiocheno, aliisque hæreticis proscribendis, quæ legitur act. 5. concilii alterius, quod sub Menna Patriarcha habitum est, subscripsit *Phocas episcopus civitatis Dardani*, Φωκᾶς ἐπίσκοπος πόλεως Δαρδάνου. Qui alteri Relationi de electione Epiphanii Patriarchæ perinde subscripsit, *Phocas minimus episcopus Dardanæ civitatis provinciæ Hellesponti*.

IV. Strategius.

In Septima synodo sedit & subscripsit *Strategius episcopus Dardani*, Στρατήγιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Δαρδάνου.

V. Joannes.

In synodo quæ ob Photii restitutionem celebrata est, *Joannes Dardani*, Ἰωάννου Δαρδάνου, Ἰωάννης Δαρδάνου.

X. ECCLESIA ILII.

Cum vetus *Ilium* jampridem deletum esset, quod circa Hellesponti initia exsistebat, ut auctor est Strabo, novum ab Alexandro M. ad finem flexuum conditum est, quod auctum, & longo muro cinctum fuit à Lysimacho. Hoc tamen Ptolemæus idem esse atque Trojam scripsit; Romani vero iterum munierunt, & immunitate tamquam ab Trojanis procreati, donaverunt. In Notitiis omnibus Græcis inter episcopatus censetur.

EPISCOPI ILII.

I. Orion.

In indice Patrum synodi Nicænæ *de provincia Asiæ* censetur *Orion Iliensis*.

II. Leucadius.

Epistolæ Philippopolitani conventus Arianorum, qui à Sardicensi concilio secesserant, subscripsit *Leucadius episcopus ab Ilio*.

III. Theosebius.

Synodo Chalcedonensi adfuit & subscripsit *Theosebius episcopus civitatis Ilii*, Θεοσέβιος ἐπίσκοπος πόλεως Ἰλίου, qui & subinde subscripsit epistolæ synodi Cyzicenæ ad Leonem Imp.

ECCLESIA ILII.

IV. JOANNES.

In Quinta synodo *Joannes episcopus Ilii*, vices gessit Euprepii Cyziceni metropolitæ sui, cunctaque synodi gesta approbavit.

V. NICETAS.

Sedit in Septima synodo generali & subscripsit *Nicetas episcopus Ilii*, Νικήτας ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ἰλίου.

VI. GEORGIUS.

Octavæ synodo generali, in qua Photius S. Ignatii Constanopolitani æmulus proscriptus fuit, *Georgius episcopus Hylii* (sic librarii Latini pro *Ilii*) ordinatus proinde ab Ignatio, vel ab ejus decessore Methodio.

XI.

ECCLESIA TROADIS.

PRæter Troadem Mysiæ veteris regionem, ejusdem nominis civitas *Troas* fuit, olim *Antigonia dicta*, ait Plinius, *nunc Alexandria, colonia Romana.* Ex quo comperimus ipsam esse quam Strabo *Trojanam Alexandrinam* appellat. Troadi aliquando egerat Apostolus gentium Paulus, dum ad Timotheum epist. 2. cap. 11. v. 13. scribebat. *Penulam*, inquit, *quam reliqui Troade apud Carpum veniens, affer tecum, & libros, maximeque membranas:* Sed & in ea urbe S. Lucas se Apostoli ejusdem itinerum socium præbuisse significat Act. 16. v. 10. Quæ Scripturæ loca satis innuunt, ipso Apostolorum tempore christianam ecclesiam illic institutam esse, cujus primus antistes fuerit forsan Carpus Pauli discipulus. Troadem in Hellesponto habent, Notitiæ omnes: eumdem vero, cùm Troadis tum Scepsis fuisse episcopum dicemus ubi de Scepsiorum ecclesia.

EPISCOPI TROADIS.

I. MARINUS.

IN actis synodi Nicænæ à Gelasio Cyziceno compositis, Theonas Cyzici subscriptus legitur ecclesiis Asiæ, Hellesponti, Lydiæ & Cariæ per episcopos qui sub ipso erant, Eutychium Smyrnæ, & *Marinum Troadis*, ἐκ Μαρίνου Τρωάδος.

II. NICONIUS.

Conventui Arianorum Philippopolitano aderat, eorumque epistolæ subscripsit *Niconius episcopus à Troade.*

III. * * *

IV. SILVANUS.

Socrates lib. 7. cap. 36. de translationibus agens episcoporum, *Silvanum* Philippopoli Troadem translatum ait: mox capite insequente, agit de illa ejusdem Silvani Troadem translatione. Ait Silvanum primùm in Troïli schola Rhetorem meruisse: sed christianæ perfectionis studio Rhetorices pallium recusasse: hunc subinde ab Attico CP. Philippopolis in Thracia episcopum ordinatum; sed quum tres annos in Thracia egisset, nec propter infirmam valetudinem nimia regionis illius frigora tolerare posset, Atticum rogasse, ut alterum suo loco Philippopolis episcopum ordinaret. Quamobrem *defuncto paulo post Troadis episcopo*, Silvanus ab Attico ea sede donatus fuit. Troade vero Silvanus agens, miraculum insigne patravit, quod statim Socrates recitat. Inprimis vero, quum animadverteret clericos qui fidelium causis dirimendis vocabant, ex litigantium controversiis quæstum facere, unum ex laïcis selegit, virum doctum & æquitatis studiosum, qui litigantes mutuò conciliaret. Hæc quidem Socrates de Silvano. Cæterum Palladius in Dialogo de vita S. Joannis Chrysostomi, Silvanum episcopum, sanctissimi archiepiscopi causa quam tuebatur, ab Imperatoris ministris male adeo vexatum refert, ut Troade piscatu victum quæreret. Quem quidem à Silvano Philippopolitano & Troadensi diversum fuisse, sat verisimile est. In Actis SS. die 2. Februarii, ubi de S. Cornelio Centurione pag. 294. legitur Silvanum, dum Troadis ecclesiam regeret, Scepsim venisse, ubique à sancto Centurione in somnis admonitum, ut corpus ipsius è sepulcro quo condebatur levaret, suoque de nomine ecclesiam exstrueret.

V. ATHANASIUS.

Silvano successit *Athanasius*, ut fertur in vita S. Cornelii Centurionis apud Metaphrasten n. 8. *Quum autem Silvanus decessisset episcopus, Troadensium quidem episcopatum excepit Athanasius; Scepsæorum autem Philostorgius.*

VI. PIONIUS.

Synodo Constantinopolitanæ, in qua Flaviano præside Eutyches hæresis reus actus & convictus fuit, anno 448. aderat *Pionius Troadis episcopus*, Πιόνιος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος τῆς κατὰ Τρωάδα ἁγίας τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας: qui subinde Chalcedonensi quoque synodo interfuit, ejusque decretis act. 6. & 16.

subscripsit, uti demum epistolæ synodi Cyzicenæ ad Leonem Imp.

VII. Leo.

In Septima synodo *Leo episcopus Troadis*, Λέων ἐπίσκοπος Τρωάδων.

VIII. Petrus.

Strenuus causæ Ignatii Constantinopolitani adversus Photium propugnator fuit *Petrus reverendissimus episcopus Troadis*, Πέτρος αἰδεσιμώτατος ἐπίσκοπος Τρωάδος, quem A sanctissimus archiepiscopus cum Joanne metropolita Sylæi ad Nicolaum Papam delegavit, ut qui multa ambo sui causa à Photio mala passi essent; quod testatur Ignatius ipse in epistola ad eumdem Nicolaum. Restituto Ignatio, ad synodum generalem Octavam venit, latæque in Photium tyrannum sententiæ, aliisque decretis subscripsit.

ECCLESIA TROADIS.

IX. Michael.

In synodo altera de restitutione Photii *Michaël Troadis* sedebat, Μιχαὴλ Τρωάδος.

XII.

ECCLESIA PIONIÆ.

PIONIA sive *Pioniæ*, voce plurali, Mysiæ civitas est Plinio lib. 5. cap. 30. Straboni non ignota, quam omnes Notitiæ in Hellesponto collocant.

EPISCOPI PIONIÆ.

I. Aetius.

IN Collectione nova conciliorum clariss. B Baluzii, inter subscriptiones Latinas synodi Ephesinæ col. 540. 632. & 1149. legitur *Aëtius episcopus Paoniorum Hellesponti*, pro *Pioniorum*; qui tamen Contestationi multorum episcoporum, qua intercesserunt ne Cyrillus synodi celebrationem ante Joannis Antiocheni adventum inchoaret, subscriptus quoque reperitur: *Aëtius episcopus Piolitensis*, seu *Pioniensis*, *Hellesponti*.

II. Eulalius.

Synodo Chalcedonensi adfuit & subscripsit act. 6. & 16. *Eulalius episcopus civitatis Pioniorum*, Εὐλάλιος ἐπίσκοπος πόλεως Πιονίων.

III. Sabbas.

Epistolæ synodi Cyzicenæ ad Leonem Imper. anno 458. subscripsit quoque *Sabbas episcopus Pioniæ*.

XIII.

ECCLESIA MILETOPOLIS.

STEPHANUS Byzantinus Miletopolis situm statuit *ad Rhyndacum amnem, inter Cyzicum & Bithyniam*. Atqui Plinius lib. 5. cap. 32. *fluvium Rhyndacum*, olim *Lycum*, oriri ait, *in stagno Artynia juxta Miletopolim*. Strabo lacum Artyniam *Apolloniaticum* appellat. Miletopolim Hellesponto attribuunt omnes Notitiæ; quæ posteriori ævo archiepiscopatus, quin & subinde metropolis titulo aucta est, & in episcopatum unum coïvit cum Lupadiensi, seu translata Lupadium episcopali Miletopolis sede.

EPISCOPI MILETOPOLIS.

I. Philetus.

IN vita S. Parthenii qui Miletopoli oriun- C dus erat, *Philetus* ejusdem urbis episcopus, Parthenium Lampsaci posthac præsulem ordinasse presbyterum dicitur, & περιοδευτὴν seu diœcesis lustratorem.

II. * * *

Parthenii Lampsaceni exequiis adfuisse legitur *episcopus Miletopolis*, cujus nomen tacetur; at certè alter à Phileto.

III. Gemellus.

Sedebat tempore synodi Chalcedonensis *Gemellus episcopus Miletopolis*, pro quo act. 6. & 16. Diogenes Cyzici, ut pro aliis de provincia Hellesponti absentibus subscripsit, Γεμέλλου Μιλητουπόλεως.

IV. Sozomenus.

Epistolæ synodi Cyzicenæ ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini subscriptus legitur in editione Labbeana, *Sozominus episcopus Mileti*. Codices veteres Latini in nova Collectione Baluzii melius habent *Sozominus*, seu *Sozomenus*, qui non Mileto Ionias, sed Miletopoli Hellesponti omnino assignandus venit, ut pote qui Cyzicenæ metropoli suberat.

V. Joannes I.

Inter Hormisdæ Papæ epistolas, una de reconciliatione sedis Constantinopolitanæ

ECCLESIA Miletopolis.

cum Romana inscribitur *Joanni episcopo Melicitano*, emendandum aiunt *Miletopolitano*.

VI. JOANNES II.

Sextæ synodo generali adfuit & subscripsit *Joannes episcopus Miletopolitarum civitatis provinciæ Hellesponti*. Ιωάννης ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Μιλητουπολιτῶν πόλεως τῆς Ἑλλησποντίων ἐπαρχίας.

VII. ANDREAS.

Trullanæ synodi canonibus subscriptus fertur *Andreas episcopus Miletopolitarum provinciæ Hellesponti*. Ἀνδρέας ἀνάξιος ἐπίσκοπος B Μιλητοπολιτῶν τῆς Ἑλλησποντίων ἐπαρχίας.

VIII. MICHAEL.

In Septima synodo sedit & subscripsit *Michaël episcopus Miletopolis*, Μιχαὴλ ἐπίσκοπος Μιλητουπόλεως.

IX. DAMIANUS.

In Octava quoque synodo *Damianus misericordia Dei episcopus Miletopoleos*.

X. THEOPHANES *vel* THEOPHILUS.

In Photiana synodo sub Joanne Papa VIII. A *Theophanes Miletopolis*, Θεοφάνους Μιλητοπόλεως: in subscriptionibus *Theophilus* dicitur, Θεόφιλος Μιλητουπόλεως.

XI. AGAPETUS.

Germanus II. patriarcha, quo tempore Nicææ, occupata à Francis Constantinopoli, sedebat, concilium habuit, à quo negotiorum quorumdam causa, ad Manuelem Ducam Epiri Despotam Christophorus Ancyræ delegatus est. Episcoporum qui synodo aderant unus fuisse fertur *Agapetus Lupadii & Melitopolis*, τοῦ Λουπαδίου καὶ Μελιτουπόλεως Ἀγαπητός. Lambec. bibl. Cæsar. cod. 231. lib. 5.

XII. HIEROTHEUS.

Lambecius lib. 8. biblioth. Cæsar. cod. 6. Relationem memorat, quam nonnulli metropolitæ anno 1346. mense Sept. Indict. xv. Annæ Augustæ obtulerunt de Joanne Caleca patriarcha, quod Barlaamo & Acyndyno adversus Palamitas faveret. Huic subscripsit *Hierotheus metropolita Lupadii*. ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Λουπαδίου Ἱερόθεος.

XIV. ECCLESIA HADRIANÆ.

HADRIANAM in Hellesponto collocant Notitiæ episcopatuum; nescivit Hierocles, necnon Ptolemæus; quam tamen ab Hadriano Imp. dictam conjectari licet. Adrania, Ἀδράνεια subinde quoque appellata est, ut legitur in actis synodorum, imo & *Hadriani*, Ἀδριανοί.

EPISCOPI HADRIANÆ.

I. ALEXANDER.

SOCRATES lib. 7. cap. 36. *Alexandrum* Helenopoli in Bithynia *Hadrianos* translatum perhibet. Ἀλέξανδρος ἀπὸ Ἑλενουπόλεως μετηνέχθη εἰς Ἀδριανούς.

II. DAVID.

Synodo Chalcedonensi adfuit *David episcopus Adrianes*, seu *Hadrianæ*, *Hellesponti*, ut fert Latina translatio, qui & act. 6. & 7. subscripsit: Δαβὶδ ἐπίσκοπος Ἀδριανῶν. Quin & epistolæ synodi Cyzicenæ ad Leonem Aug. subscripsit.

III. CYRICUS.

Sextæ synodo generali aderat, *Cyricus Adrianiæ episcopus*, Κυρίκου ἐπισκόπου Ἀδριανείας, qui subscriptus legitur Κύρικος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Ἀδρανείας. Latina translatio: *Cyricus misericordia Dei episcopus civitatis Adraneensis provinciæ Hellesponti*.

IV. STAURACIUS.

Sic quoque canonibus Trullanus Σταυράκιος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος Ἀδρανείας, τῆς Ἑλλησποντίων ἐπαρχίας, *Stauracius minimus episcopus Adraniæ provinciæ Hellesponti*.

V. SISINNIUS.

In Septima synodo *Sisinnius episcopus* C *Adraniæ*, Σισίννιος ἐπίσκοπος Ἀδρανείας. Latina translatio vetus habet, *Hadrianæ* & *Hadrianes*.

VI. NICOLAUS. BASILIUS.

In Octava synodo sedit *Nicolaus Adraniæ episcopus*, à S. Ignatio utique, vel à S. Methodio pridem ordinatus: *Nicolao Deo amabili episcopo Adranias*, qui & subscriptus legitur *Nicolaus misericordia Dei episcopus Adraniæ*. Posthac interfuisse quoque fertur synodo alteri quæ Photii restituti causa, coacta est, in cujus actis scribitur *Nicolaus Adraniæ*, Νικολάου Ἀδρανείας, Νικόλαος Ἀδρανείας. Aderat vero etiam *Basilius Hadrianæ*, Βασίλειος Ἀδριανῆς, Βασιλείου Ἀδριανῆς.



XV. ECCLESIA SCEPSIS.

DE *Scepsi* civitate Strabo dicturus, *Palæscepsim* esse ait *ultra Cebrinam*, haud procul Troade, *ad excelsiorem Idæ montis partem prope Polichnam. Ea olim Scepsis vocabatur, ex eo dicta, quod locus esset circumspectus, si antiqua barbarorum nomina Græcis interpretanda sunt. Postea sexaginta stadia inferius in eam incolæ migravere, quæ nunc Scepsis dicitur, auctore Scamandrio Hectoris filio, & Ascanio Æneæ: quorum duo genera multo tempore dicuntur imperasse, quæ subinde in paucorum principatum conversa sunt. Tamdem Antigonus Scepsios Alexandriam sive Troadem deduxit, qui deinde, Lysimacho permittente, domum rediere.* Hinc certe Troadis & Scepsis affinitas, quarum unus aliquando episcopus fuit. Regionem Scepsim novit Plinius, urbem Ptolemæus; quæ in Notitia Hieroclis Hellesponti trigesima secunda est, in aliis veteribus abest, quum in Troadensem episcopatum coaluerit. Cæterum ipsa est, nî fallor, quæ in recentiori apud Philippum Cyprium *S. Cornelii* dicitur, ιϛ΄. ὁ τοῦ ἁγίου Κορνηλίου. *13. episcopus sancti Cornelii*: quando nimirum Cornelius ille centurio, quem S. Petrus Gentilium primum baptizavit, ecclesiam christianam in ea instituisse fertur, ibique sepultus.

EPISCOPI SCEPSIS.

I. Cornelius *centurio*.

IN Actis SS. mensis Febr. 2. edita est vita *S. Cornelii* quondam centurionis, ex Metaphrastæ collectaneis, qui postquam ab Apostolo Petro baptisatus fuit, Scepsi evangelium prædicasse & in ea obiisse, ac juxta civitatem sepultus dicitur. Hujus corpus sæculo quinto à Silvano Troadis, qui divinitùs admonitus Scepsim venerat, repertum, & in ecclesia quam in loco *Trigono* dicto exstruxerat, collocatum fuit; unde *civitas S. Cornelii* sequiori ætate appellari meruit. Sed exhinc insuper manifestum est, eumdem tunc fuisse Scepsis atque Troadis episcopum.

II. Athanasius.

III. Philostorgius.

In illa S. Cornelii vita n. 18. itidem legitur, quum Silvanus episcopus Troadis defunctus esset, Troadensium ecclesiæ præfectum *Athanasium* fuisse, Scepsiorum verò *Philostorgium*. At certe synodo Ephesinæ subscripsit Ἀθανάσιος ἐπίσκοπος τῆς Σκεψίων πόλεως ἐπαρχίας Ἑλλησπόντου, *Athanasius episcopus Sceptiorum* A *provinciæ Hellesponti*: qui proinde in collectione ex Tragœdia Irenæi subscriptus legitur Contestationi directæ Cyrillo Alexandrino, ne synodum Ephesinam inchoaret ante Joannes Antiocheni adventum. Cæterum Diogenes Cyzici act. 6. synodi Chalcedonensis pro episcopis provinciæ suæ absentibus subscribens, *Eustorgium Scepsii* memoravit, Εὐστοργίου Σκεψίου, quem doctissimi Baluzii codices *Philostorgium* nominant, ut & Græcus contextus in subscriptionibus act. 16. Φιλοστοργίου Σκεψίου. Sedebat subscribebatque interim *Pionius Troadis*, ut Scepsii ecclesia tunc B avulsa esset à Troadensi, cui jam Athanasius præsideret.

IV. Polytenus.

Epistolæ synodi Cyzicenæ ad Leonem Imperatorem de nece S. Proterii Alexandrini subscriptus legitur *Polytenus episcopus Scepsii*, emendo *Polyænus*.

V. Samuel.

In Photiana synodo sub Joanne VIII. *Samuel S. Cornelii*, Σαμουὴλ τοῦ ἁγίου Κορνηλίου.

XVI. ECCLESIA PRŒCONNESI.

PRœconnesus insula est Propontidis fodinis marmoreis clara, à quibus hodie *Marmara* dicitur è regione Cyzici, quam solam ex pluribus aliis habitatam Pomponius Mela scribebat; Straboni, Plinio, Ptolemæo & reliquis nota. Posteriori ævo, ac certe sæculo nono Archiepiscopatus honore donata est.

EPISCOPI PRŒCONNESI.

I. Joannes.

SOcrates lib. 7. hist. cap. 36. de episcoporum translationibus agens, easque ante suam ætatem usitatas ostendens, *Joannem* Gordo Lydiæ Prœconnesum migrasse ait, Ἰωάννης ἀπὸ Γόρδου τῆς Λυδίας μετενεχθεὶς ἐν Προικοννήσῳ. At vero Joannes hic Prœconnesi

ECCLESIA Præconnesi.

episcopus synodo generali Ephesinæ adfuit & subscripsit: Ἰωάννης ἐπίσκοπος τῆς Περικοννήσου.

II. Acacius.

Diogenes Cyzici episcopus act. 6. & 16. synodi Chalcedonensis pro ditionis suæ episcopis absentibus subscripsit, in quibus *Acacius Præconnesi*, Ἀκακίου Περικοννήσου.

III. Stratocles.

Decreto synodico Gennadii Constantinopolitani adversus Simoniacos subscripsit Στρατόκλης Περικοννήσου, *Stratocles Præconnesi*, lib. 3. Juris Græco-Rom. pag. 190.

IV. Nicetas.

Septimæ synodo adfuit & subscripsit *Nicetas episcopus Præconnesi*, Νικήτας ἀνάξιος ἐπίσκοπος Περικοννήσου.

V. Ignatius.

Synodo de restitutione Photii inter metropolitas, vel archiepiscopos, *Ignatius Præconnesi*, Ἰγνατίου Περικοννήσου, Ἰγνάτιος Περικοννήσου.

VI. * * *

Synodo Joannis Xiphilini patriarchæ, in qua tractatum *de Sponsalibus*, anno Mundi 6574. Christi 1066. post metropolitas sedit *archiepiscopus Præconnesi*, τοῦ Περικοννήσου.

VII. Dionysius.

Lib. 4. Juris Græco-Rom. synodicæ sanctiones duæ habentur ab Alexio Patriarcha Constantinopolitano editæ, *De diversis causis ad metropoles, archiepiscopatus, & episcopatus pertinentibus*, quibus statuendis aderat *Dionysius* archiepiscopus Prœconnesi, καὶ ἀρχιεπισκόπων, Νικήτα Βιζύης, Διονυσίου Περικοννήσου, *& archiepiscopis, Niceta Bizyensi, Dionysio Præconnesi.* καὶ ἀρχιεπισκόπων, Διονυσίου Περικοννήσου, *& archiepiscopis, Dionysio Præconnesi, &c.* Celebrata secunda synodus est anno Mundi 6636. Indict. XI. mense Novembri, seu vulgaris æræ Christianæ 1127.

VIII.

Anno Christi 1151. Indict. XIV. mense April. Lucas Chrysoberges patriarcha C P. synodum habuit, *in qua nuptiæ septimi gradus prohibitæ sunt.* Aderat archiepiscopus *Præconnesi*, τοῦ Περικοννήσου.

IX. Isaacius.

In ea synodo, in qua eodem Luca patriarcha præside anno 1166. agitata fuit Alamanorum Constantinopoli agentium causa, de horum Domini verborum, *Pater major me est*, sensu, sedebat *Isaacius Præconnesi.* Allat. De consens. lib. 2. cap. 12. n. 4.

X. * * *.

Isaacius Angelus Imper. sanctione edixit, ut ad episcoporum electiones quæ in Urbe fierent, episcopi omnes qui in ea agerent, nemine omisso, advocarentur. Aderat *Archiepiscopus Præconnesi*, ὁ Περικοννήσου. Jur. Græco-Rom. lib. 2. pag. 175.

XI. Basilius.

In illa synodo Nicæna, in qua Christophorus Ancyræ delegatus fuit ad Manuëlem Epiri Despotam, sedebat *Basilius Præconnesi*, τοῦ Περικοννήσου Βασίλειος. Biblioth. Cæsar. lib. 5. cod. 231.

XII. * * *

Georgius Pachymeres lib. 4. cap. 16. hist. Michaëlis Palæologi Imperat. narrat, quo tempore Arsenius, qui patriarchatu in totum amotus erat, Prœconnesi episcopum qui Mocessum subinde translatus fuit, cum Neocæsariensi ad eum missum esse cum libello, quo læsæ-majestatis reus agebatur, ceu conspirationis adversus Imperatorem particeps esset. Quod Arsenius esse falsum, Deum testem appellans, asseruit. καὶ ὁ Μοκησοῦ προεδρεύων τότε τῆς ἐκκλησίας Περικοννήσου.

XIII. Nicolaus.

Joanne Becco Patriarcha anno 1280. Indict. VIII. habita synodus est, in qua Escomatismenus Magnæ ecclesiæ Referendarius Gregorii Nysseni locum de Spiritûs sancti processione *ex Filio* in insigni quodam codice erasisse convictus fuit. Aderat *Nicolaus Præconnesi*, τοῦ Περικοννήσου Νικολάου. Synodi hujus acta exstant apud Allatium lib. 3. De consens. cap. 1. n. 5. Is utique est archiepiscopus ille Prœconnesi cujus mentio est in inscriptione epistolæ episcoporum Orientalis ecclesiæ ad Gregorium Papam X. de ecclesiarum unione paciscenda.

XIV. Macarius.

Petrus Lambecius testatur in fine codicis Cæsaris CCLX. notari, possessorem ejus aliquando fuisse *Macarium* quemdam Monembasia in Peloponneso oriundum, qui anno Mundi 7056. Christi 1548. Ind. VI. die 16. Augusti in festo Transfigurationis Domini à patriarcha Dionysio *episcopus Præconnesi* ordinatus fuit.

XV. Daniel.

Anno 1638. die 14. Septemb. in synodo Constantinopolitana Cyrilli Berrhœensis patriarchæ, in qua Calviniana Cyrilli Lucaris placita damnata sunt: sedebat *Daniel Præconnesi*, ὁ Περικοννήσου Δανιήλ.

XVI. Theocletus.

Nuper anno 1721. sedebat *Theocletus Præconnesi* archiepiscopus, ὁ Περικοννήσου Θεόκλητος.

XVII. ECCLESIA

XVII.

ECCLESIA PARII.

PARIUM Helleſponti civitas Hierocli tertio loco cenſetur, quæ hodieque *Pario* dicitur, haud procul Cyzico ſita. Colonia quondam Italici juris fuit, ut poſt Plinium Paulus Juriſconſultus lege VIII. *De Cenſibus* teſtatur. Ipſa eſt, ait Plinius, quam Homerus *Adraſtiam* vocat; imo regio vicina circum *Adraſtia* dicitur Straboni; qui tamen Adraſtiam urbem inter Priapum & Parium collocat. Parium vero, eidem auctori, urbs fuit à Mileſiis ad mare condita, majorem quam Priapus portum habens. Hanc Notitiæ aliæ habent inter archiepiſcopatus: quo titulo ornatur in geſtis Octavæ ſynodi generalis. Cæterum quia Pario proximum erat oppidum *Pegæ*, Πῆγαι, quæ vox *Fontes* ſignificat, hinc fit ut in ſynodorum actis deinceps idem Parii ac Pegarum antiſtes habeatur.

EPISCOPI PARII.

MEnologia Græca ad diem 3. Januarii A memoriam habent ſancti martyris Theogenis, quem *Parii Helleſponti epiſcopum fuiſſe ferunt, qui ſub Tribuno Zelicinthio, quum Chriſtum confiteretur, fuſtibus atrociter primùm cæſus, in mare poſtea merſus eſt, cujus corpus ad littus ejectum fideles ſepelierunt.* Vitæ paſſioniſque ejus acta vetera Joannes Bollandus edidit ad illum diem 3. Januarii, ex libro 13. Speculi hiſtor. Vincentii Bellovac. cap. 60. Ex quibus tamen apparet Theogenem non epiſcopum fuiſſe, ſed epiſcopi cujuſdam urbis Phrygiæ filium, qui ſub Licinio Cyzici B in Helleſponto præſide paſſus eſt, quum militare recuſaret.

I. EUSTATHIUS.

In vita S. Parthenii epiſcopi Lampſaci legitur ad ejus exſequias conveniſſe epiſcopos aliquot, in quibus *Euſtathius Parii*. Act. SS. 7. Febr. pag. 42.

II. HESYCHIUS.

Quum Joannes Chryſoſtomus an. 400. ſynodum Conſtantinopolitanam haberet, C Antoninuſque Epheſi multorum criminum reus ageretur, tres epiſcopi in Aſiam ſunt delegati, qui facta inquirerent, teſtes audirent, nimirum Syncletius Trajanopolis metropolita, *Heſychius Parii*, Ἡσύχιος ὁ Παρίου, & Palladius Helenopolis. Heſychius ſtatim atque Smyrnam appulit, morbum ſimulavit, quippe qui cum Antonino amicitia junctus eſſet. In vivis autem adhuc ſuperſtes erat an. 431. quo ad Epheſinum concilium venit, & iis quæ contra Neſtorium definita ſunt, ſubſcripſit, Ἡσύχιος ἐπίσκοπος πόλεως Παρίου ἐπαρ- D χίας Ἑλλησπόντου. *Heſychius epiſcopus Parii, provinciæ Helleſponti.*

III. THALASSIUS.

Poſt Heſychium Parii epiſcopus fuit *Thalaſſius*, qui ſynodo Chalcedonenſi adfuit & ſubſcripſit act. 6. & 16. Θαλάσσιος ἐπίσκοπος Παρίου, *Thalaſſius epiſcopus Parii.* Quin etiam ſubſcripſit anno 458. epiſtolæ ſynodi Cyzicenæ ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini.

IV. STEPHANUS.

Sextæ quoque ſynodo aderat *Stephanus epiſcopus Parii*, Στέφανος ἐπίσκοπος Παρίου, qui & Quiniſextæ ſynodi canonibus ſubſcriptus legitur.

V. BASILIUS I.

In Menæorum noſtro codice die 12. Martii *memoria eſt S. P. N. Baſilii confeſſoris epiſcopi Parii*, Μνήμη τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Βασιλείου ὁμολογητοῦ, ἐπισκόπου Παρίου, *qui divini Pauli inſtar vitam omnem ſuam egit in tribulationibus & anguſtiis, loca perpetuo mutans; quippe quum paternorum dogmatum tenax eſſet, & eos qui pravas opiniones foverent, irrideret.* Quæ quidem Monotheletarum Principum tempora innuunt, vel certe Iconomachorum.

VI. SISINNIUS.

In Septima ſynodo ſedit & ſubſcripſit *Siſinnius epiſcopus Parii*, Σισίννιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Παρίου.

VII. BASILIUS II.

Nicetas Paphlago in vita S. Ignatii Conſtantinopolitani patriarchæ, pag. 90. hunc manu *Baſilii* qui ſacræ Parii eccleſiæ epiſcopus erat, & pro ſanctis imaginibus caſibus innumeris graviſſimiſque erumnis afflictus fuerat, ſacris omnibus ordinibus initiatum prodit, καὶ χειρὶ μὲν Βασιλείου, τῆς κατὰ Πάρειον (Πάριον) οὗτος ἱερᾶς ἐκκλησίας ἀρχιερεὺς ὢν, πρῶτον μὲν ἀναγνώστης, εἶτα ὑποδιάκονος, εἶτα καὶ διάκονος, καὶ ἱερεύς. Hujus annuam memoriam agunt Græci die 12. April. quem ſub Iconomachis principibus omnem vitam ſuam egiſſe, locaque ſæpe propter illorum furores mutaſſe ferunt.

ECCLESIA PARII.

VIII. GREGORIUS.

In Octava synodo sedebat *Gregorius Deo amabilis archiepiscopus Parii*, proximus proinde Basilii successor.

IX. PHOTIUS.

In altera synodo, in qua, S. Ignatio defuncto, de Photii in Constantinopolitanam sedem restitutione actum est, sedebat alter *Photius Parii*, Φωτίου Παρίου, Φώτιος Παρίου.

X. PHILIPPUS.

Anno Christi 997. Mundi 6505. Indict. x. Febr. 22. Sisinnius II. patriarcha synodum habuit, in qua statutum est ne duo fratres ambas consobrinas ducerent. *Hæc*, inquit, *nobiscum perpenderunt & statuerunt metropolitæ isti, nimirum Joannes Heracleæ, Joannes Ancyræ. . . . . Philippus Parii*, Φίλιππος Παρίου.

XI. *** NICETAS.

Anno Domini 1151. April. 11. Indict. XIV. Lucas Chrysoberges patriarcha, coacta synodo, nuptias septimi gradus in posterum fieri prohibuit. Anno insequenti in altera synodo vetitum est, *ne defunctorum episcoporum bona auferrentur*. Quæ sanctiones habentur in Jure Græco-Rom. pag. 227. & 282. Aderat metropolita *Parii*, τοῦ Παρίου, qui fortassis alius non fuit à *Niceta Parii*, A qui anno Mundi 6664. Christi 1156. ad synodum aliam venit, in qua Soterichi Panteugeni Antiochiæ patriarchæ designati causa agitata est. Tunc enim inter metropolitas sedebat *Nicetas Parii*. Allat. Vind. synod. Ephes. pag. 585.

XII. NICOLAUS.

Anno Mundi 6674. Christi 1166. Manuelis Comneni 23. eodem Luca patriarcha præside, sedebat in concilio in quo tractatum est de Alamanorum fide, *Nicolaus Parii*. Allat. lib. 11. de Cons. cap. 12. n. 4.

XIII. ***

In inscriptione epistolæ synodi Orientalis ad Gregorium Papam X. de unione cum Romana sede, legitur, *metropolitanus Parii*.

B

XIV. GEORGIUS.

Leo Allatius in libro de Octava synodo pag. 445. concilii Constantinopolitani meminit, quod Joanne Cantacuzeno & Joanne Palæologo I. Impp. necnon Callisto patriarcha contra Barlaamum & Acyndynum, Nicephorumque Gregoram habitum est, & cujus acta publici juris fecit Franciscus Combefisius in Auctar. noviss. Bibl. PP. Græcorum. Ejus decretis; cum metropolitis aliis subscripsit *Georgius metropolita Pegarum & Parii*. Ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Πηγῶν καὶ Παρίου, ὑπέρτιμος Γεώργιος.



III. PROVINCIA PHRYGIÆ PACATIANÆ.

I. ECCLESIA LAODICEÆ, METROPOLIS.

PHRYGIA vetus, quum una dumtaxat Provincia diu censita esset, posteriori ætate in duas, *Capatianam* scilicet, vel, ut alii volunt, *Pacatianam* (quod meliùs probavero, & *Salutarem*, distincta, divisaque fuit, ac quidem post Constantini Magni tempora. Atqui Pacatianæ quidem caput & metropolis fuit *Laodicea sub Lyco*, id est ad Lycum fluvium posita. Plinius quippe l. 5. c. 29. *celeberrimam urbem Laodiceam impositam esse Lyco flumini* scribit, *latera alluentibus Asopo (vel Asepo) & Capro, appellatam prius Diospolim, deinde Rhoas.* Strabo l. 12. hanc ad mare positam dicit, *quæ quum parva esset,* inquit, *ætate nostra & parentum nostrorum maximum incrementum cepit : quamquam Mithridatis obsidione admodum labefactata. Nam loci virtus civesque illius admodum fortunati, hanc valde magnificarunt. Illic Caper, quin & Lycus in Mæandrum influunt, ingens hic flumen, à quo Laodicea Lyco proxima audivit. Mons urbi imminet nomine Cadmus, ex quo Lycus fluit, aliusque item eodem nomine mons appellatur.* Ecclesiam Laodiceæ primus instituit gentium Apostolus, qui suam erga illam sollicitudinem significat epist. ad Coloss. 2. v. 1. Cujus etiam participem & socium cap. 4. v. 12. laudat *Epaphram carissimum*, qui & ipse Laodicenus esset. Addit quoque in domo Nymphæ Laodicensium ecclesiam exstitisse ; quin etiam innuit se alteram Laodicensibus epistolam dedisse, quam ab eis legendum monet. Cæterum declarat, se Laodicensibus de facie notum tunc non fuisse : Lucas vero Act. 16. v. 4. & 18. v. 23. Paulum bis in Phrygiam venisse testatur, dum scilicet in Galatiam pergeret ; ibique prædicasse, & discipulos confirmasse. Verum Joannes Evangelista, post Pauli discessum ecclesiam istam coluit, unde Apocalyps. 3. v. 14. *Angelo*, sive episcopo, *ecclesiæ Laodiceæ* scribere jussus est. In omnibus Notitiis, etiam Hieroclis, Laodicea Pacatianæ Phrygiæ civitas primaria est, quæ hodieque *Laodichia* dicitur, Turcis *Novelische*, Leunclavio teste.

EPISCOPI LAODICEÆ.

I. Archippus.

II. Nymphas.

EX Constitutionibus Apostolicis lib. 7. cap. 46. habemus primum Laodiceæ episcopum fuisse *Archippum* à Paulo Apostolo constitutum, τῆς δὲ ἐν Φρυγίᾳ Λαοδικείας Ἀρχίππου. *Laodiceæ vero Phrygiæ Archippo.* Id quod plane Paulus innuit cap. 4. ad Coloss. ubi ait primùm. *Salutate fratres qui sunt Laodiceæ, & Nympham, & quæ est in domo ejus ecclesiam : & quum lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite ut & in Laodicensium ecclesia legatur, & eam quæ Laodicensium est, vos legatis.* Moxque de Archippo subjungit: *Et dicite Archippo : Vide ministerium quod accepisti à Domino, ut illud impleas ;* quod episcopale onus impositum illi esse significat. *Archippum commilitonem* suum commendat epist. ad Philemonem.

NYMPHAS. Cæterum quia Apostolus ecclesiam in domo Nymphæ exstitisse perhibet, hinc in Menologiis Græcorum *Nymphas* ab illo Laodiceæ episcopus datus dicitur ad diem 28. Febr. A

III. * * *

Tertius itaque sit Laodiceæ episcopus, *Angelus* ille Laodiceæ, cui Joannes Evangelista Apoc. 3. v. 14. à Domino jussus est scribere. *Angelo,* inquit, *ecclesiæ Laodiceæ scribe : Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus. Utinam frigidus esses, aut calidus : sed quia tepidus es, neque frigidus, neque calidus, incipiam te evomere de ore meo.*
B *Quia dicis, quod dives sum & locuples, nullius egeo ; & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, ut locuples fias, & vestimentis albis induaris, & non appareat confusio nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos ut videas. Ego quos amo, arguo & castigo, &c.* Quæ quum animo

ECCLESIA LAODICEÆ.

mecum re puto, dicta esse non absurde A forsan conjecero de illo *Diotrephe*, de quo Joannes ipse queritur etiam epistola sua tertia v. 9. *Scripsissem forsitan ecclesiæ; sed is qui amat primatum gerere in eis Diotrephes, non recipit nos. Propter hoc, si venero, commemorabo opera quæ facit, verbis malignis garriens in nos: & quasi non ei ista sufficiant, neque ipse suscipit fratres, & eos qui suscipiunt, prohibet & de ecclesia ejicit.* Hæc esse dicta mihi visa sunt de ejusmodi illius temporis præsule, cui cum aliis Asiæ ecclesiarum cura impenderet, Apostolo præsertim B absente, quos suo loco septem numero fuisse ostendi, adeoque illos ipsos ad quos scribere Joanni in Apocalypsi præceptum est.

IV. Sagaris.

Ex Martyrologio Romano ad diem 6. Octobr. Laodiceæ episcopus fuit *Sagaris* Apostoli Pauli discipulus: *Laodiceæ B. Sagaris episcopi & martyris, qui fuit unus ex antiquis Pauli Apostoli discipulis. Passus est sub temporibus Marci Aurelii Imp. & sub Servilio Asiæ proconsule.* Hæc accepta sunt tum ex laciniis C operum Melitonis Sardensis, quas Eusebius Cæsariensis recitat lib. 4. hist. Eccl. cap. 26. Melito nempe scripserat, *Servilio Paulo Asiæ Proconsule, quo tempore Sagaris martyrium passus est, ortam esse Laodiceæ controversiam de solennitate Paschali, quæ tempestive in illos dies inciderat:* tum etiam ex Polycratis Ephesini epistola, in qua apud eumdem Eusebium lib. 5. cap. 24. sanctos & apostolicos viros qui decima quarta primi mensis die Pascha agebant, testes appellans, *Sagarim* laudat *martyrem & episcopum Laodiceæ quiescentem,* D τί δὲ δεῖ λέγειν Σάγαριν ἐπίσκοπον καὶ μάρτυρα, ὃς ἐν Λαοδικείᾳ κεκοίμηται·

V. Sisinnius I.

In Synaxario Basilii Imper. apud Bollandi continuatores, ad calcem tom. 2. Aprilis ad diem 12. ejusdem mensis memoria habetur *S. Artemonis martyris, presbyteri S. ecclesiæ Laodiceæ* πρεσβύτερος τῆς ἁγίας ἐν Λαοδικείᾳ ἐκκλησίας. Hic ingressus dicitur in Gentilium delubrum *cum episcopo suo Sisinnio,* μετὰ Σισιννίου τοῦ ἐπισκόπου αὐτοῦ, ut simulacrum E deturbaret. Tum vero Præfectus superveniens episcopum jussit apprehendi; verum morbo confestim correptus, obtentaque illius ad Deum precibus salute, liberum eum dimisit. Post vero Cæsaream profectus, in Artemonem offendens, ipsum tenuit, post varia supplicia, quibus eum ut Christum abnegaret, frustra tentavit, recusantem que abire sivit, qui aliquanto post in Domino obdormivit.

VI. Eugenius.

Primis Constantini M. temporibus Laodiceæ ecclesiæ præfuit *Eugenius*, Εὐγένιος qui in Romanorum castris in Pisidia merens, Flavianam Julii Nestoriani Senatoris filiam duxit, θυγατέρα Ἰουλίου Νεστοριανοῦ συγκλητικοῦ Φλαυιανὴν. Dum vero Maximianus in christianos furebat, militiæ cingulo spoliatus, plagis multis ac tormentis afflictus sub Diogene præfecto, in confessione Domini perseverans, Laodiceam secessit, ac brevi subinde ejusdem urbis ecclesiæ præsul constitutus est, quam viginti quinque annis rexit. χρόνον τε βραχὺν διατρίψας ἐν τῇ Λαοδικέων πόλει . . . . καὶ βουλήσει τοῦ παντοκράτορος Θεοῦ ἐπίσκοπος κατασταθεὶς, καὶ εἴκοσι πέντε ὅλοις ἔτεσιν τὴν ἐπισκοπὴν . . . Ea porro in urbe sacrum Deo templum à fundamentis erexit, καὶ πᾶσαν τὴν ἐκκλησίαν ἀνοικοδομήσας ἀπὸ θεμελίων, porticus & vestibula exstruxit, quæ picturis & sculpturis ornavit, καὶ πάντα τὸν περὶ αὐτὴν κόσμον στοῶν καὶ τετραστοῶν, καὶ ζωγραφιῶν, καὶ βεντήσεων, σκευαρίου, καὶ προπύλου, καὶ πᾶσι τοῖς λιθοξώοις ἔργοις, καὶ πασῶν ἁπαξαπλῶς κατασάσεων. Quæ pauca exscribo, quanta assequi mihi licuit ex inscriptione Græca quæ Laodiceæ reperta fertur, & cujus mihi peramanter copiam fecit vir, tum eruditione, tum morum suavitate nemini non commendabilis, D. Joannes Jebb Anglus, Cantabrigensis universitatis apud suos alumnus.

VII. Nunechius I.

In Latino Nicænorum Patrum indice, inter provinciæ Phrygiæ præsules censetur *Nunechius Laodicensis;* qui in Actis illius synodi à Gelasio Cyziceno conscriptis, è præcipuis illis episcopis unus est, per quos sacer hic conventus decreta sua ad ecclesias passim misit. Νουνέχιος Λαοδικείας, τοῖς κατὰ Φρυγίαν πρώτῃ καὶ δευτέρᾳ. *Nunechius Laodiceæ ecclesiis Phrygiæ primæ & secundæ.*

VIII. Cecropius *hæreticus*.

Athanasius epist. *ad solitarios* aliquantùm ante finem refert, *Cecropium* pervicacem Arianum, Laodicea Nicomediam à Constantio Imp. translatum fuisse ἀπὸ δὲ τῆς Λαοδικείας Κεκρώπιον εἰς Νικομήδειαν ἀπέστειλε. Quo loci migrationes episcoporum Arianorum è pristina sede in aliam recitat. Oratione quoque prima contra Arianos, Cecropium hunc ex obscuro homuncione factum presbyterum, velut & Auxentium Mediolanensem & Epictetum, nescio quem, hypocritam, ad ordinem episcoporum provectum esse ait, propter calumnias quibus sanctissimis præsulibus insidiatus erat. Atqui Laodiceam Phrygiæ

dixit Athanaſius, non Syriæ ad mare; quippe cui tunc Georgius ejuſdem factionis præerat.

IX. Nonnius.

Cecropium utique excepit *Nonnius*, qui epiſtolæ conventus Arianorum Philippopolitani ſubſcriptus legitur. *Nonnius epiſcopus à Laodicea, opto vos in Domino benevalere*, tunc quoque Laodiceæ Syriæ Georgius ille quem dixi, ſedebat.

X. Aristonicus.

In Epheſina ſynodo priore ſedit & ſubſcripſit *Ariſtonicus epiſcopus metropolis Laodiceæ*. Ἀριστόνικος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος τῆς Λαοδικέων μητροπόλεως.

XI. Nunechius II.

Ad Epheſinam ſynodum ſecundam venit *Nunechius Laodiceæ Trimitariæ*, Νουνεχίου Λαοδικείας Τριμιταρίας, qui, quum iniquis Dioſcori Alexandrini auſibus ſuffragatus eſſet, poſt biennium in ſynodo Chalcedonenſi factum revocavit, act. præſertim 6. ſanctis ejus decretis ſubſcribens, Νουνέχιος ἐπίσκοπος Λαοδικείας τῆς μητροπόλεως, *Nunechius epiſcopus Laodiceæ metropolis*. Ei poſtea anno 458. ut & aliis metropolitis, Leo Auguſtus, ſacris ſuis literis S. Proterii Alexandrini necem nuntiavit, jubens ut cum provinciæ ſuæ ſynodo de Chalcedonenſi concilio ad ſe ſcriberet, quid de eo ſentiendum eſſet. *Nunechio reverendiſſimo epiſcopo Phrygiæ Pacatianæ*. Subſcriptus etiam legitur decreto ſynodi Conſtantinopolitanæ Gennadii contra Simoniacos. Jur. Græco-Rom. pag. 187.

XII. Joannes.

Tempore Quintæ ſynodi generalis ſedebat *Joannes metropolita Laodiceæ Phrygiæ*, cujus in ea vices geſſit *Aſignius epiſcopus Tranopolis*, qui in hunc modum ſubſcripſit: *Aſignius epiſcopus Tranopolitanorum civitatis, vices agens Joannis religioſiſſimi epiſcopi Laodicenorum Phrygiæ Pacatianæ provinciæ*.

XIII. Tyberius.

Sextæ ſynodo generali adfuit *Tiberius epiſcopus Laodiceæ metropolis Phrygiæ Pacatianæ*. Τιβέριος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος τῆς Λαοδικέων μητροπόλεως τῆς Πακατιανῶν ἐπαρχίας.

XIV. Eustathius.

Septimæ item ſynodo generali, *Euſtathius Laodiceæ provinciæ Phrygum metropolis epiſcopus*, Εὐστάθιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Λαοδικείας τῆς Φρυγῶν ἐπαρχίας.

XV. * * *

Theodorus Studita lib. 2. epiſt. 2. ſignificat *Laodiceæ epiſcopum* ex illis fuiſſe, qui Leone Armeno Imp. Iconoclaſtarum hæreſim amplexi, illam poſthac ejurarunt. Cæterum operæ pretium ait fuiſſe, ut iterata pugna Fidem ſuam inſigni quopiam edito facinore monſtraret, quo priſtinum ſuum locum recuperaret. *Neque enim*, inquit, *ego illi auctor eſſem, ut ſacris operaretur, ſed communicaret ſolum propter ſolennitatem.* Quod Theodorus iterum ſignificat epiſt. 89. *Theophilo præpoſito* data, qui ſimilis lapſu ceciderat. *Ignoſce, Pater,* inquit: *quum tradideris temetipſum humilitati meæ, cogor tamquam ex Domini ore tibi convenientia loqui. Quia univerſos, ut ſimiliter tecum vexationem tolerarent commonuiſti... Quin vel ſic minorem feciſti cladem, & ſubditis factus es exemplum, & Eccleſiam Dei ædificare viſus es, loco ruinæ quæ prius illata eſt. Sic egit amantiſſimus frater noſter & ipſe Medicii præpoſitus, ſic & ſanctiſſimus pater noſter Laodicenſis*, οὕτως ὁ ἁγιώτατος πατὴρ ἡμῶν τῆς Λαοδικείας.

XVI. Theodorus.

A Sancto Ignatio Conſtantinopolitano metropolita Cariæ *Theodorus* conſecratus fuit, qui, quum ſubinde ad Photium Byzantinæ eccleſiæ tyrannum defeciſſet, Laodiceam Phrygiæ ab eo tranſlatus fuit, quemadmodum Ignatius Hadriano Papæ II. ſcribebat. At Photio ad ordinem redacto, ad Ignatium ille rediit, admiſſique erroris veniam petiit in Octava ſynodo generali; ad quem proinde, uti deſertorem, Photius epiſtolas dedit 77. 130. 171. 184. Θεοδώρῳ μητροπολίτῃ Λαοδικείας, *Theodoro metropolitæ Laodiceæ*. Apparet eum aliquandiu exagitatum fuiſſe, ut tamdem ad Ignatium reverteretur. Joannes Gretzerus perperam putavit Theodorum Cariæ metropolitam eumdem fuiſſe atque Theodorum Abucaram, cujus opuſcula nonnulla Græce Latineque edidit. Verum ſuo loco oſtendam, Theodorum *Abucaram* epiſcopum fuiſſe urbis Harran in Phœnicia Libani. Theodori è Cariæ metropoli Laodiceam tranſlationem memorat Nicephorus Calliſtus lib. 14. hiſt. cap. 39. ubi legitur: Θεόδωρος ὁ μακάριος (emend. ὁ Καρίας) ἐκεῖθεν εἰς Λαοδικείαν. Quemadmodum etiam legendum in Jure Græco-Rom. lib. 4. cap. *De tranſlationibus epiſcoporum*; ubi habetur, ὁ Θεόδωρος ὁ Μάκρης, pro Θεόδωρος ὁ Καρίας.

XVII. Sisinnius II.

In Octava ſynodo quæ Photium diris devovit, ſedit & ſubſcripſit *Siſinnius miſericordia Dei epiſcopus Laodiceæ*. Qui proinde ab Ignatio, Theodoro ejecto, ſuffectus fuerat.

ECCLESIA LAODICEÆ.

XVIII. Paulus. A

XIX. Simeon.

In altera ſynodo quam Photius, recepta ſede Byzantina, cogendam curavit, inter metropolitas ſediſſe & ſubſcripſiſſe leguntur Laodiceæ epiſcopi duo, *Paulus & Simeon* Παῦλος Λαοδικείας, Συμεὼν Λαοδικείας, quorum alter ab Ignatio, poſt receptam ſedem Byzantinam conſecratus erit, alter à Photio. Ex Nicephoro Calliſto lib. 14. c. 39. *Simeon Novarum Patrarum epiſcopus Laodiceam eſt tranſlatus*, καὶ Συμεὼν ὁ Νέων Πατρῶν ἐπίσκοπος μετετέθη εἰς Λαοδικείαν. B Exſtant vero Photii epiſtolæ Παύλῳ μητροπολίτῃ Λαοδικείας. *Paulo epiſcopo Laodiceæ*, quibus queritur *nullam hyemis eſſe finem*, utique quod illum ſibi ſemper infenſum experiretur.

XX. * * *

Inter Simeonis Metaphraſtæ epiſtolas aliquot, quæ exſtant in tractatu Leonis Allatii *De Simeonibus*, tres aut quatuor inſcribuntur, τῷ Λαοδικείας, *epiſcopo Laodiceæ*, quîcum amicitia conjunctus erat. Hunc laudat C ab eruditione, dicendique peritia, inprimis ob orationem quam in Imperatoris laudem pronuntiarat, Leonis utique Sapientis, quem Philoſophiæ ultra quam ullus antehac Principum præſtiterat, operam impendiſſe ait, ἀπὸ τοῦ κεχρῆσθαι τῷ μεγάλῳ βασιλεῖ τοῖς λόγοις· οὗτος δὲ ἅπαξ τὸ φιλοσοφεῖν ἑλόμενος, καὶ λιτότητα, ὡς οὐκ οἶδ' ἄλλος τῶν βασιλέων, ἠγαπηκώς.

XXI. Michael.

Alexius Comnenus Imp. anno 1082. Nicolao Grammatico patriarcha in conventu D procerum imperii & epiſcoporum Decretum unionis de ſacrarum imaginum cultu denuò ſanxit, ſedente inter metropolitas *Michaële Laodiceæ*, Μιχαὴλ Λαοδικείας. Bibl. Coiſlin. pag. 104.

XXII. * * *

Synodo Conſtantinopolitanæ, quæ anno 1140. Indict. III. menſe Maio, Joanne Comneno Imp. & Leone Stypiota patriarcha, Bogomilorum hæreſim proſcripſit, aderat *metropolita Laodiceæ*, τοῦ Λαοδικείας. Allat. De conſ. lib. 2. cap. 12.

In altera ſynodo, quæ Michaële Oxita patriarcha præſide, anno 1144. die 22. Febr. Indict. VII. propter Niphonem monachum ejuſdem hæreſis reum habita eſt, ſedebat quoque *Laodicenſis*, τοῦ Λαοδικείας. Allat. ibid. col. 681. 682.

XXIII. Basilius.

Coſmas Atticus patriarcha, Manuële Comneno Imp. accuſatus ejuſdem impietatis, anno 1147. in ſynodo multorum epiſcoporum deſtitutus eſt; cujus ſententiæ ſubſcripſit *Baſilius metropolita Laodiceæ*, ὁ ἀπελὴς μητροπολίτης Λαοδικείας Βασίλειος. Allat. ibid. Hic poſt aliquot annos adſuit quoque ſynodo in qua Soterichus Panteugenus Antiochiæ patriarcha electus, ob errorem de ſacrificio Domini ejici meruit. Id. Vind. Syn. Eph. pag. 585.

XXIV. * * *

Iſaacius Angelus Imp. vocatis epiſcopis compluribus, ſanctionem edidit, ut irritæ eſſent electiones epiſcoporum, ad quas ſinguli præſules qui in Urbe agerent, vocati non eſſent. In ea ſedebat *Laodicenus*, τοῦ Λαοδικείας. Jur. Græco-Rom. pag. 174.

XXV. Theophylactus.

Inter metropolitas qui ſynodo ſchiſmaticæ poſt Joannis Palæologi II. obitum an. 1450. ad concilii Florentini Decretum ejurandum adfuiſſe finguntur, ſubſcriptus legitur *Theophylactus epiſcopus Laodiceæ*. Θεοφύλακτος ἐπίσκοπος Λαοδικείας. Allat. Addend. ad lib. 3. De conſ. col. 1337.

II. ECCLESIA TIBERIOPOLIS.

Juxta Eumeniam Phrygiæ civitatem verſus Auſtrum exſtabat *Tiberiopolis*, Ptolemæo teſte lib. 5. cap. 2. quam Notitiæ epiſcopatuum habent in Phrygia Capatiana, ſive potius Pacatiana, cujus etiam provinciæ cenſetur apud Hieroclem. Socrates hanc quoque in Phrygia collocat; à Tiberio autem Aug. dictam ambigere non licet: ejus verò priſcum nomen compertum non eſt, Nunechius Laodiceæ act. 6. concilii Chalcedonenſis, pro epiſcopis ſuæ provinciæ qui aberant, ſubſcribens, neminem indicat Tiberiopolis præſulem, nec ullus in ejuſdem ſynodi aliarumque priorum actis occurrit.

ECCLESIA Tiberiopolis

EPISCOPI TIBERIOPOLIS.

I. EUSTATHIUS.

SYnodo Constantinopolitanæ sub Menna adfuit & subscripsit *Eustathius episcopus Tiberiopolis*. Εὐστάθιος ἐπίσκοπος Τιβεριουπόλεως.

II. SILAS.

Quintæ item synodo generali, *Silas misericordia Dei episcopus Tiberiopolis Pacatianæ provinciæ.*

III. ANASTASIUS.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus A legitur *Anastasius episcopus Tiberiopolis Pacatianæ.* Ἀναστάσιος ἐπίσκοπος Τιβεριουπόλεως Πακατιανῆς.

IV. MICHAEL.

In Septima Synodo adfuit & subscripsit *Michaël Tiberiopolis.* Μιχαὴλ ἐπίσκοπος Τιβεριουπόλεως. In translatione Latina *Theodorus* dicitur.

V. THEOCTISTUS.

In synodo de restitutione Photii, *Theoctistus Tiberiopolis*, Θεοκτίστου Τιβεριουπόλεως.

III.

ECCLESIA AZANORUM.

AZANI, *Azanai*, Phrygiæ Epictetiçæ civitas est, Straboni lib. 12. ut *& Nacolia, Cotyæium, Midaium, Dorylæum, & Ladi.* Pacatianæ censetur in Notitia Hieroclis & aliis. Illic sita erat ubi Rhyndacus fluvius emergit.

EPISCOPI AZANORUM.

I. PISTICUS.

IN indice Patrum synodi Nicænæ *De provincia Phrygiæ* censetur *Pisticus Azanensis*, vel *Azanon*, sive Azanorum.

II. PELAGIUS.

Relationi synodi Constantinopolitanæ ad Joannem Patriarcham de Severo Antiocheno, & aliis ejus sociis hæreticis subscripsit anno 518. *Pelagius episcopus civitatis Azanitarum*, Πελάγιος ἐπίσκοπος τῆς Ἀζανιτῶν πόλεως, qui anno proinde 553. sedebat adhuc, quo Quintæ synodo generali adfuit & subscripsit, *Pelagius misericordia Dei episcopus Azanorum civitatis.*

III. GREGORIUS.

Subscriptus quoque canonibus Trullanis B legitur Γρηγόριος ἀνάξιος ἐπίσκοπος πόλεως Αἰζανιτῶν Πακατιανῆς, *Gregorius indignus episcopus civitatis Æzanorum Pacatianæ.*

IV. JOANNES.

Septimæ generali synodo adfuit & subscripsit *Joannes episcopus Azanorum*, Ἰωάννης ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ἀζανῶν.

V. THEOPHANES.

Octavæ rursum, *Theophanes misericordia Dei episcopus Azanorum*, qui & synodo rursum alteri sub Joanne Papa VIII. de restitutione Photii adfuisse reperitur. *Theophanes Azanus.* Θεοφάνους Ἀζανοῦ, sive Ἀζανῶν.

IV.

ECCLESIA ANCYRÆ.

ANCYRÆ Phrygiæ meminit Ptolemæus, Ἄγκυρα Φρυγίας, quæ à Strabone *Ancyra* dicta est *Abasitidis regionis*, ubi Abasum oppidum. Plinio quoque l. 5. c. 32. in Phrygia *oppida celeberrima sunt, Ancyra, Andria, Celanæ, &c.* In Notitiis Græcis duabus vocatur Ἄγκυρα Συνάου. Hanc habet etiam Hierocles in Phrygia Capatiana, seu Pacatiana.

EPISCOPI ANCYRÆ.

I. FLORENTIUS.

IN indice Patrum Nicænorum *De provincia* C *Lydiæ*, censetur *Florentius Anticyræ*, Labbeus in margine *Antiquiras*, al. *Ancyræ Phrygiæ.* Et hic quoque subscriptus legitur epistolæ Arianorum conventus Philippopolitani adversus synodi Sardicensis patres, *Florentius episcopus ab Anchura*, sive *Ancyra.*

II. PHILIPPUS.

In indice Latino Maffæi patrum concilii Chalcedonensis *De provincia Phrygiæ Pacatianæ*, legitur *Philippus Ageyraffodera, Agiraffidensis*, hoc est *Ancyræ Abasidensis.*

III. CYRICUS.

Sexto concilio generali adfuit & subscripsit *Cyricus misericordia Dei episcopus civitatis*

ECCLESIA ANCYRÆ.

Ancyræ Phrygiæ, Κύειακος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος πόλεως Αγκύρας τῆς Φρυγίας, ultimo pene loco. Qui & Quinisextæ synodi canonibus subscriptus reperitur, *Cyricus indignus episcopus Ancyræ civitatis Pacatianæ*.

IV. CONSTANS.

Septimo quoque concilio, *Constans*, sive *Constantinus episcopus Ancyræ*, Κώνστας ἀνάξιος ἐπίσκοπος Αγκύρας. Initio tamen act. 16. dici- A tur *Cyricus episcopus Ancyræ Synai*. Κυείακου ἐπισκόπου Αγκύρας Συνάου.

V. MICHAEL.

In actis synodi de restitutione Photii, extra metrapolitarum seriem, inter quos Daniel Ancyræ Galatiæ censetur, sedisse item cum aliis episcopis legitur, & subscripsisse *Michaël Ancyræ*, Μιχαὴλ Αγκύρας. Rursum Michaël *Ancyro-Synai*, Μιχαὴλ Αγκυρο-Συνάου.

V. # ECCLESIA CIDISSI.

CIDISSUM in Phrygia Pacatiana habet Hierocles in Notitia, Κιδισσὸς quæ Ptolemæo lib. 5. cap. 2. Υδισσα, *Hydissa* scribitur, Trapezopoli vicina. In Leonis Imp. Notitia decimus-tertius provinciæ Pacatianæ est *Cidissenus*, ὁ Κιδισσοῦ.

EPISCOPI CIDISSI.

I. HERACLIUS.

NUNECHIUS Laodiceæ act. 6. & 16. pro episcopis provinciæ Phrygiæ Pacatianæ absentibus subscripsit, in quibus *Heraclius civitatis Cydissorum*, Ηρακλείου πόλεως Κιδισσοῦ.

II. ANDREAS.

In Septima synodo cum Phrygiæ episco- B pis subscripsit *Andreas episcopus Cidissosi*, Ανδρέας ἀνάξιος ἐπίσκοπος Κιδισσώσου. Ita quoque vetus translatio Latina, pro *Cidissi*.

III. THOMAS.

In synodo de restitutione Photii, *Thomas Cidissi*, Θωμᾶς Κιδισσοῦ.

VI. # ECCLESIA PELTARUM.

INter præcipuas Phrygiæ civitates, Ptolemæo *Peltæ*, Πέλται, numerantur, ut & in Notitiis episcopatuum; ex quo emendandum apud Hieroclem, Πέλτη pro Μέλπη. Ab ea *Pelteni*, Plinio lib. 5. cap. 27. 29. nunc *Pelti*, seu *Felti* dicitur, Leunclavio teste.

EPISCOPI PELTARUM.

I. PHILIPPUS.

NUNECHIUS Laodiceæ act. 6. & 16. C concilii Chalcedonensis, pro episcopis sub se constitutis subscripsit, in quibus *Philippus civitatis Peltarum*, Φιλίππου πόλεως Πελτῶν.

II. ANDREAS.

Concilio Constantinopolitano quod Menna patriarcha anno 536. celebratum est, adfuit & subscripsit, *Andreas episcopum Peltorum*, seu *Peltenorum*, Ανδρέας ἐπίσκοπος Πέλτων, & Πελτηνῶν.

III. THEODORUS.

Quinisextæ synodi canonibus inter Phrygiæ præsules subscriptus reperitur Θεόδωρος ἐπίσκοπος πόλεως Πέμπων, omnino Πέλτων, *Theodorus episcopus civitatis Peltarum*.

IV. GEORGIUS.

In Septima synodo generali sedit & subscripsit, *Georgius episcopus Peltorum*. Γεώργιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Πέλτων.



VII. ECCLESIA

VII. ## ECCLESIA APPIÆ.

APPIAM in Phrygia Capatiana, seu Pacatiana, habent Notitiæ omnes, à qua gentile nomen *Appiani* Plinio lib. 5. cap. 20. imo & Ciceroni lib. 3. epist. 7. & 9.

EPISCOPI APPIÆ.

A

I. NECTARIUS.

IN indice Latino patrum Constantinopolitanæ synodi generalis primæ, *De provincia Phrygiæ* censetur *Nectarius Appianensis*, aliàs *Nestorius Appias*.

II. CHARITON.

Decreto synodico Gennadii Constantinopolitani contra Simoniacos subscripsit Χαρίτων ἐπίσκοπος Ἀππίας, *Chariton episcopus Appiæ*.

III. PETRUS.

In Sexta synodo sedit & subscripsit *Petrus episcopus Appiæ*, Πέτρος ἐπίσκοπος Ἀππίας.

IV. GEORGIUS.

In Septima synodo *Georgius episcopus Appiæ*, Γεώργιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ἀππίας.

V. BASILIUS.

In ea synodo quæ ob Photii restitutionem habita est, *Basilius Appiæ*, Βασιλείου Ἀππίας Βασίλειος Ἀππίης.

VIII. ## ECCLESIA CADORUM.

CADI, Κάδοι, Ptolemæo Mæoniæ regionis oppidum est in confinio Phrygiæ, Lydiæ & Mysiæ, quod Strabo Epictheticæ Phrygiæ sive Minori adjungit, cum Azanis, Nacolia, Cotyaïo, Dorylæo, &c. Hanc habent Notitiæ antiquiores episcopatuum; in quibus tamen scribitur ὁ Ἀκάδων, quasi *Episcopus Acadorum,* male prorsus, errore librariorum. Plane ab ea urbe gentile populi nomen fuit *Cadueni*, quorum itidem Plinius meminit. Sed etiam nummi exstat inscripti. ΚΑΔΥΗΝΩΝ. *Cadyenorum,* vel ΚΑΔΟΗΝΩΝ. *Cadoenorum,* ut verum urbis nomen sit Καδὺς, *Cadys*, vel Κάδους. *Cadous*.

EPISCOPI CADORUM.

I. DANIEL.

SYnodo Constantinopolitanæ, in qua, Flaviano archiepiscopo præside, Eutyches hæresis reus dictus est, aderat *Daniel Cadorum* antistes, qui subinde ad concilium Chalcedonense venit, cujus decretis omnibus subscripsit Δανιὴλ ἐπίσκοπος πόλεως Κάδων.

II. PHILIPPUS.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus legitur Φιλίππος ἐπίσκοπος πόλεως Κάδων
B Πακατιανῆς, *Philippus episcopus Cadorum Pacatianæ.*

III. THEODORUS.

Septimæ synodo interfuit & subscripsit *Theodorus episcopus Cadorum*, Θεόδωρος ἐπίσκοπος Κάδοις, alibi Κάδων.

IV. CONSTANTINUS.

Synodo de restitutione Photii *Constantinus Cadûs*, Κωνσταντίνου Κάδοις, Κωνσταντῖνος Κάδοις.

IX. ## ECCLESIA TRAJANOPOLIS.

TRAJANOPOLIS quæ per contractionem *Tranopolis* Τρανούπολις, in omnibus Notitiis Phrygiæ civitas est, quam oscitantius, ut videtur, Ptolemæus inter Antandrum & Adramytium ponit.

EPISCOPI TRAJANOPOLIS.

I. JOANNES I.

Synodico decreto Gennadii Constantinopolitani contra Simoniacos subscripsit Ἰωάννης ἐπίσκοπος Τρανουπόλεως. *Joannes episcopus Tranopolis*.

II. JOANNES II.

Synodo Constantinopolitanæ sub Menna adfuit & subscripsit *Joannes episcopus Trajanopolis Pacatianæ*, Ἰωάννης ἐπίσκοπος Τραιανουπόλεως Πακατιανῆς.

ECCLESIA Trajanopolis.

III. Asignius.

In Quinta synodo generali adfuit & subscripsit *Asignius episcopus Tranopolis vices gerens Joannis metropolitæ.*

IV. Tiberius.

Quinisextæ synodi canonibus subscripsit Τιβέριος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Τραιανουπολιτῶν μητροπόλεως (leg. πόλεως) τῆς Φρυγῶν Πακατιανῶν, *Tiberius misericordia Dei episcopus Trajanopolitarum civitatis Phrygum Pacatianorum.*

V. Philippus.

In Septima synodo generali sedit & subscripsit inter episcopos Phrygiæ, *Philippus episcopus Tranopolis,* Φίλιππος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Τρανοπόλεως.

VI. Eustratius.

In ea synodo quæ ob Photii restitutionem habita est, *Eustratius Trajanopolis,* Εὐστρατίου Τραιανουπόλεως. Aderat Nicephorus metropolita Trajanopolis Thraciæ.

VII. * * *

Joanne I. Palæologo & Joanne Cantacuzeno Impp. Constantinopoli celebrata synodus est, in qua Palamitarum errores approbati sunt. Sedebat præter Germanum metropolitam Trajanopolis Thraciæ, *episcopus Trajanopolis* alterius, Phrygiæ scilicet, cujus nomen Allatius omisit, ubi hujus synodi meminit, in libro quem de Photiana synodo scripsit, pag. 445.

X.

ECCLESIA SANEOS.

SANIS, Σάνις, Phrygiæ Pacatianæ in Notitiis civitas est, eadem quæ, *Sanaus,* Σαναὸς, Straboni; cujus etiam meminit Ptolemæus, ubi de Phrygiæ oppidis. Diversa porro civitas fuit à *Synao,* atque in Australi Phrygiæ parte posita.

EPISCOPI SANEOS.

I. Flaccus.

IN indice Patrum synodi Nicænæ *De provincia Phrygiæ, Flaccus Sanensis.*

II. Nectarius.

In Ephesina synodo sedit subscripsitque *Nectarius episcopus ecclesiæ catholicæ & apostolicæ Senneæ.* Νεκτάριος τῆς ἐν Σεννέᾳ καθολικῆς & ἀποστολικῆς ἐκκλησίας. Codices Latini nonnulli habent *Senniorum,* alii *Neorum.*

III. Antiochus.

Act. 6. & 16. synodi Chalcedonensis Nunechius Laodiceæ pro episcopis absentibus sub se constitutis subscripsit, in quibus *Antiochus civitatis Sanaorum,* Ἀντιόχου πόλεως Σανάων. Latina translatio habet *civitatis Neas,* utique pro *Senneas,* ut in subscriptionibus Ephesini concilii.

XI.

ECCLESIA SEBASTES.

SEBASTE, Phrygiæ Pacatianæ civitas in Notitiis est: in ea quæ Leonis Sapientis Imper. nomen præfert, *Sebastia* dicitur, ὁ Σεβαστείας, à qua proinde *Sebasteni* apud Plinium lib. 5. cap. 32.

EPISCOPI SEBASTES.

I. Modestus.

INter Phrygiæ Pacatianæ præsules qui Chalcedonensi concilio interfuerunt subscriptus legitur act. 16. Μόδεστος ἐπίσκοπος πόλεως Σεβάστης, *Modestus episcopus civitatis Sebastes.*

II. Anatolius.

Sebastes Phrygiæ episcopus erat *Anatolius,* qui synodo Quintæ generali adfuit & subscripsit, *Anatolius humilis episcopus Sebastenorum civitatis.*

III. Plato.

Canonibus concilii quod in Trullo appellatur, subscriptus legitur Πλάτων ἐπίσκοπος πόλεως Σεβαστῆς Πακατιανῆς, *Platon episcopus civitatis Sebastes Pacatianes.*

IV. Leo.

Synodo Septimæ inter Phrygiæ Pacatianæ episcopos sedit & subscripsit *Leo episcopus Sebastiæ,* Λέων ἐπίσκοπος Σεβαστείας.

V. Euthymius.

Octavæ synodo inter puros episcopos qui aderant subscripsit *Euthymius misericordia Dei episcopus Sebastæ,* alterius proinde à Sebaste metropoli Armeniæ, ac certe à Sebaste Palæstinæ.

ECCLESIA SEBASTES.

VI. CONSTANTINUS.

Synodo alteri de Photii restitutione, *Constantinus Sebastes*, Κωνσταντινου Σεβαςῆς.

VII. THEODORUS.

Dositheus Hierosolymorum patriarcha lib. 3. de Hierosol. Patr. c. 5. paragr. 4. *Theodorum Sebastiæ* laudat, chronici auctorem, quo res Basilio Porphyrogenneto Imperat. gesta scripsit. Idem Sebastiæ episcopus *Theodorus*, ex chronico utique suo, testis lib. 4. Jur. Græco-Rom. pag. 294. & apud Niceph. Callist. lib. 14. c. 39. affertur, Corinthi episcopum creatum à Basilio Porphyrogenneto fuisse Novarum Patrarum metropolitam.

XII. ECCLESIA EUMENIÆ.

EUMENIA, quam Turci *Eixalhisar* hodie appellant, Leunclavio teste, Plinius lib. 5. cap. 29. ad Cladium fluvium collocat, ab Eumene Attali fratre conditam. In Notitiis omnibus Pacatianæ Phrygiæ censetur.

EPISCOPI EUMENIÆ.

I. THRASEAS *martyr*.

POLYCRATES Ephesius in sua ad Victorem Papam epistola de Asianorum in Paschate celebrando consuetudine, *Thraseam* Eumeniæ episcopum laudat ejus observatorem, qui Smyrnæ conditus; sit ibidem utique martyrio functus, ϗ Θρασέας ϗ ἐπίσκοπος ϗ μάρτυρ ἀπὸ Εὐμενείας, ὃς ἐν Σμύρνῃ κεκοίμηται. Apud Eusebium lib. 5. cap. 24. Quocirca in Martyrologio Romano 5. Octobris ejus memoria fit his verbis: *Natalis B. Thraseæ episcopi Eumeniæ, apud Smyrnam consummati.*

II. THEODORUS.

Inter Patres synodi Constantinopolitanæ generalis prioris, de Phrygia Pacatiana subscriptus reperitur *Theodorus Eumeniensis per Profuturum presbyterum.* Nullus deinceps Eumeniæ episcopus occurrit ad Septimam usque synodum.

III. LEO.

In Septima synodo sedit & subscripsit *Leo Eumeniæ civitatis episcopus*, Λέων ἀνάξιος ἐπίσκοπος Εὐμενείας.

IV. PAULUS

V. EPIPHANIUS.

In synodo de Photii restitutione sub Joanne Papa VIII. *Paulus Eumeniæ*, Παύλου Εὐμενείας, Παῦλος Εὐμενείας, itemque *Epiphanius Eumeniæ*, Ἐπιφανίου Εὐμενείας.

XIII. ECCLESIA TEMENOTHYRARUM.

TEMENOTHYRÆ, Τημενόθυραι, Phrygiæ Pacatianæ civitas, in Notitiis, censetur in quarum aliquot male scriptum est, Τημενούθηραι; quando nummi Græci à viris doctissimis Harduino & Luca Holstenio laudantur inscripti, Τημενοθυρέων. Hanc Lydiæ attribuebat Pausanias, ut in Lydiæ & Phrygiæ finibus exstiterit.

EPISCOPI TEMENOTHYRARUM.

I. MATTHIAS.

NUNECHIUS Laodicenus act. 6. & 16. concilii Chalcedonensis pro episcopis suæ provinciæ absentibus subscripsit, in quibus *Matthias Temenothyrarum*, Ματθία πόλεως Τημενουθύρων.

II. GREGORIUS.

Septimæ synodo generali adfuit & subscripsit *Gregorius episcopus Temenothyrarum* Γρηγόριος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Τημενουθύρων, sic legendum, non Τιμενουθηρῶν.

XIV. ECCLESIA ALIORUM.

ALII, Ἄλιοι, Phrygiæ Pacatianæ civitas dicitur Hierocli in Notitia, cujus episcopus *Alinorum* scribitur in aliis Notitiis, ὁ Ἀλίνων. Holstenius veterem Fr. Gotofredi nummum laudat ΑΛΙΗΝΩΝ, *Alienorum*.

ECCLESIA ALIORUM.

EPISCOPI ALIORUM.

I. Caius.

NUNECHIUS Laodicenus metropolita act. 6. & 16. concilii Chalcedonensis, pro *Caio episcopo Alianorum*, ut pro aliis suæ provinciæ absentibus, subscripsit, Γαΐου πόλεως Ἀλιανῶν. In translatione quidem Latina legitur *Egarorum;* sed codex quem laudat Holstenius, habuit *Alion*, sive *Aliorum*.

II. Glaucus.

In Quinta synodo generali sedit & subscripsit *Glaucus misericordia Dei episcopus Alionorum civitatis Phrygiæ Pacatianæ provinciæ*, lege *Alienorum*, vel *Alianorum*.

III. Leo.

In Septima synodo generali, *Leo episcopus Aleorum*, Λέων ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ἀλέων, emendandum Ἀλίων, *Aliorum*.

IV. Michael. V. Georgius.

In Photiana, *Michael Aleûs*, Μιχαὴλ Ἀλέοις & *Georgius Aleûs*, Γεωργίου Ἀλέοις.

XV.

ECCLESIA SILBII.

SILBIUM, Σίλβειον, non ignota Ptolemæo civitas, uti neque Plinio, qui *Silbianos* populos in Phrygia sub Laodicea collocat: habent & Notitiæ, ut & synodorum acta, in quibus transpositis literis Σίβλιον, *Siblium:* legitur, & Σιβλεία, *Siblia*.

EPISCOPI SILBII.

I. Eulalius.

SYnodo Chalcedonensi adfuit & subscripsit *Eulalius* episcopus *Silbii:* sic translatio Latina initio act. 1. In Græco textu, & in subscriptionibus Σιβλείας, *Sibliæ*, episcopus dicitur, Εὐλάλιος ἐπίσκοπος πόλεως Σιβλείας.

II. Joannes.

Septimæ synodo generali cum aliis Pacatianæ episcopis censetur, subscripsitque *Joannes episcopus Silbii*, Ἰωάννης ἀνάξιος ἐπίσκοπος Σουβλίου, lege Συβλίου.

III. Nicephorus.

In Photiana synodo *Nicephorus Syblææ*, Νικηφόρου Συβλαίας, & *Sublæi* Νικηφόρος Συβλαίου.

XVI.

ECCLESIA TRAPEZOPOLIS.

TRAPEZOPOLIS, Phrygiæ Pacatianæ civitas, Ptolemæo lib. 5. cap. 2. Laodiceæ vicina, à qua *Trapezopolitæ* Plinio lib. 5. cap. 29.

EPISCOPI TRAPEZOPOLIS.

I. Hierophilus.

SOCRATES lib. 7. histor. eccles. cap. 36. *Hierophilum* Trapezopolis Phrygiæ episcopum, *Plotinopolim Thraciæ* translatum scribit, Ἱερόφιλος ἀπὸ Τραπεζουπόλεως τῆς Φρυγίας μετηνέχθη εἰς Πλωτινούπολιν τῆς Θράκης.

II. Asclepiades.

Ad synodum Ephesinam venit, ejusque decretis subscribit *Asclepiades episcopus ecclesiæ Trapezopolis*, Ἀσκληπιάδης ἐπίσκοπος τῆς κατὰ Τραπεζούπολιν ἐκκλησίας. Qui nihilominus subscriptus legitur Contestationi illorum episcoporum qui intercesserunt adversus Cyrillum Alexandrinum, ne synodum celebrare inciperet, ante Joannis Antiocheni adventum. Collect. ex Tragœdia Irenæi cap. 7.

III. Joannes.

Synodo Chalcedonensi adfuit, & act. 3. subscriptus reperitur *Joannes episcopus Trapezopolis*, Ἰωάννης ἐπίσκοπος Τραπεζουπόλεως.

IV. Eugenius.

Synodi in Trullo canonibus subscripsit Εὐγένιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος πόλεως Τραπεζῶν Πακατιανῆς, *Eugenius misericordia Dei episopus Trapezarum Pacatianæ*.

V. Zacharias.

In Septima synodo sedit & subscripsit *Zacharias episcopus Trapezopolis*, Ζαχαρίας ἀνάξιος ἐπίσκοπος Τραπεζουπόλεως.

VI. Leon.

In subscriptionibus Photianæ synodi *Leo Trapezopolis*, Λέων Τραπεζουπόλεως.

XVII. # ECCLESIA ILUZORUM

ILUZA, Ἰλουζα, vel *Eluza*, neutrius generis plurali voce Phrygiæ Pacatianæ cenſetur in Notitia Hieroclis, ut in aliis, in quibus *Elaza* dicitur, ὁ Ἐλάζης, *epiſcopus Elazæ*. De qua nihil apud auctores cæteros occurrit, niſi in actis ſynodorum.

EPISCOPI ILUZORUM.

I. EVAGORAS.

PRO *Evagora epiſcopo Iluzorum*, Εὐαγόρα A πόλεως Ἰλούζων, Nunechius Laodicenus ſubſcripſit act. 6. & 16. concilii Chalcedonenſis ut pro aliis de provincia ſua abſentibus.

II. MACEDONIUS.

Relationi ſynodi Conſtantinopolitanæ ad Joannem patriarcham de Severo Antiocheno ejuſque ſociis, quæ lecta eſt in concilio altero ſub Menna, ſubſcripſit anno 518. Μακεδόνιος ἐπίσκοπος Ἰλούζων, *Macedonius epiſcopus Iluzorum.* Interim epiſtolæ ſynodi Palæſtinæ ad eumdem Joannem ſubcribebat *Petrus epiſcopus Eluzæ.* Adfuit ſubinde Macedonius illimet concilio ſub Menna anno 536. in cujus ſubſcriptionibus male ſcribitur, τῆς Βερυσηνῶν πόλεως, pro τῆς Ἰλουζηνῶν πόλεως.

III. PATRICIUS.

Sextæ item ſynodo generali ſubſcripſit *Patricius epiſcopus civitatis Iluzorum provinciæ Pacatianæ*, Πατρίκιος ἐλέῳ θεοῦ ἐπίσκοπος πόλεως Ἰλούζων ἐπαρχίας Πακατιανῆς.

IV. EUSTATHIUS.

Photianæ ſynodo ſub Joanne Papa VIII. *Euſtathius Eluzorum*, Εὐσταθίου Ἐλούζων, Εὐστάθιος Ἐλούζων.

XVIII. # ECCLESIA CERETAPORUM.

CERETAPA, civitas eſt Phrygiæ Pacatianæ Hierocli & Leoni Imp. in Notitiis, Ptolemæo ipſi ignota; cujus tamen nomine nummi exſtant, inſcripti ΚΕΡΕΤΑΠΩΝ. Apud ſcriptores eccleſiaſticos Χαιρέταπα. ſcribitur, *Chæretapa*.

EPISCOPI CERETAPORUM.

I. THEODULUS *Arianus*.

QUem Socrates lib. 2. cap. 32. *Theodo-* B *rum* vocat Chæretaporum urbis Phrygiæ epiſcopum, Arianum inſignem, qui in Seleucienſi ſynodo cum aliis ejuſdem ſectæ ad ordinem, redactus eſt, hunc Philoſtorgius ipſe Arianus lib. 7. & 8. *Theodulum* nominabat, Θεόδουλον. Ac recte, quippe Athanaſius libro *De ſynodis* meminit *Theoduli* Aſiani cujuſdam epiſcopi, qui cum aliis quos Socrates recenſet Seleuciæ deſtitutus fuit. Librariorum vitio in excerptis ex Philoſtorgii lib. 8. n. 18. fuiſſe legitur epiſcopus Chærataporum *Palæſtinæ*, τῆς Παλαιστίνης δὲ ἐπισκοπή: C at emendandum, Πακατιανῆς *Pacatianæ*.

II. CARTERIUS *Arianus*.

III. JOANNES *Arianus*.

Philoſtorgius lib. 9. n. 18. mihi quoque auctor eſt, Eunomium, quem Ariani pro Eleuſio Cyzici epiſcopum creaverant, mortuo Theodulo *Carterium* ejus in locum ordinaſſe οἱ ἀμφὶ τὸν Εὐνόμιον Καρτέριον ἀντ' αὐτοῦ χειροτονοῦσιν, atque, eo ſtatim mortuo, Joannem, τοῦ δὲ θᾶττον τελειωθέντος, Ἰωάννην ἀντικαθιστῶσι.

IV. SILVANUS.

In ſynodo Epheſina ſedit & ſubſcripſit *Silvanus epiſcopus Ceretaporum*, Σιλουανὸς ἐπίσκοπος Κερετάπων.

V. PHILETUS.

Nunechius Laodicenus pro *Phileto civitatis Chæretaporum* epiſcopo, ut pro aliis de ſua provincia abſentibus ſubſcripſit act. 6. & 16. concilii Chalcedonenſis, Φιλήτου πόλεως Χαιρετάπων.

VI. ANDREAS.

In ſubſcriptionibus canonum ſynodi Trullanæ legitur Ἀνδρέας ἐπίσκοπος Αερυγάπων Πακατιανῆς, *Andreas epiſcopus Aërugaporum Pacatianæ:* emendandum omnino Κερετάπων. *Ceretaporum.*

VII. MICHAEL.

Septimæ ſynodo adfuit & ſubſcripſit *Michaël epiſcopus Chæretaporum*, Μιχαὴλ ἀνάξιος ἐπίσκοπος Χαιρετάπων.

VIII. SYMEON.

Photianæ ſynodo ſub Joanne Papa VIII. *Symeon Chæretoporum*, Συμεὼν Χαιρετόπων.



XIX.

ECCLESIA SYNAI.

SYNAUS, Συναὸς, prima è magnis Phrygiæ civitatibus Ptolemæo, diverſa prorſus à Sanao de qua ſuperiùs eſt dictum, in Notitiis cenſetur Phrygiæ Pacatianæ, ut in actis ſynodorum.

EPISCOPI SYNAI.

I. ARABIUS.

ACT. 6. & 16. ſynodi Chalcedonenſis A Nunechius Laodicenus ſubſcripſit *pro Aramio epiſcopo civitatis Synai* qui aberat, Αραμίου πόλεως Συνάου. Legendum ex ſubſcriptionibus act. 16. Αραβίου. *Arabio*, propter literarum μ & β, in libris manuſcriptis ſimilitudinem.

II. PHRONYMUS.

Inter Patres Quintæ ſynodi generalis ſubſcripſit *Phronymus miſericordia Dei epiſcopus Synnaitarum Phrygiæ Pacatianæ provinciæ.*

III. STEPHANUS.

In Septima ſynodo *Stephanus epiſcopus Synnai* Στέφανος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Συννάου.

IV. CONSTANTINUS.

In Octava ſynodo, *Conſtantinus epiſcopus Synai.* Κωνσταντῖνος ἐπίσκοπος Συνάου.

V. SISINNIUS.

VI. EUSEBIUS.

In Photiana ſynodo *Siſinnius Synai*, Σισιννίου Συνάου, (ſic) Σισίννιος Συνάου, & *Euſebius Synai*, Εὐσεβίου Συνάου, Εὐσέβιος Συνάου.

VII. ISAACIUS.

Anno Mundi 6891. Chriſti 1351. Joanne Palæologo I. & Joanne Cantacuzeno Impp. ſuus quoque Synao epiſcopus erat, *Iſaacius*, qui aderat ſynodo Calliſti Patriarchæ, in qua Palamitarum amens hæreſis approbata eſt. Leo Allatius lib. adv. Hotting. pag. 328.

XX.

ECCLESIA THEMIZONII.

THEMIZONIUM, Θεμιζόνιον, Ptolemæo & Straboni civitas in Auſtrali Phrygiæ parte ſita, circa Laodiceam & Apameam Ciboti; Pacatianæ cenſetur in Notitia Hieroclis & in actis ſynodi Chalcedonenſis.

EPISCOPI THEMIZONII.

I. MATTHIAS.

IN ſubſcriptionibus ſynodi Romanæ V. B quæ ſub Symmacho Papa anno Domini 503. celebrata eſt, & quarum magna pars, neſcio qua librariorum oſcitantia, ex Chalcedonenſi ſynodis ſubſcriptionibus tranſumta eſt, legitur *Matthias Themiſonienſis*, qui idem eſt ac qui *Matthias Themeſianenſis* ſcribitur in indice Latino Patrum ſacri ejuſdem concilii: qui omnino alius eſt à *Matthia Themenothyrarum*, pro quo, ut pro abſentibus epiſcopis ſub ſe conſtitutis, ſubſcripſit act. 6. & 16. Nunechius Laodiceæ: quando inprimis diſtinctæ civitates ſunt in Notitiis Temenothyræ & Themizonium.

XXI.

ECCLESIA COLOSSENSIS.

COLOSSÆ, Κολοσσαὶ, ampla Herodoti temporibus civitas erat, per quam Xerxes tranſiit cum exercitu, εἰς Κολοσσὰς πόλιν μεγάλην Φρυγίης, ait ille lib. 7. cap. 30. *Ibi*, inquit, *Lycus amnis hiatum terræ ſubiens occulitur, tum quinque poſt ſtadia emergens, labitur in Mæandrum.* Straboni una erat ex urbibus Apameæ Phrygiæ & Laodiceæ vicinis. Plinio quoque *Coloſſæ* habentur inter celeberrima Phrygiæ oppida. Holſtenius in Geographiam Caroli à S. Paulo contendit ſcribendum eſſe *Coloſſa*, & Κολοσσεὶς, codicemque appellat Vaticanum admirandæ vetuſtatis & alium minorem, in quibus Κολοσσεὶς ſcribitur. In Notitia Hieroclis Κολασσαὶ civitas eſt Phrygiæ Pacatianæ, ubi ſubinde cenſetur Κονιούπολις, *Coniopolis*: quæ Ptolemæo Κόννα *Conna* dicitur. Verum Conſtantino Porphyrogenneto lib. I. Them. 3. *Coloſſæ nunc Chonæ dicuntur, ubi viſitur templum S. Michaëlis:* ac certe ſequiori ævo pro Coloſſenſi, *Chonenſis* epiſcopatus dictus eſt. Græci in Menologio die 6. Sept. memoriam agunt prodigii *S. Michaëlis apparentis in Chonis*, quæ juxta *Chæretapa*, haud

ECCLESIA Colossensis.

procul Laodicea positæ erant, ubi erecto in honorem Principis militiæ cælestis templo, quum celeberrimum idcirco oppidum evasisset, ejus pontifex à Photio Patriarchatum gerente in archiepiscopum provectus fuit, quin posthac etiam metropolitæ titulo ornatus; cui tamen, ut fertur in Notitia Leonis Imp. nulli episcopi subessent. Quamobrem Colossensis episcopatus Chonas omnino translatus est. Quando autem hic de templo in honorem S. Michaëlis illic visi condito sermo est, non omittendum videtur Theodoretum in expositione epistolæ Apostoli ad Colossenses, ad hæc verba cap. 2. v. 18. *Nemo vos seducat volens in humilitate & religione Angelorum,* observare, sua ætate superstitiosos quosdam pridem colendorum Angelorum ritus, à Gnosticis utique acceptos, apud Phrygas inolèvisse; quos tamen in saniores mutatos augurari licet. Atqui epistola illa comperimus, Paulum ejusque discipulum Epaphram, Colossensem ecclesiam instituisse, in qua clarebant Philemon cui epistolam alteram dedit, ejusque servus, ac postmodum libertus Onesimus.

EPISCOPI COLOSSENSES.

I. EPAPHRAS.

Apostolus epistolæ ad Colossenses cap. 1. A v. 7. ecclesiam Colossis institutam inprimis fuisse perhibet ab *Epaphra carissimo conservo suo; qui est fidelis pro vobis minister Jesu Christi,* inquit. In fine epistolæ innuit eum Colossis natum, *Salutat vos,* ait, *Epaphras, qui ex vobis est, & servus Jesu Christi, semper sollicitus pro vobis in orationibus, ut sitis perfecti & pleni in omni voluntate Dei. Testimonium enim illi perhibeo, quod habet multum laborem pro vobis, & pro his qui sunt Laodiceæ, & qui Hierapoli.* Ex quibus apparet Epaphram; fundatis tribus his ecclesiis, illinc B Apostoli nutu migrasse. Ejus memoria fit in Martyrologio Romano 14. Kal. Aug. his verbis: *Natalis sancti Epaphræ quem sanctus Paulus apostolus concaptivum appellat. Hic ab eodem apostolo Colossis episcopus ordinatus, clarus virtutibus, ibidem martyrii palmam virili agone percepit: cujus corpus Romæ in Basilica S. Mariæ Majoris conditum est.* In episcopis Laodiceæ dixi, meam esse sententiam, Archippum cujus subinde meminit ea in epistola Paulus, Laodicenæ potius, quam Colossensi ecclesiæ præfuisse. C

II. PHILEMON.

Quidni post Epaphram Colossensi ecclesiæ præfuerit *Philemon,* cujus in ædibus ecclesia fidelium erat, quam Paulus initio suæ ad Philemonem ipsum epistolæ salutavit!

III. EPIPHANIUS.

Nunechius Laodiceæ in synodo Chalcedonensi pro *Epiphanio civitatis Colossarum* episcopo absente subscripsit act. 6. & 16. Ἐπιφανίου πόλεως Κολάσσων.

IV. COSMAS.

In subscriptionibus canonum Trullanorum Κόσμας ἐπίσκοπος πόλεως Κολοσσάης Πακατιανῆς, lege Κολοσσῆς *Cosmas episcopus civitatis Colossæ Pacatianæ.*

V. DOSITHEUS.

Septimæ synodo generali actione præsertim 7. adfuit *Dositheus episcopus Chonarum sive Colossarum,* Δοσιθέου ἐπισκόπου Χωνῶν, ἤτοι Κολοσσῶν.

VI. SAMUEL.

Photius, arrepta Constantinopolitanæ ecclesiæ tyrannide, ut Romanum Papam sibi conciliaret, episcopos duos ad illum delegavit Theophilum Amorii & *Samuëlem Chonarum;* quem idcirco archiepiscopi dignitate auxit, quum Laodicensi episcopo antea subjectus esset, ut fertur in vita S. Ignatii Constantinopolitani, ἀποστέλλει δὲ νῦν Θεόφιλον ἐπίσκοπον τοῦ Ἀμορίου, καὶ Σαμουὴλ ἐπίσκοπον ἄρτι ἐκείνου τὸν Χωνῶν ὑπὸ Λαοδίκειαν τυγχάνοντα, ἀρχιεπίσκοπον τετιμηκώς. Atqui postquam Photius, S. Ignatio defuncto, Byzantinam sedem iterum invasit, Samuël idem in synodo quæ illius restituti causâ habita est, inter metropolitas sedit: quod argumento est, metropoliticam dignitatem ei à Photio insuper attributam esse.

VII. CONSTANTINUS.

In synodo Alexii Patriarchæ, in qua tractatum est de nuptiis secundi gradus, cujus decretum exstat lib. 3. Juris Græco-Rom. pag 204. unus è quatuor præsertim metropolis quibus constabat, *Constantinus Chonarum* fuit, ὁ Κωνσταντίνου Χωνῶν.

VIII. NICOLAUS.

In ea subinde synodo, in qua à Michaële Cerulario Byzantino patriarcha Leonis Papæ IX. legatis anathema dictum est, an. 1054. D mense Junio Indict. VII. sedebat inter metropolitas *Nicolaus Chonarum,* συνεδριαζόντων αὐτῷ θεοφιλεστάτων μητροπολιτῶν ..... Νικολάου Χωνῶν, *considentibus ipsi religiosissimis metropolitis ...... Nicolao Chonarum.* Leo Allat. Differt. 11. de libr. eccles. Græc.

ECCLESIA Colossensis.

IX. * * *.

Synodo Joannis Xiphilini patriarchæ, in qua *de Sponsalibus* actum est, anno Mundi 6574. die 26. April. Indict. IV. seu Christi 1066. aderat metropolita *Chonarum*, τῶ Χωνῶν.

X. * * *

Item alteri synodo anno 1080. in qua Eustratio patriarcha præside diremtæ nuptiæ sunt duorum sobrinorum cum matre & filia, assidebat metropolita *Chonarum*, τῶ Χωνῶν. Jur. Græco-Rom. pag. 268.

XI. NICETAS.

Imperii Manuëlis Comneni initio sedebat *Nicetas* Chonarum antistes, quem omni virtutum genere ornatum fuisse ferunt, futurarum rerum præscium, ita ut cunctis admirationi esset. Quum Manuël paterni Imperii successor ex Armenia revertens, faustam à Niceta apprecationem accepisset, quidam sacerdotes, iique prudentissimi, ambigebant, num Manuël adolescens & pene imberbis, rerum summam rite posset tenere ac gerere; annon meliori jure deberetur Isaacio, qui urbem Regiam occupabat. Quibus ille respondit: Omnino adolescens hic, & imperium capesset & fratrem superabit, quin & ætatem ultra Alexii avi sui annos prorogabit: verum instante obitu insaniet. Quæ omnia uti prænuntiata erant contigere. Hæc Nicetas Choniates narrat lib. 7. hist. n. 7. qui Manuëlem eo insaniæ venisse tradit, ut temere tamdem sibi finxerit, Deum esse verum, quem Mohammedani colerent ὁλόσφυρον, qui neque gigneret, neque gigneretur.

XXII. ECCLESIA ACMONIÆ.

ACMONEA, vel *Acmonia*, Ἀκμονία, Phrygiæ Capatianæ civitas est in Notitia Hieroclis, à qua olim gentile nomen erat *Acmonensis*. Plinius enim *Acmonenses* de conventu Apameno fuisse tradit lib. 5. cap. 29. imo Tullius orat. pro Flacco n. 15. legatos *Acmonenses* memoravit. In aliis Notitiis *Acmonia* dicitur, ὁ Ἀκμωνείας.

EPISCOPI ACMONIÆ.

I. OPTIMUS.

APud Socratem lib. 7. hist. cap. 34. ubi de translationibus episcoporum, *Optimum Acdamiæ Phrygiæ Antiochiam Pisidiæ migrasse* scribitur, ἐξ Ἀκδαμίας τῆς Φρυγίας. Legendum puto Ἀκμονίας, *Acmoniæ*.

II. GENNADIUS.

In synodo Chalcedonensi sedit, subscripsitque act. 6. & 16. *Gennadius episcopus Acmonensium civitatis*, Γεννάδιος ἐπίσκοπος τῆς Ἀκμοναίων, lege Ἀκμονέων, ut initio act. 1. Γενναδίου Ἀκμονέων *Gennadio, Acmoneorum civitatis Phrygiæ Pacatianæ*.

III. THEOTIMUS.

Decreto synodico Gennadii patriarchæ Constantinopolitani contra Simoniacos subscriptus legitur Θεότιμος ἐπίσκοπος Ἀκμονείας, *Theotimus episcopus Acmoniæ*.

IV. PAULUS.

Septimæ synodo interfuit *Paulus episcopus Acmoniæ*, & Παύλου ἐπισκόπου Ἀκμονίας, qui in translatione Latina passim subscriptus reperitur, etsi illic ejus nomen in Græco contextu non occurrit.

V. EUSTATHIUS.

Octavæ quoque synodo *Paulus Acmoneæ*, qui act. 3. libellum patribus exhibuit pœnitentiæ, quod Photii partes sequutus esset. Cæterum Eustathius idem adfuisse subinde reperitur in bella ea synodo quæ ob illius restitutionem, Ignatio defuncto, Joanne Papa VIII. annuente, celebrata est, Εὐσταθίου Ἀκμονίας, Εὐστάθιος Ἀκμονίας.

XXIII. ECCLESIA VALENTIÆ.

NOna Phrygiæ Pacatianæ civitas est in Notitia Hieroclis *Valentia*, Οὐαλεντία, quæ in actis synodorum Βαλεντία scribitur.

EPISCOPI VALENTIÆ.

I. EVAGRIUS.

INter episcopos qui Nestorii patrocinium adversus synodum Ephesinam susceperunt, *Evagrius Valentiæ episcopus* reperitur; qui subscripsit primùm Contestationi qua multi præsules intercesserunt, ne Cyrillus Alexandrinus concilium auspicaretur ante Joannis Antiocheni

Antiocheni adventum; sed & aliis Orientalium synodicis literis & decretis. Unde catholica communione exclusus fuit à legitima synodo. Collect. ex Tragœd. Iren. cap. 7. & alibi.

II. Basilius.

Canonibus concilii quod *in Trullo* cognominatur, subscriptus reperitur Βασίλειος ἐπίσκοπος πόλεως Κολωνείας Πακατιανῆς, *Basilius episcopus civitatis Coloniæ Pacatianæ*. Legendum arbitror Βαλεντίας *Valentiæ*; quando in Phrygia Pacatiana nulla usquam civitas *Colonia* occurrit.

ECCLESIA VALENTIÆ.

III. Pantaleo.

Inter Phrygiæ Pacatianæ præsules in Septima synodo sedit & subscripsit Πανταλέων ἐπίσκοπος Βαλεντίας, *Pantaleo episcopus Valentiæ*.

XXIV. ECCLESIA ATHANASSI.

Athanassum in Phrygia Pacatiana habent Notitiæ episcopatuum, ὁ Ἀθανασσοῦ, non Hierocles.

EPISCOPI ATHANASSI.

I. Philadelphius.

Nunechius Laodicenus act. 6. & 16. concilii Chalcedonensis pro episcopis sub se constitutis qui aberant subscribens, *Philadelphium Athanassi* appellavit, Φιλαδέλφου πόλεως Ἀθανασσοῦ. In translatione Latina *Anthemusiæ*, male prorsus.

II. Christophorus.

Septimæ synodo generali adfuit & subscripsit *Christophorus episcopus Athanassi*, Χριστοφόρος ἐπίσκοπος Ἀθανασσοῦ.

III. Philotheus.

Synodo item Photianæ *Philotheus Athanasi*, Φιλοθέου Ἀθανασσοῦ, Φιλόθεος Ἀθανασσοῦ.

XXV. ECCLESIA ARISTII.

Aristium, Ἀρίστιον, Pacatianæ Phrygiæ censetur ab Hierocle, ut & in Notitia Leonis Imperatoris, cui *Aristia* dicitur, ὁ Ἀριστίας.

EPISCOPI ARISTII.

I. Paulus.

Chalcedonensi synodo interfuit *Paulus episcopus Aristii*, Παύλου Ἀριστίου, qui subscriptus legitur act. 3. Παῦλος Ἀριστίου. quin & 6. ac 16. Παῦλος ἐπίσκοπος πόλεως Ἀρίστου *Paulus episcopus civitatis Aristi*.

II. Tarasius.

In synodo Photiana *Tarasius Eristæ*, Ταρασίου Ἐρίστης, lego Ἀρίστης, *Aristæ*.

XXVI. ECCLESIA THEODOSIOPOLIS.

Quæ Hierocli *Theodosia*, Θεοδοσία, nominatur, Phrygiæ Pacatianæ civitas, ipsa est quæ *Theodosiopolis* in actis conciliorum.

EPISCOPI THEODOSIOPOLIS.

I. Thomas.

Constantinopolitanæ synodo, in qua anno 448. Eutychis hæretici causa, Flaviano archiepiscopo & Thalassio Cæsariensi præsidibus, iterum judicata est, aderat *Thomas episcopus civitatis Theodosiopolitarum provinciæ Phrygiæ Pacatianæ*, Θωμᾶ τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου τῆς Θεοδοσιουπολιτῶν πόλεως ἐπαρχίας Φρυγίας Πακατιανῆς: qui subinde rursum sedit & subscripsit cum episcopis ejusdem provinciæ in synodo Chalcedonensi.

II. Cyriacus.

In synodo Constantinopolitana sub Menna sedit *Cyriacus episcopus Theodosiopolis*, & subscripsit post Joannem Tranopolis Phrygiæ Pacatianæ, Κυριακὸς ἐπίσκοπος Θεοδοσιουπόλεως. Latinus interpres pro *Cyriaco*, *Dominicum* posuit, quod idem sonat atque Κυριακὸς Græcè. Aderat quoque *Andreas Panitarum*, seu *Panii*, ἤτοι Θεοδοσιουπολιτῶν, seu *Theodosiopolitarum*;

XXVII. ## ECCLESIA THAMPSIOPOLIS.

IN Notitia Leonis Imp. Phrygiæ Pacatianæ civitas decima-octava episcopalis est *Thampsiopolis*, ὁ Θαμψιουπόλεως, cujus alii auctores vix meminerunt.

EPISCOPI THAMPSIOPOLIS.

I. ZOZIMUS.

THAMPSII, vel *Thampsiopolis* episcopum fuisse conjicio, qui *Zozimus civitatis Themissi* legitur in subscriptionibus concilii Chalcedonensis act. 6. pro quo scilicet, quum abesset, Nunechius Laodicenus subscripsit, A Ζωσιμου πόλεως Θέμισου. Emendandum igitur puto Θαμψίου.

II. JOANNES.

In Octava synodo subscripsit *Joannes misericordia Dei episcopus Thampsii.*

XXVIII. ## ECCLESIA LUNDORUM.

LUNDA, Λουῦδα, in Notitia Hieroclis, & in ea quæ Leonis Imper. nomen præfert, Phrygiæ Pacatianæ civitas est.

EPISCOPI LUNDORUM.

I. NICEPHORUS. B

NUllus mihi episcopus Lundorum occurrit anterior *Nicephoro*, qui in 7.ma synodo sedit & subscripsit, Νικηφόρος ἐπίσκοπος Λουύδων, *Nicephorus episcopus Lundorum*, seu *Lundæ*.

II. EUSTATIHUS.

In Photiana synodo *Eustathius Lundæ*, Εὐσταθίου Λουύδης, in subscriptionibus, Εὐστάθιος Λιβάδων, verum emendandum, *Eustathius Lundorum*, Λουύδων.

XXIX. ## ECCLESIA DIONYSOPOLIS.

DIONYSOPOLIS, Διονυσούπολις, Stephano Phrygiæ civitas *Attali & Eumenis opus, qui his in locis Dionysi seu Bacchi simulacrum repererunt.* Plinius in eadem regione *Dionysopolitas* statuit lib. 5. cap. 29. Hujus nulla mentio in Notitiis.

EPISCOPI DIONYSOPOLIS.

I. CHARITON.

IN indice Latino patrum concilii Chalce- C donensis de Phrygia Pacatiana, legitur *Charis Dionysopolitanus*, qui in subscriptionibus *Chariton* dicitur, Χαρίτων ἐπίσκοπος Διονυσουπόλεως.

II. ALEXANDER.

Inter Phrygiæ Pacatianæ episcopos, Hierum Anastasiopolis, & Glaucum Alienorum, sedisse in Quinta synodo generali legitur *Alexander episcopus civitatis Dionysii*, seu quod idem est, *Dionysopolis*.

III. BASILISCUS.

In Septima synodo perinde in episcoporum Phrygiæ Pacatianæ serie, Βασίλειος ἐπίσκοπος Διονυσουπόλεως, *Basilius episcopus Dionysopolis.*

XXX. ## ECCLESIA PHILIPPOPOLIS.

PHILIPPOPOLIS Phrygiæ Pacatianæ censetur in gestis concilii Chalcedonensis, quam tamen nullæ nobis Notitiæ exhibent.

EPISCOPI PHILIPPOPOLIS.

I. TATIANUS.

NUNECHIUS Laodiceæ act. 6. & 16. D synodi Chalcedonensis subscripsit pro episcopis provinciæ suæ absentibus, in quibus *Tatianus Philippopolis*, Τατιανὸς Φιλιππουπόλεως.

II. ANDREAS.

Quinisextæ synodi canonibus subscripsit Ἀνδρέας ἁμαρτωλὸς ἐπίσκοπος Φιλίππου, *Andreas peccator episcopus Philippi*: non certè Philipporum Macedoniæ, neque Philippopolis quæ Thraciæ metropolis erat, non simplex episcopatus. ECCLESIA Philippopolis.

XXXI. ECCLESIA DIOCLIÆ.

DIOCLIA, Διοκλεία, Phrygiæ Pacatianæ civitas vigesima-quinta est in Notitia Hieroclis, & in Leonis Imp. decima-nona. Alibi non occurrit nisi in actis conciliorum.

EPISCOPI DIOCLIÆ.

I. CONSTANTINUS.

DIOCLIÆ, utique episcopus fuit *Constantinus episcopus civitatis Diocletianorum Phrygiæ Pacatianæ*, qui synodo Ephesinæ primæ interfuit & subscripsit, Κωνσταντῖνος ἐπίσκοπος τῆς Διοκλητιανῶν πόλεως Φρυγίας Πακατιανῆς. A

II. EVANDER.

Concilio Chalcedonensi adfuit & subscripsit *Evander episcopus civitatis Dioclia*, Εὔανδρος ἐπίσκοπος Διοκλείας.

XXXII. ECCLESIA ANASTASIOPOLIS.

ANASTASIOPOLIS civitas Phrygiæ Pacatianæ in actis dumtaxat conciliorum occurrit; nec dubium quin hoc sibi nomen asciverit propter Anastasium Imp.

EPISCOPI ANASTASIOPOLIS.

I. STEPHANUS.

RElationi Constantinopolitanæ synodi ad Joannem ejusdem Urbis archiepiscopum de Severo Antiocheno ejusque sociis damnandis, subscripsit, Στέφανος ἐπίσκοπος Ἀναστασιουπόλεως τῆς Φρυγίας Πακατιανῆς, *Stephanus episcopus Anastasiopolis Phrygiæ Pacatianæ.* B

II. HIERON.

Synodo Quintæ generali adfuit subscripsitque *Hieron misericordia Dei episcopus Anastasiopolitanorum provinciæ Phrygiæ Pacatianæ.*

III. MARIANUS.

Synodo Photianæ *Marianus Anastasiopolis*, Μαριανὸς Ἀναστασιουπόλεως, Μαριανὸς Ἀναστασιουπόλεως.

XXXIII. ECCLESIA MOSYNORUM.

NUlla episcopatuum in Notitiis *Mosynorum* civitatis mentio, quæ in conciliorum gestis non infrequens est. Hierocli Phrygiæ Pacatianæ censetur: Plinio lib. 5. cap. 3. *Mossini* de conventu Pergameno erant.

EPISCOPI MOSYNORUM.

I. GENNADIUS.

SYnodo Chalcedonensi interfuit, *Gennadius episcopus Mosynorum*, Γενναδίου Μοσυνῶν. subscripsit act. 6. Γεννάδιος ἐπίσκοπος πόλεως Μοσυνῶν. C

II. JOANNES.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus legitur Ἰωάννης ἐπίσκοπος τῆς Μοσυνέων πόλεως Φρυγίας. *Joannes episcopus Mosynensium civitatis Phrygiæ.*

III. THEOPHYLACTUS.

Septimæ synodo generali adfuit & subscripsit *Theophylactus episcopus Mosynorum* Θεοφύλακτος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Μοσυνῶν.

IV. EUTHYMIUS.

Octavæ synodo, *Euthymius episcopus Mosynorum*, ut fertur act. 6. 7. & 8. ut legendum non sit *Mossynorum.*

V. CONSTANTINUS.

Photianæ synodo, *Constantinus Mosynorum*, Κωνσταντίνου Μοσυνῶν, Κωνσταντῖνος Μοσυνῶν. Aderat & *Paulus Mosynopolis*, Παύλου Μοσυνουπόλεως: qui in subscriptionibus *Joannes* nominatur, Ἰωάννης Μοσυνοπόλεως.

XXXIV. ECCLESIA APAMEÆ CIBOTI.

IN Phrygia, ut in Pisidia, *Apamea* cognomento *Cibotus*, Ἀπάμεια Κιβωτὸς, fuit, quæ *Celænæ* multis quoque dicta fertur, quoniam ex *Celænarum*, quæ caput quondam Phrygiæ fuerunt, ruinis crevit. Quocirca Plinius lib. 5. c. 29. scribit, tertium Asiæ conventum *Apamiam vadere, ante appellatam Celænas, dein Cibotum. Sita est in radice montis Signiæ, circumfusa Marsya, Obrima, Orga fluminibus in Mæandrum cadentibus. Marsyas ibi redditur, ortus, ac paulo mox conditus, ubi certavit tibiarum cantu cum Apolline, Aulocrenis. Ita vocatur convallis x. M. pass. ab Apamia Phrygiam petentibus.* Propter hanc Apameam Cibotum, quia Κιβωτὸς nomen *arcam* significat, finxerunt illi Phryges Sibyllinorum carminum quæ circumferuntur hodie conditores, Montani prorsus asseclæ, vel Montanus ipse hæresiarcha, arcam Noë, cessante diluvio, in illa regione sua Phrygiæ quievisse, lib. 2. cap. 7. quum interim Pepuzam, Phrygiæ itidem urbem alteram, *Hierusalem* appellitarent. Atqui nulla mihi mentio Apameæ Ciboti in Phrygia occurrit in Notitiis Hieroclis & aliorum. Hanc vero in Pacatiana certò constat exstitisse.

EPISCOPI APAMEÆ CIBOTI.

I. PAULUS.

ETsi Apamea Cibotus Phrygiæ celeberrima olim fuit, ejus tamen nullus mihi episcopus occurrit præter *Paulum Apameum*, A vel *Apamenum*, qui legitur in Indice Latino patrum concilii Nicæni, inter episcopos Phrygiæ qui illi interfuerunt, ubi simul visitur etiam Tharsitius *Apameæ* Pisidiæ.

XXXV. ECCLESIA ATTYDORUM.

ATTYDA, Ἄτυδα, in actis conciliorum Phrygiæ Pacatianæ est civitas, eaque quarta in Notitia Hieroclis, quam aliæ non habent.

EPISCOPI ATTYDORUM.

I. HERMOLAUS.

AD concilium Ephesinum venit *Hermolaus Attydeorum* episcopus, qui in codicibus Latinis passim illius decretis subscriptus legitur act. 6. Ante vero subscripserat Contestationi qua ipsa die inchoatæ synodi episcopi complures intercesserant ne Cyrillus Alexandrinus celebrationem illius auspicaretur ante Joannis Antiocheni adventum. Vide Collect. ex Tragœd. Iren. cap. 7.

II. SYMMACHIUS.

Nunnechius Laodiceæ metropolita act. 6. & 16. concilii Chalcedonensis subscripsit pro B episcopis provinciæ suæ absentibus, in quibus *Symmachius civitatis Attydorum*, Συμμαχίου πόλεως Ἀτύδων.

III. STEPHANUS.

Canonibus quæ feruntur à synodo in Trullo conditi, subscripsit Στέφανος ἐπίσκοπος Ἀτύδου τῆς Φρυγῶν ἐπαρχίας. *Stephanus episcopus Attydi provinciæ Phrygiæ.*

IV. NICETAS.

V. ARSENIUS.

Photianæ synodo adfuit *Nicetas Atydorum*, Νικήτα Ἀτούδων. Item, *Arsenius Atudorum.* Ἀρσενίου Ἀτούδων, Ἀρσένιος Ἀτούδων.

XXXVI. ECCLESIA METELLOPOLIS.

METELLOPOLIM, Μετελλούπολιν, in Phrygia nullæ nobis Notitiæ, nulli auctores statuunt, præter conciliorum gesta dumtaxat.

EPISCOPI METELLOPOLIS.

I. * * *

IN Septima synodo Eudoxius presbyter & C monachus, vices gessit, *throni Metellopolis*, Εὐδόξιος πρεσβύτερος, μοναχὸς & ἐποτηρητὴς τοῦ θρόνου τῆς Μετελλουπόλεως.

II. MICHAEL.

Octavæ synodo interfuit, *Michaël episcopus Metellopoleos*, qui & alteri illi adfuit quæ ob Photii restitutionem habita est sub Joanne Papa VIII. Μιχαὴλ Μετελλουπόλεως.

IV. PROVINCIA PHRYGIÆ SALUTARIS.

I. ECCLESIA SYNNADORUM, METROPOLIS.

CONSTANTINUS M. Imperator Phrygiam Salutarem à Pacatiana discrevisse fertur apud Joannem Malalam parte 2. chron. pag. 8. ὁ δὲ αὐτὸς Κωνσταντῖνος βασιλεὺς καὶ τὴν Φρυγίαν Σαλουτάριαν ἐποίησεν ἐπαρχίαν, cujus metropolis *Eucarpia* est in Notitia Hieroclis. Verum ex Notitiis episcopatuum, præsertimque ex gestis & subscriptionibus concilii Chalcedonensis comperimus, Synnada alterius Phrygiæ à Pacatiana, ipsiusque adeo Salutaris metropolim ecclesiasticam habitam esse. Atqui Synnada Strabonis ætate civitas non magna erat, πόλις οὐ μεγάλη, etsi vero nomen illius neutrius generis plurale est, tamen poëtis nostris Latinis *Synnas* dicta est. Cæterum *Synnada* feminini quoque generis est Plinio lib. 5. cap. 29.

EPISCOPI SYNNADENSES.

I. ATTICUS.

EUSEBIUS Cæsariensis lib. 6. hist. eccl. cap. 19. *Atticum* Synnadensem adfert episcopum, qui vir quidem sanctus quum esset, & apprime religiosus, Theodorum laïcum adhibuerit, ut christianos divinas literas doceret, καὶ ἐν Συννάδοις Θεόδωρος ὑπὸ Ἀττικοῦ.

II. AGAPETUS I.

In Martyrologio Romano die 24. Martii, ut & apud Bedam & Usuardum, legitur *Synnadæ in Phrygia S. Agapeti episcopi.* Hic est, *quem*, Suida teste, *valde laudat Eusebius, ejusque insignia miracula recitat, montium, fluviorumque translationes, & mortuorum exsuscitationes.* Idem etiam narrat, *Maximinum Imp. interficere eum quum miles esset, voluisse, uti christianum, quod audiverat, multos ejus facta admodum mirari.* Hæc Suidas, quæ tamen apud Eusebium nusquam leguntur, sed apud Philostorgium, qui Agapetum hæresis suæ sodalem, ex milite presbyterum, ac deinde Synnadorum episcopum fecerat lib. 2. n. 8. Multa Eusebii Pamphili de martyribus scripta desiderantur.

III. PROCOPIUS.

In Nicænorum patrum indice *De provincia Phrygiæ* censetur *Procopius Synnadensis*: annon pro *Procopius* legendum *Agapius, Agapetus?*

IV. CYRIACUS.

Inter episcopos qui Joannis Chrysostomi amicitiam coluerunt, *Cyriacus* memoratur Synnadorum episcopus, qui ob illius causam in Bithynia detentus, post vero innocens
A pronuntiatus, domum rediit. Romam ad Innocentium Papam petiit, cui narravit Imperiale edictum adversus illos latum, qui Theophili Alexandrini, Arsacii, Constantinopolitani, & Porphyrii Antiocheni communionem refugerent. Posthac Constantinopolim cum synodi Romanæ legatis reversus est. Palladius dial. de vit. S. Joannis Chrysost. pag. 26. 31. 93.

V. THEODOSIUS.

VI. AGAPETUS II.

Cyriaco utique successit *Theodosius*, quem
B Socrates lib. 7. cap. 3. narrat, dum ardenti studio hæreticos insectaretur, propter *Agapetum* urbis suæ Macedonianorum episcopum Constantinopolim perrexisse, Imperatoris opem ut imploraret: interim verò Agapetus inito consilio, ejurata hæresi, ad Catholicorum ecclesiam cum omni plebe sua venit, sedemque episcopalem in qua Theodosius sedebat, capessivit: tum *Consubstantialis* professus Fidem, omnium ecclesiarum quæ ad Synnadensem spectabant, administratione
C potitus est: Theodosius vero cum Regio mandato reversus, à civibus rejectus est. Quocirca Constantinopolim repetens, Attico archiepiscopo vicem suam exposuit; ille vero Theodosio bonis verbis delinito, Agapeto episcopatum asseruit.

VII. SEVERUS I.

Anno 431. *Severus episcopus Synnadensis*

ECCLESIA Synnadorum.

Phrygiæ ad concilium generale Ephesinum venit, ac prima qua celebrari cœpit die Contestationi illorum qui intercesserunt ne Cyrillus Alexandrinus ante Joannis Antiocheni & Orientalium adventum illud auspicaretur, subscriptus legitur, cap. 7. collect. ex Tragœdia Irenæi Tyrii. Nihilominus vero Severus idem Synnadensis inter episcopos censetur, qui primæ concilii hujus actioni interfuerunt, cujus & decretis subscripsit, Σεύηρος ἐπίσκοπος Συνάδων, *Severus episcopus Synadensium* vel *Synadorum*, ac quidem inter metropolitas.

VIII. Marinianus.

In conventu synodi Constantinopolitanæ, in quo, Flaviano archiepiscopo præside, coram Thalassio Cæsariensi Eutychis hæretici causa denuo disceptata est, sedebat *Marinianus Synadorum civitatis episcopus*, Μαρινιανοῦ τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου τῆς Συνάδων πόλεως. Anno autem insequente in prædatoria quoque synodo Ephesina secunda sedens, impiis ejus decretis volens nolens suffragatus est; quod post biennium revocavit in Chalcedonensi concilio, statutis ejus omnibus subscribens. Ad ipsum subinde, ut ad reliquos metropolitas, Leo Imp. an. 458. sacras literas dedit de S. Proterii Alexandrini nece, mandans, ut de facinore isto una cum suæ provinciæ episcoporum concilio, deque Chalcedonensi synodo sententiam suam ediceret, *Mariniano reverendissimo episcopo Synadensi.* Cæterum nulla synodi provinciæ hujus responsoria exstat, uti neque Phrygiæ Pacatianæ, in collectione Epiphanii scholastici. Perperam siquidem in quibusdam codicibus, quos pag. 1431. suæ Novæ collectionis conciliorum Cl. Baluzius appellat, epistolæ synodi Lydiæ, pro *Ætherio Sardium*, *Eutherius episcopus Synnadorum* subscriptus reperitur.

IX. Theogenes.

Constantinopolitanæ synodo, in qua Menna patriarcha præside Anthimus ejus decessor, aliique ejus hæresis socii proscripti sunt, aderat *Theogenes metropolitæ Synadorum*, Θεογένης τῆς μητροπόλεως Συνάδων.

X. Severus II.

In Quinta synodo generali sedit & subscripsit *Severus Synadorum metropolita Phrygiæ Salutaris.*

XI. Pausicacus.

In Menologio Græcorum die 13. Maii memoria fit *S. Pausicaci Synadorum episcopi*, τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Παυσικάκου ἐπισκόπου Συνάδων, qui Apamea oriundus; quum medicæ arti operam dedisset, monachus subinde factus, longa abstinentia, jejuniis, orationibus, aliisque virtutibus meruit, ut à Constantinopolitano patriarcha Cyriaco, Κυριακὸς οὗτος ἦν, Synadorum episcopus ordinaretur. Dum in urbe Regia ageret, Mauricium Imper. à morbo curasse fertur. Quapropter minime audiendi sunt Synaxariorum aliorum auctores, qui Pausicacum ad Leonis Isauri tempora perseverasse ineptissime scripserunt.

XII. Cosmas.

Sextæ synodo generali adfuit & subscripsit *Cosmas episcopus Synadorum metropolis provinciæ Phrygiæ Salutaris.* Κοσμᾶς ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Συνάδων μητροπόλεως τῆς Φρυγῶν Σαλουταρίων ἐπαρχίας.

XIII. Joannes I.

Act. 4. synodi Septimæ generalis lecta est epistola S. Germani Constantinopolitani, *ad Joannem episcopum Synadorum*, πρὸς Ἰωάννην ἐπίσκοπον Συνάδων, qua Iconomachorum errorem à Constantino Nacoliæ assertum confutabat, in cujus fine aiebat: Nacoliæ episcopum catholicam doctrinam aliquando approbasse. Epistola altera ad Constantinum ipsum Nacoliensem, quæ perinde coram Patribus lecta est, Germanus querebatur, suas literas ab eo traditas non fuisse *Joanni Dei amantissimo Synadorum metropolitæ*, quemadmodum ipse epistola sua mandaverat; idque sibi Joannem significasse, Ἰωάννης ὁ θεοφιλέστατος Συνάδων μητροπολίτης γεγράφηκεν ἡμῖν.

XIV. Michael.

Septimæ synodo generali aderat, ejusque decretis subscripsit *Michaël Synadorum episcopus*, Μιχαὴλ ἐπίσκοπος Συνάδων, cujus in Martyrologio Romano memoria fit die 23. Maii: *Synadæ in Phrygia S. Michaëlis episcopi.* In Menologio Græcorum dicitur monachus primum fuisse, deinde episcopus, quumque Leonis Imp. impietatem argueret, exsulare jussum diem tamdem obiisse. Plane Michaël Synadensis una cum Nicephoro Constantinopolitano, & Theophylacto Nicomediensi Eudociadem à Leone Armeno sacrarum imaginum causa relegatus est, quemadmodum in ejusdem Theophylacti vitæ summa narratur etiam in Menologio die 8. Maii. Hunc antea S. Nicephorus Constantinopolitanus Romam miserat cum synodicis ordinationis suæ literis; quod Baronius refert ad annum 811. ubi male scribitur Michaël episcopus & metropolita *Signaculorum*, pro *Synadorum.* Hunc quoque à Nicephoro

Imp. ad Aaronem Rascidam Chalifam Oratorem cum Petro Gulæi præfecto & Gregorio Amastrensi œconomo delegatum ad pacem cum illo componendam, Theophanes prodit ad anno 21. Nicephori. Ad Michaëlem Synadensem epistolæ exstant Theodori Studitæ, qui & oratiunculam habens de ejus excessu, illum uti *confessorem beatum* prædicavit, *rectæque Fidei apud Deum opitulatorem fore confidit.* Petro itidem Nicæno Theodorus scripsit de Michaëlis Synadorum felici transitu epistolam 200. libri 1. qua significavit, illum die Pentecostes secunda, quum à mensa surrexisset, catarrho, ardentissimaque febri correptum, post triduum interiisse.

XV. Petrus.

Synodo illi quam post Photium Byzantinæ sedi restitutum coactum ferunt, sedisse subscripsisseque legitur *Petrus Synadorum,* Πέτρου Συνάδων, Πέτρος Συνάδων.

XVI. Joannes II.

Nicephorus Callistus lib. 14. hist. cap. 39. ubi *De translationibus episcoporum* disputat, testatur, circa tempora Photii *Joannem Larissæ Synada translatum esse,* ὁ Λαρίσσης Ἰωάννης εἰς Σύναδα μετηνέχθη.

XVII. Pantaleo.

Leone Sapiente Byzantinis imperante, sedebat *Pantaleo Synadorum metropolita,* qui, quum astrorum mysteriis indagandis operam dedisset, ab eodem Principe rogatus quid Lunæ defectio quæ acciderat præsagiret, hoc responsi per Samonam quemdam dedit: *Tertiam decimam Junii* transiens, *nihil sinistrum patieris:* quibus verbis obitum illius ante eam diem futurum prænuntiabat. ὁ δὲ βασιλεὺς τὸν μητροπολίτην Συνάδων Πανταλέοντα μετεκαλέσατο κ. τ. ε. Hæc incertus Continuator hist. post Theophanem, in *Leone Basilii filio,* Joannes Scylitzes, Cedrenus, & Zonaras lib. 16. cap. 14. & alii.

XVIII. Leo.

Ex Nicephoro Callisto loco laudato, *Leo Synadensis,* scripto tradidit Patrensi metropolitæ collatum fuisse Corinthi sedem sub Basilio Porphyrogenneto Imp. *Leonis* autem Synadensis metropolitæ nonnulla leguntur in Coisliniano codice XXVII.

XIX. Nicetas.

Alexio Comneno Imp. & Nicolao Grammatico patriarcha an. 1082. Decretum priscum unionis pro cultu sacrarum imaginum, in solenni procerum Imperii & episcoporum conventu innovatum est; aderatque *Nicetas Synadorum,* Νικήτα Συνάδων. Bibl. Coislin. pag. 104.

XX. * * *

Quo tempore Joannes Cantacuzenus cum Joanne Palæologo I. Imperium adminastrabat, Palæologi matre Cantacuzenum aversante, nonnulli ab ea ad illum delegati sunt, quorum unus erat *Synadorum* metropolita, ὁ Συνάδων, qui ad eumdem a Magno Duce perinde Didymotlohum missus antea fuerat. Cantacuz. lib. 3. hist. cap. 73.

XXI. Georgius.

Circa annum 1450. synodum nescio quam in S. Sophiæ templo Constantinopoli post Joannis Palæologi II. Imp. funus habitam Græculi fabulantur, atque in ea ejuratam unionem quæ Florentiæ cum Latinis inita erat; ei autem adfuisse subscripsisseque, quin & sententiam dixisse legitur *Georgius Synadorum episcopus, pro Macario episcopo Rhodi.* Γεώργιος Συνάδων, ἔχων καὶ τὴν γνώμην Μακαρίου ἐπισκόπου Ῥόδου. De quo Georgio fides sit penes auctores. Allat. Add. ad lib. De cons. col. 1387.

II. ECCLESIA HIEROPOLIS.

HIEROCLI secunda Phrygiæ Salutaris civitas est Hierapolis, cujus etiam censetur in Notitiis: in actis vero aliorum atque aliorum conciliorum utrique Phrygiæ assignatur. In Notitia Leonis Imper. Phrygiæ Salutaris nona est sub Synadensi metropoli, θʹ. ὁ Ἱεραπόλεως, & rursum Phrygiæ Pacatianæ altera metropolis est, cui novem episcopatus subjiciuntur, *Metellopolis, Attyda, Mosyna, Phobæ, Ancyra, Synaus, Tiberiopolis, Canæ, Sanæ* vel *Sanis.* Ita quoque Notitia Nili Doxapatrii. Græculos omitto sequioris ævi, qui Hierapolim olim dictam. Ὀφιορύμην, *Ophiorymen,* tradunt, ob serpentes quibus ejus solum scatebat, iis vero ab Apostolo Philippo exstructis, *Hierapolim.* Philippo siquidem antiquior Strabo Hierapolim contra Laodiceam exstitisse scripsit, ubi aquæ calidæ scaturiunt, atque Plutonium exstat: eam porro maximam admirationem præstare. Plutonium vocat terræ in monte hiatum, mortiferum spiritum exhalantem, quem alibi *Charonium* dicit. Stephanus civitatem hanc Lydiam inter & Phrygiam statuit, quam tamen omnes Phrygiæ censent: atque Holstenius ex lapidis inscriptione, ad Mæandrum fluvium fuisse sitam ostendit.

ECCLESIA Hierapolis.

Quod Hierapolis ecclesiam spectat, hanc ab Apostolo Paulo fundatam primùm fuisse colligimus, ex ejus ad Titum epistola cap. 3. v. 12. ubi ait: *Quum misero ad te Artemam & Tychicum, festina ad me venire Hierapolim.* Qui rursum ad Collossenses 4. v. 12. 13. de Epaphra discipulo dicit: *Testimonium illi perhibeo, quod habet multum laboris & pro his qui sunt Laodiceæ, & qui Hierapoli.* Vetera quoque monumenta produnt, eam à Philippo esse institutam, qui in illa diem obierit. Polycrates in primis Ephesius, apud Eusebium lib. hist. 5. cap. 24. Victori Papæ scribebat, *Philippus unus è duodecim Apostolis, qui mortuus est Hierapoli,* ὃς κεκοίμηται ἐν Ἱεραπόλει, *& duæ ejus filiæ quæ virgines consenuerunt, quum altera ejus filia divino Spiritu afflata Ephesi interim ageret, ibique requieverit.*

EPISCOPI HIERAPOLIS.

I. HEROS.

NICETAS Paphlago in appendice ad suam A laudationem S. Philippi Apostoli, ubi ejus miracula quædam commemorat, *Heroëm* Gentilem hominem ait, quum erga illum optime affectus esset, caveretque ne Hierapoli lapidibus à plebe peteretur, in suas ædes suscepisse, tum christianam Fidem amplexum, Alexandrum quemdam qui obierat, à mortuis excitasse: Apostolum vero Hierapolis episcopum Heroem prius ordinasse, quam urbe discederet, itemque presbyteros & diaconos, τὸν Ἥρωα τούτοις χειροτονήσας ἐπίσκοπον, καὶ πρεσβυτέρους καὶ διακόνους.

II. PAPIAS.

S. Polycarpi Smyrnensis sodalis, necnon B S. Joannis Presbyteri, qui Domini discipulus fuerat, auditor *Papias* fuit, Hierapolis Phrygiæ postmodum episcopus, Irenæo teste apud Eusebium lib. 3. cap. 1. 3. 39. *Vir, sua ætate disertus inprimis & eruditus,* ait Eusebius cap. 36. Irenæus rursum quinque ab illo exarata volumina tradit nec plura Hieronymus ubi *De scriptoribus ecclesiasticis* agit, atque Eusebium exscribens ait, Papiam, quum Apostolicorum virorum dicta non satis *intelligeret, mille annorum regni Christi fabulam,* ceu δευτέρωσιν edidisse, quam alii Patres nonnulli uti veram amplexi sunt.

III. ABERCIUS I.

Martyrologium Romanum ex Menologio Græcorum die 22. Oct. memoriam recolit *S. Abercii Hierapolis in Phrygia episcopi, qui sub Antonino Imp. claruit.* Baronius in Notis ait, se exhibuisse ejusdem Abercii ad eumdem Antoninum epistolam, à cardinale Sirleto acceptam, ex ejus utique vita, quæ in manuscriptis codicibus Græcis frequens est, præsertim in Metaphrastæ collectaneis. Quando itaque Abercius sub Marco Antonino, & Lucio Vero floruit, velut initio vitæ ejus fertur, quidni ipse sit Abercius Marcellus, cui Apollinaris Hierapolitanus librum contra Cataphrygas nuncupavit, jussu illius scriptum! ut proinde Apollinaris Hierapolis presbyter dumtaxat tunc fuerit, qui, episcopo suo præcipiente, calamum contra sectarios illos strinxerit, ἐκ πλείστου ὅσου καὶ ἱκανωτάτου χρόνου, ἀγαπητὲ Ἀβέρκιε Μάρκελλε, ἐπιταχθεὶς ὑπό σου συγγράψαι τινὰ λόγον. *Dilectum* appellat Abercium, pro hujus temporis more, quo presbyteri non sic episcopis inferiores admodum erant. Ejusmodi simpliciorum compellationum specimina non desunt in monumentis quæ supersunt beatissimi illius ævi.

IV. ABERCIUS II.

S. Abercii successor *Abercius* alter fuit, ex Hierapolitano ecclesiæ archipresbytero, à decessore suo Abercio designatus, ipsoque vivente confirmatus. Ita fertur in vita Abercii prioris.

V. CLAUDIUS APOLLINARIS.

Marco Aurelio Antonino Vero Imperat. *Claudius Apollinaris* episcopus Hierapolis « floruit, cui insigne volumen dedit pro reli- « gione christiana. Scripsit alia quinque itidem « volumina *adversus Gentes, De veritate* duo, « rursum contra Judæos, totidemque adversus « Cataphryges tunc exortos cum Priscilla & « Maxalla insanis vatibus incipiente Montano. « Hæc Hieronymus in *Scriptoribus ecclesiasticis,* ex Eusebio Cæsæriensi lib. 4. hist. eccl. & lib. 5. cap. 16. & 19. Quo postremo loco, Serapionem Antiochenum in epistola ad C Caricum, de Montani quoque hæresi scripsisse refert, universam fraternitatem operationem illam, quæ Nova prophetia dicitur, abominatam esse, & *ad ipsos beatissimi Claudii Apollinaris, qui Hierapolitanæ urbis in Asia episcopus fuit, literas misisse* πέπομφα ὑμῖν καὶ Κλαυδίου Ἀπολιναρίου τοῦ μακαριωτάτου γενομένου ἐν Ἱεραπόλει τῆς Ἀσίας ἐπισκόπου γράμματα.

VI. FLACCUS.

In indice patrum Nicænorum *De provincia Phrygiæ* censetur, *Flaccus Hierapolitanus;* qui subinde Eusebianorum partes sequutus est, & subscriptus legitur epistolæ quam adversus Sardicense concilium ad ecclesias dederunt in suo conventu Philippopolitano. *Flaccus episcopus ab Ierapoli.*

VII. LUCIUS.

VII. Lucius.

Synodo quæ Conſtantinopoli habita fertur in cauſa Agapii & Bagadii, qui de Boſtrorum in Arabia epiſcopatu contendebant, adfuiſſe legitur *Lucius Hierapolis*, Aſiaticæ prorſus, Λουκίου Ἱεραπόλεως. Jur. Græco-Rom. lib. 4. pag. 247.

VIII. Abeneatius.

Inter ſynodi Epheſinæ patres memoratur *Abeneatius epiſcopus Hierapolis*, Ἀβενεάτιος ἐπίσκοπος Ἱεραπόλεως, ut etiam Latini codices ferunt, aut *Beneatius*: qui tamen ſubſcriptus quoque legitur Conteſtationi illorum epiſcoporum, qui interpellarunt, ne Cyrillus Alexandrinus concilium auſpicaretur ante adventum Joannis Antiocheni & Orientalium: *Bennantius epiſcopus Hierapolis Phrygiæ.* Attamen actioni 1. prorſus interfuit, ſubſcribente pro ſe præſente, ipſoque jubente, Paulo preſbytero, Βενεάγας (ſive Βενεάτιος, niſi melius ſit ſcribendum, Βενάντιος, *Venantius*) ἐπίσκοπος τῆς κατὰ Ἱεράπολιν, Παῦλος πρεσβύτερος ὑπὲρ αὐτοῦ παρόντος, καὶ ἐντελλομένου μου ὑπέγραψα.

IX. Stephanus.

In ſynodo ſecunda Epheſina inter metropolitas ſedebat, ſententiamque pro Eutyche hæretico dicebat, *Stephanus epiſcopus Hierapolis*, Στέφανος ἐπίσκοπος Ἱεραπόλεως.

X. Abercius III.

Interfuit ſynodo Chalcedonenſi, *Abercius Hierapolis*, ejuſque definitionibus ſubſcripſit act. 6. quin etiam 16. Ἀβέρκιος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος τῆς Ἱεραπολιτῶν πόλεως Φρυγίας Σαλουταρίας. *Abercius minimus epiſcopus Hierapolis Phrygiæ Salutaris.* En Hierapolis Phrygiæ Salutaris cenſetur.

XI. Philippus.

Inter metropolitas & præcipuos Orientis epiſcopos, quibus Leo Imp. ſcripſit de nece S. Proterii Alexandrini, utque ſententiam dicerent de ſynodo Chalcedonenſi, ſacras quoque literas ſuas, quemadmodum metropolitis, miſit *Philippo reverendiſſimo epiſcopo Hierapoleos.*

XII. Auxanon.

Synodo Quintæ generali interfuit, & ſubſcripſit *Auxanon miſericordia Dei epiſcopus Hierapolitanorum Phrygiæ metropoleos.* Cur metropolis hic dicatur Hierapolis, quando, & à quo inſtituta, hoc me fugit.

XIII. Sisinnius.

Sextæ ſynodo generali, *Siſinnius epiſcopus* A *Hierapolis metropolis Phrygiæ Pacatianæ.* Sic Latina tranſlatio: Græcus vero contextus: Σισίννιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Ἱεραπολιτῶν μητροπόλεως Φρυγῶν. Sic certe in ſubſcriptionibus alloquutionis Patrum ad Imperatorem. *Siſinnius miſericordia Dei epiſcopus Hierapolis*, μητροπόλεως τῆς Φρυγῶν Πακατιανῶν ἐπαρχίας, *metropolis Phrygiæ Pacatianæ provinciæ.*

ECCLESIA Hierapolis.

XIV. Ignatius.

S. Ignatii CP. diſcipulus fuit *Ignatius* B cœnobiorum Propontidis præfectus, qui ad Photii partes tranſiens, Hierapolis ab eo metropolita factus eſt, Τούτων δὲ εἷς Ἰγνάτιος· ὢν ἐκεῖνος τοῦ ἁγίου μαθητής· Φωτίῳ προσφεύγει, καὶ ἄρχων μὲν τέως τῶν μοναστηρίων τῶν κατὰ Προποντίδα, ἔπειτα μὲν μητροπολίτης ὑπ᾽ αὐτοῦ Ἱεραπόλεως καθίσταται, ait in S. Ignatii Conſtantinopolitani vita Nicetas Paphlago. Poſt vero ad ſaniorem mentem reverſus, Octavæ ſynodo interfuit, & damnationi Photii, ejuſque conjuratorum ſubſcripſit: *Ignatius miſericordia Dei metropolita Hierapoleos, omnia quæ à* C *ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita, libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.* Cæterum, defuncto Ignatio, in ſynodo quæ de reſtitutione Photii habita eſt, iterum interfuit. Ἰγνάτιου Ἱεραπόλεως, Ἰγνάτιος Ἱεραπόλεως.

XV. Nicon.

Nicephorus Calliſtus lib. 14. cap. 38. ubi de tranſlatione epiſcoporum, *Leo Sapiente Imp. & Photio ſacerdotio fungente*, inquit, *Nicon*, Nicææ epiſcopus, *Hierapolim promotus fuit*, ναὶ μὴν καὶ Νίκων τῆς αὐτῆς πόλεως ἐπίσκοπος εἰς Ἱεράπολιν ἄνεισιν.

D XVI. Arseber.

Anno 997. die 21. Febr. Indict. x. Siſinnius patriarcha ſynodum habuit, in qua vetitum ne duo fratres duas conſobrinas, aut patruas, aut avunculas, aut fratris, ſororiſve filius, ſorores duas ducerent, ac ne duos fratres amita & matertera. Aderat *Arſeber Hierapolis*, Ἀρσεβὴρ Ἱεραπόλεως. Jur. Græco-Rom. pag. 203.

XVII. * * *

Anno Mundi 6574. die 26. April. Indict. E IV. Chriſti 1066. ſynodo Joannis Xiphilini patriarchæ, in qua actum *De ſponſalibus*, aderat *metropolita Hierapolis*, τοῦ Ἱεραπόλεως. Ib. pag. 211.

XVIII. * * *

Menſe Martio die 10. Febr. feria 2. neſcio qua Indictione aut anno, Luca Chryſoberge patriarcha & Manuële Comneno Imperat. ſynodico decreto ſancitum eſt, ne clerici auferrent ea quæ ad epiſcopos morientes &

ECCLESIA Hierapolis.

ecclesias pertinerent. Aderat *metropolita Hierapolis*, τῆ Ἱεραπόλεως.

XIX. GEORGIUS.

Alteri synodo Lucæ Chrysobergæ, in qua actum de Alamannorum Fide, asserentium Filium esse minorem Patre ratione humanitatis, adfuit *Georgius Hierapolis*. Leo Allatius lib. 2. De consens. cap. 12.

XX. ***

Isaacio Angelo Imperatore celebrata synodus est, in qua ipso annuente sancitum est, irritam episcopi electionem fore, ad quam singuli illi qui in urbe agerent, vocati non essent. Aderat *metropolita Hierapolis*, ὁ Ἱεραπόλεως.

III. ECCLESIA DORYLÆI.

DORYLÆUM, Δορυλάιον, Phrygiæ civitas est, Demosthenis ævo nota, Stephano teste. Ptolemæus *Dorylium*, Δορύλειον scripsit, nisi librariorum sit error, pro Δορυλαεῖον, ut apud Stephanum: hodie *Tradurile* vocata Leunclavio. Plinio inter Phrygiæ populos sunt *Dorylæi*, qui Mysiæ, Strabonis ætate, attribuebantur; ut ejus proinde vicini fuerint. In Notitiis omnibus Phrygiæ Salutaris, seu Occidentalioris censetur.

EPISCOPI DORYLÆI.

I. ATHENODORUS.

IN indice Patrum Nicænorum *De provincia Phrygiæ*, legitur *Athenodorus Dorylæus*.

B

II. EUSEBIUS.

Celebris sæculo quinto *Eusebius* fuit, ex causidico, Agente in rebus, & Augustæ scholastico, Dorylæi factus episcopus, qui, etsi laïcus erat, Nestorium Constantinopolitanum palam arguere non dubitavit, propositâ palam in loco publico schedulâ, qua illius profana doctrina cum Pauli Samosateni impietate componebatur. In clerum deinde cooptatus, & ad Dorylæi sedem promotus, in synodo quam Flavianus Constantinopolitanus celebrabat, Eutychem archimandritam hæresis reum fecit. Anno insequenti in Ephesina synodo secunda sacerdotio destitutus fuit à Dioscoro Alexandrino, sed Romam Leonis Papæ opem imploraturus perrexit; unde post Theodosii Junioris obitum ad Chalcedonense concilium veniens, Dioscori facinorum denuntiator fuit. Subscripsit proinde sacri hujus concilii decretis act. 3. 5. & 16. Εὐσέβιος ἐπίσκοπος Δορυλαίου, *Eusebius episcopus Dorylæi*.

C

III. THALASSIUS.

Relationi synodi Constantinopolitanæ ad Joannem patriarcham de Severo & aliis hæreticis damnandis subscripsit *Thalassius episcopus Dorylæi*, Θαλάσιος ἐπίσκοπος Δορυλαίου.

IV. GENETHLIUS.

Quintæ synodo generali adfuit, & subscripsit *Genethlius misericordia Dei episcopus Dorylæi*.

V. LEONTIUS.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus legitur Λεόντιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Δορυλαίου, *Leontius indignus episcopus Dorylæi*.

VI. IGNATIUS.

Octavæ synodo interfuit, & subscripsit *Ignatius misericordia Dei episcopus Dorylæi*.

VII. PAULUS.

Photianæ item sub Joanne Papa VIII. *Paulus Dorylæi*, Παύλου Δορυλαίου, Παῦλος Δορυλαίου.

IV. ECCLESIA NACOLIÆ.

NACOLIA, Νακολία vel Νακόλεια, vel etiam Νακώλεια, pro aliis atque aliis auctoribus, Phrygiæ Salutaris civitas est in omnibus Notitiis, quæ, Strabone teste, Phrygiæ Epictetica quondam fuerat, juxta quam Hermus amnis oritur, multos colligens fluvios, ac Phrygem præsertim qui genti nomen dans, hanc quoque à Caria disterminat. In ea Procopius hostis publicus & prædo à Valente Augusto oppressus est. Tempore Photii Nacoliæ præsul archiepiscopus erat.

ECCLESIA NACOLIÆ.

EPISCOPI NACOLIÆ.

I. BASILIUS.

INter Chalcedonensis concilii Patres sedit, & subscripsit *Basilius episcopus Nacoliæ*, Βασίλειος ἐπίσκοπος Νακωλείας.

A

II. ALEXANDER.

In Sexta sedit *Alexander episcopus Nacoliæ Phrygiæ Salutaris*, Ἀλέξανδρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος τῆς Νακωλέων πόλεως τῆς Σαλουταρίων ἐπαρχίας.

III. CONSTANTINUS.

Inter præcipuos Iconoclasticæ impietatis architectos *Constantinus* Nacoliæ episcopus fuit, quem S. Germanus Constantinopolitanus epistola ad Joannem Synnadensem metropolitam, testatur errorem se præsente ejurasse, catholicamque Fidem integram professum esse. Cæterum epistola altera ad eumdem Joannem aiebat, grave sibi esse, quod Constantinus epistolam ei non reddidisset, quam de Fide ipsius scripserat. Enimvero male sanam mentem non mutaverat, quin Leonis Isauri præ aliis in sacras imagines furorem incitaverat Quocirca ipsi quoque, ut aliis hæresis auctoribus, anathema dictum est act. 7. Septimæ synodi generalis, Joanni Nicomediæ & *Constantino Nacoliæ*, & Κωνσταντίνῳ Νακολείας αἱρεσιάρχαις, ἀνάθεμα. Legendus Theophanes ad annum 7. Leonis Isauri, ubi Nacoliæ episcopum hunc *totius impuritatis plenum fuisse* dicit, *& cui imperitia vitæ comes adfuerat*, πάσης ἀκαρθασίας ἔμπλεως, & συνζόφῳ ἀπαιδευσίᾳ συζῶν.

B

C

IV. NICETAS.

Decessoris sui impietatem emendavit *Nicetas* Nacoliæ itidem episcopus, Nicænæ synodi secundæ, cui aderat, decretis subscribens: Νικήτας ἀνάξιος ἐπίσκοπος Νακωλείας.

V. PHOTIUS.

Actione 2. Octavæ synodi *Photius archiepiscopus Nacoliæ* libellum Patribus obtulit pœnitentiæ, quod Photium Constantinopolitanæ sedis prædonem sectatus esset.

VI. ACHILAS.

Ex præfecto monasterii Studii *Achilas Nacoliæ archiepiscopus* factus est, a Photio utique spurio illo patriarcha, ut qui cum Theodoro Santabareno amicitia conjunctus esset. Quocirca Photianæ synodo, quæ post Ignatii obitum coacta est, adfuisse inter metropolitas legitur, & subscripsisse, Ἀχιλᾶ Νακολείας, Ἀχιλᾶς Νακολείας. Cæterum in vita sancti Nicolai Studitæ, cui successor datus erat; Achilas vir probis undique moribus dicitur, qui annos quinque monasterium rexit. To. 2. Auct. Bibl. PP. Græc.

VII. ***

In synodo *De sponsalibus* sub Joanne Xiphilino Patriarcha anno mundi 6574. Christi 1066. sedebat ante archiepiscopos, metropolitarum ultimus, *Nacoliæ* præsul, τοῦ Νακολείας. Jur. Græco-Rom. pag. 213.

V.

ECCLESIA MERI.

MERUS, Μῆρος, Phrygiæ Salutaris civitas in Notitiis Græcis, apud alios vetustiores auctores vix occurrit, nisi forsan apud Sozomenum lib. 5. hist. cap. 11. ubi legitur, ἐν Μισωπόλις δὲ ἡ δὲ Φρυγῶν, pro ἐν Μέρῳ. seu potius ἐν Μήρῳ, *in Mero, quæ Phrygiæ oppidum est*. Constantino Porphyrogenneto lib. 1. de Themat. cap. 1. & 4. *Comopolis* appellatur.

EPISCOPI MERI.

I. THEODOSIUS.

COnstantinopolitanæ synodo sub Menna, aderat *Theodosius episcopus Meri*, Θεοδόσιος ἐπίσκοπος Μήρου, seu Μήρου.

D

II. MEGAS.

In Quinta synodo generali sedit & subscripsit *Megas episcopus Myri*. Legendum *Miri*, vel potius *Meri*. Jungitur Constantino Midaii, & Macario Prymnesiæ, qui & subscripsit pro Diogene episcopo Augustopolis, iique Phrygiæ itidem Salutaris episcopi erant.

III. DAMIANUS.

In Septima synodo generali inter Phrygiæ Salutaris præsules sedebat *Damianus episcopus Meri*, Δαμιανὸς ἐπισκόπου Μήρου.

IV. THEODORUS.

In Octava *Theodorus episcopus Meri*.

VI. # ECCLESIA MIDAII.

MIDAIUM, Μιδάϊον, velut apud Strabonem ſcribitur, ſive Μιδάειον, ut apud Ptolemæum, quemadmodum & Κοτυάειον, *Cotyäium*, Phrygiæ olim Epictleticæ oppidum erat, in quo Sextus Pompeius Magni filius ab Octaviano Auguſto victus, captus, atque Antonii juſſu necatus eſt, ut fert Dio. lib. 49. Per omnes Notitias Græcas Phrygiæ Salutaris cenſetur.

EPISCOPI MIDAII.

I. EPIPHANIUS.

IN Chalcedonenſi concilio ſedit, & ſubſcripſit *Epiphanius epiſcopus civitatis Midaii*, Ἐπιφάνιος ἐπίσκοπος πόλεως Μιδαίου. A

II. JOANNES.

In Conſtantinopolitano ſub Menna patriarcha, *Joannes epiſcopus Midaii*, Ἰωάννης ἐπίσκοπος Μηδαείου, (lege Μιδαείου)

III. CONSTANTINUS.

In Quinta ſynodo generali *Conſtantinus miſericordia Dei epiſcopus Midaii.*

IV. THEODORUS.

Canonibus Quiniſextæ ſynodi ſubſcripſit Θεόδωρος ἐπίσκοπος Μιδάνου, (lege Μιδαείου) πόλεως Σαλουταρίων, *Theodorus epiſcopus Midaii civitatis Salutarium*, ſeu Phrygiæ Salutaris.

V. GEORGIUS.

Septimæ ſynodo adfuit & ſubſcripſit; Γεώργιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Μιδαείου, *Georgius indignus epiſcopus Midaii.*

VI. METHODIUS.

Synodo de reſtitutione Photii ſub Joanne Papa VIII. *Methodius Midaii*, Μεθοδίου τοῦ Μηδαίου, Μεθόδιος τοῦ Μηδαίου, lege Μιδαείου.

VII. # ECCLESIA IPSI.

IPSUS vel *Hipſus*, Ἶψος, Plinio lib. 5. cap. 28. *Ipſum, Phrygiæ oppidum eſt: conveniunt eò XXII. civitates.* Illic Appianus Alexandrinus Seleucum cum Antigono certaſſe ſcribit. Salutaris Phrygiæ eſt in omnibus Notitiis.

EPISCOPI IPSI.

I. LUCIANUS.

COncilio Chalcedonenſi interfuit, & ſubſcripſit *Lucianus epiſcopus civitatis Ipſi*, Λουκιανὸς ἐπίσκοπος πόλεως Ἴψου. B

II. GELASIUS.

In Septima ſynodo ſedit *Theophylactus preſbyter, perſonam gerens throni civitatis Ipſi*, qui act. 4. ſubſcriptus legitur pro *Georgio* ejuſdem civitatis epiſcopo, Θεοφύλακτος πρεσβύτερος, ἐκ προσώπου τοῦ θρόνου Γεωργίου Ἴψου.

III. PHOTIUS.

In Octava ſynodo, actione præſertim nona ſediſſe legitur *Photius Deo amabilis epiſcopus Ipſi*: at nomen ejus è ſubſcriptionibus excidit.

IV. THOMAS.

In Photiana ſynodo ſub Joanne Papa VIII. *Thomas Hypſi*, imo *Ipſi*, Θωμᾶ Ὕψοῦ, Θωμᾶς Ὕψοῦ.

VIII. # ECCLESIA POLYBOTI.

POLYBOTUM, Πολύβοτον, in Phrygia Salutari habent Notitiæ Græcæ, cujus nulla aliàs præterquam in actis ſynodorum mentio. Male Πολύγωτος ſcriptum eſt in Notitia Hieroclis, pro Πολυβότος, *Polybotus*.

ECCLESIA POLYBOTI

EPISCOPI POLYBOTI.

I. STRATEGIUS.

SYnodo Chalcedonensi interfuit & subscripsit passim *Strategius episcopus Polyboti*, Στρατήγιος ἐπίσκοπος Πολυβότου.

II. JOANNES.

Tempore Leonis Isaurici Imp. claruit *Joannes episcopus Polyboti*, quem Græci *Thaumaturgi* nomine donarunt in Menologio suo die 5. Decembris; ex quo martyrologium Romanum eadem die: *Polyboti in Asia S. Joannis episcopi cognomento Thaumaturgi*. Menologium illud vetus appellavi, quod Latine editum est tom. 2. Antiq. lect. Henrici Canisii.

A

III. ***

In Septima synodo inter episcopos Phrygiæ Salutaris sedit & subscripsit, Γρηγόριος πρεσβύτερος καὶ ἐποτηρητὴς τοῦ θρόνου Πολυβότου, *Gregorius presbyter & vicarius throni Polyboti.*

IX. ECCLESIA PRYMNESIÆ.

PRYMNESIA, Πρυμνησία Ptolemæo; & Hierocli *Prymnesos*, Πρύμνησος, Phrygiæ quondam magnæ civitas, ac tamdem Salutaris, quæ in Notitiis Græcis aliis *Promisus* scribitur, ὁ Περμίσου, ut & in quarumdam synodorum codicibus.

EPISCOPI PRYMNESIÆ.

I. VITUS.

SYnodo Constantinopolitanæ anno 381. *De provincia Phrygiæ Salutaris*, interfuit *Vitus Prymnesiensis.*

B

II. JACOBUS.

Actione 5. concilii Chalcedonensis Marinianus Synnadorum metropolita pro *Jacobo civitatis Prymnesiæ* episcopo absente subscripsit, Ἰακώβου πόλεως Πρυμνιάσης, sive Πρυμνησίας. Insulsè Latina translatio *Prymnesiæ insulæ*.

III. AQUILAS.

Relationi synodi Constantinopolitanæ ad Joannem patriarcham de Severo hæretico & ejus sociis subscripsit Ἀκύλας ἐπίσκοπος τῆς Πρυμνησίων πόλεως, *Aquilas episcopus civitatis Prymnesiorum.*

C

IV. MACARIUS.

Synodo generali Quintæ adfuit & subscripsit, *Macarius misericordia Dei episcopus Prymnesiorum provinciæ Phrygiæ Salutaris.*

V. DOMITIUS.

Sextæ synodo generali *Domitius episcopus Prymnesi provinciæ Phrygiæ Salutaris*, Δομέτιος ἐπίσκοπος Πρυμνήσου τῆς Φρυγῶν Σαλουταρίων ἐπαρχίας.

VI. PATRICIUS.

Quinisextæ synodi canonibus Πατρίκιος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος τῆς Πρυμνησέων τῆς Φρυγῶν Σαλουταρίων ἐπαρχίας, *Patricius minimus episcopus civitatis Prymnesiensium, provinciæ Phrygiæ Salutaris.*

VII. CHRISTOPHORUS.

In Septima synodo generali sedit, & subscripsit *Christophorus episcopus Promisi.* Sic vetus translatio Latina, uti Græcus contextus, Χριστοφόρος ἐπίσκοπος Περμίσου, ut civitatis hujus nomen priscum degeneraverit.

X. ECCLESIA PHYTIÆ.

IN Notitiis episcopatuum *Phytia* Phrygiæ Salutaris civitas est, ὁ Φυτίας, *episcopus Phytiæ* quæ nonnisi in Septimæ & quarumdam aliarum synodorum gestis, nec alibi reperitur.

EPISCOPI PHYTIÆ.

I. NICOLAUS.

SEptimæ synodo interfuit, & subscripsit cum Phrygiæ Salutaris antistitibus aliis, *Nicolaus episcopus Phytiæ*, Νικόλαος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Φυτίας.

II. THEODEGETUS.

In Photiana synodo sub Joanne Papa VIII. *Theodegetus Phytiæ*, Θεοδηγήτου Φυτίας. Θεοδήγητος Φυτίας.



XI. # ECCLESIA EUCARPIÆ.

EUCARPIA, Εὐκαρπία, Phrygiæ civitas eſt ab occaſu Synnadis jacens Ptolemæo, cujus incolæ *Eucarpeni* dicti, Plinio lib. 5. cap. 29. In Notitiis Phrygiæ Salutaris cenſetur.

EPISCOPI EUCARPIÆ.

I. EUGENIUS.

IN Indice patrum concilii Nicæni, *De* A *Phrygia, Eugenius Eucarpenſis*, vel *Eucarpeus*.

II. AUXAMANUS.

Synodo Conſtantinopolitanæ primæ *De provincia Phrygiæ*, adfuiſſe legitur *Auxamanus Eucarpienſis*.

III. CYRIACUS.

Inter patres concilii Chalcedonenſis ſedit, & ſubſcripſit *Cyriacus epiſcopus civitatis Eucarpiæ*, Κυριακὸς ἐπίσκοπος πόλεως Εὐκαρπίας, qui profecto ſubſcriptus quoque legitur decreto ſynodico Gennadii Conſtantinopolitani de Simoniacis, Κυριακὸς ἐπίσκοπος Καρφίων. Emenda Εὐκαρπίας vel Εὐκαρπείων. *Cyriacus epiſcopus Eucarpienſium*.

IV. DIONYSIUS.

In ſynodo Conſtantinopolitana ſub Menna *Dionyſius epiſcopus civitatis Eucarpienſium*, Διονύσιος ἐπίσκοπος τῆς Εὐκαρπέων πόλεως.

V. CONSTANTINUS.

In Photiana ſynodo ſub Joanne Papa VIII. *Conſtantinus Eucarpiæ*, Κωνσταντίνου Εὐκαρπίας, Κωνσταντίνου Εὐκάρπου.

XII. # ECCLESIA LYSIADIS.

IN Phrygia Salutari *Lyſiadem* civitatem habent Notitiæ omnes, cujus meminere Strabo & Plinius, quin etiam Ptolemæus, apud quem Eucarpiæ ad Septentrionem opponitur.

EPISCOPI LYSIADIS.

I. THEAGENES.

ARianorum qui Philippopolim à Sardicenſi B ſynodo receſſerant, epiſtolæ ſubſcriptus legitur *Theagenes epiſcopus à Lyzia:* hoc eſt, nî fallor, *à Lyſiade*.

II. PHILIPPUS.

Chalcedonenſi ſynodo inter epiſcopos Phrygiæ Salutaris adfuit, & ſubſcripſit *Philippus epiſcopus civitatis Lyſiadis*, Φίλιππος ἐπίσκοπος πόλεως Λυσιάδος.

III. CONSTANTINUS.

In ſynodo Photiana, defuncto Ignatio Conſtantinopolitano, ſub Joanne papa VIII. *Conſtantinus Lyſiadis*, Κωνσταντίνου Λυσιάδος, Κωνσταντῖνος Λυσιάδος.

XIII. # ECCLESIA AUGUSTOPOLIS.

AUGUSTOPOLIS Phrygiæ Salutaris civitas eſt in Notitiis epiſcopatuum, ex qua Eugenium grammaticum inſignem oriundum fuiſſe Suidas perhibet.

EPISCOPI AUGUSTOPOLIS.

I. PHILICADUS.

INter epiſcopos Arianicæ factionis, qui in C Seleucienſi concilio cum Acacio Cæſarienſi & Georgio Alexandrino ſecedentes, formulæ Fidei ipſorum ſubſcripſerunt, legitur Φιλίκαδος ἐπίσκοπος Αὐγουστάδων Φρυγίας ἐπαρχίας, *Philicadus epiſcopus Auguſtadorum provinciæ Phrygiæ. Auguſtas* utique eadem quæ *Auguſtopolis* eſt.

II. DIOGENES.

In Quinta ſynodo ſedit *Diogenes Auguſtopolis epiſcopus*, pro quo ſubſcripſit *Diogenes Meri*.

III. NICETAS.

In Septima ſynodo generali *Nicetas epiſcopus Auguſtopolis*, Νικήτας ἐπίσκοπος Αὐγουστουπόλεως.

IV. CONSTANTINUS.

In Octava rurſum; *Conſtantinus miſericordia Dei epiſcopus Auguſtopoleos*.

XIV.

ECCLESIA BRYZI.

BRYZUS, Βρύζος, Phrygiæ Salutaris urbs in Notitiis, apud Hieroclem Βέρυξος, pro Βρύζος, ut meliùs apud Ptolemæum quoque legendum.

EPISCOPI BRYZI.

I. Auxanon.

MARINIANUS Synnadorum metropolita A pro *Auxanonte civitatis Bryzenorum* episcopo absente subscripsit, Αὐξάνοντος πόλεως Βρύζου.

II. Macedonius.

Synodo Constantinopolitanæ, quæ Menna præside habita est, subscripsit *Macedonius episcopus Bruzensium*, vel *Bruzorum*, Μακεδόνιος ἐπίσκοπος Βερύζων.

XV.

ECCLESIA OTRYS.

OTRYS, Ὄτρυς, civitas est Phrygiæ, quam *Otream* esse putaverim, in Bithyniæ finibus à Strabone collocatam. Plutarchus in *Lucullo* in Phrygia perinde Ὀτρύας, *Otryas* statuit, ἐν Φρυγίᾳ περὶ τὰς λεγομένας Ὀτρύας. *Otrus* vel *Otrum* dicitur in Notitiis episcopatuum, ὁ Ὄτρου, *episcopus Otri*, quæ apud Hieroclem scribitur Ὀστρὺς pro Ὄτρυς.

EPISCOPI OTRYS.

I. Zoticus.

MEA quidem sententia, Otrys episcopus B fuit *Zoticus* ille *Otrenus* quem Apollinaris Hierapolis testatur, quum Ancyræ in Galatia Montani, ejusque feminarum prophetiis ecclesiam hujus urbis turbatam deprehendisset, sibi adfuisse quando presbyteri hujus urbis postularunt, ut contra illos commentarium relinqueret. Quod & subinde præstitit, παρόντος καὶ τοῦ συμπρεσβυτέρου ἡμῶν Ζωτικοῦ τοῦ Ὀτρηνοῦ. Sic apud Eusebium lib. 5. hist. cap. 16. ubi compresbyteros ille appellabat sui & anterioris ævi episcopos. At saltem Apollinaris hujus ætate ecclesia Otrena jam conflata erat. C

II. Basilius.

Marinianus Synnadensis pro *Basilio civitatis Otri episcopo* absente act. 6. synodi Chalcedonensis subscripsit, Βασιλείου πόλεως Ὄτρου.

III. Photinus.

Decreto Gennadii Constantinopolitani contra Simoniacos subscripsit, Φωτεινὸς ἐπίσκοπος Ὄτρυ. *Photinus episcopus Otri.*

IV. * * *

In Septima synodo generali inter episcopos Phrygiæ Salutaris sedit, & subscripsit *Stephanus presbyter, & locum tenens throni Otri*, Στέφανος πρεσβύτερος ὁ ἐπιτηρητὴς θρόνου Ὄτρου.

V. Michael.

In synodo Photiana sub Joanne Papa VIII. *Michaël Otrûs*, vel *Otrys*, Μιχαὴλ Ὀτρύς.

XVI.

ECCLESIA CINABORII.

IN Notitiis Græcis episcopatuum & synodorum gestis *Cinaborium* Phrygiæ Salutaris civitas est, ὁ Κιναβορίου: quam in sua non habet Hierocles.


EPISCOPI CINABORII.

I. Otreius.

MARINIANUS Synnadensis act. 6. con- D cilii Chalcedonensis pro *Otreio civitatis Cinaborii* episcopo absente subscripsit, Ὀτρεΐος, (legendum Ὀτρεΐου) πόλεως Κιναβορίου.

II. Theophilactus.

Septimæ synodo generali adfuit, & subscripsit *Theophylactus episcopus Cinaboris*, Θεοφύλακτος ἐπίσκοπος Κιναβόρεως.



XVII. ECCLESIA STECTORII.

STECTORIUM Phrygia civitas Ptolemæo, apud quem amanuensis oscitantia Ιςόειον legitur, ut in Notitia veteri una; & in illa quæ Leonis Sapientis nomen præfert. ὁ Στεκνονίου, *Stecnonii*, pro ὁ Στεκτοείυ, *Stectorii episcopus*, Verum codex Barberinus quem Holstenius laudat, diserte habet Στεκτόειον, *Stectorium*.

EPISCOPI STECTORII.

I. HELLADIUS.

MARINIANUS Synnadensis metropolita act. 6. concilii Chalcedonensis pro *Helladio civitatis Stectorii* episcopo absente subscripsit, Ελλαδίου πόλεως Τεκτοείου legendum Στεκτοείου. Omissa nimirum est litera ς, ob similem quæ præcedebat in fine vocis πόλεως: quod librariis Græcis sæpe accidit.

II. PAULUS.

Synodo Constantinopolitanæ sub Menna anno 536. adfuit, subscripsitque *Paulus episcopus civitatis Stectorii*, Παῦλος ἐπίσκοπος πόλεως Στεκτοείυ; qui subinde anno 553. concilio quoque Quinto generali adfuit & subscripsit ad hunc modum: *Paulus misericordia Dei episcopus sanctæ ecclesiæ Stectorii Pentapoliticæ regionis Phrygiæ Salutaris provinciæ.*

III. * * *

A Septimæ synodo generali *Joannes presbyter personam gerens throni Stectorii*, Ιωάννης πρεσβύτερος ἐκ προσώπου τῦ θρόνου Εκτοείου. Ita quidem act. 4. duobus vero in locis act. 7. legitur Ακτοείου, pro Στεκτοείου, nam inter episcopos Phrygiæ Salutaris reperitur.

IV. GERMANUS.

Octavæ synodo generali, *Germanus misericordia Dei episcopus Ectri*; in margine *Hectorei*, sive *Stectorei*, alibi legitur *Lystri*.

V. GEORGIUS.

In synodo Photiana, defuncto S. Ignatio Constantinopolitano, *Georgius Ectorii*, Γεωργίου τῦ Εκτοείου, Γεώργιος τῦ Νεκτοείου, *Nectorii*. Emendandum igitur utroque loco, Στεκτοείου, *Stectorii*.

XVIII. ECCLESIA AMADASSÆ.

AMADASSÆ episcopum reperio inter suffraganeos metropolis Synnadensis in subscriptionibus synodi Chalcedonensis act. 6. quam illam esse urbem conjicio, quæ in Notitia Hieroclis scribitur Δήμου Αλαμασσοῦ, pro Αμαδασσοῦ.

EPISCOPI AMADASSÆ.

I. PAULUS.

MARINIANUS Synnadensis metropolita pro *Paulo civitatis Amadassæ* episcopo absente act. 6. concilii Chalcedonensis subscripsit, Παύλου πόλεως Αμαδάσσης.

II. LEONTIUS.

Quintæ synodo generali adfuit, subscripsitque *Leontius misericordia Dei episcopus Amadassenorum civitatis.*

XIX. ECCLESIA PRÆPENESSI.

PRÆPENESSUS, Πραιπένησσος, Phrygiæ majoris civitas est Plinio, cui Pergamum subjungit; alibi non legitur, nisi in actis synodi Chalcedonensis; nisi ipsa sit quæ Hierocli Δήμου Προπνίασα, *Dema Propniasa*.

EPISCOPI PRÆPENESSI.

I. AUXANON.

MARINIANUS Synnadensis act. 6. synodi Chalcedonensis pro episcopis provinciæ Phrygiæ Salutaris absentibus subscripsit, in quibus *Auxanon episcopus Præpenessi*, Αὐξάνοντος πόλεως Πραιπενήσου.

XX. ECCLESIA

XX. ECCLESIA COTYAII.

Cotyaium, Κοτύειον, ut ſcribunt Strabo, Ptolemæus, & Stephanus Byzantinus, & alii, ut verò Latine Plinius lib. 5. cap. 32. *Cotyaium*, Phrygiæ olim majoris è magnis civitatibus una fuit. In Notitia Leonis Imp. metropolis eſt Phrygiæ, cujus tres epiſcopatus ſunt, ὁ Σπόρης, ὁ Κόνης, ὁ Γαιουκώμεως. *Spores, Cones, Caiocumis*, vel *Caiocomes*.

EPISCOPI COTYAII.

I. *** II. ***

III. *** IV. ***

V. Cyrus.

Joannes Malalas in Theodoſio Juniore narrat, Imperatorem hunc Cotyaïenſibus epiſcopum dediſſe *Cyrum* quemdam, qui Præfecti prætorii munere exauctoratus, chriſtianam Fidem erat amplexus; eo animo ut Cotyaïenſes durè plecteret, quum illi quatuor jam epiſcopos ſuos interfeciſſent.

Cyrus itaque ex Præfecto prætorii urbis Conſtantinopolitanæ, dum adhuc Gentilis erat, Imperatore ſuſpectus factus, ad ordinem redactus fuit: deinde chriſtiana reli- B gione ſuſcepta, in clerum cooptatus, Cotyaïum eſt miſſus epiſcopus. Quo quum adveniſſet, ipſo die natalis Domini, conſcenſo ambone, verba ad populum facturus, pacem eis precatus, ait: Ἀδελφοὶ, ἡ γέννησις τοῦ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ σιώπῃ τιμάσθω, ὅτι ἀκοῇ μόνῃ συνελήφθη ἐν τῇ ἁγίᾳ παρθένῳ ὁ Λόγος, αὐτῷ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν. *Fratres, nativitas Dei & Salvatoris noſtri Jeſu-Chriſti ſilentio honoretur, quia auditu duntaxat conceptum eſt in ſancta Virgine Verbum, cui gloria in ſæcula, Amen.* Quæ quum multis C plauſibus excepta eſſent, è ſuggeſtu deſcendit, καὶ ἔμεινεν ἐκεῖ ὡς θανάτου, *inque ea urbe ad mortem uſque manſit*. Hæc Malalas, atque ex eo Nicephorus Calliſtus lib. 14. cap. 38. Suidas Cyrum vitam produxiſſe addit uſque ad Leonem Imper. καὶ παρέτεινε μέχρι Λέοντος τοῦ βασίλεως.

VI. Domninus.

In ſynodo Epheſina ſedit ſubſcripſitque *Domninus epiſcopus Cotyaii provinciæ Phrygiæ Salutaris*, Δομνῖνος ἐπίσκοπος Κοτύεου D (legendum Κοτυαίειου) ἐπαρχίας Φρυγίας Σαλουταρίας.

VII. Eusebius.

In Quinta ſynodo generali, *Euſebius epiſcopus Cotyaii*. Nova collect. conc. cl. Baluzii.

VIII. Cosmas.

In Sexta ſynodo generali, *Coſmas epiſcopus civitatis Cotianorum* (legendum Κοτυαίου, *Cotyaii*, ut in aliis actorum ejuſdem ſynodi A locis) Κόσμας ἀνάξιος ἐπίσκοπος τῆς Κοτιανῶν, ſeu potius Κωτυιανῶν.

IX. ***

Quiniſextæ ſynodi canonibus ſubſcriptus legitur, Ἰωάννης διάκονος τῆς ἁγίας ἐκκλησίας τῆς Κοτυαίων πόλεως, τὸν τόπον ἀναπληρῶν τοῦ ἁγιωτάτου μου ἐπισκόπου, ὁρίσας ὑπέγραψα. *Joannes diaconus ſanctæ eccleſiæ civitatis Cotyaïenſium, vicem gerens ſanctiſſimi mei epiſcopi, definiens ſubſcripſi.*

X. Constantinus.

In Septima ſynodo, *Conſtantinus* (aliàs *Conſtans*) *epiſcopus Cotyæi* ἐπίσκοπος τοῦ Κοτυαείου.

XI. Anthimus.

In Photiana ſynodo ſub Joanne Papa VIII. inter metropolitas, *Anthimus Cotyaii*, Ἀνθίμου Κοτυαίου, Ἀνθίμος Κοτυαείου.

XII. Stephanus.

Synodico decreto Siſinnii patriarchæ Conſtantinopolitani, quo vetitum eſt ne duo fratres conſobrinas duas nuptui acciperent, ſedebat *Stephanus metropolita Cotyæi*, ὁ Στέφανος Κοτυαίου. Jur. Græco-Rom. pag. 203.

XIII. ***

Synodis quæ Conſtantinopoli habitæ ſunt anno mundi 6574. die 26. April. Indict. IX. & 6575. die 4. Martii. Indict. IX. ſive Chriſti 1064. & ſub Joanne Xiphilino patriarcha, aderat metropolita *Cotyaii* τοῦ Κοτυαείου. In illis actum eſt *De ſponſalibus*. Jur. Græco-Rom. lib. 3. pag. 211.

XIV. ***

In ſubſcriptionibus ſynodi Calliſti patriarchæ, in qua Barlaamus & Acyndynus damnati ſunt, & Palamitarum error adſertus, legitur Eſaias metropolita Selybriæ, locumtenens *metropolitæ Cotyæi*, καὶ τὸν τόπον ἐπέχων τοῦ Κοτυαίων.



XXI. # ECCLESIA DOCIMII.

Docimium Phrygiæ oppidum est, apud omnes auctores qui de Asiæ urbibus scripserunt. Alii ut Ptolemæus, Δοκιμαῖον, *Docimæum* dicunt; alii, ut Stephanus, Δοκίμειον, alii Δοκίμιον, *Docimium*, ut apud Hieroclem. Straboni *vicus Docimius*, Δοκιμία κώμη memoratur, quem incolæ Δοκιμίτην καὶ Δοκιμαῖαν, *Docimitam & Docimæam* appellabant. Inde marmor *Docimæum*. Atqui *Docimium* Notitiæ omnes Phrygiæ Salutari attribuunt.

EPISCOPI DOCIMII.

I. Antonius.

Epistolæ episcoporum factionis Arianicæ A qui Philippopolim à Sardicensi concilio recesserunt, subscriptus legitur *Antonius episcopus à Docimo, sive à Docimio.*

II. Eustathius.

Ephesinæ synodo interfuit ac subscripsit, *Eustathius episcopus Docimii provinciæ Phrygiæ Salutaris*, Εὐστάθιος ἐπίσκοπος Δοκιμίου ἐπαρχίας Φρυγίας Σαλουταρίας, qui subinde anno 448. Constantinopoli aderat in ea synodo, in qua Eutyches hæresis convictus fuit. Nam qui *Eustochius* Εὐστόχιος in hujus synodi B subscriptionibus dicitur, idem omnino est atque Εὐστάθιος *Eustathius*, alterutro nomine corrupto. In actis enim synodi Chalcedonensis modo *Eustochius* nominatur Εὐστοχίου Δοκιμίου, act. 1. & 2. modo *Eustathius* ut in subscriptionibus act. 6. Εὐστάθιος ἐπίσκοπος πόλεως Δοκιμίου.

III. Leo.

In Septima synodo inter episcopos Phrygiæ Salutaris sedit subscripsitque *Leo episcopus Docimii*, Λέων ἐπίσκοπος Δοκιμίου. In translatione Latina passim *Leontius* dicitur.

IV. Nicolaus.

In Octava synodo *Nicolaus misericordia Dei episcopus Docimii.*

V. Joannes.

Episcoporum qui Photianæ synodo sub Joanne Papa VIII. interfuerunt, postremus recensetur *Joannes Docimii*, Ιωάννου Δοκιμίου, Ιωάννης Δοκιμίου.

XXII. # ECCLESIA ABROSTOLORUM.

Quæ *Abrostola* Ἀβρόστολα, Ptolemæo & in tabulis Peutingerianis, Ἀβρόκλα, *Abrocla*, nominatur in Notitia una veteri, ipsaque prorsus est quæ apud Hieroclem Δήμου αὐράκλεια, *Demuauraclia*, corrupta voce scribitur, ubi ut in aliis Notitiis Phrygiæ Salutaris censetur.

EPISCOPI ABROSTOLORUM.

I. Aquilas.

Anno 448. synodo in quâ Eutyches coram Flaviano Constantinopolitano & Thalassio Cæsariensi hæresis reus peractus fuit, C adfuit subscripsitque *Aquilas episcopus civitatis Avroclensium* Ἀκύλας, τῆς Αὐροκλέων πόλεως, qui post triennium iterum sedit in concilio Chalcedonensi, in cujus gestis, modo Αὐρόκλων, *Auroclorum*, modo Αὐρόκρων *Aurocrorum* episcopus dicitur : act. 6. subscriptus legitur Ακύλας ἐπίσκοπος Αὐρόκρων, *Aquilas episcopus Aurocrorum*. In indice Latino Maffæi, *Aquilas Antoclinus*, emendavero *Auroclenus*.

XXIII. # ECCLESIA AMORII.

Amorium, Ἀμόριον, in magna Phrygia collocat Strabo, in ea scilicet parte, quæ Galatiæ contermina erat, eique concinit Ptolemæus. Joanni quoque Scylitzi superioris Phrygiæ urbs fuit, quam Judæorum & Athinganorum hæreticorum multitudo incolebat, quæque tridui spatio Dorylæo distabat. In Notitia itidem Hieroclis inter Phrygiæ Salutaris oppida censetur. Hanc tamen Chalcedonensis synodi gesta Galatiæ attribuerunt, ac subinde episcopatuum Notitiæ, in quarum una recentiore metropolis est: in aliis civitas Archiepiscopalis. Nummi qui Ἀμοριανῶν inscribuntur, legendum monent Ἀμόριον, non Ἀμώριον.

ECCLESIA AMORII.

EPISCOPI AMORII.

I. * * *

IN secunda synodo generali, seu Constantinopolitana prima, sedebat *Tyrannus presbiter Amorii.*

A

II. ABLABIUS.

Ad Ephesinam synodum venit, ejusque decretis subscripsit *Ablabius Amorii episcopus* Ἀβλάβιος ἐπίσκοπος Ἀμωρίου. Cæterum subscripserat quoque Contestationi plurimorum episcoporum, ne Cyrillus Alexandrinus ante Joannis Antiocheni & Orientalium adventum concilii celebrationem auspicaretur.

III. MYSTERIUS.

B

Chalcedonensi concilio interfuit & subscripsit *Mysterius episcopus Amorii* Μυστήριος ἐπίσκοπος πόλεως Ἀμωρίου, qui in indicibus Latinis inter episcopos Galatiæ secundæ censetur, *Mysteros Amorii.*

IV. * * *

In vita S. Theodori Syceotæ, quæ exstat in actis SS. die 25. April. cap. 11. n. 95. fertur, beatum virum Amorium venisse, urbis episcopum, cujus omissum nomen est, eum invitasse uti sacrificium offerret, & populo benediceret, postquam ab eo paralyticus sanatus erat. Vivebat Theodorus sub Mauricio Imp.

C

V. THEODORUS.

Sextæ synodo generali adfuit & subscripsit *Theodorus episcopus Amorii,* Θεόδωρος ἐλέῳ θεοῦ ἐπίσκοπος Ἀμωρίου, qui synodi Quinisextæ canonibus subscriptus quoque legitur, diciturque ἐπίσκοπος Ἀμωρίου τῆς δευτέρας τῶν Γαλατῶν, *episcopus Amorii secundæ Galatarum provinciæ.*

D

VI. * * *

Quo tempore Saraceni Amorium obsidebant, episcopus civitatis ab eis petitus est ad necem; quod Solymanus eorum dux non concessit, ipseque è manibus illorum evasit, vestem induens alteram, quasi hominis qui lignis & aquis comporandis viveret; quod Theophanes narrat, ad ann. 1. Theodosii III.

VII. THEODOSIUS.

Septimæ synodo generali interfuit & subscripsit *Theodosius episcopus Amorii,* cujus nomen subscriptionibus Græcis excidit. Act. 1. libello pœnitentiæ se peccatorem miserabilem & seductum dato declaravit, qui multa contra venerabiles imagines loquutus esset, quæ deinceps agnita veritate reprehenderet, & anathemati devoveret. Sed & alio libello catholicam Fidem professus est.

VIII. EUDOXIUS.

S. Nicephorus Constantinopolitanus patriarcha colloquium cum Leone Armeno habiturus, lectissimos quosdam episcopos secum duxit, in quibus *Eudoxius Amoriensis* fuit, Menæa die 8. Martii.

IX. THEOPHILUS.

Photius arrepta Constantinopolitanæ ecclesiæ tyrannide, episcopos duos Romam delegavit, per quos Nicolaum Papam sibi conciliaret, *Theophilum Amorii,* Θεόφιλον ἐπίσκοπον Ἀμορίου, *& Samuëlem Chonarum.* Nicet. vit. S. Ignatii CP.

X. BESSARION.

Photio post S. Ignatii mortem Byzantinæ sedi restituto, concilium numerosum est sub Joanne Papa VIII. coactum, quo ejus redintegratio rata fieret. Sedebat inter metropolitas *Bessarion Amorii,* Βισαρίων Ἀμορίου.

XI. * * *

In synodo Constantinopoli habita, Joanne Xiphilino patriarcha præside, anno mundi 6575. Christi 1065. Indict. IV. die 19. Martii, in qua actum est *de Sponsalibus,* sedebat cum metropolitis aliis, *Amoriensis,* τοῦ Ἀμορίου. Jur. Græco-Rom. lib. 3. pag. 213.

XXIV. ECCLESIA GORDORINIÆ.

IN Notitia Leonis Sapientis Imp. *Gordorinia* episcopatus est Phrygiæ Salutaris, ὁ Γορδορινίας.

EPISCOPI GORDORINIÆ.

I. CYRICUS.

OCtavæ synodo generali adfuit & subscripsit, *Cyricus* (sive *Cyriacus*) *misericordia Dei episcopus Gordoriniæ.*



XXV. ECCLESIA DAPHNUDII.

IN Notitia Leonis Imp. de provincia Phrygiæ Salutaris cenſetur epiſcopus *Daphnudii*, ὁ Δαφνουδίου, cujus civitatis nulla uſquam mihi occurrit mentio, niſi in geſtis quarumdam ſynodorum. Cæterum diverſa eſſe videtur à Daphnuſia, cujus epiſcopus Leo adſuit ſynodo Octavæ generali, quin & Antonius Photianæ.

EPISCOPI DAPHNUDII.

I. DAMIANUS.

IN ſynodo quæ ob Photii reſtitutionem habita eſt, ſedebat *Damianus Daphnutii* vel *Daphnudii*, Δαμιανοῦ Δαφνουδίου. Δαμιανὸς τοῦ Δαφνουτίου: ſedebat & *Antonius Daphnuſiæ*, Αντωνίου Δαφνουσίας, Αντώνιος Δαφνουσίας.

XXVI. ECCLESIA CADEMNORUM.

IN Notitia quæ exſtat in codice Regio 3118. recenſitis aliis Phrygiæ Salutaris epiſcopatibus, in fine additur, ὁ ἐπίσκοπος Καδημηνῶν ὁ Αλώπηξ, *epiſcopus Cademenorum Alopex*; quæ vox *Alopex* Græca *Vulpem* ſignificat.



V. PROVINCIA LYDIÆ.

I.

ECCLESIA SARDIUM, METROPOLIS.

SARDES, Σάρδεις, vel singulari nomine *Sardis*, Σάρδις, regni quondam Lydiæ caput fuit, sub Tmolo monte condita, cunctis qui de Asiæ rebus scripserunt commendatissima; *cui arx erat probe munita*, inquit Strabo. Plinius lib. 5. cap. 29. *Lydia*, inquit, *maxime celebratur Sardibus, in latere Tmoli montis, qui ante Timolus appellabatur, vitibus consitus, & ex eo profluente Pactolo, eodemque Chrysorrhoa, ac fonte Tarne: à Mæoniis civitas ipsa Hyde vocitata est, clara stagno Gygæo. Sardiana nunc appellatur ea jurisdictio, conveniuntque in eam extra prædictos Macedones, Cadueni, Loreni, Philadelphiani, & ipsi in radice Tmoli Cogamo flumini appositi Mæonii, Tripolitani, iidem & Antinopolitæ Mæandro alluuntur, Apollonoshieritæ, Misotmolitæ, & alii ignobiles.* Civitatem hanc Thomas Smith Anglus invisit, quam Turci *Sart* nuncupant, in latere montis Tmoli, inquit, versus Septemtriones positam. « Urbi prætenditur ampla & jucundissima planities, Pactolo ad Eurum, « aliisque aquarum fluentis à vicino monte versus Euronotum scaturientibus, quæ in Hermum « cadunt, irrigua. Hic primo intuitu subibat animum, quantum vetustas possit, quantum « terræ motus, quantum belli furor. Sardes in Sardibus quærebamus. Viculus hodie inutilis « est, ædes angustæ & inutiles, nec alios ferè incolas habet præter pastores & bubulcos, qui « gregum & armentorum in planitie depascentium curam gerunt. Ad Orientem ecclesiæ « cathedralis, ut videbatur, ruinas luximus. Turci unicam habent Moschæam pulcram qui» dem, olim christianorum templum, cujus propylæum columnis affabre politis ornatum « est. Pauci hîc admodum reperiuntur Christiani, ingenti patientia, vel potiùs stupidi, ac sine « sensu, miseram servitutem sustinentes: sed quod longe miserius est, absque ecclesia, absque « sacerdote: ad congeriem casularum redacta est, Lydiæ urbs primaria, & sedes metropolitica « destituitur ecclesiola. Atqui à primis christianæ religionis temporibus Sardibus instituta est Ecclesia, ut ex Apocalypsi constat cap. 3. In omnibus Notitiis provinciæ Lydiæ metropolis est. Sed civitate diruta, jura ejus ecclesiastica ad Philadelphiam transmissa sunt, idemque factus est utriusque ecclesiæ episcopus.

EPISCOPI SARDENSES.

I. CLEMENS.

MEnologium Græcorum vetus quod Henricus Canisius To. 2. antiq. lect. edidit, ad diem Aprilis 22. ex falso Dorotheo *Clementem* Apostoli Pauli discipulum & socium, Sardium primum fuisse fert episcopum; quem, ut alii, à Clemente Romano Papa non secernunt.

II. * * *

Apocalypsis cap. 3. ipso statim initio à Domino Joannes jubetur *Angelo*, seu *episcopo Sardium* scribere: *Hæc dicit qui habet septem spiritus Dei, & septem stellas: Scio opera tua, quia nomen habes quod vivas, & mortuus es. Esto vigilans & confirma cætera quæ moritura erant. Non enim invenio opera* A *tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe qualiter acceperis, & audieris, & serva, & pænitentiam age. Si ergo non vigilaveris veniam ad te tamquam fur, & nescies qua hora veniam ad te. Sed habes pauca nomina in Sardis qui non inquinaverunt vestimenta sua, & ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* Hæc Dominus de episcopo Sardensi & ejus ecclesia.

III. MELITO.

Sæculo ecclesiæ secundo medio *Melito Sardensis* episcopus fuit, M. Antonino Romano imperante; cui librum pro christiano dogmate dedit, aliaque multa scripsit. In Palæstinam profectus est, ex illius provinciæ fidelibus quæsiturus, qui genuini essent

ECCLESIA SARDIUM.

habendi ſacræ Scripturæ libri; quorum proinde indicem contexuit. Melitonis Sardenſis meminit Hieronymus in *Scriptoribus eccleſiaſticis*, Euſebium ſuo more exſcribens, ex ejus lib. 4. hiſt. eccleſ. cap. 12. additque; *Hujus elegans & declamatorium ingenium laudans Tertullianus in ſeptem libris quos ſcripſit adverſus Eccleſiam pro Montano, dicit eum à pleriſque noſtrorum prophetam putari.*

IV. ARTEMIDORUS.

In indice Patrum ſynodi Nicænæ *de provincia Lydiæ Artemidorus Sardenſis.*

V. HEORTASIUS.

Adfuit Seleucienſi ſynodo *Heortaſius Sardium*, qui, quum ab Acacio Cæſarienſi & Georgio Alexandrino ſeceſſiſſet, in eorum mox concilio Conſtantinopolitano epiſcopatu deſtitutus fuit, eo nomine vel colore quod abſque Lydiæ præſulum conſenſu Sardenſi eccleſiæ præfectus fuerat, Εορτάσιον δὲ καθεῖλον, ὡς ἐπίσκοπον Σαρδῶν γενόμενον μὴ συναινεσάντων τῶν ἐν Λυδίᾳ ἐπισκόπων. Hæc Sozomenus lib. 4. cap. 23. quando vero Heortaſius Semiarianis ſe junxit. Nullus dubito, quin ipſe ſit *Heorticus* ille quem apud Epiphanium hæreſi 73. Semiarianorum formulæ Fidei ſubſcriptum legimus.

VI. MÆONIUS.

Ipſa die qua concilium Epheſinum celebrari cœptum eſt, epiſcopi multi adverſus Cyrillum Alexandrinum interceſſerunt, ut Joannis Antiocheni & Orientalium epiſcoporum adventum præſtolaretur, cui ſubſcriptus legitur *Mæonius epiſcopus Sardeorum Lydiæ*, quin etiam epiſtolæ Neſtorii, ejuſque fautorum ad Theodoſium Imper. adverſus eumdem Cyrillum legitimamque ſynodum. Quæ ſubſcriptiones Latinè exſtant cap. 7. & 8. collectionis ex Tragœdia Irenæi Tyrii. In actis ſynodi Epheſinæ Conteſtatio quidem illa non exſtat, ſed epiſtola dumtaxat ad Theodoſium, cui Mæonius minime ſubſcriptus reperitur, velut in illa Collectione, uti neque Berennianus Perges, nec Dalmatius Cyzici, nec Petrus Tranopolis, nec Julianus Sardicenſis, nec Cyrus Aphrodiſiadis; qui omnes, excepto Petro Tranopolis, actioni primæ concilii, in qua Neſtorius damnatus eſt, in Græcis & Latinis codicibus omnibus ſubſcripſiſſe reperiuntur, Μαιόνιος ἐπίσκοπος τῆς Λυδίας πόλεως Σαρδέων, *Mæonius epiſcopus Sardium civitatis Lydiæ*. Apud Marium Mercatorem, *Mæonius epiſcopus eccleſiæ quæ eſt in Sardibus Lydiæ:* ubi nomen ejus inter metropolitas viſitur. Cæterum initio ejuſdem actionis, ubi recenſentur Patres qui illi interfuerunt, Dalmatius Cyzici, & Berennianus Perges nominantur, nec omiſſus Mæonius, ut mihi videatur Neſtorii deſtitutioni ſuffragatus eſſe, agnita demum impii hæretici protervia.

VII. FLORENTIUS.

Anno 448. Flavianus Conſtantinopolitanus ſynodum habuit, in qua *Florentii religioſiſſimi epiſcopi Sardium* adverſus epiſcopos duos ſub ipſo conſtitutos Joannem & Coſinium cauſa tractaretur, cujus relationem Florentius ad Flavianum miſerat, ἀναγινωσκομένης ἀναφορᾶς σταλείσης παρὰ τοῦ Φλωρεντίου τοῦ θεοσεβεστάτου ἐπισκόπου τῆς Σαρδιανῶν μητροπόλεως τῆς ἐπαρχίας Λυδῶν, καὶ τῶν ὑπ' αὐτὸν τελούντων θεοσεβεστάτων ἐπισκόπων Ἰωάννου καὶ Κωσινίου. In hac ipſa ſynodo Eutyches hæreſis reus actus eſt ab Euſebio Dorylæo. Anno inſequenti prædatoriæ ſynodo Epheſinæ adfuit, atque Flaviani archiepiſcopi damnationi, & Eutychis abſolutioni, reſtitutionique volens nolens ſubſcripſit. In ea quoque interpretem egit legatorum Leonis Papæ, Juliani ſcilicet Coënſis, & Hilarii diaconi: ſi qua tamen corruptis à Dioſcoro actis aliquanta fides ſit habenda. Poſt biennium vero factum revocavit in concilio Chalcedonenſi, cui interfuit, & cujus geſtis decretiſque ſubſcripſit.

VIII. EUTHERIUS.

Leo Imp. audita nece S. Proterii Alexandrini ad metropolitas, & præcipuos Orientis epiſcopos literas dedit, ut collectis provinciarum ſuarum ſynodis, ſuam de hoc facinore, deque Chalcedonenſi ſynodo ſententiam declararent, atque adeo ad *Eutherium*, ſive *Ætherium* Sardenſem, *Eutherio reverendiſſimo epiſcopo Sardenſi*. Synodica eorum ad Leonem epiſtola cum multis aliis ſuper eſt, cui ſubſcriptus *Ætherius epiſcopus Sardianorum Lydiæ* cum ſuis.

IX. JULIANUS.

Quintæ ſynodo generali adfuit & ſubſcripſit *Julianus miſericordia Dei epiſcopus Sardianorum metropoleos Lydiæ.*

X. MARINUS.

Sextæ ſynodo, *Marinus minimus epiſcopus Sardium metropolis provinciæ Lydiæ*, Μαρῖνος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος τῆς Σαρδέων μητροπόλεως τῆς Λυδῶν ἐπαρχίας.

XI. EUTHYMIUS.

Septimæ item ſynodo *Euthymius epiſcopus Sardenſis* aderat, Εὐθύμιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Σαρδέων, qui ſacri hujus conventus pars magna fuit. Poſt Leoni Armeno Imp.

à quo Iconomachorum impietas instaurata A est, pro viribus obstitit cum Theophylacto Nicomediæ, Petro Nicææ, Aëmiliano Cyzici & aliis, ut fertur in vita Nicetæ hegumeni Medicii in Bithynia, quæ prostat inter Acta SS. ad diem 13. April. Ex Menæis ad 11. Martii, à Nicephoro Imp. in insulam Patalaream relegatus fuit, quia virginem quamdam totonderat. Ex Cedreno vero, Joanne Scylitze & Zonara à Michaële Balbo Imp. altero sacrarum imaginum hoste, multatus quoque fuit, subque Theophilo ejus filio nervis bubulis acerbissime cæsus, martyrio vitam fi- B nivit. Inter Theodori Studitæ epistolas lib. 2. epistola 24. inscribitur Εὐφημίῳ Σάρδης, legendum Εὐθυμίῳ *Euthymio*, velut etiam habet Coislinianus codex: in ea vero Euthymius *doctrinæ basis & fulcimentum Ecclesiæ, atque orthodoxorum gloria* dicitur, ὡς ἀληθῶς καὶ κρηπῖδα τοῦ λόγου, καὶ ἔρεισμα ἐκκλησίας καὶ κλέος τῶν ὀρθοδόξων. Agit autem de presbytero è captivitate barbarica reverso, sed hæretica communione polluto, qui à sacris obeundis, etsi restitutus non erat, minime sibi temperabat.

C

XII. Joannes I.

Euthymio suffectus est *Joannes*, cui etiam Theodorus Studita epistolam 108. scripsit, qua precabatur ut à gravissimo quo laboraverat morbo, convalesceret. Illi quoque dedit dogmaticam epistolam quæ in duobus codicibus Coislinianis habetur. Joannes Sardensis episcopus Martyrium conscripsit S. Nicephori, qui sub Valeriano & Gallieno Impp. olim passus est; quod exstat inter Acta SS. die 9. Febr. An ejus auctor Joannes hic noster, an alter, non definiam.

XIII. Petrus.

Photii, Gregoriique Syracusani partes adversus S. Ignatium patriarcham inprimis sequutus est *Petrus Sardensis cognomento Dilæus*, Πέτρος ὁ Σαρδέων, ὁ λεγόμενος Δείλαιος, ait Nicetas Paphlago, qui addit eum in sinu Dalmatico periisse, quum à Photio ad Nicolaum Papam, destituto Ignatio, missus esset.

XIV. Theophylactus.

Synodo, in qua Ignatio defuncto de Photii restitutione tractatum est, sedisse subscripsisseque legitur, *Theophylactus Sardium*, Θεοφυλάκτου Σαρδέων, Θεοφύλακτος Σαρδέων.

XV. Leo.

Decreto synodico Sisinnii Patriarchæ quo vetitum est ne duo fratres consobrinas duas ducerent, subscripsit *Leo Sardensis*, Λέων Σαρδέων. Jure Græco-Rom. p. 197.

XVI. Joannes II.

In synodo quæ anno 6651. Christi 1143. Cosmam Atticum Patriarcham Bogomilicæ hæresis causa exauctoravit, sedit & subscripsit *Joannes metropolita Sardium*. Ἰωάννης παρεσχωρήσει Θεοῦ μητροπολίτης τῶν Σαρδέων, ὁρίσας ὑπέγραψα. Allatius in *Diatriba de Georgiis* p. 321. in *Georgio* Diæreta, collationem laudat scriptorum in Hermogenis Rhetoricam, ibique inter Christianos qui de Rhetorica scripserunt, metropolitam Sardium *Joannem* B *Doxapatrem* numeravit, ἕτερος inquit μητροπολίτης Σαρδέων καὶ εἷς Ἰωάννης Δοξαπάτρης. An vero idem sit ac iste secundus Joannes, mihi obscurum est.

XVII. Nicetas.

Anno 116$\frac{6}{7}$. Constantinopoli synodus, Luca Chrysoberge patriarcha præside, habita est de sensu horum Domini verborum *Pater major me est*, cui aderat *Nicetas Sardium*. Allat. lib. 2. De cons. c. 12.

XVIII. Andronicus.

In Jure Græco-Rom. pag. 238. quarumdam quæstionum solutiones exstant, datæ in synodo sub Manuële patriarcha, in qua sedit cum metropolitis aliis *Andronicus Sardium*, τοῦ Σαρδέων Ἀνδρονίκου. Quæ synodus habita est mense Julio Indict. VIII. adeoque anno 1250. In ea proinde tractatum est *de Translationibus episcoporum*, eodem *Andronico* sedente, qui *totius Lydiæ Exarchus* quoque dicitur, τοῦ Σαρδέων καὶ ἐξάρχου πάσης Λυδίας Ἀνδρονίκου. Quamobrem hic mihi videtur fuisse D *Sardensis* ille *archiepiscopus* sive metropolita, qui illo tempore cum Cyzicensi, aliisque Græciæ præsulibus Romam à Joanne Duca delegatus est, ut de ecclesiarum concordia restituenda agerent. His Innocentius Papa IV. conditiones pacis dedit, quas Alexander IV. ejus successor recitat epistola ad episcopum Urbevetanum, quam Raynaldus recitat ad annum 1266. n. 48. *Hæc sunt*, ait Alexander, *recognitionis & petitionis capitula, quæ dudum Quisicensis*, (Cyzizensis) *& Sardensis archiepiscopi ex parte quondam* E *Joannis Imper. & ecclesiæ Græcorum fel. record. Innocentio Papæ prædecessori nostro, & sedi Apostolicæ obtulerunt, &c.* Nicææ agebat Andronicus, quando de Michaële Palæologo Imperii corona redimiendo sermo habitus est, aliquamdiuque obstitit, ne ille solus, Joanne Lascari puero genuino Principe, hæredeque Imperii prætermisso, inauguraretur: verumtamen paulo post volens nolens assensus tamdem est. Obstitit vero etiam, ne Arsenii Patriarchæ abdicatio-

admitteretur, tumque ne diutiùs Michaëlis Palæologi moliminibus repugnare videretur, relicto episcopatu, monachum, sumto *Athanasii* nomine, induit anno 1260. accepto monachali habitu à Joannicio Philadelphiæ. Quum vero pristinum episcopi gradum sibi vindicare tentasset, à synodo admissus non est. De eo Georgius Acropolita hist. n. 84. Georg. Pachym. in *Michaële* lib. 2. cap. 8. lib. 2. cap. 17. 18. lib. 5. cap. 25.

XIX. JACOBUS.

Andronico suffectus ab Imperatore Palæologo fuit *Jacobus Chalazas*, qui ex occiduo tractu, sive Europæ, Nicæam venerat. τὸν δὲ Χαλάζαν Ἰάκωβον ἐκ δύσεως προσχωρήσαντα τῷ κρατοῦντι Σαρδέων ἀποδείκνυσιν. Hic consecrationem accepit à Germano III. patriarcha, anno proinde 1267. Pachym. lib. 2. cap. 20. 23.

XX. ANDRONICUS *secundùm.*

Cæterum Arsenio patriarcha suæ sedi restituto, *Andronicus* quoque episcopatum recepit, quem Michaël Imp. Romam iterum misit ad Honorium Papam IV. ut de ecclesiarum conciliatione tractaret. Quocirca is est Sardensis ille metropolita, qui initio epistolæ Gregorii Papæ X. ad orientales legitur, *venerabilibus fratribus ..... Sardensi Lydiæ.* Verum, Michaële defuncto, Andronico ejus filio Andronicus ipse Sardensis auctor fuit, ut episcopi alii qui Occidentalis ecclesiæ unionem amplexi erant, acerbissime afflicti sint. Post vero in Imperatorem perduellis factus, Sardensi rursus sede turpiter ejici meruit circa annum 1288. Pachym. in *Andronico* lib. 1. cap. 23.

XXI. * * *

Athanasio Constantinopolitano Patriarcha, coacta synodo, proscriptus fuit *Joannes quidam cognomento Drimys, qui societatem iniisse dicitur cum execranda factione contra gregem Christi, Ecclesiam scilicet, & coronatum à Deo Imperatorem.* Aderat *metropolita Sardium,* Andronici, ut apparet, successor, τοῦ Σαρδέων καὶ ὑπερτίμου. Cod. Reg. olim Illustr. Archiepisc. Remensis epistolarum Athanasii.

XXII. GREGORIUS.

Petrus Lambecius lib. 8. biblioth. Cæsar. codice 6. contineri ait Tomum condemnationis Barlaami & Acyndyni, qui Gregorii Palamæ placitis repugnabant, datum mense Aug. Indict. IX. anno Mundi 6849. Christi 1341. cui per Joannem patriarcham subscripsit *Gregorius Sardium*, ὁ Σαρδέων Γρηγόριος. Vide Allat. lib. de Octava synodo Photiana pag. 445.

XXIII. DIONYSIUS.

Inter episcopos Græcos, qui in Italiam cum Joanne Palæologo II. Imper. ad synodum pro instauranda ecclesiarum unione profecti sunt, ac Ferrariæ in concilio sederunt, *Dionysius Sardium* memoratur, καὶ ὁ Σαρδέων κῦρ Διονύσιος. Post vero in actis fertur Bessarionem Nicææ metropolitam, *Sardensis vices gessisse*, quum ille ut videtur, in morbum incidisset. Nam Amyrutzio teste apud Allatium lib. 3. De consens. cap. 11. ante concilii exitum diem clausit postremum *Dionysius Sardium*: imo Ferrariæ obiit Id. Aprilis ann. 1437. Cujus Epitaphium Latinum Allatius edidit in Exercitationibus contra Creyghtonum, pag. 61. ex Cyriaco Anconitano acceptum:

Pio & immortali D. Sacr.
Dionysio Thessaloniceo Sardensis Lydorum
Ecclesiæ Pontif. optimo, qui è Byzantio una
Cum IΩ. *Palæologo inclyto Græcorum Imp. &*
IΩ*seph Constantinopolitano Patriarcha*
Aliis cum & plerisque senioribus Italiam
Unionis gratia synodi navigarat, & Ferrariæ
Demum civitate, ubi Eugenio IV. maximo
Romanor.
Pont. œcumenica synodus consistebat.
Idib. April. supremum Dei nutu diem
Obiit.
Bessarion Cappadocæus Nicænæ ecclesiæ
Archiepiscopus.
Necnon sacri alii Orientalis Ecclesiæ Patres
Dedere.

Prius vero quam Dionysius in Italiam vaderet, anno ipso Mundi 6945. Christi 1437. cum Georgio Disypato à Joanne Imper. missus erat, ut simultates, bellumque inter illius fratres exortum componeret. Georg. Phranza lib. 2. hist. cap. 11.

XXIV. NICOLAUS.

Circa annum 1450. Joanne Palæologo Imper. defuncto episcopi Græci complures Constantinopoli in ecclesiam S. Sophiæ feruntur convenisse ad initam Florentiæ unionem ejurandam, quorum unus fuisse legitur *Nicolaus episcopus Sardium*, Νικόλαος ἐπίσκοπος Σαρδέων. Allat. Addend. ad lib. 3. De consens. col. 1387.

II.

ECCLESIA PHILADELPHIÆ.

PHILADELPHIA, Φιλαδέλφεια, ab Attulo Philadelpho Eumenis fratre condita, in Myſiæ minoris finibus & Lydiæ, ab ortu ſolis Sardibus exſtat, quarum juriſdictioni, ætate Plinii ſuberat. *Philadelphia ſecunda* dicitur in actis ſynodi Epheſinæ, ut fertur in Collect. Baluz. col. 1137. 1138. &c. ubi de Quartodecimanis, qui ſub Theophanio Philadelphienſi epiſcopo ad Eccleſiam regreſſi erant. Hanc Lydiæ cenſet Ptolomæus, quinetiam Hierocles & alii. In ea ab Apoſtolis eccleſia Chriſtiana inſtituta eſt, atque inter potiores Aſiæ memoratur Apocal. 3. v. 7. Metropolis facta erat ſæculo nono, quod Nicephori Conſtantinopolitani ad Nicolaum Papam III. epiſtola conſtat. quin Sardibus à Timuro ſive Tamerlano everſis, ad Philadelphiam metropolitica urbis illius jura omnia tranſlata ſunt. Philadelphiam Thomas Smith Anglus inviſit, ut & primarias alias ſeptem urbes Aſiæ quarum fit in Apocalipſi Joannis mentio, hancque Sardibus ad Euronotum viginti ſeptem milliaribus aut circiter diſtare ait, cujus ædes ad clivum qui leniter aſſurgit, pendulæ videntur, unde fere ab omni parte in planitiem verſus Septentrionem & Orientem proſpicere licet. Quocirca à Turcis nuncupatur *Alah shav*, ſive *pulcra Urbs*; quum alioqui nihil pulchrum aut magnificum in ea reperire ſit, quod tale nomen ei merito indat. Firmiſſimis mœnibus ſuis poſtquam Philadelpheni Urchanis & Amuratis tyrannorum Turcarum impetus diu ſuſtinuerunt, tamdem à Bayazide vix ægre expugnati ſunt. *In barbariam Turcicam*, pergit Smithæus, *plane excandeſcebamus, dum ad S. Joannis, eccleſiam ad Euronotum urbis olim, ut amplitudo ipſius pene demonſtrat, cathedralem, jam ſterquilinium factam, nos convertimus.* Cæterum Græci quatuor illic eccleſias habent, quæ τῆς Παναγίας, ſive ſanctiſſimæ Virginis, S. Georgii, magnæ apud Orientales formæ, S. Theodori, & S. Taxiarchæ: unde numerum illorum, neque parvum, neque contemnendum eſſe facile quis cenſeat. Hæc ille: nihilominus Philadelphiæ metropolita ante centum & quinquaginta annos in ſua civitate ſedere deſiit, ſed Venetiis ſedem ejus tranſlatam pene dixero, annuentibus Byzantinis patriarchis.

EPISCOPI PHILADELPHIÆ.

I. LUCIUS.

II. DEMETRIUS.

LIb. 7. Conſtit. Apoſt. c. 46. Joannes Apoſtolus refertur dicens, *Demetrium* à ſe creatum Philadelphiæ epiſcopum, & à Paulo *Lucium*. Φιλαδελφείας Δημήτριον ὑπ' ἐμοῦ, ὑπὸ Παύλου Λούκιος. Atqui Paulus Joanni dudum præiverat eccleſiarum Aſiæ inſtitutor. Lucium Cyrenenſem habemus inter Antiochenæ eccleſiæ prophetas & doctores Act. 15. v. 1. Paulus quoque Romanis ſcribens cap. 16. v. 21. ait: *Salutat vos Timotheus, adjutor meus, & Lucius, & Jaſon, & Soſipater cognati mei.* Hunc Lucium ab eodem Paulo Philadelphenis eſſe datum epiſcopum mihi ſatis veriſimile eſt. Quidni vero ille idem ſit qui *Lucius Cyrenenſis*; qui certe de circumciſione fuerat.

III. * * *

Joannes in Apocalypſi cap. 3. v. 7. ſcribere jubetur *Angelo*, ſive epiſcopo *Philadelphiæ* cap. 3. v. 7. *Hæc dicit ſanctus & verus, qui habet clavem David, & aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit: ſcio opera tua. Ecce dedi coram te oſtium apertum, quod nemo claudere poteſt: quia modicam habes virtutem, & ſervaſti verbum meum, & non negaſti nomen meum. Ecce dabo tibi de ſynagoga Sa-* A *tanæ, qui dicunt ſe Judæos eſſe, & non ſunt; ſed mentiuntur. Ecce faciam illos ut veniant, & adorent ante pedes tuos, & ſcient quia ego dilexi te. Quoniam ſervaſti verbum patientiæ meæ, & ego ſervabo te ab hora tentationis quæ ventura eſt in orbem univerſum tentare habitantes in terra.*

IV. HETÆMASIUS.

Inter Nicænæ ſynodi Patres *De provincia Lydiæ*, cenſetur *Etymaſius Philadelphiæ*, legendum *Hetæmaſius*, Ἑτοιμάσιος, οἱ non υ.

V. CYRIACUS.

Epiſtolæ Arianorum conventus Philippopolitani adverſus Sardicenſem ſynodum ad B Afros, ſubſcriptus legitur *Quiricus epiſcopus à Philadelphia. Cyriacus* utique, Κυριακὸς, dicebatur, vel ſaltem Κυρικός.

VI. THEODOSIUS.

Ad Seleucienſe concilium poſtea venit *Theodoſius epiſcopus Philadelphiæ Lydiæ*, à quo ſeceſſit, Georgio Alexandrinæ eccleſiæ tyranno, & Acacio Cæſarienſi adhærens; quorum formulæ Fidei ſubſcripſit Θεοδόσιος ἐπίσκοπος Φιλαδελφείας Λυδίας. Unde unus è præcipuis fuit qui à ſynodo ſacerdotio idcirco privati ſunt. Epiph. hær. 73. Socrat. hiſt. eccl. lib. 11. cap. 33.

ECCLESIA Philadelphiæ.

VII. THEOPHANIUS.

Ad Ephesinam synodum priorem generalem accessit *Theophanius*, sive *Theophanes*, *episcopus Philadelphiæ Lydiæ*, qui subscriptus legitur Contestationi tot illorum episcoporum, qui statim intercesserunt ne Cyrillus Alexandrinus synodum ante Joannis Antiocheni & Orientalium adventum inchoaret. Subscripsit etiam epistolæ Nestorii ad Theodosium Imp. qua adversus legitimum concilium expostulabat, rursumque epistolæ Orientalium ad Joannem Antiochenum & alios ejusdem schismatis socios, quos illi Constantinopolim delegarant, *Theophanius episcopus Philadelphiæ Lydiæ.* Quocirca act. 5. sacerdotium illi ejusque sociis à sacro concilio abrogatum est, jussumque fuit ut alter ejus in locum ordinaretur, Θεοφάνης Φιλαδελφείας. Cæterum idem ipse *Theophanes episcopus Philadelphiæ Lydiæ* subscriptus perinde legitur sententiæ, qua Nestorius act. 1. proscriptus fuit Θεοφάνης ἐπίσκοπος Φιλαδελφείας τῆς Λυδίας, quinetiam nomen ejus insertum fuit inter subscriptiones actionis quintæ, ac si decretum in ea adversus hæresim sancitum probaverit; quod sane librariorum manifesto errori tribuendum venit. Actione quidem concilii sexta Charisius Philadelphiensis ecclesiæ presbyter libellum Patribus obtulit, quo, narratis quæ Nestorius per Jacobum quemdam presbyterum impietatis suæ conscium ad Philadelphenos seducendos tentaverat, ita ut vel ipse (Charisius) veræ Fidei tenax, à communione arceretur, profanum quoque Theodori Mopsuesteni symbolum exhibuit, una cum indice multorum Quartodecimanorum & Novatianorum, qui apud *Theophanium Philadelphiæ sanctissimum episcopum, errores suos ejuraverunt.* At licet in illa actione concilii sexta Charisius Theophanium *sanctissimum episcopum* appellaverit, attamen cap. 42. collectionis ex Tragœdia Irenæi Tyrii, Irenæus ille epistola ad Comitem Candidianum Theophanium à legitima synodo ad ordinem redactum dicit: *Unde*, inquit, *ut de sanctissimo & Dei amicissimo episcopo & comministro, nostro Theophanio scribas, verbis non egeo longis. Et ipsum namque manifestè novit magnificentia vestra, & scit injustitiam quæ præsumta est adversus eum.* Cæterum Irenæus idem Theophanium non memorat, ubi recenset illos qui pertinaciæ suæ causa, suis subinde sedibus pulsi sunt.

VIII. ASIANUS.

Synodicæ epistolæ provinciæ Lydiæ ad Leonem Imper. de synodo Chalcedonensi & nece S. Proterii Alexandrini subscripsit *Asianus episcopus Philadelphiæ.*

A

IX. EUSTATHIUS.

Relationi Constantinopolitanæ synodi ad Joannem patriarcham de Severo Antiocheno, ejusque sociis, quæ lecta est act. 5. concilii sub Menna itidem patriarcha, subscripsit *Eustathius episcopus metropolis Philadelphiensium provinciæ Lydiæ*, Εὐστάθιος ἐπίσκοπος τῆς Φιλαδελφέων μητροπόλεως τῆς Λυδῶν ἐπαρχίας. *Metropolim* scripsit recentior Græcus.

X. JOANNES I.

Sextæ synodo generali adfuit & subscripsit
B *Joannes episcopus civitatis Philadelphiensium.* Ἰωάννης ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Φιλαδελφέων πόλεως.

XI. STEPHANUS.

Septimæ item synodo *Stephanus episcopus Philadelphiæ*, Ἰωάννης ἐπίσκοπος Φιλαδελφείας.

XII. MICHAEL.

S. Nicephorus CP. patriarcha, recrudescente sub Leone Armeno Iconomachorum hæresi, coacto concilio, epistolam Leoni Papæ III. dedit per *Michaëlem Philadelphiæ metro-*
C *politam.* Μιχαὴλ δὲ τῷ ὁσιωτάτῳ μητροπολίτῃ τῆς Φιλαδέλφου φιλοχρίστου πόλεως τὰ παρόντα ἡμῶν συνοδικὰ γράμματα πρὸς ὑμετέραν ἠγαπημένην καὶ ποθεινὴν ἀδελφότητα ἐνεχειρίσαμεν. *Cæterum nostras hasce synodales literas Michaëli sanctissimo Christi amantis Philadelphiensis civitatis metropolitæ ad dilectam exoptatamque fraternitatem vestram tradidimus.* Ejus autem magnum erga ecclesiam studium, facundiam, vitæque integritatem commendat.

XIII. MANUEL.

D Statuto synodali Georgii Xiphilini patriarchæ *De juribus territoriorum* condendo, anno 1197. Februar. 9. fer. 2. Indict. XV. aderat *Manuël Philadelphiæ & Protosyncellus.* τοῦ Φιλαδελφείας, καὶ πρωτοσυγκέλλου Μανουήλ. Jur. Græco-Rom. lib. 4. pag. 284.

XIV. PHOCAS.

Manuële Charitopulo patriarcha, variarum quæstionum solutiones in synodo sancitæ sunt, sedente *Phoca metropolita Philadelphiæ*, τοῦ Φιλαδελφείας Φωκᾶ, qui vices
E tunc agebat episcopi Syracusani. Τοῦ Φιλαδελφείας, καὶ τόπον ἐπέχοντος τοῦ Συρακούσης. Ad Michaëlem Angelum Epiri despotam fæderis paciscendi causa à Joanne Duca Imp. Nicæâ missi sunt *Phocas Philadelphiæ*, Isaacius Ducas aulæ primicerius, Michaël Hyaleus, necnon Georgius Acropolita; qui in historia n. 50. & in Compendio quoque n. 50. scribit, Phocam Philadelphiæ auctoritate plurimum valuisse apud Joannem illum Imp. ita ut ab illo, *non virtutis gratia unice diligeretur,*

quin potius ob inverecundiam, καὶ ὁ τῆς Φιλαδελφέων μητροπολίτης Φωκᾶς συμπαρῆν τοῖς γινομένοις, φιλουμένος παρὰ τοῦ βασιλέως, καὶ πάνυ φιλοφρονούμενος. πέπονθε δὲ τοῦτο, οὐκ ἐξ ἀρετῆς, ἀλλ᾽ ἐξ ἀναιδείας. Cujus quidem inverecundiæ ſpecimina quædam Acropolita ſubdit. Narrat quoque conſilium, quod Theodoro Laſcari Imperatore, Nicolao Manclabitæ dederat, ut candentis ferri manibus tactu verum eſſe crimen probaret, quod ille Michaëli Palæologo impegerat.

XV. Joannicius.

Philadelphiæ epiſcopatum gerebat *Joannicius* circa Michaëlis Palæologi Imp. initia, dum Andronicus Sardenſis, eo ſacra faciente in monaſterio Salvatoris, ſumta Euchariſtia Principi declaravit velle ſe monachi habitum induere: ἐπεὶ ὁ μὲν Φιλαδελφείας Ἰωαννίκιος κατὰ τὴν μονὴν τοῦ Σωτῆρος ἱερούργει, τοῦ βασιλέως παρεστάμενος Pachym. lib. 2. cap. 17. Quinimo Acropolita teſtis eſt ipſum à Joannicio eſſe monachi veſte indutum, τότε καὶ τὰ τῶν μοναχῶν ἄμφια ἐνεδέδυτο ὑπὸ τοῦ Φιλαδελφείας Ἰωαννικίου.

XVI. Theoleptus.

Joannicio utique ſuffectus eſt *Theoleptus,* qui ſub Andronico ſeniore Imp. anno 1288. Gregorii Cyprii patriarchæ tomum, quo Joannis Damaſceni de Spiritu ſancto dictum exponebatur, ſententiam Latinorum adſtruere cum Epheſino Joanne contendebat, ita ut ab eo ſeceſſerint: quæ refert Pachymeres lib. 2. cap. 3. Itemque, quum Andronicus ad Babylonis Sultanum ſcribens, *fratris* eum nomine compellaſſet, vocem iſtam quam cuncti improbabant, Theoleptus adductis ſacræ Scripturæ oraculis defendendam ſuſcepit; ex quo male apud omnes audivit, acriterque reprehenſus eſt à Niceta Dyrrachii metropolita. Ibid. l. 3. c. 25. Exercitus duces ille commovit adverſus Joannem Tarchaniotam Orientalium copiarum prætorem, ceu rebellionem meditaretur: ſed immerito, quod Joannes cunctis palam evicit, cap. 25. Obſtitit reſtitutioni Joannis Epheſini, qui ob pervicaciam epiſcopatu dejectus erat, ut ſuo loco dictum eſt. Lib. 4. cap. 10. & 34. Turci Philadelphiam obſidentes, à Catalanis qui in ea agebant, profligati fuere. *Divina ope,* ait Gregoras, *ob inſignem epiſcopi urbis divini viri Theolepti virtutem,* διὰ τὸ τῆς ἀρετῆς μέγεθος τοῦ τῆς πόλεως ἱερέως προεδρεύοντος, θείου ἀνδρὸς Θεολήπτου. Niceph. Greg. lib. 7. c. 6. Joannes item Cantacuzenus Theoleptum cum Geraſimo patriarcha commendat lib. 1. cap. 14. p. 46. 61. *Deinde inſignis Philadelphiæ epiſcopus Theoleptus, qui virtutis culmen conſcenderat, qui non ſolum omnes vitæ anachoreticæ numeros eſſet adeptus, ſed alios quoque docere illos poſſet, vir prudens, inque externis doctrinarum ſtudiis verſatus.* Amuratus Satrapa tributum Philadelphenis Theolepti gratia, remiſit, aliaque rurſum ille Pontifex geſſit, quæ perinde à Cantacuzeno recitantur cap. 19. Canones complures κατανυκτικοὺς & Παρακλητικοὺς, qui in eccleſiis canuntur, compoſuit. In codice 332. Cæſareæ Bibliothecæ, undecimo loco habetur Nicephori Gregoræ oratio parænetica ad Imperatricem *De obitu D. Theolepti Philadelphienſis,* Τῇ βασιλίσσῃ παραινετικὸς ἐξ αὐτοσχεδίου συντεθειμένος ἐπὶ τῇ τελευτῇ τοῦ Φιλαδελφείας κυροῦ Θεολήπτου.

XVII. Macarius I.

Anno mundi 6855. menſe Febr. Ind. XV. ſive Chriſti anno 1347. *Macarius Philadelphius* aderat ſynodo, in qua Joannes Calecas patriarcha ideo exauctoratus fuit, quod Gregorii Palamæ placitis non faveret, Lambecio teſte l. 8. Bibl. Cæſar. cod. 6. Idemque Macarius anno 6859. Chriſti 1351. ſedit in ſynodo Calliſti patriarchæ, in qua Barlaamus, Acyndynus proſcripti ſunt, Palamitarumque dogmati confirmato ſubſcripſit: ὁ μητροπολίτης Φιλαδελφείας ὑπέρτιμος, καὶ ἔξαρχος πάσης Λυδίας, καὶ καθολικὸς κρίτης τῶν Ῥωμαίων Μακάριος. *Metropolita Philadelphiæ, hypertimus, & exarchus totius Lydiæ, & univerſalis Judex Romanorum, Macarius.* Poſtquam Calliſtus patriarchatu ceſſit, tres, ut mos ferebat, electi ſunt, quorum unus ab Imperatore deſignaretur, qui locum illius ſuppleret, nempe *Philotheus Heracleæ, Philadelphiæ Macarius,* καὶ τὸν Φιλαδελφείας Μακάριον, *& Nicolaus Cabaſilas.* Miſſis verò eorum nominibus Matthæo Imper. Philotheum ille maluit. In collectione orationum *De Cruce,* quas Joannes Gretzecus congeſſit, una exſtat *Macarii Philadelphiæ.*

XVIII. * * *

Poſt ſæculi decimi quinti initia, quo tempore Timures, quem Tamerlanchum dicunt, Scytharum Dynaſta Aſiam pervadebat, & populabatur, quidam Philadelphiæ civis, Byzantinæ Reipublicæ adminiſtrorum unus, multos è chriſtianis quos opulentos noverat, Tartaris tradidit, qui imperatas à barbaro principe pecunias ſolverent. Quot verò ſolvendo pares non eſſent, ignibus ille cremari juſſit. *Sed & Philadelphiæ epiſcopum ſævis cruciatibus affecerunt, ut Chriſtianam religionem ejuraret,* ὡς καὶ τὸν ἀρχιερέα Φιλαδελφείας εἰς τοσούτους πειρασμοὺς εἰσάξαι, καὶ βάσανα, τοῦ ἐξομόσασθαι τὸ σέβας τῶν Χριστιανῶν. Mich. Ducas hiſt. pag. 68.

ECCLESIA Philadelphiæ.

XIX. Macarius II.

Philadelphiæ archiepiſcopus fuit *Macarius* alter, cognomento *Chryſocephalus*, Sophronio, de quo mox dicam, omnino, ut mihi videtur, anterior, priore vero Macario recentior. Nam ex Leone Allatio in Exercit. adv. Creghtonum pag. 662. ex Philanthropeni ſcriptis nonnulla mutuatus erat, quæ ſuo magno in Evangelium Lucæ Alphabeto inſeruit. Atqui Philanthropenus Nicephoro Gregoræ æqualis fuit, ad quem ſcilicet Gregoræ binæ epiſtolæ exſtant. Pergit Allatius p. 680. ubi de Chryſocephalorum gente. Erat hæc familia minime nova, & in ea percelebris habitus eſt *Macarius Chryſocephalus* Philadelphienſis archiepiſcopus, qui ſcriptis ſuis elegantiſſimis & doctiſſimis eam illuſtrabat. Scripta porro illius mox recenſet vir eruditus, in quibus præſertim attendenda veniunt *Iambica carmina in Orationem ſepulcralem Manuëlis Imp. de Theodoro fratre.* Ex quo diſcimus eum Manuële Palæologo Imp. vixiſſe, eique ſuperſtitem fuiſſe, adeoque anno 1417. Macarii Philadelphienſis ſermones undecim manu-exarati exſtant in cod. Coiſlin. 7. itemque unus in duodecim ordines, quinetiam in S. Michaëlem in cod. 137.

XX. Sophronius.

Martinus Cruſius in Annotationibus ad lib. 7. Turco-Græciæ, inter epiſcopos Græciæ qui nomina ſua Stephano Gerlachio in chartis exaraverunt, anno 7083. ſive Chriſti 1575. *Sophronium Philadelphiæ* memorat. Σωφρόνιος ὁ Φιλαδελφείας. Hic proinde tunc temporis Conſtantinopoli agebat.

XXI. Gabriel.

Sophronio itaque ſuffectus eſt *Gabriel* cognomento *Severus*, cujus lib. 8. Turco-Gr. viſitur epiſtola ad Martinum Cruſium ſcripta Venetiis anno 1580. Novembris 7. ἐξ Ἐνετῶν αφπ. Ἀνθεστηριῶνος ζ'. ἱσαμένου. cui ſubſcribit: Ἱκετὴς ὑμῶν Γαβριὴλ ἀνάξιος ἀρχιεπίσκοπος Φιλαδελφείας, καὶ ἔξαρχος πατριαρχικός, *Veſtri ſtudioſiſſimus Gabriel, indignus Philadelphiæ Archiepiſcopus & patriarchalis Exarchus.* Sequitur ejuſdem Cruſii ad ipſum epiſtola Tubingæ ſcripta, mox altera Gabriëlis ad patriarcham, quin & tertia illius ad παναγιώτατον, *ſanctiſſimum,* patriarcham ſcilicet. In ſecunda patriarchæ nuntiabat, *ſe nuper honorifice acceptum à laudatiſſimo Venetorum Magiſtratu.* ἡμᾶς ἴσθι, παναγιώτατε δέσποτα, φιλοτιμῶς πῶς, παρὰ τῆς τῶν Ἐνετῶν πολυμνήτου ἀρχῆς προσδεδεγμένους. Quod ſcilicet accidit anno 1578. die 3. Septembris, quo epiſtola ſcripta eſt. *Atqui de Gabriele*, ait ibidem Cruſius, *Gerlachius præterea nobis indicavit, eum olim Patavii operam dediſſe, deinde Candiæ ſacerdotem fuiſſe, & Philadelphiæ archiepiſcopum ordinatum eſſe; quia vero pauci in talibus locis chriſtiani ſunt, Venetias ſe contuliſſe, ibique Græcæ eccleſiæ inſervire.* De eo plura Cruſius habet pag. 206. & 207. quem aiunt virum procerum fuiſſe & macilentum, facie veneranda, annorum 40. vel circiter, principem templi S. Georgii, duos Zekinos in menſem ab ipſa Signoria accipientem: habitare vero Venetiis quatuor millia Græcorum. Vivebat anno 1584. & in ſenatum Veneticum admittebatur, ait rurſum Cruſius, qui illo tempore volumen ſuum de Turco-Græcia abſolvit. Anno 1614. die 24. Jul. Antonius Pinellus Venetus typographus editionem ei nuncupavit Evangeliſtarii ad uſum eccleſiæ Græcorum. Τῷ πανιερωτάτῳ, καὶ σοφωτάτῳ μητροπολίτῃ Φιλαδελφείας κυρίῳ Γαβριὴλ, τῷ ἐκ Μονεμβασίας ἐπισκόπῳ, καὶ ἐπιτηρητῇ τοῦ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου κυρίου Ῥαφαήλ. *Sacratiſſimo ſapientiſſimoque metropolitæ Philadelphiæ Domino Gabrieli Severo, Monembaſiæ procuratori, & œcumenici patriarchæ Domini Raphaëlis vicario.* Nonnulla ejus opuſcula Græce Latinèque evulgavit Richardus Simonius Pariſ. anno 1671. quibus Calviniani errores exploduntur. Sed ejus prolixus tractatus exſtat de Sacramentis, quem præſtantiſſimus Hieroſolymorum patriarcha Chryſanthus typis Græcis Tergoviſii in Valachia excudendum curavit ad calcem ſui voluminis *De eccleſiæ officiis.*

XXII. Theophanes II.

Gabrieli Severo ſucceſſit *Theophanes* alter, qui Venetiis perinde ſedebat anno 1622. quo diſcipulus ipſius Nicephorus Paſchalius librum illic excudebat hoc titulo: Ἐγχειρίδιον μεθοδικὸν ὠφέλιμον κατὰ πολλὰ, καὶ ἀναγκαῖον περὶ τοῦ μυστηρίου τῆς μετανοίας, καὶ ἐξετάσεως τῆς συνειδήσεως ἐκείνων, ὁποῦ ἐπιθυμοῦσι νὰ ἐξομολογεῖν ὀρθὰ καὶ πιστά. *Manuale methodicum utile & neceſſarium de ſacramento Pœnitentiæ, & examine conſcientiæ eorum qui recte & ſincere peccata ſua confiteri cupiunt.*

XXIII. Athanasius.

Agapius Monachus librum inſcriptum, Παράδεισος, *Hortus*, nuncupavit *ſacratiſſimo D. D. Athanaſio Valeriano metropolitæ Philadelphiæ, hypertimo & exarcho œcumenici patriarchæ.* Τῷ πανιερωτάτῳ καὶ σοφωτάτῳ κυρίῳ Ἀθανασίῳ τῷ Βαλεριανῷ μητροπολίτῃ Φιλαδελφείας, ὑπερτίμῳ καὶ ἐξάρχῳ τοῦ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου. Continet hic liber ſelectas ſanctorum vitas ex Simeone Metaphraſte acceptas, & in idioma vulgare Græcum converſas. Imo anno 1637. Matthæus Cigala

ei jam nuncupaverat volumen aliud inscriptum, Νέα σύνοψις διαφόρων λέξεων. *Novum compendium variarum dictionum*, quum ex Citherensi episcopo Philadelphiensis designatus esset : Τῷ θεοφιλεστάτῳ καὶ σοφωτάτῳ ἐπισκόπῳ πρώην Κυθήρων, κυρίῳ Ἀθανασίῳ Βελλεριανῷ, καὶ ὑποψηφίῳ τῆς ἁγιωτάτης μητροπόλεως Φιλαδελφείας. Anno item 1630. eidem Athanasio nuncupata est editio Liturgiarum Græcarum & appendicum illarum, quando Philadelphiæ renuntiatus erat metropolita.

XXIV. Meletius Typaldus.

Nostra ætate Venetiis ecclesiæ Græcæ perinde præerat *Meletius Typaldus* metropolita Philadelphiensis, cui illustrissimus Nicolaus Comnenus Papadopoli Cretensis, abbas S. Zenobii, sacræ Theologiæ, Philosophiæ & Juris utriusque Doctor atque in Academia Patavina Canonum sacrorum interpres, *Prænotiones Mystagogicas suas* nuncupavit anno 1687. Hunc anno 1698. invisit doctissimus D. Bernardus de Montefalconis, dum Italiam lustraret, quemadmodum testatur ipse in *Diario Italico*. Venetiis obiit anno 17 . .

XXV. Macarius III.

Philadelphiæ metropolita anno 1721. sedebat *Macarius*, ὁ Φιλαδελφείας Μακάριος. Hic vero non jam amplius Venetiis moratur, ut sui nuperi decessores, sed Constantinopoli.

III. ECCLESIA THYATIRÆ.

Thyatira, Θυάτειρα, nomine Græco plurali, Straboni, aliisque Græcis, femineo singulari Latinis, Lydiæ civitas *& metropolis* Ptolemæo, Θυάτειρα μητρόπολις. Hanc ad sinistram Septemtrionem versus euntibus Pergamo Sardes collocat Strabo, Mysorum ultimam. Gentile nomen in Nummis est Θυατειρηνοὶ *Thyatireni*, qui Plinio teste, de conventu Pergameno erant. Thyatiræ ecclesia christiana, vel à Paulo primùm, vel à Joanne Evangelista instituta est. Joannes in Apocalypsi cap. 2. v. 8. Thyatiræ Angelo, sive Episcopo, scribere jussus est. Sæculo autem tertio hæretici illi quos Epiphanius *Alogos* appellandos duxit, quum Evangelium Joannis & Apocalypsim rejicerent, secundum librum istum falsi incusabant, quia Joannes scribere juberetur *Angelo ecclesiæ Thyatiræ*, in qua nulla esset christianorum ecclesia. Verum esto nullas tertio sæculo appareret christianorum Thyatiræ cœtus ; at certe ibidem exstiterat, sed qui à catholica Fide subinde deficientes, Montani insanias admiserant, ut bene observat Epiphanius : qui addit, religionem veram in ea ante centum ac duodecim circiter annos, quando hæc scribebat, revixisse, quin & in dies augescere. Quinimo M. Antonino Vero Imperat. Carpum Thyatiræ episcopum martyrio Pergami functum mox referam. Thomas Smith Anglus libro *De Septem Ecclesiis Asiæ*, se ex ruderibus quæ supersunt detexisse prodit, ubi gentium Thyatira urbs exstiterit propter « inscriptiones non paucas Græcas & Latinas, in quibus Θυατειρηνῶν, *Thyatirenorum* nomen legere licet. His porro recensitis urbem adhuc superesse intulit, quæ ingenti aquæ beneficio gaudeat, ob quam nitidissima foret, nî à Turcis incoleretur. Illa enim per singulas plateas fluit, è vicino monte ad Orientem scaturiens, & inde per mille tubulos, si Turcis id asserentibus credendum sit, derivata. Civibus abundat Turcis, qui duas numerant Moscheas, quum ne una quidem ecclesia christiana illic reperiatur. Adhuc celebris est ob gossipii mercaturam, quod hinc Smyrnam fertur, in orbem christianum advehendum.

EPISCOPI THYATIRÆ.

I. * * *

Joannes, ut prædictum est, Apocal. 11. v. 18. *Angelo*, sive episcopo, *ecclesiæ Thyatiræ*, hæc scribere præcipitur. *Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculum tamquam flammam ignis, & pedes ejus similes aurichalco. Novi opera tua & fidem, & caritatem tuam, & ministerium, & patientiam tuam, & opera tua novissima plura prioribus. Sed habeo adversum te pauca ; quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit propheten, docere & seducere servos meos fornicari, & manducare de idolothytis. Et dedi illi tempus ut pænitentiam ageret, & non vult pænitere à fornicationibus suis. Ecce mittam eam in lectum, & qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt, nisi pænitentiam de operibus suis egerint, & filios ejus interficiam in morte; & scient omnes ecclesiæ quia ego sum scrutans renes & corda, & dabo unicuique secundum opera sua. Vobis autem dico, qui Thyatiræ estis, quicumque non habent doctrinam hanc, & qui non cognoverunt altitudines Satanæ quemadmodum dicunt ; non mittam super eos aliud pondus, & tamen id quod habetis, tenete, &c.* Quæ certe omnia non exigui numeri ecclesiam indicant. Sed valde proclivis sum,

ut aſſeram mulierem illam Jezabel Montani prophetiſſis præluſiſſe.

II. Carpus.

Epiſtolam eccleſiæ Smyrnenſis Euſebius Cæſarienſis laudat lib. 4. hiſt. eccl. cap. 16. in cujus fine narrari ait S. Pionii martyris certamen: quinetiam aliorum qui in urbe Aſiæ Pergamo ſub idem tempus paſſi ſunt, acta etiamnum circumferuntur, Κάρπου καὶ Παπύλου, καὶ γυναικὸς Ἀγαθονίκης. *Carpi nempe, Papyli & Agathonices mulieris, qui poſt multas & illuſtres Fidei noſtræ confeſſiones glorioſo exitu conſummati ſunt.* Atqui viri eruditi poſt Uſſerium Armachanum jam obſervarunt, Pionii mentionem nullam fuiſſe factam in Smyrnenſium epiſtola priore, qua S. Polycarpi martyrium recitabatur, ſed in recentiore altera, quoniam Pionius nonniſi ſub Decio ſæculo eccleſiæ tertio medio claruit. Idem proinde dicendum de Carpo, Papylo & Agathonice, quos acta martyrii ipſorum, quæ apud Metaphraſten habentur, perinde ſub Decio paſſos perhibent. At iiſdem in actis *Carpus*, non tam Pergami, quam Thyatiræ epiſcopus eſt, etſi ipſe, ejuſque Diaconus patria Pergameni erant. οἱ στέῤῥοι τῆς ἐκκλησίας στῦλοι τε καὶ θεμέλιοι, Κάρπος καὶ Πάπυλος, οἱ πατρίδος μὲν ὑπῆρχον περιφανοῦς τῆς Περγαμηνῶν πόλεως. Carpus porro ad pontificatum provectus, religionis myſteria Thyatiræ prædicavit, καὶ Κάρπος μὲν ἀρχιερωσύνης ἐπιβὰς, τὰ τῆς εὐσεβείας μυστήρια διήγγελε ἐν Θυατείροις. Thyatiræ itaque à Valerio ſive Valeriano præſide comprehenſi, Sardes raptantur, ubi variè cruciantur, deinde Pergamum in patriam ſuam, in qua poſt alia exquiſitiſſima tormenta, quæ mira ab illis conſtantia tolerata ſunt, laurea martyrii, capite abſciſſo, donati ſunt, die 13. Oct. Nihilominus Bollandi continuatores de Carpo, ejuſque ſociis agunt ad diem 13. Aprilis velut & Martyrologium Romanum, quod illa die ſic habet: *Pergami in Aſia natalis SS. martyrum Carpi epiſcopi Thyatirenſis, Papyli Diaconi, Agathonicæ ſororis ejus optimæ feminæ, Agathodori ipſorum famuli, & aliorum multorum, qui poſt varios cruciatus, beatis confeſſionibus martyrio coronati ſunt in perſequutione M. Antonini Veri, & Lucii Aurelii Commodi.* Quæ poſtrema verba emendanda veniunt ex iis quæ prædicta ſunt, quando certum eſt eos nonniſi ſub Decio paſſos eſſe. In illum vero errorem impegere, non Uſuardus ſolum, ſed Beda quoque & Adon in Martyrologiis ſuis. Ex illorum autem actis apparet, Carpo auctore Chriſti fidem & eccleſiam Thyatiræ inſtauratam eſſe.

III. Sozon.

In Nicænorum patrum indice Latino *De provincia Lydiæ*, cenſetur *Sozon Thyatirenſis*, qui in quibuſdam codicibus perinde Latinis *Sartas* ſcribitur amanuenſium errore.

IV. Fuscus.

Epheſinæ ſynodo interfuit & ſubſcripſit *Phoſcus epiſcopus Thyatiræ*, Φώσκος ἐπίσκοπος Θυατείρης ὑπέγραψα ἀποφηνάμενος. In Latinis codicibus *Fuſcus* dicitur. Qui tamen ſubſcriptus inter illos legitur, qui act. 1. Conteſtatione intercesſerunt, ne Cyrillus Alexandrinus concilii celebrationem auſpicaretur ante Joannis Antiocheni & Orientalium adventum, *Fuſcus epiſcopus Lydiæ*, deeſt vox *Thyatiræ*.

V. Diamonius.

Epiſtolæ ſynodi provinciæ Lydiæ ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini, & Chalcedonenſi concilio, ſubſcripſit *Diamonius epiſcopus Thyatirenæ civitatis.*

VI. * * *

In Septima ſynodo actione 7. ſubſcripſit *Iſones preſbyter vices gerens Thyatirenæ ſedis.* Ἰσώνης πρεσβύτερος, καὶ ἐκ προσώπου τοῦ θρόνου Θυατείρων.

VII. Basilius.

In ſynodo quæ de reſtitutione Photii habita eſt, *Baſilius Thyatirorum*, Βασιλείου Θυατείρων, Βασίλειος Θυατείρων.

IV.

ECCLESIA TRIPOLIS.

EPISCOPALIS Lydiæ civitas eſt *Tripolis ad Mæandrum* in Notitiis, quæ Ptolemæo prima eſt Cariæ, & in Caria collocatur à Stephano, ab Hierocle vero in Lydia ſub Proconſule. Plinius quoque Lydiæ incolis accenſet Philadelphenos & Tripolitanos, quos Sardianæ juriſdictionis eſſe & Cogomo flumini appoſitos, ait. Hodie non ſupereſt, ſed rudera quædam, ſaxaque ingentia reliquias ejus eſſe putat Thomas Smith, ut pote quæ illic haud procul Hierapoli, juxta Mæandrum projecta jaceant.

EPISCOPI TRIPOLIS.

I. Agogius.

In Nicæni concilii Patrum indice *De provincia Lydiæ*, legitur *Agogius Tripolitanus*.

II. Leontius.

Seleuciensi concilio adfuit, Socrate teste l. 2. c. 32. *Leontius Tripolis Lydiæ episcopus*, qui Acacio Cæsariensi, spurioque Alexandrino præsuli Georgio ac cæteris Arianis junctus, eorum formulæ Fidei subscripsit. & Λεόντιον Τριπόλεως τῆς Λυδίας, etsi nomen ejus abest apud Epiphanium hær. 73. Destitutus vero episcopatu fuit cum sociis suis, ab aliis præsulibus qui convenerant. Mox itaque ad conciliabulum quod Ariani sui Constantinopoli habuerunt, properavit, ab eisque restitui meruit: quin & Aëtium una cum illis ordinavit, cujus scilicet, ut etiam Ariminensis formulæ damnationi refragati erant: quæ quidem Philostorgius narrabat lib. 7. cap. 6. Suidas de illo legendus, à quo Leontius hic Tripolis Lydiæ episcopus, natione Mysus fuisse dicitur, è Mysia scilicet seu Mœsia majore ad Istrum posita. Plura addit, quibus virum maxime commendat, utinam non à catholica Fidealienum. Legenda tamen omnino ea sunt, quæ eximii præsulis specimen egregium præferunt; unde, ipso teste, Leontium *Ecclesiæ regulam* appellitabant, κανόνα δὲ αὐτὸν ἐκάλουν τῆς ἐκκλησίας.

III. Commodus.

Contestationi illi episcoporum, qui adversus Ephesini concilii ante Orientalium adventum inchoationem interpellarunt, inter Fuscum Thyatiræ & Eutherium Stratoniciæ subscriptus legitur *Commodus episcopus Tripolis Lydiæ;* qui tamen ipsamet act. 1. ejusdem synodi subscriptus quoque reperitur, Κόμοδος ἐπίσκοπος Τριπόλεως.

IV. Paulus.

In Chalcedonensi concilio inter episcopos Lydiæ sedit & subscripsit *Paulus episcopus Tripolis*, Παῦλος ἐπίσκοπος Τριπόλεως, qui ante biennium in Ephesina quoque synodo secunda sederat, ut ejus actorum initio fertur, & Παύλου Τριπόλεως Λυδίας, sed & profanis Dioscori Alexandrini decretis subscriptione sua assensus erat: *Paulus humilis episcopus Tripolis.*

V. Joannes.

Epistolæ synodi Lydiæ ad Leonem Imp. de nece Proterii Alexandrini subscripsit *Joannes episcopus Tripolis.*

VI. Anastasius.

Inter episcopos Lydiæ Septimæ synodo generali adfuit & subscripsit *Anastasius episcopus Tripolis*, Ἀναστάσιος ἐπίσκοπος Τριπόλεως.

VII. Sisinnius.

Synodo item quæ habita fertur propter Photii restitutionem, *Sisinnius Tripolis*, Σισιννίου Τριπόλεως, Σισίννιος Τριπόλεως.

V. ECCLESIA SETTARUM.

Settæ Σεττὰι vel *Sattæ*, Σαττὰι, Ptolemæo prima Mæoniæ civitas est in finibus Mysiæ, Lydiæ atque Phrygiæ. In Notitia Hieroclis scribitur Σῖται, *Sitæ*, sed ex aliis Notitiis legendum Σετταὶ, *Settæ*, ut etiam ex synodorum actis, ὁ Σεττῶν, episcopus *Settarum.* Codices tamen quidam Latini habent *Siton*, quasi *Sitarum.*

EPISCOPI SETTARUM.

I. Limenius.

Settarum episcopus *Limenius* sedebat anno 431. quo adfuit synodo Ephesinæ subscriptusque legitur, Λιμένιος ἐπίσκοπος τῆς κατὰ Σέλλας ἁγίας τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας, ἐπαρχίας Μηδίας. *Limenius episcopus sanctæ Dei apud Settas ecclesiæ provinciæ Mediæ.* Legendum vero & emendandum prorsus τῆς κατὰ Σέττας... ἐπαρχίας Λυδίας. *apud Settas... provinciæ Lydiæ.* Enimvero in codicibus Latinis habetur, *Limenius episcopus civitatis Setenorum;* in aliis, *civitatis Ettenorum*, & in aliis rursum, *episcopus Ettenæ civitatis;* omissa litera *s* propter eamdem literam quâ vox *civitatis* finitur; quod librariis sæpe accidisse dixi.

II. Amachius.

Concilio Chalcedonensi interfuit *Amachius episcopus Settarum*, & Ἀμαχίου Σεττῶν, qui inter episcopos Lydiæ subscripsit, Ἀμάχιος ἐπίσκοπος πόλεως Σεττῶν. In indice episcoporum Lydiæ qui in illa synodo sederunt, librariorum errore scribitur *Selyon* pro *Setton, Settarum.* Aliqui codices habent quoque *Sellene*, pro *Setton.*

III. Heraclidianus.

Synodicæ epistolæ provinciæ Lydiæ ad

ECCLESIA SETTARUM.

Leonem Augustum subscriptus legitur *Heraclidianus Senus*, pro *Settenus*.

IV. JOANNES I.

Sextæ synodo generali adfuit & subscripsit, *Joannes episcopus civitatis Settarum provinciæ Lydiæ*, Ἰωάννης ἐπίσκοπος πόλεως Σετῶν (leg. Σεττῶν) ἐπαρχίας τῆς Λυδίας. In subscriptionibus synodi Quinisextæ idem *Joannes* scribitur episcopus τῆς Σεσῶν πόλεως τῆς Λυδῶν ἐπαρχίας. Σεσῶν librarii posuerunt pro Σεττῶν.

V. JOANNES II.

Septimæ synodo *Joannes* alter *episcopus Settarum*, Ἰωάννης ἀνάξιος ἐπίσκοπος Σεττῶν.



VI. ECCLESIA GORDI.

QUÆ Ptolemæo *Julia Gordus*, Ἰουλία Γόρδος, inter Hermum amnem & Sipylum montem posita, ipsa profecto est, quam Hierocles in Notitia *Gordum* nominat, Γόρδος, velut & Socrates lib. 7. hist. cap. 36. In Notitiis aliis Lydiæ assignatur, ὁ Γόρδων, *Gordorum episcopus*.

EPISCOPI GORDI.

I. JOANNES.

GORDI in Lydia primùm sedit *Joannes* episcopus, qui Prœconnesum posthac translatus fuit, Ἰωάννης ἀπὸ Γόρδου τῆς Λυδίας. Socr. lib. 7. hist. c. 36. Quo tempore vixerit haud satis certum; at quarto sæculo, vel quinto inchoato.

II. THEODOTUS.

Epistolæ synodi episcoporum Lydiæ ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini subscripsit *Theodotus episcopus Gordi*.

III. THEODORUS.


In synodo Constantinopolitana, quæ Menna patriarcha præside habita est, sedit & subscripsit *Theodorus episcopus Gordenorum*, Θεόδωρος ἐπίσκοπος τῆς Γορδηνῶν πόλεως.

IV. GEORGIUS.

In Septima synodo *Georgius episcopus Gordi*, Γεώργιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Γόρδου.

V. LEO.

In Photiana sub Joanne Papa VIII. *Leo Gordiæ*, vel *Gordes*. Λέοντος Γορδίας, Λέων Γόρδης.



VII. ECCLESIA TRALLÆ.

PRæter Tralles Asiæ, de quibus dictum est, alia ejusdem fere nominis *Tralla* civitas fuit in Lydia, quæ Hierocli Τράλλεις *Trallies* dicitur: & in duabus Notitiis ecclesiarum, Sardensi metropolitæ Lydiæ subest, ὁ Τράλλων, *Trallorum episcopus*. In ea quæ Leonis Sapientis nomine insignitur, & in recentioribus, scriptum est, ὁ Τροάλλων, *episcopus Troallorum*. Atqui utraque civitas Asiæ & Lydiæ apprime distinguitur in actis septimæ synodi; etsi Stephano *Trallis ad Mæandrum Lydiæ* censetur Τράλλις πόλις Λυδίας, πρὸς τῷ Μαιάνδρῳ, quæ tamen Asiæ provinciæ fuit, non Lydiæ.

EPISCOPI TRALLÆ.

I. URANIUS.

QUintæ synodo generali adfuit & subscripsit, *Uranius Trallorum civitatis provinciæ Lydiæ*.

II. MICHAEL.

Septimæ quoque synodo *Michaël episcopus Trallæ*, Μιχαὴλ ἐπίσκοπος Τράλλης. Act. 7. legitur Στάλλης, librarii errore, rursumque Τροάλως, *Troallorum*, ut in Notitia Leonis Imp.



VIII. ECCLESIA SILANDI.

SILANDUS, Σίλανδος, in Notitiis episcopatuum & in actis conciliorum Lydiæ civitas est, quam Ptolemæus & alii veteres siluerunt: *Silandrum* dicit Notitia una, ὁ Σιλάνδρου.

EPISCOPI

EPISCOPI SILANDI.

I. MARCUS.

IN indice Latino Patrum qui Nicænæ ſynodo interfuerunt, *De provincia Lydiæ* legitur *Marcus Standitanus.* Lege *Silanditanus.* A

II. ALCIMEDES.

In Chalcedonenſi ſynodo ſedit & ſubſcripſit *Alcimedes epiſcopus Silandi Lydiæ*, Ἀλκιμήδης ἐπίσκοπος Σιλάνδου. qui in indice Latino Maffæi ſcribitur *Alcimedes, Elladenſis, Euladenſis,* librariorum imperitia.

III. ANATOLIUS.

Ex mendoſa illa indicis Maffæi lectione conjicio, ſimili errore in ſubſcriptionibus B epiſtolæ ſynodi Lydiæ ad Leonem Imp. ſcriptum eſſe *Anatolius epiſcopus Hellenorum*, pro *Silandorum.*

IV. ANDREAS.

In Sexta ſynodo ſedit *Andreas Silandi provinciæ Lydiæ epiſcopus*, Ἀνδρέας ἐπίσκοπος πόλεως Σιλάνδου, τῆς Λυδῶν ἐπαρχίας.

V. STEPHANUS.

In Septima ſynodo adfuit & ſubſcripſit *Stephanus epiſcopus Silandi*, Στέφανος ἐπίσκοπος Σιλάνδου.

VI. EUSTATHIUS.

In actis ſynodi, quæ propter Photium Byzantinæ ſedi reſtitutum habita eſt, legitur *Euſtathius Alandi*, Εὐστάθιος Ἀλάνδου, & ſubſcripſiſſe Εὐστάθιος Ἀδάνδου. In utroque loco emendandum puto, Σιλάνδου, *Silandi*, niſi forte Βλάνδου, Βαλάνδου, *Blandi, Balandi*, quæ civitas quoque alia Lydiæ fuit.

VII. * * *

In ſynodo Calliſti patriarchæ, in qua Barlaamus & Acyndynus Palamæ adverſarii proſcripti ſunt, ex epiſcopis Sardenſi metropoli obnoxiis ſedebat *Silandenus*, τῶν Σαρδέων ὁ Σιλάνδων. Sic legendum, non Συνάδων *Synnadorum*. Nam Synnada Phrygiæ Salutaris metropolis fuit, non epiſcopatus Lydiæ.

IX. ECCLESIA MÆONIÆ.

MÆONIA, Μαιωνία, regio Aſiæ Lydiæque affinis fuit, in qua ejuſdem nominis civitas Sardianæ juriſdictionis erat, teſte Plinio, ad radices Tmoli montis poſita, & ad Cogamum flumen, *ubi eſt ſtagnum ſale*, inquit: quæ in Notitiis omnibus Lydiæ cenſetur.

EPISCOPI MÆONIÆ.

I. JOANNES.

EPiſtolæ ſynodi provinciæ Lydiæ ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini & concilio Chalcedonenſi ſubſcripſit *Joannes epiſcopus Mæoniæ.*

II. ANASTASIUS.

Quiniſextæ ſynodi canonibus ſubſcriptus legitur *Anaſtaſius epiſcopus Mæonitopolis provinciæ Lydiæ*, Ἀναστάσιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος τῆς Μαιωνιτοπόλεως τῆς Λυδῶν ἐπαρχίας. Legen- C dum putavero τῆς Μαιωνίας πόλεως, *Mæoniæ civitatis provinciæ Lydiæ.*

III. THEOPHANES.

Septimæ ſynodo adfuit & ſubſcripſit *Theophanes epiſcopus Mæoniæ*, Θεοφάνης ἐπίσκοπος Μαιωνίας.

IV. GEORGIUS.

Synodo de reſtitutione Photii, *Georgius Mæoniæ*, Γεώργιος Μειονίας, Legendum Μαιωνίας.

X. ECCLESIA APOLLONOSHIERI.

QUOD in Græcis Notitiis omnibus Ἀπόλλωνος ἱερόν, *Apollonoshieron* dicitur, ſive *Fanum Apollinis*, inter Lydiæ civitates cenſetur in Notitiis, in quibus diſerte ſecernitur ab Apolloniade. Plinius *Apollonoshieritas* perinde collocat in Lydia, lib. 5. cap. 29.

EPISCOPI APOLLONOSHIERI.

I. LUCIUS.

SYnodo Chalcedonenſi adfuit & ſubſcripſit *Lucius epiſcopus civitatis Apollonoshieri*, Λούκιος ἐπίσκοπος πόλεως Ἀπόλλωνος ἱεροῦ, qui poſthæc anno 458. ſubſcripſit quoque epiſtolæ provinciæ Lydiæ ad Leonem Imp. de eadem ſynodo.

XI. # ECCLESIA MOSTENES.

Mostene, vel *Mostena*, Μοςήνη, Lydiæ civitas est Ptolemæo, à qua *Mosteni* dicti, qui, Plinio teste, Sardianæ jurisdictionis erant, & à Tacito in Campo Hyrcano collocantur; unde *Macedones Hyrcani* vocitabantur. Stephanus Campi Hyrcanii in Lydia meminit, ἐπὶ τὸ Υρκάνιον πεδίον τῆς Λυδίας.

EPISCOPI MOSTENES.

I. Julianus.

In Constantinopolitana synodo, in qua Eutyches S. Flaviano archiepiscopo præside hæreticus declaratus fuit, sedit, *Julianus episcopus Mostenæ civitatis*, Ἰουλιανὸς ἐπίσκοπος Μοςήνης πόλεως, qui anno insequenti interfuit Prædatoriæ Ephesinæ, ut Latina fert A translatio actorum synodi Chalcedonensis col. 119. Subscriptus quoque legitur epistolæ episcoporum Lydiæ ad Leonem Imp.

II. Euthymius.

In Octava synodo sedisse & subscripsisse legitur *Euthymius episcopus Mosynorum*. Legero *Mostenorum*, nisi *Mosynorum*.

XII. # ECCLESIA APOLLONIADIS.

Apolloniadem in Lydia habent quidem Notitiæ episcopatuum, quemadmodum & Hierocles, ὁ Ἀπολλωνιάδος. Veteres Ἀπολλωνίδα, *Apollonidam* dixere, uti Strabo, imo & Ἀπολλωνίδειαν *Apollonidiam*, quemadmodum Hieronymus in chronico: unde Plinio gentile nomen est *Apollonidienses*, quos Cicero Oratione pro Flacco *Populi Romani amantissimos fidelissimosque* fuisse testatur. Media via inter Pergamum & Sardes posita erat, utrimque ccc. stadiis distans, ut vult Strabo, ad dexteram quodammodò à Pergamo euntibus inclinans. Ad Rhyndacum autem fluvium jacebat, à quo & *Rhyndaci* nomen itidem habuit, ut docet nos Marci Aurelii nummus hac inscriptione: ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΑΝ ΡΥΝΔΑΚΟC. *Rhyndacus Apolloniatarum*; quæ proinde ipsa erit recentiorum *Rhyndace*, de qua jam à me dictum est in provincia Bithyniæ secunda, ubi ultima censetur.

EPISCOPI APOLLONIADIS.

I. Marcus.

Primus Apolloniadis (Lydiæ ut videtur) censendus erit *Joannes Marcus* S. Barnabæ apostoli consobrinus, cujus frequens est in Actis Apostolorum mentio, si qua sit habenda Dorotheo Tyrio fides in ea lucubratione quam de Christi discipulis scripsit. Hunc proinde Menologiorum conditores exscripsere. Is vero Marcus in Martyrologio Romano episcopus Bibli in Phœnicia dicitur die 27. Sept. Stephanus Lusignanus Dominicanus, in Historia generali insulæ Cypri quam Gallico idiomate scribebat, hunc Apolloniadi in Asia Minore episcopum assignat, adeoque Apolloniadi Lydiæ potius quam B Apolloniadi Bithyniæ; utinam non ex hodiernis Græcorum Menæis.

II. Cyriacus.

Epistolæ synodi provinciæ Lydiæ ad Leonem Imper. subscripsit, *Cyriacus episcopus Apolloniadis*; qui subscriptus quoque legitur decreto synodali Gennadii Constantinopolitani *de Simoniacis*. Κυριακὸς Ἀπολλωνιατῶν, *Cyriacus Apolloniatarum*.

III. Jonas. IV. Leo.

De Jona & Leone episcopis Rhyndaces dixi in provincia Bithyniæ secundæ, quos Callisto Patriarcha, sæculo decimo-quarto, vixisse observavi.

XIII. # ECCLESIA ATTALIÆ.

Attalia, Ἀτταλία, vel *Attalea*, Ἀττάλεια, Aëolidis veteris ac Lydiæ civitas est, ab Attalo Philadelpho condita, quemadmodum & Attalia Lyciæ, vel Pamphyliæ, Ἀττάλεια πόλις Λυδίας, ait Stephanus, *Attalia urbs Lydiæ*, quæ antea Ἀγρόειρα, *Agroira*, vel Ἀλλόειρα, *Alloira* dicebatur.

ECCLESIA ATTALIÆ.

EPISCOPI ATTALIÆ.

I. THEODORUS.

AD Ephesinam synodum venit *Theodorus Attaliæ episcopus*, qui subscriptus primùm reperitur episcoporum illorum Contestationi, qui interpellarunt ne Cyrillus Alexandrinus concilii celebrationem auspicaretur ante Joannis Antiocheni & Orientalium adventum; ubi librarii errore *episcopus Italiæ* scribitur, pro *Attaliæ*. Cæterum inter Lydiæ episcopos subinde subscripsit act. 1. ejusdem synodi, Θεόδωρος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος Ἀτάλων, vel Ἀτταλέων. *Theodorus episcopus Attalorum*, vel *Attalensium*.

II. SYMMACHUS.

Synodo alteri Ephesinæ, quam *Prædatoriam* dixere, interfuit, & Dioscori Alexandrini profanis decretis subscripsit *Symmachus episcopus Attaliæ*, Σύμμαχος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος Ἀτταλείας.

III. DIONYSIUS.

Symmacho successit *Dionysius*, qui in concilio Chalcedonensi sedit & subscripsit act. 6. Διονύσιος ἐπίσκοπος Λυδὸς Ἀτταλειώτης. *Dionysius episcopus Lydus Attaliota*. Subscripsit etiam an. 458. epistolæ provinciæ Lydiæ ad Leonem Imp.

IV. JOANNES.

A Relationi synodi Constantinopolitanæ ad Hormisdam Papam de ordinatione Epiphanii archiepiscopi Regiæ urbis, subscriptus legitur, *Joannes misericordia Dei episcopus Attaliensis*; nisi forsan Attaliæ Pamphyliæ.

V. JOSEPH.

Septimæ synodo generali adfuit, & cum aliis Lydiæ præsulibus subscripsit *Joseph episcopus Attaliæ*, Ιωσὴφ ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ἐτάλλυς, lege Ἀτταλείας.

VI. SYMEON.

B Synodo quæ restituti Photii causa habita est, *Symeon Attaliæ*, Συμεὼν Ἀτταλείας.

VII. NICOLAUS.

Anno 1156. Manuële Comneno Imp. & Luca Chrysoberge patriarcha, celebrata est Constantinopoli synodus propter Soterichum Panteugenum Antiochiæ patriarcham designatum, qui negaret Deo Verbo sacrificium offerri. Aderat *Nicolaus Attaliæ*. Leo Allat. Vind. syn. Eph. pag. 585. An vero Pamphyliæ!

XIV. ECCLESIA HYRCANIÆ.

HYRCANIDEM civitatem habent in Lydia Notitiæ Græcæ episcopatuum, ὁ Ὑρκανίδος, quæ nempe, Stephano Byzantino, in illo Lydiæ campo posita esset, qui apud Strabonem lib. 3. *Hyrcanus* appellatur, à colonis quos Persæ ex Hyrcania deduxerunt. Plinius lib. 5. cap. 29. Hyrcanos Macedones Smyrnæum conventum frequentasse ait, quum in eamdem utique regionem coloni Macedones perinde deducti essent. Horum Tacitus quoque meminit lib. 2. Annal. cap. 47. eorumque nummum recitat Jacobus Sponius in Itinerario pag. 446.

EPISCOPI HYRCANIÆ.

I. ASYNCRITUS.

PSeudo-Dorotheus Tyri quem Græci in Menæis sequuntur ad diem 18. Aprilis, primum Hyrcaniæ episcopum fuisse fert *Asyncritum*, quem Paulus cap. 16. epistolæ ad Romanos salutat. *Salutate Asyncritum, Phlegontem, &c.*

II. JOANNES.

Constantinopolitanam synodum habuit Flavianus urbis hujus episcopus ob Joannem Hyrcanorum episcopum & Cossinium Hierocæsareæ, qui cum Florentio Sardensi, nescio qua de causa, dissidebant. In hac porro actum subinde est de Eutychis hæresi, cujus damnationi subscripsit ipse *Joannes Hyrcanorum episcopus*, Ιωάννης ἐλάχιστος ἐπίσκοπος πόλεως Ὑρκάνων, qui posthac Chalcedonensi concilio interfuit, cujus actioni 6. subscripsit. Epistolæ episcoporum provinciæ Lydiæ ad Leonem Imp. subscriptus legitur *Joannes episcopus Heraclidis*. Sed in codicibus mss. Baluzius doctissimus reperit *Hercanidis*; ex quo emendandum *Hyrcanidis*.

III. EUSTATHIUS.

C In Septima synodo sedit & subscripsit inter episcopos Lydiæ *Eustathius episcopus Hyrcanes*, Εὐστάθιος ἐπίσκοπος Ὑρκανῆς.

ECCLESIA HYRCANIÆ.

V. Dionysius.

Synodo quæ Constantinopoli celebrata est anno 1157. Manuele Comneno Imp. & A Luca Chrysoberge patriarcha præside, in causa Soterichi Panteugeni Antiochiæ patriarchæ electi, aderat *Dionysius Hyrcaniæ*. Leo Allat. Vind. Syn. Ephes. pag. 585.

XV. ECCLESIA BAGES.

BAGE, Βάγη, Lydiæ civitas est in Notitiis Græcis, aliàs non prorsus nota.

EPISCOPI BAGES.

I. Leonides.

BAgæ seu Bages episcopus utique fuit *Leonides*, qui epistolæ Sardianæ episcoporum Lydiæ ad Leonem Imp. subscriptus legitur *Leonides episcopus Beanæ*, librariorum Latinorum errore: nisi *Balandi* scribendum fuerit.

II. Basilius.

B In synodo de restitutione Photii sub Joanne Papa VIII. adfuisse & subscripsisse in ejus actis legitur *Basilius Baes*, Βασιλείου Βάης, Βασίλειος Βάης, pro Βάγης, ut autumare licet.

XVI. ECCLESIA BALANDI.

BALANDUS alia in Notitiis Græcis episcopatuum civitas est à Silando & à Bleandro diversa, ὁ Βαλάνδου, *episcopus Balandi*, cujus nulla usquam mentio, nisi in quorumdam conciliorum gestis.

EPISCOPI BALANDI.

I. Phœbus.

ARianorum factioni se dedidit *Phœbus episcopus Balandi civitatis Lydiæ*, qui ab episcopis synodi Seleuciensis secedens, formulæ Fidei subscripsit quam Acacius Cæsariensis condiderat, Φοῖβος ἐπίσκοπος πολυχαλάνδου τῆς Λυδίας. Legendum πόλεως Βαλάνδου τῆς Λυδίας.

II. Elias.

In synodo Chalcedonensi sedit & subscripsit C *Elias episcopus Balandi*, Ηλίας ἐπίσκοπος Βλάνδου, seu Βαλάνδου. qui in indice Maffæi inter episcopos Lydiæ censetur.

III. Onesiphorus.

Epistolæ synodi provinciæ Lydiæ ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini subscripsit *Onesiphorus episcopus Blandi*.

XVII. ECCLESIA HERMOCAPELIÆ.

IN Notitiis episcopatuum Lydiæ habetur *Hermocapelia*, ὁ Ερμοκαπηλείας, à qua *Hermocapelitæ*, quos Plinius lib. 5. cap. 30. circa Lydiam collocat.

EPISCOPI HERMOCAPELIÆ.

I. Theopistus.

IN Septima synodo sedit & subscripsit *Theopistus episcopus Hermocapeliæ*, Θεόπιστος Ερμοκαπηλείας.

II. Nicephorus.

In actis synodi de restitutione Photii, ei D adfuisse & subscripsisse legitur, *Nicephorus Hermocaporum*, Νικηφόρου Ερμοκάπων, vel *Hermocapi*, Νικηφόρος Ερμοκάπου. nec dubium quin Hermocapus eadem per contractionem sit quæ prius *Hermocapelia*.

XVIII. ECCLESIA HIEROCÆSAREÆ.

HIEROCÆSAREA, ὁ Ιεροκαισαρείας provinciæ Lydiæ civitas est, & episcopatus in Notitiis Græcis, in qua Pausanias 1. Eliac. cap. 27. Dianam Persicam olim cultam prodit, ut & Hypæpis. Ejus etiam meminit Ptolemæus.

ECCLESIA Hierocæsareæ.

EPISCOPI HIEROCÆSAREÆ.

I. COSSINIUS.

PRopter *Cossinium Hierocæsareæ* & Joannem Hyrcaniæ, qui cum Florentio Sardensi litigabant, habita synodus est Constantinopoli Flaviano archiepiscopo præside; causaque disceptata, Eutyches ab Eusebio Dorylæi hæresis reus peractus, judicatusque à Patribus fuit, cujus damnationi *Cossinius* idem subscripsit Κοσίνιος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος πόλεως Ἱεροκαισαρείας. *Cosinius minimus episcopus Hierocæsareæ*, qui post triennium synodo quoque Chalcedonensi adfuit & subscripsit; nec dubito quin ipse sit, qui in subscriptionibus epistolæ synodi Sardianæ ad Leonem Imp. A legitur, *Ruffinus episcopus Areopolis*, pro *Cosinus episcopus Hierocæsareæ civitatis*, Ἱεροκαισαρείας πόλεως. quando Areopolis nulla urbs in Lydia exstitit.

II. ZACHARIAS.

In Septima synodo inter Lydiæ præsules sedit & subscripsit, *Zacharias episcopus Hierocæsareæ*, Ζαχαρίας ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ἱεροκαισαρείας.

III. THEODORUS.

In synodo Photiana, *Theodorus Hierocæsareæ*, Θεοδώρου Ἱεροκαισαρείας; qui in subscriptionibus *Theodulus Hierocæsareæ*, dicitur, Θεόδουλος Ἱεροκαισαρείας.

XIX.
ECCLESIA ACRASSI.

PTOLEMÆUS circa Hermum fluvium *Nacrasam* ponit, Νάκρασα, quæ eadem esse videtur atque *Acrassus*, Ἀκρασσός, Hierocli, aliisque Notitiis, cujus aliquot episcopi in synodorum actis memorantur.

EPISCOPI ACRASSI.

I. PATRICIUS.

CHalcedonensi concilio interfuit & subscripsit inter Lydiæ præsules, *Patricius episcopus civitatis Acrassi*, Πατρίκιος ἐπίσκοπος πόλεως Ἀκρασσοῦ. B

II. CONSTANTINUS I.

Septimæ synodo, *Constantinus episcopus Acrasi*, Κωνσταντῖνος ἐπίσκοπος Ἀκρασοῦ.

III. CONSTANTINUS II.

Photianæ synodo sub Joanne VIII. *Constantinus alter Acarassi*, Κωνσταντίνου Ἀκαρασοῦ, Κωνσταντῖνος Ἀκαρασοῦ. Quamquam Acarassum Pamphyliæ fuisse tacendum non est.

XX.
ECCLESIA DALDÆ.

DALDA Lydiæ civitas est in Notitiis episcopatuum, ὁ Δάλδης. Suidæ suo loco Δάλδις, *Daldis* dicitur, necnon in voce Ἀρτεμίδωρος, *Artemidorus*, qui Daldianus fuit; ubi & disertè ait *Daldim* Lydiæ urbem fuisse, quam ab incolis *Messen* alicubi dictam reperi. Quamquam augurari liceat ipsam esse, quæ in Notitia Hieroclis postrema omnium; *Mostina* dicitur, Μοσῖνα, præter Mostenam Lydiæ civitatem aliam.

EPISCOPI DALDÆ.

I. PAULUS.

AD Ephesinam synodum venit, moxque C Contestationi, qua episcopi complures intercesserunt, ne concilium ante Orientalium adventum inchoaretur, subscripsit *Paulus episcopus Daldis* sive *Daldæ*; qui tamen act. I. ejusdem synodi decretis subscripsit, Παῦλος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος Δάλδων, τῆς Λυδίας. (sic legendum, non Δαρδάνων) χρησάμενος χειρὶ κατ' ἐντολὰς ἐγγράφοις παρὰ τοῦ ἀδελφοῦ καὶ συλλειτούργου Φώσκου, *Paulus minimus episcopus Daldorum, manu utens, de mandato scripto, fratris & comministri Phosci.* Sed & post viginti septem annos subscripsit synodicæ provinciæ Sardianæ ad Leonem Imp.

II. THEODORUS.

In Sexta synodo sedit & subscripsit *Theodorus episcopus Daldæ provinciæ Lydiæ*, Θεόδωρος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Δάλδης τῆς ἐπαρχίας Λυδίας.

III. JOANNES.

In Septima synodo cum episcopis Lydiæ, *Joannes episcopus Daldæ*, Ἰωάννης ἀνάξιος ἐπίσκοπος Δάλδης.

IV. EPIPHANIUS.

In synodo de restitutione Photii, *Epiphanius Daldæ*, Ἐπιφάνιος Δάλδης.

XXI. ECCLESIA STRATONICIÆ.

STRATONICEAM vel *Stratoniciam* unicam novit Hierocles, quam in Caria statuit, Στρατονίκεια. In aliis Notitiis duplex habetur, ut in actis synodorum; altera in Lydia, altera in Caria. Neutra certè est Stratonicia illa quam ad Taurum montem collocat Strabo.

EPISCOPI STRATONICIÆ.

I. EUTHERIUS.

Contestationi illi multorum episcoporum, A qui interpellarunt ne Cyrillus Alexandrinus concilium Ephesinum ante Joannis Antiocheni adventum auspicaretur, subscriptus legitur *Eutherius episcopus Stratoniciæ Lydiæ*. Qui nihilominus actioni primæ quæ eadem die celebrata est, perinde subscripsit, Εὐθήριος ἐπίσκοπος τῆς Στρατονικέων πόλεως, *Eutherius episcopus Stratonicensium civitatis Lydiæ*.

II. GEMELLUS.

Inter episcopos Lydiæ in concilio Chalcedonensi sedit & subscripsit *Gemellus episcopus Stratoniciæ*, Γεμέλλος ἐπίσκοπος Στρατονικείας, qui & subinde subscripsit epistolæ synodi ejusdem provinciæ ad Leonem Imp.

III. SABBATIUS.

Constituto Constantinopoli Epiphanio archiepiscopo, Relatio de ejus ordinatione ad Hormisdam Papam data est, cui subscriptus legitur, *Sabbatius misericordia Dei episcopus Stratoniciæ civitatis provinciæ Lydiæ*.

IV. MICHAEL.

Inter episcopos Lydiæ in Septima quoque synodo sedit & subscripsit *Michaël episcopus Stratoniciæ*, Μιχαὴλ ἐπίσκοπος Στρατονικείας. Aderat & Gregorius Stratoniciæ Cariæ.

XXII. ECCLESIA CERASÆ.

CERASA, vel CERASE, Κεράση, vel Κερασὸς, CERASUS, in actis synodorum, in Notitia Hieroclis, aliisque episcopatuum, provinciæ Lydiæ censetur præter Cerasum Ponti.

EPISCOPI CERASÆ.

I. MENECRATES.

IN Actis synodi Chalcedonensis primus B Lydiæ præsulum appellatur, *Menecrates episcopus Carassorum Lydiæ*, ut fert translatio Latina, act. 1. Græcus contextus habet, Καιράσσων, *Cærassorum*. Primus quoque illorum act. 6. subscripsit, Μενεκράτης ἐπίσκοπος πόλεως Κερασσαίων, vel Κερασσέων, *Menecrates episcopus civitatis Cerassenorum*.

II. JOANNES.

Quintæ synodo generali adfuit & subscripsit, *Joannes misericordia Dei episcopus Cerasuntis* vel *Cerassensium civitatis provinciæ Lydiæ*. Sic codices manu exarati in Nova collectione clariss. Baluzii: editio Labbei habet *Cæsarensium*.

III. MICHAEL.

Inter Lydiæ episcopos perinde sedit *Michaël episcopus Cerasensium*, Μιχαὴλ ἐπίσκοπος Κερασέων.

IV. AGATHO.

In synodo de restitutione Photii, aderat *Agatho Cerasenorum*, Ἀγάθων Κερασηνῶν, & *Cerasenes*, Ἀγάθων Κερασηνῆς.

XXIII. ECCLESIA GABALORUM.

NOtitiæ Græcæ episcopatuum, ut & synodorum gesta civitatem *Gabala* habent in Lydia; quæ corrupta, ut videtur, voce, Τάλαζα *Talaza* apud Hieroclem scribitur.

EPISCOPI GABALORUM.

I. POLYCARPUS.

IN synodo Chalcedonensi inter Lydiæ præsules sedit & subscripsit *Polycarpus episcopus civitatis Gabalorum*, Πολύκαρπος ἐπισκόπος Γαβάλων. qui in Collectione clar. Baluzii ex codicibus mss. pag. 1214. dicitur *episcopus Gabalenæ civitatis provinciæ Lydiæ*: quin ante

biennium adfuerat Prædatoriæ synodo Ephesinæ. Post rursum anno 458. subscripsit epistolæ synodi Sardianæ ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini. A

II. JOANNES.

ECCLESIA Gabalorum.

Septimæ synodo generali inter Lydiæ antistites sedit quoque & subscripsit *Joannes episcopus Gabalorum*, Ἰωάννης ἐπίσκοπος Ἀϐάλων, Ταϐάλων. Legendum prorsus Γαϐάλων.

XXIV. ECCLESIA SATALORUM.

SATALA, Σάταλα, Lydiæ civitas est in Notitiis Græcis, quæ apud Hieroclem Σατάλειον *Satalion* scribitur. Lydiæ quoque censetur in actis conciliorum, diversa prorsus à Satalis Armeniæ.

EPISCOPI SATALORUM.

I. ANDREAS.

IN synodo Chalcedonensi Cosinius Hierocæsareæ vices supplevit *Andreæ episcopi Satalorum* & pro illo subscripsit. Κοσινίῳ Ἱεροκαισαρείας ἐπέχοντος τὸν τόπον Ἀνδρέου Σατάλων. *Cossinio Hierocæsareæ, tenente locum Andreæ Satalorum.* Act. 6. in Latina translatione subscriptus legitur *Andreas episcopus Dædalorum per Cosinium episcopum;* at in Græco contextu, Ἀνδρέας ἐπίσκοπος Ἀγάλων ὁρίσας ὑπέγραψα διὰ Κοσινίου ἐπισκόπου. Legendum omnino ἐπίσκοπος Σατάλων. In indice Maffæi inter Lydiæ episcopos qui illi synodo interfuerunt, nonus est *Andreas Satalenus.* B

II. JULIANUS.

Epistolæ synodi Sardianæ ad Leonem Imperatorem subscripsit *Julianus episcopus Satalæ.*

III. MICHAEL.

Act. 4. Septimæ synodi primus episcoporum Lydiæ subscripsit, Μιχαὴλ ἐπίσκοπος Σάλων. *Michaël episcopus Salorum.* Legendum prorsus Σατάλων *Satalorum.*

IV. PHILIPPUS.

In synodo de restitutione Photii, *Philippus Satalorum,* Φιλίππου Σατάλων, utrius, Lydiæ, an Armeniæ, incertum.

XXV. ECCLESIA AURELIOPOLIS.

AURELIOPOLIS una civitatum Lydiæ est in Notitiis Græcis & synodorum actis. In ora Notitiæ Leonis Imp. lib. 2. Juris Græco-Rom. *Pericome* quoque appellatur, ὁ Αὐρηλιουπόλεως, ἤτοι Περικώμης, ut ipsa sit quæ Περίκομμα in actis Septimæ synodi.

EPISCOPI AURELIOPOLIS.

I. ANTIOCHUS.

IN Indice patrum concilii Nicæni inter episcopos Lydiæ censetur, *Andreas Aureliopolitanus.* C

II. JOANNES.

Contestationi quidem illorum episcoporum, qui Ephesi intercesserunt ne Cyrillus Alexandrinus, nondum adventante Joanne Antiocheno cum Orientalibus, synodum inchoaret, subscripsit quidem *Joannes episcopus civitatis Aureliopolitarum Lydiæ.* Verum suffragatus quoque legitur ejusdem synodi legitimæ Ephesinæ decretis, quibus Nestorius hæreticus proscriptus fuit. Ἰωάννης ἐλάχιστος ἐπίσκοπος Αὐρηλιουπόλεως ἐπαρχίας τῆς Λυδίας ὑπέγραψα.

III. EUTROPIUS.

Synodico decreto Gennadii Constantinopolitani de Simoniacis subscriptus legitur Εὐτρόπιος ἐπίσκοπος Αὐρηλιουπόλεως, *Eutropius episcopus Aureliopolis.*

IV. THEODOTUS.

Trullanis canonibus subscriptus legitur *Theodotus episcopus Aureliopolis provinciæ Lydiæ,* Θεόδοτος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Αὐρηλιουπόλεως τῆς Λυδῶν ἐπαρχίας.

V. NICOLAUS.

Aureliopolis antistes omnino fuit, qui *Nicolaus episcopus Pericommatos* dicitur in actis Septimæ synodi, Νικόλαος ἐπίσκοπος Περικόμματος, & inter episcopos Lydiæ passim censetur.

XXVI. # ECCLESIA HELENOPOLIS.

PRæter Helenopolim Bithyniæ, quæ ad Boſphorum poſita erat, alteram ejuſdem nomini in Lydia conſtituunt monumenta ad ſynodum Epheſinam ſpectantia.

EPISCOPI HELENOPOLIS.

I. NUMENIUS.

IPſa die qua celebrata ſynodus Epheſina, multi epiſcopi Conteſtatione interpellarunt, ne Cyrillus Alexandrinus ante Joannis Antiocheni adventum concilium auſpicaretur; quorum unus fuit, ſubſcripſitque, *Numenius epiſcopus Helenopolis Lydiæ.*



VI. PROVINCIA

VI. PROVINCIA CARIÆ.

I. ECCLESIA APHRODISIADIS, QUÆ ET STAUROPOLIS, METROPOLIS.

ASIANÆ Diœcesis altera provincia est Caria, Ægæo mari & mediterraneo mari affinis, Lydiam inter & Lyciam. Ejus metropolis in Hieroclis Notitia est *Aphrodisias*, Ἀφροδισιὰς μητρόπολις, quam olim *Ninoen*, Νινόην dictam Suidas auctor est, *Megalopolim* vero Μεγαλόπολιν Stephanus. Aphrodisiadis nomen illi à Gentilibus inditum fuisse ob impurum Veneris cultum nemini dubium est; illud vero sub Principibus christianis meliore altero mutatum fuit, ut in honorem Dominicæ Crucis Σταυρόπολις, *Stauropolis* diceretur. In actis synodi Chalcedonensis, & Quintæ generalis Aphrodisiadis antistes provinciæ metropolita nuncupatur, deinceps vero *Stauropolis*. Unde in Notitiis episcopatuum Cariæ metropolita est *Stauropolitanus*. Religionem à Joanne Evangelista in Cariam invectam fuisse augurari licet, quippe qui cunctas Asiæ fundasse ecclesias fertur. Rhodopianum vel Rhodocianum diaconum cum multis aliis martyrio Aphrosiade sub Diocletiano functos Menologia, variaque Latinorum martyrologia tradunt ad diem 3. Maii.

EPISCOPI APHRODISIADIS.

I. AMMONIUS.

IN synodi Nicænæ Patrum indice, *De provincia Cariæ* censetur *Ammonius Aphrodiscus*.

II. EUMENIUS.

Inter episcopos Constantinopolitanæ synodi generalis primæ legitur *Eumenius Aphrodisiadis*.

III. CYRUS.

Cap. 8. Collectionis ex synodico Irenæi Tyri exstat Nestorii ad Theodosium Imperatorem adversus Ephesinæ synodi patres epistola Latine versa, cui subscripsit, *Cyrus Aphrodisiadis episcopus*. Verum Cyrus idem Ephesinæ synodi Patrum unus prorsum erat, & ipsamet actione prima, sententiam pro Cyrilli ad eumdem Nestorium epistola suo ordine dixit. Κῦρος ἐπίσκοπος πόλεως Ἀφροδισιάδος ἐπαρχίας Καρίας εἶπε. Σύμφωνον κ. τ. ε. *Cyrus episcopus civitatis Aphrodisiadis provinciæ Cariæ dixit: Quum sanctissimi, piissimique Cyrilli epistolam, &c.* Subscripsit item act. 1. aliisque sequentibus. Idem Cyrus anno 449. inter metropolitas sedit in concilio altero Ephesino, cujus profanis sanctionibus volens nolens subscripsit. καὶ Κύρου Ἀφροδισιάδος τῆς Καρίας, *& Cyro Aphrodisiadis Cariæ*.

IV. CRITONIANUS.

A In concilio Chalcedonensi sedit subscripsitque act. 6. & 16. *Critonianus episcopus Aphrodisiadis metropolis Cariæ*, Κριτονιανὸς ἐπίσκοπος τῆς μητροπόλεως Ἀφροδισιάδος. Eodem Critoniano episcopo Aphrodisiadis, ut aliis metropolitis, sacras literas misit Leo Imp. de nece Proterii Alexandrini.

V. SEVERIANUS.

In Quinta synodo inter metropolitas sedit subscripsitque *Severianus episcopus sanctæ ecclesiæ Aphrodisiadis metropolis Carensium provinciæ;* Græcè proinde, τῆς Καρῶν ἐπαρχίας. B

VI. THEODORUS I.

Sextæ synodo generali, *Theodorus episcopus Stauropolis metropolis provinciæ Cariæ*, Θεόδωρος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Σταυροπόλεως μητροπόλεως τῆς Καρῶν ἐπαρχίας. Idem Theodorus subscripsit insuper pro Andrea Neapolis Cariæ episcopo.

VII. SISINNIUS.

Trullanis canonibus subscriptus habetur; Σισίννιος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος τῆς Σταυροπόλεως μητροπόλεως τῆς Καρῶν ἐπαχίας. *Sisinnius minimus episcopus Stauropolitanorum metropolis Cariæ provinciæ.*

ECCLESIA Aphrodisiadis.

VIII. * * *

Septimæ ſynodo generali adfuit & ſubſcripſit *Theophylactus diaconus & exarchus, locumque ſupplens throni Stauropolis, ſive Cariæ.* Θεοφύλακτος διάκονος καὶ ἔξαρχος, καὶ τὸν τόπον ἐπέχων τοῦ θρόνου Σταυρουπόλεως, ἤτοι Καρίας.

IX. Theodorus II.

A ſanctiſſimo Ignatio patriarcha Conſtantinopolitano ordinatus eſt metropolita Cariæ *Theodorus*, velut Ignatius ipſe epiſtola ad Hadrianum Papam teſtatur, *qui ab initio multum laboravit & afflictus eſt noſtræ injuſtæ & iniquæ dejectionis*, inquit; *in noviſſimis vero cum miſero Photio conveniens, propter ejus immenſa tormenta quæ ſibi reſiſtentibus inferebat, conſenſit.* Quocirca Photius eum Laodicenſi eccleſia metropolitana donatum, quem ſibi jam deditiſſimum putaret, in Italiam ad Ludovicum Germanicum Imperatorem delegare non dubitavit cum actis ſuæ ſynodi, in qua Nicolaum Papam proſcribere auſus erat. Sed medio itinere revocatus fuit, Michaële Imp. mortuo, quum Byzantini Imperii finibus nondum exceſſiſſet. Facti pœnitens, Octavæ ſynodo, quæ, reſtituto Ignatio, celebrata eſt, ſeſe ſtitit, veniamque petiit act. 2. Quem tamen Hadriani Papæ vicarii *prohibuerunt*, ait in prædicta epiſtola Ignatius, *ſacerdotio fungi, quia ſubſcripſiſſet depoſitioni quæ ab infeliciſſimo Photio facta erat beatiſſimi patris Nicolai.* Hinc eſt quod ſynodi decretis ſubſcriptus non occurrit. Multæ ad eum Photii epiſtolæ exſtant, Θεοδώρῳ μητροπολίτῃ Λαοδικείας, *Theodoro metropolitæ Laodiceæ.* In epiſcopis Laodiceæ obſervavi, graviter Joannem Gretzerum à vero aberraſſe, ubi eumdem illum eſſe ſcripſit atque *Theodorum Abucaram*, quem urbis *Charran* in Phœnicia Libani epiſcopum fuiſſe ſuo loco oſtendam.

X. Nicephous.

Alteri ſynodo quæ ob Photium Byzantinæ ſedi reſtitutum habita eſt, aderat inter metropolitas *Nicephorus Cariæ*, Νικηφόρου Καρίας.

XI. Ephræm.

Inter hymnodiæ Græcæ varios auctores cenſetur *Ephræm epiſcopus*, ſeu *metropolita Cariæ.* Leo Allat. diſſert. 1. De lib. eccleſ. Græcor.

XII. Joannes.

Anno 997. decreto Siſinnii patriarchæ, quo vetitum eſt ne conſobrinæ duæ fratribus duobus nuberent, condendo aderat *Joannes* A metropolita *Cariæ*, Ἰωάννης Καρίας. Jur. Gr. Rom. lib. 3. pag. 197.

XIII. Demetrius.

Sedebat in ſynodo Michaëlis Cerularii, quæ in Leonis Papæ IX. legatos ſententiam tulit, *Demetrius Cariæ* metropolita, Δημήτριος Καρίας. Leo Allat. diſſert. 2. De lib. eccl. Græc.

XIV. Joseph.

In ſynodo Nicolai Grammatici patriar- B chæ, in qua actum eſt de nuptiis patrui & avunculi cum amita & matertera, fratris item, ſororiſve filiæ, cum fratris aut ſororis filio, ſedebat inter metropolitas *Joſeph Cariæ.* ὁ Καρίας Ἰωσήφ. Jur. Græco-Rom. pag. 21.

XV. * * *

Quum anno 1150. Indict. XIV. in altera ſynodo ſub Manuële Comneno, & Luca Chryſoberge patriarcha quæreretur *De nuptiis ſeptimi gradus*, aderat cum aliis metropolita *Cariæ*, τοῦ Καρίας. Jur. Græco-Rom. C pag. 217.

XVI. Leo.

Anno 1166. in ſynodo quæ Luca Chryſoberge iterum præſide celebrata eſt de Alamannorum Fide, qui erroris taxarentur, quod Filium Patre minorem humanitatis aſſumtæ cauſa dicerent, ſedebat *Leo metropolita Cariæ.* Leo Allat. De conſenſ. lib. 11. cap. 12.

XVII. * * *

D Iſaacius Angelus Imper. vocata epiſcoporum ſynodo, ſanxit irritam fore electionem epiſcoporum, ad quam ſinguli qui in Urbe agerent epiſcopi invitati non eſſent. Aderat metropolita Cariæ, ὁ Καρίας. Jur. Græco-Rom. lib. 2.

XVIII. * * *

Sub Michaële Palæologo circa annum 1274. literis ſynodi Conſtantinopolitanæ quæ eccleſiarum unionis ſarciendæ cauſa ad Gregorium Papam X. datæ ſunt, aſſenſus E legitur metropolita Cariæ, *Metropolitanus Carias, cum ea quæ ſecum eſt ſynodo.*

XIX. Esaias.

Ad ſynodum quæ Ferrariæ, ac ſubinde Florentiæ unionis eccleſiæ Græcæ cum Latina redintegrandæ cauſa habita eſt, *Eſaias Stauropolis* metropolita venit, ὁ Σταυρουπόλεως Ἡσαΐας, cujus nomen in ſubſcriptionibus non exſtat: ſe quippe ſubduxerat, ne ſubſcriberet, ut fert Syropulus in Hiſt. concil.

ECCLESIA Aphrodisiadis. Flor. sect. 10. cap. 8. αὐτὸς ὁ Σταυρουπόλεως A ἀρξαμένων συνάγεσθαι τῶν ἄλλων ἐπὶ τὸ ἐπιχάψαι, λάθρα ἐξελθὼν τῆς Φλωρεντίας φυγὰς ᾤχετο.

XX. THEODORUS.

Leo Allatius in Addendis ad c. 4. lib. 3. De consens. pag. 1380. acta recitat synodi cujusdam, quæ Joanne Palæologo I. Imper. defuncto circa annum 1450. habita fingitur, ad Florentinum concilium abjurandum, cui subscriptus fertur *Theodorus episcopus Stauropolis*, Θεόδωρος ἐπίσκοπος Σταυρουπόλεως.

II. ECCLESIA CIBYRÆ.

CIBYRAM, Strabo lib. 13. Cariæ assignat, ut & Antiochiam quæ ad Mæandrum posita erat, magnamque fuisse civitatem ait, πρὸς νότον Κίβυρά ἐστι μεγάλη, *ad Septemtrionem Antiochiæ Cibyra magna est.* Plinius hanc Phrygiæ attribuit lib. 5. cap. 29. ubi mediterraneas jurisdictiones recitans, *una*, inquit, appellatur *Cibyratica: ipsum oppidum Phrygiæ. Conveniunt eò XXV. civitates, celeberrima urbe Laodicea.* Hinc jure Straboni *Cibyrensis* administratio inter maximas totius Asiæ censetur. Ptolemæo Cibyra Phrygiæ quoque censetur: in Notitiis vero omnibus Cariæ.

EPISCOPI CIBYRÆ.

I. LEONTIUS I.

IN Nicænæ synodi Patrum indice *Leontius* B *Cibyritanus* legitur.

II. LEONTIUS II.

Constantinopolitanæ synodo generali primæ perinde adfuisse legitur, *Leontius Cibyrensis*, episcoporum Phrygiæ ultimus.

III. APELLAS.

In synodo Ephesina prima sedit *Apellas episcopus Cibyræ*, Ἀπελλᾶς ἐλάχιστος ἐπίσκοπος Κιβύρας.

IV. ERASMUS.

Quintæ synodo adfuit & subscripsit, *Erasmus episcopus Cibyræ.*

V. GREGORIUS.

Septimæ synodo, *Gregorius episcopus Cibyræ*, Γρηγόριος ἐπίσκοπος Κιβύρας.

VI. STEPHANUS.

Octavæ synodo Stephanus Cibyræ adfuit; *& Stephano Cibyræ*, qui act. 2. pœnitentiæ libellum obtulit, quum Photii partes sectatus esset.

III. ECCLESIA HERACLEÆ SALBACES.

HERACLEAM habet Plinius inter Cariæ urbes lib. 5. cap. 29. quæ in Notitia una dicitur Ἡράκλεια Συαλβάκης, in altera Σάλα, truncata voce pro Σαλαβάκης, *Heraclea Salabaces*. In actis vero synodi Chalcedonensis, *Heraclea Salbacis* dicitur, & act. 1. in translatione Latina *Heraclia Lyncestidum.*

EPISCOPI HERACLEÆ SALBACES.

I. POLYCHRONIUS.

AD synodum Ephesinam venit, & Contestationi episcoporum multorum qui adversus Cyrillum interpellarunt, ut synodus differretur, subscripsit *Polychronius episcopus Heracliæ Cariæ*, quin etiam aliis pro Nestorio literis. Collect. ex Tragœd. Irenæi cap. 7. &c.

II. MENANDER.

Synodo Chalcedonensi adfuit, subscripsit- C que *Menander Heracleæ Salbaces episcopus*, Μένανδρος ἐπίσκοπος πόλεως Ἡρακλείας Σαλβάκης, in translatione Latina act. 1. *Menandri Heracleæ Lyncestidum.*

III. BASILIUS.

Synodo Photianæ *Basilius Heracleæ*, Βασιλείου Ἡρακλείας, Βασίλειος Ἡρακλείας. Aderant aliarum ejusdem nominis ecclesiarum episcopi.



IV. ECCLESIA HERACLEÆ LATMI.

PRæter Heracleam Salbaces altera quoque Heraclea Cariæ censetur, in Notitiis *Heraclea Latmi* vocitata, Ἡρακλεία Λάτμου, ut pote ad Latmum montem posita. Ejus meminit Plinius l. 5. c. 29. *Inde*, à Mæandri ostio, *mons Latmus: oppida Heraclea montis hujus cognominis.*

EPISCOPI HERACLEÆ LATMI.

I. Aphthonetus.

QUum Polychronius alterius Heracleæ Cariæ Joannis Antiocheni, & Orientalium partes Ephesi sectaretur, pro legitima synodo stabat *Alphthonetus episcopus civitatis Heracleæ* itidem *Cariæ*, quæ pro variis codicibus Latinis, modo *Lampis*, modo *Lappi*, cognominatur, ac demum apud Marium Mercatorem *Heracleotarum Lamptupoleos*, pro *Latmi civitatis.*

II. Dionysius.

Chalcedonensi synodo adfuit quoque & act. 6. præsertim subscriptus legitur, Διονύσιος ἐπίσκοπος Ἡρακλείας πόλεως Ατάλμου. Emendandum, Λατμοῦ. Versio Latina, habet, *Dionysius episcopus Heracleæ civitatis Latmi.*

III. Theodorus.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus quoque legitur Θεόδωρος ἐπίσκοπος πόλεως A Ἡρακλείας. Λάτμου ἐπαρχίας Καρίας. *Theodorus episcopus civitatis Heracleæ Latmi provinciæ Cariæ.*

IV. Gregorius I.

In Septima synodo sedit & subscripsit *Gregorius episcopus Heracleæ Latmi*, Γρηγόριος ἐπίσκοπος Ἡρακλείας Λάτμου.

V. Gregorius II.

In synodo quæ ob Photium Byzantinæ sedi restitutum habita est, *Gregorius Heracleæ Latmi*, Γρηγορίου Ἡρακλείας Λάξου, Γρηγόριος Ἡρακλείας Λάξου. Legendum in utroque loco Λάτμου *Latmi.*

V. ECCLESIA APOLLONIADIS.

EN alteram *Apolloniadem*, Cariæ scilicet provinciæ, quam Hieroclis Notitia, aliæque habent, ut & Ptolemæus, apud quem *Apollonia* πρὸς Λαμβάνῳ vel Αλβάνῳ, *Apollonia ad Lambanum*, vel *Albanum* dicitur: ut *Lambanus*, sive *Albanus*, mons, aut fluvius fuerit. Plinius lib. 5. cap. 29. *Apolloniatas* inter Cariæ populos numerat.

EPISCOPI APOLLONIADIS.

VIx Apolloniadi Cariæ tribuendum puto Marcum cognomento Justum Barnabæ Apostoli consobrinum, quem Græci ex Dorotheo Tyrio Apolloniadis episcopum faciunt in Menæis die 21. & 25. Januarii. Vide in Apolloniade Bithyniæ & Lydiæ.

I. Tynchanius.

Chalcedonensi synodo aderat *Tynchanius episcopus civitatis Apolloniadis*, Τυγχάνιος ἐπίσκοπος πόλεως Απολλωνιάδος, qui passim occurrit cum aliis Cariæ episcopis, ut & in indice Massæi: *Tichanius Apolloniensis.*

VI. ECCLESIA TABARUM.

TABÆ, Τάβαι, Lydiæ quondam fuit civitas, Stephano teste, quam Livius lib. 38. cap. 15. collocat *in finibus Pisidarum, in ea parte quæ vergit ad Pamphylium mare.* Quæ si eadem est quæ *Tiaba* Straboni, in finibus Phrygiæ & Cariæ jacebat. Notitiæ episcopatuum *Tabas* habent in Caria; sed apud Heroclem abest.

EPISCOPI TABARUM.

I. Ruffinus.

EPhesinæ synodo interfuit & subscripsit *Ruffinus episcopus civitatis Tabarum*, Ρουφῖνος ἐπίσκοπος τῆς Τάβων πόλεως.

II. Severus.

Quintæ synodo generali, *Severus misericordia Dei episcopus Tabarum.*

III. Basilius.

In Septima synodo sedit & subscripsit una cum aliis Cariæ præsulibus *Basilius episcopus Tabarum*, Βασίλειος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Τάβων.

VII. ECCLESIA ANTIOCHIÆ AD MÆANDRUM.

STEPHANUS Byzantinus urbes numerans quibus *Antiochiæ* nomen inditum est, undecimam esse ait, ἣ, τις Πυθόπολις ἐκαλεῖτο, *quæ Pythopolis quoque dicebatur.* Alibi *Pythopolim* Cariæ *Nyssam* postmodum nominatam dicit, ut *Nyssa* & *Antiochia* Cariæ veteris, una civitas fuerit. Hæc vero Nyssa diversa erat, à Nyssa Asiæ, quam prope Tralles Strabo collocat. Antiochiæ verò hujus nostræ ille meminit lib. 13. ubi narratis quæ ad Laodiceam & Aphrodisiadem pertinent, ita pergit : *Sequentia oppida Occidentalia quidem sunt, Antiochia ad Mæandrum, quæ jam ad Cariam pertinet, Australia vero, Cibyra, &c.* Quocirca Plinius cap. 29. *Caria,* inquit, *interiorum nominum fama prænitet; quippe ubi sunt oppida, Mylassa libera, Antiochia ubi fuere Seminethos & Cranaos oppida, nunc eam præterfluit Mæander, &c.* Addit Strabo : *Antiochia mediocris urbs est ad Mæandrum sita, Phrygiam versus.* In Notitiis omnibus Cariæ attribuitur.

EPISCOPI ANTIOCHIÆ AD MÆANDRUM.

I. EUSEBIUS.

IN indice Patrum Nicænæ synodi, *de provincia Cariæ,* legitur *Eusebius Antiochenus.*

II. DIONYSIUS.

Chalcedonensi concilio adfuit & subscripsit *Dionysius episcopus civitatis Antiochiæ,* Διονύσιος ἐπίσκοπος πόλεως Αντιοχείας. In indicibus Latinis inter præsules provinciæ Cariæ censetur.

III. GEORGIUS.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus legitur Γεώργιος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος Αντιοχείας τῆς ἐπαρχίας Καρίας. *Georgius minimus episcopus Antiochiæ provinciæ Cariæ.*

IV. THEOPHANES.

Huic Antiochiæ assignandum puto qui synodo Photianæ sub Joanne Papa VIII. adfuisse & subscripsisse legitur, *Theophanes Antiochiæ parvæ,* Θεοφάνοις Αντιοχείας μικρᾶς, Θεοφάνης Αντιοχείας μικρᾶς.

VIII. ECCLESIA ORTHOSIADIS.

QUÆ *Orthosia* Plinio, Ορθωσιὰς, *Orthosias,* Straboni & Ptolemæo dicitur, prope Mæandrum, posita haud procul à Glauco fluvio: *Orthosiadem* habent Notitiæ omnes in provincia Cariæ, in quibus, ut apud Hieroclem, Ορθοσιὰς, cum ο brevi scribitur.

EPISCOPI ORTHOSIADIS.

I. DIOGENES.

IN concilio Chalcedonensi inter episcopos Cariæ *Diogenes episcopus civitatis Orthosiæ,* subscripsit per Theoctistum presbyterum. Διογένης ἐπίσκοπος πόλεως Ορθοσιάδων ὁρίσας ὑπέγραψα διὰ Θεοκτίστου πρεσβυτέρου. In indicibus Latinis Patrum hujus concilii ejus nomen omissum ; quum nempe actione 1. significetur illum non adfuisse concilio, sed *vices ejus gessisse Theoctistum presbyterum,* Θεοκτίστου πρεσβυτέρου, ἐπέχοντος τὸν τόπον Διογένους Ορθοσιάδων.

IX. ECCLESIA HARPASORUM.

HARPASA, Αρπασα Cariæ urbs, *apposita fluvio Harpaso,* ait Plinius, qui nempe in Mæandrum à latere sinistro influebat, ut observavit Cellarius; hoc est à ripa Australi, *Harpasorum* meminit quoque Ptolemæus, ut & Notitiæ ecclesiarum.

EPISCOPI HARPASORUM.

I. PHANIAS.

SYnodo Ephesinæ interfuit & subscripsit *Phanias episcopus civitatis Harpasorum,* Φανίας ἐλάχιστος ἐπίσκοπος πόλεως Αρπάσων.

II. ZOTICUS.

In concilio Chalcedonensi Philotheus presbyter vices gessisse legitur, *Zotici episcopi Harpasorum,* act. 1. Φιλοθέου πρεσβυτέρου

ECCLESIA Harpasorum.

ἐπέχοντος τὸν τόπον Ζωτικοῦ Αρπασοῦ, legendum Αρπασοῦ. Sic quoque legendum act. 11. ubi librariorum oscitantia propter Theoctistum presbyterum qui perinde act. 1. dicitur locum tenuisse *Diogenis episcopi Orthosiæ*, habetur, Θεοκτίστου πρεσβυτέρου ἐπέχοντος τὸν τόπον Ζωτικοῦ Αρπασοῦ, nulla Diogenis Orthosiæ mentione factâ. Actione vero 6. subscriptus legitur *Zoticus episcopus civitatis Harpasensium per Philotheum presbyterum*, Ζωτικὸς ἐπίσκοπος πόλεως Αρπασῶν ὁρίσας ὑπέγραψα διὰ Φιλοθέου πρεσβυτέρου.

III. Irenæus *hæreticus*.

In Collectaneis manu exaratis contra hæreticos, ac præsertim Monophysitas, quæ asservantur in Bibliotheca collegii Societ. Jesu Parisiensis cap. 36. excerptum exstat cujusdam operis, Εἰρηναίου Αρπασοῦ, ἐξ ὧν ἔγραψε κατὰ τῆς ἐν Χαλκηδόνι συνόδου, καὶ τοῦ ἁγίου Λέοντος, ἡνίκα τὸ τοῦ Ζήνωνος Ενωτικὸν ἐδέξατο. *Irenæi Harpasi, ex iis quæ scripsit in synodum Chalcedonensem; & sanctum Leonem, quando Zenonis Henoticam suscepit.* Sub Anastasio utique Irenæus ille Harpasensem sedem tenebat.

IV. Leo.

In synodo quæ ob Photii restitutionem sub Joanne Papa VIII. habita est, sedit & subscripsit *Leo Harpasi*, Λεόντος Αρπασοῦ, Λεὼν Αρπασοῦ.

X. ECCLESIA NEAPOLIS.

NEAPOLIM in Caria habent Notitiæ omnes, quum haud procul à Mæandro posita esset Ptolemæo. Ejus etiam meminit Plinius cap. 29. ac diversa omnino fuit à Neapoli altera, quæ in Pisidiæ finibus exsistens, Pisidiæ quoque censebatur.

EPISCOPI NEAPOLIS.

I. Andreas.

Sextæ synodo interfuisse legitur *Andreas episcopus Neapolis provinciæ Cariæ*, cujus definitionibus, quum oculis captus esset, pro eo subscriptum est à Theodoro Stauropolis metropolita Cariæ. Ανδρέας ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Νεαπολιτῶν πόλεως τῆς Καρῶν ἐπαρχίας, ὁρίσας ὑπέγραψα διὰ Θεοδώρου τοῦ ἐμοῦ μητροπολίτου, διὰ τὴν συνέχουσάν με τῶν ὀμμάτων στέρησιν.

II. Dorotheus.

In Septima synodo inter episcopos Cariæ sedit & subscripsit *Dorotheus episcopus Neapolis*, Δωρόθεος ἐπίσκοπος Νεαπόλεως.

III. Constantinus.

Neapolis Cariæ aut alterius quæ in Pisidia posita erat, *Cyricus*, vel *Cyriacus*, episcopus fuit, necnon *Constantinus*, qui Photianæ synodo sub Joanne Papæ VIII. interfuerunt, Κωνσταντίνου Νεαπόλεως, Κωνσταντῖνος Νεαπόλεως. Item *Cyricus Neapolis*, Κυρύκου Νεαπόλεως. Κυριακὸς Νεαπόλεως, vel *Cyriacus*.

XI. ECCLESIA ALABANDÆ.

ALABANDA, Αλάβανδα, Straboni in Caria mediterranea sita erat; *civitas*, inquit, *memorata digna, tumulis subjecta, haud procul* à Mæandro; quæ jus multis civitatibus dicebat. *Alabanda libera*, ait Plinius, *quæ conventum eum cognominavit Alabandenum.* Nimirum fortunatissima Cariæ urbs dicitur Stephano, Αλάβανδα Καρῶν εὐτυχεστάτη. Hanc habent Notitiæ omnes.

EPISCOPI ALABANDÆ.

I. Theodoretus.

Inter episcopos Cariæ in concilio Chalcedonensi sedit subscripsitque *Theodoretus episcopus civitatis Alabandorum*, Θεοδώρητος ἐπίσκοπος πόλεως Αλαβανδῶν.

II. Constantinus.

In Septima synodo, *Constantinus episcopus Alabandorum*, Κωνσταντῖνος ἐπίσκοπος Αλαβανδῶν. act. 7. Αλαβάνδου. *Alabandi.*

III. Joannes.

In Photiana synodo sub Joanne Papa VIII. *Joannes Alabandi*, Ιωάννου Αλαβανδοῦ, Ιωάννης Αλαβανδοῦ.



XII. ECCLESIA STRATONICIÆ.

IN Caria, Plinio teste, urbs *Stratonicea libera* fuit, Straboni *Macedonum colonia, pretioso apparatu ornata à regibus.* Στρατονίκε, *Stratonicæ* Ptolemæo dicitur, quam Stephanus ab Hadriano Imperat. instauratam, & Ἀδριανούπολιν *Hadrianopolim*, dictam ait. *Stratoniciæ* Cariæ Notitiæ meminerunt.

EPISCOPI STRATONICIÆ.

I. EUPITHIUS.

INter episcopos Cariæ qui synodo Chalcedonensi interfuerant, subscriptus legitur *Eupithius episcopus civitatis Stratoniciæ,* Εὐπείθιος ἐπίσκοπος πόλεως Στρατονικείας. Initio act. 2. & alibi passim in codicibus Latinis dicitur episcopus *Stratoniciæ Cariæ.*

II. THEOPEMPTUS.

In subscriptionibus canonum Trullanorum legitur Θεόπεμπτος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Τρωτολυκείας ἐπαρχίας Καρίας, *Theopemptus episcopus Trotolyciæ provinciæ Cariæ.* Legendum prorsus Στρατονικείας. Librarii sæpissime, ubi vox ulla literâ s finitur, & simili altera vox sequens inchoatur, alterutram omittunt. A

III. GREGORIUS.

In Septima synodo generali cum aliis Cariæ episcopis sedit & subscripsit *Gregorius episcopus Stratoniciæ,* Γρηγόριος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Στρατονικείας.

XIII. ECCLESIA ALINDORUM.

ALINDA, Ἄλινδα, Cariæ oppidum est in omnibus Notitiis, ut & Ptolemæo, ipsumque olim munitissimum : quod innuere Plinius videtur, ubi *Helydienses* in Caria statuit.

EPISCOPI ALINDORUM.

I. PROMACHIUS.

EPhesinæ synodo adfuit subscripsitque *Promachius episcopus Alindorum,* Προμάχιος ἐπίσκοπος Ἀλίνδων. Latini codices addunt, *Cariæ.* B

II. JOANNES.

Chalcedonensi perinde synodo *Joannes episcopus civitatis Alindorum,* Ἰωάννης ἐπίσκοπος πόλεως Ἀλίνδων. Act. 1. & 2. in Latinis codicibus dicitur *episcopus Alindorum Cariæ.*

III. THEODORETUS.

Concilio Constantinopolitano quod sub Menna patriarcha Anthimi decessoris ejus causa habitum est, adfuit *Theodoretus episcopus civitatis Alindorum,* Θεοδώρητος ἐπίσκοπος πόλεως Ἀλίνδων.

IV. THEOPHILUS.

Photianæ synodo sub Joanne Papa VIII. *Theophilus Alindi,* Θεοφίλου Ἀλίνδου, Θεόφιλος Ἀλίνδου.

XIV. ECCLESIA AMYZONIS.

AMYZON, Ἀμυζών, Cariæ mediterranea est civitas, cujus Plinius & Ptolemæus meminere, itemque Hierocles & alii Notitiarum conscriptores.

EPISCOPI AMYZONIS.

I. PHILETUS.

SYnodo Ephesinæ interfuit & subscripsit *Philetus episcopus Amyzonis,* Φιλητὸς ἐλάχιστος ἐπίσκοπος Ἀμυζῶνος. C

II. JOANNES.

Synodo Chalcedonensi, *Joannes episcopus Amyzonis Cariæ,* Ἰωάννης ἐπίσκοπος Ἀμάζωνος Legendum Ἀμύζωνος, ut initio act. 1.

III. ANDREAS.

In synodo quoque Constantinopolitana quæ Menna patriarcha præside habita est, *Andreas episcopus Amyzonis,* Ἀνδρέου Ἀμύζωνος.

IV. * * *

In Septima synodo sedis Amyzonis locum tenuit *Theophylactus,* ut fertur initio actionis 1. Θεοφυλάκτου τοποτηρητοῦ Ἀμύζονος.

XV. ECCLESIA ANASTASIOPOLIS.

CARIÆ civitas eſt *Anaſtaſiopolis* in Notitia Hieroclis, quæ in aliis non occurrit. Hanc ab Anaſtaſio Imp. dictam eſſe non patitur antiquior Hieroclis ætas.

EPISCOPI ANASTASIOPOLIS.

I. ELPIDOPHORUS.

QUintæ ſynodo generali ſubſcriptus legi- A tur, *Elpidophorus epiſcopus Anaſtaſiopolis Cariæ.*

II. MARIANUS.

Photianæ ſynodo ſub Joanne Papa VIII. *Marianus Anaſtaſiopolis*, Μαριανοῦ Αναστασιουπόλεως, Μαριανὸς Αναστασιουπόλεως. Annon vero Anaſtaſiopolis alterius, aut Rhodopes aut Galatiæ primæ? quod poſtremum potius admiſero, propter Siſinnium Berinopolis qui mox ſequitur.

XVI. ECCLESIA JASSI.

JASSUS, Ιασσὸς, Straboni in inſula poſita fuit, quæ continenti terræ præjacebat. Ita quoque Stephanus. Plinius *Jaſium ſinum* ab oppido Jaſo dictum ſcribit. Jaſſum in Caria habent Notitiæ omnes.

EPISCOPI JASSI.

I. THEMISTIUS.

IN concilio Epheſino ſedit & ſubſcripſit B *Themiſtius epiſcopus Jaſſi*, Θεμίστιος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος Ιασσοῦ.

II. FLACCILLUS.

In concilio Chalcedonenſi, Φλάκκιλλος ἐπίσκοπος Ιασσοῦ, *Flaccillus epiſcopus Jaſſi.*

III. DAVID.

In Septima ſynodo generali, *David epiſcopus Jaſſi*, Δαβὶδ ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ιασσοῦ.

IV. GREGORIUS.

In ſynodo quæ habita eſt ob Photii reſtitutionem ſub Joanne Papa VIII. *Gregorius Jaſſorum*, Γρηγορείου Ιασσῶν, *Gregorius Jaſi*, Γρηγόρειος Ιασοῦ.

XVII. ECCLESIA BARGYLORUM.

IN ſinu Jaſſio, *Bargyla* urbs erat, Pomponio Mela & Plinio teſtibus. Apud Melam *Bargylos* ſcribitur. Strabo neutra voce *Bargylia* dixit, τῶν Βαργυλίων: Stephanus vero *Bargyla* Βάργυλα, & *Bargyliam*, Βαργυλίαν. Gentile nomen in nummis qui exſtant, eſt *Bargyliatæ*: apud Ciceronem *Bargylitæ*. Demum *Bargyla* Notitiæ omnes habent in Caria.

EPISCOPI BARGYLORUM.

I. SERGIUS.

SEptimæ ſynodo generali interfuit & ſub- C ſcripſit, *Sergius epiſcopus Bargylorum*, Σέργιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος πόλεως Βαργύλων.

II. JOANNES.

Synodo de reſtitutione Photii, *Joannes Bargyrorum*, ſeu potius *Bargylorum*, Ιωάννου Βαργύρων, Ιωάννης Βαργύρων, pro Βαργύλων.

XVIII. ECCLESIA HALICARNASSI.

HALICARNASSUS, Αλικαρνασσὸς, celebris duorum qui hiſtorias ſcripſerunt, patria, Herodoti ſcilicet ac Dionyſii, qui ab ea Halicarnaſſenſis cognominatur. Regum Cariæ dominorum ſedes olim fuit, quæ *Zephyra* priùs vocabatur, ab Argivis condita. Illorum unus Mauſolus erat, cujus ſepulcrum ab Artemiſia uxore exſtructum, unum è ſeptem orbis miraculis habebatur. Situs ejus inter Ceramicum & Jaſſium ſinus fuit, teſte Plinio l. 5. c. 29. Juxta illam ſcaturire fons fertur, quæ homines emolliret. Hanc porro Mela, Plinius, aliique auctores non omiſerunt, uti nec Notitiarum compoſitores, quibus omnibus *Halicarnaſſus* Cariæ cenſetur. Hodie *Meſſi dicitur*, & *Caſtel de S. Pietro*; Turcis *Boutram.*

EPISCOPI HALICARNASSI.

ECCLESIA Halicarnassi.

EPISCOPI HALICARNASSI.

I. CALANDION.

IN Chalcedonensi synodo Julianus presbyter locum tenuit, vicesque gessit *Calandionis episcopi Halicarnassi*, Ἰουλιανοῦ πρεσβυτέρου ἐπέχοντος τὸν τόπον Καλανδίωνος Αλικαρνασσοῦ. Act. 6. ita subscriptus legitur, Καλανδίων ἐπίσκοπος πόλεως Αλικαρνασσοῦ διὰ Ἰουλιανοῦ πρεσβυτέρου, *Calandion episcopus civitatis Halicarnassi per Julianum presbyterum.*

A

II. JULIANUS, *hæreticus.*

Anastasio Imperatore, Chaledonensis synodi hostis insignis fuit *Julianus,* quem Theophanes ad ejusdem Anastasii annum 20. Theodorum lectorem, ut augurari licet, exscribens, ex episcopo Cariæ Halicarnassensem factum scripsit: Ἰουλιανοῦ τῆς τότε Καρίας ἐπισκόπου, ἔπειτα δὲ Αλικαρνασσοῦ. Verum in excerptis Theodori lectoris, *Julianus Cariæ episcopus* nequaquam dicitur, sed *Halicarnassi Cariæ civitatis.* De Caria vero civitate dicemus infra. Atqui Julianus hic Constantinopoli agens, Macedonium patriarcham qui rectam Fidem teneret, insectabatur: deinde anno Justini senioris primo cum Severo Antiocheno Alexandriam fugiens, quum duas Christi naturas negaret, unicam tenens, corpus Domini, ut pote Dei, ante resurrectionem nulli corruptelæ obnoxium fuisse finxit; à quo Severus Antiochenus hæreticus alter hanc ob causam se segregavit. Julianus proinde Ἀφθαρτοδοκητῶν *Aphthartodocetarum,* quos Latini nostri *Incorrupticolas* dixerunt, auctor fuit. Horum errorem Gaïanus, qui Alexandrinam sedem circa hæc tempora capessivit, amplexus est, à quo illi *Gaïanitæ,* ut & *Julianitæ* à Juliano, dicti sunt. Julianum porro Agapetus Papa, dum Constantinopoli ageret, damnavit, subindeque Mennas patriarcha cum sua synodo.

B

III. THEOCTISTUS.

In Quinta synodo generali sedit & subscripsit *Theoctistus episcopus Halicarnassi.*

IV. * * *

In Septima synodo *Nicetas diaconus vices gessit throni Halicarnassi.* Νικήτα διακόνῳ καὶ ἐκ προσώπου Αλικαρνασσοῦ.

XIX. ECCLESIA LORYMORUM.

LORYMA, Λώρυμα, *littus asperum est,* Straboni lib. 14. *& mons Phœnix, illorum qui illic sunt altissimus: in summo autem castellum perinde Phœnix dictum.* Plinio quoque *Loryma locus est,* non oppidum: addit tamen, *oppida Thyssenam, Paridion, Larymna;* ubi forsan legendum *Laryma,* vel *Loryma.* Stephano vero urbs est Cariæ, Λώρυμα πόλις Καρίας, velut in Notitiis: apud Hieroclem vero Ὑλάειμα *Hylarima* scribitur, ut in quarumdam synodorum gestis.

EPISCOPI LORYMORUM.

I. GEORGIUS.

IN Sexta synodo generali sedit & subscripsit *Georgius episcopus Larymorum* Cariæ; qui & Quinisextæ synodi canonibus subscriptus legitur, Γεώργιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ὑλαείμων ἐπαρχίας Καρίας, *Georgius indignus episcopus Hylarimorum provinciæ Cariæ.*

C

II. ANTHIMUS.

Inter Cariæ episcopos *Anthimus episcopus Hylarimorum* in Septima synodo sedit, etsi nomen ejus in subscriptionibus non occurrit, sed initio dumtaxat act. 1. Ἀνθίμου ἐπισκόπου Ὑλαείμων. Vetus translatio Latina, *Anthimo episcopo Hylarimon,* sive *Hylarimorum.*

III. JOSEPH.

In synodo quæ habita est ob Photii restitutionem, sedebat *Joseph Larimorum,* Ἰωσὴφ Λαρίμων.

XX. ECCLESIA MYNDI.

MYNDUS, Μύνδος, Halicarnasso vicina civitas est, Straboni; *portum habens,* Plinio teste, *post Telmessum, inter duos sinus posita,* Ceramicum & Jassium, *inde Myndus,* inquit, *ubi Palæmyndus.* Ex quo intelligitur quid sibi velit Stephanus, qui in Caria duplicem Myndum ponit, veterem scilicet & novam. Hanc Notitiæ habent, velut & Ptolemæus.

ECCLESIA MYNDI.

EPISCOPI MYNDI.

I. Archelaus.

Episcoporum Myndi primus occurrit *Archelaus*, qui in concilio Ephesino priore sedit & subscripsit, Ἀρχέλαος ἐπίσκοπος Μυνδου. A

II. Alphius.

In Chalcedonensi *Alphius episcopus civitatis Myndi*, Ἀλφεῖος ἐπίσκοπος πόλεως Μυνδου. Translatio Latina act. 1. *Alphio Myndi Cariæ.*

III. Joannes I.

In Sexta synodo, *Joannes episcopus Myndi provinciæ Cariæ.* Ἰωάννης ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Μυνδου ἐπαρχίας Καρίας.

IV. Joannes II.

In Septima quoque, *Joannes* alter Myndi inter episcopos Cariæ, Ἰωάννης ἐπίσκοπος Μίνδου, vel Μυνδου.

XXI.

ECCLESIA CNIDI *sive* STADIÆ.

Cnidus, Κνίδος, Scyllaci, à Græcis olim in peninsula Cariæ condita fuit, in Ceramici, sinus cornu, ejusque extimo recessu. *Est*, inquit Plinius, *in promontorio Cnidus libera, Triopia, dein Pegusa, & Stadia appellata.* Δίπολιν, fuisse ait Strabo, quæ duabus urbibus constaret; cujus utique magna pars in continente Cariæ erat, altera in insula præjacente, & utraque ponte jungebatur. *Cnidum* vocant vulgo Notitiæ.

EPISCOPI CNIDI.

I. Joannes.

In Chalcedonensi synodo sedit subscripsitque *Joannes episcopus Cnidi*, Ἰωάννης ἐπίσκοπος Κνίδου. B

II. Evander.

In Quinta synodo generali, *Evander episcopus Cnidi.*

III. Stauratius.

In Septima inter episcopos Cariæ, *Stauracius episcopus Stadiæ*, Σταυράκιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Σταδείας.

XXII.

ECCLESIA CERAMI.

Ceramus, Κέραμος, Cariæ civitas, in medio sinu posita fuit, qui ab ipsa *Ceramicus* nuncupatur. Strabo lib. 14. *Post Cnidum*, inquit, *sunt Ceramus & Bargasa, oppida supra mare.* Ejus meminit Ptolemæus, ac Notitiæ omnes habent in Caria.

EPISCOPI CERAMI.

I. Spudasius.

Ephesino concilio interfuit, & subscripsit *Spudasius episcopus Ceramorum*, Σπουδάσιος ἐπίσκοπος Κεράμων. C

II. Maurianus.

Act. 7. concilii generalis Nicæni secundi subscriptus legitur Μαυριανὸς ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ἀκμονίας. In translatione vero Latina è regione habetur, *Maurianus indignus presbyter, & electus Cerami.* Statimque *Paulus episcopus civitatis Acmoniæ.* Sic nempe initio act. 1. inter episcopos qui aderant, memoratur, *Maurianus vicarius Ceramorum*, Μαυριανοῦ ὑποτηρητοῦ Κεράμων.

III. Symeon.

In synodo de restitutione Photii, *Symeon Cerami*, Συμεὼν Κεράμου.

XXIII.

ECCLESIA MILETI.

Miletus, Μίλητος, *Ioniæ caput*, ait Plinius, *Lelegeis ante, & Pityusa & Anactoria nominata, supra octoginta urbium per cuncta maria genitrix, nec fraudanda cive Cadmo, qui primus prosam orationem condidit. Urbs*, inquam, Pomponio Mela teste, *Ioniæ totius, belli pacisque artibus princeps*; optima, clarissimaque haud secus atque Ephesus, Straboni à Neleo Pylio quondam condita, cujus res multæ gestæ fuerunt; à qua maxima prodiit coloniarum multitudo, quas hic auctor recenset: sed & eidem quatuor fuisse portus ait, quorum unus classis capax esset. Hanc in civitatem Paulus Samo profectus, quum

Hierosolyma pergeret, appulit, illoque Ephesinæ ecclesiæ presbyteros accersitos adhortatus est, ut Christi gregis, quem ipse pridem instituerat, sedulam curam haberent, velut fertur act. 20. v. 17. Epist. 2. ad Timotheum v. 20. innuit se eam in urbem iterum adventasse dum Romam duceretur, illicque Trophimun ægrotantem reliquisse. Nec dubium quin illis temporibus christianorum ibidem ecclesia fundata sit. In Notitia Hieroclis Miletus prima Cariæ civitas est, & in aliis, quin & inter archiepiscopatus censetur. Gentile nomen est *Milesii*: hodie vero *Palatschia*, Sponio teste, civitas ista dicitur. ECCLESIA MILETI.

EPISCOPI MILETI.

I. CÆSARIUS.

IN actis SS. Thyrsi sociorumque ejus martyrum, qui in diversis Asiæ urbibus cruciatibus afflicti sunt, Mileti demum postremo agone functi dicuntur, & à *S. Cæsario* episcopo sepulti. *Philippus quidam vir religiosus petiit à Præside corpus S. Thyrsi, & accipiens posuit in loculo suo diligenter, & sustinuit septem dies usque dum veniret Cæsarius episcopus & Laodicius presbyter, & alii multi cum jussione Præsidis, &c.* Alia rursum eorumdem martyrum acta habent: *Hæc gesta sunt in civitate quæ dicitur Miletus, in loco qui appellatur Daphne: sepulti sunt omnes à S. Cæsario episcopo & Laodicio presbytero. Condita sunt autem corpora eorum unguentis & aromatis, à religioso viro Philippo, à quo & sepultura, ipso permittente, constructa est.* Similia ferunt alia tertii generis acta, quæ cum quoque exstant apud Bollandum ad diem 28. Januarii. Passi autem sunt sancti illi martyres Decio Imper. adeoque medio sæculo tertio.

II. EUSEBIUS.

In indice Latino Nicæni concilii Patrum censetur *Eusebius Miletius*.

III. AMBRACIUS.

In subscriptionibus epistolæ Arianorum conventus Philippopolitani legitur *Ambracius episcopus à Nisilecto*. Viri docti emendant *à Mileto*. Sed mihi nonnihil suspectum est nomen *Ambracius*.

IV. HYACINTHUS.

In synodo quæ Constantinopoli, Menna patriarcha præside, habita est, in causa decessoris illius Anthimi & Severi Antiocheni, sedit & subscripsit *Hyacinthus episcopus Milesiorum*, Ὑάκινθος ἐπίσκοπος Μιλησίων.

V. GEORGIUS.

In Sexta synodo, *Georgius episcopus Milesiorum civitatis Cariæ provinciæ*, Γεώργιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Μιλησίων πόλεως τῆς Καρῶν ἐπαρχίας.

VI. EPIPHANIUS.

Septimæ synodo interfuit, & seorsim ab aliis provinciæ Cariæ, inter primarios vero, subscripsit *Epiphanius episcopus Mileti*, Ἐπιφάνιος ἐπίσκοπος Μιλήτου. Cujus proinde sedem archiepiscopalem jam tunc fuisse conjicio.

VII. IGNATIUS.

Inter Theodori Studitæ epistolas in cod. A Coisliniano duæ exstant 94. & 269. *Ignatio Mileti episcopo* datæ, qui sedem hanc diu tenuisse videtur; quandoquidem in Photiana synodo adfuisse legitur *Ignatius Mileti*, Ἰγνατίου Μιλήτου, Ἰγνάτιος Μιλήτου.

VIII. NICEPHORUS.

Circa illa eadem tempora claruisse puto *Nicephorum*, qui ex monacho episcopus Mileti factus est, sanctissima vita insignis, quam Combefisius sua manu exscriptam doctissimo Henschenio misit, inter Acta Sanctorum Græcè Latineque edendam.

IX. * * *

B An. 1151. in synodo Lucæ Chrysoberge patriarchæ à qua nuptiæ septimi gradus vetitæ fuerunt, sedebat *Mileti archiepiscopus*, τοῦ Μιλήτου. Jur. Græco-Rom. p. 217. Alteri quoque synodo, in qua, eodem Luca præside, statutum est de non auferendis episcoporum morientium bonis, aderat, ὁ Μιλήτου, *Mileti archiepiscopus*. Ibid. pag. 282.

X. NICETAS.

Sub eodem Patriarcha anno 1166. synodus iterum habita est de Alamannis qui C Constantinopoli agebant, quorum Fides pura sinceraque judicata est, sedebat *Nicetas Mileti*. Allat. lib. 2. De consf. cap. 12.

XI. * * *

Isaacio Angelo Imp. coacta Constantinopoli synodo, metropolita Cæsariensis questus est, episcoporum aliquot promotiones factas fuisse, se aliisque episcopis qui in Urbe aderant minime vocatis, episcoporum, inquam, Dyrrhachii, *Mileti*, ὁ Μιλήτου, & Christianopolis. Jur. Græco-Rom. pag. 172.

XII. NICANDER.

D Quando Miletus *Anactoria* quoque, Plinio teste, dicta erat, hujus utique urbis episcopus fuit *Nicander Anacturopolis*, qui Palamitarum synodo sub Callisto patriarcha interfuit anno orbis conditi 6859. seu Christi 1351. Allatius adv. Hotting. Ejus tamen nomen non occurrit in subscriptionibus illius synodi, cujus acta Combefisius integra dedit in Auctario novissimo Bibl. PP. Græc. sed alia quoque nomina desiderabantur in codice quem exscribebat, ex Cæsareo codice & aliis restituenda.

XXIV.

ECCLESIA MYLASORUM.

Mylassa, Μύλασσα, Μύλασα, in campo fertili posita civitas Straboni, octoginta stadiis à mari distans, cum navali, suo de nomine, *Mylassiorum* appellato, nobilissima quondam fuit, templisque & porticibus egregiis ornata. Prima est è tribus, quas in eo tractu ἀξιολόγοις *memoratu dignas* ille censuit, cum Stratonicea scilicet & Alabanda. *Caria*, ait Plinius, *interiorum fama prænitet; quippe ubi sunt Mylassa libera.* Nummi Μύλασσα, *Mylasa* ferunt.

EPISCOPI MYLASORUM.

I. Ephræm.

In actis SS. ad 24. Januarii vita exstat B S. Eusebiæ, virginis Romanæ cognomento Xenæ Ξένης, i. d. *peregrinæ, hospitæ*, quæ n. 12. Mylassis sive Mylassæ obiisse fertur ipso die quo annua solennitas agebatur S. Ephræm ejusdem civitatis quondam episcopis cujus corpus in Leuce pago sepultum erat. Inter hymnorum ecclesiæ Græcæ conditores *Ephræm Mylassensis* memoratur ab Allatio Dissert. 11. De libr. ecclesiast. Græcor.

II. Cyrillus.

In eadem vita n. 10. S. Eusebia Mylassam C narratur venisse, quo tempore *Cyrillus* civitatis hujus episcopatum gerebat, quique post ejus adventum vivere desiit.

III. Paulus.

Cyrillo successit *Paulus*, qui, post curam quam erga Eusebiam pie impenderat, obitum ejus divinitùs didicit, ejus feretrum cum suis presbyteris ad tumulum portavit, & aliquandiu superstes, postquam populum suum sancte rexerat, ad Dominum migravit, sepultusque est in eadem urbe sua, atque in oratorio S. Andreæ. Claruit Eusebia, Nicephoro Callisto teste, quo tempore S. Euthymius monachorum plurimorum in Palæstina parens florebat, quo item Eudocia Augusta illic morabatur, sæculo quinto medio.

IV. Gregorius.

Septimæ synodo interfuit & subscripsit *Gregorius episcopus Mylassæ*, Γρηγόριος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Μυλάσης.

V. Xenophon.

Octavæ synodo, quæ causa S. Ignatii patriarchæ coacta erat, se stitit *Xenophon episcopus Mylassæ*, veniam petens, quod Photium sectatus esset, eique proinde sacerdotium redditum est, quum palam hoc confiteretur, *quum sim multis pœnis dignus, superhumerale recipio.* Quocirca synodi decretis ultro subscripsit.

VI. Philippus.

In synodo vero Photiana posthac adfuit & subscripsit *Philippus Mylassi*, Φιλίππου Μυλάσου, Φίλιππος Μυλάσου.

XXV.

ECCLESIA ERIZORUM.

Erizi, vel *Eriza* urbs Cariæ dicitur Ortelio, ac certe Hierocli, apud quem Ἔριζος *Erizus* dicitur. Urbem Erizum in Pisidiæ finibus ponit Livius lib. 38. c. 24. *Erizos* Apolloniatis jungit Plinius lib. 5. cap. 30. adeoque Cariæ censet, ut etiam fertur in actis conciliorum. Ipsa est, quæ in Notitiis duabus librariorum errore *Siza* scribitur, ὁ Σίζων.

EPISCOPI ERIZORUM.

I. Papias.

In synodo Chalcedonensi cum episcopis Cariæ sedat & subscripsit *Papias episcopus civitatis Erizorum*, Παπίας ἐπίσκοπος πόλεως Ἐρίζης, & Ἐρίζων.

II. Joannes.

In Sexta synodo generali, *Joannes episcopus civitatis Erizorum Cariæ*, Ἰωάννης ἐπίσκοπος πόλεως Ἐρίζων τῆς Καρίας.

III. Magnus.

Canonibus synodi Quinisextæ subscriptus legitur, Μάγνος ἀνάξιος ἐπίσκοπος πόλεως τῆς Ἐρίζων τῆς Καρῶν ἐπαρχίας, *Magnus episcopus Erizorum provinciæ Cariæ.*

VII. PROVINCIA CYCLADUM INSULARUM.

I. ECCLESIA RHODI. METROPOLIS.

CYCLADUM insularum præcipua *Rhodus* fuit, Ῥόδος, *pulcherrima & libera*, ait Plinius lib. 5. cap. 31. *circuitu CXXX. mill. passuum, aut, si potius Isidoro credimus, CIII. habitata urbibus Lindo, Camiro, Jalyso, nunc Rhodo. Vocitata est antea Ophiussa, Asteria, Æthriba, Trinacria, Corymbia, Pœessa, Atabyria ab rege, deinde Macria,* (seu potius *Macaria*) *Oloessa.* Atqui postremum hoc nomen insulæ erat Strabonis ætate, *cui etiam Atabyris mons, omnium qui in ea sunt altissimus est, Jovi Atabyro sacer, deinde Camirus, deinde Jalysus pagus, supra quem est arx nomine Ochyroma, deinde ad stadia octoginta est Rhodiorum civitas. Huic insulæ ambitus nongentorum & viginti passuum est. Rhodiorum vero urbs super Orientali promontorio sita, & portubus, & viis, & mœnibus & cætera fabrica tantum aliis excellit, ut nullam ei æqualem, nedum præstantiorem præferre valeamus. Mira est ejus justitia & diligentia, cum circa reliquam Reip. gubernationem, tum circa res navales, quibus multo tempore mari dominata est; & piratas sustulit & Romanis amica fuit, & regibus Græcorum & Romanorum amicis.* Eximia alia de Rhodo urbe, & Rhodiis Strabo persequitur, quæ non est hoc loci percensere. Dicere mihi modo sufficiat, eam in omnibus Notitiis insularum metropolim esse. Anno 667. insula cum civitate à Saracenis Mohammedanis capta est, qui Colossum illum, sive ingentem illam Solis statuam æneam, in portûs introïtu stantem, quæ è septem orbis operibus mirificis unum habebatur, deturbarunt. Hanc vero anno 1309. Hierosolymitani milites hospitalarii S. Joannis eisdem eripuerunt; quo factum est ut & Latinis hominibus Latini quoque ritus archiepiscopus sit institutus, quem *Colossensem* dixerunt, à statua illa veteri quæ *Colossus* appellabatur. Nihilominus Græci ritus metropolita in insula perseveravit.

EPISCOPI RHODI.

I. EUPHRANON.

PRimasius sive auctor libri qui *Prædestinatus* appellatur, ubi *de Hæresibus* cap. 24. de Severianis illis Gnosticis, *Encratitis* agens, *Hos damnavit*, inquit, *sanctus Euphranon episcopus Rhodius. Apud Rhodum enim horum superstitio orta est, quos convicit Scripturarum ratione sanctarum, in quibus legitur Deus educere de terra panem ad confirmandum cor hominis, & vinum ad lætificandum, &c. Hæc & similia dicens S. Euphranon episcopus, multos convicit: in errore vero perseverantes perpetua sanctione à communione separavit.*

II. PHOTINUS.

Rhodi episcopus erat *Photinus*, quo tempore S. Clemens martyr Ancyræ in Galatia itidem episcopus, in Diocletiani Imp. persequutione eam in insulam appulit, unde Nicomediam morti tradendus deductus fuit. A Acta S. Clementis apud Bollandum exstant, die 23. Januarii, tam quæ Metaphrastes adornavit, quam ecclesiastica alia.

III. EUPHROSINUS.

Inter Nicæni concilii Patres in indice censetur *Euphrosinus Rhodius.*

IV. HELLANICUS.

In Ephesina synodo inter metropolitas sedebat, subscripsitque *Hellanicus episcopus Rhodi*, Ἑλλανικὸς ἐπίσκοπος Ῥόδου, qui passim quoque in Actis dicitur *episcopus metropolis Rhodi*, ἐπίσκοπος μητροπόλεως Ῥόδου.

V. JOANNES.

Ad Ephesinam synodum alteram, Prædatoriam scilicet, anno 449. venit *Joannes Rhodi episcopus*, Ἰωάννου Ῥόδου, ac latæ in Flavianum Constantinopolitanum & Eusebium Dorylæi sententiæ, necnon Eutychis ab hæresi purgationi suffragatus est. Post

ECCLESIA RHODI.

biennium vero, quod male gesserat emendavit in Chalcedonensi concilio per Tryphonem Chii, qui vices ejus obiit, Τρύφωνος Χίου, ἐπέχοντος τὸν τόπον Ἰωάννου ἐπισκόπου Ρόδου. Actione postrema subscripsit canoni quo Constantinopolitanæ sedi Asianæ diœcesis metropolitarum, ut & Ponticæ & Thracicæ, ordinationes assignabantur, Ἰωάννης ἐπίσκοπος Ρόδου, ὁρίσας ὑπέγραψα, διὰ Τρύφωνος ἐπισκόπου Χίου, *Joannes episcopus Rhodi definiens subscripsi per Triphonem episcopum Chii.*

VI. Agapetus.

Leo I. Imp. audita nece S. Proterii Alexandrini, civiumque illius urbis propter synodum Chalcedonensem tumultu, ad omnes suæ ditionis metropolitas de illis scripsit, adeoque *Agapeto reverentissimo episcopo Rhodi*, cujus exstat synodica responsoria cum aliis ad eumdem Augustum: sed & subscriptus Agapetus reperitur synodali statuto Gennadii Constantinopolitani contra Simoniacos, Ἀγαπητὸς ἐπίσκοπος μητροπόλεως Ρόδου ὑπέγραψα. *Agapetus episcopus metropolis Rhodi subscripsi.*

VII. Esaias.

Relationi synodi Constantinopolitanæ ad Hormisdam Papam de Epiphanii archiepiscopi ordinatione subscriptus legitur *Esaias episc. Rhodiæ civitatis metropolitanus.* Verum paulo post idem Esaïas Rhodi una cum Alexandro Neapolis in Thracia ob corruptissimos mores, anno Imperii Justiniani I. 2. sacerdotio destitutus est, extremoque supplicio in eum animadversum est. *Theophan. ad illum annum.*

VIII. Theodosius.

In Quinta synodo sedit & subscripsit *Theodosius misericordia Dei episcopus metropoleos Rhodiorum.*

IX. Isidorus.

In Sexta synodo, *Isidorus episcopus Rhodi Cycladum insularum*, Ἰσίδωρος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Ρόδου μητροπόλεως τῶν Κυκλάδων νήσων.

X. Leo I.

In Septima item synodo, *Leo episcopus Rhodi*, Λέων ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ρόδου.

XI. Michael.

S. Ignatii Constantinopolitani causam adversus Photium egregiè propugnavit, *Michaël metropolita Rhodi.* Quocirca ad Octavam synodum posthac venit, & tertiæ præsertim actioni, cæterisque deinceps interfuit, conciliique demum decretis subscripsit.

XII. Leontius.

In synodo quæ subinde, Ignatio mortuo, ob Photii restitutionem habita est, sedit *Leontius Rhodi.* In subscriptionibus vero legitur *Andreas Rhodi*, Ἀνδρέας Ρόδου.

XIII. Nilus I.

Ex Narratione miraculorum S. Phanurii, celebris in Rhodo & Creta insulis martyris, quæ scripta omnino fuit, non sæculo VIII. ut Cl. Papebrochio visum est, sed post annum 822. quo Saraceni ex Hispania profecti Cretam occupavere, & ante 962. quo illis erepta est à Nicephoro Phoca Imperat. hoc tractu temporum sedebat *Nilus* metropolita Rhodi, cujus in ea Narratione fit mentio n. 6. ubi trium sacerdotum captivorum mirabilis solutio recitatur. *Magno*, inquit, *mærore pater ipsorum conficiebatur, ut ne momento quidem vultum ad hilaritatem componeret:* Τοῦτον ἰδὼν καὶ ὁ ἁγιώτατος μητροπολίτης κῦρ Νεῖλος περίλυπον ὄντα, ἠρώτα τοῦτον· πῶς, πνευματικὲ, διὰ τί ταῦτα οὕτως ἔχεις; πρὸς ὃν ἀπεκρίνατο ὁ πατὴρ λυπούμενος τὴν αἰτίαν τοῦ ἀπελπισμοῦ. *Eumdem sic mæstum videns sanctissimus metropolita domnus Nilus hominem ita est percunctatus! Quomodo, aut quam ob causam adeo tibi ægre est, tu qui in rebus spiritum concernentibus adeo es exercitatus! Cui mox alter respondens, indicavit causam cur tam dejecto animo esset. Pontifex vero, ad monasterium, inquit, te confer magni Phanurii, ibique, uti sacerdos Antonius antè modò dicebat, sanctum adora, tuique doloris levamen fidenter postula: non dubito vero quin ipse continuò tibi sit indicaturus ea quæ ad tuum commodum sunt futura.* Id quod nempe ita contigit, uti Nilus prædixerat.

XIV. Nicephorus.

Anno mundi 6661. seu Christi 1143. Cosmas Atticus patriarcha Constantinopolitanus Bogomilorum hæresis reus, cui favere videretur, sacerdotio privatus est, sententiæque hac in causa latæ subscripsit *Nicephorus metropolita Rhodi*, ὁ εὐτελὴς μητροπολίτης Ρόδου Νικηφόρος.

XV. * * *

In synodo altera, quæ Luca Chrysoberge patriarcha habita in causa Soterichi Panteugeni patriarchæ Antiocheni electi, qui assereret Christum Patri & Spiritui sancto, non sibi qua Deus est semet sacrificium obtulisse, sedebat cum multis aliis *metropolita Rhodi.* τοῦ Ρόδου. Ita lego apud Nicetam Choniatem in Panoplia, ubi nomen ejus, quemadmodum & aliorum, omissum est.

ECCLESIA RHODI.

XVI. LEO II.

Anno mundi 6674. ſeu Chriſti 1166. eodem Luca patriarcha, in ſynodo altera approbata fuit Alamannorum qui Conſtantinopoli agebant, aſſertio, Chriſtum Patre minorem eſſe ſecundum humanitatem aſſumtam. Aderat *Leo Rhodi.* Idem lib. 2. De conſ. cap. 12. n. 4.

XVII. * * *

Rhodi utique antiſtes erat ille *Cycladum inſularum metropolita,* qui cum aliis appellatur initio epiſtolæ epiſcoporum Orientalis eccleſiæ, qui Michaële Palæologo Imp. ad Gregorium Papam X. unionis ſarciendæ cauſa ſcripſerant, *Metropolitanus ſuperhonoratus* (Hypertimus) *& Exarchus Cycladum Inſularum.*

XVIII. NILUS II.

Circa annum 1360. ac poſt ſynodum Iſidori patriarchæ, in qua Palamitarum fanaticus error à ſchiſmaticis Græcis admiſſus eſt, vixit *Nilus* metropolita Rhodi, qui in enarratione ſua ſynoptica *De ſanctis & œcumenicis conciliis,* bellam illam ſynodum *œcumenicam nonam* nuncupare non dubitavit. Alia ſcripſit quæ Leo Allatius recenſet in Diatriba *de Nilis,* ubi & illum in inſula Chio natum prodit, Latinæque eccleſiæ infenſum ſemper fuiſſe. Legendus idem Allat. lib. 2. De conſ. cap. 18.

XIX. NATHANAEL.

Inter Græciæ præſules, qui Ferrariam ad concilium utriuſque eccleſiæ communionis redintegrandæ cauſâ venerunt, adfuit, unioniſque decreto Florentiæ ſubſcripſit *Nathanaël Rhodi metropolita & Cycladum inſularum,* ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Ῥόδου καὶ τῶν Κυκλάδων νήσων Ναθαναὴλ, ὁρίσας ὑπέγραψα. Eidem ſynodo aderat *Andreas Coloſſenſis archiepiſcopus,* ſive *Rhodi,* Latinus, de quo dicetur ubi de epiſcopis Orientis Latini ritus.

XX. MACARIUS.

Græci ſchiſmatici fingunt à ſuis, anno circiter 1450. Joanne Palæologo Imp. defuncto, ejuratam eſſe unionem in ſynodo habita in templo Conſtantinopolitano S. Sophiæ, in qua ſediſſe legitur & ſubſcripſiſſe *Georgius Synnadorum ſententiam dicens pro Macario epiſcopo Rhodi,* ἔχων καὶ τὴν γνώμην Μακαρίου ἐπισκόπου Ῥόδου. Allat. Addend. ad lib. 3. De conſ. col. 1387.

XXI. METROPHANES.

Anno 1474. metropolita Rhodi Græci

A ritus, Latinæ communionis ſtudioſiſſimus, apud ordinis S. Joannis Hieroſolymitani equites, qui ea in inſula dominabantur, graviter expoſtulavit, Calogeros aliquot, ſive ritus ſui monachos, poſthabita concordia quæ Florentiæ ſancita fuerat, Romani Papæ, quin ſui quoque metropolitæ, commemorationem in divinis officiis omittere, petiitque, ut non cenſuris modo, ſed ſæculari etiam poteſtate ad ordinem redigerentur. Hic vero metropolita *Metrophanes* omnino dicebatur, inter quem & Latini ritus archiepiſcopum B Julianum Ubaldinum eodem tempore lis orta eſt de juriſdictione eccleſiaſtica, definitumque fuit, metropolitam Græcum ſubeſſe archiepiſcopo Rhodi Latino debere, ceu qui Apoſtolicæ ſedis Romanæ legatus eſſet: quocirca vacante ſede Græcorum, tres ab illis eligi oportere, quorum unum ordinis Hieroſolymitani Magiſter deſignaret, qui metropolita ipſorum eſſet, quique archiepiſcopi Latini nutu à tribus epiſcopis Græcis conſecraretur. *Hiſt. de l'ordre de S.t Jean de Jeruſalem,* liv. 5. pag. 136. & liv. 6. p. 144.

C

XXII. ELYMIS.

Anno 1511. quum eccleſia Rhodienſis Græca defuncto Metrophane, ut videtur, paſtore careret, Magiſtro equitum ordinis Hieroſolymitani annuente, Græci coram ſeneſcallo ordinario judice, itemque Appellationum itidem judice convenientes, tres ſui ritus elegerunt è quibus unum Magiſter præſulem deſignaret. Hi fuere *Elymis* Calogerus, ſive hieromonachus montis Sinaï, Elymis alter chartophylax, & Joannes à S. Icona. D Horum trium Magiſter metropolitam renuntiavit papam *Elymin* montis Sinaï hieromonachum, in quem plura ſuffragia conſenſerant; qui facta profeſſione ſe fidelem Apoſtolicæ ſedi, ejuſque Legato archiepiſcopo Rhodienſi Latino futurum, ſuo ſubinde ritu Græco conſecratus fuit, multoque honore à Magiſtro exceptus. *Iſtor. della Sacr. Relig di Malta. tom. 2. pag. 597.*

XXIII. CLEMENS.

Quo tempore Turci Rhodum inſulam E obſidione poſtrema adorti ſunt, anno ſcilicet 1521. ſedebat *Clemens* Græcorum pontifex, vir abſtinentia, ingenioque & Græca facundia puelarus, qui gentiles ſuos à proavis, dum felici fortuna vetere uterentur, nihil degeneres, ad obſidionem ſtrenuè fortiterque tolerandam pro Baſilica mercatorum & ante ſacram imaginem Deiparæ è primario templo gentis allatam cohortatus eſt. Hæc Jacobus Fontanus lib. 1. De bello Rhodio, ubi orationem illius recitat, qua Græcorum

ECCLESIA RHODI.

animos mirum in modum accensos subdit. Cæterum Clemens infelici sclopeti ictu periit, quum è fenestra prospiceret. *Hist. de l'Ord. de S. Jean de Jerusalem, liv. 10. pag. 290.*

XXIV. Euthymius.

Clementi post urbem à Turcis captam suffectus est *Euthymius,* vir, quemadmodum decessor suus, catholicæ unionis apprime studiosus, qui, datis clam Magistro equitum Hierosolymitanorum Philippo Villerio literis, cum ipso aliquandiu egit, ut insulam urbemque, pulsis christiani nominis hostibus, equites reciperent Ibid. pag. 295. *de Vertot, & alii* ad ann. 1527.

XXV. Callistus.

Anno 1578. Rhodi metropolita erat *Callistus,* cujus epistolæ tres Græcæ exstant l. 4. Turco-Gr. p. 299. quæ datæ sunt illo anno, mense Novembri, Indict. VII. iisque subscripsit, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Ῥόδου Κάλλιστος, *Humilis metropolita Rhodi Callistus.*

XXVI. Meletius.

Literis Parthenii patriarchæ Constantinopolitani, quibus anno 1643. *Confessionem orthodoxam Catholicæ & Apostolicæ Orientalis ecclesiæ* à metropolita Kioviensi editam commendabat, subscripsit *Meletius Rhodi,* ὁ Ῥόδου Μελέτιος.

XXVII. Joachim.

Responsioni Dionysii patriarchæ super erroribus Calvinianorum, quæ data est anno 1672. subscripsit cum multis aliis metropolitis *Joachim Rhodi.* ὁ Ῥόδου Ιωακείμ, qui anno præcedenti die 18. Julii testimonio alteri de Fide Orientalis ecclesiæ circa eosdem errores subscripserat; quod quidem Gallico idiomate prodiit tom. 3. de Perpet. Fid. Eccl. de Euchar. pag. 571.

XXVIII. Ignatius.

Anno 1720. sedebat *Ignatius ex Lesbo insula metropolita Rhodi,* Ιγνάτιος Λέσβιος, ὁ μητροπολίτης Ῥόδου; vir Græcæ linguæ gnarus, ecclesiastica eruditione ornatus, sacrorumque rituum & canonum peritus, qui multum studium impendens in divinarum Scripturarum meditatione, evangelicorum eloquiorum prædicationi, expositionique, magno animi ardore & caritate vacabat. Hæc de illo Demetrius Procopius in hujus nostri ævi eruditorum Græcorum recensione. Tom. 11. Bibl. Fabricii.

II. ECCLESIA SAMI.

SAMOS, Σάμος, insula notissima est, è regione Ephesi posita, à qua exiguo intervallo distat: *Libera* Plinio lib. 5. cap. 31. quam *Partheniam primùm appellatam Aristoteles tradit, deinde Dryusam, sed & Anthemusam. Aristocritus adjicit, Melamphyllum, deinde Cyparissiam, alii Parthenoarusam, Stephanen. Amnes in ea Imbrasus, Chesius, Ibertes. Fontes Gigarto, Leucothea, mons Cercetius.* Strabo perinde *Partheniadem* primùm dictam ait, dein *Anthemusam,* post *Melamphyllum,* ac tamdem *Samum,* quam Junoni deæ fuisse sacram, omnes norunt. Ad hanc gentium Apostolus Hierosolyma versus navigans appulit, Act. 20. v. 15. In Notitiis episcopatus est Rhodo metropoli subjectus, nunc vero archiepiscopatus, cui conjuncta *Icaria,* ὁ Σάμου καὶ Ικαρείας: ibi ducenti sacerdotes hoc sæculo numerantur præter monachos complures, qui octo monasteria incolunt. Sedet autem episcopus in civitate, quam *Choram* nuncupant.

EPISCOPI SAMI.

I. Leo.

PETRUS de Natalibus insulæ Æquiliæ episcopus lib. 4. cap. 101. scripsit de *Leone episcopo,* qui in partibus Græcorum natus, omnibus pro Christo abdicatis crucem ferens, etsi non corpore, animo tamen martyrio functus est, ac miraculis in vita clarus, in Samo insula in pace quievit: unde corpus ejus Venetias translatum fuit. Vide apud Bollandi continuatores ad 29. April.

II. * * *

Flavianus I. patriarcha Antiochenus, coacta synodo, Massalianos hæreticos proscripsit, cui præter Byzem Seleuciæ, Marutham Sopharenorum, & alios episcopos, aderat & episcopus *Sami,* ὁ Σάμου, uti legitur apud Photium in Biblioth. cod. 52. Quamquam emendandum putavero, καὶ Σαμοσάτων, *& Samosatorum.* Non vero omittendum ex Notitia veteri episcopatuum exstitisse in Mesopotamia *Castrum Samochartorum,* Κάστρον Σαμοχάρτων.

III. Isidorus I.

Joannes Moschus cap. 108. Prati Spirit. refert, se aliquando in Samum insulam appulisse, vidisseque in cœnobio *Chariaceni* Abbatem *Isidorum* monasterii patrem (τῷ Ἀββᾷ Ισιδώρῳ) eximiæ virtutis, inprimisque caritatis erga

erga omnes virum, ſimplicitateque & humilitate inſignem, quem aliquanto poſt civitatis Samiorum epiſcopum fuiſſe conſtitutum audivit, ὃ μετὰ χρόνον ἵνα κὴ ἐπίσκοπος τῆς αὐτῆς Σαμίων γέγονε πόλεως. A

IV. Isidorus II.

Canonibus Quiniſextæ ſynodi ſubſcriptus legitur *Iſidorus epiſcopus Sami,* Ἰσίδωρος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος Σάμου.

V. Heraclius.

In Septima ſynodo ſedebat, ſubſcripſitque *Heraclius epiſcopus Sami,* Ηράκλειος ἐπίσκοπος Σάμου, ut legitur initio act. 7. Nomen porro illius exſtat in ſubſcriptionum tranſlatione Latina, *Heraclius epiſcopus Sami;* abeſt vero in contextu Græco. B

VI. Anthimus.

Anno 1638. Sami inſulæ proprius epiſcopus ſedebat *Anthimus,* qui nempe ſynodo Cyrilli Berrhœenſis patriarchæ CP. adfuit, ſententiæque ſubſcripſit, qua Cyrilli Lucaris ejuſdem Cyrilli deceſſoris Calviniani errores damnati ſunt, ὁ Σάμου Ἄνθιμος, *Anthimus Sami.*

VII. Joseph.

Noſtra ætate *Joſeph Georgirenes* archiepiſcopus Sami, in Angliam è patria à ſuis exagitatus venit, cui Londini eccleſia conceſſa eſt, in qua ritu ſuo Græco eccleſiaſtica ſacra preceſque peragebat; vir vafræ indolis, qui interim Sami, Nicariæ & Patmi inſularum hodiernum ſtatum Græco vulgari idiomate deſcripſit. *Wheller. Itin. & Roſemond Pref. au livre de Ricault.*

III.

ECCLESIA CHII.

CHIUS, Χίος, maris Ægæi nobilis inſula eſt, *Macris* olim & *Pityuſa* dicta, Plinio teſte, in qua ejuſdem nominis civitas ad Pellenai montis radices exſtat, cujuſque circuitum quadraginta ſtadiorum eſſe dicunt. Hodie vero civitas Chius exigua ſatis eſt, ad Orientale montis latu jacens, mœnibus & foſſis bene munita; portus vero minime amplus, ſed navibus excipiendis aptiſſimus, quarum tamen majores in canali conſiſtunt. Contra illam apoſtolus Paulus appulit, quum ex Illyrico Hieroſolyma pergeret, uti Lucas narrat Act. 20. v. 15. Verum non, hac ſaltem vice, in eam ingreſſus eſt. Chriſtianos nunc habet Græcos, necnon Latinos Genuenſis generis, ex quo Genuenſes inſulæ hujus olim compotes ac domini fuerunt. Latinus Latinis à Romano Papa datus eſt epiſcopus; poſt vero, pactis Græcos inter & Latinos conventis, conceſſum eſt Græcis ut à Byzantina eccleſia pontificem acciperent, κὴ ἀρχιερέα εἶναι ἐκ τῆς ἐν Βυζαντίῳ ἐκκλησίας κεχειροτονημένον. Græcorum eccleſia in montana parte hodie ſita eſt occaſum verſus, quinque milliaribus ab oppido diſtans; ſed in inſula pluſquam trecentæ eccleſiæ nuper numerabantur. Atqui eccleſiæ Chii Græci ritûs antiſtes metropoliticis honoribus ſequiori ævo ornatus fuit.

EPISCOPI CHII.

I. Tryphon.

CHalcedonenſi concilio interfuit *Tryphon epiſcopus Chii,* viceſque in ea geſſit Joannis metropolitæ Rhodi, velut in eccleſia Rhodi dictum eſt, ipſeque ſuo ordine ſubſcripſit, Τρύφων ἐπίσκοπος Χίου. *Tryphon epiſcopus Chii.* Atqui jam ante triennium in eo concilio Conſtantinopolitano ſederat, in quo Flaviano archiepiſcopo præſide Eutyches hæreticus damnatus primum fuerat, necnon in illo altero conventu, in quo ejuſdem cauſa diſceptata iterum erat coram Thalaſſio Cæſarienſi. Quapropter Chii epiſcopus putandus non eſt *Baſſus,* qui anno 448. prædatoriæ ſynodo adfuiſſe legitur, illiuſque decretis ſubſcripſiſſe, ſed Cii in Bythynia prima. C D

II. Georgius.

Sextæ ſynodo adfuit & ſubcripſit *Georgius epiſcopus Chii inſulæ,* Γεώργιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Χίου τῆς νήσου.

III. Theophilus.

Septimæ ſynodo, *Theophilus Chii epiſcopus,* Θεόφιλος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Χίου.

IV. Gabriel.

Anno 1575. Chii metropolita ſedebat *Gabriel,* qui nomen ſuum in charta exaratum Stephano Gerlachio tunc temporis dedit, ὁ μητροπολίτης Χίου Γαβριήλ. *Gabriel Chii metropolita.* Ita Cruſius Turco-Græc. pag. 506.

V. * * *

VI. Hippolytus.

Ex epiſtola Manuëlis cujuſdam Chienſis Theodoſio eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Rhetori data die 14. quam Martinus Cruſius pag. 253. edidit, vacabat Chienſis ſedes ejectione *Calicantzari* cujuſdam quem *Apoſtatam,* ἀποστάτην appellat, proprio ejus

ECCLESIA CHII.

nomine prætermisso. Quocirca rogat, ut A ejus in locum *Hippolytus Methymnæ episcopus* subrogetur, *ut qui bene de patria ipsius meritus sit, dum actionem* κατὰ τȣ̃ ἀποστάτου Καλικαντζάρȣ, *adversus defectorem Calicantzarum optime instituit. Tali*, inquit, *patriam tyrannide liberatam quantopere lætari existimas! Hinc paternam Œcumenici Domini erga se affectionem numquam cessat prope dies noctesque cum admiratione prædicare, Redemtoris & conservatoris appellatione, ut par est, honorans, rogans eum & obsecrans, ut eum hortatu tuo condemnatum in barathrum trudat,* B *locoque ejus aliquem mansuetum, sapientiaque præstantem virum præficiat:* Tum addit: *Quod si patriæ nostræ quoque liceret quem velit petere, quemnam alium libentiùs exciperet, quam illum ipsum qui se certaminis socium præbuit, proque ipsa pugnavit, Hyppolytum dico Methymnæ, virum optimum prorsus ac Musarum alumnum*, Ιππόλυτόν φημι τὸν Μεθύμνης, ἄνδρα καὶ καλὸν καὶ ἀγαθὸν, καὶ Μουσῶν τρόφιμον. *Hunc omnes probant, hunc sibi à Domino nostro* (Patriarcham innuit) *ducem sperant. Hunc si tu ipse pro gratia qua apud* C *Dominum nostrum polles, adjuveris; non modo reipublicæ toti haud mediocriter commodaveris, sed mihi etiam ipsi gratissimum facies..... Proprium quippe providentiæ est, non modo malum præsens depellere, sed etiam ne aliud illi succedat cavere.*

Ac certe *Defectori* illi *Calicantzaro* suffectus omnino est *Hippolytus Methymnæ*; cujus, quum subindè Chii metropolita esset. Epistola ibidem exstat pag. 304. ad clericos Magnæ ecclesiæ Constantinopolitanæ, qua opem illorum implorabat, adversus ipsos- D met Chienses, qui amotionem ipsius meditabantur. Quinimò pag. 283. altera rursum epistola habetur presbyterorum Chii ad Metrophanem patriarcham, quâ gratam sibi accidisse aiunt *Hippolyti* ejusdem destitutionem, seque ultro suscepturos spondent alterum è duobus quos elegerant, ipsius Patriarchæ Cellarium, vel alium quemdam nomine *Theophilum*, qui ambo hieromonachi, viri sanctissimi, apud ipsum agebant. πάρεισι γὰρ σοι φῆς δύο ὁσιώτατοι κατὰ Θεὸν πολιτευόμενοι ἱερομόναχοι, ὅ, τε ὁσιώτατος τῆς σῆς παναγιότητος κελλάριος, καὶ ἕτερος ὀνόματι Θεόφιλος.... καὶ δεόμεθα τῆς σῆς παναγιότητος, ὅπως ἕνα ἐκ τούτων τῶν δύο Χίου καταστήσῃ ἐπίσκοπον. His literis subscribunt sacerdotes viginti quatuor & alii. Ea vero omnia contigerunt ante annum 1590. Ac certè Crusius testatur, *manum ejus habere Gerlachium*, hoc est, *Theophili*, nomen in charta ipsius manu exaratum, *quum illi anno 1576. patriarcha D. Theodosius chirographa episcoporum in insulis, quas in Exarchatu suo transibat*, colligeret. *Scriptam vero epistolam istam ait anno 1590.* ut quidem aliunde didicit.

VII. HIEREMIAS.

Anno 1642. synodo Parthenii patriarchæ Constantinopolitani, in qua Calvinianæ dogmata Jasii in Moldavia proscripta sunt, adfuit, subscripsitque *Hieremias Chii*, ὁ Χίου Ιερεμίας.

VIII. PARTHENIUS.

Parthenius, ille tertius qui post Païsium Constantinopolitanam sedem anno 1656. obtinuit, metropolita Chii fuerat, ut fertur in catalogo Patriarcharum ab anno 1594. Παρθένιος ὁ Χίου. Ipse est Parthenius Chii, qui anno 1643. subscripserat literis Parthenii I. Patriarchæ *de Confessione orthodoxa catholicæ & apostolicæ ecclesiæ Orientalis*, quam Petrus metropolita Kiovii conscripsit, ὁ Χίου Παρθένιος.

IX. IGNATIUS.

Ricaltus eques Anglus in libro *De ecclesiæ Græcæ statu*, cap. 19. meminit *Ignatii Neochori* metropolitæ Chii, qui circa annum 1664. sedebat, vir acris ingenii, cujus opera Latini episcopi per insulam jurisdictio imminuta fuit.

X. JACOBUS.

Larissæ quondam metropolita *Jacobus*, quum anno 1679. episcoporum suffragiis Byzantinum thronum conscendisset, eo dejectus est à Dionysio Muselyme, & Chium subinde translatus, τὸν δὲ κῦρ Ιάκωβον ἔδωσαν τὴν Χίου. *Index Patriarch. ab ann. 1594.*

XI. DANIEL.

Anno 1720. sedebat *Daniel* metropolita Chii, ὁ Χίου Δανιήλ.

IV.

ECCLESIA COI.

COs, Κῶς, vel Κῷος, *Cous, nobilissima insula est* Plinio, *ab Halicarnasso quindecim m. pass. distans, circuitu centum, ut plures æstimant, Merope vocata, Cos, ut Staphylus, Meropis, ut Dionysius, dein Nymphæa. Mons ibi Prion.* Straboni, *Cous, insula promontorium est* Ceramici sinus, *quadraginta stadiis à continente discreta. Urbs Cous antiquitus Astypalæa dicta, & in alio loco posita erat ad mare. Post habitatores ob seditionem inde*

ECCLESIA COI.

migrarunt in urbem quæ nunc est juxta Sandalium, quam Con eodem quo insula nomine appellarunt. Hanc *urbem non magnam esse* ait, *sed optime habitatam, aspectu jucundissimam illis qui eò navigant : insulam vero fertilem quemadmodam Chius & Lesbus, generoso vino abundantem, cujus magnitudo quinquaginta & amplius stadiorum sit.* Pomponio Melæ *Cariæ* censetur, ut *Rhodus Lyciæ.* Ex hac Hippocratem Medicum, Apellemque pictorem oriundos fuisse ferunt. Coos in Notitiis veteribus episcopatus est sub Rhodi metropolita, ac subinde archiepiscopatus facta est. *Stania* Turcis dicitur quos solos habitatores habet, præter pagos duos, in quo Christiani incolunt.

EPISCOPI COI.

I. MELIPHRON.

IN Latino Nicænorum Patrum indice *De* A *provincia Insularum* censetur *Meliphron Coüs,* vel *Coï.*

II. JULIANUS.

Leonis Papæ Magni apocrisiarius Constantinopoli egit *Julianus episcopus Coï,* qui an. 448. in illa synodo sedebat, in qua Flaviano urbis Regiæ archiepiscopo præside Eutyches hæresis convictus fuit, necnon in illo altero conventu, in quo ejus causa denuo coram Thalassio Cæsariensi tractata est. Anno insequenti ad synodum Ephesinam secundam venit, in cujus actorum initio sedisse proxime post Dioscorum legitur, quum *vices ageret, locumque teneret sanctissimi ac beatissimi episcopi Romanæ Ecclesiæ Leonis.* B Contra vero act. 1. concilii Chalcedonensis, quum ista relegerentur, episcopi reclamaverunt, ejectum eum fuisse, neminem suscepisse nomen Leonis, ejusve gessisse vices in impia illa conventicula. In iisdem actis Ephesinis Julianus noster identidem interloquutus perhibetur, Florentio Sardium metropolita interprete, Ἰουλιανὸς ἐπίσκοπος ἐπέχων τὸν τόπον τοῦ ἁγιωτάτου ἐπισκόπου τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας Λέοντος, ἑρμηνεύοντος αὐτὸν Φλωρεντίου ἐπισκόπου Λυδῶν, ceu proinde Julianus hic Coï insulæ episcopus Græci sermonis peritus satis non esset ; quippe scilicet S. Leone Papa teste epist. 86. Romæ educatus ille fuerat, atque C in aula Constantinopolitani Imperatoris tunc temporis Latinus sermo communis familiarisque erat. Quocirca, soluta illa synodo, Julianus Constantinopolim rediit, ut apud Theodosium Juniorem Augustum Romanæ sedis nomine negotia Ecclesiæ curaret. Post biennium subinde Chalcedonensi concilio interfuit, subscripsitque tamquam Leonis Papæ vices gerens ; at non cum primariis Apostolicæ sedis vicariis, qui Romanæ synodi, uti Leonis Papæ nomine delegati fuerant : illis vero quæ tunc, tam de Fide, quam adversus Dioscorum decreta sunt, subscripsit. Multa ad illum exstant sanctissimi Papæ Leonis epistolæ. Ad eum Coï, ut videtur, agentem, quemadmodum ad cunctos Orientalis Imperii metropolitas, literas sacras suas Leo Imp. dedit, de nece S. Proterii Alexandrini, deque Chalcedonensis concilii auctoritate sententiam ipsius rogans, *Juliano reverentissimo episcopo Coënsi;* qui vicissim ad Imperatorem epistolam rescripsit, quæ superest in collectione Epiphanii scholastici.

III. DOROTHEUS.

Relationi synodi Constantinopolitanæ ad Joannem urbis Regiæ patriarcham de Severo Antiocheno ejusque sociis hæreticis, subscripsit *Dorotheus episcopus insulæ Coï,* Δωρόθεος ἐπίσκοπος τῆς Κώων νήσου.

IV. GEORGIUS.

Sextæ synodo generali adfuit & subscripsit *Georgius insulæ Coï episcopus,* Γεώργιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Κώων νήσου.

V. CONSTANTINUS.

Synodo, quæ S. Ignatio Constantinopolitano defuncto, Photii restitutionem approbavit, subscripsisse fertur *Constantinus Coï,* Κωνσταντῖνου Κῶυ, Κωνσταντῖνος Κῶυ.

VI. JOACHIM.

Anno 1638. Cyrillus Berrhœensis patriarcha, coacta synodo, Calviniana dogmata Cyrilli Lucaris decessoris sui damnavit, sedente simul & subscribente *Joachim Coï,* ὁ Κῶν Ἰωακείμ. In actis synodi Hierosolymitanæ, quæ habita est anno 1672. in qua illius synodi Constantinopolitanæ acta relecta sunt, additur per parenthesim, οὗτος ἐγένετο Πάπας Ἀλεξανδρείας. *Hic factus est Papa Alexandriæ.*

VII. NEOPHYTUS.

Anno 1721. sedebat *Neophytus archiepiscopus Coï,* ὁ Κῶ Νεόφυτος.



V. # ECCLESIA NAXI.

NAXUS, Νάξος, Ægæi maris insula, ab Hierocle provinciæ Insularum tribuitur, necnon ab aliarum Notitiarum conscriptoribus, quibus *Naxia* dicitur, ὁ Ναξίας. Naxi insulæ, ejusque oppidi meminere Strabo, eamque duodecim Cycladum unam habendam esse censet. Paro alteri insulæ vicina est; quocirca *Naxus & Parus*, sive *Paros*, in unum episcopatum coaluerunt, qui *Paronaxia* dicitur, quemadmodum bene monuit Nicephorus Callistus lib. 14. cap. 39. Sed & Paronaxia anno Mundi 6591. mense Maio, Indict. VI. sive Christi 1088. metropolis facta est, ut notatur in margine Notitiæ Leonis Sapientis ad metropolim Rhodum, Πάρος & Ναξία ἑνώθησαν, καὶ γεγόνασι μητρόπολις, μηνὶ μαΐῳ, ἐπινεμήσεως ἕκτης, ἐν ἔτει ςφϞα΄. Recentiores Græci pro *Naxo*, vel *Naxia*, Ἀξίαν, *Axiam* dicunt, apud Crusium p. 207. Turco-Græc. *Ibi civitas metropolis*, inquit, *nomine Axia, & in monte castellum.* Mox vero de Paro dicetur.

EPISCOPI NAXI.

I. BARACHUS.

IN indicibus Latinis Patrum concilii Chalcedonensis, ubi provinciæ insularum præsules recensentur, legitur *Barachus Naxensis*, qui in actis ejusdem concilii nusquam occurrit: sed sexcentorum & triginta episcoporum qui in ea sederunt, singula nomina non supersunt.

II. PAULUS.

A Synodo Constantinopolitanæ quæ Menna patriarcha præside celebrata est, adfuit & subscripsit *Paulus episcopus Naxiæ*, Παῦλος ἐπίσκοπος Ναξίας.

III. GEORGIUS.

Sextæ synodo generali, *Georgius episcopus Naxiæ insulæ*, Γεώργιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Ναξίας τῆς νήσου: Reliqui mox sequuntur cum episcopis Pari.

VI. # ECCLESIA PARI.

PAROS, Πάρος, sive *Parus*, insula Naxo & Andro vicina est, *in qua natus est Archilochus poëta*, ait Strabo; *quæ lapidem producit, quem Parium vocant, ad marmoreas sculpturas aptissimum.* De ea Plinius lib. 4. cap. 12. *Parus cum oppido, ab Delo XXVIII. mill. marmore nobilis, quam primò Daïsium, postea Minoida vocarunt.* Martinus Crusius, è recentioribus, pag. 207. *Insula Paros*, inquit, *habet duo castra, unam civitatem, episcopatum unum.* Verum modo ante dicebam, unam esse factam Naxi Parique ecclesiam, quæ *Paronaxia* appellata est, quumque Archiepiscopalis à Constantinopolis patriarcha facta sit, Pari sedes constitit utriusque insulæ præsulis, utique propter insulæ amœnitatem; quum Naxi solum salebrosum prorsus sit & asperum. Illic olim templum Deo stabat Deigenitricis invocatione sacrum, elegantissimæ structuræ, de quo Baronius ad annum 902. Ibidem hodie oppida duo sunt *Agoussa & Parækia.*

EPISCOPI PARI.

I. ATHANASIUS.

IN subscriptionibus Latinis concilii Ephesini primi p. 542. 634. & 1151. Collectionis Cl. Baluzii legitur *Athanasius episcopus insulæ Pari*: in Græcis vero scribitur Ἀθανάσιος ἐπίσκοπος Παράσου, pro Πάρου νήσου. Hic post annos viginti in Chalcedonensi quoque synodo sedebat, ut ex Actis illius Latine versis constat initio act. 6. col. 571. edit. Labb. & indice Latino Patrum ejusdem concilii.

II. THEODORUS.

Constantinopolitanæ synodo, quæ Menna patriacha præside habita est anno 936. adfuit & subscripsit *Theodorus episcopus Pariensium, Siphniorum & Amulgiorum.* Θεόδωρος B ἐπίσκοπος Παρίων Σιφνίων καὶ Αμουλγίων. De Siphno insula suo loco dicetur. Amolgus vero quæ in episcopatum unum sæculo illo sexto cum Paro & Siphno coaluerat, altera quoque Ptolemæo insula est Ægæi maris cum oppido.

III. STEPHANUS.

Sextæ synodo generali *Stephanus episcopus Pari insulæ*, Στέφανος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος νήσου Πάρου; qui & Trullanis subscriptus canonibu slegitur.

ECCLESIA PARI.

EPISCOPI PARONAXIÆ.

I. ***

ANno 1151. menſe April. Indict. XIV. ſynodo Conſtantinopolitanæ, in qua Luca Chryſoberge patriarcha præſide nuptiæ ſeptimi gradus ex toto prohibitæ fuerunt, adfuit *metropolita Paronaxiæ,* τοῦ Παροναξίας. Jur. Græco-Rom. lib. pag. 217.

II. JOANNES.

Eodem Patriarcha præſide in ſynodo altera anno 1156. Soterichus Panteugenus patriarcha Antiochenus deſignatus ob errorem de ſacrificio Domini proſcriptus fuit, ſedente cum aliis *Joanne Paronaxiæ.* Allat. Vind. ſyn. Eph. pag. 585.

III. CONSTANTINUS.

In altera rurſum ſynodo ſub eodem Luca patriarcha, Alamannorum qui Conſtantinopoli agebant, de Chriſti deitate Fides ſana rectaque judicata eſt; aderat autem *Conſtantinus Paronaxiæ.* Idem lib. 2. De conſenſ. cap. 12. n. 4.

IV. ***

Sub Iſaacio Angelo Imp. celebrata ſynodus eſt anno 1186. menſe Septemb. fer. 4. Ind. V. in qua irritas fore declaratum eſt epiſcoporum electiones, ad quas omnes & ſinguli qui in Urbe adeſſent epiſcopi vocati non fuerint. Aderat cum aliis *Paronaxiæ* metropolita, ὁ Παροναξίας. Jur. Græco-Roman. pag. 174.

V. ARETHAS.

Doctiſſimus Abbas Nicolaus Comnenus Papadopoli in Myſtagogicis exercitationibus laudat *Arethæ* archiepiſcopi Naxii *Syllogen,* quam Antonii IV. patriarchæ juſſu contexuerat. Atqui Antonius ille patriarcha ſedebat ab anno 1388. ad 1406.

VI. THEONAS.

Ex Martino Cruſio pag. 273. *Theonas* Theſſalonicæ archiepiſcopus, qui anno 1564. deſtitutionis Joaſaph patriarchæ ſententiæ ſubſcripſit; *Paronaxiæ* metropolita fuerat, dumque in utraque inſula patriarchalis Exarchi munere fungebatur, epiſtolam Magno Scevophylaci, itemque Magno Chartophylaci ſcripſit, de erumnis, quas *in Naxo inſula* ſalebroſa & aſpera, ἐν κραναῇ κατὰ τὸν εἰπόντα νήσῳ, patiebatur, à quibus quamprimum erui rogabat, egeſtatemque ſuam eam eſſe aiebat, ut, facultatibus ſuis conſumtis, aliunde quæreret unde vitam ſuſtineret. Subſcripſit, ὁ Παροναξίας Θεωνᾶς, *Theonas Paronaxius.* Theonam iſtum auctorem eſſe cenA ſet præfationis εἰς διδαχὰς Ἀλεξίου ἱερέως τοῦ Ραρτούρου Χαρτοφύλακος τῆς Κορκύρας, *in doctrinas Alexii ſacerdotis Rharturi Chartophylacis Corcyræ,* quæ Venetiis excuſæ prodierunt anno 1560. iſque nomen illis ſuum præfixit ad hunc modum, ὁ ἐν ἀρχιερεῦσιν ἐλάχιστος Θεωνᾶς, καὶ ἔξαρχος τοῦ παναγιωτάτου πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως, τοῖς αἰδεσίμοις ἀρχιερεῦσι καὶ φιλαρέτοις πατράσιν, τῷ τε λοιπῷ τοῦ Κυρίου Χριστωνύμῳ πληρώματι, εὖ πράττειν. *Antiſtitum minimus Theonas ſanctiſſimi patriarchæ Conſtantinopolis Exarchus, reverendis epiſcopis,* B *& virtutis amatoribus patribus, ac reliquo Domini chriſtiano populo bene valere.*

VII. BENJAMIN I.

Anno mundi 7073. menſe Januario, Ind. VIII. adeoque anno Chriſti 1566. *Benjamin metropolita Paronaxiæ,* ſubſcripſit deſtitutioni Joaſaph patriarchæ, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Παροναξίας Βενιαμίν. Hic vivis exceſſerat die 6. Novembris anno 1579. quo monachi regii monaſterii ſancti apoſtoli & evangeliſtæ Joannis Hieremiæ patriarchæ, qui C Joaſapho ſuffectus fuerat, epiſtolam dederunt de pecuniis quas Joannes Demetrius Naxiotes acceperat, ut & res alias Benjamini metropolitæ defuncti, quæ apud mulierem quamdam nomine Zoën depoſitæ erant, καὶ περὶ τῆς ὑποθέσεως τοῦ ἀποιχομένου μητροπολίτου Βενιαμίν . . . καὶ ὅσα ὑπῆρχον ἐκ τοῦ μητροπολίτου εἰς τὰ χεῖρα Ζωῆς. Epiſtola exſtat lib. 4. Turco-Gr. pag. 301.

VIII. ATHANASIUS.

Ex eodem Cruſio pag. 506. *Athanaſius* D *Paronaxiæ metropolita* Stephano Gerlachio Germano nomen ſuum in charta exaravit circa annum 1586. ὁ μητροπολίτης Παροναξίας Ἀθανάσιος.

IX. NICEPHORUS.

Inter viros inſignes, qui è collegii Romani Græcorum alumnis ad epiſcopales infulas promoti apud ſuos fuerunt, Leo Allatius l. 3. De conſenſ. cap. 7. *Nicephorum* Meliſſenum Conſtantinopolitanum laudat, qui poſt eccleſiam ſuorum Neapoli recte adminiſtratam, E quum literas quoque Græcas ibidem publice docuiſſet, Byzantium reverſus, Raphaëlem patriarcham Latinæ communionis ſtudioſum confirmavit, Pari Naxique metropolita ab eo creatus. Verum ſub Raphaëlis ſucceſſore, homine ſchiſmati addictiſſimo, per calumniam malitiamque ſociorum illius, à Turcis

ECCLESIA PARI.

in carcerem trusus, catenisque onustus & miser, ætatem diu duxit, donec data occasione elapsus, in Italiam venit, ubi ritum Latinum amplexus, Cortonensi ecclesiæ episcopatu donatus est. Jacobus Gualterus è Soc. Jesu in Tabula chronologica sæculi decimi septimi hunc se anno 1618. Lugduni vidisse refert, atque ab eo didicisse quinam nuper, illoque tempore Orientis patriarchæ sederent.

X. MACARIUS.

Eodem sæculo decimo septimo sedebat subinde *Macarius* Meli primum episcopus, tum posthac Paronaxiæ metropolita, qui Romam veniens Apostolicæ sedis communionem amplexus est. Allat. lib. 3. De consf. cap. 11. n. 7.

XI. HIEREMIAS.

Illis ecclesiæ Græcæ præsulibus qui è collegio Romano prodierunt, Allatius ibidem accenset *Jacobum Barberigum ex S. Irena*, qui acceptis Philosophiæ & Theologiæ laureis, strenuam veræ Fidei militem se præbuit *tum Paronaxique metropolita creatus, Hieremias dictus est.*

XII. * * *

In libro cui Gallico idiomate scripto titulus est, *Memoires & instructions chrestiennes sur le sujet des Missions estrangeres*, p. 503. & 512. mentio fit metropolitæ Pari, viri catholicæ communionis amantissimi, qui olim ante sacerdotium uxorem duxerat. Liber iste Parisiis prodiit anno 1644.

XII. BENJAMIN II.

In synodo Cyrilli Berrhœensis patriarchæ à qua Calviniana dogmata proscripta sunt, sedebat *Benjamin Paronaxiæ*, ὁ Παροναξίας Βενιαμίν.

XIV. CYRILLUS.

Anno 1721. sedebat *Cyrillus Paronaxiæ*, ὁ Παροναξίας Κύριλλος.

VII.

ECCLESIA THERÆ.

STRABONI lib. 10. *Insulæ circa Cretam sunt, Thera Cyrenensium metropolis, Spartana colonia, apud quam jacet Anaphe.* Quocirca Callimachum poëtam affert dicentem, *Anaphen Laconicæ finitimam Theræ, suæ patriæ matrem.* Mox subdit de illius situ & figura: *Est Thera oblonga, in circuitu stadiorum ducentorum ad insulam Diam jacens : distat à Creta stad. 70. cui Anaphe & Therasia vicinæ sunt.* Hanc Plinius lib. 2. cap. 87. inter insulas quæ è mari enatæ sunt, habet. *Jampridem,* inquit, *insulæ Delos & Rhodos memoria produntur enatæ. Inter Cycladas Olympiadis 135. anno 4. Thera & Therasia.* Rursum lib. 4. cap. 12. Sporadas insulas recensens, *Thera,* inquit, *quum primum emersit, Callisto dicta: ex ea avulsa postea fuit Therasia, atque inter duas enata, mox Automate, eadem Hiera.* Ita Plinius. Therasia vero episcopatus erat sæculo Ecclesiæ quarto, idem prorsus atque Thera, eaque hodie *Tiresia* dicitur. Cæterum S. Nicephorus Constantinopolitanus in historia, cujus prolixum fragmentum doctissimus Petavius Græce Latineque edidit, ignibus cum lapidibus è gurgite maris erumpentibus, Hieram insulam anno 726. Leone Isauro Imp. emersisse scripsit. Atqui Theram hodie *Sandorinam* sive *Sancta Ireni* dicunt, in qua, Crusio teste, quinque castella sunt, *Sciarum* scilicet, *S. Nicolai, Hæmirgiobyrgum, Acroterium, & Niburgium*, sed & inter archiepiscopatus censetur.

EPISCOPI THERÆ.

I. DIOSCORUS.

Epistolæ synodi Sardicensis subscriptus legitur *Dioscorus Theresiæ* sive *Therasiæ*.

II. GEORGIUS.

Sextæ synodo generali adfuit & subscripsit *Georgius episcopus insulæ Theræ*, Γεώργιος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος νήσου Θήρας.

III. ANDREAS.

Insulæ S. Irenes anno 1642. episcopatum gerebat *Andreas Suffranus* Græcus, qui Romanæ communionis consors factus, Jesuitis prædicatoribus domicilium in insula sua condidit, ut fert liber Gallicus quem superiùs appellavi, cuique titulus est, *Memoires & instructions chrestiennes sur le sujet des Missions.* pag. 502.

IV. ZACHARIAS.

Anno 1721. sedebat archiepiscopus *Santorines Zacharias*, Σαντορίνης Ζαχαρίας.



VIII. # ECCLESIA TENI.

TENUS, Τῆνος, Cycladum quoque insula altera est, quæ, Strabone teste lib. 10. *Ortygia*, Ορτυγία, olim dicebatur, in qua urbs erat non prorsus magna. Hæc Andro Deloque insulis aliis proxima est, *ab eadem Andro*, inquit Plinius, *15. mill. pass. porrecta, quam propter aquarum abundantiam Aristoteles Hydrussam appellatam* ait, eique succinit Stephanus; alios vero Ophiussam dixisse scribit. Teni, mentio quoque fit, non solum apud Ptolemæum, verum etiam in Notitiis, quæ *Tena* hodieque nominatur. Sæculis nuperis Veneticæ ditionis erat, in qua Latini ritus pontifex sedebat, Græci vero simplex Protopapas, cujus ad patriarchæ Exarchum, qui stipendia de more corrogabat, epistolam Martinus Crusius typis edidit, lib. 3. Turco-Gr. pag. 310. qua incolarum asperitatem & illiberalitatem perstringebat. Illic vero presbyteros Græci ritus plusquam 120. numerari audio, bene erga Romanam ecclesiam affectos, qui Latino episcopo ex animo morem gerant.

EPISCOPI TENI.

I. ECDICIUS.

IN Quinto concilio generali sedit & subscripsit, *Ecdicius misericordia Dei episcopus Teni.*

A

II. DEMETRIUS.

In Sexta synodo, *Demetrius episcopus Teni*, Δημήτριος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Τήνου.

III. EUSTATHIUS.

In Septima, *Eustathius episcopus Teni*, Εὐστάθιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Τήνου.

IX. # ECCLESIA ANDRI.

ANDROS vel *Andrus*, Ανδρος, insula *Straboni* & aliis scriptoribus notissima est. *Insulæ*, ait Plinius, *à promontorio Ceresto circa Delum in orbem sitæ, unde & nomen traxere Cyclades. Prima earum Andrus cum oppido: abest à Ceresto 10. mill. pass. Myrsilus Cauron, deinde Antandrum cognominatam tradit, Callimachus Lasiam, alii Nonagriam, Hydrussam, Epagrim: patet circuitu 23. mill. pass.* Quando à Strabone & Plinio varia illis insulis nomina assignantur, obiter monebo, non satis illos in iis indicandis accuratos fuisse. Modo dicebam ex Plinio, Tenum insulam ab Aristotele Hydrussam fuisse nominatam: itane vero quoque Andrus vocitabatur! Andrum habet Notitia Hieroclis, & aliæ. Ibi, Crusio teste pag. 207. civitas est ejusdem nominis, cum castello uno & pagis: sed & episcopi duo, Latinus atque Græcus qui apud suos *Archiepiscopi* titulo gaudet.

EPISCOPI ANDRI.

I. CONSTANS.

SExtæ synodo generali interfuit & subscripsit *Constans episcopus Andri*, Κώνστας ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ανδρου.

B

II. SAMUEL.

Octavæ synodo act. 3. *Samuel Deo amantissimus episcopus Antri, sive Andri.*

III. PHILIPPUS.

Photianæ, *Philippus Antri*, Φιλίππου Ανδρου, qui in subscriptionibus *Philippus Andri* dicitur, Φίλιππος Ανδρου.

IV. JACOBUS.

Anno 1671. *Jacobus Archiepiscopus Andri*, testimonio subscripsit de Fide Orientalis ecclesiæ, circa Calviniana dogmata, quod legere est Tom. 3. De perpet. Fid. pag. 574.

V. IGNATIUS.

Innocentio Papa XI. *Ignatius Rocha* Romæ in collegio Græcorum sacris literis eruditus, Andri episcopus est designatus. Urban. Cerri de Romanæ Eccles. per universam orbem statu.

VI. DIONYSIUS.

Anno 1721. sedebat *Dionysius Andri episcopus*, ὁ Ανδρου Διονύσιος.



X. # ECCLESIA MELI.

MELOS, Μῆλος, *Melus, Sporadum* una *insula est cum oppido*, ait Plinius, *quam Aristides Biblida appellat, Aristoteles Zephyriam, Callimachus Mimallida, Heraclides Siphnum & Acycon.* Straboni vero Melos Cimolo & Cretæ insulis proxima est, Cimolo & Siphno præstantior, nec proinde eadem quæ Siphnus. Melium fuisse Diagoram Atheum veteres produnt : aliis vero Melos insula maxime commendatur. Ex Crusio p. 207. ibi oppidum est nomine Melos, episcopatus, & villæ multæ, castellum unum, nomine *Castellum montanum ;* portus item amplus est & commodissimus, urbs eleganter satis structa. Sedent episcopi duo, Latinus atque Græcus qui à suis Archiepiscopi dignitate auctus est. Græcorum ecclesia Παναγία Πορπανή, *Panagia Portiana*, in honorem divinæ Virginis nuncupatur.

EPISCOPI MELI.

I. EUTYCHIUS.

IN Sexta synodo generali sedit & subscripsit *Eutychius Meli insulæ episcopus* Εὐτύχιος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος Μήλου. A

II. GALACTION.

In Septima item synodo, *Galaction episcopus Meli*, Γαλακτίων ἀνάξιος ἐπίσκοπος Μήλου.

III. MACARIUS.

Leo Allat. lib. 3. De cons. cap. 11. n. 7. *Macarium* Paronaxiæ suo ævo metropolitam, Meli antehac episcopum fuisse tradit, adeoque decimo septimo sæculo jam adulto.

IV. DIONYSIUS.

Testimonio Jacobi archiepiscopi Andri de Fide Orientalis ecclesiæ Calvinianis erroribus contraria subscripsit *Dionysius nuperus archiepiscopus Meli*, Tom. 3. De perp. Fid. Euch. pag. 554.

V. GERASIMUS.

Testimonio simili ecclesiæ Meli subscripsit *Gerasimus humilis archiepiscopus Meli*, Ib. pag. 584.

VI. GREGORIUS.

Anno 1721 sedebat *Gregorius Archiepiscopus Meli & Cimoli*, ὁ Μήλου καὶ Κιμώλου Γρηγόριος.

XI. # ECCLESIA LERI.

LEROS sive *Lerus*, Λῆρος, Icarii maris insula celebris est Straboni, quam *Leriam* quoque dicit, Sporadum una Plinio, Patmo proxima. In Notitiis ejus mentio fit, sed in una *Lerna* scribitur, ὁ Λέρνης, amanuensis inscitia. Hanc à Mitylenensi antistite administratam aliquando fuisse altero loco dicemus.

EPISCOPI LERI.

I. JOANNES.

IN Quinta synodo generali sedit & subscripsit *Joannes misericordia Dei episcopus Leri insulæ.* B

II. SERGIUS.

In Septima, *Sergius episcopus Leri*, Σέργιος ἐπίσκοπος Λήρου.

III. JOSEPH.

In Octava, *Joseph misericordia Dei episcopus Leriæ.*

IV. CALLISTUS.

Sæculo decimo sexto labente Leri insulæ episcopus sedebat *Callistus*, ὁ Κάλλιστος ἐπίσκοπος Λήρου. Crusius Turco-Gr. pag. 506.

XII. # ECCLESIA DELI.

DELOS, sive Delus, Δῆλος, insula *in Ægæo mari magis eminet*, ait Strabo, *quam Cyclades circumstant.* Plinio quoque, Delos item media, earum veluti centrum, *templo Apollinis & mercatu celebrata, quæ diu fluctuata, ut proditur, sola motum terræ non sensit. Hanc Aristoteles ita appellatam prodidit, quoniam repente apparuit enata.* Alia ejus nomina fuisse complura recenset idem Plinius, ac postremo *Cynthiam & Pyrpilem* (Πυρπίλη) dictam

dictam subjungit, *igne ibi reperto in Cynthio* monte. *Cingitur* nempe *quinque millibus passuum, assurgit Cynthio monte.* Etsi parva insula est, magno veteribus in honore fuit, divorum Apollinis & Latonæ gratia. Portus ejus opportunissimus illis est qui ex Italia & Græcia in Asiam navigant. Nulla tamen Notitia *Delum* habet, nec nisi unus mihi Deli episcopus occurrit. ECCLESIA DELI.

EPISCOPI DELI.

I. SABINUS.

IN concilio Chalcedonensi adfuisse legitur *Sabinus Deli episcopus*, Σαβίνου Δήλου, qui tamen in subscriptionibus non comparet.

XIII.

ECCLESIA CARPATHI.

CARPATHUS, Κάρπαθος, Plinio Rhodiorum insula dicitur, inter Cretam & Rhodum posita, quæ *Scarpante* hodie nominatur, & à qua *Carpasium* mare nomen habuit. Situ excelsa est, teste Plinio, ducentorum cubitorum, ab Olympia distans 25. mill. pass. à Caso vero altera insula 7. mill. In ea Strabonis ævo quatuor urbes erant, quarum una *Nisyrus* appellabatur, inquit; verum Nisyrus Carpatho vicina insula fuit. Diu ante Strabonem Scyllax tres urbes in ea numerabat, ut idcirco Tripolis diceretur αὕτη Τρίπολις. Cæterum nulla Notitia *Carpathum* insulam habet, sed Carpethum dumtaxat Cypri, quæ & Carpasius nominatur. Attamen in synodorum actis episcopatus est, imo hodie Archiepiscopatibus à Græcis annumeratur.

EPISCOPI CARPATHI.

I. OLYMPIUS.

INter episcopos qui à Joannis Antiocheni & Orientalium partibus pro Nestorio adversus legitimam synodum Ephesinam steterunt, & epistolæ illorum ad Hierapolis ecclesiam subscripsere, *Olympius Carpasiæ episcopus* legitur; non plane Carpasii: tunc enim tota Cyprus insula sese ab Antiochenæ sedis auctoritate immunem contendebat. In synodo quoque sedebat *Phanias* episcopus Harpasorum Cariæ.

A

II. ZOTICUS.

Relationi concilii Constantinopolitani ad Hormisdam Papam de ordinatione Epiphanii patriarchæ, subscripsit *Zoticus misericordia Dei episcopus Carpasiensis civitatis provinciæ insularum.*

B

III. MENNAS.

In Quinta synodo sedit & subscripsit *Mennas peccator & humilis episcopus Carpathiorum insularum.* Deest, nî fallor, vox *provinciæ.*

IV. JOANNES.

Photius cod. 201. meminit libri cujusdam consolatorii vel adhortatorii *Joannis Carpathii*; Ιωάννου τοῦ Καρπαθίου, *ad Indiæ monachos.* An vere episcopus fuerit, non satis certum videtur ex hac inscriptione. Jacobus vero Pontanus Latine vertit & edidit 97. *capita adhortatoria Joannis episcopi Carpathiorum, rursumque alia ejusdem auctoris 94.*

V. LEO.

Septimæ synodo adfuit & subscripsit *Leo episcopus Carpathi*, Λέων ἐπίσκοπος Καρπάθου.

VI. PHILIPPUS.

Synodo quoque, quæ sub Joanne Papa VIII. ob Photium Constantinopolitanæ sedi restitutum illa in Urbe habita est, adfuit & subscripsit *Philippus episcopus Carpathiorum*, Φίλιππος Καρπαθίων, Φιλίππου Καρπαθίων.

VII. NEOPHYTUS.

Anno 1731. sedebat *Neophytus Carpathi & Casi*, ὁ Καρπάθου καὶ Κάσου Νεόφυτος.

Atqui *Casos* vel *Casus*, Κάσος, insula quidem est Carpatho proxima Plinio l. 5. c. 12. *quæ Astrabe* quoque olim dicebatur: ejusque rursum meminit cap. 31. sed nusquam eam aliàs inter episcopatus censitam reperi.

XIV.

ECCLESIA TENEDI.

PROVINCIÆ insularum *Tenedus*, Τένεδος, censetur in Notitia Hieroclis, ipsis Trojanis temporibus celebris, è regione Troadis posita, ad fauces Hellesponti, à continente quinquaginta stadiis distans. Hanc alii *Calydonem*, alii *Leucophrym* dixere, imo *Phœnicem* quoque & *Lyrnessum.* Abest à Lesbo LVI. milliaribus, & à Sigæo littore XI. M. CCCC. p. Plinio

ECCLESIA TENEDI.

teste. Nulla ejus est mentio in Notitiis episcopatuum, sed in actis synodorum, modo provinciæ Cycladum censetur, modo Hellesponti. Cæterum episcopus idem Tenedi, Lesbi, Proselenes, & Ægialorum ecclesiæ aliquandò præfuit. De Lesbo suus sermo erit, & de Ægialis. Proselene quæ & *Perdoselene*, olim *obscæno vocabulo cum oppido*, ait Plinius, inter Lesbum & Mysiæ littus prominet. Quam Hierocles Cycladibus insulis annumerat.

EPISCOPI TENEDI.

I. Diodorus.

In subscriptionibus epistolæ synodi Sardicensis, *Diodorus ab Asia de Tenedo* legitur. Quidam Latini codices habent *Dioscorus*.

II. Anastasius.

Nestorii hæresiarchæ pertinacissimus vindex fuit *Anastasius episcopus Tenedi Cycladum*. Hic nempe subscripsit primùm Contestationi qua episcopi complures intercesserunt ne Cyrillus Alexandrinus concilii celebrationem inchoaret ante Orientalium adventum; quæ quidem exstat cap. 6. collectionis ex Tragœdia Irenæi Tyrii. Subscripsit perinde synodicæ Orientalium ad ecclesiam Hierapolis Enphratensis provinciæ. Episcopatu itaque amoveri meruit à legitima Ephesina, tumque illos qui Nestorii causa exsulabant, hic illuc invisurus vadens, fato demum functus est, ut cap. 190. collectionis illius fertur. Vix dubito quin ipse sit ille *Anastasius*, presbyter, qui cum Nestorio Antiochia venerat, quique, quum illi in rebus gerendis à consiliis esset, primus Constantinopoli prædicare cœpit S. Virginem à nemine dici debere *Deiparam*. Quamquam fatendum à nullo illius ævi scriptore traditum esse Anastasium hunc in episcopum fuisse provectum.

III. Florentius.

Chalcedonensi concilio interfuit & subscripsit actione præsertim XVI. *Florentius episcopus Lesbi, Tenedi, Proselenes, Ægialorum*, Φλωρέντιος ἐπίσκοπος Λέσβου, Τενέδου, Προσελήνης, Αἰγιάλων. Sed & ante biennium, quum in Prædatorio conventu Ephesino sederet, profanis ejus decretis ad hunc modum subscripsisse: in Latina illius actorum translatione legitur; *Florentius Lesbi & Tenedi Hellesponti*; ceu nempe Tenedos & Lesbos insulæ provinciæ Hellesponti tunc censebantur. Act. 6. ejusdem Chalcedonensis concilii, subscriptus pariter occurrit, Φλωρέντιος ἐπίσκοπος Λέσβου, Τενέδου, ὁρίσας ὑπέγραψα διὰ Εὐελπίστου χωρεπισκόπου, *Florentius episcopus Lesbi Tenedique definiens subscripsi per Evelpistum chorepiscopum*.

IV. Joseph.

Quo tempore Joannes Cantacuzenus Imp. summam rerum abdicare proposuit, *Josephum Tenedi*, aliosque episcopos accivit, quorum consiliis id quod statuerat patraret, tumque Danielem Aëni & Josephum Tenedi, ad Callistum patriarcham qui ex Urbe recesserat, vocandum delegavit, τὸν Αἴνου Δανιὴλ, καὶ Ἰωσὴφ τὸν Τενέδου. Hæc Cantacuzenus ipse lib. 4. hist. cap. 37. Atqui *Joseph Tenedi metropolita, & Hypertimus* synodo adfuit quæ faniticos Palamitarum errores Callisto illo patriarchæ præside approbavit, ejusque decretis subscripsit, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Τενέδου καὶ ὑπέρτιμος Ἰωσήφ. *Joseph humilis metropolitæ Tenedi & Hypertimus*. Quæ Josephi subscriptio abest in editione hujus synodi Combefisiana. Vide Lambecium Bibl. Cæsar. cod. 265.


XV. ECCLESIA SIPHNI.

Siphnus, Σίφνος, Aëgæi maris insula, Cycladum una Straboni, inter Melum & Seriphum posita, hodie *Sifanto* dicta, quæ, ex Plinio olim *Meropia* & *Acis* appellabatur, *circuitu octo millia passuum*. (Ubi tamen obiter monendum Coi insulæ nomen vetus, eodem Plinio teste, fuisse *Meropen*, vel *Meropin*.) Ex synodorum gestis apparet, eam sæculo saltem sexto inter episcopales sedes habitam fuisse, quin insulæ præsul *Archiepiscopus* est, cui subsunt insulæ aliæ circum, *Namphius* nimirum, *Polycandus*, *Nios*, *Seriphus*, *Myconium*, *Sicinum*, *Stamphalia*, *Amorgos*, vel *Amulgos*.

EPISCOPI SIPHNI.

I. Theodorus.

In episcopis Pari diximus, in synodo Constantinopolitana, quæ Menna patriarcha præside propter decessorem illius Anthimum, Severum Antiochenum & alios hæreticos celebrata est; sedisse, subscripsisseque *Theodorum episcopum Pariensium, Siphniensium, & Amulgiensium*, Θεόδωρος ἐπίσκοπος Παρίων, Σιφνίων καὶ Αμουλγίων.



ECCLESIA SIPHNI.

II. ATHANASIUS.

Nupero sæculo Testimonio de Fide Orientalis ecclesiæ Calvinianæ hæresi contraria anno 1671. subscripsit *Athanasius archiepiscopus Siphanti.* Vid. t. 3. De perp. Fid. Euch. pag. 572.

XVI.

ECCLESIA IMBRI.

PLINIUS perinde atque Strabo, *Imbrum* insulam, quæ *Imbro* hodieque, necnon *Marmara* propter marmorum fodinas dicitur, in Ægæo mari collocat, haud procul à Chersonneso Thracica, triginta duobus millibus passuum à Samothrace disparatam, nec longo intervallo à Lemno Æolidis olim censitam. Episcopum nullum hujus reperi, qui in ea remotiori ævo sederit, sed nec in ulla episcopatuum Notitia occurrit Imbrus. Helladis vero postrema est in Notitia Hieroclis. Latini quidem ritus sæculo decimo tertio præsulem habuit Paronaxiensi archiepiscopo obnoxium: nunc vero Græcum, qui inter metropolitas censetur.

EPISCOPI IMBRI.

I. JOACHIM.

MARTINUS Crusius lib. 3. Turco-Gr. pag. 318. epistolam edidit *Joachim episcopi Imbri*, ad Theodorum Zygomalam ecclesiæ CP. Protonotarium, ὁ Ἰωακεὶμ Ἴμβρου. pag. 509. Unus hic est è Græciæ præsulibus qui nomina sua in chartis descripserunt, Stephano Gerlachio tradenda, ὁ Ἴμβρου μητροπολίτης Ἰωακείμ. *Imbri metropolita Joacim.*

II. ATHANASIUS.

Leo Allatius epist. 2. ad Bertholdum Nihusium, sententiam refert Græcorum, qui confitentur, particulas illas panis quas sacerdos apud ipsos ante solennem Liturgiæ inchoationem in Prothesi sacroque disco in honorem Dei-genitricis & aliorum sanctorum, inque vivorum & mortuorum recordationem parat, minime consecrari, sed illam dumtaxat majorem quæ Lancea cruce insignita est, illas tamen benedictionibus & contactu B sacri sanguinis ubi in calicem effunduntur sanctificari. Hanc porro *sententiam*, omnes qui in monte Atho degunt, sequi locupletissimus testis est *Athanasius Imbri archiepiscopus*, qui plures annos cum eis conjunctissimus vixit. Ad calcem libri Allatii De consens. col. 1655. Imo lib. 3. De cons. cap. 11. inter episcopos Græcos Romæ Apostolicæ sedis communione donatos, legitur *Athanasius archiepiscopus Imbri.* Ad hæc epistola 1. *De recentiorum Græcorum templis* pag. 4. & lib. de quorumdam Græcorum opinationibus p. 151. C *Athanasium Imbri* hominem frugi, sibique amicissimum dicit.

III. GREGORIUS.

Anno 1721. sedebat *Gregorius Imbri* metropolita, ὁ Ἴμβρου Γρηγόριος, *Gregorius Imbri.*

XVII.

ECCLESIA LEMNI.

LEMNOS, Λῆμνος, Ægæi maris nobilis *insula juxta Tenedum posita est*, ait Plinius, *Occidentem versus, ab Atho 87. mill. passuum distans, quæ circuitu patet viginti duo mill. CCCCC. pass. cujus oppida Hephæstia & Myrina, in cujus forum solstitio Athos jaculatur umbram.* Quocirca Myrina ad mare in septemtrionali littore stabat, Hephæstia in medio insulæ, Ptolemæo teste, cui *Hephæstias* scribitur Ηφαιστιὰς μεσόγειος. Propter duas urbes istas *Dipolis* quoque insula dicitur à Stephani Byzantini scholiaste. Cæterum Lemnos Thraciæ attribuitur ab eodem Stephano: Λῆμνος νῆσος πρὸς τῇ Θρᾴκῃ. In Notitia vero Hieroclis provinciæ Helladis penultima est sub Corintho. Nulla ejus mentio est in Notitiis episcopatuum veteribus: in Indice tamen Nicænorum Patrum *Strategius Lemnius* inter provinciæ Insularum præsules censetur, cui tamen subjungitur *Apollodorus Corcyræus*, licet Corcyræ ecclesia Corinthi metropolitæ tunc temporis obnoxia fuerit. Hodie *Stalimene* vulgo nominatur, ejusque incolæ fere omnes christiani sunt, Sultano Turcorum subditi. Episcopi sedes *Hephæstiæ* quondam fuit, nunc vero, ea diruta, in monasterio S. Pauli pontifex degit, haud procul ab oppido *Livado chorio.* Sequiori ævo Lemni præsul ex archiepiscopo metropolita factus est, sed honorarius dumtaxat, cui nulli alii obnoxii sunt, velut aliis compluribus hodie in Oriente passim.

ECCLESIA LEMNI.

EPISCOPI LEMNI.

I. STRATEGIUS.

MOx dixi, in Nicænorum Patrum indice, *De provincia insularum* censeri *Strategium Lemnium.*

II. SILVANUS.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus legitur *Silvanus episcopus civitatis Lemni*, Σιλουανὸς ἁμαρτωλὸς ἐπίσκοπος πόλεως Λήμνου.

III. ***

Anno 790. corpus S. Euphemiæ ex Lemno insula Chalcedonem relatum fuit Constantino & Irene Impp. Tarasioque patriarcha CP. Lemnensium querelas & motus, qui ægre ferrent thesaurum illum sibi eripi, cohibuit *sanctissimus insulæ episcopus*, cujus nomen omissum est à Constantino Tii in sermone de reliquiis sanctæ illius martyris apud Surium die 11. Julii.

IV. ARSENIUS.

In synodo quæ Photio in Byzantinum thronum restituto habita est, sedit & subscripsit *Arsenius Lemnorum*, Ἀρσενίου Λήμνων, Ἀρσένιος Λήμνων.

V. PAULUS.

Schismaticæ synodo Michaëlis Cerularii in qua Leonis Papa IX. legatis anathema dixit, adfuit & subscripsit *Paulus Lemni* archiepiscopus, Παῦλος Λήμνου. Allat. Dissert. 2. De lib. eccl. Græc.

VI. ***

Lemni archiepiscopus sedebat in synodo Joannis Xiphilini patriarchæ in qua sponsalia celebrari præceptum est, τοῦ Λήμνου. Jur. Græco-Rom. pag. 212.

VII. PENTACLAS.

A Nicephorus Callistus lib. 14. hist. cap. 39. ubi *de episcoporum translationibus* disputat, sub *Nicolao Theoprobleto*, inquit, *sive Grammatico, patriarcha, Alexio Comneno Imp. Pentaclas Rosianus archiepiscopus Lemni factus est, cui adjecta quoque est ecclesia Maronis.* Πενταπλᾶς ἐκεῖνος Ρωσιανῶν εἰς ἀρχιεπισκοπὴν Λήμνου καθίσταται. παρεδόθη δὲ αὐτῷ καὶ ἡ Μαρῶνος, sive Maronea Thraciæ.

VIII. MICHAEL.

In synodo Lucæ Chrysoberges patriarchæ B in qua Soterichus Panteugenus Antiochenus electus proscriptus fuit, sedebat, *Michaël Lemni* anno 1156. Allat. Vind. Syn. Eph. pag. 585.

IX. BASILIUS.

Georgio Xiphilino patriarcha in synodo tractatum est *De juribus territoriorum*, sedente cum aliis *Basilio Lemni* metropolita, τοῦ Λήμνου Βασιλείου.

X. NEOPHYTUS.

Anno 1564. Joasaph patriarcha Simoniæ C criminis reus destitutus fuit, sententiæque synodi subscripsit *Neophytus metropolita Lemni*, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Λήμνου Νεόφυτος. Hist. Eccl. Turco-Gr. pag. 174.

XI. IGNATIUS.

Anno 1642. *Ignatius Lemni*, adfuit synodo Parthenii senioris patriarchæ, quæ Jasii in Moldavia coacta est propter Cyrilli Lucaris Calviniana capita, ὁ Λήμνου Ιγνάτιος.

XII. JOANNICIUS.

Sedebat anno 1721. *Joannicius* metropolita *Lemni*, ὁ Λήμνου Ιωαννίκιος.

XVIII. ECCLESIA MITYLENES.

IN Ægæo pelago stat insula clarissima Lesbos, à Chio sexaginta quinque millibus pass. distans, ut vult Plinius, imo uti Strabo, æquali à Tenedo, Lemno, Chioque spatio. Ibi urbs celebris est *Mitylene* dicta, Romanorum ævo *libera, annis quingentis potens, binis instructa portubus*, ut fert Scyllax. Μιτυλήνη λιμένας ἔχουσα δύο. Ex quo suspicor ipsam fortassis esse urbem Αἰγιαλα, *Ægiala*, dictam, cujus episcopus fuit Florentius Tenedi & Lesbi, qui in concilio Chalcedonensi sedit; etenim Αἰγιάλη, idem Latine sonat, quod ora maritima. Atqui Lesbos, adeoque Mitylene Cycladum provinciæ censetur Hierocli quæ metropolis insularum altera facta est, ut pote maxima civitatum Lesbi; ipsaque hodie *Metelini* nominatur; quamquam præcipua nunc insulæ civitas *Castro* nuncupatur. Atqui jam olim facta metropolis videtur; & in vetustissima episcopatuum Notitia quæ paulopost Septimam synodum concinnata est, Mitylenes episcopus 47. metropolita dicitur *in Lesbo insula* ἐπαρχίας νήσου Λέσβου, ὁ Μιτυλήνης μζ.

ECCLESIA Mitylenes,

EPISCOPI MITYLENES.

I. EVAGRIUS.

INter Arianæ factionis episcopos qui Acacio Cæsariensi & Georgio Alexandrino in Seleuciensi synodo adhæsere, eorumque formulæ Fidei, à reliquis se segregantes, subscripsere, *Evagrius episcopus Mitylenes insularum* fuit, Εὐάγριος ἐπίσκοπος Μιτυλήνης τῶν νήσων; qui idcirco synodi sententia episcopatu eum sociis suis privatus fuit. Socr. hist. lib. 2. c. 41. Hunc Philostorgius, ut pote Arianæ, imo Eunomianæ impietatis assertorem, commendare non dubitavit, lib. 9. n. 1.

II. * * *

Aëtius & Eunomius hæresis auctores, Lesbi pastore, Evagrio scilicet, defuncto, alterum pro eo ordinarunt, Philostorgio eodem teste lib. 8. n. 2. sed cujus nomen omissum est.

III. JOANNES.

Ephesino concilio interfuit & subscripsit *Joannes episcopus Lesbi*, Ἰωάννης ἐπίσκοπος Λέσβου. Quidam Latini habent, *Lesbo Selenes*, pro *Lesbi & Proselenes*, ut in episcopis Tenedi narratum est, moxque iterum dicetur. Cæterum Contestationi episcoporum multorum qui intercesserant, ne concilium inchoaretur ante Joannis Antiocheni & Orientalium adventum subscripserat *Joannes* idem *episcopus Lesbi*.

IV. FLORENTIUS.

In indice Latino Patrum synodi Chalcedonensis interfuisse legitur *Florentius Mitylenensis*, qui in ejusdem synodi actis passim episcopus dicitur *Lesbi & Tenedi*, imo *Lesbi, Tenedi, Proselenes & Ægialorum*, Φλωρέντιος ἐπίσκοπος Λέσβου, Τενέδου, Περσελλήνης Αἰγιάλων, ut quatuor proinde civitatum, insularumque forsan, at duarum saltem, ecclesiis præfuerit.

V. EUNOIUS.

Decreto synodali Gennadii Constantinopolitani adversus Simoniacos subscriptus legitur *Eunoïus episcopus metropolis Mitylenes*, Εὐνοῖος ἐπίσκοπος μητροπόλεως Μιτυλήνης, ceu ab anno 460. Mitylene civitas metropoliticis jam juribus aucta esset: id tamen subsequentium synodorum gesta non confirmant.

VI. ZACHARIAS.

Græcè Latineque post Philocaliam Origenis editus exstat Dialogus *Zachariæ Scholastici christiani, qui postmodum episcopus factus est Mitylenes*, Ζαχαρίου σχολαστικοῦ χριστιανοῦ τοῦ γενομένου μετὰ ταῦτα ἐπισκόπου Μιτυλήνης, Colloquium hoc Beryti in Phœnicia habuit intra ecclesiæ septa. Tomo quoque quarto Antiq. lect. Henrici Canisii Latinè prodiit *Zachariæ episcopi Mitylenes disputatio contra ea quæ de duobus principiis à Manichæo quopiam scripta, in viam publicam projecta repererat, Justiniano Imperatore.* Ac certe synodo Constantinopolitanæ, quæ Menna Patriarcha anno 536. habita est, *Zacharias Mitylenes metropolita* adfuit, Ζαχαρίου τῆς μητροπόλεως Μιτυλήνης. Mihi tamen suspecta, fateor, vox est *metropolis*, μητροπόλεως.

VII. GREGORIUS I.

Inter Sextæ synodi generalis Patres sedit & subscripsit *Gregorius misericordia Dei episcopus Mitylenensium insulæ Lesbi*, Γρηγόριος ἐλέει Θεοῦ ἐπίσκοπος Μιτυληνέων πόλεως τῶν Λεσβίων. In Metaphrastæ collectaneis habetur *Gregorii Mitylenæi* Sermo εἰς τὰ πάθη τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. *De iis quæ passus est Dominus Jesus-Christus.* Vid. Allat. in Simeonibus. Fuit tamen alter Gregorius Mitylenes episcopus.

VIII. SISINNIUS.

Trullanis canonibus subscriptus legitur *Sisinnius episcopus urbis Mitylenes*, Σισίννιος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος πόλεως Μιτυλήνης. Non prorsus inter metropolitas.

IX. DAMIANUS.

In Septima synodo sedit & subscripsit *Damianus episcopus Mitylenes*, Δαμιανὸς ἀνάξιος ἐπίσκοπος Μιτυλήνης. At non inter metropolitas.

X. GEORGIUS I.

XI. LEO *intrusus hæreticus.*

XII. GEORGIUS II.

Græci in Menologiis die 7. Aprilis memoriam agunt *S. Georgii episcopi Mitylenes.* Ἡ μνήμη τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίου ἐπισκόπου Μιτυλήνης. Recentiora habent μητροπολίτου, *metropolitæ* Mitylenes. Hunc nobilibus, divitibusque ac piis parentibus natum, ac monasticam deinde vitam amplexum cleri populique suffragio Mitylenes episcopum ordinatum ferunt, qui Iconomachorum hæresi grassante, sacrarum imaginum honorem propugnavit, ac miraculis editis clarus ad Christum sancte migravit. Etsi quidam putent Georgium istum priorem sub Leone Isauro sedisse; attamen quæ de illo narrantur, ad tempora potius spectant Leonis Armeni, qui perinde sanctorum imaginibus infensum se

ECCLESIA Mitylenes.

præbuit, à quo nempe Georgius Mitylenes A in Chersonam relegatus fuit. Quod testantur quæ ad illam diem Aprilis 7. Joannis Bollandi continuatores recitant, nempe *Acta SS. deiferorumque, & inter se germanorum fratrum Mitylenæ quiescentium, David videlicet, Georgii insulæ ipsius metropolitæ, atque Simeonis confessorum, à miraculis illustrium.* Quibus constat Georgii corpus Mitylenen relatum fuisse.

LEO intrusus.

Atqui iisdem in Actis fertur, Georgium & Simeonem fratres à Deo præmonitos esse de instante in orthodoxos fideles persequutione, » quam Lesbiis prænuntiarunt : Tum brevi » subinde à ferini nominis, *Imperatore* (Leone » Armeno) qui Orientis Imperium adeptus » erat, hominem moribus ei nomineque simi- » lem episcopatum invasisse, cui perinde *Leoni* » nomen erat : Cæterum adulterinum istum » & intrusum, fidelium plebem abominatam, » rectæ Fidei constanter hæsisse, ut pote quæ » Scripturarum divinitus inspiratarum lacte pasci » solita esset, venerandorumque virorum ac » sanctissimorum Patrum decretis informari.

GEORGIUS II.

A Georgio illo priore *Georgium* alterum aliquando ordinatum episcopum additur, qui à Theodora Augusta, & S. Methodio patriarcha Mitylenes patriæ suæ datus antistes fuit post synodum quæ *Orthodoxiæ* restituendæ causa Constantinopoli coacta fuit anno 842. Atqui Georgii hujus posterioris, viri prorsus etiam sanctissimi, memoria apud Græcos incidit in diem 1. Februarii. Vid. Act. SS. Bolland. ad diem 7. April.

XIII. Michael.

D

Inter Photii epistolas tres exstant inscriptæ Μιχαὴλ μητροπολίτῃ Μιτυλήνης, *Michaëli metropolitæ Mitylenes.* In prima, quæ inter cæteras 119. est, veterator ille sese conferre non dubitat cum Domini discipulis, qui propter illum sexcentas erumnas injuriasque tolerarunt. Altera (225. scilicet) admodum auget quæ sui causa *Michaël* mala expertus esset. Tertia Michaëli horum gratia gratulatur, ἐμοὶ δὴ τίμια τὰ πάθη τὰ σὰ, καὶ μήπω τις ἐκτείνων τὴν χεῖρα, στεφάνους τῇ ἐμῇ περιάπτῃ κεφαλῇ, *mihi prætiosa sunt quæ pateris, licet* E *nemo, extensa manu, meo capiti coronas imponat.* Quocirca suadet ut temporalibus bonis posthabitis, eorum ergò quæ ineffabilia sunt, cuncta sustineat.

XIV. Basilius.

Synodo illi quæ ejusdem Photii Byzantinæ sedi restituti causa habita est, adfuisse fertur, *Basilius Mitylenes*, Βασίλειος Μιτυλήνης, ac certe inter metropolitas.

XV. Nicolaus.

Doctissimus abbas Nicolaus Comnenus Papadopoli in Prænotionibus mystagogicis Resp. 11. sect. IX. ubi *De ordinum interstitiis*, ex Chariophylli collectaneis in Photium, *Nicolai Mitylenensis* epistolam ad Chartophylacem exsilio multatum profert, qua perinde atque Metrophanes Ephesius (imo Smyrnensis) de Joanne Papa VIII. non sine jurgio querebatur, quod Photium, belluam illam, quæ Græcos fideles laceratura esset, B in interdictum ei solium denuo insilisse annuisset.

XVI. Constantinus.

In schismatica Michaëlis Cerularii synodo, quæ Leonis Papæ IX. legatis anathema pronuntiavit, *Metrophanes metropolita Mitylenes*, Κωνσταντῖνος Μιτυλήνης. Allat. diss. 2. De lib. eccl. Græc.

XVII. * * *

Joannes Xiphilinus patriarcha in synodo C decretum de sponsalibus celebrandis tulit, assidente cum aliis *metropolita Mitylenes*, τοῦ Μιτυλήνης. Jur. Græco-Rom. p. 211.

XVIII. Nicetas.

Anno 1082. in solenni procerum Imperii conventu, Alexio Comneno Imp. & Nicolao Grammatico patriarcha, decretum unionis de sanctarum imaginum veneratione denuò sancitum fuit, sedente inter metropolitas *Niceta Mitylenes*, Νικήτα Μιτυλήνης. Bibl. Coislin. pag. 201.

XIX. * * *

Manuële Comneno Imper. anno 1151. Lucas Chrysoberges patriarcha synodum coëgit, in qua nuptiæ septimi gradus prohibitæ sunt, sedente cum aliis metropolita *Mitylenes*, τοῦ Μιτυλήνης. Ibid. pag. 216.

XX. Pothus.

Inter metropolitas & episcopos qui Luca eodem patriarcha præside cum Athanasio Antiocheno, & Nicephoro, seu forsan Nicolao, Hierosolymitano Alamannorum qui Constantinopoli agebant de Christi deitate Fidem approbarunt, sedebat, *Pothus Mitylenes*, Allat. lib. 2. De consens. cap. 12. num. 4.

XXI. Joannes.

Ex chronicis Latinis, quæ *Alberici* nomine inscripta sunt, ad annum 1205. ubi de Balduino Imper. Franco Tarnoæ, sive Ternobi, in Bulgaria necato, additur *Dominum*

Joannem archiepiscopum Mitylenensem consentire quod in Ternoa fuerit occisus. Quod de Mitylenensi archiepiscopo seu Metropolita Græco intelligendum datur.

XXII. * * *

Theodorus Lascaris Imp. morti proximus exomologesim sacram peccatorum suorum fecit *episcopo Mitylenes*, τὸν τῆς Μιτυλήνης ἀρχιερατικῶς προϊστάμενον εἰς τὴν τῶν σφαλμάτων ἐξαγορείαν μετακαλεσάμενος. Greg. Acropol. chron. compend. n. 74.

XXIII. Gregorius II.

Anno 1266. Michaël Palæologus Imp. ut patriarchatu Arsenium amoveret, episcopos complures accersivit, à quibus ejus causa judicaretur. Horum unus fuit *Gregorius Mitylenes*, Μιτυλήνης Γρηγόριος, qui, quum erga Arsenium bene affectus esset, ubi reliquos præsules ad illum exauctorandum comparatos esse intellexit, morbum simulavit, ne voluntati illorum suffragari cogeretur. Post Germano III. patriarcha quoque destituto, metropolita Mitylenes Gregorius ab episcopis electus est, qui Josepho ejus successori manus imponeret, quum interim Heracleensis hoc munus de more obire potis esse videretur. Is porro ab illis designatus est, quod reliquis Græciæ episcopis ordinatione antiquior erat, & dudum ante Arsenii destitutionem episcopatu fungebatur, ὡς ἐκ παλαιοῦ φέρων τὴν χειροτονίαν. Pachym. lib. 4. c. 6. & lib. 5. c. 6.

XXIV. * * *

In cod. Reg. 2964. habetur Nicephori Chumni oratio, quæ inscribitur, Ἔλεγχος κατὰ τοῦ κακῶς πατριαρχοῦντος Νίφωνος, ἀνενεχθεὶς παρὰ τοῦ Νικομηδείας καὶ τοῦ Μιτυλήνης πρὸς τὴν ἱερὰν σύνοδον. *Denuntiatio adversus Niphonem, qui male patriarchatum gerebat, sacræ synodo exhibita à Nicomediæ & Mitylenes episcopis*; quæ proinde anno 1315. data est.

XXV. Leo II.

Cl. Abbas Nicolaus Papadopoli, in Prænot. mystagog. Resp. 3. Sect. 1. n. 12. quo Græcorum suorum certos mores tuetur, ait: » Constantinus Harmenopulus, patre Curopalata, » matre Muzalena Joannis Cantacuzeni consobrina, post auditum Leonem monachum, » quem mox archiepiscopum Mitylenæum fuisse quum constet, conjicio eumdem esse cum » Magentino qui ad annum usque vigesimum » Latinis literis operam navavit, &c. Vixit itaque *Leo* ille Mitylenensis dudum ante annum 1381. quo Constantinus Harmenopulus fatis concessit. Atqui Aldus Manutius Venetiis, una cum Ammonii commentariis in Aristotelis librum περὶ ἑρμηνείας, similem ejusdem libri enarrationem edidit *Magenteni sacratissimi metropolitæ Mitylenes.* Ἐξήγησις τοῦ πανιερωτάτου μητροπολίτου Μιτυλήνης τοῦ Μαγεντηνοῦ εἰς τὸ περὶ ἑρμηνείας. Qui & alios in Aristotelis libros commentarios edidit, ac præterea expositionem canonum SS. Petri Alexandrini & Gregorii Thaumaturgi, ac libellum de neglectis canonum præceptis. Papadop. lib. cit. pag. 227. 230. 233.

XXVI. Dorotheus I.

Ad Ferrariensem synodum venit *Dorotheus metropolita Mitylenes*, in qua vices de more gessit metropolitæ Sidensis, ὁ Μιτυλήνης, καὶ τὸν τόπον ἐπέχων τοῦ Σίδης κῦρις Δωρόθεος. Ferrariæ Eugenii Papæ bullam de concilio unionis sarciendæ causa cogendo, ex ambone Græco idiomate recitavit, subindeque Florentiæ unionis decreto subscripsit. Hunc Leo Allatius lib. 3. De cons. cap. 15. *canonice & legitime* solvisse ait quæstionem, qua Latini Græcos in illa synodo rogarunt, curnam in divinis mysteriis post Dominica consecrationis verba, invocationem subjiciant, ut *dona transmutet Deus Spiritu sancto suo.* Atqui hic diversus haberi debet à Dorotheo illo Mitylenes, cujus doctissimus Papadopoli meminit in Prænotionibus mystagogicis R. 1. Sect. 6. p. 23. quem non ita pridem contra Latinos calamum strinxisse, sed & alia nonnulla scripsisse subjungit.

XXVII. Menas.

In actis illius synodi quam Græci circa annum 1450. coactam ad ejurandam unionem cum Latinis quæ Florentiæ sancita erat, celebratum jactitant, Georgius Synnadorum subscripsisse legitur pro *Mena* Mitylenes. Γεώργιος Συννάδων, ἔχων καὶ γνώμην Μακαρίου ἐπισκόπου Ῥόδου καὶ Ἀδριανουπόλεως, καὶ Μηνᾶ Μιτυλήνης. Allat. Addend. ad l. 3. De cons. col. 1387.

XXVIII. * * *

Quo tempore Turci Lesbum insulam expugnarunt, hoc est anno 1462. *metropolita Mitylenes* egregiam in ea urbe adversus illorum impetus tuenda operam navasse traditur. *De Vertot hist. de Malte.*

XXIX. Macarius.

Anno 1564. sententiæ synodi in qua Joasaph patriarcha Simoniæ reus exauctoratus fuit, subscripsit, *Macarius metropolita Mitylenes*, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Μιτυλήνης Μακάριος.

XXX. Gregorius III.

Anno 1576. sedebat *Gregorius metropolita*

ECCLESIA Mitylenes.

Mitylenes, quo nempe nomen suum in charta exaravit pro Stephano Gerlachio. Turco-Gr. lib. 7. pag. 56. Ibidem exstant lib. 4. pag. 282. literæ synodicæ Metrophanis patriarchæ, quibus sororio Theodosii Zygomalæ Tabularii ecclesiæ munus confirmabatur, quod ab illius decessore Hieremia II. acceperat. Datæ sunt anno 1579. mense Martio Ind. VIII. iisque subscripsit *Gregorius Mitylenes*, ὁ Μιτυλήνης Γρηγόριος.

XXXI. DOROTHEUS II.

Doctissimum Papadopoli superiùs appellavi, à quo in Prænotionibus mystagogicis Resp. 1. Sect. 6. n. 11. pag. 23. *Dorotheus Mitylenes metropolita* citatur, *qui non ita pridem contra Latinos scribebat*, inquit. Libelli illius fragmentum adfert & confutat, quo de liberatione Trajani ab inferis tractaverat. Ejusdem libelli Dorothei Mitylenes meminit iterum Resp. 6. Sect. 7. quem *Canonem Heptacephalum* vocat.

XXXIII. PARTHENIUS.

Anno 1639. à Parthenio I. Constantino-A politano ordinatus fuit Leontius Cassandriæ in Macedonia archiepiscopus, eique simul manus imposuit *Parthenius metropolita Mitylenes*, ut ordinationis Leontii literis perhibetur. τοῦ Μιτυλήνης κυροῦ Παρθενίου.

XXXIII. ZOSIMUS.

Responsioni Dionysii patriarchæ super Calvinistarum erroribus anno 1672. subscriptus legitur, ὁ Μελιτήνης Ζώσιμος, *Melitenes Zosimus*. Emendandum prorsus Μιτυλήνης, *Mitylenes*. Tunc enim nihil episcopo Meli-B tenes commune erat cum Dionysio CP.

XXXIV. MACARIUS.

Ex schedis quas non ita pridem Venetiis accepi, nuper sedebat *Macarius Mitylenes*, ὁ Μιτυλήνης Μακάριος.

XXXV. NICODEMUS.

Anno 1721. sedebat *Nicodemus Mitylenes* metropolita ὁ Μιτυλήνης Νικόδημος.

XIX. ECCLESIA METHYMNÆ.

LESBI altera civitas est *Methymna*, Μεθύμνη, quo nomine tota olim insula dicta fuit, in cujus ora Orientali sita est, & cujus crebra apud veteres scriptores est mentio. Provinciæ insularum censetur in Notitia Hieroclis: in aliis autem ac vetustioribus inter metropoles 50.ª numeratur; in ea vero quæ Leonis Sapientis Imp. nomen præfert, 76. metropolis est: ος΄. ὁ Μεθύμνης. Quæ tamen ante Chalcedonensis concilii tempora proprium episcopum habuisse non videtur, tuncque adeo Mitylenensis parœciæ erat.

EPISCOPI METHYMNÆ.

I. CHRISTODORUS.

RElationi synodi Constantinopolitanæ ad C Hormisdam Papam de ordinatione Epiphanii patriarchæ subscripsit *Christodorus misericordia Dei episcopus Methymnæ Lesbi insulæ*.

II. ANDREAS.

In Sexta synodo sedit & subscripsit *Andreas episcopus civitatis Methymnæorum Lesbi insulæ*, Ἀνδρέας ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Μεθυμναίων πόλεως τῆς Λεσβίων νήσου.

III. THEOPHYLACTUS.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus legitur, *Theophylactus episcopus Methymnensium*. Θεοφύλακτος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος τῆς Μεθυμναίων πόλεως τῆς Λεσβίων.

IV. EUSTRATHIUS.

Septimæ synodo adfuit & subscripsit *Eustratius episcopus Methymnæ*, Εὐστράτιος ἐπίσκοπος Μεθύμνης.

V. JACOBUS.

Octavæ synodo generali in causa S. Ignatii patriarchæ Constantinopolitani, adfuit quoque & subscripsit *Jacobus misericordia Dei archiepiscopus Methymnæ*. In qua synodo sedebant episcopi, tam à S. Methodio, tum à S. Ignatio ordinati.

VI. GEORGIUS.

Sententiæ illius synodi quæ Cosmam Atticum patriarcham Bogomilorum dogmatis accusatum ad ordinem redegit, subscripsit, *Georgius metropolita Methymnæ*, ὁ εὐτελὴς D μητροπολίτης Μεθύμνης Γεώργιος. Allat. lib. 2. de Consens. cap. 12.

VII. MICHAEL I.

In synodo, in qua Soterichus Panteugenus Antiochiæ patriarcha designatus, anno 1155. Luca Chrysoberge Byzantino patriarcha præside proscriptus fuit, sedebat *Michaël Methymnæ*. Allatius Vind. Syn. Eph. pag. 585.

VIII. NICOLAUS.

ECCLESIA Methymnæ.

VIII. Nicolaus.

Rursum anno 1167. alteri synodo, in qua Alamannorum de Christo secundum humanitatem minore Patre assertio veræ Fidei non repugnare, eodem Luca patriarcha præside, judicata est, aderat *Nicolaus Methymnæ.* Allat. lib. 2. De consens. cap. 12. n. 5.

IX. Theodorus.

Anno 1171. mense Decemb. Indict. IV. Michaële Anchiali itidem patriarcha, synodico decreto præceptum fuit, ne clerici ex aliena diœcesi promoverentur, sedente cum aliis metropolitis *Theodoro Methymnæ*, Θεοδώρου Μεθύμνης. Jur. Græco-Romano, pag. 227.

X. * * *

Isaacius Angelus Comnenus Imperat. lege sanxit, irritas fore electiones episcoporum quæ in Urbe fierent, non vocatis episcopis omnibus & singulis qui in ea agerent: cui condendæ aderat cum metropolitis aliis *Methymnæus*, ὁ Μεθύμνης. Ibid. pag. 155.

XI. Michael II.

In synodo quæ Manuële Charitopulo patriarcha mense Julio, Indict. VIII. sive anno Christi 1220. habita est, quæstiones diversæ ad ecclesiarum regimen spectantes definitæ sunt, considente cum metropolitis aliis *Michaële Methymnæ*, ὁ τοῦ Μεθύμνης Μιχαὴλ, qui rursum sanctioni alteri condendæ *De episcoporum translatione* adfuit. Ibid. pag. 238. & 240.

XII. Malachias.

Lib. 6. Biblioth. Cæsareæ cod. 6. habetur Tomus condemnationis Barlaam & Acyndyni, qui Palamæ novellis dogmatis repugnarent. Is vero conditus est mense Augusto Indict. IX. anno mundi 6849. Christi 1341. subscripsitque *Malachias Methymnæ* metropolita, ὁ Μεθύμνης Μαλαχίας. Qui subinde anno mundi 6855. mense Febr. Indict. XV. anno quoque Christi 1347. eodem modo subscripsit sententiæ, qua Joannes Calecas patriarcha communionis exsors pronuntiatus fuit, atque exauctoratus, quia Palamitarum itidem erroribus non faveret. ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Μεθύμνης καὶ ὑπέρτιμος Μαλαχίας. *Humilis metropolita Methymnæ & Hypertimus Malachias.* Ibid.

XIII. Hippolytus.

Martinus Crusius lib. 3. Turco-Gr. pag. 253. epistolam edidit Manuëlis Chiensis ad Theodorum Zygomatam magnæ ecclesiæ Rhetorem, qua rogabat ut Chiensi ecclesiæ Patriarchæ opera *Hippolytus Methymnæ episcopus*, in locum Calincantzari, quem ἀποστάτην, *Apostatem* sive defectorem appellat, præficeretur, Ἱππόλυτον τὸν Μεθύμνης. Hunc nempe in insula Chio natum ait, optimeque de patria meritum, ac recte institutis actis & moribus præstantem, Chienses probare, sibique adeo à Patriarcha donandum sperare. οὗτοι γὰρ πάντες ἀρέσκοντες, ὥστε παρὰ τοῦ ἡμετέρου δεσπότου προσδοκῶμεν. Data epistola est Chii 14. Febr. post annum 1560. Illorum porro votis Patriarcha annuit, ut dictum est in ecclesia insulæ Chii: paulo post vero à Metrophane patriarcha Chiensibus clericis ipsismet urgentibus destitutus fuit.

XIV. Neophytus.

Anno 1576. Methymnæ metropolita sedebat *Neophytus*, ὁ Μεθύμνης Νεόφυτος, cujus nomen, ut aliorum episcoporum, qui tunc in vivis agebant Stephano Gerlachio Germano traditum fuit. Crus. Turco-Græc. pag. 506.

XV. Gabriel.

Leo Allatius lib. 3. De perpet. cons. 11. n. 7. episcopos Græciæ recenset, qui Romæ Apostolicæ sedis communionem sua ætate, ante sæculi decimi-septimi medium inierant; in quibus legitur *Gabriel metropolita Methymnæ, quæ in insula Mitylene est.*

XVI. Cornelius.

Anno 1643. *Cornelius* Methymnæ metropolita subscribebat literis Parthenii I. patriarchæ, quibus *Confessionem Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ Orientalis* à Petro Mogila Chiovii metropolita conscriptam approbabat, ὁ Μεθύμνης Κορνήλιος.

XVII. Anthimus.

Anno 1721. sedebat *Anthimus Methymnæ* metropolita, ὁ Μεθύμνης Ἄνθιμος.



VIII. PROVINCIA LYCIÆ.

I. ECCLESIA MYRORUM, METROPOLIS.

MYRA, Μύρα, nomine plurali neutro, Lyciæ veteris civitas eſt, quam inter illius regionis μεγίστας, maximas, habet Strabo, in ſublimi colle poſitam, viginti ſtadiis à mari diſtantem; quæ tamen portum habuit cui naves appellebant. Illius meminere quoque Plinius, Ptolemæus & alii. Inprimis S. Lucas Act. 27. v. 5. ut Græco contextu, necnon Syriaca tranſlatione fertur, Beatum Paulum, quum Romam vinctus navi duceretur, *apud Myra* Lyciæ divertiſſe narrat, κατήλθομεν εἰς Μύρα τῆς Λυκίας. Pro *Myris* tamen Vulgata verſio Latina habet *Lyſtra Lyciæ:* at *Lyſtra* Lycaoniæ civitas erat, ac retro procul à maris littore diſtans: niſi *Limyra* pro *Lyſtris* ſcriptum prius fuerit. Myris porro Paulus conſcenſa Alexandrina navi, Italiam verſus profectus eſt. An Myris diſcipulos aliquos fecerit, cæleſtive doctrina Fidei, ut vulgo ſolebat, imbuerit, Evangeliſta non aperit. Joannes Malalas in *Theodoſio Juniore* Imperatore pag. 69. ſcribit, provinciam novam à Lycaonia avulſam ab illo creatam eſſe, quam Lyciam nuncupavit, dediſſeque Myræ civitati metropolis jura & præfectum, ὁ δὲ αὐτὸς βασιλεὺς ἐποίησεν ἐπαρχίαν, ἀπομερίσας ἀπὸ Λυκαωνίας, ἣν ἵνα ἐκάλεσε Λυκίαν, δοὺς δίκαιον μητροπόλεως, καὶ ἄρχοντα τῇ λεγομένῃ Μύρα τῆς αὐτῆς Λυκίας. In Notitia Hieroclis *Myra* Lyciæ metropolis eſt, Μύρα μητρόπολις. At Hieroclem ſub Theodoſio Juniore vixiſſe mihi certum videtur. In Partitione Imperii Orientalis quam Onuphrius Panvinus à Conſtantino Magno Imp. factam aſſerit, provincia Lyciæ diverſa prorſus eſt à Lycaonia, unaque cenſetur è decem Aſiæ provinciis quas numerat. Quidquid id eſt; nova illa Lyciæ provincia non eadem prorſus fuit quæ Lycia vetus; quod de aliis quoque provinciis quæ à tempore Conſtantini inſtitutæ ſunt, affirmandum venit. Plinius lib. 5. cap. 27. *Lycia quondam*, ait, *ſexaginta oppida habuit, nunc ſexaginta-ſex:* non tot vero Lycia recentior. Urbs Myra jampridem vaſtata eſt, à Saracenis utique, qui has regiones ſæculo undecimo tenuerunt. Quocirca Suidæ, qui illo ſæculo labente ſcribebat, *Myra, locus eſt provinciæ Lyciæ.* Μύρα, τόπος τῆς Λυκίων ἐπαρχίας. *Locum* dicit, non civitatem, vel oppidum. Atqui in illorum poteſtatem venit anno mundi 6543. Chriſti 1035. quo factum eſt, ut Myrorum eccleſia paulatim decreverit, quum nullus in ea antiſtes ſederet. Sed provincia quoque eccleſiaſtica Lyciæ horum barbarorum incolatu ſimili modò exſtincta eſt, ut & vicinæ aliæ minoris Aſiæ. Locus ubi quondam civitas Myra fuit, *Strumica* hodie dicitur, nihil priſtini prorſus ſplendoris referens. Quamobrem Martinus Cruſius lib. 7. Turco-Græciæ pag. 506. ubi viros Græciæ illuſtres, maxime epiſcopos, numerat, qui nomina ſua Stephano Gerlachio in chartis exarata tradiderunt, poſt illud, ὁ Πισιδίας, καὶ ἔξαρχος Σίδης, Μυρέων, καὶ Ἀτταλείας, *Piſidiæ metropolita, & exarchus Myrenſium & Attaliæ*, mox ſubdit: *nam in his hujus ἐξαρχίας tribus locis pauci ſunt Chriſtiani*, quorum utique curam gerebat unus dumtaxat Piſidiæ metropolita.

EPISCOPI MYRORUM.

I. NICANDER *Martyr.*

IN Menologio Græcorum die 4. Novembris memoria eſt *SS. Martyrum Nicandri Myrorum epiſcopi, & Hermæi preſbyteri, qui ordinati feruntur à S. Tito apoſtolo.* Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, μνήμη τῶν ἁγίων μαρτύρων Νικάνδρου ἐπισκόπου Μύρων, καὶ Ἑρμαίου πρεσβυτέρου, χειροτονη-

A θέντων παρὰ τοῦ ἁγίου Τίτου ἀποστόλου. A Tito, inquam, apoſtoli Pauli diſcipulo & primo inſulæ Cretæ epiſcopo. Hunc vero paſſum aiunt ſub Comite Libanio: at tempore illo apud Romanos nondum inſtituti Comites erant. Verum in Sirleti Menologio, tom. 2. Antiq. lect. Henrici Caniſii, *Libanius* præſes, non *Comes*, dicitur.

ECCLESIA Myrorum.

II. Nicolaus I.

III. S. Nicolaus II.

Sanctiſſimi Myrorum antiſtitis cujus celebris eſt per omnes eccleſias memoria, deceſſorem fuiſſe *Nicolaum* alterum, vitæ illius ſcriptores teſtantur, atque ab iſto priore ſanctæ eccleſiæ Sion, quam in urbe ſua exſtruxerat, curam ei commiſſam produnt.

S. Nicolaus II.

Sanctum vero Nicolaum, qui ſucceſſor illius fuit, ſub Conſtantino Magno claruiſſe eruditi noſtræ ætatis critici inficiari non dubitarunt; à quibus tamen haud ægrè diſſentio propter Euſtratii Conſtantinopolitanæ eccleſiæ ſæculo ſexto medio ſub Eutychio patriarcha præſbyteri auctoritatem; à quo ſcilicet in *Refutatione illorum, qui aiunt, animas hominum ſtatim atque à corporibus ſolutæ ſunt nihil operari*, teſtimonium affertur ex vita ejuſdem S. Nicolai, quo, certiſſimum fit, eum illo imperante Myris in Lycia epiſcopum ſediſſe. Τοιοῦτον θαῦμα εὑρίσκομεν γεγονὸς καὶ ἐπὶ Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου βασιλέως, ὅπερ Θεοῦ βουλήσει Νικόλαος ὁ ἅγιος ἐπίσκοπος Λυκίας, C ἐποίησεν. *Ejuſmodi quidpiam ſub Conſtantino M. Imperat. factum reperimus, quod Deo annuente ſanctus Lyciæ epiſcopus patravit. In ejus quippe vita iſthæc narrantur: Nepotianus autem unus, &c.* Hoc excerpto ex vita ſancti Nicolai quod Euſtratius recitat, Conſtantino Sanctus in ſomnis apparuiſſe, dixiſſeque fertur: ἐγώ εἰμι Νικόλαος ὁ ἁμαρτωλὸς, ὁ ὢν ἐν τῇ Λυκίᾳ ἐν Μύροις, *Ego ſum Nicolaus peccator, qui Myris in Lycia ago.* Vita iſta S. Nicolai ſæculo ſaltem eccleſiæ quinto ſcripta jam fuerat, quo proinde tem- D pore Myrenſibus perſuaſum, ratumque erat, S. Nicolaum eccleſiæ ſuæ nupero ſæculo, ſive quarto, præfuiſſe, agente in vivis Conſtantino. Quidni vero proinde concilio Nicæno interfuerit, ut in aliis ejuſdem S. Nicolai actis narratur, tum in iis quæ manu exarata in Bibliothecis habentur, tum in illis quoque quæ Metaphraſtes ſuo modo adornavit! Eſto *Nicolai Myrenſis* nomen in Latino Nicænorum Patrum indice non occurrat; at trecentorum & octodecim epiſ- E coporum qui in ea ſederunt, nomina ſingula in indice illo non repræſentari ſæpè jam monuimus. In altero eorumdem Patrum indice Arabico, quem Joannes Seldenus Anglus, in ſuo in Eutychii Alexandrini origines commentario edidit, longe plures numerantur, quorum penultimus eſt, & 305. نيكولاوس الميرون, *Nicolaus Myrorum;* pro quo interpres oſcitantius legens ſcripſit, *Nicolaus Meridenſis*, litera ي, ſumta pro ر. Ejus corpus, quum Saraceni civitatem

A Myrorum vaſtaviſſent, Barii in Apulia cives quadraginta ſeptem anno 1087. Antiochia in patriam revertentes, ſecum abſtulerunt; ex quo tempore in ipſorum urbe magna qua par eſt veneratione colitur. Erat, inquiunt, annus ab illius obitu 746. ut, ſecundum Myrenſium calculos, ſanctiſſimus antiſtes anno 341. vivere deſierit.

IV. Tatianus.

In Conſtantinopolitanæ ſynodi generalis primæ Patrum indice Latino, *De provincia* B *Lyciæ* cenſetur *Tatianus Myrenſis;* qui profecto alius non eſt à Tatiano, quem, quum adhuc preſbyter eſſet, ſanctus Baſilius epiſt. 403. ex illis eſſe ſcribebat, qui Valente Imp. rectam Fidem omni ſtudio profitebantur. Nam ubi legitur, καὶ ἐν Κύροις Τατιανὸν, emendandum contendo, καὶ ἐν Μύροις, *& in Myris Tatianum, Polemonem, Macarium, preſbyteros.* Altera item epiſtola ſignificat Tatianum communionem ſuam amplexum eſſe & fovere.

V. Serenianus.

Synodo Epheſinæ generali primæ interfuit & ſubſcripſit *Serenianus epiſcopus civitatis Myrenſium;* Σερενιανὸς ἐπίσκοπος Μυρέων πόλεως, qui in Latinis codicibus *Berenianus* dicitur, quin & in Græcis rurſum, Βερενιανὸς, *Berenianus.*

VI. Romanus.

In ſecunda ſynodo Epheſina inter metropolitas ſedebat *Romanus epiſcopus Myrorum Lyciæ,* καὶ Ῥωμανὸς Μύρων τῆς Λυκίας, pro- D faniſque Dioſcori Alexandrini decretis ſubſcripſit. Poſt biennium vero in Chalcedonenſi, meliore conſilio, id quod male approbaverat, reprobavit, cunctis ejus definitionibus ſubſcribens, Ῥωμανὸς ἐπίσκοπος τῆς μητροπόλεως Μύρων, *Romanus epiſcopus metropolis Myrorum.*

VII. Petrus.

Leo I. Imperat. audita nece S. Proterii Alexandrini, ejuſdemque urbis à catholica Fide defectione, cunctis per Orientem me- E tropolitis literas dedit ut ſuarum ſynodorum ſententias de Chalcedonenſi concilio renuntiarent, adeoque *Petro reverentiſſimo epiſcopo Myrenſi* miſſæ illæ ferantur. Ejus autem ſynodica, ut aliorum, Latine exſtat in Collectione Epiphanii ſcholaſtici. Nonnulla ipſe volumina edidit in ejuſdem Chalcedonenſis concilii defenſionem, quæ S. Sophronius Hieroſolymitanus in ſua ad Honorium Papam & alios patriarchas epiſtola laudavit, ad duarum in Chriſto operationum voluntatumque

ECCLESIA Myrorum.

confirmationem, ut videre est apud Photium in Biblioth. cod. 23. & Πέτρος Μύρων ὁσιώτατος ἐπίσκοπος, *& Petrus sanctissimus Myrorum episcopus.*

VIII. PHILIPPUS.

Sedit subscripsitque in Quinta synodo *Philippus misericordia Dei episcopus Myrensium metropoleos provinciæ Lydiæ:* emenda *Lyciæ.*

IX. POLYDECTUS.

In concilio Sexto generali *Polydectus episcopus metropolis Myrensium provinciæ Lyciæ,* Πολύδεκτος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Μυρέων ἐκκλησίας, τῆς Λυκίων ἐπαρχίας.

X. THEODORUS I.

XI. NICOLAUS III.

In Septima synodo, *Theodorus episcopus Myrorum Lyciæ,* Θεόδωρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Μύρων τῆς Λυκίας, qui, postquam Iconoclastarum impietatem admiserat, coram Patribus hanc palam ejuravit act. 1. Sed & subinde acta S. Anastasii martyris sacrarum imaginum honoris confirmandi causa protulit.

NICOLAUS III. Huic vero sanctissimo conventui aderat quoque *Nicolaus Myrorum metropolita* alter, ut subscriptiones Latinæ ferunt; quem à catholicis ordinatum pridem dixero, sed ab hæreticis ejectum, ut Theodoro locum daret.

XII. NICETAS *hæreticus.*

Michaël Balbus & Theophilus ejus filius Byzantini Imperat. anno 821. *Ludovico glorioso regi Francorum & Langobardorum, & vocato eorum ipsorum Imperatori, epistolam per oratores suos, Theodorum proto-Spatharium & exercitus prætorem, Nicetam sanctissimum metropolitam Myrensem Lyciæ, Fortunatum archiepiscopum Venetiæ, Theodorum reverendissimum diaconum, & œconomum sanctissimæ Dei catholicæ & magnæ ecclesiæ S. Sophiæ & Leonem Candidatum miserant,* per eos agentes ut suus sacris imaginibus honos abrogaretur. Ex quo apparet Nicetam Iconomachorum impietati addictissimum fuisse. Baron. ad ann. 825.

XIII. THEODOSIUS.

Synodo, quæ Photii Byzantinæ sedi restituti causa habita fertur, aderat *Theodosius Myrorum,* Θεοδοσίου Μύρων.

XIV. LEO.

Michaël Cerularius patriarcha Byzantinus, coacta quorumdam metropolitarum synodo, anathema dixit Leonis Papæ IX. legatis, illique assidebat *Leo Myrorum* metropolita, Λέοντος Μύρων. Allat. De lib. eccles. Græc. part. 1. pag. 162.

XV. THEODORUS II.

Anno 1143. sententiæ synodali, qua Cosmas Atticus patriarcha Bogomilorum hæresis reus exauctoratus fuit, subscripsit *Theodorus Myrorum metropolita,* ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Μύρων Θεόδωρος. Id. lib. 2. De consens. cap. 12.

XVI. * * *

Theodorus idem, ejusve successor, cujus nomen omissum est, anno 1151. adfuit synodo Lucæ Chrysoberges patriarchæ, in qua nuptiæ septimi gradus prohibitæ sunt, *Myrorum* considente cum aliis metropolita, τοῦ Μύρων Jur. Græco-Rom. lib. 3. pag. 217. Anno itidem 1153. die 10. Maii, fer. 2. In altera synodo, eodem Luca præside, sancitum est, ne clerici ecclesiarum & episcoporum morientium bona auferrent. Aderat quoque metropolita *Myrorum,* τοῦ Μύρων. Ibid. pag. 282.

XVII. CHRISTOPHORUS.

Anno 1166. eodem rursum patriarcha, aliisque duobus, Antiocheno & Hierosolymitano præsidibus, synodus coacta est, in qua Joannes Irenicus monachus cum suis sociis damnatus est, quod erroris Alamannos taxasset, qui Dominum Christum assererent dixisse, *Pater major me est,* assumtæ humanitatis causa, qua minor est Patre. Ibi sedebat *Christophorus Myrorum.* Allat. lib. 2. de Cons. cap. 12.

XVIII. EUSTATHIUS.

Iisdem temporibus, Manuële Comneno Imperatore, *Eustathius* monachus cœnobii sancti Flori, & magnæ ecclesiæ diaconus, Rhetorumque Magister, Myrensis ecclesiæ metropolita designatus fuit, qui, postquam electionem suam admiserat, ab Imperatore ad Thessalonicensem sedem translatus fuit. Hæc Demetrius Chomatenus, Respons. ad Constantinum Cabasilam. Jur. Græco-Rom. lib. 5. pag. 317.

XIX. MATTHÆUS.

Dositheus Hierosolymitanus lib. 11. de patriarchis Hierosol. c. 11. Parag. 7. p. 1181. ubi de Græciæ scriptoribus qui nupero sæculo claruerunt, *Matthæum Myrorum metropolitam* trigesimo secundo loco memorat, qui multa versibus scripsit, necnon canones contra Latinos. τεσσαρακοστὸς δεύτερος Ματθαῖος μητροπολίτης Μυρέων, ὁ συγγραψάμενος πολλὰ διὰ στίχων, & κανόνας κατὰ Λατίνων.

II. # ECCLESIA TELMESSI.

TELMESSUS, Τελμισσὸς, vel *Telmissus*. Τελμισσὸς, ut ab aliis atque aliis scribitur, veteris Lyciæ civitas ultima est, post montem Cragum, Occidentem versus, Plinio teste lib. 5. cap. 27. *Promontorium Cragus*, inquit, *ultra par sinus priori: ibi Pinara, & quæ Lyciam finit, Telmessus*. Melam Plinius exscribebat. Quocirca Telmessus in Cariæ & Lyciæ confinio erat, prope Xanthum amnem. Straboni quoque *Telmessus oppidum est Lyciorum, ubi Telmissium promontorium*. Addit Plinius: *A Telmesso Asiaticum mare, seu Carpathium, & quæ propriè vocatur Asia*. Telmessum etiam Lyciæ censent Notitiæ omnes, in quarum una ipsaque veteri, *Anastasiopolis* etiam cognominatur, Τελμισσοῦ, ἤτοι Ἀναστασιουπόλεως. Sæculo quinto medio idem Telmessi & Eudociadis episcopus erat, uti proinde vicinarum urbium; sed Telmessi alterius, Pamphyliæ scilicet, non Lyciæ, ut suo loco dicetur.


EPISCOPI TELMESSI.

I. HILARIUS.

S. BASILIUS epist. 403. quam anno 370. *Amphilochi Iconii* scribebat, inter præcipuos episcopos & presbyteros, qui male sanam Asianorum *de Trinitate* doctrinam detestarentur, communionemque suam admitterent, *Hilarium Telmessi* memorat episcopum, ἐν Τελμισσῷ Ἱλάριον ἐπίσκοπον.

II. ZENODOTUS.

Inter Chalcedonensis concilii *De provincia Lyciæ* Patres in Indice Latino legitur *Zenodotus Telmisi*, qui in subscriptionibus act. 6. A dicitur *episcopus Telmisi metropolis & Macres insulæ*, Ζηνόδοτος ἐπίσκοπος Τελμισσέων μητροπόλεως & Μάκρης τῆς νήσου, estque secundus inter episcopos Lyciæ. Initio autem act. 1. in translatione Latina, episcopus *Telmessi & Eniadis civitatis Ioniæ* dicitur. Non tamen legendum putavero *Eudociadis*, quæ nec Ioniæ, neque Lyciæ occasum versus censeri potuit. Cæterum *Macre insula* ipsa prorsus est insula *Macris*, alteri vicina quæ *Megista* vocabatur, haud procul Telmesso, Plinio lib. 5. cap. 3. ubi alteram quoque ejusdem nominis in iisdem partibus collocat.



III. # ECCLESIA LIMYRÆ.

LIMYRA, Λίμυρα, voce plurali neutra, Lyciæ oppidum est, quod Strabo lib. 14. haud procul à mari collocat, ad Limyrum fluvium, qui inde viginti stadiis emensis in mare influit. Sic etiam Plinius lib. 5. cap. 27. *In Lycia juxta mare Limyra cum amne, in quem Aricandus influit*. Notitiæ Limyra quoque habent in Lycia. Latini scriptores *Limyram* fæminea voce identidem dixerunt, ut Velleius Paterculus lib. 2. cap. 102. ubi ait Caium Cæsarem, dum in Italiam ex Oriente reverteretur, *in urbe Lyciæ, Limyram nominant, morbo obiisse*. Imo Magnus Basilius quem mox afferam.

EPISCOPI LIMYRÆ.

I. DIATIMUS.

BASILIUS magnus, epistola 403. Amphilochio Iconiensi scribebat, nonnullos Lyciæ episcopos catholicam Fidem ipso Valentis Imp. tempore sectari, in quibus *Diatimus Limyræ*, ἐν Λιμύροις Διάτιμον.

II. LUPICINUS.

Diatimo proxime successit *Lupicinus Limyrensis*, cujus est mentio in indice Patrum synodi Constantinopolitanæ generalis prioris. *De provincia Pisidiæ & Lyciæ*. Lycia cum Pisidia.

III. STEPHANUS.

In synodo Chalcedonensi sedit *Stephanus Limyrorum* episcopus, & actione 6. quum adversa valetudine laboraret, pro eo subscripsit Nicolaus episcopus Acrassi. Στέφανος ἐπίσκοπος Λιμύρων, ὁρίσας ὑπέγραψα διὰ Νικολάου ἐπισκόπου τῆς Ἀκρασσέων πόλεως, διὰ τὸ ἀῤῥωστεῖν με. B Subinde subscriptus quoque legitur epistolæ synodi Myrensis Lyciæ ad Leonem Imp.

IV. THEODORUS.

Quintæ synodo generali adfuit & subscripsit *Theodorus, misericordia Dei, episcopus Limyrensium civitatis provinciæ Lyciæ*.

V. LEO.

Septimæ synodo generali, *Leo episcopus Limyrorum*, Λέων ἐπίσκοπος Λιμύρων, qui in subscriptionibus Latinis act. 7. *Leontius* dicitur. C

VI. NICEPHORUS.

Photianæ synodo sub Joanne Papa VIII. *Nicephorus Limyrorum*, Νικηφόρου Λιμύρων, Νικηφόρος Λιμύρων.

IV. ECCLESIA ARAXORUM.

POST Limyra quinta in Notitiis episcopatuum civitas est *Araxa*, quam Hierocles in sua non omisit, uti neque Ptolemæus. In actis synodorum, & *Araxa* Ἄραξα numero plurali neutro, & Ἄραξος, *Araxus* dicitur.

EPISCOPI ARAXORUM.

I. THEOTIMUS.

INter episcopos Pisidiæ & Lyciæ qui Constantinopolitano concilio primo interfuerunt, A *Theotimus Araxonensis*, sive *Araxon* numeratur. Legebat interpres Ἀράξων *Araxorum*.

II. LEONTIUS.

Synodo Chalcedonensi adfuit & subscripsit *Leontius episcopus Araxorum*, Λεόντιος ἐπίσκοπος Ἀράξων. Subscripsit quoque subinde epistolæ synodi Myrensis Lyciæ ad Leonem Imp. *Leontius episcopus Araxenus*.

III. THEODORUS.

In subscriptionibus canonum synodi in Trullo legitur Θεόδωρος ἐπίσκοπος πόλεως Ἀράξων, ἐπαρχίας Λυκίας, *Theodorus episcopus civitatis Araxorum provinciæ Lyciæ*.

IV. STEPHANUS.

In Septima synodo generali inter Lyciæ episcopos sedit & subscripsit *Stephanus episcopus civitatis Araxi*, Στέφανος ἀνάξιος ἐπίσκοπος πόλεως Ἀράξου.

V. ECCLESIA PODALIÆ.

PODALIA, Ποδάλεια vel Ποδαλία, prope Xanthi fluvii fontes in Lycia posita erat. Ejus Plinius, Stephanus, aliique meminere, ut & Notitiarum conscriptores.

EPISCOPI PODALIÆ.

I. CALLINICUS.

INter episcopos provinciæ Pisidiæ & Lyciæ, B qui Constantinopolitanæ synodo primæ interfuerunt, *Callinicus Podaliensis* legitur.

II. AQUILINUS.

Epistolæ synodi Myrensis ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini subscripsit, *Aquilinus episcopus Podalienus* vel *Podaliensis*.

III. JOANNES I.

Synodo Constantinopolitanæ sub Menna aderat *Joannes episcopus Podaliæ*, Ἰωάννης ἐπίσκοπος Ποδαλίας.

IV. JOANNES II.

Synodo Photianæ, *Joannes Podaliæ*, Ἰωάννου Ποδαλείας, Ἰωάννης Ποδαλείας.

VI. ECCLESIA SIDYMORUM.

SIDYMA urbs est Lyciæ, quam Plinius c. 27. in monte ad occasum Pataris statuit, haud procul à mari. Erat & in Lycia insula quæ Plinio *Didyma Antiochi* appellatur, hæcque à Sidymis omnino distinguenda est. In Notitia quidem Hieroclis Δίδυμα *Didyma* Lyciæ civitas legitur, sed Cellarius emendandum Σίδυμα docet: Sidymorum meminit quoque Ptolemæus.

EPISCOPI SIDYMORUM.

I. HYPATIUS.

EPistolæ synodi Myrensis ad Leonem Imp. C subscripsit *Hypatius episcopus Sidymensis*.

II. ZEMARCHUS.

In Sexta synodo sedit & subscripsit *Zemarchus episcopus Sidymorum provinciæ Lyciæ*, Ζήμαρχος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Σιδύμων. qui & Trullanis canonibus subscriptus legitur Ζήμαρχος ἐπίσκοπος πόλεως Σιδύμων ἐπαρχίας Λυκαονίας (legendum Λυκίας.)

III. NICODEMUS.

In Septima synodo inter præsules Lyciæ subscripsit *Nicodemus episcopus Sidymorum*, Νικόδημος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Σιδύμων. In Latina translatione ubique dicitur episcopus *Didymorum*.

VII. # ECCLESIA PINARORUM.

PINARA, Πίναρα, civitas Lyciæ est, in sinu post Cragum, promontorium Telmissium versus, Plinio cap. 27. Strabo vero lib. 14. *Infra Cragum montem*, inquit, *jacent Pinara, una de maximis urbibus*, τῶν μεγίστων πόλεων, *in mediterranea*, non tamen à mari procul distabat, ut Plinius innuit, in cujus vicinia insula esset Didyma: Quocirca idem Pinarorum & Didymorum aliquando episcopus fuit.

EPISCOPI PINARORUM.

I. EUSTATHIUS.

AD synodum Seleuciensem venit *Eustathius episcopus Pinarorum & Didymorum*, hæreticæ vero formulæ Fidei Acacii Cæsariensis & Georgii Alexandrini subscripsit, Εὐστάθιος ἐπίσκοπος Πινάρων καὶ Διδύμων.

A

II. HELIODORUS.

Epistolæ synodi Lyciæ ad Leonem Imp. pro *Heliodoro Pinarorum* subscripsit Nicolaus archidiaconus, ad hunc modum: *Nicolaus archidiaconus subscripsi in loco Heliodori episcopi Narensis similiter:* emendandum *episcopi Pinarensis*. Librariorum error est Latinorum, qui secundam *Pi*, syllabam omiserunt.

III. ZENAS.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus legitur Ζηνᾶς ἐλάχιστος ἐπίσκοπος πόλεως Πιναρίου ἐπαρχίας Λυκίας, *Zenas minimus episcopus civitatis Pinarii provinciæ Lyciæ.*

IV. THEODORUS.

In Septima synodo sedit & subscripsit *Theodorus episcopus Pinarorum*, Θεόδωρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Πινάρων.

V. ATHANASIUS.

In Photiana synodo, *Athanasius Pinarorum*, Ἀθανασίου Πινάρων, Ἀθανάσιος Πινάρων.

VIII. # ECCLESIA OLYMPI.

OLYMPUS è maximis Lyciæ civitatibus una est, Straboni ex Artemidoro; quod subinde repetit, ubi *ab Hiera promontorio Olbiam usque stadia esse sexcenta & sexaginta septem*, ait, *in quibus Crambusa & Olympus maxima civitas*, μεγίστη πόλις, *& mons ejusdem nominis, qui & Phœnicûs vocatur.* Quem montem S. Methodius Olympi episcopus in *Symposio virginum* ignevomum esse scribit, juxta quem Pyragnus nomine stirps nascitur, adeo florida, virens & opaca, ut è fonte potius nata videatur. Annon hic frutex crocus est, quem Plinius lib. 21. cap. 6. in Lyciæ monte Olympo laudatissimum pasci perhibet. Cæterum Plinii ætate Olympus civitas non stabat, sed ante fuerat, *Olympi oppidum ibi fuit*, ait lib. 5. c. 27. Prope quam *Hephæstium civitas* erat, *& ipsis sane fragrantibus jugis*. Jam enim, Solino teste, *Olympus nobile oppidum interciderat, tuncque castellum erat.* Hoc vero castellum ab Isaurico, teste Floro, eversum, in oppidum crevisse oportet, quando ex monumentis ecclesiasticis, & Notitia Hieroclis Olympus inter Lyciæ urbes censetur.

EPISCOPI OLYMPI.

I. METHODIUS.

B

HIERONYMUS in catalogo scriptorum ecclesiasticorum *S. Methodium*, cujus egregia multa volumina recitat, Olympi in Lycia episcopum fuisse testis est. Græci scriptores addunt, & *Patarorum*, ac Sophronius in primis Hieronymi interpres. Sed & illum esse Tyrum translatum narrat Hieronymus, *&
» postea Tyri episcopus*, inquit, qui in novissima
» persequutione sub Diocletiano Imp. in Chal-
» cide Græciæ martyrio functus est. Alii affirmant sub Decio & Valeriano; sed Porphyrius contra quem Methodius calamum strinxit, nonnisi ultimæ persequutionis tempore Christianam religionem adortus est. Patarorum vero simul & Olympi perinde episcopus dictus est, quoniam priscis illis temporibus civitates duas aut plures unus antistes administrabat, ac certe in Lycia, uti jam à me observatum est.

II. ARISTOCRITUS.

In Ephesina synodo sedit & subscripsit *Aristocritus episcopus Olympi*, Ἀριστόκριτος ἐπίσκοπος Ὀλύμπου. In indice Latino Patrum Calcedonensium inter episcopos Lyciæ Myrensi subditos legitur idem *Aristocritus Olymponensis:* qui tamen, ut aliorum bene multorum, in synodi gestis non occurrit.

III. Anatolius.

Anno 457. epistolæ synodi Myrensis ad A Leonem Imp. subscripsit, *Anatolius episcopus Olympiensis.*

IV. Joannes.

Relationi synodi Constantinopolitanæ ad Joannem patriarcham de Severo Antiocheno, ejusque hæresis sociis, quæ lecta est in synodo sub Menna, quin & alteri Relationi ad Hormisdam Papam de ordinatione Epiphanii Constantinopolitani, subscripsit *Joannes misericordia Dei episcopus Olympenæ civitatis provinciæ Lyciæ.*

IX. ECCLESIA PATARORUM.

Patara, Πάταρα, civitas, *gentis olim caput* fuit, Lyciorum scilicet, Livio l. 37. c. 15. teste, *Post Xanthum posita erit*, inquit Strabo, *& ipsa maxima, Patari opus, quæ portum habet & templa plurima*, Plinio quoque, *post Xanthum Patara sunt, quæ Patarus........ dein Sidyma*, occasum versus. Addit Strabo, eam à Ptolemæo Philadelpho auctam, & *Lyciacam Arsinoën* cognominatam, vetustum vero nomen retinuisse. Pomponius Mela nobilem eam fecisse delubrum Apollinis ait, olim opibus & oraculi fide Delphico simile. Auctores alios non refero, qui Patara civitatem commendarunt. Dixisse sufficiat, eam in Notitia Hieroclis, & alia Lyciæ censeri.

EPISCOPI PATARORUM.

I. Methodius.

Modò dicebam *S. Methodium* Olympi simul & Patarorum episcopum fuisse, Olym- B pi quidem, Hieronymo teste, Patarorum vero, cunctis qui ejus meminerunt scriptoribus Græcis. Frustra Bollandi continuatores ad diem Junii 20. duos Methodios fingunt, quorum unus Olympi, alter Patarorum antistes fuerit, propter utriusque urbis distantiam. Hæc vero tanta non erat, ut priscis illis temporibus idem esse nequiverit utriusque civitatis, mediæque regionis episcopus: eo certe magis quod Olympus Plinii, imo & Solini ætate, sola arce aut castello constabat, quod in oppidum Olympo longè ignobilius auctum erat.

II. Eudemus I.

Inter Nicænæ synodi Patres *De provincia Lyciæ*, censetur *Eudemus Patarensis.*

III. Eutychianus.

In Seleuciensi synodo episcopi quadraginta tres ab aliis se sejunxerunt, subscripseruntque formulæ Fidei quam Acacius Cæsariensis condiderat; quorum unus fuit Εὐτυχιανὸς ἐπίσκοπος Πατάρων τῆς Λυκίας, *Eutychianus episcopus Patarorum Lyciæ.*

IV. Eudemus II.

In indice Patrum synodi Constantinopolitanæ generalis prioris legitur *Eudemus Patarensis*: ille scilicet *Eudemus Patarensis*, quem Basilius epist. 403. S. Amphilochio Iconiensi scribens, Lyciæ præsulibus accensebat, qui rectam Fidem tenerent, καὶ τὸν ἐν Πατάροις Εὔδημον.

V. Cyrinus.

Synodo Chalcedonensi adfuit & subscripsit *Cyrinus episcopus Pataræ*, ut ferunt acta Latina in Nova collectione conciliorum clariss. Baluzii pag. 1219. Illeque subscriptus reperitur epistolæ synodi Myrensis ad Leonem Augustum de nece S. Proterii Alexandrini.

VI. Licinius.

Synodo Constantinopolitanæ sub Menna patriarcha an. 536. *Licinius episcopus sanctæ Patarensis ecclesiæ*, Λικίνιος ἐπίσκοπος τῆς κατὰ C Πάταρα ἁγίας ἐκκλησίας. Annon ipse est *venerabilis ille episcopus*, qui Silverio Papa anno 538. Justiniani Augusti jussu Putarum relegato, *ad Imperatorem venit, & judicium Dei testatus de tantæ sedis episcopi expulsione: multos esse dicens in hoc mundo reges, & non esse unum sicut ille Papa est super ecclesiam mundi totius, à sua sede expulsus!* Quod Liberatus narrat in Breviario cap. 22.

VII. Theodulus.

Synodo Photianæ adfuit quoque & subscripsit *Theodulus Patarorum*, Θεοδούλου Πατάρων, vel, ut subscriptiones habent, *Theodorus*, Θεόδωρος Πατάρων.



X. ECCLESIA

X. ECCLESIA TLO.

TLOS, Τλῶς, circa Cragum posita Lyciæ civitas est, inter maximas sex olim censita Artemidoro apud Strabonem; cujus etiam meminit Plinius, ut & Ptolemæus. In Notitia Hieroclis Τλῶ, *Tlo* dicitur, in aliis *episcopus Thlon*, vel *Thlorum*, ὁ Τλῶν.

EPISCOPI TLOENSES.

I. ANDREAS.

IN concilio Chalcedonensi sedit & subscripsit *Andreas episcopus civitatis Tlooorum*, A Ἀνδρέας ἐπίσκοπος τῆς Τλωαίων, sive Τλωέων πόλεως, qui perinde subscriptus legitur epistolæ synodicæ episcoporum Lyciæ ad Leonem Imp.

II. EUSTATHIUS.

In concilio Constantinopolitano sub Menna. *Eustathius episcopus ecclesiæ Tloënsium*, Εὐστάθιος ἐπίσκοπος τῆς Τλωήων ἐκκλησίας. Justinianus Imperat. *quum inter Eustathium virum reverendissimum Tholonæ* (emendo *Tlonæ*, Τλῶν) civitatis episcopum & Pistum diaconum ecclesiæ Telmissensis orta lis esset, lataque à rectore provinciæ sententiâ, ad majores judices laïcos appellatio porrecta, Novella sua 115. sanxit, ut provinciarum præfecti episcoporum judicia emendare non dubitarent.

III. JOANNES.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus legitur Ἰωάννης ἐπίσκοπος Τλάττης ἐπαρχίας Λυκίας. *Joannes episcopus Tlattæ provinciæ Lyciæ.* Non dubito quin emendare oporteat, Τλώης, *Tloës*.

IV. CONSTANTINUS.

Septimæ synodo adfuit & subscripsit *Constantinus episcopus civitatis Tlon*, Κωνσταντῖνος ἐπίσκοπος πόλεως Τλῶν.

V. ANDREAS.

Synodo Photianæ, *Andreas Tlo*, Ἀνδρέου Τλέου. Ἀνδρέας Τλῶ.

XI. ECCLESIA CORYDALLORUM.

CORYDALLA, Κορύδαλλα, vel Κορύδαλα, Lyciæ quoque civitas est Plinio, voce plurali neutrius generis, eaque Ptolemæo Χορύδαλλος, *Corydallus* dicitur. In Notitiis Græcis & conciliorum gestis Lyciæ perinde censetur.

EPISCOPI CORYDALLORUM.

I. ALEXANDER.

BASILIUS Magnus epist. 403. Amphilochio scribebat, adeundum esse Alexandrum Corydalorum episcopum & alios de provincia Lyciæ, qui rectam Fidem tenebant, ἐπιζητησάτω ἐν Κορυδάλοις Ἀλέξανδρον ἀπομονάζοντα, *inquirat Corydalis Alexandrum ex ordine monachorum.*

II. PALLADIUS.

In indice Maffæi Latino episcoporum qui synodo Chalcedonensi interfuerant inter Lyciæ præsules legitur *Palladius Corydalensis*, qui in Pithœano *Capitalensis* manifesto errore scribitur. Sedebat quoque anno 458. quo synodus Myrensis suam de nece Proterii Alexandrini & concilio Chalcedonensi B epistolam scripsit ad Leonem Imperat. ejus quippe locum in ea tenuit Carpophorus presbyter. *Carpophorus presbyter subscripsit in loco Palladii episcopi Corydallani.*

III. LEO.

Septimæ synodo generali adfuit & subscripsit *Leo episcopus Corydalorum*, Λέων ἐπίσκοπος Κορυδάλων.

IV. EUSTRATIUS.

Photianæ synodo sub Joanne Papa VIII. *Eustratius Orydalorum*, Εὐστρατίου Οειδάλων. Εὐστράτιος Οειδάλων, lego Κορυδάλων, *Corydalorum.*

XII. ECCLESIA CANDIBORUM.

CANDYBA, Κάνδυβα, Lyciæ veteris recentisque civitas est, in Notitiis & apud Plinium à quo inter celeberrima oppida ponitur. *Ex his celeberrima præter supradicta, Canas, Candiba, ubi laudatur Œnium nemus.* Non omisit proinde Ptolemæus, apud quem Milyadis censetur lib. 5. cap. 5.

ECCLESIA Candiborum.

EPISCOPI CANDIBORUM.

I. CONSTANTINUS.

IN Septima synodo sedit & subscripsit *Constantinus episcopus Candyborum*, Κωνσταντῖνος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Κανδύβων.

II. BASILIUS.

In Photiana *Basilius Candibi*, Βασιλείου Κανδίβου, Βασίλειος Κανδίβου.

XIII.

ECCLESIA CAUNI.

CAUNUS, Καῦνος, veteris Cariæ civitas, sive in Rhodiorum peræa, vel ditione transmarina, Herodoto, Straboni, Ptolemæo, aliisque notissima est, ad mare prope flumen Calbin posita, *oppidum liberum est* Plinio, quod tamen Mela *valetudine habitantium infame* dicit, ut nempe, Strabone teste, habitatores ejus viridem colorem contraherent, quod æstus & pomorum copiæ attribuit. Lyciæ censetur in Notitia Hieroclis, aliisque Græcis; in quarum unâ vetusta satis *Acalia* cognominatur, ὁ Καῦνου, ἤτοι Ακαλείας.

EPISCOPI CAUNI.

I. BASILIUS.

IN concilio Seleuciensi Acacii Cæsariensis & Georgii Alexandrini factionem sectatus est, & formulæ Fidei eorum subscriptus legitur Βασίλειος ἐπίσκοπος Καυνίων τῆς Λυδίας (emendo τῆς Λυκίας) *Basilius episcopus Caunorum Lyciæ*.

II. ANTIPATER.

In synodo Chalcedonensi sedit & subscripsit *Antipater Cauni in Lycia episcopus*, ut legitur in act. I. Ἀντιπάτρου Καύνου. Sic act. II. translatione Latina *Antipatro Cauni Lyciæ*, & in subscriptionibus Latinis, *Antipater episcopus Cauni*, quum in textu Græco dicatur episcopus Καρασσίων *Carasseorum*. Atqui in indice Massæi inter episcopos Pamphyliæ censetur, *Antipatrus Caumenus*, seu *Caunenus*.

III. NICOLAUS.

Epistolæ synodi Myrensis ad Leonem Imperat. subscripsit *Nicolaus episcopus Caunensis*.

IV. STEPHANUS.

Inter episcopos Lyciæ in Septima synodo sedit & subscripsit *Stephanus episcopus Cauni*, Στέφανος ἐπίσκοπος Καύνου. Vetus translatio habet, *episcopus Caunon*, sive *Caunorum*. Act. 7. male legitur Κάμνου pro Καύνου.

XIV.

ECCLESIA ACRASSI.

ACRASSUS, Ακρασσός, Lyciæ civitas est in Notitiis episcopatuum, ὁ Ακρασσοῦ, ipsa, nî fallor, quæ in Notitia Hieroclis, Ακαλισσός. Stephano scribitur Ακαρασσὸς *Acarassus*, ut & in actis synodorum.

EPISCOPI ACRASSI.

I. NICOLAUS.

IN synodo Chalcedonensi sedit & subscripsit *Nicolaus episcopus Acarassi*, Νικόλαος ἐπίσκοπος Ακαρασσοῦ, vices etiam gessit Stephani Limyrorum, & pro eo tunc rursum ægrotante subscripsit demùm epistolæ synodi Myrensis ad Leonem Imp.

II. CONSTANTINUS.

In Photiana synodo *Constantinus Acarassi*, Κωνσταντίνου Ακαρασσοῦ, Κωνσταντῖνος Ακαρασσοῦ.

XV.

ECCLESIA XANTHI.

XANTHUS, Ξάνθος, ad Xanthum fluvium, qui Lyciam in binas partes scindebat, posita, una Artemidoro erat è sex maximis Lyciæ civitatibus Strabone teste lib. 14. Plinius hanc in mediterranea collocat procul à mari. Lyciæ quoque censetur in Notitiis.

ECCLESIA XANTHI.

EPISCOPI XANTHI.

I. MACEDON.

IN indice episcoporum qui primæ synodo A generali Constantinopolitanæ interfuerunt, cum aliis de Lycia præsulibus legitur *Macedon Xanthensis.*

II. ATHANASIUS.

Epistolæ synodi Myrensis ad Leonem Imp. subscripsit *Athanasius Xanthensis episcopus.*

III. GEORGIUS.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus cum aliis de Lycia legitur, Γεώργιος ἐπίσκοπος Ξάνθου, *Georgius episcopus Xanthi.*

XVI. ECCLESIA MARCIANÆ.

MARCIANAM in Lycia habent Notitiæ episcopatuum Græcæ, ὁ Μαρκιανῆς, quæ mihi nusquam nisi in synodorum actis occurrit.

EPISCOPI MARCIANÆ.

I. JANUARIUS.

IN synodo Flaviani Constantinopolitani, B in qua Eutyches hæresis reus peractus est, sedebat *Januarius episcopus Macrianæ*, lego *Marcianæ.* Ejus vero nomen amanuenses Græci omiserunt.

II. AUGUSTINUS.

Synodico decreto Gennadii Constantinopolitanæ *de Simoniacis*, quod editum est in Jure Græco-Romano, subscriptus legitur Ἀὐγουστῖνος ἐπίσκοπος νέας Μαρκιανῆς, *Augustinus episcopus Novæ Marcianæ.*

III. MARCIANUS.

Relationi synodi Constantinopolitanæ ad Joannem patriarcham de Severo & aliis hæreticis proscribendis, subscripsit Μαρκιανὸς ἐπίσκοπος τῆς κατὰ Μαρκιανὴν πόλιν ἁγιωτάτης ἐκκλησίας, *Marcianus episcopus sanctissimæ ecclesiæ civitatis Marcianæ*, qui & alteri subinde Relationi ad Hormisdam Papam de Epiphanii Constantinopolitani ordinatione nomen quoque suum apposuit, *Marcianus minimus episcopus Martianæ civitatis provinciæ Lyciæ.*

XVII. ECCLESIA CHOMATIS.

CHOMA, Χῶμα, Lyciæ civitas in Cabalia regione haud procul à Xantho fluvio, ad Adesam amnem flumen alterum : *Choma præfluente Adesa*, inquit Plinius. Lyciæ quoque censetur in Notitiis.

EPISCOPI CHOMATIS.

I. PIONIUS.

INter episcopos Constantinopolitanæ syno- C di prioris *de provincia Lyciæ*, legitur *Pionius Comatensis*, seu potius *Chomatensis.*

II. EUDOXIUS.

Ephesinæ synodo primum interfuit & subscripsit *Eudoxius episcopus Chomatis provinciæ Lyciæ*, Εὐδόξιος ἐπίσκοπος Χώματος ἐπαρχίας Λυκίας, qui post annos viginti sedit iterum in concilio Chalcedonensi, quin & concilio Myrensi anno 458. cujus synodicæ ad Leonem Imp. perinde subscripsit, *Eudoxius episcopus Chomatenus.*

III. NICOLAUS.

Photianæ synodo sub Joanne Papa VIII. *Nicolaus Chomatis*, Νικολάου Χώματος.

XVIII. ECCLESIA PHELLI.

PHELLUS, Φέλλος, ad montem Masicytum posita Lyciæ civitas est Ptolemæo, in mediterranea, recedens à littore in quo est Antiphellus, ut tradit Plinius. In Notitia censetur quoque inter Lyciæ civitates.

ECCLESIA PHELLI.

EPISCOPI PHELLI.

I. Lucianus.

Basilius episcopos Lyciæ qui rectam Fidem A tenebant, Amphilochio epist. 403. indicans, *Lucianum Phelli* memorat, ἐν Φέλλῳ Λουκιανὸν ἐπίσκοπον.

II. Philippus.

Quintæ synodo generali adfuit & subscripsit, *Philippus misericordia Dei episcopus Phellitanorum civitatis.*

III. Constantinus.

Photianæ synodo sub Joanne Papa VIII. adfuit & subscripsit *Constantinus Phelli*, Κωνσταντίνου Φέλλου, Κωνσταντῖνος Φέλλου.



XIX.

ECCLESIA ANTIPHELLI.

E Regione Phelli *Antiphellus*, Αντίφελλος, exsistebat, sed mari propinqua magis, de qua Plinius: *Antiphellos, quæ quondam Habessus, atque in recessu Phellus.* Post Xanthum fluvium Patara Ptolemæo, mox Antiphellus, quam Notitiæ omnes habent.

EPISCOPI ANTIPHELLI.

I. Theodorus.

Concilio Chalcedonensi interfuit *Theodorus Antiphelli episcopus*, Θεοδώρου Αντιφέλλου, ut diserte fertur act. 1. & 2. & in indice Maffæi, etsi nomen ejus è subscriptionibus excidit. B Epistolæ subinde concilii Myrensis ad Leonem Augustum subscripsit *Eustathius presbyter pro Theodoro Antiphellensi, & manibus dolente.*



XX.

ECCLESIA PHASELIDIS.

PHASELIS, Φασηλὶς, urbs postrema Lyciæ Pamphyliam versus, in utriusque regionis confinio, quam Plinius post Melam Pamphyliæ attribuit. *Ultima ejus oræ Phaselis*, inquit, *junctum ei mare Lyium est, gensque Lyciæ; unde vastus sinus.* Strabo vero: *Post Corycum littus Phaselis, quæ tres portus habet, civitas insignis & lacus. Imminet ei mons nomine Solyma ad mare circa Phaselidem angustiæ sunt, per quas Alexander exercitum duxit.* Cæterum Phaselidem prominere in altum Livius lib. 37. cap. 23. scripsit, conspicique primam terrarum, Rhodum è Cilicia petentibus, quod argumento est Phaselidem in declivi montis parte positam fuisse. Exstat in Notitiis Græcis veteribus, ipsa quæ Φασύδης, *Phasides* apud Hieroclem, errore librarii sumto Σ, pro K, & Λ, pro Δ.

EPISCOPI PHASELIDIS.

I. Fronto.

IN Chalcedonensi synodo sedit & subscripsit *Fronto episcopus civitatis Phaselitarum.*

II. Aristodemus.

Epistolæ synodi Myrensis ad Leonem Imp. subscripsit *Aristodemus episcopus Phaselitanus.*

C

III. * * *

In Septima synodo sedit & subscripsit, Ιωάννης ἀνάξιος διάκονος & τοποτηρητὴς Φασηλίδος, *Joannes indignus diaconus, & locum tenens episcopi Phaselidis.* Sic translatio Latina.



XXI.

ECCLESIA AUCANDORUM.

IN Notitiis episcopatuum Lyciæ civitas una *Aucanda* dicitur, ὁ Αὐκάνδων, quæ eadem mihi esse videtur quæ *Plinio Ascandalis*, quando episcopus Ascandenus occurrit mihi mox referendus.

EPISCOPI AUCANDORUM.

I. Panætius.

EPistolæ synodi Myrensis ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini subscriptus legitur *Pannitius episcopus Ascandenus*; legendum *Panætius.*



XXII.
ECCLESIA EUDOCIADIS.

EUDOCIADEM in Lycia habent Notitiæ omnes antiquæ, tam Hieroclis, quam aliæ episcopatuum; quod nomen oppido alicui quod jam exstaret, inditum oportet propter Eudociam Theodosii junioris uxorem. In Notitia Hieroclis Thermessus & Eudoxias in Pamphylia quoque sunt, ut & Zobia, quas à Telmesso & Eudociade Lyciæ esse diversas ostendi. Ac quod Eudociadem spectat, proprium aliquando episcopum suum quoque habuit.

EPISCOPI EUDOCIADIS.

I. TIMOTHEUS.

EPhesino concilio adfuisse *Timotheum episcopum Telmessi & Eudociadis Lyciæ,* dixi in *ecclesia Telmessi.*

A

II. ZENODOTUS.

Ostendi perinde *Zenodotum Telmessi & Eudociadis provinciæ Lyciæ* interfuisse synodo Chalcedonensi.

III. PHOTINUS.

Relationi synodi Constantinopolitanæ ad Joannem patriarcham de Severo Antiocheno & aliis ejus hæresis sociis damnandis, subscripsit Φώτιος ἐπίσκοπος Εὐδοξιατῶν πόλεως τῆς Λυκίων, *Photius episcopus civitatis Eudociatarum Lyciæ.* Latina translatio habet *Photinus.*

XXIII.
ECCLESIA NISSÆ.

NISSA, *Nisa* vel *Nessa,* Νίσα, Νήσσα circa Xanthum fluvium, haud procul ab ejus fontibus, versus Austrum posita erat, Ptolemæo teste. Hanc habent in Lycia Notitiæ; sed in ea quæ est Hieroclis, perperam scriptum est Μίση. Stephanus *Nysam* vel *Nyssam* scribit, Cariæque censet, Pythopolim quoque dictam Πυθόπολις Καρίας, πόλις ἡ μετὰ ταῦτα κληθεῖσα Νύσα. Cariæ civitatem esse ait, veteris scilicet, non posterioris dispositionis. Hanc quoque Stephanus undecimam esse urbem tradit, quæ Antiochiæ nomine donata sit.

EPISCOPI NISSÆ.

I. GEORGIUS.

IN Septima synodo inter episcopos Lyciæ sedit & subscripsit *Georgius episcopus Nesæ* vel *Nessæ,* Γεώργιος ἐπίσκοπος Νήσας, Νήσσας.

XXIV.
ECCLESIA BALBURORUM.

BALBURA, Βάλβουρα, nomine plurali neutro Straboni, ubi Cibyræ tres urbes vicinas convenire ait, Bubonem, Balbura, & Œnanda, Βουβῶνος, Βαλβούρων καὶ Οἰνάνδων, quæ in Cabaliæ regione sitæ erant, ut à Plinio & Ptolemæo proditum est. Balbura habent Notitiæ omnes.

EPISCOPI BALBURORUM.

I. HERMÆUS.

INter Constantinopolitanæ synodi prioris Patres *De provincia Lyciæ* censetur *Hermæus Baburensis:* lege *Balburensis.*

B

II. PHILIPPUS.

Synodo Chalcedonensi adfuit & subscripsit *Philippus episcopus civitatis Balburæorum,* vel *Balburensium,* Φίλιππος ἐπίσκοπος πόλεως Βαλβουραίων, vel Βαλβουρέων.

III. NICOLAUS.

Epistolæ synodi provinciæ Lyciæ ad Leonem Imp. de nece Proterii Alexandrini subscripsit, *Nicolaus episcopus Balburenus.*

XXV.

ECCLESIA ŒNOANDORUM.

ŒNOANDA, Οἰνόανδα, voce plurali neutra, Lyciæ civitas eſt in Notitiis, quam Plinius Cabaliæ regioni attribuit. *Comprehendit in mediterraneis*, inquit, *Cabaliam cujus tres urbes Œnoenda, Balbura, Bubon, à Telmeſſò Aſiaticum mare, ſeu Carpathium, & quæ proprie vocatur Aſia.* Has quoque tres civitates Rhodiorum finitimas eſſe ait Strabo, Cibyræique conventus, à Murena vero, Balburam & Bubonem Lyciis adjectas; ut ex conſequenti ejus tempore *Œnoandrus*, Οἰνόανδρος (ſic enim ſcribit) vel forſan Οἰνόανδος *Œnoandus*, Lyciæ non cenſeretur.

EPISCOPI ŒNOANDORUM.

I. PATRICIUS.

INter epiſcopos Conſtantinopolitanæ ſynodi generalis primæ, *de provincia Lyciæ*, legitur *Patricius Œnoandenſis*.

Lucas Holſtenius in Annotationibus ad Geographiam ſacram Caroli à S. Paulo, p. 140. ubi de *Œnoandis*, hæc ait: » *Modeſtus Œneanenſis*, (ut habet MS. antiquiſſimus) adſuit concilio Epheſino, qui in vulgatis *Athenienſis*, act. 1. concilii Chalcedonenſis. Verum *Modeſtus*, iſte nec Athenienſis, nec Œneandenſis epiſcopus fuit, ſed Aneorum Aſiæ; unde nomen ejus paſſim inter hujus provinciæ præſules qui ſynodo illi aderant, occurrit.

II. CYRINUS.

Epiſtolæ ſynodi epiſcoporum provinciæ Lyciæ ad Leonem Imperat. de nece Proterii Alexandrini ſubſcripſit *Cyrinus epiſcopus Œneandenus*.

III. PALMATIUS.

Relationi ſynodi Conſtantinopolitanæ ad Hormiſdam Papam de ordinatione Epiphanii patriarchæ, ſubſcripſit *Palmatius minimus epiſcopus Œnandæ civitatis provinciæ Lyciæ.* Non alius profectò præter Palmatium, *Œnandorum* epiſcopus fuit ille, cujus ingenuam libertatem Cedrenus ad annum XXX. » Anaſtaſii Imp. laudat. Narrat Imperatorem, quum audiſſet Œnandorum epiſcopum, ἐπίσκοπόν τινα, τῶν Οἰνάνδων λεγομένων, diſertum admodum, illis os ſæpe obturaſſe, qui *Deum paſſum* jactabant, ad ſe vocatum adhortatum eſſe, ut ad ſuam hæreſim tranſiret. Contra epiſcopus, Tu, inquit, ad orthodoxos tranſi, ne Eutychis & Dioſcori adſectator factus, æterno igni addicaris. Tum apprehenſa Principis chlamyde, Hæc te veſtis, ait, poſt mortem non ſequetur, ô Imperator, ſed ſola pietas, quaſque tibi virtutes comparaveris. Abſtine te ab eccleſia, quam Chriſtus ſuo ſanguine redemit. Doctus non es, nec diſſerendi artis gnarus, neque comperta tibi ſunt Eccleſiæ dogmata, ſed impoſturis ſcurrilibuſque ſermonibus fatuos terres. Sat tibi dignitatis ſit, quod Imperator ſis: Eccleſiæ præſules vexare noli. Ad hæc Imperator pudore ſuffuſus tacuit. Is vero ſapiens epiſcopus pauperrimus quum eſſet, ne obolum quidem à Principe voluit accipere; adeo liber erat, ſolius erga Deum pietatis rationem habens. Hæc Cedrenus. «

IV. PAULUS.

Synodo Conſtantinopolitanæ quæ Menna patriarcha præſide Anthimi ejus deceſſoris cauſa habita eſt, adfuit & ſubſcripſit *Paulus epiſcopus civitatis Œnandeorum*, Παῦλος ἐπίσκοπος τῆς Οἰνανδέων πόλεως.

V. GEORGIUS I.

Sextæ item ſynodo generali, *Georgius epiſcopus civitatis Œneandi*, Γεώργιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος πόλεως Οἰνεάνδου. Duobus in locis additur in tranſlatione Latina, *Cariæ provinciæ*, pro *Lyciæ*: nam Quiniſextæ ſynodi canonibus ad hunc modum ſubſcriptus legitur, Γρηγόριος ἐπίσκοπος Υνιάνδου ἐπαρχίας Λυκίας. Græci librarii ſæpe *Gregorium*, pro *Georgio* ſcribunt, ac vice verſa, υ. pro οἰ. *Gregorius*, ſive *Georgius*, *epiſcopus Œniandi provinciæ Lyciæ.*

VI. GEORGIUS II.

Septimæ ſynodo *Georgius epiſcopus Œniandi*, Γεώργιος ἐπίσκοπος Οἰνιάνδου. Sic act. 4. alibi, Οἰνιάνδου, & Υνιάνδου.

VII. NICOLAUS.

Synodo Photii ſub Joanne Papa VIII. *Nicolaus Œniandi*, Νικολάου Οἰνιάνδου, Νικόλαος Οἰνιάνδου.



XXVI. ECCLESIA BUBONIS.

BUBONEM, Βούβωνα, civitatem modo dicebam ex Strabone à Murena Lyciæ adjectam: Cabaliæ vero regionis erat Ptolemæo, ejusque mentio est in Notitiis. Quamquam, uti Plinius *Bubon*, seu *Bubum*, ita Notitiæ duæ *Bubum*, vel *Bobum* habent, ὁ Βώβου (vel Βούβου) ἤτοι Σοφιανουπόλεως, *Bobi, sive Sophianopolis*, in vetusta altera solum nomen *Sophianopolis* exstat.

EPISCOPI BUBONIS.

I. ROMANUS I.

IN indice episcoporum qui Constantinopolitano concilio priori interfuerunt, de provincia Lyciæ *Romanus Bubonensis* legitur.

II. ROMANUS II.

Chalcedonensi synodo adfuit & subscripsit *Romanus episcopus civitatis Bubonensium*; Ρωμανὸς ἐπίσκοπος τῆς Βουβωνέων πόλεως. Qui anno subinde 458. epistolæ synodi Myrensis ad Leonem Imp. subscriptus quoque legitur per Gelasium presbyterum: *Gelasius presbyter subscripsi in loco Romani episcopi Bunensis civitatis*, lege *Bubonensis*.



XXVII. ECCLESIA CALINDENSIS.

CALINDÆ, Κάλυνδα, Cariæ civitas est Stephano Byzantino, Lyciæ vero Ptolemæo, proxima Cauno, ipsa profectò quam Strabo *Calymnam* vocat. Abest in Notitiis.

EPISCOPI CALINDORUM.

I. LEONTIUS.

EPistolæ synodi Myrensis ad Leonem Imperatorem de nece S. Proterii Alexandrini subscripsit Timasius presbyter in loco *Leontii episcopi Calindensis*.




XXVIII. ECCLESIA RHODIOPOLIS.

QUum Rhodii olim in continente trans mare sedes fixerint, eorum certe colonia fuit civitas, quam Ptolemæus *Rhodiam* appellat, ut & subinde Stephanus, quæque Lyciæ attributa est. In montanis à Plinio collocatur: *nunc sunt montana*, inquit, *Gagæ, Corydalla, Rhodiopolis*. Lyciæ quoque censetur in Notitiis episcopatuum.

EPISCOPI RHODIOPOLIS.

I. NICOLAUS.

RElationi synodi Constantinopolitanæ ad Joannem patriarcham de Severo ejusque sociis hæreticis damnandis subscripsit Νικόλαος ἐπίσκοπος τῆς Ροδιουπολιτῶν ἁγίας τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας, τῆς Λυκίων ἐπαρχίας, *Nicolaus episcopus sanctæ Dei ecclesiæ Rhodiopolitarum provinciæ Lyciæ*.



XXIX. ECCLESIA COMBORUM.

COMBI oppidum Lyciæ Hierocli, Κόμβοι, aliisque notitiarum scriptoribus, Ptolemæo, Κώμβα; quæ ad occasum Lyciæ sita erat, Cariam versus.

EPISCOPI COMBORUM.

I. JOANNES.

QUinisextæ synodi canonibus cum Lyciæ episcopis subcriptus legitur *Joannes episcopus Combi*, Ιωάννης ἐπίσκοπος Σόμβου, legendum Κόμβου.

II. CONSTANTINUS I.

In Septima synodo generali sedit & subscripsit cum aliis de Lycia episcopis, Κωνσταντῖνος vel Κώνστας ἐπίσκοπος Κόμβων. *Constantinus episcopus Comborum*.

III. CONSTANTINUS II.

In Photii synodo sub Joanne Papa VIII. *Constantinus Combæ*, Κωνσταντίνου Κόμβας, Κωνσταντῖνος Κόμβας.



XXX.
ECCLESIA ZENOPOLIS.

IN Notitia una veteri *Zenopolis*, Ζηνούπολις, Lyciæ civitas est quæ in altera Ζήνωνος πόλις *Zenonospolis* dicitur, ceu à Zenone Imp. forsan nomen habuerit. In subscriptionibus Quintæ synodi generalis Pamphyliæ tribuitur, in Septimæ vero, Lyciæ, ut ob utriusque provinciæ vicinitatem, modo hujus, modo alterius provinciæ censita sit.

EPISCOPI ZENOPOLIS.

I. GENNADIUS.

SYnodo Quintæ generali interfuit & subscripsit *Gennadius, misericordia Dei, episcopus Zenopolis provinciæ Pamphiliæ.*

A

II. STAURACIUS.

Septimæ synodo generali inter episcopos Lyciæ sedit & subscripsit *Stauracius episcopus Zenopolis*, Σταυράκιος ἐπίσκοπος Ζηνοπόλεως.

XXXI.
ECCLESIA ORYCANDÆ.

LYciæ fluvius erat, teste Plinio, *Arycandus*, in amnem Limyris propinquum influens, juxta quem *Arycanda*, Αρύκανδα, vel *Orycanda*, vicinum Milyadis Pamphyliæ oppidum exstabat. Ejus meminit Hierocles, habeturque in veteri Notitia altera, in qua ab Aucandis secernitur.

EPISCOPI ORYCANDÆ.

I. * * *

IN Septima synodo sedit & subscripsit *Petrus diaconus & vicarius sedis Orycandi.* Πέτρος διάκονος καὶ ἐποτηρητὴς τοῦ θρόνου Ορυκάνδου.

B

II. THEODORUS.

In synodo Photii quæ ob ejus restitutionem habita est, sedit *Theodorus Orycandi*, vel *Orycandorum*, Θεοδώρου Ρυκάνδων, Θεόδωρος Ορυκάνδων.

XXXII.
ECCLESIA MELOES.

NOtitiæ *Meloën* habent in Lycia ὁ Μελόης, cujus nulla apud auctores alios mihi occurrit mentio, nisi in actis conciliorum, in quibus *Mela* vel *Mele*, uti reor, dicitur.

EPISCOPI MELOES.

I. NICETAS.

IN Septima synodo sedit & subscripsit *Nicetas episcopus Meles*, Νικήτας ἐπίσκοπος Μέλης.

II. PAULUS.

In Octava synodo, ut Latine ejus gesta ferunt, subscriptus legitur *Paulus episcopus Melæ*, sive *Meles*. In alia synodo, in qua S. Ignatio defuncto, de Photii restitutione tractatum est sub Joanne Papa VIII. eidem perinde adfuisse subscripsisseque legitur *Paulus Meles* Παύλου Μέλης, Παῦλος Μέλης.


C

III. PETRUS.

Eidem quoque Photianæ synodo perinde aderat *Petrus Meloës*, sub Photio utique, uti prior sub Ignatio, ordinatus, Πέτρου Μελόης.



IX. PROVINCIA



IX. PROVINCIA PAMPHYLIÆ PRIMÆ.

I. ECCLESIA SIDES, METROPOLIS.

QUUM una olim Pamphylia esset, quæ in provinciarum dispositione facta à Constantino Magno Consularis administrationi tradita est, in duas postmodum divisa fuit. Quis divisionis hujus auctor exstiterit, mihi prorsus obscurum est. At certe sæculo quinto medio facta erit, quoniam Pamphyliæ unius Sida, vel Side; metropolis erat, Perge alterius, quo tempore Chalcedonense concilium celebratum est. Quin etiam in hujus concilii actis metropolita Sides Amphilochius Epiphanio Perges ubique præit, etsi Perge Pamphyliæ totius sola pridem metropolis fuerat. In Notitiis quoque ecclesiarum Pamphylia cujus caput Side erat, alteram præcedit. Cæterum, si ratio præsidentiæ episcoporum habetur, sæculo quarto labente Iconii metropolitæ subjecta fuisse Side videri possit, quando Amphilochius Iconii synodum in ea coëgit viginti-quinque episcoporum propter Massalianorum errores, quam Photius refert in Bibliotheca cod. 52. Theodoretus lib. 4. histor. eccles. cap. 11. synodum hanc totius Lycaoniæ episcoporum fuisse, hoc est Pisidiæ quoque, ut ex Basilii epistolis suo loco dicetur. Plinio lib. 5. cap. 27. Side & Perge Pamphyliæ unius veteris civitates sunt. *Pamphylia*, inquit, *ante Mopsopia appellata fuit, quam omnes olim Ciliciæ junxere, neglecta gente Isaurica. Ejus oppida Side, & in monte Aspendus, Platanistus Perga, &c.* Side, Scyllace & Strabone testibus, *Cymadorum colonia fuit, Palladis templum habens, proxima est minorum Cibyrensium ora.* In Pamphylia prædicata vera religio est ab Apostolis Paulo & Barnaba, qui Pergen & Attaliam Pamphyliæ, venisse scribuntur Act. 14. v. 24. Quod vero Sidem spectat, nulla ejus in sacris literis fit mentio: cæterum non omittam, Philippum Sidetem contexta Magistrorum Christianorum Alexandrinorum serie, hoc ad calcem addere, Rhodonem, qui Didymo successerat, Alexandria Siden scholam illam transtulisse. Atqui Side civitas jampridem exstincta est, Saracenorum aliorumque Mohammedanorum grassatione. Quocirca Allatius, lib. 3. De consens. col. 1387. perhibet, Thebarum Achaïcarum seu Bœoticarum, veterumve, metropolitam locum hodie tenere Sidensis. Enimvero in Notitia nova Andronici Palæologi I. Imper. qui, ut in inscriptione fertur, *metropoles Constantinopolis*; (sive Constantinopolitanæ diœcesis) *alias è minoribus extulit, alias vicissim ad minores thronos deduxit*, pro ratione posterioris status Imperii Byzantini, Monembasiæ metropolita in Sidensis locum transiisse legitur. In recentiori illustrissimi patriarchæ Hierosolymorum Chrysanthi, idem metropolita Pisidiæ Exarchus est, qui Sides, Myreorum, & Attaliæ, quarum proinde nullus metropolita superest, nimirum propter exiguum Christianorum numerum, qui illis in locis agunt. Atque is jam erat rerum status quo tempore Martinus Crusius libros de Turco-Græcia scribebat, ut perspicuum fit ex iis quæ superiùs ex illo in Myrorum ecclesia protuli.

EPISCOPI SIDES.

I. NESTOR *Martyr.*

IN Regio cod. 2010. qui sæculi decimi ætatem præfert, multaque continet acta Sanctorum, quorum memoriæ mense Februario apud Græcos recoluntur, ad diem mensis ejusdem vigesimam septimam habetur, Ἄθλησις τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Νέστορος ἐπισκόπου Πέργης τῆς Παμφυλίας, *Certamen sancti sacratique martyris Nestoris episcopi Perges Pamphyliæ.*

A Verum non Perges, sed Sidæ Pamphyliæ episcopus dicitur in textu narrationis, cujus hæc summa est: Ἐν ταῖς ἡμέραις Δεκίου τοῦ βασιλέως ἦν διωγμὸς τῶν Χριστιανῶν κατὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, καὶ πάντες ἠναγκάζοντο θύειν τοῖς εἰδώλοις. ἐν ταύταις οὖν ταῖς, ἡμέραις τοῦ μιαρωτάτου Δεκίου ἐν τῇ Ἀσίᾳ διάγοντος, καὶ πρὸς τῇ Ἐφεσίων πόλει τὸν ἰὸν τῆς βλασφημίας ἐκχέοντος, ἔπεμψεν Ἐπόλιόν τινα, οὕτω καλούμενον καὶ ὁμότροπον αὐτῷ, κατάρχειν τῆς ἡγεμονίας τῆς τε Λυκίας καὶ τῆς

ECCLESIA SIDES.

Παμφυλίας καὶ τῆς Φρυγίας ἁπάσης. ὅστις Ἐπόλιος ἅμα τῷ παραγενέσθαι αὐτὸν ἐν Παμφυλίᾳ, ἔρευναν ἐποιεῖτο τῆς καθ' ἡμᾶς ὀρθῆς πίστεως. καὶ δὴ τηνικαῦτα ἐπεσκόπευεν ἐν τῇ Σίδῃ Νέστωρ. οὗτος ὁ μακαριώτατος, ἀνὴρ θεοσεβὴς, καὶ τῷ βίῳ ἐπιεικὴς τὸν τρόπον, καὶ διδασκαλικῶς παραινῶν ἅπαντας ἀπαλλαγῆναι τῆς μυσαρᾶς ἀπάτης τῶν εἰδώλων, καὶ δουλεύειν τῷ ἀληθινῷ καὶ μόνῳ ζῶντι θεῷ. τῆς περὶ αὐτοῦ φήμης πανταχοῦ διατρεχούσης, διαβάλλεται τῷ ἡγεμόνι Ἐπολίῳ ἐν τῇ Σίδῃ διατριβὰς ποιουμένῳ· ὃς παραυτίκα τοῦ διαβληθῆναι τὸν μακάριον Νέστορα, ἀποστέλλει εἰρήναρχόν τινα ταξεώτην μετὰ πλήθους στρατιωτῶν, δέσμιον ἀχθῆναι πρὸς αὐτὸν τὸν μακάριον ἐκέλευσεν ... *Temporibus Decii Imp. in universo orbe Christianorum insectatio erat, omnesque idolis immolare cogebantur. Tunc igitur quum scelestissimus Decius in Asia ageret, & Ephesi blasphemiæ virus effunderet, Epolium quemdam moribus sui similem Lyciæ, Pamphyliæ & Phrygiæ totius præfectum instituit, qui, quum in Pamphyliam venisset rectam Fidem nostram indagare cœpit. Tunc autem Sides episcopatum gerebat Nestor iste beatissimus, vir religiosus, qui vitam modesto modo ducebat, doctrinæque dans operam, cunctos à detestanda idolorum seductione procul abesse suadebat, veroque & soli Deo vivo obsequi. Quocirca ejus fama ubique pervolante, Epolio præfecto defertur Sidæ tunc commoranti, qui continuo atque beatus Nestor delatus fuit, Irenarchum quemdam ordinatorem cum militum turba misit, jubens ut ipsum ad se vinctum adducerent.* Episcopus ergo Sides S. Nestor fuit, non Perges: Sed ex iisdem actis Græcis Latina codicis S. Maximini Trevirensis corrigenda veniunt, ubi scribitur, Nestorem fuisse episcopum Mandis, quod viri doctissimi Bollandianæ collectionis continuatores de *Magidis* civitate Pamphyliæ secundæ perperam accipiendum monuerunt. In illis actis Sanmaximinianis pro Epolio præfecto, *Pollio* legitur, & pro Irenarcho, Ethnarchus. Cæterum ex utrisque Græcis & Latinis actis Nestor, quum Christum sub Pontio Pilato passum, crucique affixum constanter prædicaret, ipse quoque Pergen deductus, suffixus cruci, martyrium felicissime obiit.

II. Epidaurus.

Inter episcopos qui decretis Ancyranæ synodi subscripsere, post *Sergianum Antiochiæ Pisidiæ, sive Cariæ* (sic) legitur, *Epidaurus Pisidensis Pamphyliæ*; emendandum vero, *Sidensis Pamphyliæ*, non *Pergensis*, ut Labbeus, qui in margine nihilo melius apposuit, *Alias Pergamenus*.

III. Joannes I.

Socrates lib. 7. hist. eccl. cap. 27. scribit Philippum Sidensem diaconum; deinde presbyterum, *Joannis episcopi* consuetudine excitatum fuisse, ut literis operam navaret, τὰ πολλὰ τῷ ἐπισκόπῳ Ἰωάννῃ συνὼν, ἐφιλονείκει καὶ περὶ λόγους.

IV. Eustathius.

Codice Bodleiano 76. habetur *Epistola concilii Constantinopolitani, œcumenici secundi ad Eustathium metropolitanum Pamphyliæ.* Quæ, nisi fallit titulus, in lucem nondum prodiit. Atqui Eustathius ille Sides omnino episcopus fuit. Sin saltem Perges.

V. Amphilochius.

Quinto Ecclesiæ sæculo celebris *Amphilochius Sidensis* fuit, ad quem Sisinnius CP. cum sua synodo, ut ad Benerianum, alias Valerianum, Perges, & alios utriusque Pamphyliæ præsules anno 426. literas scripsit adversus Massalianos, quarum inscriptionem Photius in Bibliotheca cod. 52. recitat. Sed harum mentio quoque est in Ephesina synodo col. 809. Adfuit porro Amphilochius Sides concilio illi generali Ephesino primo, in quo sententiam dixit contra Nestorium, Fidemque catholicam confirmavit. Anno 449. in spuria synodo Ephesina altera cuncta pro impii Dioscori votis confecit; quod tamen male gestum emendare visus est post biennium in concilio Chalcedonensi, suffragio suo Dioscori destitutioni damnationique consentiens; sed & actione præsertim 6. decretis à synodo sancitis subscripsit. Etsi enim nomen ejus in subscriptionibus Græcis abest, ut & aliorum complurium; attamen legitur in earum Latinis exemplaribus, *Amphilochius episcopus Sidæ definiens subscripsi.* Anno 457. ad ipsum Leo Augustus sacras literas misit, ut ad metropolitas alios, sententiam ipsorum quærens de nece S. Proterii Alexandrini, necnon de Chalcedonensis concilii auctoritate, *Amphilochio reverentissimo episcopo Sidæ.* Evagrius lib. 2. hist. eccl. Cap. 3. ipsum solum ex omnibus Imperatori sic rescripsisse ait, ut, quum Proterii interfecti facinus improbaret, Chalcedonensem tamen synodum non admitteret, Eulogius vero Alexandrinus apud Photium cod. 229. testatur eum subinde concilii definitionem iterum amplexum esse.

VI. Conon.

In synodo Constantinopolitana, quæ anno 536. Menna patriarcha præside habita est, sedebat, subscripsitque *Conon episcopus Sidæ*, Κόνων ἐπίσκοπος Σίδης.

VII. PETRUS.

In Quinta ſynodo generali, *Petrus, miſericordia Dei Sidennorum metropolita.*

VIII. JOANNES II.

In Sexta ſynodo generali, *Joannes epiſcopus metropolis Sidæ provinciæ Pamphyliæ.* Ἰωάννης ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Σιδητῶν μητροπόλεως τῆς Παμφύλων ἐπαρχίας. Qui Trullanæ quoque ſynodi canonibus ſubſcriptus reperitur.

IX. * * *

Quo tempore Leo Iſaurus Imp. ejuſque filius Copronymus imagines ſacras peſſumdabant, quum hæreſis hujus doctores catholicis S. Epiphanii Cypriorum archiepiſcopi auctoritatem objicerent, præter epiſtolam ejus ad Joannem Hieroſolymitanum, lucubrationem aliam ejuſdem nomine inſcriptam protulerunt, qua affirmabatur humanam Dei Verbi figuram coloribus pingi non debere. Librum hunc S. Epiphanii non eſſe opus *Metropolita Sides* comprobavit. Quum enim Nacoliam in Phrygiæ oppidum in quo fuerat educatus veniſſet, eccleſiam Deum orandi cauſa ingreſſus, volumen illic relictum reperit; quo aperto, animadvertit in ejus inſcriptione nomen fuiſſe corruptum, eraſa literula, ut pro Ἐπιφανίδου, legeretur Ἐπιφανίου, genuinique nominis indicia agnovit, quæ poſt ſecundam, tertiamque lectionem, epiſcopo loci legenda oſtendit. Hæc Nicephorus Conſtantinopolitanus fusè ſatis narrat, in illo ſuo volumine, quo Epiphanidem illum, contra Iconomachos diſputans, confutavit. Quam quidem narrationem ſic orditur: Ἀνήρ τις τῶν καθ' ἡμᾶς ἱερέων οὐκ ἄσημος, οὐδὲ ἀσήμου πόλεως ἀρχιερεὺς ὤν, μέχρι τοῦδε παραλείπεται τῷ βίῳ εἰς γῆράς τε βαθὺ εὖ ἥκων, καὶ πολιαῖ αἰδέσιμος· οἶμαι θείας οἰκονομίας ἔργον, τὴν ἀσεβῶν στηλιτευούσης τὴν κακοήθειαν· τὸν Σίδης δὲ τῆς μητροπόλεως ἰθύνειν ἔλαχε θρόνον ἤδη τοῦ κάπνου προανισχόντος, καὶ τῆσδε τῆς καθ' ἡμᾶς ἐπιλαβούσης τυραννίδος προανακρουομένου τὸ πῦρ. ἐπειδὴ πολλάκις ἡμῖν κατὰ συνόδους συνήδρευεν, ἐξαναστὰς ποτὲ τῆς καθέδρας, εἶτα ἐν μέσῳ τῷ ἱερῷ συνεδρίῳ καὶ ἔλεξε τάδε· ὡς δὴ κατὰ τὴν Νακώλειαν τὸ Φρυγίας πολίχνιον, ἔνθα πάλαι ἡ πικρὰ τῆς ἀποστασίας παραφυεῖσα ἄκανθα. κ. τ. ε. *Vir quidam è noſtris ſacerdotibus, non obſcurus prorſus, neque obſcuræ civitatis pontifex, qui ad hunc uſque diem in vivis eſt ſuperſtes, & ad extremam uſque ſenectutem feliciter pervenit, canis proinde venerabilis (quod quidem divinæ diſpenſationis opus eſſe puto, quæ hoc pacto impiorum pravos ſenſus palam traducit) Sides autem metropolis thronum tenuit, quando jam fumus qui prius emerſerat, ignem tyrannidis qua vexamur, excitabat. Nam ſæpe nobiſcum ille in ſynodis conſedit, in quibus de ſede ſurgens, in medio conventu ſtetit, hæcque proloquutus eſt: Dum Nacoliæ, in Phrygiæ oppido agerem, in quo jampridem amara apoſtaſiæ ſpina nata eſt, quæ in magnam malitiæ nequitiæque propaginem crevit, &c.* Atqui temporum ratio ſuadet, hunc Sidæ metropolitam, cujus nomen Nicephorus omiſit, eo jam tempore ſediſſe, quo Septima ſynodus ſacrarum imaginum cauſa coacta fuit. Cæterum ſacro illi conventui minime adfuit, ſed Leo preſbyter ſanctiſſimæ Dei magnæ eccleſiæ, *perſonam geſſit throni metropolis Sidenſis.* Λέων πρεσβύτερος τῆς ἁγιωτάτης τοῦ Θεοῦ μεγάλης ἐκκλησίας, καὶ ἐκ προσώπου τοῦ θρόνου τῆς Σιδητῶν μητροπόλεως.

X. MARCUS.

In ſynodo in qua de Photii in Byzantinum thronum reſtitutione actum eſt, ſedit & ſubſcripſit *Marcus Sides,* Μάρκου Σίδης, Μάρκος Σίδης.

XI. THEODORUS.

Ad tempora Photio poſteriora refero *Theodorum Sides metropolitam hiſtoriarum ſcriptorem,* quem Joannes Scylitzes Curopalata in ſuo prologo, & Cedrenus Annalium ſuorum initio commendant. Θεόδωρος ὁ τῆς Σίδης γενόμενος πρόεδρος. Ejus conſobrinus erat Theodorus Sebaſtiæ, Armeniæ utique minoris, metropolita, ὡς ὁ τούτου ἀνεψιὸς καὶ ὁμώνυμος ὁ Σεβαστείας.

XII. CONSTANTINUS.

In Jure Græco-Rom. lib. 14. decreta duo ſynodalia exſtant Alexii patriarchæ, quorum alterum editum fuit menſe Novembri Indict. XI. anno M. 6536. ſeu Chriſti 1027. *De iis qui monaſteria per donationem conſequuntur, deque variis cauſis ad metropoles & epiſcopatus univerſos ſpectantibus.* Aliud rurſum anno eodem Mundi, Chriſti vero 1028. menſe Januarii Indict. eadem, *De diverſis cauſis ad metropolitas & epiſcopos omnes ſpectantibus.* Quæ lata ſancitaque ſunt conſidentibus metropolitis bene multis in quibus *Conſtantinus Sides,* Κωνσταντίνου Σίδης. Ipſe Conſtantinus, vel ejus ſaltem ſucceſſor Anthimus, *epiſcopus* ille *Sides* cenſendus eſt, qui circa annum 1037. particeps erat conſiliorum Joannis eunuchi, qui pro Alexio patriarcha ab Imperatore fratre Michaële Paphlagone conſtitui ambiebat. Scylitz. Cedrenus, &c.

XIII. ANTHIMUS.

Schiſmaticæ ſynodo Michaëlis Cerularii, in qua anathema dictum eſt Leonis Papæ IX.

ECCLESIA SIDES.

Legatis, aderat *Anthimus Sides*, Ἀνθίμου Α Σίδης.

XIV. JOANNES III.

Michaël Constantini Ducæ filius, imperium capescens, quum princeps moderatus haberetur, atque inter juvenes senex, *Joannem Sides metropolitam,* natura quidem eunuchum, sed strenuum tamen & ambidextrum, qui Protosyncellorum primarius erat, accivit, cujus opera rempublicam gereret; paulo post vero Joannes Nicephori eunuchi artibus à rerum administratione solutus fuit, B quam tamen recepit Nicephoro Botaniate Imp. anno proinde 1078. Quod Joannes Curopalata, Cedrenusque adeo, & Zonaras in Michaële Duca narrant. Hic profecto idem est *Joannes Sides,* qui Alexio Comneno subinde Imp. anno 1082. adfuit confirmando unionis de sacrarum imaginum cultu Decreto, in celebri illius anni conventu episcoporum & principum Imperii, Ιωάννου Σίδης. Bibl. Coislin. pag. 104.

XV. THEODOSIUS.

XVI. NICETAS.

Lib. 4. Jur. Græco-Rom. pag. 292. fertur *Nicetam* sanctissimum Sides metropolitam quæstiones varias Constantinopoli proposuisse, *de Donationibus quorumdam immobilium, deque locationibus & emphytensibus, & formularibus donationibus annuis,* quæ ab ipsius decessore Theodosio, Patriarcha, ejus synodo annuente propositæ fuerant. δηλωθεὶς οὗτος μητροπολίτης Σίδης Νικήτας ἐζήτει περὶ τῶν παρὰ τοῦ πρὸ αὐτοῦ μητροπολίτου τοῦ ἀποιχομένου ἐκείνου Θεοδοσίου γεγενημένων.

XVII. JOANNES IV.

Anno 1156. synodo illi, in qua, Luca Chrysoberge patriarcha, necnon Hierosolymitano præsidentibus, Soterichus Panteugenus Antiochenus designatus, ob errorem de sacrificio Christi proscribi meruit, aderat *Joannes Sidæ.* Leo Allat. Vind. Syn. Ephes. pag. 585.

II. ECCLESIA ASPENDI.

ASPENDUS, Ἄσπενδος, vel *Aspendum,* Pamphyliæ civitas est in monte, Plinio, ad Eurymedontem amnem; mons vero Sardomisus. In eam, Strabone teste, sexaginta stadiis à mari adverso flumine navigatur: satisque populosa fuit, ab Argivis condita, ita ut pars ejus in prærupta rupe posita esset, ad cujus imam partem amnis flueret. Stephanus Aspendum dictam ait de nomine conditoris. Pergæ & Sylæo jungitur à Ptolemæo, ut utriusque vicina fuerit. In Notitiis episcopatuum Græcis *Aspendus* primæ Pamphyliæ est, ipsa vero est quæ *Priamopolis,* Πειαμούπολις id est Priami civitas, Arriano dicitur, quæque ultro sese dederit Alexandro. Arr. lib. de exped. Alex. Ex his quæ sequuntur compertum fiet, hanc quoque ipsam esse quæ in Notitia Hieroclis *Trimopolis* scribitur Τειμούπολις, pro Πειμούπολις, *Primopolis,* vel Πειαμούπολις *Priamopolis.*

EPISCOPI ASPENDI.

I. DOMNUS.

IN Indice Patrum synodi Nicænæ *De provincia Pamphyliæ,* legitur *Domnus Aspendi.*

II. TRIBONIANUS.

In Ephesina synodo priore sedit & subscripsit *Tribonianus episcopus Aspendi Pamphyliæ,* ut acta ferunt Græca & Latina, καὶ Τειβωνιανοῦ Ἀσπένδου τῆς Παμφυλίας, qui in subscriptionibus legitur, Τειβωνιανὸς ἐπίσκοπος τῆς ἐν Πειαμουπόλει ἁγίας ἐκκλησίας. *Tribonianus episcopus sanctæ ecclesiæ Priamopolis.* Latini codd. *Primopolis.*

III. TIMOTHEUS.

Conciliis in quibus Eutyches hæresis primum accusatus damnatusque fuit coram Flaviano Constantinopolitano, & Thalassio Cæsariensi, interfuit *Timotheus episcopus Primopolis,* Τιμόθεος ἐπίσκοπος Πειμουπόλεως. C Quæ civitas ipsa omnino est quæ Priamopolis & Aspendus: nam idem *Timotheus Primopolis Pamphyliæ episcopus* dicitur adfuisse anno insequenti Ephesinæ synodo, καὶ Τιμοθέου Πειμουπόλεως τῆς Παμφυλίας. Non me fugit doctissimum Harduinum in indice episcopatuum quem ad calcem editionis suæ conciliorum adjecit, *Primopolim* Pamphyliæ secundæ Notitiarum Græcarum auctoritate appellata attribuere, quam & eamdem esse quoque censet atque Aspendum. At certe in Notitiis neque ipsum *Primopolis* nomen D occurrit, atque Aspendus episcopatus est Pamphyliæ primæ sub Side metropoli.

IV. LEO.

In Septima synodo sedit & subscripsit *Leo episcopus Aspendi,* Λέων ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ἀσπένδου.

III. ECCLESIA ETENNES.

POLYBIUS lib. 3. hist. c. 73. pag. 416. in montana Pisidiæ veteris regione *Etennenses* collocavit, Ετεννεις, οἱ τῆς Πισιδικῆς τὴν ὑπὲρ Σίδης ὀρεινὴν κατοικοῦντες, quin etiam *super Sidam*. Pisidiæ autem tunc temporis civitates censebantur aliquot quæ subinde Pamphyliæ novæ attributæ sunt. Etenna vel Etenne ipsa est quæ in Notitia Hieroclis Τρίσεννα, *Trisenna* corrupte scribitur; primæ vero Pamphyliæ in aliis episcopatus est.

EPISCOPI ETENNES.

I. TROILUS.

IN serie Patrum concilii generalis Constantinopolitani primi, inter episcopos Pamphyliæ censetur *Troïlus Geonensis:* quidam codices habent *Egeonensis:* lego *Etennensis,* nisi forte sit emendandum, *Semneonensis.*

II. EUTROPIUS.

Synodo Ephesinæ priori interfuit *Eutropius episcopus Etennorum,* ut initio act. 1. legitur, καὶ Εὐτροπίου Ετεννῶν, quin & sententiam dixit, duas Cyrilli ad Nestorium epistolas approbans, Εὔτροπος ἐπίσκοπος Ετεννῶν τῆς Παμφυλίας, *Eutropius episcopus Etennorum Pamphyliæ.* Alterius proinde civitatis antistes erat *Paulus episcopus Extinnorum,* qui subscriptus legitur Contestationi tot illorum episcoporum qui intercesserunt ne Cyrillus Alexandrinus concilii celebrationem auspicaretur ante adventum Joannis Antiocheni. Aderat eidem synodo Paulus *Thrymenæ* sive Paulus Orymnorum, ut alterutrius civitatis nomen ab imperito amanuensi Latino adulteratum sit.

A

III. EUDOXIUS.

Chalcedonensi concilio adfuit quoque & subscripsit *Eudoxius episcopus civitatis Etennorum,* Εὐδόξιος ἐπίσκοπος πόλεως Ετεννῶν.

IV. JOANNES.

Septimo item concilio generali *Joannes episcopus Etennon,* ut fert Latina translatio, sive *Etennorum,* Ιωάννης ἐπίσκοπος Ετεννῶν.

B

V. PETRUS.

Synodo quæ ob Photii restitutionem sub Joanne Papa VIII. habita est, *Petrus Etæni,* Πέτρος Ετάνη, Πέτρος Ετάνου, pro Ετέννης, ni fallor; nisi potius *Etennes* episcopus fuerit, qui *Theodorus Iteæ, & Iteniæ,* iisdem in actis scribitur. Θεόδωρος Ιτέας, Θεόδωρος Ιτενίας.

IV. ECCLESIA ORYMNORUM.

HIEROCLIS Notitia & aliæ Ορύμνα, *Orymna,* civitatem in Pamphylia prima collocant.

EPISCOPI ORYMNORUM.

I. PAULUS.

C

COncilio Ephesino adfuit subscripsitque *Paulus episcopus Orymnorum,* Παῦλος ἐπίσκοπος Ορύμνων.

II. THEODORUS.

Sextæ synodo generali, *Theodorus episcopus Orymnorum,* qui & subscriptus legitur canonibus Quinisextæ synodi, Θεόδωρος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος τῆς Ερύμνων, sive Ορύμνων, πόλεως τῆς Παμφύλων ἐπαρχίας, *Theodorus minimus episcopus Orymnorum provinciæ Pamphyliæ.*

D

III. STEPHANUS.

Septimæ synodo generali, *Stephanus episcopus Orymnorum,* Στέφανος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ορύμνων.

IV. CHILIANUS.

Theodorus Balsamon in responsione ad episcopum Citri fragmentum recitat epistolæ S. Tharasii ad *Chilianum episcopum Rhymnæ,* sive *Orymnæ,* aut *Orymnorum,* Pamphyliæ primæ, scribebat, morem fuisse, illorum, quorum perennis memoria est, testimonium, accipere sacerdotis spiritualis, sive confessarii, de illo cui manus essent impondituri. Ita quoque Blastares in Epit. syntagm. ad canones S. Gregorii Thaumaturgi. Horum vero sententiam ab aliis Orientalis ecclesiæ Patribus reprobatam aliis jam locis vidimus.

V. METHODIUS.

Synodo quæ ob Photii restitutionem habita est, aderat *Methodius Orymnorum,* Μεθοδίου Ερύμνων (sic) Μεθόδιος Ορύμνων.

V.

ECCLESIA CASSARUM.

PTOLEMÆUS in Cilicia aspera quæ Pamphyliæ subinde censita est, urbem *Casas* posuit, Κάσαι, quæ in Notitiis cum duplici σσ scribitur, ὁ Κάσσων, & apud Hieroclem Κάσσα, *Cassa*.

EPISCOPI CASSARUM.

I. TUESSIANUS.

IN catalogo Patrum Constantinopolitanæ synodi generalis prioris *De provincia Pamphyliæ*, legitur *Tuessianus Cassonensis*, sive *Casson*, Κάσσων, aut potius *Cassarum*; sed episcopi nomen corruptum est, nec nisi ex sanioribus codicibus restitui possit. Legero *Musianus*, vel *Musonius*.

II. NECTARIUS.

In subscriptionibus Latinis concilii Ephesini passim subscriptus legitur *Nectarius episcopus civitatis Casorum*, sive *Casarum*. In codicibus autem Græcis habetur, ἐπίσκοπος τῆς ἐν Σεννὲ, & ἐν Σεννέα καθολικῆς ἐκκλησίας, *episcopus ecclesiæ catholicæ quæ in Sennea est*. De ecclesia Senneæ mox dicam.

A

III. THEODORUS.

Synodo Constantinopolitanæ quæ Anthimi causa sub Menna patriarcha successore ejus habita est, adfuit, & subscripsit *Theodorus episcopus civitatis Cassatorum*, Θεόδωρος ἐπίσκοπος τῆς Κασσατῶν πόλεως.

IV. CYRIACUS.

Quintæ synodo generali *Cyriacus episcopus Casatanorum*, sive *Cassatarum*.

V. IGNATIUS.

Synodo quæ habita est de restitutione Photii, *Ignatius Casarum*, Ιγνατίου Κασῶν, Ιγνάτιος Κασῶν.

VI.

ECCLESIA SEMNEORUM.

SENNEA, Σεννέα, sive SEMNEA, ὁ Σέμνων, inter episcopales Pamphyliæ I. civitates censetur in Notitiis episcopatuum; nusquam alibi occurrit, nisi in gestis conciliorum. Annon ipsa est quæ in Notitia Hieroclis, Δήμου Σαβαίων pro Δήμου Σεμναίων;

EPISCOPI SEMNEORUM.

I. NECTARIUS.

IN subscriptionibus Græcis synodi Ephesinæ primæ act. 1. legitur *Nectarius* episcopus *Senneæ Pamphyliæ*, qui sententiam dixit de Cyrilli ad Nestorium epistolis, Νεκτάριος ἐπίσκοπος Σεννέα τῆς Παμφυλίας, sed de illo jam dictum in episcopis Etennes

B

II. CONON.

Quinto concilio generali adfuisse quoque & subscripsisse legitur *Conon misericordia Dei, episcopus Semneon*, seu *Semneorum*.

III. IGNATIUS.

Octavæ synodo generali, *Ignatius Deo amabilis episcopus Semnai*.

IV. ATHANASIUS.

Synodo Photii sub Joanne Papa VIII. *Athanasius Semnæorum*, Αθανασίου Σεμναίων, Αθανάσιος Σεμναίων.

V. * * *

Inter epistolas Theophylacti decima-tertia est episcopo *Semnarum*, τῷ Σεμνῶν.

VII.

ECCLESIA CARALIÆ.

CARALLIAM, vel CARALIA, Καράλια, Καράλλια, voce feminina singulari, aut plurali neutra, uti similes aliæ, in Pamphylia prima Notitiæ omnes collocant ut & acta synodorum; nisi ipsa *Caralis* sit, quam Stephanus *Isauricam civitatem* dicit, Isauriæ utique veteris, cujus pars Pamphyliæ attributa est.

EPISCOPI CARALIÆ.

I. SOLON.

IN Ephesina synodo sedit & subscripsit *Solon episcopus civitatis Caraliæ*, Σόλων ἐπίσκοπος πόλεως Καραλίας. Quidam codices Latini habet *Carallieorum*. Act. 1. sententiam dixit pro Cyrilli ad Nestorium epistolis duabus.

A

II. MARCIANUS.

In Chalcedonensi concilio *Marcianus episcopus civitatis Caralliæ*, Μαρκιανὸς ἐπίσκοπος πόλεως Καραλλίας.

III. MENNAS.

In Sexta synodo, *Mennas episcopus civitatis Caralliensium provinciæ Pamphyliæ*, Μηνᾶς ἐπίσκοπος τῆς Καραλλιέων πόλεως.



VIII. ECCLESIA CORACESII.

CORACESIUM, *primum Cilicum castellum fuit*, Straboni, πρῶτον τῶν Κιλίκων φρούριον τὸ Κορακήσιον, adeoque Ciliciæ Tracheæ sive Asperæ, cujus *oppida*, inquit Plinius, *Myanda, Anemurium, Coracesium, finisque antiquus Ciliciæ Melas amnis*; ut Melæ amni Coracesium vicinum fuerit. Ptolemæus *Coracessium* dicit, Κορακήσσιον, primum quoque Ciliciæ asperæ post Pamphyliam oppidum. Pamphyliæ censetur in Notitia Hieroclis & aliis.

EPISCOPI CORACESII.

I. THEODULUS.

INter episcopos synodi Constantinopolitanæ generalis prioris de provincia Pamphyliæ censetur, *Theodulus Coracesiensis*.

B

II. MATIDIANUS.

In concilio Ephesino sedit & subscripsit *Matidianus episcopus civitatis Coracesii*, Ματιδιανὸς ἐπίσκοπος τῆς Κορακησίων πόλεως, qui Cyrilli ad Nestorium epistolas duas suffragio suo approbavit act. 1.

III. OBRIMUS.

In Chalcedonensi concilio, *Obrimus episcopus civitatis Coracesii*, Ὄβριμος ἐπίσκοπος πόλεως Κορακησίου.

IV. NICETAS.

In Sexta synodo generali, *Nicetas episcopus civitatis Coracesii*, Νικήτας ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος πόλεως τοῦ Κορακησίου.



IX. ECCLESIA SYEDRORUM.

SYEDRA, Σύεδρα, voce neutra plurali, Ciliciæ Tracheæ seu asperæ civitas Ptolemæo, quæ Straboni Σύδρη *Sydre*. Pamphyliæ censetur Hierocli, & primæ in veteribus aliis Græcis. In ea cui Leonis Imp. nomen præfixum est, Lycaoniæ attribuitur. Sunt qui Σύσδρα *Sysdra* legunt, sed corrupte prorsus σ pro ε.

EPISCOPI SYEDRORUM.

I. NESTOR.

IN indice Patrum Nicænorum *De provincia Isauriæ* legitur *Nestor Syedreus*, vel *Sysdrensis*, seu *Syedrensis*, vel demum *Syedron*, sive *Syedrorum*, pro varietate Latinorum codicum.

II. SELEUCUS.

Inter varia ex operibus Patrum excerpta, quæ in Panopliis adversus hæreticos Eutychianos, sive Monophysitas collectæ sunt, quædam exstant Amphilochii Iconiensis πρὸς Σέλευκον Συέδρων, *ad Seleucum Syedrorum*; ad quem inscribitur etiam carmen Iambicum, quod pro aliis atque aliis codicibus Amphilochii vel Gregorii Theologi nomen præfert. Filius hic erat fratris Trajani ducis exercitus Valentis Imp. & sanctissimæ Olympiadis viduæ consobrinus; nondum vero episcopus erat, quando ad ipsum Amphilochius scribebat.

D

C

III. CAIUS.

Concilio Chalcedonensi adfuit & subscripsit *Caius Syedrorum*, καὶ Καίου Συέδρων, qui in indice Latino inter episcopos metropolitæ Sidæ subjectos reperitur.

IV. STRATONICUS.

In concilio quod anno 536. Menna Constantinopolitano præside celebratum est, sedit *Stratonicus episcopus Syedrorum*, Στρατόνικος ἐπίσκοπος τῆς Συέδρων.

V. GEORGIUS.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus legitur, Γεώργιος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος πόλεως Συέδρων τῆς Παμφύλων ἐπαρχίας. *Georgius minimus episcopus civitatis Sydreorum provinciæ Pamphyliæ.*

X. ECCLESIA COTENORUM.

COTANA, vel *Cotena* Pamphyliæ primæ civitas eſt in Notitia Græca una epiſcopatuum, & ab Hierocle Pamphyliæ quoque cenſetur.

EPISCOPI COTENORUM.

I. HESYCHIUS.

IN indice Patrum Conſtantinopolitanæ ſynodi generalis prioris Latino, de Pamphylia cenſetur *Heſychius Cantinenſis*: legendum *Cotenenſis*.

II. ACACIUS.

In ſynodo Epheſina prima generali ſedit & ſubſcripſit inter epiſcopos Pamphyliæ primæ, *Acacius epiſcopus eccleſiæ Dei Cotenorum*, Ἀκάκιος ἐπίσκοπος τῆς ἐν Κοτένοις τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας. act. 1. ſententiam dixit pro Cyrilli literis ad Neſtorium.

III. EUGENIUS.

A In concilio Chalcedonenſi, *Eugenius epiſcopus civitatis Cotenorum*, Εὐγένιος ἐπίσκοπος πόλεως Κοτέννων, qui in indicibus Latinis Patrum hujus concilii, ex codice Maffæi & Pithœi, *Euſebius* nominatur.

IV. FLAVIANUS.

In concilio Conſtantinopolitana ſub Menna patriarcha, *Flavianus epiſcopus Cotenorum*, Φλαβιανὸς ἐπίσκοπος Κοτενῶν.

V. MACARIUS.

In ſynodo quæ ob Photii reſtitutionem celebrata eſt, *Macarius Cotennæ*, Μακάριος Κοτέννης, Μακαρίου Κοτέννης.

XI. ECCLESIA COMANÆ.

COMANA primæ Pamphyliæ civitas eſt Hierocli, Κομανὰ, quam Ptolemæus Piſidiæ veteris eſſe cenſebat, inter Barim & Pergen. In aliis Notitiis *Conana* dicitur, ὁ Κονάνης, quin & ſubinde appellata eſt *Manua*, uti mox narrabimus.

EPISCOPI COMANÆ.

I. ZOTICUS.

HUjus omnino civitatis Comanorum epiſcopus *Zoticus* fuit, qui Apameam Cibotum venit, ut cum Juliano illius urbis antiſtite Maximillæ Montani hæretici ſociæ ſpiritum examinaret. Euſeb. lib. 5. hiſt. cap. 16.

II. COSMAS.

B In Sexta ſynodo ſedit & ſubſcripſit *Coſmas epiſcopus Conanorum provinciæ Pamphyliæ*. Κοσμᾶς ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος πόλεως Κονάνων τῆς Παμφύλων ἐπαρχίας.

XII. ECCLESIA LYRBÆ.

LYRBA, vel *Lyrbe* Ciliciæ aſperæ quondam civitas Ptolemæo, Pamphyliæ primæ addicta fuit, ut Notitiæ Græcæ epiſcopatuum produnt.

EPISCOPI LYRBÆ.

I. ZEUXIUS.

INter Nicænæ ſynodi Patres *De provincia Pamphyliæ* legitur *Teuxius Cyrbenſis* pro *Zeuxius*, vel *Lucius Lyrbenſis*.

II. CAIUS.

Sic quoque in indice Patrum Conſtantinopolitanæ ſynodi generalis, *Caius Lyrbenſis*.

III. TAURIANUS.

C In ſynodo Epheſina prima ſedit ſententiamque dixit pro epiſtolis Cyrilli duabus ad Neſtorium, *Taurianus epiſcopus eccleſiæ Lyrbæ*. Ταυριανὸς ἐπίσκοπος τῆς κατὰ Λύρβην, in ſubſcriptionibus, & *Marianus* quoque dicitur Μαριανὸς, in aliis *Cyprianus*, Κυπριανός. ita perinde in Latinæ tranſlationis codicibus.

XIII. ECCLESIA



XIII. ECCLESIA COLYBRASSI.

Colybrassus, Κολυβρασσὸς, Ptolemæo Ciliciæ Tracheæ civitas eſt, quæ Pamphyliæ cenſetur in Notitiis. Sed apud Hieroclem corrupte ſcriptum eſt Ολυβρασός.

EPISCOPI COLYBRASSI.

I. Longinus.

In catalogo Patrum Conſtantinopolitanæ ſynodi primæ legitur *Longinus Colybraſſi.*

II. Nessius.

In Epheſina ſynodo prima ſedit, & ſententiam pro Cyrilli ad Neſtorium epiſtolis dixit, ſubſcripſitque *Neſſius epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Colybraſſi*, Νήσσιος, vel Νήσιος ἐπίσκοπος τῆς κατὰ Κολυβρασσὸν ἁγίας τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας. Maluero *Anyſium* dici, ut in tranſlatione Latina actorum ſynodi Chalcedonenſis act. 1.

III. Tates.

Canonibus Quiniſextæ ſynodi ſubſcriptus legitur Τάτης ἐλάχιστος ἐπίσκοπος πόλεως Κολυβρασσοῦ τῆς Παμφύλων ἐπαρχίας, *Tates minimus epiſcopus civitatis Colybraſſi provinciæ Pamphyliæ.*



XIV. ECCLESIA SELGES.

Selge, Σέλγη, Lacedæmoniorum colonia fuit, Piſidiæ veteris civitatum una Straboni, qui ex Artemidoro *Selgenſes Piſidarum præſtantiſſimos* vocat ἀξιολογώτατοι τῶν Πισιδῶν. Poſt vero Pamphyliæ attributa eſt, ut colligitur ex Hieroclis Notitia, ac ſubinde rurſum Pamphyliæ primæ, ut Notitiæ epiſcopatuum Græcæ ferunt. Ejus tamdem antiſtes archiepiſcopi dignitate auctus fuit.

EPISCOPI SELGES.

I. Uranion.

Inter epiſcopos Pamphyliæ qui Nicænæ ſynodo interfuerunt, *Uranion Selgenſis* legitur.

II. Nunechius.

Synodo Epheſinæ adfuit & ſubſcripſit *Nunechius epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Selges*, Νουνέχιος ἐπίσκοπος τῆς ἐν Σέλγῃ ἁγίας ἐκκλησίας.

III. Marcianus.

In Octava ſynodo ſedit & ſubſcripſit, *Marcianus miſericordia Dei archiepiſcopus Selgæ.* Ordinatus utique fuerat à S. Ignatio, vel à S. Methodio patriarchis Conſtantinopolitanis.

IV. Gregorius.

In ſynodo quæ S. Ignatio defuncto ob Photii reſtitutionem coacta eſt, aderat inter primarios præſules *Gregorius Selges*. Γρηγορίου Σέλγης, Γρηγόριος Σέλγης. Error eſſe librarii fortaſſe videbitur, qui Σέλγης pro Πέργης ſcripſerit. Verum iiſdem in actis *Gregorius* idem *archiepiſcopus* dicitur, non *metropolita*, nec proinde Perges.



X. PROVINCIA PAMPHYLIÆ SECUNDÆ.

I. ECCLESIA PERGES, METROPOLIS.

PAMPHYLIA quidem prima, de qua mox dictum eſt, iis præſertim urbibus conſtabat, quæ Ciliciæ Tracheæ ſeu aſperæ quondam fuerant: ſecunda vero illo tractu mediterraneo, qui à Cilicia illa aſpera ad Lyciam uſque pertinebat. In diviſione Imperii quæ à Conſtantino Magno facta fertur, una Pamphyliæ dumtaxat provincia fuit, quam Conſularis adminiſtrabat, hancque Hierocles in Notitia ſua integram repræſentat. In indice Patrum Nicænæ primæ ſynodi una dumtaxat Pamphylia eſt, cujus metropolis *Perge.* In Epheſinæ vero actis, poſt Berenianum Perges, Amphilochius Sidæ inter metropolitas nominatur; & in indice Patrum ſynodi Chalcedonenſis Latino, provincia Pamphyliæ, cujus metropolis eſt Perge, alteri præponitur, licet Amphilochius Sidæ Epiphanio Perges præiviſſe videatur. A Theodoſio igitur juniore, ea Pamphyliæ in duas partitio facta fuerit. Cæterum Pamphylia hæc ſecunda cujus metropolis Perge fuit, in duas ſubinde diviſa rurſum eſt, quarum alterius Syllæum metropolis creata eſt: paulopoſt vero in unam iterum ambæ iſtæ coaluerunt, metropoliticis juribus, neſcio quo facto, Syllæo ſoli conceſſis ut unus Syllæi & Perges epiſcopus diceretur. Atqui Perge civitas ad Ceſtrum fluvium poſita erat, in dextro ejus latere, ſexaginta ſtadiis à mari diſtans, in qua celebre quondam Dianæ Pergeanæ templum fuit. Ejus meminerunt omnes rerum Geographicarum ſcriptores, quorum teſtimonia omitto. Inprimis vero S. Lucas act. 13. v. 13. narrat, beatiſſimos Apoſtolos Paulum & Barnabam cum è Cypro inſula remeaſſent, veniſſe Pergen Pamphyliæ, ubi Joannes Marcus diſcedens ab eis, reverſus eſt Hieroſolymam: Illos tranſita Perge, Antiochiam Piſidiæ perrexiſſe, ut hac prima vice nullas moras hac in urbe traxerint. Act. cap. 14. v. 23. refert eos luſtratis Lycaoniæ & Piſidiæ civitatibus, in Pamphyliam rediiſſe, *loquenteſque verbum Domini in Perge, deſcendiſſe in Attaliam.* Quamobrem Pergenſis eccleſiæ inſtitutores Apoſtoli iſti ambo fuere.

EPISCOPI PERGES.

I. EPIDAURUS.

ANcyranæ ſynodi canonibus ſubſcriptus legitur, *Narciſſus Pergenſis.* Cod. vero MS. apud Hard. habet *Epidaurus Pergenſis,* ubi edita ferunt *Epidaurus Piſidienſis.* Sed & ibidem *Narciſſus Neroniadenſis* in Cilicia epiſcopus eſt.

II. CALLINICUS.

In indice Patrum concilii Nicæni, *De provincia Pamphyliæ* cenſetur *Callinicus Pergenſis.*

Non *Pergenſis*, ſed *Perrhenſis* in Euphrateſia epiſcopus fuit *Jovianus*, qui apud Theodoretum lib. 4. hiſt. eccl. cap. 14. epiſcopus Πέργης pro Πέῤῥης, librarii errore ſcribitur. Ipſe eſt *Jovianus*, cui data eſt Baſilii Magni epiſtola 318. apud quem legitur, *epiſcopus* Κέῤῥης *Cerrhes;* quin etiam in quibuſdam codicibus, *epiſcopus* Πέργης, *Perges,* ſimili A prorſus errore: de quo ſuo loco dicetur in patriarchatu Antiocheno.

III. BERENIANUS.

Anno 426. Conſtantinopoli ſynodus convenit Siſinnii archiepiſcopi conſecrandi cauſa, cui interfuit Theodotus Antiochenus; tum Siſinnius ac Theodotus cum tota ſynodo epiſtolam ſcripſerunt *Bereniano & Amphilochio ac cunctis Pamphyliæ epiſcopis*, τοῖς θεοφιλεστάτοις συλλειτουργοῖς Βερενιανῷ καὶ Ἀμφιλοχίῳ, καὶ πᾶσι τοῖς ἐν Παμφυλίᾳ ἐπισκόποις, Be- B reniano, inquam, Perges, ut & Amphilochio Sidæ. In ea porro agebatur de hæreſi Maſſalianorum, quæ in Pamphylia effundebatur. Hæc refert Photius Biblioth. cod. 52. Atqui in actis concilii Epheſini Græcis, ei adfuiſſe ſubſcripſiſſeque diſerte fertur, *Berenianus epiſcopus Perges*, Βερενιανὸς ἐπίσκοπος Πέργης.

Venerianum ego Latine dixero, qui in Latinis exemplaribus, *Valerianus* identidem scribitur:

IV. Epiphanius.

Ad synodum Ephesinam alteram venit, sententiamque in Flavianum CP. & Eusebium Dorylæi dixit *Epiphanius episcopus Perges*, Ἐπιφάνιος ἐπίσκοπος Πέργης. In Latinis subscriptionibus additur, *Pamphyliæ;* at non inter metropolitas subscriptus legitur. Post biennium vero sedit quoque in Chalcedonensi concilio, cujus etiam decretis omnibus subscripsit, præsertim act. 6. Ἐπιφάνιος ἐπίσκοπος Πέργης μητροπόλεως Παμφυλίας. Anno 458. Leo Imp. *Epiphanio reverentissimo episcopo Pergæ*, ut aliis ditionis suæ metropolitis scripsit de nece S. Proterii Alexandrini: cui ille cum sua synodo literas rescripsit, quibus tum illud facinus exsecrabatur, tum Chalcedonensis synodi Fidem confirmabat.

V. Hilarianus.

In concilio Mennæ archiepiscopi CP. in quo anathemati suppositi sunt Anthimus ejus decessor, Severus Antiochenus, eorumque alii affectatores, sedit & subscripsit, *Hilarianus episcopus Perges*, Ἱλαριανὸς ἐπίσκοπος Πέργης.

VI. Eulogius.

In Quinta synodo *Eulogius misericordia Dei episcopus Pergenorum metropolitanæ civitatis Pamphyliæ provinciæ.*

VII. Apergius, *hæreticus.*

In Sexta synodo anathema dictum est *Apergio, qui Perges episcopus fuerat,* adeoque Monotheleta insignis, Ἀπεργίῳ τῷ Πέργης ἐπισκοπήσαντι.

VIII. Joannes I.

Sextæ eidem synodo adfuit & subscripsit *Joannes episcopus Pergensium metropolis Pamphyliæ provinciæ*, Ἰωάννης ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Περγαίων μητροπόλεως τῆς Παμφύλων ἐπαρχίας. Qui subscriptus quoque reperitur Quinisextæ synodi canonibus.

IX. Sisinnius, *hæreticus.*

Iconomachorum hæresis se coryphæum præbuit, sub Constantino Copronymo, cum Theodosio Ephesi, *Sisinnius Pastillas* Pergensis antistes, præsesque fuit alter synodi illius quæ, eodem Imperatore duce, sacrarum imaginum honorem proscripsit, ut fert Theophanes ad ann. XIII. ejusdem Constantini, καὶ Πασίλλας ὁ Πέργης, quod alii illorum temporum scriptores perinde clamant. Atqui nomen ei proprium *Sisinnio* fuisse docent nos acta Septimæ synodi generalis act. 7. & 8. in qua eidem *Sisinnio cognomento Pastillæ anathema* dictum est, Σισιννίῳ τῷ ἐπικλὴν Πασίλλᾳ ἀνάθεμα.

X. Constans.

Septimæ synodo generali interfuit & subscripsit *Constans episcopus Perges*, Κώνστας ἀνάξιος ἐπίσκοπος Πέργης, qui in translatione Latina veteri hinc inde *Constantinus* nominatur. In eidem synodo Basilius Sylæi sedebat inter metropolitas.

XI. Joannes II.

In subscriptionibus Octavæ synodi generalis legitur *Joannes, misericordia Dei, metropolita Pergæ.* Idem ipse profecto qui actionis primæ initio dicitur *metropolita Silæi;* Et *Deo amantissimo metropolita Silæi.* Nam quum in vita S. Ignatii Constantinopolitani narretur, Romam ab eo missum esse ad Nicolaum Papam *Joannem Perges omnium erumnarum ejus socium*, Ἰωάννης μὲν ὁ Πέργης, ὃς ἐν πᾶσι τῆς θλίψεων Ἰγνατίῳ συγκακοπαθῶν, hunc ipsum Sylæi metropolitam diserte dixit in epistola qua illum ejdem Pontifici commendabat: *Joannem beatissimum & sanctissimum metropolitam Silæi*, quem uti *verum Dei cultorem*, *divino plenum Spiritu* laudat, *qui per totos novem annos*, inquit, *persequutionem, cæteraque mala passus est.* Ex quibus apparet, S. Ignatii ætate *Perges* & *Sylæi* ecclesiam in episcopatum unum coaluisse.

Pseudo-synodo Photianæ quæ Joanne Papa VIII. habita fuit, aderat *Gregorius episcopus Perges*, si ratio habeatur exceptorum hujus synodi apud Breveregium in Pandecte canonum, Γρηγορίου Πέργης. Verum in cod. Cl. Baluzii, quem integrum descripsi, *episcopus Selges* dicitur. Etsi vero act. 2. *Gregorius religiosissimus archiepiscopus Perges*, καὶ Γρηγόριος ὁ θεοφιλέστατος ἀρχιεπίσκοπος Πέργης, cum duobus aliis delegatus fertur, attamen vox ἀρχιεπίσκοπος, *archiepiscopus*, non *metropolitam*, qualis erat *Pergensis* præsul, sed inferioris ordinis alterius aliquem significat, αὐτοκέφαλον tamen; atque adeo illius generis tunc erat archiepiscopus Selges in Lycaonia, quod metropolitis apud Græcos inferius est.



II.

ECCLESIA SYLÆI.

SYLÆUM, vel *Syllæum* Pamphyliæ secundæ 18. sub Perge metropoli episcopatus est in Notitia veteri Græca, ὁ Συλλαίου. Quocirca in Hieroclis Notitia secernendum Syllæum est à Perge, ut hæc primæ Pamphyliæ provinciæ civitas sit, illa secundæ: Πέργη, Συλλαῖον. Atqui Syllæum aliud prorsus non est à *Siluo*, quod Pamphyliæ oppidum est Ptolemæo, Πέργη, Σίλουον, Ἀσπένδος, *Perge, Siluum, Aspendus;* quin nec à *Syleio* Stephani, Σύλειον, quod alii *Phrygiæ*, alii *Pamphyliæ* adscribebant, πόλις Φρυγίας, τινὲς δὲ Παμφυλίας; quum nempe in Phrygiæ antiquæ finibus positum esset. Sed & Scyllaci Perge Lyciæ antiquæ urbs erat, *Sillum, Σίλλουον, Pamphyliæ.* Quod inter utramque urbem discrimen magis demonstrant acta synodorum, in quibus eodem tempore utriusque episcopi diversi sedisse reperiuntur. Cæterum metropolitica jura quibus Perge potiebatur, Sylæo attributa esse jam diximus, quod Septimæ synodi tempore factum fuisse mox patebit, utique propter Constantinum Sylæi Iconomachorum Constantino Copronymo Imp. principem. Quamobrem in Notitiis antiquis episcopatuum in provincia Pamphyliæ Perges sive Sylæi metropolita 26. censetur. Ἐπαρχίας Παμφυλίας, ὁ Πέργης, ἤτοι Συλαίου.

EPISCOPI SYLÆI.

I. THEODULUS.

IN indice Patrum concilii Constantinopolitani primi, *De provincia Pamphyliæ*, legitur *Theodorus Siluensis*, vel *Syluensis, Sylæensis* pro exemplarium varietate. A

II. NEON.

In concilio Chalcedonensi sedit *Neon Sillyi*, vel *Silyi*, Νέωνος Σιλλύου, Σίλυου, cujus civitatis nomen fœde corruptum est in indice Patrum hujus concilii Latino, in quo scribitur, *Neon Ymisa*, vel *Simisu.* Nec dubito quin ipse sit qui simili labe *Neon episcopus Gilsatenus* legitur in subscriptionibus epistolæ B concilii Pamphyliæ secundæ ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini & concilio Chalcedonensi.

III. PLUSIANUS.

In Sexta synodo sedit *Plusianus episcopus Sylæi*, Πλουσιανὸς ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τοῦ Συλαίου.

IV. PAULUS.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus legitur *Paulus episcopus civitatis Syllæi Pamphyliæ provinciæ*, Παῦλος ἐπίσκοπος τοῦ Συλλαίου τῆς Παμφύλων. C

V. CONSTANTINUS, *hæreticus*.

Constantinus Copronymus Imp. coacta synodo multorum episcoporum, imaginum sacrarum venerationem proscripsit, ac viduatæ ecclesiæ Constantinopolitanæ *Constantinum, qui ex monacho Syllæi episcopus* erat, impietatis suæ consortem præfecit, Κωνσταντῖνον μοναχὸν γενόμενον ἐπίσκοπον τῆς Συλαίου. ait Theophanes ad annum Copronymi 12. quin etiam S. Nicephorus in Historia.

VI. ANTONIUS, *hæreticus*.

S. Nicephorus Constantinopolitanus, coacta synodo, *Antonium* Sylæi metropolitam ob hæresim sacris imaginibus infensam, quam profitebatur, sacerdotio privavit anno 812. Cujus concilii acta exstant Tom. 7. Concil. edit. Labb. col. 1282. in cujus fine *Antonio Silæi anathema* dicitur, ut pote perduelli, qui Leone Armeno Imp. catholicam doctrinam expugnabat, quam antehac, ejurata hæresi, dato scripto professus erat; quod in ejusdem concilii actis quæ supersunt insertum legitur: ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, Ἀμήν· Ἀντώνιος ἐλέῳ Θεοῦ μητροπολίτης Σιλαίου χειρὶ τῇ ἐμῇ ὑπέγραψα. Πιστεύοντες κ. τ. ἑ. *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Amen. Antonius metropolita Silæi manu mea subscripsi. Credentes, &c.* Hic est *Antonius Bursodepsus*, qui in vita S. Ignatii Constantinopolitani *ex metropolita Pergensi*, Byzantinus patriarcha à Michaële Balbo Imp. factus dicitur post Theodorum Cassiteram, τὸν Βυρσοδέψον καλούμενον Ἀντώνιον, μητροπολίτην μὲν ἤδη Πέργης γενόμενον, καὶ τῆς αἱρέσεως κοινωνὸν, ἀρχιερέα Κωνσταντινουπόλεως ἀποδείκνυσι. Ex incerto illo auctore historiæ Leonis Armeni, quæ post Theophanem à Goaro nostro edita est, priscum Antonii nomen *Cazymata* fuit, atque ex Grammatico, legumque perito; necnon ludimagistro, ob crimina quædam quorum reus agebatur, monachi institutum amplexus, *Antonii* sibi nomen accivit. Tum monasterii Metropolitarum præpositus factus, Dei permissione Sylæi paulopost conscendit thronum, οὐκ οἶδ' ὅπως ὕστερον ἐκ παραχωρήσεως Θεοῦ ἐγένετο καὶ ἐπίσκοπος εἰς τὸ Συλαῖον, unde ad Constantinopolitanum evectus fuit.

VII. Petrus.

In vita S. Joannicii qui temporibus Nicephori I. Leonis Armeni, & Theophili Imp. sacrarum imaginum hostium, in Bithynia monachus agebat, mentio fit *Petri* episcopi Sylæi. *Elapso anno,* ait ejus vitæ scriptor, *proposuimus pergere ad invisendum sanctissimum Petrum qui nunc est metropolita Syllæi,* ἐπισκέψεως χάριν κατελθεῖν πρὸς τὸν ἁγιώτατον Πέτρον, τὸν νυνὶ μητροπολίτην Συλλαίου. Vita sancti Joannicii ex cod. Coislin. 303.

VIII. Joannes I.

De Joanne qui ab aliis atque aliis Sylæi & Perges episcopus appellatur, atque Octavæ synodo interfuit, satis dictum est in episcopis Perges.

IX. Joannes II.

Sisinnius II. Patriarcha CP. anno mundi 6505. seu Christi 997. mense Febr. Ind. x. synodum habuit, in qua prohibitum est, ne duo fratres consobrinas duas ducerent. Aderat cum metropolitis aliis *Joannes Sylæi,* Ιωάννης Συλαίου. Jur. Græco-Rom. lib. 3. pag. 203.

X. Michael.

In illa synodo Michaëlis Cerularii quæ A Leonis Papæ IX. legatis anathema dixit, sedebat *Michaël Sylæi metropolita & Syncellus,* Μιχαὴλ Συλλαίου καὶ σύγκελλος. Leo Allat. Dissert. 2. de lib. Eccl. Græc.

XI. * * *

Isaacius Angelus Imp. coacta synodo, sancivit irritam fore episcopi cujusvis electionem, ad quam omnes & singuli præsules qui in Urbe præsentes fuerint, vocati non essent. Aderat metropolita *Sylæi,* ὁ Συλαίου. Jur. Græco-Rom. lib. 2. pag. 174.

XII. * * *

Georgius Pachymeres in Andronici I. Palæologi historia lib. 2. cap. 21. scribit, Athanasium quem Andronicus in patriarcham B promoverat, episcopos & clericos graviter offendisse, ac Gennadium Justinianæ primæ antistitem cum *Syllæota,* & τὸν Συλλαιώτην, seu *Syllæi metropolitam,* Imperatoremque ab eo monitum ut episcopis qui à patriarcha læsi erant, auxilio esset. Nomen ejus omisit Pachymeres.

Nullus alter subinde Syllæi occurrit metropolita, ea urbe totaque regione à barbaris occupata & vastata.

III. ECCLESIA TERMESSI.

Ut Lyciæ veteris, ita Pisidiæ itidem antiquæ civitates *Termessus* vel *Telmessus* olim dictæ fuerunt. Termessus vero Lyciæ, haud procul Pataris ad mare posita erat, in Cariæ finibus; quæ ipsa Pisidiæ profecto est, atque ab Arcadio vel Theodosio juniore Imp. Pamphyliæ secundæ attributa fuit. De ista Strabo lib. 14. ait: *Supra Phaselidem mons est Solyma, & Termessus Pisidiæ civitas,* καὶ Τερμησσὸς Πισιδικὴ πόλις, *angustiis montis apposita, per quas transitus est in Milyadem.* Qui mons istic *Solyma* dicitur, lib. 13. Σόλυμος λόφος, *Solymus tumulus* vertexque, nomine masculini generis, ab eodem auctore dictus erat: propter quem sive tumulum, sive montem Telmessenses *Solymos* fuisse appellatos monet. In Notitia Hierodis Pamphyliæ civitates sunt Ζοβία, Θερμισσὸς καὶ Εὐδοκίας, *Zobia, Thermessus, & Eudocias.* In aliis Pamphyliæ secundæ sunt, omissa Zobia, *Eudocias & Telmessus,* ὁ Εὐδοκιάδος, ὁ Τελμισσοῦ. Cæterum Zobia, Termessus & Eudocias unius aliquando episcopi Termessi regimini subditæ fuerunt.

EPISCOPI TERMESSI.

I. Evresius.

In Nicænorum Patrum indice, *De provincia Pamphyliæ* legitur, *Evresius Termissensis.*

II. Timotheus.

Ad synodum Ephesinam venit *Timotheus episcopus Termessi & Eudociadis,* ejusque decretis subscripsit Τιμόθεος ἐπίσκοπος Τερμισσοῦ καὶ Εὐδοκιάδος. Hic tamen subscriptus quoque reperitur Contestationi, qua multi episcopi primùm intercesserunt, ne Cyrillus Alexandrinus concilium celebrare inciperet ante adventum Orientalium, *Timotheus episcopus Termessi & Eudociadis.*

C

III. Sabinianus.

Conciliis illis duobus, in quibus Eutyches coram Flaviano CP. & Thalassio Cæsariensi hæretici dogmatis convictus fuit, aderat *Sabinianus episcopus sanctissimæ ecclesiæ Termissi, Eudociadis & Iobiæ* (forte *Zobiæ*) Σαβινιανὸς ἐπίσκοπος τῆς κατὰ Τερμισσὸν καὶ Εὐδοκιάδα, Ιωβίαν ἁγιωτάτης ἐκκλησίας.

IV. Auxentius.

Epistolæ synodi provinciæ Pamphyliæ secundæ ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini subscripsit *Auxentius episcopus Termissæ.*



IV. ECCLESIA EUDOCIADIS.

SEcundæ Pamphyliæ episcopatus est *Eudocias* in omnibus Notitiis ecclesiasticis, præter Eudociadem Lyciæ. Vix ambigere quis possit, quin id nominis habuerit ab Eudocia Augusta Theodosii junioris uxore, vel si *Eudoxias* Εὐδοξιας dicatur, ut apud Hieroclem cui Thermesso jungitur, ab *Eudoxia* Arcadii Imp. conjuge. Vetus vero, an nova civitas hæc fuerit, incertum est. Unum fuisse Termessi, Eudociadis & Zobiæ vel Iobiæ episcopatum mox ostensum est in *Termesso*. Subinde vero præsulem proprium Eudocias obtinuit post Chalcedonense concilium.

EPISCOPI EUDOCIADIS.

I. TIMOTHEUS.

II. SABINIANUS.

DE *Timotheo* & *Sabiniano* Termessi & Eudociadis episcopis jam dictum est.

III. INNOCENTIUS.

Epistolæ synodi Pamphyliæ secundæ ad Leonem Imp. subscriptus legitur *Innocentius episcopus Eudocianæ*, sive *Eudociadis*.

IV. CONSTANTINUS.

A Canonibus Quinisextæ synodi, quæ in Trullo dicitur, subscripsit *Constantinus episcopus civitatis Eudociadis Pamphyliæ*, Κωνσταντῖνος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος πόλεως Εὐδοκιάδος τῆς Παμφυλίας.

V. CALLISTUS.

In Septima synodo generali inter Pamphyliæ episcopos sedit & subscripsit *Callistus episcopus Eudociadis*, Κάλλιστος ἐπίσκοπος Εὐδοκιάδος.



V. ECCLESIA MAXIMIANOPOLIS.

MAXIMIANOPOLIS quoque civitas est Pamphyliæ in Notitia Hieroclis, ac secundæ prorsus in Græcis aliis, de Galerii Maximiani utique Imp. nomine appellata.

EPISCOPI MAXIMIANOPOLIS.

I. PATRICIUS.

IN indice Patrum Nicænorum, *De provincia Pamphyliæ*, censetur *Patricius Maximianopolitanus.*

II. THEOSEBIUS.

B Synodicæ ad Leonem Imp. epistolæ episcoporum Pamphyliæ, sub Pergensi metropolita subscripsit *Theosebius episcopus Maximianopolis.*



VI. ECCLESIA PALÆOPOLIS.

PALÆOPOLIS, Παλαιούπολις, Pamphyliæ quoque civitas est apud Hieroclem, ac secundæ in Notitiis Græcis aliis, cujus situm apud priscos auctores frustra quæro.

EPISCOPI PALÆOPOLIS.

I. LIBANIUS.

SYnodo generali Ephesinæ primæ adsuit & subscripsit *Libanius episcopus Palæaspoleos*, h. e. *antiquis civitatis*, Λιβάνιος ἐπίσκοπος παλαιᾶς πόλεως, vel ut codices quidam Græci habent, Παλαιουπόλεως, *Palæopolis*. Qui tamen subscriptus perinde reperitur Contestationi multorum episcoporum, qui obstiterunt ne synodi celebratio inchoaretur ante adventum C Joannis Antiocheni & Orientalium. Attamen subinde ad sententiam legitimi concilii accedendum satiùs duxit.

II. PORPHYRIUS.

Inter episcopos Pamphyliæ qui synodicæ epistolæ ad Leonem Imper. cum Epiphanio Pergensi subscripsere, tertius est, *Porphyrius episcopus Palæopolis.*



VII. # ECCLESIA PETNELISSI.

PETNELISSUS, Πετνηλισσός, Straboni Pamphyliæ veteris, ad Eurymedontem fluvium oppidum fuit, quod apud Plinium *Pletennissus* dicitur. *Oppida ejus* (Pamphyliæ scilicet) *Side, & in monte Aspendum, Pletenissum, Perga.* Apud Ptolemæum Πεδνελισσός, *Pednelissus* legitur: quamquam codex Palatinus habet Πλετενισσός, *Pletenissus*, ut apud Plinium. Ipsa forsan fuerit quæ apud Hieroclem corrupta voce Πασολησισσός, *Pastolerisus* scribitur: in Notitiis vero aliis Pamphyliæ secundæ censetur. Quum Plinius Aspendum in monte positam ferat, huic superior eminet Straboni *Petnelissus*, ὑπέρκειται ταύτης Πετνηλισσός. Atqui veteris Pisidiæ Straboni & Ptolemæo censetur, Pamphyliæ vero Plinio, quum nempe in Pamphyliæ finibus sita esset.

EPISCOPI PETNELISSI.

I. HERACLIDES.

DE provincia Pamphyliæ synodo Constantinopolitanæ generali primæ interfuisse legitur *Heraclides Ptynsensis*, lego *Petnelissensis*.

II. MARTINUS.

Inter episcopos Pamphyliæ qui cum Epiphanio Pergensi synodicæ ad Leonem Augustum epistolæ subscripserunt, legitur *Martinus episcopus Pellensis*, pro *Petnelissensis*, errore librariorum.

VIII. # ECCLESIA ARIASSI.

ARIASSUS, Αριασσός, Pamphyliæ civitas est Hierocli, ac secundæ in Notitiis aliis, quam Ptolemæus in Carballia regione collocat.

EPISCOPI ARIASSI.

I. PAMMENIUS.

INter Patres Constantinopolitanæ synodi generalis prioris *De provincia Pamphyliæ* habetur, *Pammenius*, vel potius *Panemius Ariassensis*.

II. THEOPHILUS.

Concilio Chalcedonensi inter episcopos Pamphyliæ secundæ *Theophilus episcopus Ariassi* adfuit & subscripsit, Θεόφιλος ἐπίσκοπος Αριασσοῦ.

III. JOANNES.

Epistolæ synodi Pamphyliæ ad Leonem Imp. subscripsit *Joannes episcopus Ariassi.*

IX. # ECCLESIA ADRIANÆ.

ADRIANA vel *Adrianam*, in Pamphylia quoque habent ecclesiarum Notitiæ, ut & alteram in Bithynia; alii vero scriptores non indicant, præter acta synodorum.

EPISCOPI ADRIANÆ.

I. MICCUS.

SYnodicæ epistolæ episcoporum Pamphyliæ ad Leonem Imperat. subscriptus legitur *Miccus episcopus Adrianopoli.* Nomen *Miccus* corruptum esse nemo negaverit: interpres insuper *Adrianopolim* dixerit, ubi legebat Αδριανῆς πόλεως, *Adrianæ civitatis.*

II. JOANNES.

Quinisextæ synodi canonibus subscripsit *Joannes episcopus civitatis Adrianæ Pamphyliæ*, Ιωάννης ἐλάχιστος ἐπίσκοπος πόλεως Αδριανῆς τῆς Παμφυλίας. Qui omnino secernendus à Joanne Adrianæ Bithyniæ, qui inter Sextæ synodi Patres legitur.

III. CONSTANS.

Inter episcopos Pamphyliæ secundæ in Septima synodo sedit & subscripsit *Constans episcopus Adrianus*, sive *Adrianæ*, Κώνστας ἀνάξιος ἐπίσκοπος Αδριανῆς. Latini codices habent *Constantinus*.

IV. SOPHRONIUS.

Huic Adrianæ civitati tribuendum æstimo *Sophronium Adrianopolis*, qui Photianæ synodo sub Joanne VIII. Papa adfuisse & subscripsisse legitur, Σωφρονίου Αδριανουπόλεως, Σωφρόνιος Αδριανουπόλεως.

X. ECCLESIA CREMNARUM.

CREMNÆ, Κρῆμνα, vel Κρέμνα, *Cremna,* in Notitiis episcopatuum Pamphyliæ secundæ civitas est, ὁ Κρημνῶν. Apud Ptolemæum in Pisidia collocatur, *Cremna colonia, Cremnam habent Romanorum coloni,* inquit. Cremnam Strabo, ex Artemidoro inter Pisidiæ veteris urbes numerat.

EPISCOPI CREMNARUM.

I. THEODORUS.

IN Septima synodo inter episcopos Pamphyliæ secundæ sedit & subscripsit *Theodorus episcopus Cremnarum*, Θεόδωρος ἐπίσκοπος Κρημνῶν.

XI. ECCLESIA MAGYDIS.

MAGYDIS, Ptolemæo Pamphylii litoris civitas post Phaselidem, inter Catarrhecti & Cestri ostia, scribitur Μάγυδις & Μάγυδος *Magydus.* Hanc Notitiæ omnes habent.

EPISCOPI MAGYDIS.

I. APHRODISIUS.

INter Nicænæ synodi patres *De provincia* A *Pamphyliæ* legitur *Aphrodisius Magydeos.*

II. MACEDONIUS.

Chalcedonensi concilio interfuit *Macedo episcopus civitatis Magydi,* Μακέδων ἐπίσκοπος πόλεως Μάνδου: legendum Μαγύδου, ut act. 1. quando & Latina translatio ubique habet, *Macedo Magydi:* qui subscriptus quoque legitur synodico decreto Gennadii Constantinopolitani *de Simoniacis,* quod exstat in Jure Græco-Rom. pag. 189. ubi dicitur *episcopus* B *Mandrorum,* Μακεδὼν Μανδρῶν.

III. CONON.

Quintæ synodo generali de Tribus capitulis interfuit & subscripsit *Conon episcopus Magædensis,* sive *Magydensis.* Solent Græci amanuenses oscitantius *οι* pro *υ* scribere.

IV. PLATON.

Sextæ quoque synodo *Plato episcopus Magydorum Pamphyliæ,* Πλάτων ἐπίσκοπος Μαγύδων τῆς Παμφυλίας, qui & subscriptus quoque legitur canonibus Quinisextæ synodi, Πλάτων ἐπίσκοπος πόλεως Μανδέων τῆς Παμφύλων ἐπαρχίας, ubi emendandum Μαγυδέων.

V. MARINUS.

Septimæ synodo, *Marinus episcopus Magydorum,* Μαρῖνος ἐπίσκοπος Μαγύδων. Latini codices habent *Marianus.*

XII. ECCLESIA COMMACI.

COMMACUM, Κόμμακον, Pisidiæ civitas est Ptolemæo, alia à Conana seu Conanis Caballiæ, de qua dictum est in altera Pamphylia. Suos olim episcopos habuit, Pergensi metropolitæ subjectos, licet omissa sit in Notitiis.

EPISCOPI COMMACI.

I. HEPHÆSTIUS.

IN subscriptionibus epistolæ synodicæ provinciæ Pamphyliæ ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini, subscriptus legitur *Ephesius episcopus Comanus:* sed emendandum, *Hephæstius episcopus Commaceus* vel *Commacensis.*

II. JOANNES.

C Relationi synodi Constantinopolitanæ ad Joannem patriarcham de Severo ejusque sociis hæreticis subscripsit *Joannes episcopus Commacorum civitatis Pamphyliæ regionis.* Græcus contextus habet: Ιωάννης ἐπίσκοπος Υμάτων πόλεως τῆς Παμφυλίων ἐπαρχίας, ubi proinde legendum Κομάκων vel Κομμάκων.



XIII. ECCL. PUGLORUM.

XIII. ECCLESIA PUGLORUM.

POGLA, Πόγλα, vel Πόδγλα, *Pugla* Ptolemæo Pisidiæ civitas est; Pamphyliæ secundæ in Notitiis episcopatuum, cujus mihi situs incertus.

EPISCOPI PUGLORUM.

I. PAULUS.

IN concilio Chalcedonensi sedit & subscripsit Παῦλος ἐπίσκοπος πόλεως Πούγλων, *Paulus episcopus civitatis Puglorum*: male in translatione Latina *Tlosorum* act. 1. & 2. Παύλου Πούγλων. *Paulus Pugli* subscripsit quoque epistolæ synodi Pamphyliæ ad Leonem Imp. *Paulus episcopus Puglensis.*

A

II. NICEPHORUS.

In Septima synodo *Nicephorus episcopus Phoglon*, seu *Phuglorum*, aut *Puglorum*, ubi jungitur Marino Magydorum Pamphyliæ, Νικηφόρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Φόγλων.

XIV. ECCLESIA ATTALIÆ.

ATTALIA, Ἀτάλεια, Pamphyliæ civitas est Ptolemæo, ut & Straboni, ad mare Pamphylium, post Catarrhactem fluvium, Orientem versus, quæ hodie *Satalia* nominatur, & à qua *sinus Satalicus*. Quarta Pamphyliæ civitas est Attalia in Notitia Hieroclis, secundæ secunda in vetustis aliis. In actis synodi Ephesinæ *metropolis* dicitur, utique librarii cujusdam temerario ausu, postquam Attalia anno mundi 6592. Christi 1084. sub Eustathio patriarcha Byzantino Alexii Comneni sanctione metropoliticis juribus aucta est, ut additum legitur in Notitia Leonis Sapientis Imp. pag. 97. & 98. Jur. Græco-Rom. Urbis hujus ecclesiam à Paulo & Barnaba Apostolis fundatam colligo ex cap. 14. Act. v. 25. ubi Lucas narrat, eos, quum in Perge Pamphyliæ loquuti essent verbum Domini, *descendisse in Attaliam*. In tabulis ecclesiasticis die 26. Februarii memoria fit SS. Papiæ, Diodori, Cononis & Claudiani, qui sub Decio Imp. & Pollione Præside Attaliæ in Pamphylia martyrium obierunt. Temporibus Zonaræ, ut & Balsamonis *Attalia* dicta est regio, quæ Pamphylia prius appellabatur, Παμφυλία δὲ ἐστιν ἡ τῆς Ἀτταλίας ἐπαρχία. Cæterum ex quo Turci Asiæ regiones omnes obtinuerunt, seu potius desolaverunt, in Pamphylia seu Attalia Christianorum numerus adeo est imminutus, ut illorum curam gerat Pisidiæ metropolita, qui *Sidæ, Myrorum, Attaliæ Exarchus* nuncupatur, ὁ Πισιδίας & Σίδης, Μυρέων καὶ Ἀτταλείας ἔξαρχος. ut fertur pag. 506. Turco-Gr.

EPISCOPI ATTALIÆ.

I. EUSTATHIUS.

II. THEODORUS.

B

IN fine actorum Ephesini concilii exstat epistola tamquam à Patribus scripta, πρὸς τὴν ἐν Παμφυλίᾳ ἁγίαν σύνοδον περὶ Εὐσταθίου τοῦ γενομένου αὐτῶν μητροπολίτου, *ad sacrum Pamphyliæ concilium de Eustathio, qui ipsorum metropolita fuerat*, quique, quum rite & ex canonum præscripto ordinatus esset, orto tamen apud suos tumultu, episcopatum libello dato abdicaverat, ita ut ejus loco alter, *Theodorus* nomine, suffectus esset, cujus ordinationem synodus Ephesina suis hisce literis confirmabat. Atqui Theodorus hic Sidæ Pamphyliæ metropolita non erat, sed Amphilochius; non Perges, sed Berenianus; adeoque Attaliæ antistes; quando nempe Theodorus Attaliæ eidem synodo vere adsuit & subscripsit; Θεόδωρος ἐπίσκοπος Ἀττάλων, *Theodorus episcopus Attalorum*. Hic tamen perinde subscripserat illi quam sæpe appellavi Contestationi à multis episcopis Cyrillo Alexandrino directæ, ne concilii celebrationem quamprimùm inchoaret.

C

III. JOANNES.

Relationi synodi Constantinopolitanæ ad Hormisdam Papam de ordinatione Epiphanii urbis Regiæ archiepiscopi subscriptus legitur *Joannes misericordia Dei Attaliensis episcopus*, Pamphyliæ utique, nisi Lydiæ.

IV. SYMEON.

In Photiana synodo, *Symeon Attaliæ*, Συμέων Ἀτταλείας, utrius, incompertum.

V. NICOLAUS.

Anno mundi Constantinopolitano 6609. Christi 1156. Manuële Comneno Imp. celebrata synodus est in urbe Regia, in qua Luca Chrysoberge patriarcha præside Soterichus Panteugenus Antiochiæ patriarcha electus ob errorem de Christi sacrificio quem tuebatur, proscriptus fuit. Sedebat cum aliis metropolitis *Nicolaus Attaliæ*. Leo Allat. Vind. Syn. Ephes. pag. 585.

XV. ## ECCLESIA COLBASÆ.

IN Notitia Hieroclis vigesima secunda Pamphyliæ civitas est *Kolbara*, Κόλβαρα, seu potius Κόλβασα, *Colbasa*, quæ suos quoque episcopos habuit, etsi nulla ejus est in Notitiis aliis mentio, nisi ipsa sit quæ *Obasa* Ptolemæo in Pisidia veteri : sed & Olbasa in Antiochena regione Cappadociæ veteris posita erat eidem Ptolemæo cap. 7.

EPISCOPI COLBASÆ.

I. TRYPHON.

INter Patres Constantinopolitanæ synodi sub Menna patriarcha sedisse reperitur, *Tryphon episcopus civitatis Colbasenorum provinciæ Pamphyliæ*, Τρύφων ἐπίσκοπος τῆς Κολβασέων πόλεως τῆς Παμφυλίων ἐπαρχίας. A

XVI. ## ECCLESIA SANDIDORUM.

IN Notitiis Græcis episcopatuum Pamphyliæ secundæ *Sandida* civitas est, ὁ Σανδίδων, ipsaque esse videtur quæ amanuensium imperitia in Notitia Hieroclis Σινδαύνδα *Sendaunda* dicitur. Nulla ejus aliàs apud auctores fit mentio.

EPISCOPI SANDIDORUM.

I. LEO.

QUum in actis concilii Septimi generalis B passim occurrat inter episcopos Pamphyliæ secundæ *Leo episcopus Andidorum* subscriptus, Λέων ἐπίσκοπος Ανδίδων : Omnino emendandum assero, ἐπίσκοπος Σανδίδων, *episcopus Sandidorum*. Solent enim, ut jam alias dictum est, ubi vox una litera ς desinit, aliaque insequens à simili elemento incipit, alterutrum omittere. Cæterum in translatione Latina act. 7. *Leontius* dicitur.

II. THEODORUS.

Leo Allatius lib. 3. De consens. cap. 15. n. 4. expositionem Missæ appellat *Theodori Andidorum*, cujus & fragmentum recitat, *Theodorus Andidorum in expositione Missæ, &c.* pro Θεόδωρος Ανδίδων, seu potius Θεόδωρος Σανδίδων, omissa litera Σ. ab oscitantiore amanuensi, propter similem literam, qua vox Θεόδωρος finitur.

XVII. ## ECCLESIA LYSINIÆ.

LYSINIA, Λυσινία, Ptolemæo inter Pisidiæ urbes censetur, quæ Pamphyliæ secundæ fuisse colligitur ex epistola synodica episcoporum ejusdem provinciæ ad Leonem Imp. de morte S. Proterii Alexandrini.

EPISCOPI LYSINIÆ.

I. APAGAMUS.

IN indice Latino Patrum Nicænorum inter episcopos Pisidiæ legitur *Apagamius Lisiniensis*. Legero *Apragmonius*.

II. EUGENIUS.

Epistolæ synodicæ conventus Arianorum Philippopolitani, qui à Sardicensi concilio recesserant, subscriptus legitur *Eugenius episcopus de Lisitia* : emendo *de Lysinia*.

III. DIODOTUS.

C Synodo Chalcedonensi adfuit & subscripsit inter Pamphyliæ secundæ præsules *Diodotus episcopus civitatis Lysinæorum*. Διόδοτος ἐπίσκοπος πόλεως Λυσιναιών. qui act. 1. & 2. *Theodotus* nominatur Θεοδότου. Subinde subscripsit epistolæ synodicæ episcoporum provinciæ Pamphyliæ sub Epiphanio Pergensi ad Leonem Imp. *Diodotus episcopus Lysinensis*. In codicibus Latinis perperam scribitur *episcopus Lysimachorum*.



XVIII.

ECCLESIA CORDYLI.

CORDYLUS, Κόρδυλος, Pamphyliæ urbs est Stephano Byzantino, quæ in Notitia Hieroclis Κοδρύλα, *Codryla,* neutrius generis plurali nomine scribitur. Hanc aliæ Notitiæ non habent, cujus tamen in actis synodorum est mentio. Eamdem hanc esse puto ac quæ in Notitiis Κορύδαλα vel Κορυδάλλα *Corydalla* dicitur. ὁ Κορυδάλων.

EPISCOPI CORDYLI.

I. MARAS.

IN synodo Chalcedonensi cum aliis Pamphyliæ præsulibus sedit & subscripsit *Maras episcopus civitatis Codrylorum per Marcellinum episcopum Isindorum,* Μαρᾶς ἐπίσκοπος πόλεως Κοδρύλων. Subscripsit quoque epistolæ synodi Pamphyliæ ad Leonem Imp. *Maras episcopus Codri,* seu *Codryli.*

II. GEORGIUS.

A Trullanis canonibus subscriptus legitur, Γεώργιος ἐπίσκοπος πόλεως Κοδρυλέων τῆς Παμφύλων ἐπαρχίας, *Georgius episcopus Codrylensium provinciæ Pamphyliæ.*

III. JOANNES.

In Septima synodo generali cum aliis Pamphyliæ secundæ præsulibus, *Joannes episcopus Codrylorum,* Ιωάννης ἀνάξιος ἐπίσκοπος Κοδρούλων.

XIX.

ECCLESIA LAGANIÆ.

NOtitiæ Græcæ episcopatuum in Pamphylia secunda *Laganiam* vel *Lagina* habent, ὁ Λαγανίας, *episcopus Laganiæ,* ὁ Λαγίνων, *episcopus Laginorum:* quæ certe urbs alia est à Lagina quam Strabo in Caria collocat. Ejus nusquam meminit Hierocles. Fuit & Lagania in Galatia prima episcopalis civitas, quam Notitiæ nesciunt.

EPISCOPI LAGANIÆ.

I. ZACHARIAS.

QUinisextæ synodi canonibus subscripsit *Zacharias episcopus civitatis Lagenorum* seu *Laginorum Pamphyliorum provinciæ.* Ζαχαρίας ἐλάχιστος ἐπίσκοπος πόλεως Λαγηνῶν τῆς Παμφυλίων ἐπαρχίας.

II. CONSTANS.

In actis synodi Septimæ passim inter Theodorum Cremnarum, & Constantinum Adrianæ & alios Pamphyliæ episcopos occurrit, *Constans episcopus Lagnorum,* Κώνστας ἐπίσκοπος Λάγνων. In translatione Latina, *Constantinus episcopus Laginorum.* B

III. ELIZÆUS.

IV. BASILIUS.

In synodo quæ S. Ignatio Constantinopolitano mortuo ob Photii restitutionem habita est, sederunt & subscripserunt *Elizæus Lagenorum, & Basilius Lagenorum,* Ελισαίου Λαγηνῶν, Ελισαῖος Λαγηνῶν. Βασιλείου Λαγηνῶν, Βασίλειος Λαγηνῶν.

XX.

ECCLESIA PANEMOTICHI.

PAmphyliæ civitas quoque est in Notitia Hieroclis *Panemotichus,* Πανεμούτειχος, cujus nulla alibi mentio, nisi in actis conciliorum. Nummi exstant Juliæ Domnæ, qui inscribuntur ΠΑΝΕΜΟΥΤΕΙΧΙΤΩΝ, *Panemotichitarum.*

EPISCOPI PANEMOTICHI.

I. FAUSTUS.

IN indice Patrum Nicænorum *de provincia Isauriæ,* veteris scilicet, cujus pars Pamphyliæ secundæ facta est, legitur *Faustus Panemuthensis,* sive *Panemutichensis.*

II. CRATIANUS.

Act. 3. synodi Chalcedonensis sententiam adversus Dioscorum Alexandrinum dixit *Cratianus episcopus Panormensis,* ut Latina fert translatio in codicibus etiam quos in Nova collectione sua clariss. Baluzius retulit; ut C vero Græcus contextus, Κρατῖνος Πανόρμου, *Cratinus Panormi,* velut in indice Maffæi, *Cratianus Panormensis.* Quum vero à librariis Latinis, nescio quo casu ad subscriptiones synodi Romanæ quintæ Symmachi Papæ adjectæ complures sint ex concilio Chalcedonensi acceptæ, in his legitur, *Cratinus Panemutensis,* hoc est profecto *Panemitichensis.* Nam in illis provinciis nusquam civitas *Panormus* occurrit.

ECCLESIA Panemotichi.

III. HIERIUS.

Epistolæ provinciæ Pamphyliæ secundæ ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini; subscripsit *Hierius episcopus Panemotichi*: forte *Pierius*.

A

IV. HELLADIUS.

Synodo Constantinopolitanæ sub Menna adfuit, subscripsitque *Helladius episcopus ecclesiæ Panemotichensis*, Ἑλλάδιος ἐπίσκοπος τῆς κατὰ Πανέμου τεῖχος ἐκκλησίας.

XXI. # ECCLESIA PERBÆNORUM.

PERBÆNA in Notitiis episcopatuum Pamphyliæ secundæ censentur, ὁ Περβαίνων, cujus civitatis nulla alibi mentio.

EPISCOPI PERBÆNORUM.

I. POLEMON.

Epistolæ synodi Pamphyliæ ad Leonem Imp. de nece Proterii Alexandrini subscriptus reperitur *Polemon episcopus Tebennorum*, pro *Perbænorum*.

XXII. # ECCLESIA ISINDORUM.

ISINDUS in Notitiis episcopatuum civitas est Pamphyliæ secundæ, ὁ Ἰσίνδου, quæ Polybio legat. 31. Ἰσίονδα, *Isionda* dicitur, Ptolemæo Πίσινδα, *Pisinda*: Σίνδα vero scribitur apud Hieroclem. Strabo quoque lib. 12. ex Artemidoro *Sinda* scripsit: *Artemidorus ex Pisidarum civitatibus esse dicit Selgam, Sagalassum, Petnelissum, Adadatem, Briadem, Cremnam, Pityassum, Ambladem, Aabura, Sinda, Aarassum, Tarbassum.* Iterum libro 13. narrato præcipuarum Phrygiæ civitatum situ, necnon Antiochiæ ad Mæandrum quæ ad Cariam spectabat, *Australia*, inquit, *Cybyra quæ magna est, & Sinda, & Cabaliensis ager usque ad Taurum & Lyciam.* Librum item absolvit his verbis: *Milyas montana est, quæ ab angustiis Termesi, & à transitu qui per eas fit ad exteriora Tauri ad Sinda pertendit usque ad Apamiensium regionem & Sagalassum.* Quæ confirmant Sindam veteris Pisidiæ quidem fuisse, sed Phrygiæ vicinam, quæ Pamphyliæ secundæ attributa subinde est, uti Selge, Petnelissus, Cremna, &c.

EPISCOPI ISINDORUM.

I. CYRILLUS.

Inter episcopos Isauriæ qui Nicæno concilio interfuerunt, legitur *Cyrillus Sindensis*, ut & *Nestor Syedrorum*; quæ posterior civitas Pamphyliæ postmodum censita est.

II. ÆDESIUS.

Ad Ephesinam synodum venit *Cyrillus episcopus Isindorum*, & Contestationi subscripsit illorum episcoporum qui intercesserunt, ne Cyrillus Alexandrinus Patres ad concilium cogeret ante Joannis Antiocheni adventum; qui tamen mox illis quæ sancta synodus adversus Nestorium act. 1. statuit, ultro suffragatus est, post Timotheum Termessi & Eudocia-B dis subscribens: Κύριλλος ἐπίσκοπος Ἰσιώνδων: Legendum prorsus Ἰσίνδων, *Cyrillus episcopus Isindorum.* Multi codices Græci & Latini habent Σύδων pro Σίνδων vel Ἰσίνδων.

III. MARCELLINUS.

Chalcedonensi concilio interfuit & subscripsit *Marcellinus episcopus civitatis Isindorum*, Μαρκελλῖνος ἐπίσκοπος πόλεως Ἰσίνδων. In indicibus Latinis Maffæi & Pithœi censetur inter episcopos Pergensi metropolitæ obnoxios.

IV. THALLELÆUS.

Quintæ synodo generali, *Thallelæus misericordia Dei episcopus civitatis Isindorum provinciæ Pamphyliæ.*

V. IGNATIUS.

Synodo quæ sub Joanne Papa VIII. ob Photii restitutionem habita est, *Ignatius Isindi*, Ἰγνατίου Ἰσίνδου, Ἰγνάτιος Ἰσίνδων.

XXIII. # ECCLESIA ZENOPOLIS.

ZENOPOLIS, Ζηνόπολις, in Isauria fuit, alia item in Lycia: tertiam reperio in Pamphylia. Synodo quippe generali Quintæ adfuit & subscripsit *Gennadius misericordia Dei episcopus Zenopolitanorum civitatis provinciæ Pamphyliæ.* Utrius vero Pamphyliæ, non prorsus compertum est.



XI. PROVINCIA PISIDIÆ.

I. ECCLESIA ANTIOCHIÆ, METROPOLIS.

ANTIOCHIA Pisidiæ metropolis nominatissima civitas est, alia ab illa quæ in Caria ad Mæandrum condita fuit; de qua Plinius; *Insident verticem regionis Homonadum Pisidæ quondam Solymi appellati, quorum colonia Cæsarea, eadem Antiochia.* Imo Romani plane coloniam in eam deduxere, ut auctor est Strabo, ἔχουσι ἀποικίαν Ῥωμαίων, quum à regibus qui illam tenebant, liberata esset. Hinc est quod Paulus leg. 7. Digest. de censib. hanc *Italici juris coloniam dicit.* Eam Strabo partim in campo jacere, partim in colle exsistere fert. *Præter-montana regio*, inquit, *jugum quoddam habet in monte, quod ab ortu occasum versus extenditur. Huic utrimque magna planities subjacet, in qua urbes sunt ad Septemtrionem, Philomelium, ex altera parte Antiochia juxta Pisidiam.* In actis concilii Chalcedonensis *Antiochia salutaris* cognominatur. Nihili faciendum est, quod duplicem Antiochiam in illis regionibus statuere Ptolemæus videtur, quando viris doctis compertum est, adeo accuratum illum non fuisse, ut eamdem urbem aliquando duplicarit. Ecclesiæ Christianæ in Antiochia Pisidiæ institutores primi fuerunt Apostoli Paulus & Barnabas, ut refert Lucas Act. 13. v. 14. qui nempe Perge egressi, Antiochiam Pisidiæ venerunt, dieque sabbatorum, quum in synagoga sederent, post lectionem Legis & prophetarum, miserunt ad eos synagogæ principes, ut sermonem ad plebem haberent. Tum Paulus indicto manu silentio, de Christo necessariaque in eum Fide peroravit. Judæi vero rogarunt ut altero sabbato de iisdem iterum diceret, ac dimisso conventu multi interim ex Judæis & proselytis Paulo adhæsere. Sequenti sabbato pene universa civitas convenit ad audiendum verbum Dei: quod Judæorum zelum, sive invidentiam, commovit propter Gentiles qui aderant; unde contradicebant iis quæ Paulus prædicabat. Quamobrem Paulus & Barnabas dixere: *Oportebat primùm vobis loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus: Posui te in lucem gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ.* His auditis, Gentiles complures crediderunt, verbumque Domini in universam regionem disseminatum est: Judæi vero honestarum quarumdam feminarum, primorumque civitatis opera effecerunt ut Apostoli de finibus illorum ejicerentur. Cæterum Lucas cap. 14. v. 20. narrat eosdem Apostolos, Lystra, Iconium & Antiochiam, Pisidiæ scilicet, reversos, discipulorum animos confirmasse, constitutisque per civitates presbyteris, sive episcopis, post orationes & jejunia commendasse illos Domino; unde Pisidiam Pamphyliamque peragrarunt. Jam à me dictum est, videri posse Siden Pamphyliæ primariam civitatem Iconiensi metropolitæ obnoxiam fuisse, quia Photio teste Amphilochius Iconiensis synodum in ea celebravit 25. episcoporum adversus Massalianos: ita quoque eidem Amphilochio Pisidiam perinde subjectam fuisse colligo ex epistola S. Basilii 393. qua illi dignitate episcopali aucto gratulabatur. Illum ait *ineluctabilibus divinæ gratiæ retibus captum,* ad interiora Pisidiæ adductum, εἰς τὰ μετὰ τῆς Πισιδίας. Quo significatur illo tempore Iconium quæ Lycaoniæ metropolis fuit, Pisidiæ veteris esse censitam, cujus etiam caput esset. Sed plura de Iconiensis præsulis in varias regiones potestate dicam in Iconiensi ecclesia. Monere sufficiat, Antiochiam, de qua mihi sermo est, in Notitia Hieroclis, & in aliis veteribus Pisidiæ metropolim esse.

EPISCOPI ANTIOCHIÆ.

I. EUDOXIUS.

S. EUSTOCHIUS martyr in Menologiis Græcorum die 23. Junii, ex sacerdote idolorum christianus factus dicitur, baptizatusque ab *Eudoxio Antiochiæ Pisidiæ episcopo*, ab illoque posthac presbyter ordinatus, Lystris martyrium obiisse cum Gaino consobrino suo.

II. Optatus.

III. Anthimus.

IV. Cyprianus.

In Actis SS. Justinæ & Cypriani, Latinis præsertim quæ exstant, tres occurrunt Antiochiæ (Pisidiæ utique, non Syriæ) episcopi, *Optatus*, quem Aëdesius Justinæ parens, falsorum numinum sacerdos, adiit ut Christo nomen daret, & à quo presbyterii gradum accipere meruit; *Anthimus* Optati successor proximus, qui Justinam Diaconissam instituit, & *Cyprianus*, qui ad diem 20. Julii Christianus factus, post Anthimum ad ejus sedem evectus est. Vid. Tom. 3. Anecdot. Edm. Martene. Obiter hîc observare liceat, in libris Græcorum S. Marinam virginem Antiochiæ Pisidiæ Aëdesio quoque idolorum sacrificulo natam ferri.

V. Sergianus.

Concilii Ancyrani quod ante Nicænum anno circiter 314. celebratum fuit, subscriptus legitur, *Sergianus Antiochenus Pisidiæ.* Perperam vero additur, *sive Cariæ,* quando alia fuit Antiochia Cariæ, ad Mæandrum posita, & alia Antiochia Pisidiæ.

VI. Antonius.

Inter Isauriæ episcopos qui Nicæno concilio interfuerunt, in indice legitur, *Antonius Antiochensis;* ac certè Antiochiæ Pisidiæ, ut pote quæ Isaurorum regioni affinis erat.

VII. Optimus.

In indice quoque Patrum concilii Constantinopolitani generalis prioris, *De provincia Pisidiæ*, primus est *Optimus Antiochenus*, qui cum aliis præcipui nominis præsulibus à synodo delegatus fuit ad instaurandas ecclesias quæ Arianorum factionibus vastatæ erant: quod narrant Socrates lib. 5. hist. c. 8. Theodoretus lib. 5. cap. 3. Hic porro Gregorii Nazianzeni testamento subscripsit: quin & Palladius Dial. de S. Joann. Chrysost. p. 166. eum Constantinopoli vita functum testatur, eique sanctissimam viduam Olympiadem oculos clausisse, postquam Chrysostomi causam strenuè defenderat, Ὀπτίμου δὲ τελευτῶντος ἐν Κωνσταντινουπόλει.

VIII. Tranquillinus.

Ad Ephesinam synodum primam venit, statimque Contestationi, qua multi episcopi Cyrillum Alexandrinum interpellarunt, ut synodi celebratio ad adventum usque Orientalium prorogaretur, primus omnium subscripsit *Tranquillinus Antiochiæ Pisidiæ episcopus*. Subscripsit quoque epistolis Orientalium ad clerum & plebem Hierapolis Euphratensis, & ad illos quos eorum synodus Constantinopolim ad Imperatorem delegarat Nestorii causam acturos. Ita fertur in collect. ex Tragœdia Irenæi Tyrii cap. 7. 13. 27. Cæterum illum mentem mutasse certum est, quando inter illos non occurrit, qui à sancta synodo sacerdotio ejecti fuerunt, neque ex illis fuit qui suis urbibus pertinaciæ Nestorianæ causa pulsi fuere.

IX. Erechthius.

Antiochiæ Pisidiæ episcopus tempore Procli Constantinopolitani sedebat *Erechthius;* quod colligitur ex lacinia sermonis cujusdam quem Constantinopoli tunc habuit, quemque Monophysitæ seu Severiani catholicis subinde objectare amabant. Ea Latinè exstat Tom. 3. Antiq. lect. Henrici Canisii post opera Leontii, hac inscriptione præmissa: *Beati Erechthii episcopi Antiochiæ in Pisidia, ex homilia recitata in sancta Epiphania in ecclesia Constantinopolitana, sedente beato episcopo Proclo.* Incipit: *Ex magno propheta Esaia audivimus, quum ait, Puer natus est nobis.* Ibi Erechthius diserte negat duas esse naturas illius qui natus est. Verum testimonium ejus Ephræmius Antiochenus apud Photium in Bibliotheca, cod. 228. necnon Leontius act. 8. *De Sectis,* nihili faciendum monent, ut pote hominis qui inter Patres allectus non esset.

X. Candidianus.

In Constantinopolitana synodo, in qua Eutyches coram Flaviano archiepiscopo hæresis convictus est, sedebat *Candidianus religiosissimus episcopus Antiochiæ civitatis provinciæ Pisidiæ,* Κανδιδιανὸς ὁ εὐλαβέστατος ἐπίσκοπος τῆς Ἀντιοχείας πόλεως ἐπαρχίας Πισιδίας. Quin & in alio conventu, in quo prioris acta, Thalassio Cæsariensi præsente & altero præside, relecta sunt: Quamquam aliquanto post in hujus secundi conventus actis legitur quoque *Pergamius reverendissimus episcopus Antiochiæ provinciæ Pisidiæ,* qui nempe, ut mox dicetur, post tres annos adfuit concilio Chalcedonensi. Quod quidem eo mirum amplius est, quod *Candidianus Antiochiæ Pisidiæ* anno 449. perinde interim adfuisse legitur prædatoriæ synodo Ephesinæ, sententiamque pro Dioscori Alexandrini votis dixisse: Κανδιδιανὸς ἐπίσκοπος Ἀντιοχείας τῆς Πισιδίας, *Candidianus episcopus Antiochiæ Pisidiæ.* Ibi palam declaravit se à puero Fidem catholicam edoctum, archidiaconique functum officio in Regia civitate.

XI. Pergamius.

Chalcedonensi, ut mox observabam, Concilio adfuit & subscripsit, *Pergamius episcopus Antiochiæ Pisidiæ*, Περγάμιος ἐπίσκοπος Ἀντιοχείας τῆς Πισιδίας. Ad illum post annos sex septemve Leo Augustus de nece Proterii Alexandrini sacras literas misit, *Pergamio reverentissimo episcopo Antiochiæ Pisidiæ;* sed & primus concilii suæ ejusdem provinciæ epistolæ subscripsit. Subscriptus quoque reperitur Decreto synodali Gennadii C P. de Simoniacis.

XII. Joannes.

In Constantinopolitana synodo, quæ Menna Patriarcha præside celebrata est, Relatio lecta fuit episcoporum alterius synodi ad Joannem ipsius Anthimo priùs decessorem, de Severo Antiocheno ejusque sociis hæreticis, cui subscripserat *Joannes episcopus metropolis Pisidarum*, Antiochiæ scilicet, Ἰωάννης ἐπίσκοπος μητροπόλεως τῆς Πισιδῶν.

XIII. Polydectus.

Relationi synodi Constantinopolitanæ ad Hormisdam Papam de ordinatione Epiphanii ejusdem urbis archiepiscopi subscriptus legitur *Polydectus misericordia Dei episcopus Antiochenæ civitatis metropolitanus*, Pisidiæ nimirum.

XIV. Bacchus.

Anno 536. synodo illi, de qua dixi, Mennæ patriarchæ adfuit, & subscripsit Βάκχος ἐπίσκοπος τῆς ἐν Πισιδίᾳ Ἀντιοχείας, *Bacchus episcopus Antiochiæ Pisidiæ.*

XV. Theodorus.

Menna Byzantinam adhuc ecclesiam gerente, sedebat *Theodorus Antiochiæ Pisidiæ metropolita*, qui cum Patriarcha, aliisque Græciæ præsulibus subscripsit exemplo primæ professionis Fidei, quam in S. Euphemiæ æde sacra conditam, suo de Tribus capitulis Constituto Vigilius Papa inseruit. Post Quinto concilio generali interfuit & subscripsit.

XVI. Stephanus.

Sextæ quoque synodo generali adfuit & subscripsit *Stephanus episcopus Antiochiæ metropolis provinciæ Pisidiæ*, Στέφανος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Ἀντιοχέων μητροπόλεως τῆς Πισιδῶν ἐπαρχίας, qui subscriptus etiam legitur Trullanæ synodi canonibus.

XVII. Georgius I.

Septimæ item synodo, *Georgius episcopus*

A *Antiochiæ metropolis Pisidiæ.* Γεώργιος ἐπίσκοπος Ἀντιοχείας τῆς Πισιδίας. Ejus annuam memoriam Græci recolunt die 18. vel 19. Aprilis, pro variis ipsorum Menologiis. Quem vixisse ferunt quo tempore diabolo instigante sacris imaginibus bellum indictum fuit, quumque à Leone Armeno Imp. accersitus persuaderi non potuisset, ut earum venerationem abnegaret, in exsilium amandatus, migravit ad Dominum.

XVIII. Basilius.

B Octavæ quoque synodo *Basilius metropolita Antiochiæ Pisidiæ;* qui nempe vel ab Ignatio, vel ab ejus decessore Methodio patriarchis pontifex fuerat ordinatus.

XIX. Gregorius.

XX. Zacharias.

In actis synodi Photianæ sub Joanne Papa VIII. duo Antiochiæ præsules inter metropolitas numerantur, Antiochiæ proinde Pisidiæ, *Zacharias & Georgius*, Ζαχαρίας Ἀντιοχείας, Γεώργιου Ἀντιοχείας, quorum utique C alter à Photio ordinatus fuerat, alter ab Ignatio.

XXI. Theophylactus.

Lib. 3. Juris Græco-Rom. pag. 197. exstat Sisinnii patriarchæ synodale constitutum, ne ambas consobrinas duo fratres accipiant, datum die 12. Febr. Ind. XI. anno mundi 6505. sive Christi 997. cui subscripsit cum metropolitis aliis *Theophylactus Antiochiæ*, Θεοφύλακτος Ἀντιοχείας.

D XXII. Macarius.

XXIII. Eleutherius.

Antiochiæ Pisidiæ assignare lubet sanctum *Macarium archiepiscopum Antiochiæ* (ut in ejus actis fertur) *Armeniæ*, qui sæculo ecclesiæ undecimo, regnante in Galliis Roberto, sua sede relicta, commendataque *Eleutherio cuidam venerabili viro*, sacra Palæstinæ loca invisit, tum in Europam veniens, peragrata Germania, Gandavum usque Belgii civitatem progressus, ibidem obiit, ubi inter sanctos colitur. Antiochia Pisidiæ à Latino vitæ E ejus scriptore Armeniæ censeri tunc potuit, quo nempe Armeniæ reges Cappadociam, Ciliciamque, vicinasque regiones obtinuerunt. Atqui S. Macarii acta exstant apud Bollandum ad diem 9. April. ex quibus actis utique dixero *Eleutherium* illi suffectum fuisse.

ECCLESIA Antiochiæ.

XXIV. * * *

XXV. MICHAEL.

Anno 1141. Joanne Comneno Imper. Leo Stypiota patriarcha, synodo coacta, Constantini Chrysomali scripta Bogomilorum nefariam hæresim olentia cum ejus auctore damnavit; illicque aderat metropolita *Antiochiæ Pisidiæ*, τῆς Ἀντιοχείας τῆς Πισιδίας. Allat. De consens. lib. 11. cap. 11.

Anno item 1143. metropolita Pisidiæ sedebat in synodis duabus quæ mensibus Augusto & Octobri habitæ sunt propter Clementem Sasimorum, & Leontium Balbissæ, qui Bogomilicæ hæresis accusabantur; τῆς Ἀντιοχείας τῆς Πισιδίας, *Antiocheno Pisidiæ*, Ibid. n. 3.

Atqui anno subinde 1147. Manuële Comneno Imp. Cosmas Atticus patriarcha sacerdotio abactus fuit, quia Niphonem quemdam ejusdem hæresis reum tuebatur, latæque in eum sententiæ subscripsit *Michaël metropolita Antiochiæ Pisidiæ*, ὁ εὐτελὴς μητροπολίτης Ἀντιοχείας τῆς Πισιδίας Μιχαήλ. Ibid. cap. 12.

XXVI. * * *.

Synodo Constantinopolitanæ, in qua anno 1156. Soterichus Panteugenus Antiochiæ magnæ patriarcha designatus ob malesanas opiniones proscribi meruit, sederat metropolita *Antiochiæ Pisidiæ*, τῆς Ἀντιοχείας τῆς Πισιδίας, ut mihi compertum fit ex hujus synodi gestis quæ strictim Nicetas Choniates congessit in Thesauro suo qui Græce integre manu exaratus asservatur hodie in Bibliotheca Regia, inter codices qui Cl. Stephani Baluzii fuerant. Hunc omisit Allatius in suis Vindiciis synodi Ephesinæ, in quibus synodi illius mentionem fecit.

XXVII. MACARIUS II.

Michaël Palæologus Imperat. quum Arsenium patriarcham ad ordinem redigere satageret, concilium coëgit, in quo ille accusatus fuit Litaniarum cum Iconii Sultano A quondam recitatarum, quodque cum illo Principe comedisset. Sultanum vero *Macarius Pisidiæ* metropolita ejusque filios Christianos revera esse noverat, ὁ δὲ ὢν ὁ Πισιδίας Μακάριος. Qui quum illic ipse adesset, id tamen omnino silendum tunc censuit. Verum ipse quoque, deposito Patriarcha, proscriptus posthac fuit, & exsilio multatus. Hæc Pachymeres in *Michaële* lib. 4. cap. 6. ubi passim Macarius *Pisidiæ* metropolita scribitur, nusquam *Antiochiæ Pisidiæ*. Quod B vero Iconii Sultanum attinet, hunc scriptores alii prodidere Christianæ Fidei nomen dedisse: sed & Arsenius patriarcha testamento suo quod condidit postquam à Michaële Palæologo Imp. Byzantina sede ejectus est, scripsit se sua expulsum ecclesia, quod decrevisset communione donare Sultani filios, *quos sacratissimus Pisidiæ metropolita scripto declararet à se Baptismo divinisque mysteriis aliis initiatos*, τοῦ πανιερωτάτου τοῦ Πισιδίας ἐγγράφως C ὁμολογοῦντος, ὡς ἐκεῖνος καὶ ἐβάπτισε τούτους καὶ ἐκοινώνησε.

XXVIII. * * *

Inter præsules Græcos quorum nomina Stephano Gerlachio in chartis exarata tradita esse Martinus Crusius narrat, legitur ὁ Πισιδίας καὶ ἔξαρχος Σίδης, Μυρέων καὶ Ἀτταλείας, *Metropolita Pisidiæ, & Exarchus Sidæ, Myræorum & Attaliæ*, Addit Crusius: *In his hujus ἐξαρχίας, tribus locis pauci sunt Christiani*, nullos illic alios esse episcopos signifi- D cans. Turco-Gr. lib. 7. p. 506.

XXIX. METHODIUS.

Tom. 3. operis Gallicè scripti, cui titulus *de la Perpetuité de la Foy touchant l'Eucharistie*, testimonium exstat de Fide Orientalis ecclesiæ Calvinianis erroribus contraria, cui *Methodius Pisidiæ*, cum sex aliis metropolitis subscripsit.

XXX. COSMAS.

Sedebat nuper anno 1721. *Cosmas metropolita Pisidiæ*, ὁ Πισιδίας Κοσμᾶς.

II. ECCLESIA SAGALASSI.

SAGALASSUS, Σαγαλασσός, Straboni lib. 12. & 13. civitas est, & Pisidiæ etiam veteris, Milyadem regionem versus. *Sub eodem Romanorum duce est Sagalassus*, inquit, *sub qua totum Amyntæ regnum: distat Apamea* (Ciboto) *diei itinere, descensum habens ab arce triginta stadiorum: vocant vero etiam illam Selgessum*. Apameâ itaque parum distabat, ad Septemtrionem: in finibus vero Cariæ veteris, cujus pars erat Milyas. Arriani, qui de rebus Alexandri scripsit, tempore, *parva civitas non erat*, ἦν δὲ αὕτη οὐ μικρὰ πόλις, ait lib. 1. *quam Pisidæ incolebant*. Ejus meminere Plinius & Ptolemæus, quam Notitiæ omnes in Pisidiæ provincia collocant.

EPISCOPI

ECCLESIA Sagalassi.

EPISCOPI SAGALASSI.

I. Jovius.

INter Patres synodi Constantinopolitanæ A generalis prioris, *De provincia Pisidiæ* censetur *Jonius*, seu potius *Jovius*, vel *Jovinus Sagalassensis*.

II. Fonteianus.

Synodo Chalcedonensi adfuit & subscripsit *Fonteianus*, sive *Fonteianus episcopus Sagalassi*, Φεοντιανὸς & Φωντιανὸς ἐπίσκοπος Σαγαλασσοῦ. Utrumque nomen habent Græci Latinique codices.

III. Theodosius.

Septimæ synodo generali, *Theodosius episcopus Sagalassi*, Θεοδόσιος ἐπίσκοπος Σαγαλασσοῦ.

IV. Leo.

Octavæ synodo generali, *Leo misericordia Dei episcopus Agalassi*, legendum *Sagalassi*, qui & synodo alteri sub Joanne Papa VIII. in qua de Photii restitutione actum est, adfuit, Λέοντος Αγαλασσοῦ, seu, duplicato σ, Σαγαλασσοῦ, *Leone Sagalassi*.

III. ECCLESIA SOZOPOLIS.

SOZOPOLIS, Σωζόπολις, Pisidiæ civitas est in Notitiis, quam scriptores alii vix memorant. Exstat epistola 65. Basilii magni ad Sozopolitarum presbyteros, τοῖς ἐν Σωζοπόλει, qui sollicitudinem ipsius implorabant ob nascentem præsertim Apollinaristarum hæresim, vacante, quantum capio, Sozopolitana sede.

EPISCOPI SOZOPOLIS.

I. Longianus.

IN indice Patrum Constantinopolitanæ synodi generalis prioris, *De provincia Pisidiæ* B censetur *Longianus*, seu *Longinus Sozopolitanus per Simplicium presbyterum*.

II. Severus.

Ad Ephesinam synodum venit, ejusque decretis subscripsit *Severus minimus episcopus provinciæ Pisidiæ civitatis Sozopoleos*, ut diserte ferunt Latini codices, etiam apud Marium Mercatorem. Cæterum subscriptus quoque legitur Contestationi multorum episcoporum, qui intercesserunt ne Cyrillus Alexandrinus concilii celebrationem inchoaret ante adventum Joannis Antiocheni & Orientalium.

III. Olympius.

Inter episcopos Pisidiæ in Chalcedonensi C synodo sedit & subscripsit *Olympius episcopus Sozopolis*, Ολύμπιος ἐπίσκοπος Σωζοπόλεως.

IV. Politianus.

Epistolæ synodi provinciæ Pisidiæ ad Leonem Imper. de nece S. Proterii Alexandrini subscripsit *Politianus episcopus Sozopolitanus*.

V. Diogenianus.

Quintæ synodo generali adfuit & subscripsit *Diogenianus misericordia Dei episcopus Sozopolitanorum civitatis Pisidiæ provinciæ*.

VI. Zoilus.

Sub Mauritio, Phoca & Heraclio Impp. florebat Theodorus Sicæota Anastasiopolis episcopus, qui Sozopolim veniens aliquando, *à beatissimo episcopo Zoïlo*, παρὰ τοῦ μακαριωτάτου ἐπισκόπου Ζωΐλου, honorifice susceptus est. Postquam ille diebus quadraginta orationi vacans hac in urbe egisset, relicta Sozopoli, Amorium perrexit. Vita S. Theod. sic Act. SS. die 22. April. n. 96.

VII. Paulus.

Sextæ synodo interfuit & subscripsit *Paulus Sozopolis provinciæ Pisidiæ*, Παῦλος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Σωζοπόλεως τῆς Πισιδῶν ἐπαρχίας. Qui synodo quoque Quinisextæ subscriptus legitur.

VIII. * * *

In Septima synodo Sozopolitanæ sedis vices agebat, Leontius œconomus, ut act. 1. & alibi passim fertur, Λεοντίου οἰκονόμου καὶ ἐποπτηρητοῦ Σωζοπόλεως.

IX. Ignatius.

Constantinopolitanæ synodo, in qua de Photii restitutione sub Joanne Papa VIII. actum est, adfuit subscripsitque *Ignatius Sozopolis*, Ιγνατίου Σωζοπόλεως, Ιγνάτιος Σωζοπόλεως, quin etiam aderat *Nicolaus* Sozopolis, Νικόλαου Σωζοπόλεως, Νικόλαος Σωζοπόλεως.



IV. # ECCLESIA APAMEÆ CIBOTI.

APAMEA CIBOTIS, Ἀπάμεια Κίβωτις, Straboni, ut & Laodicea, *Phrygiarum urbium maxima* est; de qua Plinius lib. 5. cap. 29. *Capro fluvius*, inquit, *Apamiam vadit ante appellatam Cælenas, dein Ciboton. Sita est in radice montis Signiæ, circumfusa Marsya, Obrima, Orga fluminibus in Mæandrum confluentibus.* Hinc dicta quoque est Apamea ad Mæandrum, nec eam Notitiæ omisere. In carminibus Sibyllinis quæ hodie supersunt, à Montanistis Phrygibus *Cibotus* dicta fingitur, ceu in ea diluvio sedato arca Noë insederit, eo colore quod Κίβωτος, *arcam* significat. Ubi obiter monendum, Pisidiam Phrygiæ veteri conterminam fuisse.

EPISCOPI APAMEÆ.

I. JULIANUS.

ALEXANDER Hierapolitanus in iis quæ contra Montanistas scripsit, narrabat Zoticum Comanorum, seu Conanorum, καὶ Ἰουλιανὸν Ἀπαμείας, ἄνδρας δοκίμους & ἐπισκόπους, *& Julianum Apameæ, viros probos & episcopos*, simul coïvisse, ut Maximillæ spiritum examinarent; *Apameæ*, inquam, *ad Mæandrum*, ἐν Ἀπαμείᾳ τῇ πρὸς Μαιάνδρῳ. Hæc apud Eusebium lib. 5. cap. 6.

II. THARSITIUS.

In indice Patrum Nicænorum *De provincia Pisidiæ* censetur *Tharsitius Apamenus*, habetur vero iterum in eodem indice *Paulus* etiam *Apameensis*. Sed quidni legendum *Acmoniensis!*

III. THEODULUS.

* * *

Quum sanctus Gregorius Nazianzenus, nondum relicta sede Constantinopolitana, testamentum condidisset, ei cum aliis episcopis subscripsit *Theodulus episcopus catholicæ ecclesiæ Apameæ*, Θεόδουλος ἐπίσκοπος τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας τῆς κατὰ Ἀπάμειαν. Nisi forte Apameæ Bithyniæ.

Atqui Apameensis sedis vices in Constantinopolitana synodo priore gessit *Auxanon presbyter Apameæ*, qui inter Pisidiæ, quin etiam Lyciæ, præsules nominatur in indice Latino.

IV. PAULINUS.

In synodo Chalcedonensi inter Pisidiæ præsules sedit & subscripsit *Paulinus episcopus Apameæ*, Παυλῖνος ἐπίσκοπος πόλεως Ἀπαμείας, A qui subscriptus quoque legitur epistolæ synodi Pisidiæ ad Leonem Imperat. de nece S. Proterii Alexandrini.

V. CONON.

Quum Longinus Zenonis quondam Imperatoris frater adversus Anastasium Augustum rebellasset, ejus se socium præbuit *Conon Apameæ in Phrygia episcopus*, qui relicto episcopatu miles factus, Isauris se ducem præbuit. Hæc Theophanes ad annum 2. Anastasii ex Theodoro utique lectore.

VI. JOANNES.

B Quintæ synodo generali adfuit & subscripsit *Joannes misericordia Dei episcopus Apamenorum civitatis Pisidiæ provinciæ.*

VII. SISINNIUS.

Septimæ item synodo generali, *Sisinnius episcopus Apameæ Ciboti*, Σισίννιος ἐπίσκοπος Ἀπαμείας τῆς Κιβωτοῦ, cujus nomen passim in actis occurrit inter episcopos Pisidiæ.

VIII. THEOGNOSTUS.

IX. THEODORUS.

Synodo rursum quæ ob Photii restitutionem habita est, aderant, *Theognostus Apameæ*, Θεογνώστου, Ἀπαμείας, Θεόγνωστος Ἀπα- C μείας, & *Theodorus Apameæ*, Θεοδώρου Ἀπαμείας, Θεόδωρος Ἀπαμείας, qui inter episcopos censentur, præter *Sophronium Apameæ Bithyniæ*, qui inter metropolitas vel archiepiscopos sedebat. Atqui alter amborum, vel ab Ignatio suæ sedi restituto, vel à Photio, primo utique ejus tyrannidis tempore, episcopus fuerat ordinatus.



V. # ECCLESIA NEAPOLIS.

NEAPOLIS, Νεάπολις, in Notitiis episcopatuum Pisidiæ civitas est, quin & apud Hieroclem secunda est de provincia Pisidiæ. Plinius vero lib. 5. cap. 32. *Neapolitanos* in extremis Galatiæ finibus collocat. Accedit Ptolemæus Neapolim Galatiæ vicinam statuens, quam & superioribus Cariæ & Lycaoniæ partibus adjungit, Lystrenos, Neapolitanos Œandenses, Seleucienseſque in Galatia sua ponens. Atqui Neapolis Pisidiæ archiepiscopatus quoque est in Notitiis Græcis: Ἐπαρχίας Πισιδίας, ὁ Νεαπόλεως.

EPISCOPI NEAPOLIS.

I. HESYCHIUS.

CONcilio Nicæno inter Pisidiæ episcopos adfuisse legitur *Hesychius Neapolitanus*, in cod. perantiquo Holstenii, in ejus Annot. ad Geograph. Sacr. pag. 152.

II. BASSONAS.

In concilio Chalcedonensi adfuit & subscripsit *Bassonas episcopus Neapolis*, Βασσωνᾶς ἐπίσκοπος Νεαπόλεως, qui post annos septem epistolæ synodi Pisidiæ ad Leonem Augustum subscriptus legitur, *Bassus episcopus Neapolis*. Cl. Baluzius in MSS. codd. reperit, *Bassionas*.

III. DOROTHEUS I.

A Inter episcopos Pisidiæ in Septima synodo sedit & subscripsit, *Dorotheus episcopus Neapolis*, Δωρόθεος ἐπίσκοπος Νέας πόλεως.

IV. LEONTIUS.

V. DOROTHEUS II.

In Octava synodo *Leontius misericordia Dei archiepiscopus Neas poleos*; qui etiam post Ignatii obitum adfuisse legitur synodo quæ coacta fuit ob Photii in Byzantinum thronum restitutionem, Λέοντος Νεαπόλεως, Λέοντος Νεαπόλεως.

VI. # ECCLESIA TITYASSI.

STRABO ex Artemidoro inter Pisidiæ veteris civitates *Pityassum* Πιτυασσὸν, habet, quam ipsam esse judico quæ in Notitiis & synodorum actis Τιτυασσὸς, *Pityassus* nominatur; ut librarii Π pro Τ oscitanter illic, velut apud Strabonem, pro more scripserint.

EPISCOPI TITYASSI.

I. STEPHANUS.

QUinisextæ synodi canonibus subscriptus legitur, Στέφανος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος τῆς Τυασσέων πόλεως, lege Τιτυασσέων vel Τιτυασσέων, *Stephanus minimus episcopus civitatis Tityassenorum*.

II. PETRUS.

B In Septima synodo sedit *Petrus Tityassi*; qui act. 1. dicitur episcopus Τυασσοῦ *Tyassi*, omisso Τι. An vero per oscitantiam, in subscriptionibus act. 4. legitur Πέτρος ἐπίσκοπος Τοπασσοῦ, *Petrus episcopus Totyassi*, pro Τιτυασσοῦ, *Tityassi*.

VII. # ECCLESIA TYRII.

IN Pisidia quoque, Stephano Byzantino teste, civitas dicta *Tyrus*, Τύρος exstitit. Plinius lib. 5. c. 27. *Tyrienses* populos in Lycaonia veteri, seu Pisidiæ parte, collocat. Legendum quippe *Tyrienses* pro *Hyrienses*, velut doctissimus Harduinus evicit. At vox Τύρος, *Tyrus*, in Τυρεῖον, *Tyrium*, & Τυραῖον *Tyræum*, degeneravit in Notitia Hieroclis & altera Græca.

EPISCOPI TYRIENSES.

I. HERACLIDES.

INter episcopos Pamphyliæ qui Constantinopolitanæ synodo generali priori interfuisse feruntur, *Heraclides Tituenus* legitur: ut nempe interpres pro Τύρου scripserit *Tyru*, C pro rudioris suæ ætatis more: unde librarii fecerunt *Tyruenus*, ac subinde oscitantius *Tituenus*; nisi forsan, quod vix admisero, *Tituassenus* scribendum foret.

II. THEOTECNUS.

Synodo Chalcedonensi adfuit *Theotecnus*

ECCLESIA TYRII.

Tyri, ut fert Latina tranſlatio act. 1. Græcus A vero contextus habet, Θεοτέκνȣ Τυραίου, *Theotecno Tyræi*: & act. 2. Θεοτέκνου Τυραιοσοῦ. Item in ſubſcriptionibus act. 6. Θεότεκνος ἐπίσκοπος Τυράσου: pro quo in Latina tranſlatione ſcribitur, *Theoctiſtus epiſcopus Tyrii*. Sic quoque demum in indice Latino Patrum hujus ſynodi, *Theoctiſtus Tyre, ſive Tyræi*, Τυραίου.

III. JOSEPH.

IV. CONSTANTINUS.

V. ANASTASIUS.

In ſynodo de reſtitutione Photii ſedebant *Joſeph Tyræi*, Ιωσὴφ Τυραίου. *Conſtantinus Tyræi* Κωνσταντίνου Τυραίου, Κωνσταντῖνος Τυραίου, *Anaſtaſius Tyrai*, Αναστασίου Τυραίου, Αναστάσιος Τυραίου.

ECCLESIA BARES.

VIII. BARES ſeu Baris, Βάρις, Piſidiæ civitas eſt in Notitiis, ut & Ptolemæo, de qua Plinius lib. 5. cap. 32. *Attingit* inquit, *Galatia & Pamphylia Gabaliam, & Milyas, quæ circa Barim ſunt.* Milya autem vel Milyas Piſidiæ regio fuit, ut & Lyciæ.

EPISCOPI BARENSES.

I. HERACLIUS.

IN indice Patrum Nicænorum *De provincia* B *Piſidiæ*, legitur *Heraclius Barenſis*.

II. LEO.

In Septima ſynodo inter Piſidiæ epiſcopos ſedebat, *Leo epiſcopus Bares*, Λέοντος ἐπισκόπου Βάρης.

III. STEPHANUS.

In Photiana pſeudo-ſynodo, *Stephanus Baris*, Στεφάνου Βάρεως.

IX. ECCLESIA HADRIANOPOLIS.

PRæter Hadrianopolim Cariæ, quæ Stratonicea prius nominabatur, ejuſdem vocabuli civitatem alteram in Piſidia collocant Notitiæ omnes, & geſta conciliorum.

EPISCOPI HADRIANOPOLIS.

I. OLYMPIUS.

IN ſcholiis ad cap. 7. libri *De eccleſiaſtica hierarchia*, qui Dionyſium Areopagitam auctorem præfert, mentio fit, *Olympii Hadrianopolis in Lycia*, i. e. in Piſidia Lyciæ vicina, qui Origenis de reſurrectione errorem confutaverat. *Legeſis*, inquit, *quæ ſanctus Methodius martyr, & Olympius Hadrianopolis Lyciæ epiſcopus adverſus ipſos ſcripſerunt*, καὶ Ολυμπίου Αδριανουπόλεως ἐπισκόπου τῆς Λυκίας.

II. TELEMACHIUS.

Inter epiſcopos Piſidiæ in Nicæna ſynodo ſedebat *Telemachius Hadrianopolis*, velut in D indice Latino fertur.

III. THEMISTIUS.

Similiter in concilio Conſtantinopolitano generali priore, *Themiſtius Hadrianopolitanus*, inter Piſidiæ præſules. Hic quoque anno 381. ſubſcripſit teſtamento S. Gregorii Nazianzeni. Θεμίστιος ἐπίσκοπος τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας τῆς κατὰ Αδριανούπολιν. *Themiſtius epiſcopus catholicæ eccleſiæ Hadrianopolis.*

IV. FLORENTIUS.

Concilio item Chalcedonenſi adfuit ſubſcripſitque *Florentius epiſcopus Hadrianopolis*, Φλωρέντιος ἐπίσκοπος Αδριανουπόλεως, qui C paſſim nominatur inter epiſcopos Piſidiæ, ut & in indice Latino Patrum hujus concilii. Quin ſubſcriptus quoque reperitur epiſtolæ ſynodi Piſidiæ ad Leonem Imp. de nece ſancti Proterii Alexandrini.

V. CONON.

Cum aliis de Piſidia epiſcopis Relationi ſynodi Conſtantinopolitanæ ad Joannem patriarcham de Severo aliiſque hæreticis damnandis, deque Euphemio & Macedonio Byzantinis præſulibus è ſacris tabulis recitandis, ſubſcripſit Κόνων ἐπίσκοπος Αδριανουπόλεως, *Conon epiſcopus Hadrianopolis*. Aderat *Theodorus Hadrianopolis Honoriadis*.

VI. THALLELÆUS.

Quintæ ſynodo adfuit & ſubſcripſit *Thallelæus miſericordia Dei epiſcopus Hadrianopolitanorum provinciæ Piſidiæ.*

VII. COSMAS.

VIII. SOPHRONIUS.

In Octava ſynodo ſedebat *Coſmas epiſcopus Hadrianopolis*. An vero Piſidiæ, incertum. Similiter Photianæ ſynodo *Sophronius Hadrianopolis*, Σωφρονίου Αδριανουπόλεως.



X. ECCLESIA LIMENARUM.

LIMENÆ, Λίμῤναι, Pisidiæ civitas est in Notitia Hieroclis, aliisque Græcis duabus, cujus mentio quoque fit in gestis synodorum.

EPISCOPI LIMENARUM.

I. URANIUS.

INter Nicænæ synodi Patres *De provincia Pisidiæ* censetur *Uranius Limenensis.*

II. FAUSTUS.

In indice quoque Patrum synodi Constantinopolitanæ generalis prioris inter Pisidiæ præsules legitur *Faustus Limenensis.*

III. MUSONIUS.

Concilio Chalcedonensi interfuit & subscripsit *Musonius episcopus civitatis Limenarum*, Μουσώνιος ἐπίσκοπος πόλεως Λιμῤύων.

IV. CASTINUS.

Epistolæ episcoporum Pisidiæ ad Leonem Imp. subscripsit *Castinus episcopus Limenopolis*, sive *civitatis Limenarum*, Λιμῤύων πόλεως.

V. PATRICIUS.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus etiam legitur Πατρίκιος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος τῆς
A Λυμναίων πόλεως τῆς Πισιδίας, *Patricius minimus episcopus Lymnæorum civitatis Pisidiæ.*

VI. ARSENIUS.

Pseudo-synodo Photii aderat *Arsenius Limnarum*, Ἀρσενίου Λιμνῶν.

VII. MICHAEL.

Anno Christi 1197. mens. Febr. die 4. fer. 2: *religiosus episcopus Limnæ Michaël*, ὁ θεοφιλὴς ἐπίσκοπος Λίμνης Μιχαὴλ, palam quæsivit, Ind. XV. in synodo est Georgio patriarchæ
B quo jure sacerdotes monasteriorum quæ Stauropegii causa patriarchis solis obnoxia sunt, nomen suum, aliorumve ordinariorum episcoporum in officiis divinis non recitarent, nec Canonicum solverent. Responsum illis est, in monasteriis istis patriarcharum solorum, nulla antistitis ullius cujuscumque nomina debere pronuntiari. Jur. Græco-Rom. p. 283.

XI. ECCLESIA LAODICEÆ ADUSTÆ.

LAODICEA *adusta*, Λαοδικεία κεκαυμένη, Stephano in Galatia exstitit, Straboni vero in Brezenis, seu Lycaoniæ parte. In Notitiis vero Pisidiæ attribuitur, quæ *Liche* hodie dicitur ab incolis, Molano teste.

EPISCOPI LAODICEÆ ADUSTÆ.

I. AMMONIUS.

PALLADIUS in dialogo de vita S. Joannis Chrysostomi pag. 78. Leontium Ancyræ in Galatia episcopum cum *Ammonio Laodiceæ adustæ* connexum, συμπλακεὶς Ἀμμωνίῳ τῷ Λαοδικείας τῆς κεκαυμένης, combustam reddidisse ecclesiam ait, quum imperialibus minis speque munerum decepti, in secunda synodo cum Acacio Berrhœensi & Antiocho Ptolemaïdis Theophili Alexandrini judicium in Joannem Chrysostomum confirmare conati sunt, allato canone Antiocheno, quem quadraginta episcopi Ariani pridem condiderant.
D Quod Socrates repetit lib. 6. hist. cap. 28.

II. MESSALINUS.

In concilio Chalcedonensi Adelus chorepiscopus vices gessit *Messalini episcopi Laodiceæ Pisidiæ*, ut fertur act. 1. Ἀδήλου χωρεπι-
C σκόπου ἐπέχοντος τὸν τόπον Μεσσαλίνου ἐπισκόπου Λαοδικείας τῆς Πισιδίας. act. 6. subscriptus legitur *Messalinus episcopus Laodiceæ per Adelum chorepiscopum.* Μεσσαλῖνος ἐπίσκοπος Λαοδικείας ὁρίσας ὑπέγραψα διὰ Ἀδήλου χωρεπισκόπου.

III. THEODORUS.

Quintæ synodo generali adfuit & subscripsit *Theodorus misericordia Dei episcopus Laodicensium civitatis*, utique Pisidiæ: nam alii ejusdem nominis urbium episcopi metropolitæ erant.

IV. CONON.

Quinisextæ synodi canonibus subscripsit Κόνων ἐλάχιστος ἐπίσκοπος Λαοδικείας τῆς Πισιδῶν ἐπαρχίας, *Conon minimus episcopus Laodiceæ provinciæ Pisidiæ.*



XII.
ECCLESIA SELEUCIÆ FERREÆ.

SELEUCIA Pisidiæ civitas, cujus meminit Ptolemæus, Hierocli in Notitia *Ferrea* cognominatur, Σελεύκεια ἡ σιδηρᾶ, *Seleucia ferrea.* Diversa prorsus est à Seleucia Pamphyliæ, & à Seleucia Isauriæ, quæ *Trachea* sive *aspera* vocitata est. Hæc in Pisidia proprie dicta ad Taurum montem posita erat, ut disertè significat Theodoretus lib. 5. hist. cap. 27. Ejus aliæ Notitiæ meminerunt.

EPISCOPI SELEUCIÆ FERREÆ.

I. ARTEMON.

MENÆA Græcorum die 27. Martii memoriam agunt *S. Artemonis*, quem ferunt Seleuciæ in Pisidia episcopum ordinatum à Paulo Apostolo, quum in eam transita Perge cum Barnaba venisset. Hunc aiunt longa senectute confectum, post vitam præclare gestam ad Dominum migrasse.

II. EUTYCHIUS.

Inter Nicænos Patres *De provincia Pisidiæ* censetur *Eutychius Seleuciensis.*

III. MAXIMUS.

Tempore Arcadii Imp. Seleuciæ quæ ad Taurum est, sive Pisidiæ, episcopus erat *Maximus* Joannis Chrysostomi condiscipulus, Σελευκείας τῆς πρὸς τῷ Ταύρῳ Μάξιμος Ἰωάννου τοῦ πανὺ συμφοιτητής, ait Theodoretus lib. 5. hist. cap. 27.

IV. ALEXANDER.

In Chalcedonensi synodo inter Pisidiæ A præsules sedit & subscripsit *Alexander episcopus Seleuciæ*, Ἀλέξανδρος ἐπίσκοπος τῆς Σελευκείας, qui subscripsit quoque epistolæ synodi Pisidiæ ad Leonem Imperatorem.

V. PETRUS I.

Quinisextæ synodi canonibus inter Pisidiæ episcopos subscriptus legitur, Πέτρος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος Σελευκείας... ἐπαρχίας τῆς Πισιδίας, *Petrus minimus episcopus Seleuciæ ferreæ provinciæ Pisidiæ.*

VI. PETRUS II.

B In Septima synodo sedit & subscripsit *Petrus episcopus Seleuciæ*, Πέτρος ἐπίσκοπος Σελευκείας. Initio act. 1. & aliarum diserte dicitur episcopus *Seleuciæ* τῆς Πισιδίας *Pisidiæ.*

VII. LEO.

In Octava, *Leo misericordia Dei episcopus Seleuciæ*, medius legitur inter Paulum Baris vel Bares, & Basilium Adadorum, utrumque provinciæ Pisidiæ.

XIII.
ECCLESIA ADADORUM.

SELEUCIÆ ortum versus Pisidiæ civitas *Adada* erat, Ἄδαδα, secundum Ptolemæi tabulas. Hæc nimirum est *Adadata,* quæ inter Pisidarum urbes à Strabone ex Artemidoro numeratur, librariorum forsan errore, vocata. Hanc Notitiæ priscæ omnes habent in Pisidia; apud Hieroclem vero Ὄδαδα, *Odada* scribitur.

EPISCOPI ADADORUM.

I. ANANIAS.

IN indice Patrum Constantinopolitanæ synodi generalis prioris *De provincia Pisidiæ* legitur *Ananius*, vel *Ananias*, seu forsitan *Anianus Adadensis.*

II. EUTROPIUS.

Chalcedonensi synodo interfuit & subscripsit, *Eutropius episcopus civitatis Adadorum,* Εὐτρόπιος ἐπίσκοπος πόλεως Ἀδάδων. Sic enim passim concilii acta Græcè Latineque ferunt, præterquam in subscriptionibus act. 6. in quibus male scriptum Ἀλάνδων pro Ἀδάδων. Idem Eutropius subscripsit epistolæ provinciæ Pisidiæ ad Leonem Imp.

III. JOANNES.

C Quinisextæ synodi canonibus subscripsit *Joannes misericordia Dei episcopus civitatis Adadeorum provinciæ Pisidiæ,* Ἰωάννης ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος πόλεως τῶν Ἀδαδέων τῆς Πισιδίας.

IV. NICEPHORUS.

In Septima synodo adfuit & subscripsit *Nicephorus episcopus Adadorum,* Νικηφόρος ἐπίσκοπος Ἀδάδων.

V. BASILIUS.

In Octava quoque *Basilius misericordia Dei episcopus Adadorum,* qui subinde synodo alteri quæ propter Photii restitutionem habita est, perinde adfuit, Βασιλείου Ἀδάδων.




XIV. ECCLESIA PROSTAMENSIS.

PISIDIÆ quoque civitas fuit *Proſtama*, Πέρσαμα, Ptolemæo teſte, juxta Seleuciam atque Adada ortum verſus poſita, quam nullæ Notitiæ habent.

EPISCOPI PROSTAMÆ.

I. ATTALUS.

IN indice Patrum Conſtantinopolitani concilii generalis prioris *De provincia Piſidiæ* cenſetur *Attalus Proſtamenſis*.



XV. ECCLESIA MALLI.

SUA Piſidiæ *Mallus*, Μάλλος, civitas eſt, ut Mallus altera Ciliciæ, quod uti Notitiæ, ita quoque ſynodorum acta perhibent.

EPISCOPI MALLI.

I. ATTALUS.

SYnodicæ epiſcoporum Piſidiæ ad Leonem Imp. de nece Proterii Alexandrini ſubſcripſit *Attalus epiſcopus Mallinopolis*, ſive τῆς Μαλλιωτῶν πόλεως, *civitatis Mallenorum*. Qui idem omnino eſſe videtur, ac qui ſynodico Gennadii Conſtantinopolitani decreto contra Simoniacos ſubſcriptus legitur, Ἀττικος ἐπίσκοπος τῆς Μαλλιωτῶν πόλεως. *Atticus epiſcopus civitatis Mallenorum*; ut *Atticus* pro *Attalo* ſcriptus ſit. A

II. COSMAS.

Quintæ ſynodo generali adſuit & ſubſcripſit *Coſmas miſericordia Dei epiſcopus Malli*, Piſidiæ, ut autumo.

III. SISINNIUS.

Canonibus Quiniſextæ ſynodi ſubſcriptus legitur Σισίννιος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος τῆς Μανουπόλεως τῆς Πισιδῶν ἐπαρχίας emendandum, Μάλλου πόλεως. *Siſinnius minimus epiſcopus Mali civitatis provinciæ Piſidiæ.*



XVI. ECCLESIA SINIANDI.

SINIANDUS, Σινίανδος, Piſidiæ civitas eſt in una veteri Notitia, & in ea quæ Leonis Sapientis Imp. nomine inſcribitur, in qua male *Sitriandus* dicitur, ὁ Σιτελιάνδου. Sic errore Librariorum in Notitia Hierocliſ Σινήθανδος, pro Σινίανδος.

EPISCOPI SINIANDI.

I. CYRUS.

IN Chalcedonenſi ſynodo inter Piſidiæ præſules ſedit *Cyrus Siniandi*, Κύρου Σινιάνδου, qui *Cyrillus* dicitur in ſubſcriptionibus act. 6. Κύριλλος ἐπίσκοπος πόλεως Σινιάνδου. B

II. EUGENIUS.

Epiſtolæ ſynodi Piſidiæ ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini ſubſcriptus legitur *Eugenius epiſcopus Sinnadenſium*, pro *Siniandorum*, vel *Siniadenſium*.

III. CONON.

Quiniſextæ ſynodi canonibus ſubſcriptus legitur Κόνων ἐπίσκοπος πόλεως Σινιανοῦ τῆς Πισιδῶν ἐπαρχίας, legendum Σινιάνδου, *Conon epiſcopus civitatis Siniandi provinciæ Piſidiæ.*

IV. BASILIUS.

Synodo quæ ob Photii reſtitutionem habita eſt, *Baſilius Siniandi* adfuit, Βασιλείου Σινιάνδου.



XVII. ECCLESIA METROPOLIS.

EN civitatem alteram *Metropolim* dictam, quam in Piſidia omnes collocant, velut & acta ſynodorum, ab Aſiana & Phrygiana diverſam. Apud Hieroclem vero vox *Metropolis* voci Τύμανδρος jungitur, ut Tymandrus & Metropolis una eademque civitas fuerit; ſed Tymandrum vel Tymandum à Metropoli diſpungendam alio ſuo loco dicam.

ECCLESIA Metropolis.

EPISCOPI METROPOLIS.

I. POLYCARPUS.

IN indice Patrum concilii Nicæni *De provincia Pisidiæ* censetur *Polycarpus Metropolitanus*. A

II. EUSTATHIUS.

Similiter in indice Patrum concilii Constantinopolitani generalis prioris, *Eustathius Metropolitanus*.

III. HEORTICIUS.

In Chalcedonensi synodo aderat *Heorticius episcopus Nicopolis Metropolis*, Εορτικίου Νικοπόλεως Μητροπόλεως, qui in subscriptionibus act. 6. nude dicitur episcopus Νικοπόλεως, *Nicopolis*.

IV. MONOPHILUS.

Epistolæ synodi Pisidiæ ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini subscriptus legitur *Minophilus episcopus Metropoleos*: emendandum puto *Monophilus*.

V. JOANNES.

Relationi synodi Constantinopolitanæ ad Joannem Patriarcham datæ Justino Imp. de Severo Antiocheno aliisque hæreticis subscripsit *Joannes episcopus Metropolis provinciæ Pisidiæ*, Ιωάννης ἐπίσκοπος μητροπόλεως τῆς Πισιδῶν χώρας.

XVIII.

ECCLESIA PAPPÆ.

PAPPA, Πάππα, veteris Isauriæ regionis civitas Ptolemæo est, in gente Orendicorum, hanc vero Hierocles, aliæque Notitiæ habent in Pisidia.

EPISCOPI PAPPÆ.

I. EUGENIUS.

INter synodi Constantinopolitanæ generalis prioris Patres *De provincia Lycaoniæ* legitur *Eugenius Paspanensis*: emendandum puto *Pappanensis*, ceu *Pappa* modo Lycaoniæ, ac modo Pisidiæ censita sit, ob utriusque regionis affinitatem. B

II. AURELIUS.

In Constantinopolitana synodo, quæ S. Flaviano archiepiscopo præside Eutychem hæresis damnavit, sedisse & subscripsisse legitur *Aurelius episcopus Oppitarum civitatis*. Αὐρήλιος ἐπίσκοπος τῆς Οππιτῶν πόλεως. Bohierii Divionensis, codex Baluzio teste, habet *Popitanæ civitatis*. Unde Pappam civitatem intulero; nisi fuerit antistes urbis Obbæ Proconsularis provinciæ Africanæ, quum Africani episcopi complures, ob Vandalorum tyrannidem, Constantinopolim tunc confugissent.

III. MICHAEL.

In Septima quoque synodo *Michaël Papporum episcopus*, Μιχαὴλ ἐπίσκοπος Πάππων.

IV. NICOLAUS.

In Photiana, *Nicolaus Papporum*, Νικολάου Πάππων.

XIX.

ECCLESIA PARALAI.

PARALAIM, Lycaoniæ perinde atque Iconium Ptolemæus attribuit lib. 5. c. 6. Ικόνιον, Παραλάϊς, quam Notitiæ episcopatuum inter Pisidiæ urbes referunt: at *Paralaum* dicunt, ὁ Παραλάου.

EPISCOPI PARALAI.

I. ACADEMIUS.

IN Nicænorum Patrum indice, *De provincia Pisidiæ* censetur *Academius Parensis*. Holstenius legendum existimat *Paralaensis*, se vero in codice MS. reperisse ait, *à Paro*. C

II. PATRICIUS.

In indice quoque Patrum Constantinopolitanæ synodi generalis prioris adfuisse *De provincia Pisidiæ* fertur *Patricius Parliensis*, *Parlagensis*, *Parlaiensis*, pro codicum discrimine.

III. LIBANIUS.

In Chalcedonensi concilio sedit & subscripsit act. 6. *Libanius episcopus Paraliorum*, Λιβάνιος ἐπίσκοπος Παραλίων vel Παρλάου, *Parlai*, ut melius act. 1. additurque *Lycaoniæ* in translatione Latina. Verum passim in hujus synodi actis cum episcopis Pisidiæ memoratur, ut in indicibus Latinis Patrum qui ad illam convenerant. Quin etiam epistolæ synodi Pisidiæ ad Leonem Imp. subscripsit, *Libanius episcopus Paralenus*.

IV. GREGORIUS.

IV. GEORGIUS.

A Inter episcopos Pisidiæ Quinisextæ synodi canonibus subscriptus reperitur, Γεώργιος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος πόλεως Γαλάου: emendandum omnino Παρλάου vel Παραλάου. *Georgius episcopus civitatis Parlai.*

V. ANTHIMUS.

Synodo quæ sub Joanne Papa VIII. ob Photii restitutionem habita est, adfuisse & subscripsisse fertur *Anthimus Parlai*, Ἀνθίμου Παρλάου, Ἄνθιμος Παρλάου.

XX. ECCLESIA PHILOMELII.

PLINIUS lib. 5. cap. 27. *Philomelienses* in Lycaonia veteri collocat, cujus nonnullæ urbes provinciæ Pisidiæ recentioris factæ sunt. Quocirca in Notitia Hieroclis *Philomelium* Pisidiæ censetur, ut & in Græcis aliis episcopatuum, quæ ejusdem nominis civitatem alteram in Phrygia salutari statuunt; sed quam alii auctores nulli usquam indicant, aut ab alia secernunt. Imo ex Strabone colligo Philomelium idem, tum Pisidiæ, tum Phrygiæ, pro varia temporum ratione censitum fuisse. Ubi enim prætermontanam magnæ Phrygiæ regionem explicat, *Huic utrimque*, ait, *planicies magna subjacet, in qua urbes sunt, à Septemtrione Philomelium, ex altera parte Antiochia juxta Pisidiam.* Alias urbes attulerat, quæ quum Phrygiæ magnæ ejus ætate essent, Pisidiæ posthac factæ sunt, in quibus *Apamea Cibotus, &c.* Quia vero Lycaonia vetus Ponticæ diœcesis antehac fuisse videtur, hinc conjicio epistolam ecclesiæ Smyrnensis de martyrio S. Polycarpi, quam recitat Eusebius lib. 5. hist. cap. 15. *ad ecclesias Ponti* datam, τῆς κατὰ Πόντον παροικίαις, inscriptamque τῇ παροικούσῃ ἐν Φιλομηλίῳ, *ecclesiæ agenti Philomelii, & aliis omnibus sanctis & catholicis ecclesiis*, ad Philomeliensem Lycaoniæ seu Pisidiæ spectasse.

EPISCOPI PHILOMELII.

I. THEOSEBIUS.

IN prima synodo Constantinopolitana generali sedit *Theosebius Philomeliensis*, subscripsitque *per Bassum presbyterum*, ut in indice Latino habetur.

II. PAULUS.

Synodo Chalcedonensi adfuit & subscripsit *Paulus episcopus Philomelii*, Παῦλος ἐπίσκοπος Φιλομηλίου. In indicibus Latinis Patrum hujus synodi censetur inter Pisidiæ præsules.

III. MARCIANUS.

Epistolæ synodicæ episcoporum Pisidiæ ad Leonem Imp. subscripsit *Marcianus episcopus Philomeliensis.*

IV. ARISTODEMUS.

Quintæ synodo generali adfuit & subscripsit *Aristodemus misericordia Dei episcopus Philomeliensium:* Ubi passim præit Thallelæo B Hadrianopolis Pisidiæ.

V. MARINUS.

Sextæ quoque synodo generali inter episcopos Pisidiæ, *Marinus episcopus Philomelii*, Μαρῖνος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος Φιλομηλίου, qui subcriptus quoque reperitur Trullanæ synodi canonibus, ubi diserte dicitur *episcopus Philomelii* τῆς Πισιδῶν ἐπαρχίας, *provinciæ Pisidiæ.*

VI. SISINNIUS.

Sic & Septimæ synodo inter episcopos C Pisidiæ, *Sisinnius episcopus Philomelii*, Σισίννιος ἐπίσκοπος Φιλομηλίου.

VII. EUTHYMIUS.

Synodo item quæ ob Photii restitutionem S. Ignatio defuncto habita est, *Euthymius Philomelii*, Εὐθυμίου Φιλομηλίου, Εὐθύμιος Φιλομηλίου.

XXI. ECCLESIA TYMBRIADI.

PLINIUS lib. 5. c. 7. in Lycaonia *Tymbrianos* habet post Philomelienses. In Notitiis vero episcopatuum, Pisidiæ civitas est *Tymbriadum*, ὁ Τυμβειάδων, vel *Tymbriadon* Τυμβειάδων, voce neutra plurali. Apud Hieraclem legitur Τυμβίαδον, pro Τυμβειάδον.

EPISCOPI TYMBRIADI.

I. CONSTANTINUS.

TYmbriadi episcopus alter non occurrit anterior *Constantino*, qui Sextæ synodo interD fuit & subscripsit Κωνσταντῖνος ἐπίσκοπος πόλεως Τιβειάδων. Latina translatio habet: *Constantinus episcopus civitatis Tibriadorum provinciæ*

ECCLESIA TYMBRIADI.

Pisidiæ. Qui subscriptus quoque legitur Quinisextæ synodi canonibus, non tamen sine librariorum errore: Κωνσταντῖνος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Μαυβιαδέων: emendandum Τυβειαδέων, *Constantinus indignus episcopus Tibriadensium.*

II. JOANNES.

Septimæ synodo adfuit subscripsitque *Joannes episcopus Tymbriadensium*, Ἰωάννης ἐπίσκοπος Τυμβειάδων.

III. THEODOSIUS.

Synodo Photianæ sub Joanne Papa VIII. post S. Ignatii obitum *Theodosius Tymbriadis.* Θεοδοσίου Τυμβειάδος, Θεοδόσιος Τύμβειδος.

XXII. ECCLESIA BINDÆI.

BINDEUM, Βίνδεον, vel Βινδαῖον, *Bindæum*: in Pisidia habent Notitiæ episcopatuum, ὁ τοῦ Βινδέου· alias non occurrit, nisi in quarumdam synodorum actis. Annon ipsa est quæ Σαβίνῃ, *Sabinæ* Hierocli?

EPISCOPI BINDÆI.

I. THEODORUS.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus legitur Θεόδωρος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος Βινδέου τῆς Πισιδῶν ἐπαρχίας, *Theodorus episcopus Bindæi provinciæ Pisidiæ.*

II. STEPHANUS. III. PAULUS.

Synodo quæ ob Photii restitutionem S. Ignatio defuncto habita est, aderat *Stephanus Bindæi*, Στεφάνου Βινδαίου. Aderat & *Paulus Bindæorum & Bindæi.* Παύλου Βινδαίων, Παῦλος Βινδαίου.

XXIII. ECCLESIA TYMANDI.

TYMANDUS in Notitiis Græcis episcopatuum Pisidiæ civitas est, ὁ Τυμάνδου. Apud Hieroclem scribitur: Τύμανδρος μητρόπολις, quasi *Tymandrus metropolis* fuerit: sed interpungendum erat, Τύμανδρος, seu melius Τυμάνδος. Μητρόπολις. *Tymandus. Metropolis.* De Metropoli autem Pisidiæ civitate dictum est.

EPISCOPI TYMANDI.

I. LONGINUS.

In conventibus duobus Constantinopolitanæ synodi, in qua, Flaviano Constantinopolitano, necnon Thalassio Cæsariense præsidibus, Eutyches hæresis bis convictus fuit, sedebat *Longinus reverendissimus episcopus Tymandenorum civitatis provinciæ Pisidiæ.* Λογγίνου εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου τῆς Τυμανδηνῶν πόλεως, ἐπαρχίας Πισιδίας. Male translatio Latina, *Tallandenæ civitatis.* Nihilo melius iterum in actis Græcis scribitur τῆς Μανδηνῶν πόλεως, pro τῆς Τυμανδηνῶν πόλεως.

XXIV. ECCLESIA EUDOXIOPOLIS.

EUDOXIOPOLIS, Εὐδοξιούπολις, Pisidiæ civitas est Hierocli, quam Notitiæ aliæ non habent: diversa proinde fuit ab Eudoxiopoli *Europæ*, quæ *Selybria* alioqui dicebatur. Lucas Holstenius in Annotationibus suis ad Geographiam sacram, perperam scripsit, Philippum, de quo Nicephorus Callistus lib. 14. cap. 39. Eudoxiopolim *Pisidiæ* Apamea translatum. Satius dixisset *Europæ*. Quin & Romanus Eudoxiopolis, qui Chalcedonensi synodo interfuit, Selybriæ potius præsul dicendus fuisset.

EPISCOPI EUDOXIOPOLIS.

I. THEODORUS.

Epistolæ synodi Pisidiæ ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini subscriptus legitur *Theodorus episcopus Theodosiopolis.* Legendum puto *Eudoxiopolis*, quando nullo alio auctore vel Notitia notum est, civitatem ullam in Pisidia exstitisse, quæ *Theodosiopolis* diceretur.





XXV. ECCLESIA ZARZELORUM.

NOTITIÆ episcopatuum Zarzela civitatem habent in Pisidia, ὁ Ζαρζήλων in Notitia Hieroclis Ζορζήλα, *Zorzela* scribitur, quæ apud Ptolemæum Δύρζελα, *Dyrzela* (Δ pro Z, ut sæpe solet) ad ortum Seleuciæ Ferreæ ponitur.

EPISCOPI ZARZELORUM.

I. THEODORUS.

IN indice Latino Patrum Concilii Nicæni inter Pisidiæ episcopos censetur, *Theodorus Uzelensis*: emendo prorsus *Zarzelensis*.

II. MACEDO.

In Indice quoque Patrum Concilii Constantinopolitani generalis prioris *De provincia Pisidiæ* legitur *Macedon Zondolensis*; utique pro *Zarzelensis*.

III. MAXIMINUS.

Ita perinde in indice Patrum Concilii Chalcedonensis Latino, episcoporum Pisidiæ unus A est *Maximinus Zozulonensis*, aliàs *Zozulon*, aut *Zozulorum*, pro *Zorzelorum*. Cæterum Pergamius Antiochiæ Pisidiæ metropolita act. 6. subscripsit pro episcopis sub se constitutis absentibus, in quibus *Maximinus*, omisso urbis nomine; nec dubito quin *Maximinum Zorzelorum* innuerit, qui nusquam alias in illis actis occurrit. Sic perinde à librariis Latinis erratum est in subscriptionibus epistolæ synodi Pisidiæ ad Leonem Imp. in quibus legitur, *Maximus episcopus Gorthenus*. Codd. Baluzii habent *Maximinus episcopus Gorthenus*, pro *Zarzelenus*.



XII. PROVINCIA LYCAONIÆ.

I. ECCLESIA ICONII, METROPOLIS.

LYCAONIA propriè dicta regio fuit Phrygiæ, Pisidiæ, Isauriæ, Cataoniæ, Cappadociæ & Galatiæ contermina, in illarum medio exsistens; alioqui vero Pisidiæ pars aliquando censita est. Iconiensis vero antistes Valente Imp. Pamphyliæ, Pisidiæ & Lycaoniæ ecclesiarum curam gerebat, ceu Iconium, uti Lycaoniæ, ita & aliarum duarum metropolis & caput esset. Quocirca in Indice Latino Patrum Nicænæ synodi, omissa Lycaoniæ provinciæ mentione, primus *Pisidiæ* episcoporum est *Eulalius Iconiensis,* moxque Pisidiæ & Lycaoniæ episcopi mistim eadem serie recensentur. Quod vero Pisidiam attinet, id colligere licet ex epistolis quas S. Basilius Iconiensi episcopo Amphilochio scribebat: Epistola namque 8. Iconium *Pisidiæ urbem* dicit Ἰκόνιον ἐπὶ τῆς Πισιδίας, quæ post maximam prima esset, eique præsideret parti quæ ex multis gentibus collecta erat. Epist. 393. illi gratulatur, *quod ineluctabilibus divinæ gratiæ retibus captus, & in Pisidiæ meditullium numine divino adductus,* Iconii episcopus ordinatus erat, ἀγαγὼν εἰς τὰ μέσα τῆς Πισιδίας. Epistola vero 406. Amphilochium laudat quod Isaurorum
» ecclesiæ curam susceperit, ἐμεερίμνησας τὰ περὶ τῆς ἐκκλησίας τῶν Ἰσαυρέων. Fuisse ait, universæ Ec-
» clesiæ utile, ut in plures episcopos sollicitudo divideretur, præstabilius vero forsan fore, unum
» virum qui Dei sit servus, non quæ sua sunt quærens, civitati præfici, qui singularum res cu-
» rat; sin vero exiguis urbibus aut pagis, quæ episcopales olim sedes habuerant, antistites suos
» concedi, ac tum subinde civitatis, potioris scilicet (plane Seleuciæ) præsulem constitui, ne
» si prius aliquis alicubi instituatur, aliorum promotiones suffragio suo habere ratas nolit: cæ-
» terum Isauriæ episcopo suum esse circulum definiendum, ne ad vicinos ordinandos manus
» admoveat. *Sed nostræ curæ deinceps reponitur,* inquit, *ut omnibus episcopos demus, quos idoneos magis judicaverimus multiplici examine probatos.* Quæ non certam Iconiensis præsulis in Isauriam jurisdictionem adstruunt, quin nec Cæsariensis, sed temporaneam dumtaxat, ob rerum illa Arianorum tempestate per istas provincias perturbationem; quum catholici præsules præcipui in alienis provinciis rectæ Fidei episcopos dare & ordinare non dubitarent. Quod quidem tum Amphilochius, tum Basilius tunc temporis ultrò præstiterunt in Isauria, annuente eorum amicissimo Meletio Antiochenæ civitatis episcopo, ad quem hujus provinciæ ordinationes spectabant. Hinc est quod magnus idem Basilius Amphilochio rursum epist. 395. scribebat, ut rebus Lycaoniæ compositis, ἐπειδὰν διαθῇ τὰ κατὰ τὴν Λυκαονίαν, aliquam Cappadociæ quoque curam gereret. Photius in Bibliotheca cod. 52. Amphilochium Iconii episcopum, Sidæ in Pamphylia synodum coëgisse refert ad comprimendam Massalianorum hæresim: quod argumento fuerit, Pamphyliam quoque Iconiensi præsuli obnoxiam fuisse, nisi vero satis simile sit, illum eo jure in Pamphylia usum esse, quo à Secunda synodo delegatus erat, ut per illas Asiæ provincias labefactatam Fidem restitueret. At vero Firmillianus Cæsareæ in Cappadocia sæculo tertio medio synodum quoque Iconii perinde coëgerat, in qua de hæreticorum baptismo actum est. Contra vero Basilius magnus ipse Cæsariensis, post Faustini Iconiensis obitum, successoris illius (Joannes I. hic fuit) electioni atque ordinationi interesse noluit, ut pote peregrinæ ὑπερορίᾳ, quæ sui juris non esset. Quod argumento etiam est Iconium & Lycaoniam Ponticæ Diœcesis minime tunc partes fuisse. Sed observatione dignum videtur, Firmillianum in sua ad Cyprianum Carthaginensem epistola scripsisse, Iconium Phrygiæ locum esse. Quod quidem, Strabone quoque teste, firmatur, cui Lycaoniæ pars altera est in majore Cappadocia, altera in majore Phrygia: *Iconium* verò esse ait *vicum instar oppidi,* κωμόπολιν... *urbeculam bene habitatam,* πολίχνιον εὖ συνῳκισμένον, *regionem habens fortunatiorem illa quæ onagros producit.* Hanc non procul à Trogite lacu exstare ait, & Tauro monti vicinam, cui Stephanus adstipulatur. Plinio autem Iconium civitas fuit *celeberrima.* In eam porro Gentium Apostolus cum Barnaba socio

ECCLESIA ICONII.

Antiochia Pisidiæ ejectus venit, & synagogam Judæorum ingressi, verbum Dei prædicaverunt, multosque è Gentilibus ad Christum adduxerunt. Quod Lucas narrat Act. 14. v. 1. additque, Judæos qui increduli fuerunt, Gentilium animos in fratres exstimulasse, Apostolos vero ibidem diu commorantes, prodigiis signisque quæ manibus suis patrabant, testimonium verbo gratiæ dedisse: quocirca divisa multitudine civitatis, contumeliis demum & lapidibus oppetitos secessisse. Cæterum, sedatis animis, Iconium postea redierunt, ut & Antiochiam Pisidiæ, ad discipulos confirmandos, ac per civitates presbyteros episcoposve consecrarunt. Quo proinde factum est ut Iconiensis ecclesia metropoliticis juribus ab Apostolorum ævo potita sit, quæ tamen subinde imminuta fuere. Atqui inter illos qui Iconii Christo nomen Paulo prædicante dederunt, insignis præsertim fuit S. Thecla virgo, sanctarum feminarum quæ martyrium pro Fide obierunt, prima. Stat hodieque civitas *Iconium*, & *Cogni* vulgo dicitur. Sæculo autem undecimo Iconio cum tota illa regione à barbaris Mohammedanis occupato, Iconiensis ecclesia pene tota desiit, ut & aliæ ferè omnes illius Anatolici tractus, quarum metropolitæ Constantinopoli creabantur; ut vero quæ ad victum necessaria essent, eis suppeterent, Alexii Comneni Imp. constitutione sancitum est, ut monasteriorum præfecturis, fraternitatibus, aliisque sacrarum domorum officiis donarentur. Quam sanctionem Balsamon recitat, ad canon. 37. concilii Quinisexti in Trullo.

EPISCOPI ICONII.

I. Sosipater.

Si qua Pseudo-Dorotheo Tyri habenda A fides est, *Sosipater* Pauli Apostoli cognatus & discipulus, cujus epist. ad Rom. 16. v. 21. meminit, Iconii primus episcopus habendus erit; cui infido auctori Menologia ultro adstipulantur. Hic vero alius est prorsus à Sopatro Pyrrhi Berrhœensis filio, qui ejusdem Apostoli Hierosolyma pergentis socius fuisse narratur Act. 20. v. 4. quemque Thessalonicæ episcopum ab eo constitutum testatur B Origenes.

II. Terentius.

Ex Martyrologio Romano die 22. Julii fertur Iconii in Lycaonia *S. Terentii episcopi.* In Menologiis vero Græcorum die 21. Junii, non *Terentius*, sed *Tertius* dicitur, quem, ex spurio scilicet illo Dorotheo Tyri, illum esse aiunt Apostoli Pauli amanuensem, qui c. 16. epist. ad Rom. v. 22. fideles Romæ commorantes his cum Paulo verbis salutabat: *Saluto vos Tertius, qui epistolam scripsi, in Domino.* C

III. Caronatus, *Martyr.*

In Martyrologio eodem die 12. Sept. legitur *Iconii in Lycaonia S. Caronoti episcopi qui sub Perennio* (Perenni) *præside capite truncatus, martyrii coronam accepit.* Sic quoque in Menologio Græcorum Sirleti tom. 2. Antiq. Lect. Henr. Canis. ad illum eumdem diem, D ubi *Cornutus* nominatur. *Eodem die natalis sacrosancti martyris Cornuti, qui fuit episcopus Iconii, homo religiosus & timens Deum, canus capite & mente. Commota adversus Christianos persequutione detentus, & Perennio præsidi oblatus, capitis abscissione martyrium consequutus est.* In Menologio quod Latine editum est tom. 6. Italiæ sacræ, *Cornutus* quoque dicitur, sed presbyter dumtaxat.

III. Celsus.

Eusebius Cæsariensis lib. 6. hist. c. 16. ubi docendi officium aliquando laïcis hominibus ab episcopis injunctum refert, *Celsum episcopum Iconii* memorat Paulinum laïcum rogasse ut fideles ecclesiæ suæ erudiret, καὶ ἐν Ἰκονίῳ Παυλῖνος ὑπὸ Κέλσου.

IV. Nicomas.

Inter illustriores ecclesiarum præsules qui ad synodum Antiochenam priorem Pauli Samosateni hæretici causâ convenere, *Nicomas Iconiensis* memoratur ab Eusebio lib. 7. c. 28. καὶ Νικωμᾶς ἐν Ἰκονίῳ. Qui rursum alteri concilio Antiocheno interfuit, in quo impius ille in totum proscriptus fuit. Nimirum initio epistolæ hujus synodi ad omnes ecclesias, nomen ejus legitur ut aliorum qui in ea primas tenuerunt, *Proclus, Nicomas, &c.*

V. Petrus.

Ancyranæ synodi decretis subscripsit *Petrus Iconii Lycaoniæ.*

VI. Eulalius.

In Nicænorum Patrum Indice Latino, provinciæ Pisidiæ episcopus primus legitur *Eulalius Iconiensis.*

VII. Faustinus.

Circa annum 372. obiit *Faustinus Iconii* metropolita. Basilius quippe magnus epist. 8. Eusebio Samosatensi scribebat, se ab Iconiensibus invitatum ut eos inviseret, designandi episcopi gratia *post Faustini obitum.* τετελεύτηκε γὰρ ὁ Φαυστῖνος. Hunc rogat, annon peregrinas seu quæ extra ditionis suæ fines fierent, detrectare ordinationes debeat. De Faustino isto intelligenda hæc alia veniunt S. Basilii ad Amphilochium ejus successorem verba ep. 393. ὅσοι

ἀπόλλυνται, ἵνα βασιλεὺς Ἰσραὴλ γένηται, *Asini pereunt, ut rex Israël creetur.* Sic recte habent MSS. codd. non ut edita, ἐχθροὶ ἀπόλλυνται, *inimici pereunt.* Quibus S. Doctor ad Saulis in regem Israël, deperditis asinis patris ejus, inaugurationem alludit, atque Faustinum non hæreticæ factionis virum fuisse significat, sed hebetioris potius ingenii, qui sacro muneri non satis idoneus esset.

VIII. JOANNES I.

Post Faustinum Iconii episcopus sedit *Joannes*, cui S. Amphilochium successisse tradit ejus vitæ scriptor: Καὶ τελευτᾷ μὲν τὸν βίον Ἰωάννης, ὁ προεδρεύων τῆς Ἰκονιέων ἐκκλησίας, *ac vivis quidem excedit Joannes, qui Iconiensium tunc antistes erat.* Itaque Joannes iste, non Faustinus, Amphilochii decessor proximus fuit.

IX. S. AMPHILOCHIUS.

Circa annum 375. Iconiensis ecclesiæ præfectus *Amphilochius* fuit, non quidem Iconio, vel è Lycaonia, aut Pisidia oriundus, sed è Cappadocia, ipsaque primaria ejus urbe Cæsarea, Basilii magni patria, ut in ejus vita fertur. Hieronymus quoque epistola 84. illum diserte perinde atque Basilium, & Gregorium Nazianzenum Cappadocem fuisse testatur. Plane Basilius hunc epist. 393. ecclesiæ suæ fuisse presbyterum significat. Cæterum in ipsius vita legitur, relicta demum patria, in Lycaoniam transiisse, post vero Dei nutu Iconiensis præsulatus jugum subiisse, post obitum Joannis ejusdem civitatis episcopi. Multæ sanctissimi Doctoris Basilii ad eum epistolæ exstant, quarum duæ inprimis canonicæ sunt. Ad ipsum etiam scripsit volumen amplum de Spiritu S. propter Macedonianos. Illi quoque epistolas complures dedit Gregorius Theologus. Anno circiter 379. Valente Imp. defuncto, synodum habuit de revocandis ad ecclesiam Macedonianis quibusdam hæreticis, synodicamque epistolam quam ad eos misit, Græce Latineque à Cotelerio edita exstat Tom. 2. Monum. eccl. Græc. Theodosio Magno orbis Orientalis Imperium adepto, Constantinopolim ivit, ubi cum Eunomio hæretico congressus est, Gregorioque Theologo qui urbis hujus Regiæ ecclesiam instaurabat, adjumento fuit. Mox synodo generali quæ ibidem anno 381. celebrata est, interfuit, annoque insequenti ad Nectarium Byzantii archiepiscopum ordinandum denuo cum aliis convenit, atque à Patribus delegatus fuit ut catholicam Fidem per Asiæ provincias restitueret. Testamento Gregorii Nazianzeni subscriptus legitur, quod illo circiter tempore conditum est. Anno 383. Siden Pamphyliæ

A concilium coëgit propter grassantem illic Massalianorum luem. Anno 394. dedicationi aderat ecclesiæ quam Ruffinus Præfectus Prætorio in Chalcedonis suburbio exstruxerat; quin etiam Nectarii Constantinopolitani synodo, in qua Agapii & Gabadii, qui de Bostrorum in Arabia episcopatu litigabant, causa judicata est: quod quidem initio actorum ejusdem concilii legitur Ἀμφιλόχιος Ἰκονίου, *Amphilochius Iconii.* Quo obierit anno obscurum est: certe Gregorio Nazianzeno superstes fuit. Ejus memoria in Menologiis Græcorum &
B Martyrologio Romano fit die 23. Novembris. Hunc, dum in vivis ageret, miraculis claruisse, Theologus perhibet Carm. 51.

X. VALERIANUS.

In Ephesino concilio sedit & subscripsit *Valerianus Iconii episcopus*, Βαλεριανὸς ἐπίσκοπος Ἰκονίου ὑπέγραψα. Cui ut & Amphilochio Sides injuncta à Patribus provincia est in Massalianos hæreticos inquirendi. Mandatum Latine exstat Tom. 3. concil. Labb. col. 809. cujus initio hæc habentur: *Venientes*
C *ad nos pientissimi & religiosissimi episcopi Valerianus & Amphilochius, proposuerunt in commune deliberandum de Massalianis, &c.* Jam ante Theodotus Antiochenus & Sisinnius CP. ann. 426. iisdem præsulibus Valeriano & Amphilochio, ac reliquis Pamphyliæ episcopis scripserant, ut ab illis hæreticis caverent. Epistolæ principium habemus apud Photium in Biblioth. cod. 52. τοῖς θεοφιλεστάτοις συλλειτούργοις Βερενιανῷ καὶ Ἀμφιλοχίῳ, καὶ πᾶσι τοῖς ἐν Παμφυλίᾳ ἐπισκόποις, *Beneriano & Amphilochio, & cunctis Pamphyliæ episcopis.*

D

XI. ONESIPHORUS.

In Chalcedonensi synodo sedit *Onesiphorus Iconiensis*, Ὀνησιφόρου Ἰκονίου, qui act. 1. testatus est, se ante biennium spuriæ Ephesinæ adfuisse, in qua canon seu regula condita erat, neminem debere quidquam de Fide quærere, sive episcopum, sive clericum, præter id quod in Nicæna formula expositum esset: qui denuo quæreret, pœnas luiturum; se vero episcopis qui juxta hinc inde sedebant, submissa voce dixisse, regulam hanc à Dios-
E coro excogitatam esse, ut illius colore in Flavianum CP. animadverteretur: se subinde cum Nunechio Laodiceno & aliis Dioscori pedes tenuisse, obsecrantes ne unius presbyteri (Eutychis) gratia Flavianus plecteretur; Comites vero & Proconsulem Dioscoro annuente ingressos cum turba magna & catenis, tantam omnibus formidinem injecisse, ut pro Dioscori votis nemo non subscripserit. Cæterum Onesiphori Iconiensis nomen subscriptionibus excidit.

XII. Palladius.

Leone Augusto Iconii episcopus sedebat *Palladius*, cui ille sacras litteras mittendas curavit, quibus nuntiabat S. Proterii Alexandrini necem: *Palladio reverentissimo episcopo Iconiensi.* Ejus vero ac synodi provinciæ Lycaoniæ epistola non superest in Collectione Epiphanii.

XIII. Theodulus.

In synodo Constantinopolitana quæ Menna patriarcha præside celebrata est anno 535. sedit & subscripsit *Theodulus episcopus Iconii*, Θεόδουλος ἐπίσκοπος Ικονίου.

XIV. Pastor.

Confessioni Fidei quam constituto suo Vigilius Papa præmisit, unà cum Menna Constantinopolitano, aliisque præsulibus Græcis subscripsit *Pastor misericordia Dei episcopus Iconiensis metropolis*.

XV. Theodorus.

Acta Martyrii SS. Ceryci & Julittæ *Theodorus Iconii episcopus* descripsit ex monumentis quæ acceperat à Marciano Justiniani Imp. Notariorum quondam Tribuno & Cancellario. Ea Combefisius noster edidit in Collectione aliorum actorum, quam inscripsit, *Triumphus Martyrum.* Θεοδώρου μητροπολίτου Ικονίου ἐπιστολὴ, δηλοῦσα τὸ μαρτύριον τοῦ ἁγίου μάρτυρος Κηρύκου, καὶ τῆς αὐτοῦ μητρὸς Ιουλίττης. *Theodori episcopi Iconii epistola, qua narratur martyrium sancti martyris Ceryci & matris ejus Julittæ.*

XVI. Paulus.

In Sexta synodo generali, *Constantinus episcopus Baratæ civitatis Lycaoniæ provinciæ adfuit & subscripsit, locum tenens Pauli sanctissimi episcopi metropolis Iconii.* Κωνσταντῖνος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος τῆς Βαρατέων πόλεως τῆς Λυκαόνων ἐπαρχίας, καὶ τόπον ἀναπληρῶν Παύλου τοῦ ἁγιωτάτου μου ἐπισκόπου, ὄντος μητροπολίτου τοῦ Ικονίου.

XVII. Elias.

Canonibus synodi in Trullo subscriptus legitur *Elias episcopus Iconiensium metropolis*, Ηλίας ἐλάχιστος ἐπίσκοπος τῆς Ικονιέων μητροπόλεως.

XVIII. Leo.

Septimæ synodo adfuit & subscripsit *Leo episcopus Iconii*, Λέων ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ικονίου.

XIX. Theophylactus.

Octavæ quoque synodo act. 8. 9. & 10. *Theophylactus Deo amabilis metropolita Iconii* pro quo librarii Latini in subscriptionibus posuerunt *Stylianus misericordia Dei metropolita Iconii*, manifesto errore. Ordinatus utique Theophylactus fuerat vel à S. Ignatio, vel ab ejus decessore Methodio: Photio tamen adstipulatus erat, cui posthac abrenuntiavit, atque demum à synodo admissus est.

XX. Theophilus.

Synodo, in qua post Ignatii sanctissimi obitum de Photii restitutione sub Joanne Papa VIII. actum est, adfuit & subscripsit *Theophilus Iconii*, Θεοφίλου Ικονίου, Θεόφιλος Ικονίου. Annon vero idem ille est qui modo Theophylactus?

XXI. Basilius.

Anno 997. Sisinnius II. Patriarcha synodali decreto prohibuit ne duo fratres consobrinas duas ducerent; subscripsitque. *Basilius Iconii*, Βασίλειος Ικονίου. Jur. Græco-Rom. lib. 3. p. 197.

XXII. Joannes II.

Alexii Patriarchæ decretis De donatariis monasteriorum, quæ anno 1027. edita sunt, subscripsit. *Joannes Iconii*, Ιωάννης Ικονίου. Ib. p. 259.

XXIII. * * *

Nicephorus Botaniates Constantinopoli Imperator declaratus fuit anno 1077. præeunte Æmiliano patriarcha Antiocheno cum metropolita *Iconii*, assensu cleri, senatusque & totius fere civitatis. Joann. Scylitz. Curop. Cedren.

XXIV. Eustathius.

Alexio Comneno Imp. anno 1082. in frequenti procerum Imperii episcoporumque cœtu Decretum unionis de sacrarum imaginum honore denuò sancitum est; sedebatque inter metropolitas *Eustathius Iconii*, Εὐστάθιος Ικονίου. Biblioth. Coislin. p. 204.

XXV. Nicetas.

Adversus Latinos scripsit de *Azymis Nicetas Iconii*, cognomento *Seidas*, qui à Dositheo Hierosolymitano appellatur in Enchiridio contra Calvinistas & Lutheranos. Νικήτα τοῦ Ικονιάου τοῦ Σείδου, ἐκ τοῦ κατὰ Αζύμων α'. λόγου. Quo sæculo vixerit, mihi obscurum est.

XXVI. * * *

In Constantinopolitana synodo anno 1152. in qua Luca Chrysoberge Patriarcha præside, nuptiæ septimi gradus prohibitæ sunt, sedebat *Iconii metropolita*, τοῦ Ικονίου. Jur. Græco-Rom. lib. 3. pag. 218.

ECCLESIA ICONII.

XXVII. Joannes III.

Synodus altera, eodem Luca Patriarcha præside, habita est anno mundi 6674. Christi 1166. propter Alamannos qui Constantinopoli agebant, quum assererent Christum vere dici Patre minorem quatenus homo est. Aderat *Joannes Iconii*. Allat. lib. 2. de conf. cap. 12.

XXVIII. * * *

Isaacius Angelus Comnenus Imp. collecta synodo episcoporum sanxit, irritas fore episcoporum electiones, ad quas vocati non essent episcopi qui in Urbe præsentes forent. Aderat *Iconiensis metropolita*, ὁ Ἰκονίου. Jur. Græco-Rom. lib. 2. p. 169.

XXIX. * * *

XXX. * * *

Michaël Palæologus, dum adhuc inferioris conditionis erat, quum ad Persarum Sultanum, Theodori Lascaris Imp. iram veritus, confugisset, *Iconiensem metropolitam* sequestrum & intercessorem adhibuit, ut cum illo reconciliaretur; quod circa annum 1257. contigit. Pachym. lib. 1. c. 3. Atqui metropolita ille Iconii, ejusve successor, ex illis Græciæ episcopis fuit, qui, Michaële demum Palæologo Imperatore, Gregorio Papa X. epistolam dederunt, ut Romanæ Ecclesiæ communionem inirent: *Episcopus metropolitanus Iconii cum iis qui circa me sunt episcopi.*

XXXI. * * *

Lib. 8. Bibl. Cæsar. fertur cod. 67. contineri epistolas Gregorii Cyprii, qui Andronico seniore Palæologo Imp. patriarchatum gerebat, quarum 150. quæ *Magno Logothetæ* inscribitur, ab his verbis incipit: ὁ τῆς Ἰκονιέων μητροπολίτης. *Iconiensium metropolita*. Utinam plura hujus epistolæ suppeterent quibus nobis notior ille præsul fieret. An vero forte idem ille fuerit de quo mox dictum est?

XXXII. Theodorus II.

Post Florentinam synodum Græci unionem quam in ea cum Romana Ecclesia sanxerant, feruntur ejurasse in nescio qua synodo cujus acta Allatius edidit in Addendis ad lib. 3. De consens. cui adfuisse legitur *Theodorus episcopus Iconii*, Θεόδωρος ἐπίσκοπος Ἰκονίου.

XXXIII. Matthæus.

Iconii metropolita fuit *Matthæus Caryophilus* Cretensis, qui Græca Florentinæ synodi acta in Latinam linguam transtulerat, quum Romæ Paulo V. Pontifice ageret; sed & libri Nili Thessalonicensis *De primatu Papæ* confutationem edidit, quam Urbano Papæ VIII. nuncupavit.

XXXIV. Parthenius.

Ante sæculi nuperi medium Iconii metropolim gerebat *Parthenius*, qui anno 1638. mense Sept. Ind. VII sedit in concilio Cyrilli Berrhœensis patriarchæ, in quo Cyrilli Lucaris Calviniani errores damnati primum fuere, subscripsitque, ὁ Ἰκονίου Παρθένιος, *Parthenius Iconii* vel ὁ πρῴην Ἰκονίου Παρθένιος, *Parthenius antehac Iconii*, velut inter acta Bethleemitanæ seu Hierosolymitanæ synodi fertur; in quibus nempe prioris illius synodi decreta, alteriusque subinde, regesta quoque fuerunt.

XXXV. Clemens.

Quum Parthenius III. Constantinopolitanum thronum, Dionysio Larissensi fugiente, latenteque secundò recepisset, ac rursum abdicasset, *Clemens Iconii* suffectus illi fuit, Κλήμης ὁ Ἰκονίου, qui tamen ab episcopis admissus non est.

XXXVI. Silvester.

Anno 1721. sedebat *Silvester Iconii*, ὁ Ἰκονίου Σίλβεστρος.

II. ECCLESIA LYSTRORUM.

Lystra Λύστρα, Hierocli in Notitia Lycaoniæ civitas fuit, quæ non procul Iconio distabat, Septemtrionem versus, unde Plinio *Lystreni* Galatiæ finibus apponuntur. Hanc Ptolemæus habet, apud quem pro Λύσιερα legendum Λύστρα, *Lystra*, ut ejus tabulæ monent: Isauriæ autem attribuitur. Christianam in ea ecclesiam Paulus & Barnabas Apostoli condidere, sanatoque ibi homine claudo ab utero matris, tamquam Dii qui inter mortales agerent, à Gentilibus incolis habiti sunt. Mox vero Judæis instigantibus Paulus lapidibus oppetitus, semivivusque relictus, urbe continuo discedens, una cum Barnaba Derben petiit. Quæ Lucas refert Act. 14. v. 7. & seqq. & 2. Tim. 3. v. 11. Nihilominus sedatis illorum animis, aliquanto post *Lystram* ambo redierunt, ubi fideles magis ac magis religionis instituti erudierunt. Lystra in Notitiis episcopatus est sub Iconio.

EPISCOPI

ECCLESIA Lystrorum.

EPISCOPI LYSTRORUM.

I. Artemas.

Dorotheo Tyri, sed infidissimo testi, A primus Lystrorum episcopus fuit *Artemas* ille de quo Apostolus epist. ad Tit. 3. v. 12. ait: *Quum misero ad te Artemam & Tychicum, festina ad me venire Hierapolim;* Phrygiæ scilicet. Dorotheo autem Menologia adstipulantur.

II. Tiberius.

In indice Patrum Nicænorum *De provincia Isauriæ* legitur *Tiberius Lystron, sive Lystrorum, Lystrensis.*

III. Paulus.

Inter Lycaoniæ præsules concilii generalis primi Constantinopolitani censetur *Paulus Lystrensis.*

IV. Plutarchus.

In Chalcedonensi synodo sedit & subscripsit *Plutarchus episcopus civitatis Lystrorum,* Πλουτάρχος ἐπίσκοπος πόλεως Λύστρων.

V. Eubulus.

Septimo sæculo adulto claruit *Eubulus Lystrorum episcopus,* qui edito volumine confutavit libellum, quem Athanasius Jacobitarum patriarcha Heraclio Imp. obtulerat, ad unam in Christo operationem adstruendam. Hujus operis particulam reperi cap. 22. Panopliæ Græcæ adversus varias hæreses, quæ manu exarata servatur in Bibliotheca collegii Parisiensis Ludovici Magni, hoc præmisso titulo, Εὐβούλου ἐπισκόπου Λύστρων ἐκ τοῦ λόγου τοῦ πρὸς τὸν χάρτην τὸν ἐπιδοθέντα τῷ εὐσεβεστάτῳ βασιλεῖ Ἡρακλείῳ, ὑπὸ Ἀθανασίου τοῦ τῶν Σευηριανῶν ψευδοεπισκόπου πονηθέντος αὐτοῦ. *Eubuli Lystrorum episcopi, adversus chartam quæ data* B *est religiosissimo Imperatore Heraclio ab Athanasio falso Severianorum episcopo, quamque ipse elaboraverat.* Ex quo certum fit, colloquium Athanasii cum Heraclio, quod Theophanes memorat, minime falsum esse, ut nostra ætate doctissimo Antonio Pagi visum fuit.

VI. Basilius.

In synodo quæ habita est de Photio restituto, sedisse legitur *Basilius Lystrorum,* Βασιλείου Λύστρων, Βασίλειος Λύστρων.

III. ECCLESIA VASADORUM.

Vasada, Οὐάσαδα, in omnibus Notitiis Lycaoniæ civitas est, Ptolemæo non ignota, apud quem lib. 5. cap. 6. ubi de Bezenis & Lycaoniæ parte, Οὐάσατα, *Vasata,* scribitur, librariorum utique errore: sic nempe Holstenius ex codice MS. in Notitia Hieroclis pro Οὔασαδα, legendum docet Οὐάσαδα.

EPISCOPI VASADORUM.

I. Theodorus.

In indice Patrum synodi Nicænæ *De provincia Isauriæ* censetur, *Theodorus Vasadensis.* Superiùs monui, veterem Isauriam Lycaoniæ recentioris partem fuisse: quo factum ut Lystrorum quoque episcopus in illo eodem indice inter Isauriæ præsules censitus sit. Atqui *Theodorus idem Vasadensis* anno 341. adfuit Antiochenæ synodo, quæ Marcellino Probino coss. celebrata fuit, anno post Nicænam 23. & cui canones 25. Antiocheni vulgo assignantur. In illis ergo subscriptionibus inter episcopos etiam Isauriæ numeratur; nondum scilicet Lycaoniæ provincia instituta. Ex iisdem vero subscriptionibus apparet, eam synodum aliam omnino fuisse ab Antiochena illa, quæ, quum ex episcopis Eusebianis coalita esset, Athanasium aliosque orthodoxæ doctrinæ episcopos confixit, quamque Julius Papa cum Romana sua synodo reprobavit, data ad eos epistola quam Athanasius integram recitat in Apologia sua secunda.

II. Severus.

C In agro Mandiana dicto, qui Misthiæ vel Misthii episcopatûs erat, *Severus Vasadorum* Cyriacum quemdam presbyterum ordinaverat, quem Basilius Magnus ob pronuntiatum ab eo in ordinatione ipsius jusjurandum, Vasadorum episcopo Severo obnoxium perpetuo fore judicavit, epistola sua canonica ad Amphilochium cap. 10. κελεύσων Οὐασάδοις ὑποτελεῖν. De quo canone legendi Balsamon & Zonaras; ex quorum etiam interpretatio- D nibus certum fit pro voce Μασάδοις, quæ in Basilii editis exstat, emendandum esse, Οὐασάδοις.

III. Olympius.

Act. 6 concilii Chalcedonensis Onesiphorus Iconii pro episcopis sub se constitutis subscribens, *Olympium civitatis Vasadorum* memoravit, Ὀλυμπίου πόλεως Οὐασάδων.

ECCLESIA Vasadorum.

IV. GORGONIUS.

Relationi synodi Constantinopolitanæ ad Joannem patriarcham de Severo Antiocheno, aliisque hæresis ejus sociis damnandis, subscriptus legitur Γοργόνιος ἐπίσκοπος Οὐεάδας. Emendo ut viri docti censent, Οὐσάδας vel Οὐασάδας. *Gorgonius episcopus Vasadiæ.*

V. CONON.

Quinisextæ seu Trullanæ synodi canonibus subscriptus quoque legitur Κόνων ἀνάξιος ἐπίσκοπος πόλεως Λασαδῶν, (seu potius Οὐασάδων) ἐπαρχίας Λυκαονίας. *Conon indignus episcopus Ouasadorum provinciæ Lycaoniæ.*

VI. NICEPHORUS.

VII. NICOLAUS.

Constantinopolitanæ synodo, in qua sub Joanne Papa VIII. de Photii restitutione tractatum est, sedebat *Nicephorus Vasadorum*, Νικηφόρου Βασάδων, Νικοφόρος Βασάδων, pro Οὐασάδων, B pro Οὐ, ut sæpe fit. In eadem vero synodo sedisse quoque & subscripsisse legitur *Nicolaus Sabadorum*, Νικολάου Σαβάδων. Lego prorsus Βασάδων, *Basadorum vel Vasadorum.* Horum unus ab Ignatio, alter à Photio ordinatus fuerat.

IV. ECCLESIA AMBLADORUM.

AMBLADA, Ἄμβλαδα, Pisidiæ civitas olim fuit Artemidoro & Straboni, necnon Ptolemæo, de qua rursum Strabo: *Sunt etiam Phrygibus & Cariæ finitima Tiaba, & Sinda, & Amblada; unde Ambladense vinum effertur ad medicas curationes aptissimum.* Lycaoniæ censetur in Notitia Hieroclis, & aliis recentioribus.

EPISCOPI AMBLADENSES.

I. PATRICIUS.

INter Nicænos Patres *De provincia Pisidiæ* legitur, *Patricius Ambladensis.*

II. SEVERUS.

Sic quoque inter Constantinopolitanæ synodi generalis prioris Patres, *De provincia Lycaoniæ, Severus Ambladensis.*

III. DIOMEDES.

Onesiphorus Iconii metropolita pro episcopis provinciæ Lycaoniæ act. 6. concilii Chalcedonensis subscripsit, in quibus *Diomedes episcopus Ambladorum*, Διομήδους πόλεως Ἀμβλάδων.

IV. PETRUS.

In synodo Mennæ patriarchæ Constantinopolitani, in qua decessor ejus Anthimus proscriptus fuit, sedit *Petrus episcopus civitatis Ambladensium*, Πέτρος ἐπίσκοπος τῆς Ἀμβλαδέων πόλεως.

V. EUSTATHIUS.

Canonibus Quinisextæ synodi subscriptus legitur Εὐστάθιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος πόλεως Ἀμιλάνδων τῆς Λυκαονίας: emendandum Ἀμβλάδων, *Eustathius indignus episcopus Ambladorum Lycaoniæ.*

VI. CONSTANS.

In Septima synodo generali adfuit & subscripsit *Constans episcopus Ambladorum* Κώνστας ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ἀμβλάδων.

VII. JOANNES.

In synodo quæ ob Photii restitutionem habita est, *Joannes Ampladorum* sive *Ambladorum*, Ιωάννου Ἀμπλάδων, Ιωάννης Ἀμπλάδων.

V. ECCLESIA HOMONADORUM.

HOMONANDA, Ὁμόνανδα, Lycaoniæ civitas est, in Notitiis: Plinius vero *Homonam* dixit, lib. 5. cap. 27. & *Homonadum* gentem Pamphyliæ veteris censet: *Ciliciæ Pamphyliam omnes junxere*, inquit, *neglecta gente Isaurica. Oppida ejus intus Isaura, Clibanus, Lalassis: decurrit autem ad mare Anemurii regione supradicti. Simili modo omnibus, qui eadem composuere, ignorata est illi contermina gens Homonadum, quorum intus oppidum Homona. Cætera castella 44. inter asperas convalles latent. Insident verticem Pisidiæ quondam Solymi appellati, quorum colonia Cæsarea, eadem Antiochia.* Quæ recitare opus fuit, ut Homonæ & Homonadum gentis situs magis innotesceret. Strabo Homonades Cremnæ civitatis vicinos fuisse significat. *Amyntas rex*, inquit, *Cremnam cepit, progressusque usque Homonades, qui numquam capi posse existimabantur, multorum jam locorum dominus, interemto à se eorum tyranno, fraude uxoris tyranni captus est, atque ab illis necatus.* Paulo ante de eodem

Amynta qui Dejotari successor fuit, dixerat : *Quum Homonades invaderet, per insidias captus est, & à Cilicibus interemtus :* ceu nempe Homonades de Cilicia veteri fuerint. Quod etiam Tacitus innuit lib. Annal. 3. cap. 47. ECCLESIA HOMONADORUM.

EPISCOPI HOMONADORUM.

I. Cyrillus.

IN Constantinopolitanæ synodi generalis A prioris Patrum indice *De provincia Lycaoniæ, Cyrillus Humanadensis*, sive *Homanadensis*.

II. Tyrannus.

Chalcedonensi synodo interfuit & subscripsit *Tyrannus episcopus civitatis Homonadorum*, Τύραννος ἐπίσκοπος πόλεως Ὁμονάδων.

III. Photinus.

Relationi synodi Constantinopolitanæ ad Joannem patriarcham de Severo Antiocheno & aliis hæreticis damnandis subscripsit Φωτεῖνος ἐπίσκοπος τῆς Οὐμοναν δέων πόλεως, *Photinus episcopus civitatis Umonandensium*, vel *Homonadorum*.

IV. Alexander.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus legitur Ἀλέξανδρος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος Σουμάνδων, (seu potius Ὁμονάδων) τῆς Λυκαόνων ἐπαρχίας. *Alexander minimus episcopus Homonadorum provinciæ Lycaoniæ*.

VI. ECCLESIA HYDES.

HYDE, Ὕδη, Lycaoniæ civitas est in Notitiis, ut & Plinio lib. 5. cap. 27. *Ipsius*, inquit, *Lycaoniæ celebrantur, Thelasa in Tauro, Hyde in confinio Galatiæ & Cappadociæ*.

EPISCOPI HYDES.

I. Theodosius.

INter Constantinopolitanæ synodi prioris B generalis præsules *De provincia Lycaoniæ* censetur *Theodosius Hydensis*; qui & Testamento S. Gregorii Nazianzeni subscripsit hoc ipso anno 381. Θεοδόσιος ἐπίσκοπος τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας τῆς ἐν Ὕδῃ. *Theodosius episcopus catholicæ ecclesiæ quæ in Hyde est*.

II. Rufus.

Concilio Chalcedonensi adfuit & subscripsit *Rufus episcopus civitatis Hydes*, Ροῦφος ἐπίσκοπος πόλεως Ὕδης.

VII. ECCLESIA BARATTORUM.

BARATTA, Βάραττα, Lycaoniæ civitas est Ptolemæo lib. 5. cap. 6. cujus provinciæ censetur quoque in Notitiis.

EPISCOPI BARATTORUM.

I. Eugenius.

ONESIPHORUS Iconii act. 6. synodi C Chalcedonensis pro episcopis etiam absentibus sub se constitutis subscripsit, in quibus *Eugenius episcopus Barattorum*, Εὐγένιου πόλεως Βαράττων, qui in translatione Latina à librariis oscitantius episcopus *Aranæ* dicitur.

II. Epiphanius.

Constantinopolitanæ synodo, quæ, Menna patriarcha præside, decessorem ejus Anthimum & alios hæreticos damnavit, adfuit & subscripsit. *Epiphanius episcopus Barattensium provinciæ Lycaoniæ*, Ἐπιφάνιος ἐπίσκοπος τῆς Βαραττέων Λυκαονίας.

III. Constantinus.

In Sexta item synodo generali *Constantinus episcopus Barattæ provinciæ Lycaoniæ* locum tenuit metropolitæ sui Pauli Iconiensis, & pro eo subscripsit. Κωνσταντῖνος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος τῆς Βαραττέων πόλεως τῆς Λυκαόνων ἐπαρχίας, καὶ τὸν τόπον ἀναπληρῶν Παύλου ἐπισκόπου Ἰκονίου : quin & Quinisextæ synodi canonibus subscriptus reperitur.

IV. Georgius.

Synodo Photianæ quæ sub Joanne Papa VIII. habita est, *Georgius Baratæ*. Γεωργίου Βαρατᾶ.

VIII. # ECCLESIA DERBES.

DERBE, Δέρϐη, urbs, Stephano munimentum erat Isauriæ, in latere scilicet Isauriæ posita Straboni, Cappadociæ adhærens, cui Ptolemæus assentitur, apud quem Derbe præfecturæ Antiochenæ primæ civitas est, ut Antiochia Pisidiæ Derbe remota admodum non fuerit. Cæterum Ptolemæus idem hanc cum Lycaonia conjungit; sed & S. Lucas, Derben, velut & Lystra, Lycaoniæ attribuit Act. 14. v. 6. ubi narrat Paulum cum Barnaba evangelium in ea prædicasse; ut & presbyterum, adeoque episcopum, in ea constituerit, velut in aliis urbibus ad quas iterum reversus est.

EPISCOPI DERBES.

I. DAPHNUS.

ANno 381 Constantinopolitanæ synodo A generali priori adfuisse legitur *De provincia Lycaoniæ, Daphnus Derbensis.*

II. THOMAS.

Concilio Ephesino primo generali adfuit & subscripsit *Thomas episcopus Derbes Lycaoniæ*, Θωμᾶς ἐπίσκοπος τῆς Δέρϐης.

III. PAULUS.

Synodo quoque Chalcedonensi, *Paulus episcopus civitatis Derbes*, Παῦλος ἐπίσκοπος πόλεως Δέρϐης.

IV. CYRICUS.

Quinisextæ synodi canonibus subscriptus legitur Κύρικος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος Δέρϐης πόλεως ἐπαρχίας Λυκαονίας, *Quiricus minimus episcopus Derbes civitatis provinciæ Lycaoniæ.*

IX. # ECCLESIA LARANDORUM.

LARANDA, Λάρανδα, urbem Derbe vicinam in Antiochena regione, Antipatri Derbensis tyranni quondam fuisse fert Strabo. *In latere Isauriæ est Derbe*, inquit, *maxime adhærens Cappadociæ, sedes Antipatri Derbensis tyranni, cujus etiam fuerunt Laranda, & ætate nostra Isauria.* Stephano civitas est Lycaoniæ etiam veteris, imo recentioris quoque Hierocli, ut & aliis Notitiis Græcis.

EPISCOPI LARANDORUM.

I. NEON.

EUSEBIUS lib. 6. hist. eccl. cap. 19. ex B epistola Theoctisti Cæsariensis ad Demetrium Alexandrinum episcopos aliquot appellat, qui non dubitarunt laïcos homines ad plebem erudiendam adhibere, inprimisque *Neonem*, virum pium & sanctum Larandorum præsulem rogasse Euelpidem ut docendi munus obiret, ὥσπερ ἐν Λαράνδοις Εὐέλπις ὑπὸ Νέωνος.

II. PAULUS.

In synodo Nicæna *De provincia Isauriæ*, ante Tiberium Lystrensem legitur *Paulus Larinensis*: emendo *Larandensis*. Alia tunc erat Isauria à recentiori, ut alia Pisidia, alia Pamphylia, alia Lycaonia, ante factam à Theodosio provinciarum illarum Orientis partitionem novam.

III. ASCHOLIUS.

In synodo Chalcedonensi sedit *Ascholius* vel *Acholius Larandorum*, Ἀχολίου, sive Ἀχολίου Λαράνδων. In subscriptionibus act. 6. *Ascholius* dicitur, Ἀχόλιος ἐπίσκοπος πόλεως Λαράνδων.

IV. SABAS.

In ea synodo, in qua, S. Ignatio Constantinopolitano defuncto, de Photii restitutione actum est, sedit & subscripsit *Sabas Larandi*, Σάϐα Λαράνδου, Σάϐϐας Λαράνδου.

X. # ECCLESIA BERINOPOLIS.

BERINOPOLIS, vel *Verinopolis*, Βερινούπολις, Lycaoniæ civitas censetur in Notitia una episcopatuum, quæ & Ψίϐηλα dicebatur, ὁ Βερινουπόλεως, ἤτοι Ψιϐήλων, *Episcopus Berinopolis, sive Psibelorum.* Fuit & *Verinopolis* Galatiæ primæ: eaque dictæ videntur à Verina Zenonis Isaurici Imp. uxore.

ECCLESIA Berinopolis.

EPISCOPI BERINOPOLIS.

I. THEODOSIUS.

NUllus Psibelorum seu Berinopolis episcopus mihi occurrit Sexta synodo generali anterior, cui adfuit & subscripsit *Theodosius episcopus Psibelorum provinciæ Lycaoniæ* Θεοδόσιος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος Ψιβήλων, τῆς Λυκαόνων ἐπαρχίας, qui subscriptus quoque legitur canonibus Quinisextæ synodi, Θεοδόσιος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος τῆς Βερίνων (vel Βερίνων) πόλεως Λυκαόνων, *Theodosius minimus episcopus Bertinorum* (vel *Berinorum*) civitatis Lycaoniæ.

II. LEO.

Sedit quoque in Septimo concilio generali & subscripsit, *Anthimus episcopus Berinopolis*, Ανθιμος ἐπίσκοπος Βερινουπόλεως, ubi inter episcopos Galatiæ & Lydiæ reperitur. In ea A vero sedit quoque & subscripsit *Leo episcopus Sibilon* vel *Sibilorum*, Λέων ἐλάχιστος ἐπίσκοπος Σιβίλων, qui in Latino Longolii translatione *Leontius* dicitur. Nec dnbium, quin Σιβίλων à librariis scriptum oscitantius fuerit pro Ψιβήλων.

III. SISINNIUS.

Synodo quæ restitutionis Photii in Constantinopolitanam sedem gratia sub Joanne Papa VIII. habita est, adfuisse subscripsisseque fertur, *Sisinnius Beriopolis*, seu *Berinopolis*, Σισιννίον Βερουπόλεως, Σισίννιος Βερουπόλεως.

XI. # ECCLESIA SABATRORUM.

SABATRA, Σάβατρα, seu Σαύατρα, *Savatra*, ut apud Ptolemæum lib. 5. cap. 4. illius ætate Isauriæ censebatur, quam Notitiæ omnes in Lycaonia collocant. Imo Straboni Σόατρα, *Soatra*, in Lycaoniæ collibus posita erat, ubi tanta aquæ penuria est, ut pretio veneat.

EPISCOPI SABATRORUM.

I. ARISTOPHANES.

INter synodi Constinopolitanæ prioris Patres *De provincia Lycaoniæ* legitur *Aristophanes Sobariensis*. Emendandum utique *Sabatrensis*.

II. EUSTATHIUS.

B Act. 6. synodi Chalcedonensis Onesiphorus Iconii metropolita pro episcopis sub se constitutis qui aberant, subscripsit, in quibus *Eustathius civitatis Savatrorum*, Εὐσταθίου πόλεως Σαυάτρων. Latina translatio insulse habet *Gadarensium*.

XII. # ECCLESIA CANNORUM.

CANNA, Κάννα, altera Lycaoniæ civitas est Ptolemæo, ut & Hierocli, quæ in Notitiis episcopatuum *Cannus* dicitur, ὁ Κάννου, *Episcopus Canni*.

EPISCOPI CANNORUM.

I. EUSTATHIUS.

SYnodo Constantinopolitanæ generali priori, *De provincia Lycaoniæ* aderat *Eustathius Cannensis*.

II. EUGENIUS.

C Chalcedonensi quoque adfuit & subscripsit *Eugenius episcopus civitatis Cannorum*, Εὐγένιος ἐπίσκοπος πόλεως Κάννων.

XIII. # ECCLESIA CORNORUM.

CORNA, Κόρνα, ejusdem Lycaoniæ tractus civitas est Ptolemæo, ut & Cannæ, Iconium, Paralaus. Ejus mentio est in Notitia Hieroclis : abest vero in aliis.

ECCLESIA Cornorum.

EPISCOPI CORNORUM.

I. INZUS.

IN indice Latino Patrum concilii Constan- A tinopolitani generalis prioris, *De provincia Lycaoniæ* legitur *Inzus Cotnensis*, vel ut fert Pithœi codex, *Inzus Coriensis*: emendandum prorsus *Cornensis*. Sed episcopi nomen corruptum videtur: legerim ego, *Euzoïus*.

II. NEOPTOLEMUS.

In Chalcedonensi concilio sedit & subscripsit cum Lycaoniæ præsulibus *Neoptolemus episcopus civitatis Cornorum*, Νεοπτόλεμος ἐπίσκοπος πόλεως Κόρνων.

XIV. ECCLESIA ISAURORUM.

QUÆ *Isauropolis* Hierocli, Ptolemæo Ἴσαυρα, *Isaura* dicitur, & veteris Isauriæ censetur, lib. 5. cap. 4. tribus dumtaxat civitatibus regioni assignatis, *Sabatris* scilicet, *Lystris* & *Isauris*, Plinius quoque lib. 5. cap. 27. *Ciliciæ*, inquit, *Pamphyliam omnes junxere, neglecta gente Isaurica; oppida ejus Isaura, Clibanus, Lalassis*. Isauria civitas nominatur Ammiano Marcellino lib. 14. cap. 7. *Isauria antehæc mœnium potens*, ait, *olim subversa ut rebellatrix, interneciva, ægre vestigia claritudinis pristinæ monstrat admodum pauca*. Quo posthac factum ut esse tamdem civitas desierit. Hanc magnus Basilius in Pisidia collocat epist. 1. ubi ait se in Pisidiam ivisse, *ad componenda negotia fratrum Isauriæ*, τῶν ἐν τῇ Ἰσαυρίᾳ. Scilicet Isaurica regio Basilii ætate Pisidiæ pars erat, diversaque prorsus ab Isauria provincia, quæ subinde instituta fuit à Theodosio. Ex epistola vero ejusdem S. Doctoris 406. apparet urbis hujus episcopum jus per regionis suæ urbeculas præsules alios ordinandi sibi vindicasse, quum ipse interim Pisidiæ seu Lycaoniæ metropolitæ Iconiensi obnoxius esset.

EPISCOPI ISAURORUM.

I. HILARIUS.

ANno 381. Testamento S. Gregorii Na- B zianzeni subscripsit *Hilarius episcopus ecclesiæ catholicæ Isauriensis*, Ἰλάριος ἐπίσκοπος τῆς ἐκκλησίας καθολικῆς τῆς κατ' Ἰσαυρίαν, παρών. Qui eodem anno interfuit synodo generali Constantinopolitanæ priori, ut fertur in indice Latino, *Hilarius Isauronensis*, sive *Isauron*, *Isaurorum*.

II. CALLISTRATUS.

Inter epistolas S. Joannis Chrysostomi, inscripta una exstat Καλλιστράτῳ ἐπισκόπῳ Ἰσαυρίας, *Callistrato episcopo Isauriæ*, qua testatur sibi in votis fuisse præsentia ejus potiri, rogat- C que ut se frequenter certiorem faciat de sua valetudine, ac si fieri possit, ad se proficisci non dubitet; rem quippe sibi laboriosam omnino non fore.

III. AETIUS.

Onesiphorus Iconiensis metropolita act. 6. Synodi Chalcedonensis pro episcopis suæ provinciæ qui aberant subscripsit, in quibus *Aëtius Isauropolis*, Ἀετίου Ἰσαυροπόλεως.

IV. ZENON.

In actis sanctorum martyrum Ceryci & Julittæ, quæ Latinè ex Romanis codicibus edita sunt inter Acta SS. die 16. Junii, eorum historia accepta fertur ex relatione Zenonis Isaurorum antistitis. *Tamdem Marcianus Christo amabilis Tribunus, qui à Justiniano piissimo nostro Imp. notarius & cancellarius est institutus, hæc quæ subnectuntur, ore proprio insinuavit. Asserebat enim se dum magistratu potiretur, Zenone sagacissimo Isaurorum antistite, vidisse senem quemdam ipsius provinciæ, qui se jactabat procreatum ex eorumdem sanctorum prosapia, &c.* Quamquam Combefisius, qui similia SS. Ceryci & Julittæ acta protulit, Zenonem negat Isauriæ episcopum ἐπίσκοπον fuisse, sed assessorem, aut forsan moderatorem.

XV. ECCLESIA MISTHII.

MISTHIUM, Μίσθιον, Ptolemæo, lib. 5. cap. 4. circa veterem Pisidiam collocatur in regione Orondicorum. Hierocli, Μίσθια, *Misthia* scribitur, quin Μίσθια vox pluralis neutra est in Notitiis episcopatuum, ὁ Μισθίων, *Episcopus Misthiorum*. Archiepiscopatum factum esse constat ex actis Octavæ synodi, & ex Photianæ.

EPISCOPI MISTHII.

I. Darius.

In synodo Constantinopolitana generali A priore inter Isauriæ episcopos sedebat *Darius Misthiensis*.

II. Harmatius.

Onesiphorus Iconii act. 6. synodi Chalcedonensis subscripsit pro *Harmatio episcopo civitatis Misthiæ* absente, Ἁρματίου πόλεως Μισθίας.

III. Longinus.

Quinsextæ synodi canonibus subscriptus legitur Λογγῖνος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος τῆς Μισθιανῶν πόλεως Λυκαονίας (emendandum Μισθιανῶν) *Longinus minimus episcopus Misthianorum civitatis Lycaoniæ*.

IV. Basilius.

Octavæ synodo generali adfuit & subscripsit *Basilius misericordia Dei archiepiscopus Misthiæ*, qui vel à S. Methodio, vel à S. Ignatio fuerat ordinatus. Idem Basilius adfuisse quoque & subscripsisse reperitur synodo quæ post Ignatii mortem de restituto Photio habita est: Βασιλείου Μίσθου, Βασίλειος Μίσθης. ubi inter metropolitas vel archiepiscopos censetur.

XVI. # ECCLESIA ILISTRORUM.

Præter Lystra, fuerunt quoque Ιλίστρα, *Ilistra*, vel Ηλίστρα, *Helistra*, Lycaoniæ civitas altera, quam omnes Notitiæ habent, ut & quarumdam synodorum acta. Λίστρα, *Listra* scribitur apud Hieroclem, errore librarii.

EPISCOPI ILISTORUM.

I. Martyrius.

Synodo Ephesinæ generali priori adfuit & A subscripsit *Martyrius episcopus Helistrorum*, Μαρτύριος ἐπίσκοπος Ηλίστρων.

II. Onesimus.

Act. 6. synodi Chalcedonensis ab Onesiphoro Iconii subscriptum est pro *Onesimo episcopo Ilistrorum* absente, Ονησίμου πόλεως Ιλίστρων.

XVII. # ECCLESIA PERTORUM.

Perta, Πέρτα, Ptolemæo Lycaoniæ partis quæ ad Galatiam pertingebat, & Bezenis affinis erat, civitas fuit, quæ Hierocli perinde Lycaoniæ recentioris censetur, ac Πέρτη, *Perte* scribitur. In aliis vero Πέρτα nomen plurale Græcum est, ὁ Πέρτων, *Episcopus Pertorum*. Apud Plinium in Lycaonia sunt *Pelteni*.

EPISCOPI PERTORUM.

I. Leontius.


Inter episcopos Lycaoniæ qui Constantino- B politano concilio generali primo interfuerunt legitur *Leontius Pergensis*, seu potius *Pertensis*.

II. Conon.

Tempore synodi Chalcedonensis sedebat *Conon episcopus civitatis Pertorum* Lycaoniæ provinciæ, pro quo ut pro aliis episcopis sub se constitutis qui aberant, subscripsit Onesiphorus Iconii, Κόνωνος πόλεως Πέρτων.

III. Epiphanius.

Septimæ synodo generali adfuit & subscripsit inter Lycaoniæ præsules *Epiphanius episcopus Pertorum*, Επιφάνιος ἐπίσκοπος Πέλτων. Emendo Πέρτων, ex Latina translatione, in qua scribitur *Pelton*, seu *Pertorum*: Jam autem Plinium in Lycaonia *Peltenos* statuere dixi.



XVIII. ECCLESIA ECDAUMAVÆ.

PTOLEMÆO lib. 5. cap. 6. Bezenorum qui Galatis affines ſunt, & ad Lycaoniæ partem pertinent, *Ecdamua* civitas fuit, Εκδάμουα, vel Εκδαυμάυα, *Ecdaumaua*, ut Coiſliano codice fertur: quam lectionem confirmat ſimilis hæc, etſi mendoſa, codicis Palatini, Δαύμανα, *Daumana*. Ipſa eſt quæ in actis ſynodi Chalcedonenſis *Hydmautus* dicitur.

EPISCOPI ECDAUMAVÆ.

I. APRAGMONIUS.

ONESIPHORUS Iconii act. 6. ſynodi Chalcedonenſis pro epiſcopis ſub ſe conſtitutis qui aberant, ſubſcribens, *Apragmonium civitatis Hydmauti* memoraſſe legitur, Απραγμωνίου πόλεως Υδμαύτου. Verum pro Υδμαύτου emendandum omnino Εκδαυμάυας *Ecdaumavæ*, vel Εκδαυμάυων *Exdaumavorum*. C





DIŒCESIS THRACICA, CUJUS CAPUT HERACLEA PERINTHI.

DE DIŒCESI THRACICA.

Thraciæ diœcesis res obscura.

I. DE Thraciæ Diœcesi non tam multa ac de aliis dicenda mihi suppetunt, A quando rari scriptores apparent, qui res illius tractûs ecclesiasticas, primi præsertim Christianæ Religionis ævi, narraverint. Quinimo, ex quo Byzantus Constantinopolis facta, Orientalis Imperii caput evasit, Regiæ hujus urbis antistite vicinarum, Thraciæque adeo, ecclesiarum ordinationem regimenque sibi vindicante, priscæ illarum gerendarum rationis vestigia fere omnia, ante ipsa quoque Chalcedonensis concilii tempora, sensim obliterata deletaque erant.

Thraciæ dispositio civilis sub Cæsare Augusto.

II. Quod vero Thraciæ Diœcesis statum & B administrationem civilem attinet, quum Romani regiones illas omnes ad Istrum usque, ejusque ostia, positas sui juris fecissent, in prima Imperii distributione quæ sub Augusto Cæsare facta est, è provinciis quatuordecim quæ ad ejusdem Imperii confinia hinc inde pertinebant, septima censebatur *Mœsia (* in qua *Dardani, Thraces & Daci* erant*)* ab Istro seu Danubio ad Propontidis exitus, Ægæumque mare protensa, juxta atque apud Plinium fertur lib. 5. c. 11. In divisione altera, Thraciæ nomine regio designabatur sex minori- C bus provinciis constans, ex quibus Thracica diœcesis conflata fuit : quod sub Hadriano Augusto factum ex Aurelio Victore comperimus. Ac certe aliquantum ante tempora Severi Imp. ut mox ostendetur, harum provinciarum *prima, Thracia erat. II. provincia Hæmimontium. III. Mœsia inferior. IV. Scythia. V. Rhodope. VI. provincia Byzantium.* Qui quidem provinciarum numerus, etsi non nihil mutato ordine, uniusque earum vocabulo, ut pro *Byzantio provincia, provincia Europæ* diceretur, à Constantino Augusto servatus idem fuit, ut sub dispositione Præfecti Prætorio Orientis, ejusque per Thracias Vicarii manerent. Hic enim illo posteriori ævo Thraciæ diœcesis provinciarum ordo sancitus fuit : *In Thracia provinciæ sex sub Vicario Thraciarum. I. provincia, Europa Consularis. II. provincia, Thracia Consularis. III. provincia, Hæmusimons & reliquæ præsidiales. IV. provincia, Rhodope. V. Mœsia secunda. VI. provincia, Scythia.* Hunc autem provinciarum ordinem repræsentat Hieroclis Synecdemi Notitia, quæ profecto sub Arcadio & Honorio, imo sub Theodosio juniore concinnata fuit.

Sub Hadriano.

Sub Constantino. M.

Perinthus, sive Heraclea ; ante Severi Augusti tempora provinciæ metropolis non erat.

III. In prioribus hujus Thraciarum sive Thraciæ diœcesis partitionibus, vix ac ne vix quidem apparet Perinthum, sive Heracleam, urbem alioqui notissimam, tot illarum provinciarum primariam, caput, metropolimque fuisse, sed in ea demum quam Ammianus Marcellinus lib. 27. cap. 3. descripsit, ubi varias Romanorum in Thraces expeditiones enarravit. *Hoc modo*, inquit, *post procinctus ancipites Reipub. sex provinciæ sunt quæsitæ. Inter quas prima quæ ex fronte Illyriis est confinis, Thracia simplici nomine appellatur, quam Philippopolis Eumolpias vetus, Berrhæa, amplæ urbes exornant. Post hanc Hæmimontus Hadrianopolim habet, quæ dicebatur Uscudama, & Anchialon civitates magnas. Dein Mysia, ubi Maximianopolis, à sorore Principis Trajani cognominata, & Dorostorus, & Nicopolis, & Odyssus. Sextaque Scythia, in qua celebriora sunt oppida, Dionysopolis,*

& Tomi, & Galatis. Europa omnium ultima, præter municipia urbibus nitet duabus, Apris & Perintho, quam Heracleam poſteritas dixit. Rhodope huic annexa, Maximianopolim habet, Maroniam & Ænum, poſt quam conditam & relictam Æneas Italiam auſpiciorum proſperitate perpetua poſt diuturnos occupavit errores. Hæc Ammianus, quibus tamen ſecunda potius partitio Hadriani ſcilicet, exhibetur, quam tertia, ut mirari ſubeat hunc auctorem qui ſub Theodoſio ſeniore Imp. ſcribebat, illam omiſiſſe Thraciæ provinciarum diſtributionem & ordinem, quem ſub Conſtantino M. factum affirmant.

Philippopolis olim Thraciæ diœceſis civilis caput, non Heraclea.

IV. Verum in hac quoque Thraciarum partitione, quando Thracia ipſa provincia primo loco ponitur, atque Europa ultimo, hoc prorſus innuitur, tot provinciarum caput olim Philippopolim potius fuiſſe, quam Perinthum ſive Heracleam, quæ ſextæ atque ultimæ provinciæ, Europæ ſcilicet, urbibus eminebat. At certe ante Severi Auguſti tempora Europam illam provinciam *Byzantium* vocitatam fuiſſe diximus, cujus proinde metropolis Byzantus eſſet. Ea vero urbe ab illo Imperatore, quia Peſcennii Nigri partibus ſtuduerat, expugnata, prærogativis ſuis priſtinis nudata fuit, diruti illius muri ſunt, deletiſque theatris, thermis, omnique demum illius ornatu, in vici normam, Herodiano teſte, redacta eſt; quin & Perinthiis dono tradita eſt, quorum deinceps legibus pareret. Παντὸς κόσμου καὶ τιμῆς ἀφαιρεθὲν τὸ Βυζάντιον, κώμη δουλεύειν Περινθίοις ἐδόθη. Eo proinde Byzanti civitatis caſu factum eſt, ut Perinthus, ſive Heraclea, provinciæ potior præ illa civitas haberetur.

Heracleæ Byzantus à Severo Aug. ſubjicitur.

Chriſti religio in Thraciam invecta ab Apoſtolo Paulo.

V. Quum primis illis Eccleſiæ Chriſtianæ ſæculis Thraciarum civilis ordo iſte ac ſtatus eſſet, religionem ab Apoſtolo Paulo in eas regiones invectam Theodoretus prodit in cap. 15. epiſtolæ illius ad Romanos: qui nimirum, tum Macedoniam, tum Illyrici provincias Thraciæ vicinas Chriſtum ubique annuntians peragravit. καὶ πρὸς τούτοις τὰ κατὰ τὴν Ἀσίαν, καὶ τὴν Θρᾴκην τῆς διδασκαλίας ἐπληρώσατο Cæterum Græcorum monumenta complura variaque ferunt ab Andrea Apoſtolo poſt Pontum & Bithyniam, non Byzantum modo, ſed Thraciam quoque, ceteraſque itidem circumvicinas regiones ad Achaiam uſque eruditas fuiſſe. Sic fert commentarius Græcus de ejuſdem Andreæ geſtis, quem apud me Combefiſii noſtri manu exaratum habeo: Ἀλλὰ τοῖς μὲν ἄλλοις τῶν μαθητῶν ἄλλαι μοῖραι τῆς γῆς, καὶ τῶν ἐν αὐτοῖς ἐθνῶν ἀνεκληρώθη, καὶ ἀφωρίζοντο. Ἀνδρέᾳ δέ τις, ὡς μεγάλη λίαν καὶ φιλότιμος, ἐγχειρισθεῖσα. ἥ, τε γὰρ Βιθυνῶν ἅπασα, καὶ Πόντος Εὔξεινος, καὶ Προποντίδος τὰ ἑκάτερα μέρη ἄχρι καὶ Ἀστακηνοῦ κόλπου τείνοντα καὶ παράπλου τοῦ ἐκεῖθεν διήκοντος. ἀρίθμει σὺν αὐτοῖς καὶ Χαλκηδόνα τὴν περιώνυμον, καὶ Βυζάντιον αὐτὸ, καὶ τὰ τὴν Θρᾴκην καὶ Μακεδονίαν νεμόμενα γένη, ὡς δὲ καὶ Ἴστρου φθάνοντα, καὶ Θεσσαλία, καὶ Ἑλλὰς, καὶ τὰ μέχρις Ἀχαΐας αὐτῆς ἐκτεινόμενα.

Ab Andrea Apoſtolo.

Sed & reliquis quidem diſcipulis alii tractus terræ & gentes illarum obtigerunt, deſtinatæque ſunt: alia vero quædam Andreæ, eaque ampla prorſus & ambitione digna regio credita eſt, Bithynia ſcilicet omnis, Euxinuſque Pontus, oræ Propontidis utrumque latus ad ſinum Aſtracenum uſque, & quæ mare præterfluit; quibus Chalcedonem annumeres celebratiſſimam, ipſumque Byzantium, nationes item quæ Thraciam incolunt, ad Iſtrum uſque: Theſſalia inſuper & Græcia, & quæ ad Achaiam pertinent.

Andreas Byzanti & Heracleæ viciniſque locis prædicaſſe fertur.

VI. Idem auctor narrare pergit, Scachyn, quem ſeptuaginta Domini diſcipulorum unum opinatur fuiſſe, (utinam non ex Dorotheo Tyrio) cujus Apoſtolus Paulus cap. 16. epiſt. ad Romanos v. 9. meminit, Byzanti epiſcopum ordinatum, ibique relictum ab Andrea; qui mox Heracleam Thraciæ petierit, in qua pauco tempore commoratus, quum in viciniis urbibus prædicaſſet, in Macedoniam perrexerit. εἶτα ἐκεῖθεν ἀπάρας, πρὸς Ἡράκλειαν τὴν τῆς Θρᾴκης ἐχώρει. ὀλίγον οὖν ἐν αὐτῇ προσμείνας, καὶ τὸ ἱερὸν κήρυγμα διαγγείλας, πρὸς τὰς γείτονας κώμας τε καὶ πόλεις διῄει, ὡς καὶ πρὸς αὐτὴν ἐπέστη Μακεδονίαν. De Stachy, ejuſque in Byzantinum epiſcopum inſtitutione ſuus dicendi locus fuit, ubi de Patriarchis Conſtantinopolitanis. Addam interim, Nicetam Paphlagonem ſæculi noni ſcriptorem in ejuſdem S. Andreæ Apoſtoli laudatione perinde tradere, hunc Byzanto egreſſum Thraciam ſubinde peragraſſe, unde per Macedoniam & Theſſaliam atque Græciam in Peloponneſum & in Achaiam venit.

Andream in Thracia prædicaſſe non abſurde fertur.

VII. Cæterum antiquiores ſcriptores nullos reperio, qui S. Andream Thracibus erudiendis incubuiſſe ferant, niſi forſan iſtis quos appellavi, præiverit Pſeudo-Dorotheus ille Tyrius, qui de Byzantinis prioris ævi epiſcopis plurima è ſuo cerebro finxit, quæ ſuo loco falſi redarguimus & convicimus. Quamquam fatendum, quum Andreas ex Orientis partibus per Pontum in Græciam uſque venerit, conſentaneum prorſus eſſe, ut Chalcedone & ex Bythinia Byzantum appellens, inde per Thraciam tranſire debuerit. At longe potiori jure ſi viam alteram ultra Pontum Euxinum inierit, ut quis forſan non inficete collegerit ex iis quæ Sophronius de Domini ſingulis Apoſtolis Hieronymi de Scriptoribus eccleſiaſticis libro interſeruit, ſcilicet, *Andream Petri fratrem, ut majores noſtri prodiderunt, Scythis,*

Sogdianis & Sacis prædicasse Evangelium Domini nostri Jesu Christi & in Sebastopoli magna civitate, ubi Castra Absari & Phasis fluvius (illic incolunt Æthiopes interiores) sepultum vero esse in Patris Achaiæ, quum suffixus fuisset cruci ab Ægea præfecto Ædessenorum. Observasse itaque sufficiat, concordem sententiam veterum fuisse sanctissimum hunc Apostolum in Achaïa mortem oppetiisse, unde corpus ejus Constantinopolim Constantio Imp. transvectum fuit; ut proclive sit inde concludere, ab eo apud Thraces religionem propagatam esse.

Diœcesis Thracica sæculo quarto jam instituta erat.

VIII. Superiùs monebam in nulla Romani Imperii Notitia, quæ Arcadio aut Theodosio juniore Imperatoribus anterior fuerit, Heracleam Thracicæ diœcesis urbem primariam, cæterarumque principem, quod res etiam civiles spectaret, ante Constantini filiorumque illius tempora censitam esse. At vero ex canone 2. concilii generalis Constantinopolitani primi compertum habemus, inter ecclesiasticas diœceses, Thracicam quoque numerari, cui certè non alius tunc antistes præerat, nisi Heracleensis, donec cura hæc jurisdictioque illi ademta est à Constantinopolitano præsule. Illo autem canone statuitur, ut Asianæ diœcesis episcopi ea quæ in Asia fiunt & ad Asianam pertinent diœcesim, dumtaxat gerant; Ponti quoque, Ponticæ tantummodo diœcesis curam habeant, Thracicæ demum, diœcesis ipsius præsules. In synodi Chalcedonensis gestis legitur, in sanctissimo illo conventu ad lævam partem sedisse Apostolicæ sedis Legatos, Anatolium Constantinopolitanum, Maximum Antiochenum, Thalassium Cæsareæ & Stephanum Ephesi, dein episcopos Ponticæ, Asianæ, & Thracicæ diœcesium. Canone item 28. subinde decretum est, ut Constantinopolitanus antistes harumce trium diœcesium, Ponticæ, Asianæ & Thracicæ, metropolitas ordinaret; quo significabatur Thracicam diœcesim hactenus per Primatem suum, Heracleensem utique, administratam perinde fuisse, atque Ponticam per Cæsariensem, & Asianam per Ephesinum. Sed certissimo quoque mihi potestatis illius Heracleensis antistitis in Thracicæ diœcesis provincias omnes argumento est, quod, ut modo dicemus, in concilio Ephesino illius diœcesis episcopi Patribus suggesserint, omnino cavendum esse, ne Fritilas Heracleensis, qui Nestorio impensiùs favebat, in civitatibus, non provinciæ solum Europæ, sed Hæmimonti quoque, quæ propriis episcopis carebant, ullos ordinaret suæ factionis socios.

Thracicæ diœcesis cura ad Constantinopolitanum episcopum transfertur.

At vero dudum ante Chalcedonensem synodum Constantinopolitana sedes Thraciarum provincias sibi subjicere curaverat. Id
A enim vero innuebat Marcianus Imp. epistola Anatolio Constantinopolitano data, quæ exstat prima parte actorum illius synodi c. 37. qua illi præcipit, *ut ad concilium accedat una cum quibus placuerit reverendissimis episcopis, quos de ecclesiis sub sui sacerdotii cura constitutis,* οὓς ἂν ἐκ τῶν ἐκκλησιῶν τῶν ὑπὸ τὴν σὴν φροντίδα τελουσῶν, *idoneos & instructos orthodoxæ religionis esse probaverit.* Atqui Socrates aliique tradunt, Thracicam diœcesim, ut & Regiam urbem Constantinopolim à secunda synodo generali creditam fuisse episcopo Nectario,
B καὶ κληροῦται Νεκτάριος μὲν τὴν μεγαλόπολιν καὶ τὴν Θρᾴκην; *Nectarioque sorte obtigit magna civitas & Thracia.* Nullus siquidem in ista synodo Heracleensis episcopus aderat, aut qui ejus vices suppleret, cui instaurandæ per illam diœcesim Fidei munus crederetur; quinimo ecclesia Heracleensis Ariana jampridem labe infecta erat, ejusque sordes nondum eluerat. Quod in causa fuit, cur beatus Joannes Chrysostomus proximus Nectarii successor, Thracicæ diœcesis universæ; ejus, inquam, provinciarum ordinandarum curam susceperit,
C veluti Theodoretus diserte perhibet lib. 5. hist. eccl. c. 28. ἀλλὰ καὶ Θρᾴκης ἁπάσης εἰς ἓξ αὕτη ἡγεμονίας διαιρεῖται. Quidni vero id in causa fuerit, cur Paulus Heracleæ episcopus qui in famosa illa ad Quercum Chalcedonis suburbium synodo primas tenuit, sese sanctissimo Archiepiscopo infensissimum præbuerit, velut & Pharetrius Cæsariensis, Asiæque episcopi complures, ideo quod Ponticæ quoque & Asianæ diœcesium res gerere non dubitarat?

Ad Heracleensem episcopum spectat Constantinopolitani patriarchæ ordinatio.

X. Constantinopolitano præsuli Thracicæ diœcesis administratione atque ordinatione
D Chalcedonensi demum concilii decreto, in totum asserta sancitaque, nonnullæ tamen Heracleensi metropolitæ prærogativæ in posterum concessæ sunt, quæ amissæ in multas provincias jurisdictionis jacturam solarentur: ut nempe tertium semper locum in synodorum concessibus teneret, post Ephesinum proxime sedens, utque ad ipsum solum, velut antehac factitabatur, spectaret Constantinopolitani archiepiscopi consecratio, de quo privilegio Zonaras in expositione canonis 2. Constantinopolitani, ubi narravit sub Severo
E Augusto Byzantum urbem juribus suis cunctis excidisse, Perinthiisque sive Heracleensibus obnoxiam esse factam, hanc fuisse subdit causam, *cur Heracleensi patriarchæ ordinatio attributa sit.* Balsamon item: *Quod autem,* ait, *hodie ordinetur sanctissimus patriarcha Constantinopolitanus ab eo qui est pro tempore metropolitanus Heracleensis, non aliunde natum, quam ex eo quod subjecta Perinthiis sive Heracleensibus olim fuerit Byzantus civitas: & hinc observa unde Heracleensis episcopus*

patriarcham ordinandi jus habuerit. Addit vero: *Invenitur autem in Chronico Scylitzæ, quod ordinatus est patriarcha Stephanus Syncellus frater Imperatoris Domni Leonis Sapientis à Cæsareæ episcopo, quod nuper mortuus esset Heracleæ archiepiscopus. Sed & nos etiam vidimus sub Imperio Isaacii Angeli quod Leontius quidam monachus à colle S. Auxentii ordinatus fuit à Demetrio Cæsareæ episcopo similem ob causam patriarcha Constantinopolitanus.* Quamobrem non nisi ubi abest Heracleensis præsul Constantinopolitani patriarchæ ordinatio ad Cæsariensem spectat; quod quidem hoc jure præstat, quod Constantinopolitanæ sedis Πρωτόθρονος, *Protothronus* sit. Enimvero, quum Polyeuctus patriarcha, non à Nicephoro Heracleæ, qui in vivis agebat, sed à Basilio Cæsareæ consecratus fuisset, ejus ordinatio à multis *ἀκανόνιστος, canonibus contraria* censita fuit, quemadmodum Cedrenus narrat p. 688.

Aliæ Heracleensis prærogativæ.

XI. Præterea Heracleensi antistiti, velut & Cæsariensi & Ephesino, à Constantinopolitanis jam olim concessum fuit, ut *Archiepiscopus* nuncuparetur, quin & πρόεδρος τῶν ὑπερτίμων, *Hypertimorum Præsulis* titulo potiretur; quod quidem magno apud Græcos honore ducitur. Additur: καὶ ἔξαρχος πάσης Θρᾴκης καὶ Μακεδονίας, *& Exarchus universæ Thraciæ & Macedoniæ,* quo specialis harum provinciarum cura illi à Patriarchis demandata significatur, ut alibi ostensum est.

Byzantinus episcopus olim Heracleæ metropolitæ obnoxius.

XII. Byzantini porro antistitis ordinationem olim ad Heracleensem metropolitam spectasse, non ex hoc dumtaxat colligitur, quod Byzantus Perintho sive Heracleæ subjecta pridem fuerit; sed hoc etiam post Constantini Magni tempora factitatum perhibet Sozomenus lib. 5. cap. 3. ubi narrat, Paulum, qui Constantinopolitanam ecclesiam ante Macedonium gerebat, à Theodoro Heracleæ ordinari debuisse, & ab Eusebio Nicomediensi. At certe gravi errore videtur peccare, quum Theodoro socium & cooperatorem dat Nicomediensem Eusebium, vicinæ licet civitatis, seu Bithyniæ, sed non Europæ vel Thraciæ episcopum, παρὰ γνώμην Εὐσεβίου τοῦ Νικομηδείας ἐπισκόπου, καὶ Θεοδώρου τῆς ἐν Ἡρακλείᾳ, οἷς ὡς γείτοσιν ἡ χειροτονία διεφέρετο. Quinimo jam ante Nicomediensis Eusebius Constantinopolis à Constantino M. creatus episcopus obierat, cui Paulus vir apprime catholicus, invito illo Heracleensi Theodoro hæretico, suffectus erat. Demophilus itidem Arianus Valente Imp. à Dorotheo Heracleensi urbis illius Regiæ pontifex est ordinatus, Philostorgio teste lib. 9. n. 9. Superiùs dixi, Paulum Heracleæ præsulem in synodo ad Quercum primas tenuisse, adeo ut episcoporum qui aderant, sententias tamquam

A conventûs illius præses rogaret, πρῶτος τῆς συνόδου Παῦλος ὁ Ἡρακλείας ἠξίωσεν αὐτοὺς ἀποφήνασθαι. Quod quidem legere est apud Photium in Biblioth. cod. 59. ubi potiora hujus synodi gesta strictim recitat & exscribit.

In Diœcesi Thracica unus episcopus duabus civitatibus præerat.

XIII. Quando Heracleam provinciæ Europæ metropolim fuisse constat, ad calcem actorum Ephesinæ synodi ob Fritilam Heracleæ episcopum sancita illa leguntur (Latine scilicet, utinam & Græce) quibus compertior fit Heracleensis præsulis in diœcesis Thracicæ provincias prisca potestas. B Quia nimium Fritilas Nestorii Constantinopolitani hæretici patrocinium, una cum Orientalibus susceperat, seque à legitima synodo segregarat, orthodoxi duo diœcesis Thracicæ, necnon provinciæ Europæ episcopi Euprepius Byzyæ & Arcadiopolis, necnon Cyrillus Cœles & Callipolis, coram Patribus exposuerunt, *veterem ab initio morem in Europæ provinciis* (Thracicam proinde diœcesim omnem voce illa plurali significabant) vigere, quod singuli episcopi duos vel tres episcopatus sive ecclesias admi- C nistrarent, adeo ut ipsemet Heracleæ præsul sub se Parium simul haberet; episcopus Byzyæ Byzyam & Arcadiopolim; Cœles, Cœlem & Callipolim; Sasbadiæ, Sasbadiam & Aphrodisiadem. Quia vero timendi locus erat, ne Fritilas, qua pollebat per diœcesim auctoritate, factionis suæ muniendæ atque augendæ causa, episcopos in civitatibus in quibus nulli antea fuerant, crearet, sanctam synodum exorarunt, ut dissidiorum inter illius tractus præsules vitandorum causa, speciali sanctione caveretur, ne qua ejusmodi in illis D provinciis innovatio fieret. Quibus sancta synodus annuens dixit: *Honesta petitio est pientissimorum episcoporum Euprepii & Cyrilli, quam ostendunt oblati libelli: unde & sanctis canonibus, & externis legibus, quæ veterem consuetudinem nunc vim habere jubent, nihil innovandum in Europæ civitatibus, sed juxta veterem consuetudinem gubernentur ab episcopis à quibus & olim, quum nullus metropolitanus qui etiamnum sustinet potestatem, neque postea posteris temporibus poterit aliquid à veteri consuetudine innovare.*

Gotthia Thracicæ diœcesis appendix.

E XIV. In decreto illo, de quo antea dixi, vigesimo octavo Chalcedonensi, quo trium diœcesium, Ponticæ, Asianæ & Thracicæ regimen Constantinopolitano archiepiscopo assignatum fuit, adjectæ quoque sunt ecclesiæ quæ apud Barbaros consisterent, circa Pontum Euxinum scilicet, ut Gotthia & Alania quæ Tanaïdis fluminis ostiis sejungebantur. Quum autem Alania, ut pote ad orientalem fluminis hujus oram sita, Ponticæ diœcesis censeretur, sic proinde Gotthia

Thracicæ, quia ad occidentalem. Quod quidem bene Zonaras & Balsamon in canonis hujus enarratione monuerunt. Ac certe, quia Gotthia ad Istrum usque protendebatur, Scythiæ provinciæ, quæ Thracica erat, affinis, regionis quoque hujus curam Joannes Chrysostomus suscepit, ut eam ab Arianæ hæresis labe purgaret. Quocirca, Theodoreto teste, complures qui eorum lingua loquebantur, presbyteros, diaconos & lectores ordinavit, assignata illis una in urbe Regia ecclesia. Quin ipse quoque cum gentis ejusdem hominibus frequentia colloquia miscuit, utriusque linguæ interpretis operam adhibens, multosque adeo illorum Ecclesiæ reconciliavit. Atqui Theodoretum quidem mox testem appellavi, qui tamen Scythas, non Gotthos scribit, (lib. scilicet 5. cap. 30.) Verum quæ hoc capite Theodoretus narrat, viri docti, in quibus Tillemontius & alii de Gotthica gente consulto intelligendum duxerunt, eo magis quod Gotthis Unilam episcopum ab illo ordinatum fuisse constat: id quod etiam suo loco dicemus ubi de ecclesia Gotthiæ.

Scythiæ minoris unicus olim episcopus, isque Tomitanus.

XV. Cæterum Scythia minor cis Istrum posita Thracicæ diœcesis provinciarum una quoque fuit, cujus olim episcopus unicus fuit Tomitanus; isque adeo non nisi à diœcesis Primate, sive ut loquuntur, Exarcho, ac proinde Heracleensi, ordinabatur. Alioqui enim alteri subjectus metropolitæ fuisset, perperamque diœcesis hujus provinciæ sex numerarentur.

Scythia remotior trans Istrum.

XVI. Theodoretus lib. 5. cap. 31. testatur
» etiam magnum Chrysostomum Scytharum
» πέρα τὸν Ἴστρον, qui trans Istrum Nomadum
» more agebant, quum sitienter salutem appe-
» terent, neminemque haberent, qui sitim ipso-
» rum salutaris doctrinæ laticibus restingueret,
» viros laborum Apostolicorum æmulatores
» quæsivisse, atque Leontii Ancyrani opera
» misisse, qui illos rectam salutis viam doce-
» rent: Quod argumento erit Scythicam hanc alteram ecclesiam inter Thracicæ diœcesis appendices habendam esse.

De Heracleæ urbis situ veterum testimonia.

XVII. Quod urbem *Heracleam* spectat, quæ, ut prædictum est, *Perinthus* prisco suo nomine dicebatur, hæc quemadmodum Byzanthe vel Byzantus oppidum, ad Propontidem condita fuit, atque Samiorum colonia haud procul ab Arzi fluminis ostio inter Constantinopolim ad Boream & Callipolim ad Austrum, posita, quæ *Heraclia* & *Pantiro* hodie dicitur Plinio l. 4. c. 11. Perinthus *latitudine cc. pass. continenti annexa est,* ut proinde in Peninsula constiterit. Hujus etiam situm Diodorus Siculus l. 16. c. 77. ad hunc modum describit: A *Perinthus ad mare posita est in edito peninsulæ jugo ad stadii longitudinem porrecto. Ædes inter se confertas, & altitudine conspicuas habet: nam aliæ identidem aliis pro acclivitate collis supereminent, urbisque forma theatri quamdam similitudinem præfert.* Quandonam *Heraclea* dici cœperit, non prorsus liquet, ac certe Severi Augusti, imo etiam Aureliani, Zosimo teste, ævo *Perinthus* vulgare ejus nomen erat. Annon vero à Maximiano Herculio, dum in illis partibus ageret? Cæterum prisco ejus nomine retento, recentiori ævo *Heraclea Perinthi* à B multis vocitata est.

Heracleæ religio instituta à temporibus Apostolorum.

XVIII. In Martyrologio Romano die 16. Septembris memoria fit *S. Sebastianæ martyris, quæ à B. Paulo Apostolo ad Christi Fidem perducta, sub Domitiano Imp. & Sergio præside, variis modis tentata, gladio tandem cæsa est Heracleæ Thraciæ.* Nimirum accepta ista sunt ex Menologio Græcorum, in quo longe plura de ea feruntur; ac certe ex vetustiore illo quod Latine editum est Tom. 2. Antiq. lect. Henrici Canisii legitur: *Sancta & gloriosa martyr Sebastiana, ex Sebaste urbe Phry-* C *giæ orta dicitur, quæ quum esset temporibus Apostolorum, Christi Fidem edocta est ab Apostolo Paulo. Comprehensa vero apud Marcianopolim, à Sergio præside, quum Idolis immolare nullo modo passa esset, verberata primùm, in carcere inclusa est. Postea in fornacem injecta, egressa est incolumis. Postea venit Odessum, hinc ad urbem Anchialum, posthac Arcadiopolim, hinc Heracleam Thraciæ ubi detenta est à Pompeiano judice, in caput suspensa & laniata, cum feris pugnans, hoc est leonibus, nihil passa, obtruncata est: ex cujus* D *collo exciso effluxit lac pro sanguine. Corpus vero in mare projectum atque eductum, in urbe Rhædesto sepultum est.* Quæ omnia si certo constant, aperte satis innuunt primævis religionis Christianæ temporibus, non Heracleæ solum, verum & in aliis Thraciæ urbibus circumvicinis, ecclesias institutas fuisse. Sed alios quoque martyres Heracleæ Christi causa sub posterioribus Imperatoribus passos tradunt Martyrologia, Bedæ, Adonis & Usuardi, adeoque ut Synaxaria Græcorum & Romanum, omittam; quod (Romanum inquam) die 13. E Maii S. Glyceriam martyrem Roma profectum Heracleæ mortem oppetiisse fert sub Antonino Imperat. ubi à Domitio episcopo & fidelibus civitatis multo honore excepta fuerat. Ac certe celebris Heracleæ ecclesia fuit sanctæ Glyceriæ martyris nomine dicata, quam Mauritius Imperat. Avaris devictis reficiendam curavit.



I. PROVINCIA EUROPÆ.

I. ECCLESIA HERACLEÆ, METROPOLIS.

PRIMARIA itaque Diœcesis Thracicæ provincia *Europa* dicta est, de cujus metropolis Heracleæ situ jam à me nonnulla prælibata sunt. Hodiernum vero ejus statum, quod religionem spectat, hunc esse aiunt, ut sex in ea ecclesiæ sint, quarum quæ potior, & metropolitana, elegans prorsus est, & optime ornata. E viginti autem civitatibus sive episcopatibus qui illi olim suberant, quinque dumtaxat supersunt nempe, I. Rhedæsti, II. Parii, III. Metrorum, & Athyrorum, IV. Tzurloes, V. Myriophytorum.

EPISCOPI HERACLEÆ.

SUnt qui Apellem illum cujus meminit Paulus cap. 16. epistolæ ad Romanos v. 7. *Salutate Apellem probum in Christo*, Heracleensi ecclesiæ præfuisse dicant. Menæa vero Græcorum ad diem 22. Aprilis hunc Smyrnæ episcopum faciunt, quibus Martyrologium Romanum concinit.

I. DOMITIUS.

Tempore Antonini Pii Imp. Glyceria virgo Trajanopoli jussu Sabini præsidis Heracleam deducta, post multa tormenta capitalem sententiam subiit. Ingredienti autem civitatem, occurrerunt fideles unà cum venerando episcopo *Domitio*, qui priora ejus certamina audierant, proque illa Domitius orationem fudit, ac demum martyrio perfunctam haud procul à civitate sepelivit. τελειωθείσης δὲ τῆς μακαρίας Γλυκερίας ἐν τῇ ὁμολογίᾳ τοῦ μαρτυρίου, ἔλαβε τὸ σῶμα αὐτῆς Δομήτιος ἐπίσκοπος, καὶ ἔθηκεν ἐν τόπῳ σεμνῷ πλησίον τῆς πόλεως. Martyrium obiit, inquam, Glyceria cum Laodicio, ἐπὶ βασιλέως Ἀντωνίνου, ἡγεμονεύοντος Σαβίνου. *Imperante Antonino, præside Sabino.* S. Glyceriæ passio Græce Latineque edita habetur Tom. 3. Act. SS. mensis Maii, ex cod. 23. Palatino Bibl. Vatic.

II. PHILIPPUS.

Doctissimus Joannes Mabillonius to. 4. Analect. ex cod. Corbeïensi Latino *Sancti Philippi Heracleæ episcopi* passionem edidit, cujus principium est : *Beatus itaque Philippus Diaconus primùm, mox presbyter, aliquot laboribus probatus, & stipendiorum suorum devotione laudabilis, conscientiæ bonis lætus, & vitæ honestate securus, consensu tamdem omnium decus episcopale suscepit, nullo mirante, eo quod dignus esset, aliquibus fortè stupentibus quòd seriùs ....* Pergit subinde auctor, *Severum presbyterum & Hermen diaconum fideli ad doctrinam disputatione confirmatos, similes, non solum animo, sed in passione quoque ei factos esse & collegas, quum diræ persequutionis instaret excidium, suadentibus multis, ut a civitate proficisceretur, supplicia expetenda potiùs docuit, quam cavenda. Unde de ecclesia non discedens, ad patientiam fratres confirmabat, quum Epiphaniæ dies sanctus incumberet. Tunc comprehensus est ab Aristomacho Stationario Bassi præsidis jussu, qui & ecclesiam claudi præcepit, libros sanctos, vasaque abstulit, martyres in carcerem trusit; unde à Justino Bassi successore Hadrianopolim ducti sunt martyrio postremò perfuncturi. Vivus cum Hermete diacono combustus est.* Hujus memoria fit in Martyrologio Romano die 22. Octobris. *Hadrianopoli in Thracia natalis SS. martyrum Philippi episcopi, Severi presbyteri, Eusebii & Hermetis, qui sub Juliano Apostata post carceres & flagella incendio cremati sunt.* Quo Imperatore Philippus sit passus, ejus gesta non declarant; at certe Diocletiano potius quam Juliano, ut bene intellexit accuratissimus Mabillonii socius, à quo ea rursum edita sunt in *Actis Martyrum sinceris*.

III. PHÆDRIUS.

In Nicænæ synodi Patrum indice *De provincia Europæ* legitur *Phædrius Heracleensis*; qui profecto alius non est ab illo quem Athanasius Orat. 1. contra Arianos *Pæderotem*

nominat, ubi orthodoxos Patres nonnullos A
memorat, qui sancto huicce concilio interfuerunt, ὁ Παιδέρωτος τῆς Ἡρακλείας.

IV. THEODORUS.

Phædrio sive Pæderoti, utique suffectus est *Theodorus Heracleæ*, quem Athanasius oratione illa sua I. perinde atque Stephanum, qui, quamvis e presbyterorum ordine revulsus, Antiochenæ sedi impositus erat, postmodum Arianæ impietatis commendatione episcopum renuntiatum esse ait, ὁ περὶ αὐτὸν Στέφανος καὶ Θεόδωρος ἐν Ἡρακλείᾳ. καὶ γὰρ καὶ B
πρότερον ἀπὸ τοῦ πρεσβυτερίου καθαιρεθέντες, ὕστερον διὰ τὴν ἀσέβειαν ἐκλήθησαν ἐπίσκοποι. *Theodorus Heracleæ* synodo Tyri interfuit, à quâ in Mareotem Ægypti delegatus est cum aliis, de criminibus quæ Athanasio objiciebantur, quæsiturus; post Hierosolymitanæ, rursumque Antiochenæ, quæ sententiam in Athanasium dixit. Unde septimus nominatur in inscriptione epistolæ Julii Papæ Romani ad iniquissimi hujus judicii auctores episcopos. Tum causa in Sardicensi concilio melius tractata, Theodorus ipse, Athanasio teste Apol. C
2. exauctorari meruit, quum interim Philippopolim Thraciæ cum Eusebianis suis sese recepisset. Hi epistolam dederunt Africanis ecclesiis, (Donatistarum puto) cui *Theodorus ab Heraclia* subscriptus legitur. Eodem circiter tempore à suæ factionis episcopis in Gallias ad Constantem Imp. missus est cum Narcisso Neroniadis, Mari Chalcedonis & Marco Arethusiæ. Ante celebratam synodum Sardicensem, Eusebio Constantinopolitano, olim Nicomediensi exstincto, Theodorus ejus in locum Macedonium ordinavit, imo po- D
tiùs in Pauli sanctissimi præsulis, quem ipse cum impietatis suæ sociis ex urbis Regiæ throno ejecerat. Atqui ordinationis Macedonii cooperatores fuere Acacius Cæsariensis, & Patrophilus Scythopolitanus, ambo Palæstini, ut fert Sozomenus lib. 3. cap. 7. Anno 351. synodo Sirmiensi adfuit, S. Hilario in libro *De synodis* teste. Aliquanto vero post obiit; nam anno 355. quo Constantius Augustus cum Liberio Papa colloquium illud habuit quod Theodoretus recitat l. 2. hist. c. 15. Imperator duos ex illis, qui olim à synodo Tyrensi E
in Mareotem iverant, vivis excessisse dicebat, *Theodorum & Theognium*, Nicænum scilicet, ἀπὸ τούτων τίνων τῶν ἀποσταλέντων οἱ δύο τεθνήκασι, Θεόγνιος καὶ Θεόδωρος. Cæterum Philostorgius, quum Arianissimus, sive Eunomanius esset, Theodorum Heracleæ inter illos habet, qui ὁμοούσιον, seu magis ὁμοιούσιον, *similem secundum substantiam Patri* Filium jactabant, veluti Eleusius Cyrici, Gregorius Laodicenus, Basilius Ancyranus, Macedonius & alii, qui interim Spiritum sanctum ad res creatas deprimebant. De illo Hieronymus in Scriptoribus ecclesiasticis hæc habet: *Theodorus Heracleæ Thraciarum episcopus, elegantis apertique sermonis, & magis historiæ intelligentiæ, edidit sub Constantio principe commentarios in Matthæum & in Joannem, & in Apostolum, & in Psalterium.*

ECCLESIA HERACLEÆ.

V. HYPATIANUS.

Post Theodorum Heracleæ pontifex fuit *Hypatianus*, cujus mentio est in vita S. Parthenii Lampsaci episcopi, quæ in Latinum idioma conversa à Gentiano Herveto edita est. N. 21. Ibi legimus venisse Parthenium Heracleam in Thraciæ metropolim *ad Archiepiscopum*: nam Bollandus in Act. SS. ad diem 7. Febr. in Græco *Hypatiani* nomen abesse ait. Tum narratur, Heracleæ archiepiscopum, quem Parthenius convenerat, qui non tam corporis, quam animi morbo, sive avaritia, laboraret, Lampsaceno præsuli mandasse, ut opes quas ipse congesserat, ecclesiæ S. Glyceriæ largiretur, quod quum ille ultro præstitisset, sanitatem recuperavit. Additur Parthenium archidiacono Hypatiano dixisse: *Attende tibi, ô frater. Non enim ignoras episcopum illum fuisse castigatum propter avaritiam: ostenditque mihi Deus hac nocte te non multis post diebus futurum episcopum. Vide ergo ut curam semper geras pauperum.* Parthenio aliquanto post rure regredienti cum archidiacono, occurrens episcopus, eum complexus est: quumque sedissent, sanctus episcopo dixit. *Annuntio tibi, Domine, quod non multis abhinc diebus exibis à corpore, & ad Dominum migrabis, bonumque successorem relinques, ut mihi Deus revelavit, Dominum Hypatianum archidiaconum tuum.* Elapsis itaque paucis diebus, morbo correptus Heracleæ episcopus, *in Christo requievit*, pro quo factus est episcopus *dominus Hypatianus archidiaconus*. Hic subinde accepto obitus Parthenii nuntio, secundo vento solvens, Lampsacum petiit ut eum sepulcro conderet. Hæc vitæ Parthenii scriptor Crispinus; ex cujus narratione conjicere licet, illum Heracleæ episcopum forsan fuisse Theodorum; sin vero, proximum ejus successorem cujus nomen omissum est, ac qui proinde exiguo tempore illi ecclesiæ præfuerit. Nam Hypatianus Heracleæ anno 356. concilio Seleuciensi interfuit, ibique à Semiarianorum partibus stetit; quapropter anno insequenti in conventu Arianorum Constantinopolitano sacerdotio privatus est. Epiphanius hær. 73. n. 21. refert illum anno ipso Seleuciensis synodi, quum Sirmii apud Imp. ageret, formulæ quartæ Fidei quam Marcus Arethusiæ condiderat,

ECCLESIA HERACLEÆ.

ſubſcripſiſſe. Juliano & Joviano Impp. defunctis, epiſcopi Helleſponti, Bithyniæ, vicinarumque regionum unà congregati, Hypatianum ad Valentinianum Auguſtum delegarunt, poſtulantes ut ſibi liceret res religionis celebrata ſynodo tractare. Itaque annuente Principe concilium Lampſaci anno 365. habuerunt, in qua Filium Patri per omnia ſubſtantia ſimilem eſſe definitum eſt, Semiarianorumque Seleucienſis confeſſio firmata; quod Sozomenus refert lib. 6. cap. 7. Cæterum in libro ſynodico Græco fertur, Hypatium ſive Hypatianum Heracleæ Perinthi à Lampſacena ſynodo deſtitutum fuiſſe, καὶ ἀποκηρύξαι τὸν τῆς Ἡρακλείας Περίνθου Ὑπάτιον. Ac certe fato utique functus erat, vel ſua ſede pulſus anno 366. quo Dorotheus ejus ſucceſſor Demophilum Arianum Conſtantinopolitanæ eccleſiæ præfecit.

VI. Dorotheus.

Sabinus *Macedonianus*.

Hypatiano utique ſuffectus eſt *Dorotheus*, Arianus, quo utique Heracleæ ſedente Valens Imp. complures Lampſacenæ ſynodi epiſcopos Heracleam accitos ſuis eccleſiis expulit; quippe qui, nec Eudoxii Conſtantinopolit. putidiſſimi Ariani communionem, nec Arimini conditam Fidei formulam amplexi eſſent, ut Sozomenus illo loci quem mox appellabam prodit. Nec dubium proinde, quin conventus hujuſce præſes fuerit Dorotheus Heracleæ epiſcopus Arianicæ factionis. Philoſtorgius enim lib. 9. n. 10. Photio teſte, ſcripſerat, Demophilum Arianum Berrhœâ Conſtantinopolim, Eudoxio defuncto, tranſlatum, epiſcopali urbis illius Regiæ throno impoſitum eſſe à Theodoro Heracleæ, qui privilegium hoc præ aliis habere videretur, ὅτι Δημόφιλός φησιν, ἐγκαθίσαται τῇ Κωνσταντινουπόλει ὑπὸ Θεοδώρου μάλιστα τοῦ Ἡρακλείας ἐπισκόπου. ἐδόκει γὰρ τὸ προνόμιον οὗτος ἔχειν τῆς τοιαύτης ἱερουργικῆς ἐνεργείας. Verum pro *Theodoro*, Θεοδώρου, legendum prorſus eſt Δωροθέου, *Dorotheo*, quæ voces idem prorſus Græcè ſonant. Nam idem auctor n. 14. narrat Dorotheum hunc, Euzoio Antiocheno mortuo, ex Heraclea Thraciæ ad illius ſedem migraſſe, ὅτι τελευτήσαντος Εὐζωίου τοῦ Ἀντιοχείας, ὁ Δωρόθεος ὁ Ἡρακλείας τῆς Θρᾴκης πρὸς τὸν ἐκείνου μεθίσαται θρόνον. Quod contigerit oportet anno 376. Iterum n. 19. ait, Dorotheum Antiochena à Theodoſio Aug. ejectum ſede, in Thraciam *unde venerat*, ὅθεν ἐγεγόνει, regreſſum eſſe, Cæterum *Theodorus* quoque Sozomeno lib. 6. cap. 37. nominatur qui *Dorotheus* Socrati lib. 4. cap. 28.

SABINUS MACEDONIANUS.

Socrates idem lib. 1. hiſt. cap. 8. *Sabini* meminit, qui Heracleæ Macedonianæ partis antiſtes fuit, quique in volumen unum col-

A legerat, quæ in variis conciliis ævo ſuo geſta eſſent, ac Nicænæ ſynodi Patres tamquam rudes & imperitos homines proſcindebat. Σαβῖνος γὰρ ὁ τῶν ἐν Ἡρακλείᾳ τῆς Θρᾴκης Μακεδονιανῶν ἐπίσκοπος, συναγωγὴν ὧν διαφόροι σύνοδοι ἐγγράφως ἐξέδωκαν, ποιησάμενος, τοὺς μὲν ἐν Νικαίᾳ ὡς ἀφελεῖς καὶ ἰδιώτας διέσυρεν. Ejus collectionem Συναγωγὴν συνοδικὴν Socrates frequenter appellat, vixque aliud quidquam, ut apparet, complectebatur, præter ſynodorum epiſtolas, quibus τὸ ὁμοούσιον, *vox Conſubſtantialis*, vel ſtatuebatur, vel repudiabatur. Atqui Sabinum Hypatiano, ipſique

B Macedoniano, ſuffectum à ſectariis illis puto.

VII. Paulus.

Nectario Conſtantinopolitanam eccleſiam gerente, Heracleæ ſedebat orthodoxus epiſcopus *Paulus*, qui ſynodo quæ ab illo in cauſa Bagadii & Agapii de Boſtrenſi epiſcopatu contendentium, in urbe Regia habita eſt, interfuiſſe legitur, Παύλου Ἡρακλείας. Hic ſubinde primas tenuit in famoſa illa ſynodo Chalcedonenſi, in qua S. Joannes Chryſoſtomus proſcriptus eſt, & tamquam præſes ſingulo-

C rum ſententias rogabat. πρῶτος τῆς συνόδου Παῦλος Ἡρακλείας, ἠξίωσεν αὐτοὺς ἀποφαίνεσθαι. Phot. Bibl. cod. 59.

VIII. Serapion.

Paulo utique ſuffectus fuit *Serapion*, ac quidem à S. Joanne Chryſoſtomo qui ſedem nuper ſuam receperat. Joannes, ait Socrates lib. 6. c. 15. *Serapionem, cujus cauſa incenſum erga ipſum olim odium fuerat, Heracleæ in Thracia epiſcopum ordinat*, καὶ χειροτονεῖ Σερα-

D πίωνα τῆς ἐν Θρᾴκῃ Ἡρακλείας ἐπίσκοπον. Hunc ex Ægypto oriundum Sozomenus lib. 8. c. 10. à Joanne diaconum, quin & archidiaconum creatum, ſubindeque preſbyterum prodit. Auctor pontifici ſanctiſſimo fuiſſe ferebatur, ut cleri Byzantini corrigeret mores, homo cæteroqui ad iram pronus, nec ſibi à durioribus verbis ſæpe temperans, ſi ſua ſit Socrati fides lib. 6. c. 4. In ſynodo ad Quercum objectum Chryſoſtomo fuit, quod Serapionem nonnullorum criminum reum in preſbyterium cooptarat, καὶ Σεραπίωνα ὑπὸ

E ἐγκλημάτων ὄντα πρεσβύτερον ἐχειροτόνησεν.. At Serapion exiguo tempore Heracleæ epiſcopus egit. Nam Chryſoſtomo iterum exſulante, *poſt ſexcentas quæ non ſunt probatæ criminationes*, μετὰ μυρίας ἀναποδείκτους συκοφαντίας, *nimia Judicum ſævitia, ad dentium uſque excuſſionem, cæſus, in patriam ſuam eſt amandatus*. Pallad. dial. de vit. S. Joan. Chryſ.

IX. Eugenius.

Pro Serapione ordinatus Heracleæ ſtatim fuit

fuit *Eugenius*, duorum Byzantinæ ecclesiæ presbyterorum unus, per quos Joannes Quercensi synodo se sistere jussus fuerat. Post factum notario responsum, ait Palladius pag. 83. prodierunt duo presbyteri Joannis, *Eugenius quidam, qui suæ in ipsum conspirationis mercedem Heracleensem episcopatum accepit :* Εὐγένιός τις, ὃς μισθὸν τῆς κατὰ τοῦ ἐπισκόπου Ἰωάννου συσκευῆς τὴν προεδρίαν ἔλαβε τῆς Ἡρακλείας, *& silentii cultor Isaacius, dicentes : Scripsit tibi synodus, &c.*

X. Fritilas.

Tempore synodi Ephesinæ Heracleensi ecclesiæ præerat *Fritilas*, cujus nomen hominem Gotthicæ sive Geticæ gentis indicat. Notissima est Hieronymi *ad Sunniam & Fretelam*, vel *Fritilam* certe, eruditos Getas epistola. Fritilas itaque, velut ex nomine inferre licet, origine Geta sive Gotthus erat. Quidni forsan ille idem cui Hieronymus epistolam dedit! Quidquid id est: Fritilas Heracleensis Nestorii Constantinopolitani doctrinam impiam amplexus, ab Ephesina synodo ad quam convenerat, secessit, quum multorum episcoporum subscripsisset Contestationi, qua intercesserunt ne Cyrillus Alexandrinus concilium auspicaretur ante Joannis Antiocheni & Orientalium adventum, *Fritilas episcopus Heracleæ Europæ per Euprepium episcopum Byzyæ.* Aliis quoque Orientalium pro Nestorio literis subscripsit. Unde meruit à sancta synodo sacerdotio destitui. Cæterum aut paulo post exstinctus est, aut demum ad sanam mentem rediit. Nam c. 190. collectionis ex Tragœdia Irenæi Tyrii, non censetur inter episcopos, qui, quum Nestorii causam obstinatiùs tuerentur, exsilio, aliisque pœnis multari meruere.

XI. Cyriacus.

In Latrocinio Ephesino Petrum Chersonensem *Cyriaci episcopi Heracleæ* gessisse vices ferunt Latini codices : *Petrus episcopus Chersonensis verba faciens pro Cyriaco episcopo Heracleæ Thraciæ.* Verum in Chalcedonensi concilio Cyriaci locum tenuit *Lucianus episcopus Byzæ* sive *Byziæ*, & pro illo actione præsertim VI. suscripsit, Λουκιανὸς ἐπίσκοπος Βύζης, ἐπέχων τὸν τόπον Κυριακοῦ τοῦ θεοφιλεστάτου ἐπισκόπου Ἡρακλείας.

XII. Joannes I.

Anno 588. Leo Imp. ad Orientis metropolitas scripsit, synodorum ipsorum sententiam rogans de nece S. Proterii Alexandrini, deque concilii Chalcedonensis Fide, suasque adeo Literas sacras misisse legitur, *Joanni reverentissimo episcopo Heracleæ Europæ.* Exstat Joannis ad Leonem epistola synodica.

XIII. Joannes II.

Ex Victore Tunnunensi in chronico; *Rusticione* (sive Rustico) *v. c. & Vitaliano coss.* (anno scilicet Christi 520. Justini Aug. III. currente) *Joannes qui ante Justinum ad Imperium erat electus, Heracleæ Thraciæ ordinatur episcopus.* Hic proinde est, qui, quum Imperatoris jussu Dorotheum Thessalonicensem apud se clausum teneret, hunc nihilominus è civitate sua liberum abire permisit; quod Germanus Capuensis, aliique Hormisdæ Papæ apocrisiarii in sua ad eumdem Hormisdam suggestione narrant : quippe quod contigit anno 520.

XIV. Theophilus.

Relationi synodi Constantinopolitanæ anno 518. datæ ad Joannem patriarcham de Severo Antiocheno, aliisque hujus temporis Chalcedonensis Fidei hostibus, deque Euphemii & Macedonii decessorum illius nominibus intra Missarum solennia recitandis, de sacris denique conciliis generalibus quatuor, omnium episcoporum qui convenerant, primus subscripsit *Theophilus episcopus Heracleæ Europæ.* Lecta est in synodo sub Menna patriarcha act. 5. Idem subscripsit rursum post biennium Relationi synodi alterius ad Hormisdam Papam de electione & consecratione Epiphanii patriarchæ, *Theophilus misericordia Dei episcopus Heracleensis civitatis metropolitanus subscribens in synodalibus, saluto vos in Domino, Domine.*

XV. Constantinus.

In Constantinopolitana synodo quæ sub Menna patriarcha habita est, anno 536. sedit subscripsitque *Constantinus miseratione divina episcopus Heracleæ, amatæ à Christo metropolis provinciæ Europæ sanctæ Dei catholicæ & apostolicæ ecclesiæ.* Κωνσταντῖνος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς κατὰ Ἡράκλειαν τὴν φιλόχριστον μητρόπολιν τῆς Εὐρωπαίων ἐπαρχίας ἁγίας τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας.

XVI. Megethius.

Quintæ synodo generali interfuit & subscripsit *Megethius gratia Dei episcopus sanctæ Dei ecclesiæ civitatis Heracleæ Thraciæ.*

XVII. * * *

Theophylactus Simocata lib. 1. hist. c. 11. narrat Tiberio II. Imperat. *Heracleæ episcopum* cujus nomen reticet, à Paulino venefico quodam vas argenteum Byzantii emisse, quo ille hostiarum quas dæmonibus immolabat, cruorem excipiebat : quod in urbem suam suam ferens, pro ænea pelvi supposuit, qua

ECCLESIA HERACLEÆ.

unguentum de S. Glyceriæ martyris ossibus prodiens excipiebatur; continuò autem divinum virginis oleum stetit. Quocirca episcopus miraculum cessasse lugens, jejunia & preces ad Deum indixit: noctes integræ Deum exorando ducuntur, qui demum in insomnio monet abominanda in eo vase factitata sacrificia. Tum argentea pelvi ablata, æneaque suo loco restituta, cæleste donum, ut antehac, manare cœpit. Rem episcopus Joanni patriarchæ (*Jejunatori* scilicet) retulit, quo apud Imp. agente, pelvis impius venditor sacrilegiorum pœnas suorum luit.

XVIII. Sisinnius.

Sextæ synodo generali interfuit & subscripsit *Sisinnius episcopus Heracleæ metropolis provinciæ Europæorum*, Σισίννιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Ἡρακλεωτῶν μητροπόλεως τῆς Εὐρωπαίων ἐπαρχίας. In subscriptionibus canonum Quinisextæ synodi *locus Heracleensis vacuus* legitur, τόπος τῆς Ἡρακλείας, sive sedes tunc vacaverit, sive Sisinnius, ejusve successor præsto non fuerit ut cum aliis subscriberet.

XIX. * * * *hæreticus*.

Sub Constantino Copronymo coacta ad sacras imagines abolendas synodo, ad eam Gotthiæ episcopus cujus nomen tacetur, accersitus venit, illiusque decretis subscribens, facinoris sui mercedem accepit Heracleensem Thraciæ metropolitanam sedem. Sic nempe fertur in vita S. Joannis episcopi Gotthiæ inter Acta SS. ad diem 26. Junii. Ἐπὶ δὲ Κωνσταντίνου τοῦ βασιλέως, ὁ τηνικαῦτα Γοτθίας ἐπίσκοπος μετάπεμπτος, πρὸς τὴν τότε συναθροισθεῖσαν κατὰ τῶν ἁγίων εἰκόνων σύνοδον προσκληθεὶς, καθυπογράψας, Ἡρακλείας τῆς Θρᾴκης ὑπὸ τοῦ βασιλέως κατέστη.

XX. Leo I.

In Septima synodo sedit & subscripsit *Leo episcopus Heracleæ Thraciæ*, Λέων ἐπίσκοπος Ἡρακλείας Θρᾴκης.

XXI. Joannes III.

XXII. Joannes IV.

Actione 6. Octavæ synodi *Joannes Heracleæ metropolita* palam declaravit, nolle se Photii causam deserere, à quo episcopus esset ordinatus. Ad eum exstant epistolæ ejusdem Photii 6. 28. & 218. consolatoriæ, quas illi scripserat post suam è Constantinopolitano throno ejectionem, & sanctissimi Ignatii restitutionem, Ἰωάννῃ ἐπισκόπῳ Ἡρακλείας. Post vero, Photio iterum Byzantinam sedem occupante, in ea synodo quæ sub Joanne Papa VIII. ejus causa habita fertur, Joannes ille, alterque itidem Joannes, Heracleæ ambo A metropolitæ, sederunt & subscripserunt, quod observatum est à Joanne Becco in hujus synodi synopsi, quam Breveregius in Pandecte suo canonum edidit: δύο Ἰωάνναι Ἡρακλείας ὑπέγραψαν. Plane hujus vanissimi conventus acta inter metropolitas post Gregorium Ephesi, utrumque *Joannem Heracleæ* exhibent, Ἰωάννου Ἡρακλείας. Ἑτέρου Ἰωάννου Ἡρακλείας. *Joanne Heracleæ. Altero Joanne Heracleæ.* Sic in subscriptionibus: Ἰωάννης ἐλέῳ Θεοῦ μητροπολίτης Ἡρακλείας κατὰ πάντα. *Joannes misericordia Dei metropolita Heracleæ per* B *omnia.* Ἰωάννης ἕτερος Ἡρακλείας ὁμοίως, *Joannes alter Heracleæ similiter.* Quocirca, ut quidem mihi videtur, horum unus à Photio quidem ordinatus fuerit, alter ab Ignatio; Iste vero spe retinendæ sedis, vel alterius obtinendæ suscripserit oportet.

XXIII. Anastasius.

Constantinus Porphyrogennetus Imp. Stephanum & Constantinum Romani Lecapeni, qui ad Imperium allectus erat, filios monachos fecit, per *Anastasium Heracleæ*, quem, C ut fert incertus Auctor historiæ Byzantinæ, Romanus vidit in somnis in Tartarum cum Constantino ipso Imp. trudi. Δῆλον δὲ δεσμίους ὁ κῦρ Κωνσταντῖνος, ὁ σφαγεὶς, καὶ ὁ μητροπολίτης Ἀναστάσιος, ἀγόμενοι παρὰ Ἀτζυπάδων, καὶ παρέδωκαν αὐτοὺς, καὶ ἐνέβαλον εἰς τὸ πῦρ. Cedrenus ex Joanne Scylitze pag. 634. id facinus admissum narrat *per Basilium Cæsareæ & Anastasium Heracleæ*, καὶ διὰ Βασιλείου τοῦ Καισαρείας, καὶ Ἀναστασίου Ἡρακλείας, καὶ ἄμφω κληρικοὺς ἀνακείρει.

XXIV. Nicephorus I.

D Polyeucto anno 956. Constantinopolis patriarcha designato, non *Nicephorus Heracleæ* episcopus, ut lex ferebat, sed Basilius Cæsareæ manus imposuit. Nicephoro siquidem, cui Imperator succensebat, permissum id muneris non est. Quæ res vitio versa est, tum Principi qui jusserat, tum illi qui manus imposuerat, tum ei denique qui ordinationem acceperat, quippe quæ contra regulas acta esset. Νικηφόρος γὰρ ὁ Ἡρακλείας πρόεδρος τῷ βασιλεῖ κατά τι προσκεκρουκὼς, οὐ συνεχωρήθη τὴν χειροθεσίαν ποιήσασθαι. ὅθεν καὶ ψόγος οὐχ ὁ τυχὼν E προσετρίβη, οὐ τῷ προστάξαντι μόνον, καὶ τῷ χειροθετήσαντι, ἀλλὰ καὶ αὐτῷ τῷ χειροτονηθέντι, ὡς καταδεξαμένῳ τὴν ἀκάνονιστον χειροθεσίαν. Scilitz. fol. 64. ex quo Cedrenus pag. 688. Atqui Nicephorus, ut apparet, Anastasio proxime successerat.

XXV. Joannes IV.

Inter metropolitas qui anno 997. synodo Sisinnii patriarchæ interfuerunt, in qua vetitum est ne duo fratres consobrinas ambas

ducerent, sedebat *Joannes Heracleæ*, Ἰωάννης Ἡρακλείας. Ju. Græco-Rom. lib. 3. p. 202.

XXVI. * * *

XXVII. Nicetas I.

Anno mundi 6574. Christi 1066. mense Aprili, & anno insequenti mense Martio Joannes Xiphilinus patriarcha decreta duo synodica sanxit *De sponsalibus clericorum*: aderat cum aliis metropolita Heracleæ.

Joannes Scylitzes & Cedrenus ferunt, duos episcopos, Chalcedonensem & Coloniensem, una cum *metropolita Heracleæ*, apud Senatum Byzantinum intercessisse, ne Romano Diogeni Imper. perduellionis in Michaëlem Ducam juniorem Imper. reo, oculi effoderentur; qui tamen nihil impetrarunt. Hæc gerebantur anno 1171.

Circa annum 1077. clarebat *Nicetas* ex diacono Magnæ ecclesiæ, Didascaloque seu Magistro, Serrarum in Macedonia metropolita primum factus, ac subinde Heracleæ; qui Gregorii Nazianzeni orationes commentariis illustravit, cujus item frequens mentio est in Catenis Græcis in Job. Quum itaque in nonnullis codicibus *Nicetas Serrarum* dicatur, in aliis etiam *Heracleæ metropolita* censetur. Sic in cod. Cæsareo 93. Τοῦ ἱερωτάτου κυρίου Νικήτα μητροπολίτου Ἡρακλείας, *Sacratissimi domini Nicetæ metropolitæ Heracleæ interpretatio Gregorii Theologi.* Cod. vero 92. tum *Nicetas Serrarum*, tum *Nicetas Heracleæ* scribitur, ὑπὸ Νικήτα Σερρῶν, Τοῦ Νικήτα Ἡρακλείας.

Jacobus Pontanus Michaëlis Glycæ disputationes duas Latine vertit, quarum secunda inprimis propter *Heracleæ episcopum* scripta est, qui illud explanans Gregorii Theologis de Homine dictum. *Qualis effectus à Deo sit, qualem naturam nactus, qualisque post casum factus, qualem denique sortem habuerit ne malum sempiternum evaderet,* » asserere non dubitavit, Hominem temperarium secundum corpus ante peccatum fuisse; aliquando inter corruptionem & incorruptionem, inter mortalitatem & immortalitatem medium, naturalibus perpessionibus obnoxium, ita ut patiendo admoneretur, & de præstantia mentis superbiens, emendaretur: aliquando summam Apathiam habuisse, & corpus omni corruptione superius, ut pote immortalitatis per gratiam minime expers. Quæ, quum Glycas nequaquam admittenda censeret, nonnullos qui sibi succenserent, expertus est. Pontanus in suis ad Glycæ disputationem notis, ipsum ait *Dioptræ* de natura Adam sententiam refellere. Atqui Heracleæ antistitis nomen *Dioptram* fuisse non putavero, sed lucubrationem illius *Dioptram* fuisse nuncu-

A patam, contra quam calamum Glycas strinxit. Quinimo Heracleensem huncce præsulem alium non fuisse duxero, præter *Nicetam* de quo superius dictum, qui Gregorii Theologi orationes commentariis illustravit.

XXVIII. Petrus.

Anno mundi 6652. Christi 1144. synodus Constantinopoli habita est, in qua Cosmas Atticus Bogomilorum impietatis suspectus, patriarchatu amotus est, ac sententiæ quæ in illum lata est, subscripsit ὁ εὐτελὴς B μητροπολίτης Ἡρακλείας Πέτρος, *Exiguus Heracleæ metropolita Petrus.* Allat. lib. 2. de cons. cap. 12. Anno subinde 1151. mense April. Indict. XIV. Luca Chrysoberge patriarcha, synodali decreto sancitum est, nuptias in septimo gradu admitti non debere, sedente cum reliquis metropolitis *Heracleensi*, τοῦ Ἡρακλείας. Lib. 3. Jur. Græco-Rom. pag. 218. Ab altera item synodo, cui Heracleensis quoque aderat, prohibitum est, ne episcoporum morientium & ecclesiarum bona auferrentur. Ibid. lib. 4. pag. 282. Atqui *He-* C *cleensis* ille præsul ipse *Petrus* erat, qui anno Mundi 6664. Christi 1156. die 26. Februarii Ind. IV. alteri synodo frequentiori interfuit, in qua, eodem patriarcha præside, Soterichus Panteugenus qui Antiochiæ patriarcha designatus erat, ob malesanam doctrinam proscriptus fuit. Allat. Vind. Syn. Ephes. pag. 584. Numquid vero non ipse est *Heracleensis* archiepiscopus Gerontotrophii præfectus, cui ob latum contra spiritualem filium suum testimonium, à sacris functionibus ab eodem Luca patriarcha interdictum legimus lib. 3. D Jur. Græco-Rom. p. 223. τὸν γεγονότα ἀρχιεπίσκοπον Ἡρακλείας. Obiit Lucas anno 1167. quum anno præcedenti synodum celebrasset, cui Petri successor Michaël interfuit.

XXIX. Michael.

Petrum igitur proxime excepit *Michaël* qui anno mundi 6674. Christi 1166. concilio adfuit Constantinopolitano, in quo Alamannorum qui Constantinopoli agebant, de Christi Deïtate doctrina pura sinceraque declarata est, eorumque impugnatores damnati: E *Michaële Heracleæ* Allat. de cons. lib. 2. c. 12.

XXX. Nicetas II.

Joanne Lascari puero & Michaële Palæologo Impp. Arsenius patriarcha indigne ferens, Augusto adolescentulo contemto, ad nutum Palæologi cuncta geri, in *Agalmatis* cœnobium Nicææ vicinum secessit, de patriarchatu abdicando cogitans. Tunc coacta Nicææ synodus, *Nicetam Heracleæ* delegavit, qui ipsum revocaret, Patribusque discessum ipsius

ECCLESIA HERACLEÆ.

non probari significaret: καὶ τέλος πέμπουσι τὸν περὶ τὸν Ἡρακλείας Νικήταν, ἀναγγελοῦντας μὲν πρὸς αὐτὸν, καὶ τὰ ἀπὸ τῆς συνόδου μετακαλουμένης αὐτὸν, καὶ βαρείαν δοκούσης ἡγεῖσθαι τὴν ἀναχώρησιν. Sin vero, libellum ab Arsenio postularet, quo patriarchatum abdicaret: id quod ille prorsus renuit. Georg. Pachym. lib. 2. cap. 12. In Jure Græco-Rom. lib. 5. pag. 310. Responsiones prostant Nicetæ metropolitæ Heracleæ ad Constantinum episcopum. Νικήτα μητροπολίτου Ἡρακλείας πρὸς Κωνσταντῖνον ἐπίσκοπον, quas Nicetæ huic alteri tribuendas ideo potius reor, quod in illis Basilio Achrideno Thessalonicæ archiepiscopo posterior fuisse significetur.

XXXI. PINACAS.

Germano III. patriarchatum Byzantinum abdicante, ejus in locum electus est Josephus, qui à *Pinaca* Heracleæ metropolita ordinari renuit, ut pote cui Germanus manus imposuerat. ὁ γὰρ Πινάκας μοναχὸς παρὰ Γερμανοῦ τὴν χειροτονίαν δεξάμενος, Ἡρακλείας τῆς κατὰ Θράκην ἀρχιποιμὴν κατεστάθη. *Quum itaque Josephus ab eo nollet ordinari*, Michaël Palæologus *Imp. prudenti consilio Pinacam in regias ædes accersit, in earum templo sacra facturum, quæ non sine magna sibi data mercede celebravit. Interim Mitylenensis Gregorius, qui pridem consecratus fuerat, eligitur qui patriarchæ manus imponat.* Hic Pinacas, ejusve successor, unioni Græcæ ecclesiæ cum Romana ultro cum metropolitis aliis assensus est, scripta in hanc rem ad Gregorium Papam X. epistola quæ Latine exstat; in cujus initio post metropolitam Ephesi, sequitur *Metropolitanus Heracleæ in Thracia, & præsul superhonoratorum* (Græce scilicet scriptum de more erat, καὶ πρόεδρος τῶν ὑπερτίμων) *cum ea quæ circa me est* (seu provinciæ suæ) *sancta synodo.* Quocirca Gregorius suam vicissim ad illos epistolam inscripsit, *Venerabilibus fratribus Ephesino, in Thracia Heracleæ, &c.*

XXXII. LEO II.

Nicolao Papa III. qui Gregorio X. successerat, Romam à Michaële Imp. delegati sunt *Leo Heracleæ* & Theophanes Nicææ metropolitæ, qui sancitam Lugduni ecclesiarum concordiam integram, nullaque parte læsam vel mutatam servari procurarent. Hi Nicolaum mortuum repererunt, nec Martinum ejus successorem erga Græcos melius affectum nacti sunt. Unde re infecta in patriam repedantes, Leo in itinere postremum diem obiit, solusque Nicænus Imp. cuncta retulit. ταῦτα γὰρ ὁ Βασιλεὺς παρὰ τοῦ Νικαίας. ὁ γὰρ Ἡρακλείας τεθνήκει. Pachym. l. 6. c. 30.

XXXIII. GERMANUS.

Ab Andronico Palæologo Imp. Michaëlis filio Heracleæ metropolita renuntiatus est *Germanus* monachus, qui paulo ante Gregorii Cyprii in patriarcham provectionem sedere cœpit, adeoque proxime Leonem excepit, à quo proinde Gregorius de more ordinatus fuit. Acacii viri religiosissimi religiosissimus & ipse filius erat, simplex & sincerus, patriarchæ confessariorum unus. Γερμανὸν δ' ἐλαβε κἀκεῖνον εἰς ἅπαν καὶ τὸ ἦθος ἁπλοϊκὸν, ὡς καὶ ἐν πνευματικοῖς τῷ πατριαρχεύσαντι. Hæc Pachym. in Andronico lib. 1. c. 26. qui addit, Germanum in antiquo S. Irenes templo fuisse consecratum, Gregorio Cyprio, qui ab ipso ordinandus erat, suffragante. Nicephorus Gregoras Cyprium quoque à Germano Heracleæ necnon à Mozyleno & Debreno episcopis ordinatum prodit. Post vero Germanus à Gregorio illo exauctoratus idcirco fuit, quod eumdem patriarcham communione ejicere non dubitarat, misso ad illum excommunicationis libello. Pachym. lib. 2. cap. 10.

XXIV. NICOLAUS.

Ad hæc tempora revocare mihi liceat *Nicolaum Heracleæ* metropolitam, cujus meminit Fabritius Biblioth. vol. 10. pag. 293: quando de ejus ævo & gestis nihil mihi hactenus constat.

XXXV. PHILOTHEUS.

Ex montis Atho monacho *Philotheus* Heracleæ episcopus factus est, famosus ille Palamitarum antesignanus. Narrat quippe Joannes Cantacuzenus lib. 4. hist. c. 16. se una cum uxore proposuisse monasticæ vitæ nomen dare, *subjiciendo se Philotheo Heracleæ Thraciæ episcopo*, βασιλέα δὲ τῷ τῆς Ἡρακλείας ἐπισκόπῳ τῆς ἐν Θράκῃ Φιλοθέῳ ὑποτάξαντα, *non solum quia prudentia, eruditioneque tam profana quam christiana insignis erat; sed etiam quia solitariæ vitæ, à puero fere addictus, diligentia diuturnaque exercitatione harum rerum experientissimus erat, quin & sanctæ Lauræ in monte Atho ante pontificatum à patribus præpositus.* Quocirca mirum non est eum Palamitarum fanaticos errores qui in illo monte nati erant, omni studio sequutum esse, quos Philotheus posthac cum aliis metropolitis statuminavit in synodo Callisti patriarchæ anno mundi 6858. mense Augusto ind. IV. Christi 1350. Iterum Cantacuzenus Philothei Heracleensis meminit cap. 32. ubi narrat illum cum Metrophane Melenici Joannem Palæologum Imp. comitatos esse, quum ad urbes sibi ab Andronico seniore concessas visendas pergeret. In Turco-Græcia p. 191.

seorsim ejusdem Philothei, ut & Joannis Cantacuzeni, subscriptio hæc edita est, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Ἡρακλείας, πρόεδρος τῶν ὑπερτίμων, καὶ ἔξαρχος πάσης Θράκης καὶ Μακεδονίας, Φιλόθεος, *Humilis metropolita Heracleæ, præsul Hypertimorum, & Exarchus totius Thraciæ & Macedoniæ Philotheus.* Anno autem 1354. Constantinopolitanus patriarcha factus est.

XXXVI. Theodorus.

Lib. 6. Juris Græco-Rom. libellus exstat quo *sanctissimus Heracleæ metropolita domnus Theodorus Critopulus* pontificatum abdicabat, Τόμος ἐξιτήσιος, ἤτοι παραίτησις τοῦ ἁγιωτάτου μητροπολίτου Ἡρακλείας κυροῦ Θεοδώρου τοῦ Κριτοπούλου. Hunc Patriarchæ dedit devotionis & humilitatis plenum, in cujus fine testatur, ea se ætate vivere quâ Christianus Princeps Constantinopoli imperabat, cui his quoque verbis valedixit: χαίροις δὲ καὶ πρὸ πάντων, καὶ ἐν πᾶσι, καὶ σὺ ὁ πιστότατος ἄναξ. *Valesis præ omnibus & in omnibus, tu quoque fidelissimus Princeps.* Vivebat certe ante Antonium Heracleensem qui Florentino concilio interfuit.

XXXVII. Antonius.

Ad concilium Ferrariense & Florentinum venit *Antonius Heracleæ* metropolita, in quo Alexandrini patriarchæ vices gessit, unionisque Decreto hoc modo subscriptus legitur, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Ἡρακλείας, ὁ λογὰς τῶν Αἰδεσιμωτάτων, καὶ ἀρχιερεὺς πάσης Θράκης καὶ Μακεδονίας, καὶ ἐπιτηρητὴς τῆς ἀποστολικῆς καθέδρας τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου τῆς Ἀλεξανδρείας Φιλοθέου Ἀντώνιος, vel Latine: *Humilis metropolita Heracleæ, præsul Hypertimorum, & Exarchus totius Thraciæ & Macedoniæ, & Philothei sanctissimæ sedis Apostolicæ Alexandriæ Patriarchæ locum tenens, Antonius sententiam ferens subscripsi.* Hic patriam repetens, Venetiis senatu poscente sacram Liturgiam Græcè peregit; post reditum vero initam cum Latinis unionem ejuravit. Quapropter synodi, quam, Joanne Palæologo Imp. defuncto, Constantinopoli in sacro sanctæ Sophiæ templo habitam fingunt, statutis subscriptus legitur: ὁ Ἡρακλείας Ἀντώνιος ὑπέγραψα, καὶ ἔχων γνώμην τοῦ ἁγιωτάτου ἐπισκόπου Καισαρείας. *Antonius Heracleæ subscripsi, sententiam habens sanctissimi episcopi Cæsareæ.* Cæterum in hac synodo nescio quis Athanasius Constantinopolitanus patriarcha fertur ordinatus non ab Antonio Heracleæ, sed à Macario Nicomediensi: Quod certe mirum, actaque synodi hujus minus sincera esse indicat, præter alia quæ in eis alibi observatione digna narravi. Hactenus enim quæcumque Byzantini præsulis consecratio canonica minime censebatur, quæ ab Heracleense metropolita, dummodo sedes illa non vacaret, nequaquam patrata esset. Quibus addendum, quod in illis actis habetur, Athanasium illum patriarcham palam dixisse: *Marcus Ephesius, Heracleensis, & ego subscriptioni assentiri nolui, quod legitima non esset:* ὁ Ἐφέσου Μάρκος, οὔθ' ὁ Ἡρακλείας, οὔτε ἐγὼ εἴκειν τῇ ὑπογραφῇ δεῖν ἔγνωμεν ἀθέσμῳ οὔσῃ. Verum non ex subscriptionibus modo Decreti unionis, in quibus Antonii Heracleæ suffragium & assensus visitur, sed ex Syropuli quoque historia ejusdem concilii Florentini, certissimum fit, Antonium ipsummet Heracleæ præsulem locum Alexandrinæ sedis tenentem subscripsisse: καὶ ὑπέγραψεν ὁ Ἡρακλείας, ὡς ἐπιτηρητὴς τοῦ Ἀλεξανδρείας, *& subscripsit Heracleensis tamquam Alexandrini patriarchæ vicarius.* Sect. X. cap. 8.

XXXVIII. Christodulus.

Huc refero *Christodulum*, incertæ mihi ætatis, quem ex Cartophylace Heracleæ archiepiscopum creatum narrat vir eruditissimos D. Nicolaus Cumnenus Papadopoli, qui ejus hinc inde meminit in Prænotionibus Mystagogicis, præsertimque Resp. 3. sect. 6. p. 188. ubi orationis ejus in Dominicam 2. Quadragesimæ recitat.

XXXIX. * * *

Anno circiter 1477. Raphaël Servius, Decreto Sultani designatus est patriarcha, vir nullius frugi, quod ubi *Heracleæ* metropolita rescivit, in morbum incidit, nec synodo interfuit, in qua ille erat ordinandus. Quamobrem Raphaëlis ordinatio ab Ancyrano peracta est. καὶ ἐχειροτονήθη ὑπὸ τοῦ Ἀγκύρας, ὅτι ὁ Ἡρακλείας, πρὶν ἢ συναχθῇ ἡ σύνοδος, τὸ ἔμαθε, καὶ ἔγινεν ἀσθενής. Lib. 2. hist. eccles. Turco-Gr. pag. 130.

XL. Cyrillus.

Anno 1564. Joasaph patriarcha ob vitam male institutam sacerdotio exui meruit, frequentissimæ synodi decreto, cui tertius subscripsit ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Ἡρακλείας Κύριλλος, *Humilis metropolita Heracleæ Cyrillus.*

XLI. Macarius.

In descriptione montis Atho, quam doctissimus D. Bernardus de Monte-falconis Græco-barbara, Latinaque linguis in fine Palæographiæ edidit, ubi de monasterio sancti Dionysii, in recentioribus illius fundatoribus, post tempora Sultani Selimi (II. utique) censeri fertur *Macarius Heracleæ Thraciæ metropolita,* Μακάριος Ἡρακλείας τῆς ἐν Θράκῃ

μητροπολίτης, qui, abdicato throno, in hoc cœnobium cum facultatibus omnibus suis se contulit. Palæogr. pag. 480.

XLII. NEOPHYTUS.

Cyrillo Lucari Byzantino patriarchatu prima vice exauctorato anno 1621. mense Novembri, ejusque in locum suffecto Gregorio Amaseæ, amotus quoque iste est, quem brevi tempore excepit Anthimus Hadrianopolis. Hic vero paulo post ejectus est, Cyrillusque restitutus: sed eo confestim illa præcipua sede pulso, *tunc legitime, & ex canonum præscripto patriarchatum iniit Neophytus Heracleæ, ejusdem domni Cyrilli discipulus adoptatitiusque filius.* Sic Philippus Cyprius in suo Patriarcharum Constantinopolitanorum catalogo: μετὰ ταῦτα πατριαρχεύσας νομίμως καὶ κανονικῶς ὁ Ἡρακλείας κῦρις Νεόφυτος, ὁ τοῦ κυροῦ Κυρίλλου μαθητὴς καὶ υἱόθετος. Catalogus alter Patriarcharum id factum perhibet anno 1636. ἐν ἔτει αχλς'. τοῦ Χριστοῦ. Accuratior vero series altera narrat, Cyrillo Lucari quarta vice ejecto, Cyrillum BerrhϾ metropolitam ei subrogatum fuisse, quo post annos duos exsulante, *Neophytus Heracleæ* patriarcha factus fuit: id quod anno eodem 1636. contigit. Neophytus vero uno elapso anno pontificatui renuntiavit.

XLIII. JOANNICIUS.

Anno 1638. Cyrillus Berrhœensis patriarcha synodum habuit, in qua Calviniani errores quos Lucaris decessor ipsius foverat; configi primùm apud Græcos cœperunt, subscripsit *Joannicius Heracleæ*, ὁ Ἡρακλείας Ἰωαννίκιος, ut fert codex Hierosolymitanæ synodi ann. 1672. non *Hieremias*, Ἱερεμίας, ut anteriores editiones habent. Anno insequenti Joannicius idem Heracleæ cum Parthenio I. patriarcha aliisque metropolitis Laurentium Cassandriæ episcopum consecravit, ut ordinationis illius literæ testantur, quas suo loco dabimus, τοῦ Ἐφέσου κυροῦ Μελετίου, τοῦ Ἡρακλείας κυροῦ Ἰωαννικίου, *Ephesi domno Meletio, Heracleæ domno Joannicio.* Anno 1641. adfuit metropolitarum conventui, in quo actum est de voce μετουσίωσις, quam retinendam lanxerunt. To. 3. Perpet. Fid. pag. 688. Anno subinde 1642. iterum sedit in synodo quam Parthenius patriarcha Giasii in Moldoblachia celebravit propter illos Cyrilli Lucaris Calvinianos errores, subscripsitque ut supra, ὁ Ἡρακλείας Ἰωαννίκιος, *Joannicius Heracleæ.* In actis Hierosolymitanæ synodi e regione additur, καὶ οὗτος ἐχρημάτισε πατριάρχης Κωνσταντινουπόλεως. *Et hic factus est patriarcha Constantinopolitanus*, Parthenio scilicet II. exsulanti subrogatus.

A XLIV. METHODIUS.

Anno 1669. *Methodius Heracleæ* metropolita post Clementem Iconii pridem metropolitam patriarcha factus est, ut fert Patriarcharum series To. 2. Thesauri Antiq. Constantinopolitanarum, p. 1102. Ἰανουαρίου τρίτη ἐγινε πατριάρχης Μεθόδιος Ἡρακλείας. *Januarii tertia patriarcha factus est Methodius Heracleæ.* De hoc Methodio Thomas Smith in epistola *De statu hodierno ecclesiæ Græcæ* pag. 53. prioris editionis hæc habet. *Probè*
B *memini me fere ante sex annos Constantinopoli tibi scripsisse plane verendum esse tribus Patriarchis qui in vivis erant, D. D. D. Paisio, Dionysio, & Parthenio, isthoc tempore exactis, Reverendissimum Methodium Cretensem archiepiscopum Heracleensem factum patriarcham, in ista dignitate summa diu quoque non mansurum, quod murmurationibus, malisque erga ipsum animis edoctus, facile quidem ominabar. Omen tristis eventus comprobavit; Parthenius enim vir inquietæ mentis, &c.*

XLV. BARTHOLOMÆUS.

C Responsioni patriarchæ Constantinopolitani Dionysii super Calvinistarum erroribus quæ data est anno 1672. subscripsit *Bartholomæus Heracleæ*, ὁ Ἡρακλείας Βαρθολομαῖος, qui anno præcedenti perinde cum sex aliis metropolitis subscripserat libello alteri adversus eadem hæretica placita, qui editus est Tom. 3. Perpet. Fid. Eucharist.

XLVI. NEOPHYTUS II.

Anno 1707. Gabriële patriarcha defun-
D cto, *communibus votis episcoporum, clericorum & magnatum, & Capicechæodarum, præsente Gerasimo Alexandrino patriarcha, electus est Neophytus Heracleæ metropolita*, ἐψήφισαν τὸν ἅγιον Ἡρακλείας κύριον Νεόφυτον, *qui in officio erat secretarii principis, cujus dexteram parvi & magni omnes exosculati sunt.* Catal. Patr. sup. laud.

XLVII. GENNADIUS.

Demetrio Procopio, inter nuperi ævi eruditos Græcos clarus fuit *Gennadius Heracleæ metropalita, vir pius, honestus christianisque*
E *moribus spectabilis, Græcæ linguæ divinarumque scripturarum gnarus.* Γεννάδιος μητροπολίτης Ἡρακλείας, ἀνὴρ θεοσεβὴς, σεμνὸς, καὶ χριστιανικῇ πολιτείᾳ ἐμπρέπας, εἰδήμων τῆς ἑλληνικῆς διαλέκτου, καὶ τῶν θείων γραφῶν ἔμπειρος.

XLVIII. CALLINICUS.

Anno 1721. sedebat *Callinicus Heracleæ metropolita*, ὁ Ἡρακλείας Καλλίνικος, de quo Demetrius ille Procopius in eruditorum præsentis sæculi recensione, quam Albertus

Fabricius Tom. 11. Biblioth. Græc. edidit hæc habet: *Callinicus ex insula Naxia. Cycladum una, metropolita Heracleæ*, Καλλίνικος ἐκ νήσου Ναξίας τῆς Κυκλάδων μητροπολίτης Ηρακλείας, *vir spectatissimus, & multæ eruditionis, Græcæ linguæ peritus, externaque Philosophia, & sacra Theologia imbutus, qui assiduo diligentique studio sanctorum Ecclesiæ patrum scripta meditatur, & Evangelicam doctrinam apostolico more prædicat. Constantinopolitanam prius scholam moderabatur, quam ad episcopalem dignitatem eveheretur.* Hic Patriarcha renuntiatus subinde fuit post Hieremiam, sed apoplexia exstinctus est, nondum accepto à Sultano confirmationis diplomate.

II. # ECCLESIA PANII.

PANIUM, Πάνιον, Ortelio Promontorium est Cyaneis insulis parallelum, quemadmodum illud Gyllius ex Dionysio Byzantino describit, hocque *Phanarium* hodie vulgo dicitur. Clariùs vero illis antiquior Suidas: *Panium*, ait, *loci nomen est, ubi etiam castrum ad maris oram, quod Panium vocatur, in Heracleæ finibus.* Quod si in Heracleæ finibus, seu Heracleæ vicinum; ergo in Propontide; non igitur Cyaneis insulis parallelum, quippe quæ in Euxini Ponti faucibus existunt. Panii quoque oppidi meminere Scylitzes, Cedrenus, Zonaras, aliique Byzantini scriptores, cujus sua quoque in Notitiis mentio est. Male apud Hieroclem scribitur, Πανόνιον, *Panonium*, nisi ipsum sit quod in aliis Notitiis *Daonium*, Δαόνιον, est, ὁ Δαονίου, *episcopus Daonii.* At ipso Hieroclis ævo Panium episcopi sedes erat, sed cujus antistes simul erat Heracleensis ipse, velut superiùs dictum est ex synodi Ephesinæ gestis, moxque rursum dicetur in *episcopis Callipolis.* Cæterum proprios quoque præsules suos Panium obtinuit, ac sæculo saltem sexto adulto. Post vero Rhædesti & Panii episcopatus antehac duo in unum contracti sunt, ut fert Notitia Philippi Cyprii chronico præfixa. ἡ Ηρακλεία τῆς Εὐρώπης. α΄ ὁ Θεοδώρου πόλεως. β΄. ὁ Ραιδέστου καὶ Πανίου· αὗται ἑνώθησαν, μία ἐπισκοπή. In recentioribus demum *Phanarii & Neochorii*, archiepiscopatus unus est.

EPISCOPI PANII.

I. ADREAS.

IN Constantinopolitana synodo, quæ Menna patriarcha præside anno 536. habita est, sedit *Andreas Panii*, Ἀνδρέα τοῦ Πανίου. Qui act. IV. subscripsit, Ἀνδρέας ἐπίσκοπος τῆς Πανιτῶν, ἤτοι Θεοδοσιουπολιτῶν, *Andreas episcopus Panitarum, seu Theodosiopolitarum civitatis.* Item act. V. Ἀνδρέας ἐπίσκοπος Θεοδοσιουπολιτῶν. *Andreas episcopus Theodosiopolitarum.* Quo indicatur, alterum Panii forsitan nomen fuisse *Theodosiopolis*, à Theodosio utique juniore; à quo certe tempore episcopum proprium obtinuerit: aut certè episcopus idem Panii erat, qui & Apri, quæ *Theodosiopolis nova* nuncupata fuit, ut suo loco dicetur.

II. RHEGINUS.

Sextæ synodo generali adfuit & subscripsit *Rheginus episcopus Panii regionis Thraciæ.* Ρηγῖνος ἐπίσκοπος Πανίου τῆς Θρακῶν χώρας.

III. JOANNES.

In Septima itidem synodo inter episcopos Thraciæ sedebat, & subscribebat, *Joannes episcopus Panii*, Ιωάννης ἀνάξιος ἐπίσκοπος Πανίου.

IV. STRATEGIUS.

Synodo quoque Photianæ sub Joanne Papa VIII. *Strategius Panii*, Στρατηγίου Πανίου, Στρατήγιος Πανίου.

V. * * *

Andronico Palæologo seniore Imp. Romfortus Latinorum Catelanorum exercitus dux Byzantinis arces nonnullas circa montem Ganum ademit, quibus subigendis incumbens, opera utebatur episcopi Paniensis, de quo in urbem Regiam fama perlata est; eum victoriis cooperari Latinorum, suadendo Romanis, sive Byzantinis, ut urbes suas Latinis traderent, φήμη δὲ ἵκετο συμπράττειν καὶ τὸν ἐπίσκοπον· Πανίου δ' οὗτος ἦν· καὶ τὰ πολλὰ καὶ αὐτὸν ἐφιστάμενον συνεργεῖν τοῖς ἐχθροῖς, ἐφ' ᾧ προδιδόναι οἱ πόλει. Quocirca à patriarcha Athanasio canonicis pœnis in illum animadversum est. Pachym. lib. 7. cap. 26.

VI. IGNATIUS.

Sæculo decimo quarto medio sedebat *Ignatius* Panii, qui anno mundi 6859. Christi 1351. adfuit Constantinopolitanæ synodo, in qua Callisto Patriarcha præside Barlaamus & Acyndynus Palamiticorum errorum impugnatores proscripti fuere. Allat. adv. Hottinger. pag. 327. Cæterum Ignatii nomen in synodi actis abest, ac solummodo legitur, ὁ Πανίου, *episcopus Panii.*

ECCLESIA PANII.

VII. Gregorius.

VIII. Gabriel.

Anno 1564. Joasaphus Patriarcha exauctoratus fuit in synodo, cujus sententiæ subscripserunt, ὁ ταπεινὸς ἐπίσκοπος Φαναρίου Γρηγόριος, *Humilis Phanarii episcopus Gregorius*, necnon *Gabriël Phanarii*, itidem *episcopus*, *nomine episcopi Thaumaci*, ὁ ταπεινὸς ἐπίσκοπος Φαναρίου Γαβριὴλ, ἔχων καὶ τὴν γνώμην τοῦ Θαυμάκου. Sic pag. 174. hist. Turco-Græc. Gabriëli, abdicato episcopatu, Gregorium suffectum putavero.

IX. Clemens.

Præstantissimus Hierosolymorum patriarcha D. Chrysanthus lib. *De Officiis ecclesiæ*, exemplum adfert synodici Mandati, quo ecclesiæ Phanarii & Neochorii cura Macario A Larissæ metropolitæ commendatur, injungiturque sacerdotibus clericis & plebi illius ecclesiæ, ut ei morem gerant, destituto per eamdem synodum archiepiscopo ipsorum *Clemente*, qui *Cacoarchiepiscopus*, his in literis dicitur, *inobsequens*, *contumax*, *immoriger*, *qui nec patriarchalia præcepta in synodis lata curaret*, *sed prorsus contemneret*, ἐπειδὴ διὰ τὸ φανῆναι τὸν κακοαρχιεπίσκοπον ὑμῶν Κλήμεντα, ἀπειθῆ καὶ παρήκοον καὶ ἀνυπότακτον, καὶ καταφρονητὴν τῶν πατριαρχικῶν συνοδικῶν ἡμῶν γραμμάτων, καὶ μὴ φροντίσαντα πληρῶσαι, καὶ ἀποστεῖλαι τὰ συνοδικῶς ῥιφθέντα αὐτῷ B ἐκκλησιαστικὰ εἰσοδήματα καὶ δικαιώματα, καθαιρέσει παντελεῖ συνοδικῇ καθυποβάλλομεν.

X. Simeon.

Anno 1721. sedebat *Simeon Phanarii & Neochorii archiepiscopus*, ὁ Φαναρίου καὶ Νεοχωρείου Συμεών.

III.

ECCLESIA CŒLES.

QUÆ veteribus *Cœlos*, & Κοῖλος, *Cœle*, Κοίλη, quoque dicta est, Pomponio Melæ lib. 2. c. 2. in *Chersonneso Thraciæ*, *exstat. Et portus Cœlos*, inquit, *Atheniensibus & Lacedæmoniis navali acie decernentibus*, *Laconicæ classis signatus excidio*. Plinius lib. 4. cap. 11. *Est in extrema Chersonnesi fronte*, *quæ vocatur Æolium*, *oppidum Elæus*, *deinde petenti Melanem sinum portus Cœlos*, *& Panhormus*, *& supradicta Cardia*. Ptolemæo in Chersonneso ab Oriente Elæûs Hellespontum versus hæ civitates sunt, Κύλλα, &c certe Κοῖλα vel Κοίλη, librariis υ pro οι sæpe vicissimque scribentibus. Notitia Hieroclis habet Κοιλία, amanuensis errore. In actis synodi Ephesinæ Cyrillus, *Cœlos*, vel *Cœles*, ecclesiam Callipolis tunc temporis administrasse legitur : mox eumdem fuisse Cœles & Madyti episcopum dicemus.

EPISCOPI CŒLES.

I. Cyrillus.

IN actis concilii Ephesini primi Græcis, in C eo sedisse fertur, *Cyrillus episcopus Pylarum Chersonnesi*, Κυρίλλου Πυλῶν τῆς Χερσοννήσου. In subscriptionibus quoque : Κύριλλος ἐπίσκοπος Πυλῶν· Σεληνιασπένδιος πρεσβύτερος περιοδευτὴς ὑπέγραψα ὑπὲρ αὐτοῦ, ἐπειδὴ τὴν χεῖρα ἔπασχεν. *Cyrillus Pylarum episcopus Selenespendius presbyter visitator pro eo subscripsit*, *quum manu laboraret*. Codices vero Latini Baluzianæ collectionis habent col. 452. *Cyrillo Cylon Cherronensi*, sive *Chersonesi*: & in subscriptionibus *Cyrillus Cœlorum subscripsi per manum Hellesponti*. Sic in iisdem actis D apud Marium Mercatorem. *Hellesponti* corruptè scriptum est pro *Selenespendii*. In fine actorum ejusdem concilii Latine exstat supplex libellus de quo superiùs dixi, qui inscribitur : *Sanctæ & universali synodo gratia Dei & assensu piissimorum Regum in Ephesiorum metropoli congregatæ*, *ab Euprepio episcopo Byzes & Arcadiopolis*, *& Cyrillo episcopo Cœlensi*. Incipit : *Vetus mos viget in provincia Europæ*, *quod singuli episcopi*, *duos vel tres habeant episcopos* (emendandum *episcopatus*, ἐπισκοπὰς) *unde Heracleæ episcopus habet sub se Heracleam & Panium: episcopus autem Byzes*, *sub se Byzen & Arcadiopolim; Cœlensis vero similiter Cœlam & Callipolim*, *&c*. Subinde iterum dicitur ecclesiam Callipolis fuisse *episcopi Cœlensis*, *&c*. Qui tot Latini textus convincunt, Cyrillum fuisse episcopum Cœlensem, Cœles vel *Cœlorum* aut, si quis mavult, *Cylarum* Chersonnesi, non prorsus *Portarum*.

II. Theotecnus.

Epistolæ synodi provinciæ Europæ ad Leonem Augustum de nece S. Proterii Alexandrini & concilio Chalcedonensi subscriptus legitur *Theotecnus episcopus Cyclensis*, imo *Cylensis*, adeoque *Cœlensis*. Quin ejus quoque nomen epistolæ illi cum aliis præfigitur in Baluziana collectione. Is profecto ipse est qui *Viticanus Cylensis* corruptè scribitur in subscriptionibus synodi Romanæ sub Symmacho

Symmacho Papa, quibus nescio qua librariorum oscitantia, complures aliæ ex actis concilii Chalcedonensis mutuatæ, admistæ sunt. Quod argumento est Theotecnum concilio quoque Chalcedonensi interfuisse.

III. LEONIDES.

ECCLESIA Cœles.

In Septima synodo generali cum aliis Thraciæ episcopis sedit & subscripsit *Leonides episcopus Cœlorum.* Λεονίδης ἀνάξιος ἐπίσκοπος Κοίλων.

IV. ECCLESIA CALLIPOLIS.

IN Notitiis ecclesiasticis Græcis provinciæ Europæ tertia civitas est Callipolis, quam nec omisit Hierocles, & hodieque *Callipolim* dicunt, ad Hellespontum in Chersonneso Thraciæ è regione Lampsaci positam. *Hellespontus*, ait lib. 4. c. 11. Plinius, *septem stadiis Europam ab Asia dividens, quatuor illic inter se contrarias urbes habet; in Europa Callipolim & Seston, in Asia Lampsacum & Abydon.* Atqui, ut mox dicebam, idem aliquando Cœlæ episcopus fuit qui Callipolis, ut Libello supplice fertur, quem Euprepius episcopus Byzæ & Arcadiopolis, necnon Cyrillus ipse Cœles & Callipolis Ephesini concilii Patribus obtulerunt. Cæterum sæculo ecclesiæ sexto Callipolis à proprio antistite suo regebatur, necnon à suis Panium, Arcadiopolis & Aphrodisias. In Notitia Philippi Cyprii quartus provinciæ Europæ censetur episcopus Callipolis & Madytorum, ὁ Καλλιπόλεως καὶ Μαδύτων, seu Μαδύτων, quæ sequiori ævo in unum episcopatum coaluerint. Theodosius Zygomalas apud Crusium pag. 334. Turco-Gr. Callipolim Constantinopoli centum milliaribus distare ait, civitatem populosam, in qua Christiani ad mille domos haberent.

EPISCOPI CALLIPOLIS.

I. CYRILLUS.

IDem itaque *Cœles & Callipolis* episcopus fuit *Cyrillus* tempore synodi Ephesinæ prioris.

II. HARMONIUS.

In concilio Constantinopolitano sub Menna patriarcha sedebat *Harmonius Callipolis*, Ἁρμονίου Καλλιπόλεως.

III. MELCHISEDEC.

In Septima quoque synodo sedit & subscripsit *Melchisedec episcopus Callipolis.* Μελχισέδεκ ἐπίσκοπος Καλλιουπόλεως.

IV. JOSEPH.

Anno 1351. sedebat in concilio Callisti patriarchæ, quod Barlaamum & Acyndynum Gregorii Palamæ adversarios proscripsit, *Joseph Callipolis,* Allatio teste lib. advers. Hottingerum pag. 328. imo ipsis actis subscriptus legitur, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Καλλιουπόλεως Ἰωσήφ, *Humilis metropolita Callipolis Joseph.*

V. PAULUS, *electus.*

Leo Allatius opusculo de *Missa Præsanctificatorum*, ex Præscriptis patriarchæ Constantinopolitani, cujus nomen omisit, *ad Paulum hypopsephium Callipolis*, sive designatum & electum Callipolis episcopum, observat, non unam Græcis omnibus fuisse Præsanctificatorum liturgiam, tum verba refert illius patriarchæ. Eadem Præscripta ad *Paulum hypopsephium Callipolitanum* iterum laudat Allatius in *Mantissa de duobus calicibus Armenorum.* Callipolim tamen inter metropoles nulla mihi Notitia hactenus suppeditavit.

VI. ALEXIUS.

Ad calcem cod. Regii 3026. epistola Latinè exarata exstat *Alexii episcopi Callipolitani* ad Georgium Ulixobonensem Cardinalem de fratris illius morte. Cardinalis iste Ulixobonensis erat Georgius Costa Lusitanus à Sixto Papa IV. creatus, qui Legatione Pontificia apud Venetos functus est; ubi, accepto fratris illius obitus nuncio, Legatum epistola ipsa *Alexius episcopus Græcus Callipolitanus* convenit. Obiit Georgius Costa Cardinalis anno 1508.

V. ECCLESIA SABADIÆ.

SABADIAM habet Hierocles in provincia Europæ, apud quem perperam scribitur Σωαδία pro Σαβαδία. Constantinus quoque Porphyrogennetus *Sabadam* habet, ac certe *Sabadiam* inter urbis Thraciæ; Σαβάδα, voce feminina, vel plurali neutra. In actis synodi Ephesinæ jam perhiberi monui, unum eumdemque illo ævo fuisse Sabadiæ & Aphrodisiadis episcopum, ita tamen ut ex ambabus potior esset Sabadia, cujus præsul

Aphrodiſiadem quoque regeret : *& Saſbadiæ epiſcopus Saſbadiam & Aphrodiſiadem tenet.* Ex quo apertum ſit, quarto quintoque ſæculo antiſtites ſuos habuiſſe Sabadiam, etſi nullius eorum nomen uſquam mihi hactenus occurrerit.

EPISCOPI SABADIÆ.

I. * * *

SAbadiæ igitur tempore ſynodi Epheſinæ præerat epiſcopus, cujus nomen hodie neſcitur.

II. NICOLAUS.

A In ſynodo quæ Photii Conſtantinopolitano throno reſtituti cauſa habita eſt, ſediſſe fertur *Nicolaus Sabadorum*, Νικόλαος Σαϐάδων.

VI.

ECCLESIA APHRODISIADIS.

APHRODISIAS Hierocli provinciæ Europæ civitas eſt quam Ptolemæus in Thracia mediterranea collocat, itemque Plinius lib. 4. c. 11. Theophanes vero ad annum 18. Juſtiniani Imp. eam, ut & Dionyſiopolim & Odyſſum ejuſdem regionis urbes ab exundante mari obrutam narrat, quod argumento eſt illam à littore maris non procul ſemotam fuiſſe. A Juſtiniano mœnibus firmiſſimis inſtructa munitaque fuit, Procopio teſte lib. 4. de ædif. cap. 10. A Conſtantino Porphyrogenneto inter Thematis Thracici civitates cenſetur, etſi nulla ejus in eccleſiarum Notitiis mentio fit, quin & proprium olim epiſcopum nacta ſit.

EPISCOPI APHRODISIADIS.

I. THEOPHRONIUS.

IN inſcriptione epiſtolæ ſynodi provinciæ Europæ ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini, legitur *Theodorus epiſcopus* B *Aphrodiſiadis :* nullus vero ibidem Sabadiæ memoratur.

VII.

ECCLESIA APRI.

APROS, colonia Romana fuit in Thracia mediterranea ad Melanem fluvium, Plinio teſte lib. 4. cap. XI. Philippis diſtans centum octoginta mill. paſſ. Ptolemæo quoque *Colonia* dicitur, ſed voce plurali Ἄπροι, *Apri,* utitur. Hierocli vero *Apros,* Ἄπρος, etiam dicitur. Hanc Cedrenus *Theodoſiopolim novam* appellatam tradit, utpote à Theodoſio Magno refectam. In veteribus eccleſiarum Notitiis archiepiſcopatus eſt, in recentioribus metropolis.

EPISCOPI APRI.

I. BABYLAS.

IN inſcriptione epiſtolæ ſynodi provinciæ C Europæ ad Leonem Imp. legitur *Babylas epiſcopus novæ Theodoſiopolis Europæ.*

II. ANDREAS.

Supra in epiſcopis Panii diximus, *Andream* epiſcopum Panii, in ſynodi, quæ ſub Menna patriarcha celebrata eſt, epiſcopum quoque *Theodoſiopolis* nuncupari.

III. JOANNES.

In Septima ſynodo ſedit & ſubſcripſit. *Joannes epiſcopus Apri.* Ἰωάννης ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ἄπρων.

IV. SABBAS.

In ea ſynodo quæ ob Photii reſtitutionem ſub Joanne Papa VIII. habita eſt, inter archiepiſcopos & metropolitas ſedit ſubſcripſitque *Sabbas. Apri,* Σάββα Ἄπρων. Σάββας Ἄπρων.

V. STRATEGIUS.

Judicio ſynodali Alexii patriarchæ de donatariis monaſteriorum & eccleſiarum anno 1027. ſedebat inter archiepiſcopos *Strategius Apri,* Στρατηγίου Ἄπρων. Jur. Græco-Rom. pag. 259.

VI. * * *

Alexio Comneno Imp. & Nicolao Grammatico patriarcha, epiſcopo Alexiopolis otiante data eſt regenda *Abydus,* deinde *Apros,* ut fert Nicephorus Calliſtus lib. 14. D cap. 39. τῷ Ἀλεξίου πόλεως σχολάζοντι ἐδόθη ἡ Ἄβυδος, ἐδόθη εἰς ὕστερον δὲ καὶ ἡ Ἄπρος.

VII. * * *

In ſynodo Lucæ Chryſobergæ patriarchæ vetitum eſt ne epiſcoporum morientium & eccleſiarum bona auferrentur. Aderat *archiepiſcopus Apri,* τῷ Ἄπρων.

ECCLESIA APRI.

VIII. Romanus.

Anno 1171. die 1. Novembris Indict. v. Michaële Anchiali patriarcha, synodi decreto prohibitum est, ne clerici ex aliena parœcia seu diœcesi crearentur; cui condendo assidebat metropolita *Apri Romanus*, Ρωμανὸς Ἀπρω. Jur. Græco-Rom. pag. 227. Ad eum exstat ibidem pag. 231. decretum aliud synodicum Theodosii patriarchæ, datum die 30. Julii Ind. XII. anno proinde 1179. de puellæ cujusdam nuptiis, quæ sobrino suo desponsata prius fuerat, ac Theodosius *Romanum me-* B *tropolitam Apri fratrem & mediocritatis suæ collegam, Artabasdum* cognominat, ὁ ἱερώτατος μητροπολίτης Ἀπρω ἀδελφὸς καὶ συλλειτουργὸς τῆς ἡμῶν μετριότητος Ρωμανὸς ὁ Ἀρτάβασδος. Laudatur hoc decretum à Balsamone in can. 68. S. Basilii ad Amphilochium. Item anno 1182. die 4. Febr. fer. 2. Ind. XV. Georgio Xiphilino patriarcha, in synodo actum est de juribus territoriorum, quum adesset iterum *Romanus Apri metropolita*, Ἀπρω Ρωμανός. Jur. Græco-Rom. p. 283.

IX. ***

Apri metropolitanus ex illis Græciæ præsulibus erat, qui sub Michaële Palæologo Gregorio Papa X. scripserunt de instauranda cum Romana Ecclesia communione, ut A initio fertur epistolæ ipsorum: *Metropolitanus Apri cum sua synodo.* Huic vicissim Gregorius, ut reliquis metropolitis, epistolam inscripsit suam.

X. Chariton.

Anno mundi 6855. mense Sept. Ind. XV. Christi anno currente 1346. metropolitæ nonnulli Annæ Imperatrici, Andronici II. Imp. viduæ, relationem dederunt adversus Joannem Calecam patriarcham, qui Gregorio Palamæ non satis faveret, eique subscripsit *Chariton Apri*; quin etiam subinde synodi septentiæ, qua Joannes idem communione & patriarchatu amotus fuit anno insequenti 1347. mense Febr. ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Ἀπρω Χαρίτων, καὶ τὸν τόπον ἐπέχων τοῦ Εὐχαΐτων, *Humilis metropolita Apri Chariton, locumque tenens metropolitæ Euchaïtorum.* Bibl. Cæsar. lib. 8. cod. 6.

XI. Gabriel.

Anno 6859. Christi 1351. Ind. IV. mense Augusto, Joanne Palæologo & Joanne Cantacuzeno Impp. sub Callisto patriarcha ha-
C bita synodus est, in qua Barlaamus & Acyndynus Palamæ adversarii proscripti sunt, inter metropolitas subscripsit ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Ἀπρω, ὑπέρτιμος, καὶ τὸν τόπον ἐπέχων τοῦ Εὐχαΐτων Γαβριήλ. *Humilis metropolita Apri, Hypertimus, & locum tenens Euchætensis Gabriel.*




VIII. ECCLESIA CHERSONNESI.

CHERSONNESUM urbem episcopi sedem in Chersonneso Thracica, provinciaque Europæ, collocant Notitiæ duæ veteres, unaque recentior, quæ Philippi Cyprii chronico præmissa est, ὁ Χερσοννήσου, *Chersonnesi episcopus.* Abest vero in Notitiis Hieroclis & Leonis Sapientis Imp. Urbem Chersonnesum dictam ipsam fuisse Cœlen pene dixero, quando in actis Ephesinæ synodi primæ ejus præsul præ aliis peninsulæ illius dicitur *episcopus Cœlæ*, vel *Cœles Chorsonnesi.*

EPISCOPI CHERSONNESI.

I. Petrus.

QUum Longinus Chersonnesi Tauricæ episcopus in prædatoria synodo Ephesina sederet, aderat quoque *Petrus episcopus*
D *Chersonnesi, verba faciens pro Cyriaco episcopo Heracleæ Thraciæ.*



IX. ECCLESIA RHÆDESTI.

PTOLEMÆO, *Byzanthe sive Rhædestum*, Βυζάνθη, ἤτοι Ραιδεστόν, Thraciæ oppidum est, *à colonia Apro*, teste Plinio, XXXII. *pass. distans ex adverso coloniæ Parianæ.* Procopio item, lib. 4. de ædif. locus maritimus est, diei unius itinere Heraclea distans ad Hellespontum, facili portu, & commerciis commodo, quem Justinianus commodissimum fecit, urbemque magnitudini insignem. Censetur in Notitiis inter urbes provinciæ Europæ, & in recentioribus Archiepiscopatus est.

ECCLESIA Rhædesti.

EPISCOPI RHÆDESTI.

I. JOANNES.

A Septimæ ſynodo generali interfuit & ſubſcripſit *Joannes epiſcopus Rhædeſti*, Ιωάννης ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ραιδέςου.

II. NICOLAUS.

Synodo quæ ob Photii reſtitutionem habita eſt, *Nicolaus Rhædeſti*, Νικολάου Ραιδέςου. Νικόλαος Ραιδέςου.

III. ***

Leo Tornicius Conſtantino Monomacho Imp. denuò rebellis, Rhædeſtum obſedit, quæ archiepiſcopi opera Imperatori fidelis manſit. Scylitz. p. 112. & ex eo Cedrenus.

IV. JOANNES.

Non Latini, ſed Græci prorſus generis erat *Joannes Rhædeſti epiſcopus*, cui inſcribitur epiſtola 55. Innocentii Papæ III. lib. 15. Regeſti ipſius, qua nempe gratulatur, quod ad Romanæ ſedis obedientiam redierit, eique privilegia concedit quibus Latini ritus præſules potiebantur; integram nempe in omni ſua diœceſi juriſdictionem, hortaturque ut & Græcos alios ad catholicam communionem adducat. Raynald. ad annum 1212. n. 42.

V. ***

In ſynodo Athanaſii patriarchæ, in qua Joannes Drimys tamquam eccleſiæ & Imperatori perduellis judicatus fuit, aderat *Rhædeſti epiſcopus*, καὶ τῶν θεοφιλεςάτων ἐπισκόπων, τοῦ Ραιδεςοῦ. Cod. Reg. epiſtolarum Athanaſii.

VI. ***

In ſynodo quam Hieremias II. patriarcha ſtatim ab ordinatione ſua coëgit anno 1571. ad abolendam ſimoniæ labem, ſedebat *Rhædeſti epiſcopus*, καὶ τῶν θεοφιλεςάτων ἐπισκόπων, B τοῦ Ραιδεςοῦ. κ. τ. ἑ. Hiſt. Turc. Gr. lib. 11. pag. 179.

VII. ATHANASIUS.

Rhædeſti archiepiſcopus erat *Athanaſius*, qui artibus ſuis effecit ut Dionyſius Muſelimes patriarcha exauctoraretur, poſt nuperi ſæculi medium, ipſeque ſede illius donaretur. Verum ab epiſcopis admiſſus non eſt, ut pote vir nullius frugi. Ιουλίου λ. ἡμέρᾳ τρίτῃ ἐγίνεν ὁ Αθανάσιος Ραιδεςοῦ, οἱ δὲ ἀρχιερεῖς δὲν τὸν ἔςερξαν. Doſith. de patriarch. Hieroſol. lib. 11. cap. 4. Par. 4.



X. ECCLESIA TZORULI.

IN Notitia veteri Græca, epiſcopalis provinciæ Europæ ſedes eſt *Tzorulus*, vel *Tzorullus*, ὁ Τζορούλλου. In ea quæ Leonis Imp. dicitur, alibique *Tzurolloe*, Τζυρολλόη, ὁ Τζυρολλόης. In recentiori Philippi Cyprii unus epiſcopus eſt Sergentzæ, de qua mox, & *Tzurolloës*. Poſita urbs erat ad fluvium, qui, ut fertur in vita S. Alexandri martyris, tredecim mill. Druſi para diſtabat. Cruſio hodie *Ciozlo* dicitur, medio fere itinere inter Conſtantinopolim & Hadrianopolim.

EPISCOPI TZORULI.

I. SISINNIUS.

C In Septima ſynodo ſedit & ſubſcripſit *Siſinnius epiſcopus Tzuruli*. Σισίννιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Τζουρουλοῦ.

II. BASILIUS.

In Octava ſynodo *Baſilius miſericordia Dei epiſcopus Zuruli*; qui dudum proinde antea à S. Ignatio, vel etiam à S. Methodio ordinatus fuerat. Ipſe vero ſubinde interfuiſſe quoque legitur, ſubſcripſiſſeque Photii ſynodo ſub Joanne Papa VIII. Βασιλείου Τζορουλόης, Βασίλειος Τζουρουλοῦ.

III. ***

In ſynodo Hieremiæ patriarchæ II. de abolenda ſimonia, ſedebat *epiſcopus Zuruli*, καὶ τοῦ Τζουρούλου. Turco-Gr. lib. 2. p. 179.

IV. THEONAS.

Monito Metrophanis patriarchæ ad metropolitam Nauplii qui repetundarum reus agebatur, dato menſe Febr. ind. VIII. anno 1579. ſubſcripſit *Theonas Tzuruli & Petzii*, ὁ Τουρούλως (emend. Τζουρουλοῦ) καὶ Πετζίου Θεωνᾶς. Turco-Gr. pag. 287.





XI. ECCLESIA SERGENTZÆ.

PRovinciæ Europæ civitas eſt *Sergentza* in Notitia Leonis Imp. ſed alias nobis incomperta, ὁ Σεργέντζης : ac quidem Sergentzæ nomen ſequius ævum redolet. Lib 4. Turco Græc. pag. 295. ubi iteratò *De Tranſlationibus epiſcoporum*, Athyræ epiſcopus Sergentzæ epiſcopatum accepit ſub Michaële patriarcha ſimul utramque recturus, ut conjicio, ὁ ἐπίσκοπος Ἀθύρας ἔλαβε τὴν Σεργέντζην. In Notitia Philippi Cyprii idem, ut prædictum eſt, epiſcopus eſt *Sergentzæ & Tzuroloës*.

EPISCOPI SERGENTZÆ.

I. JOANNES.

INter epiſcopos ſynodi Photianæ ſub Joanne Papa VIII. *Joannes Sergentzii* ſedebat, Ἰωάννου Σεργέντζιου.

A

II. ***

Epiſcopum Athyræ, cujus nomen omiſſum eſt, ſub Michaële Anchiali patriarcha *Sergentzæ* eccleſiam regendam accepiſſe dixi, ex iis qui de epiſcoporum tranſlationibus ſcripſere.



XII. ECCLESIA DRUZIPARÆ.

DRUZIPARA, Δρουζιπάρα vel Δριζιπάρα, *Drizipara*, nomine femineo ſingulari vel neutro plurali, Thraciæ oppidum Ptolemæo, Bergulii ſive Arcadiopolis vicina eſt in Itinerario Antonini, quæ in Notitiis eccleſiaſticis Archiepiſcopatus eſt, ὁ Δρουζιπάρων, ἤτοι Μεσήνης, *Druziparorum, ſive Meſenes*. Plane, Sophiano teſte, Druzipara *Meſenen* hodie dicunt. Celebre in ea templum exſtitit Alexandri Martyris, qui in ea Maximiano Imp. paſſus ſepultuſque eſt, cujus feſtum Græci agunt die 13. Martii. De eo legendus Theophylactus Simocata lib. 7. hiſt. cap. 13.

EPISCOPI DRUZIPARÆ.

I. THEODORUS.

IN Quinta ſynodo generali ſediſſe ſubſcripſiſſeque legitur *Theodorus miſericordia Dei epiſcopus Druziparenſium metropoleos*. Oſcitantiùs interpres pro voce πόλεως, *civitatis*, ſcriptum putavit μητροπόλεως, *metropolis*.

B

II. CYRIACUS.

In Septima ſynodo, *Cyriacus epiſcopus Druziparorum*, Κυριακὸς ἀνάξιος ἐπίσκοπος Δρουζιπάρων.



XIII. ECCLESIA LYZIMACHIÆ, *ſeu* HEXAMILII.

LYZIMACHIA, Λυσιμαχία, quam Lyzimachus rex in Iſthmo Thraciæ, deleta Cardia veteri urbe, condidit, Ptolemæi ævo *Hexamilium* dicta eſt Λυσιμαχία, ἡ νῦν Ἑξαμίλιον. Ejus meminit Plinius, hancque ab incolis deſeri incipere ait. Hanc paulo poſt abeſſe notat quinque millibus paſſuum à longis muris, ſeu finibus, quibus à Thracia Cherſoneſus excludebatur. Nulla ejus in Notitiis mentio, etſi ſuos epiſcopos jam pridem habuit. *Hexamili* autem hodieque vocitatur.

EPISCOPI LYSIMACHIÆ.

I. ***

IN Septimo concilio generali *Conſtans preſbyter locum tenuit throni Hexamilii*, epiſcopo ſcilicet abſente, vel ſede vacante.

II. METHODIUS.

In ſynodo Photiana ſub Joanne Papa VIII. ſedebat *Methodius Hexamilii*, Μεθοδίου Ἑξαμιλίου, Μεθόδιος Ἑξαμιλίου.

C

III. ***

In ſynodo quoque Calliſti patriarchæ anno 1351. in qua Barlaamus & Acyndynus Palamitarum adverſarii proſcripti fuere. Sedebat epiſcopus, imo *metropolita Hexamilii*, cujus nomen omiſſum eſt, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Ἑξαμιλίου.



XIV.

ECCLESIA LIZICI.

LIZICUM frustra quæro apud veteres: episcopatus tamen est provinciæ Europæ in Notitiis ecclesiarum, ὁ Λιζίκου, *episcopus Lizici.*

EPISCOPI LIZICI.

I. BENJAMIN.

IN Septima synodo inter episcopos Europæ A provinciæ sedit & subscripsit *Benjamin episcopus Lizicensium,* Βενιαμὶν ἀνάξιος ἐπίσκοπος τῶν Λιζίκων.

II. GEORGIUS.

In synodo Photiana sub Joanne Papa VIII. *Georgius Lizici,* Γεώργιος Λιζίκου, qui in subscriptionibus *Gregorius* dicitur, Γρηγόριος Λιζίκου.

XV.

ECCLESIA CHARIOPOLIS.

IN Notitia Leonis Imper. & in ea quam Philippus Cyprius chronico Patriarcharum præmisit, Chariopolis provinciæ Europæ episcopatus est, ὁ Χαριουπόλεως. A Scilitze Curopalata & Cedreno in Macedoniæ & Thraciæ finibus collocatur.

EPISCOPI CHARIOPOLIS.

I. THEOPHYLACTUS.

SEptimæ synodo generali inter Europæ B præsules sedit *Theophylactus episcopus Chariopolis.* Θεοφύλακτος ἐπίσκοπος Χαριουπόλεως. Sic nempe legendum, ut bene in subscriptionibus, non Χαριτουπόλεως.

II. COSMAS.

Synodo quæ ob Photii restitutionem habita est adfuit *Cosmas Chariopolis,* Κοσμᾶ Χαριουπόλεως.

III. * * *

Synodo item Athanasiii patriarchæ, in qua Joannes Drymys ecclesiæ & Imperatori perduellis proscriptus fuit, aderat *episcopus quoque Chariopolis,* πρὸς δὲ καὶ τοῦ Χαριουπόλεως. Epist. Athanas. Patr. in Cod. Reg. olim Archiep. Rem.

IV. * * *

In synodo quoque Callisti patriarchæ, in qua Barlaamus & Acyndynus Palamitarum æmuli proscripti sunt, sedebat *episcopus Chariopolis,* ὁ Χαριουπόλεως. Vid. Allat. de Syn. Phot. pag. 445.

XVI.

ECCLESIA PAMPHILI.

PAMPHILUS Europæ provinciæ episcopalis civitas est Leoni Imp. & Philippo Cyprio in Notitiis, ὁ Παμφίλου, quæ nusquam alibi occurrit.

EPISCOPI PAMPHILI.

I. MICHAEL.

IN Septima synodo sedisse legimus & sub- C scripsisse *Michaëlem episcopum Pamphili,* Μιχαὴλ ἀνάξιος ἐπίσκοπος Παμφίλου.

II. PETRUS.

In Photiana synodo *Petrum Pamphili,* Πέτρου Παμφίλου, Πέτρος Παμφίλου.

III. * * *

Anno 1351. synodo quæ adversus Barlaamum & Acyndynum habita est, aderat *episcopus Pamphili,* ὁ Παμφίλου.

XVII.

ECCLESIA DAONII.

DAONIUM, Δαόνιον in Notitiis ecclesiasticis Leonis Imp. & Philippi Cyprii Europæ provinciæ episcopatus est, oppidum Thraciæ ad Propontidem maritimum, cujus post Theophanem Historia Miscella meminit lib. 9. Ipsa utique est quæ Πανόνιον, *Panonium,* perperam scribitur in Notitia Hieroclis. Stephano, τεῖχος Θρᾴκης, *Murus Thraciæ,*

incola, Δαυνιοτειχίτης *Dauniotichita* dicitur. Annon idem quod *Macrontichos* oppidum Plinio! quod nempe *à Propontide ad Melonem sinum inter duo maria porrectus murus procurrentem excludit Chersonnesum*. Byzanthe quoque seu Rhædesto Macrontichos succedit apud Ptolemæum. Ad illum itaque murum *Daonium* fuisse positum oportet. ECCLESIA DAONII.

EPISCOPI DAONII.

I. THOMAS.

IN Septima synodo inter episcopos Europæ sedit *Thomas episcopus Daonii*, Θωμᾶς ἐπίσκοπος Δαονίου.

A

II. CLEMENS.

In Photiana synodo *Clemens Daonii*, Κλήμεντος Δαονίου, Κλήμης Δαονίου.



XVIII. ECCLESIA ARCADIOPOLIS.

QUÆ *Bergula* olim ac *Bergulium*, Thraciæ civitas & provinciæ Europæ, sæculo ecclesiæ quarto labente à Theodosio magno, quo tempore adversus Eugenium tyrannum pergebat, *Arcadiopolis* dicta est propter Arcadium filium ejus natu majorem. Druziparæ vicinam fuisse docet Itinerarium Antonini, medio itinere pergentibus Hadrianopoli Heracleam. Tempore concilii Ephesini primi hujus urbis ecclesia ab episcopo Byzæ gerebatur: post vero pastorem proprium obtinuit, atque in Notitiis antiquis inter archiepiscopatus censita est, sed & metropoliticis subinde privilegiis aucta.

EPISCOPI ARCADIOPOLIS.

I. EUPREPIUS.

EX actis synodi Ephesinæ *Euprepius* episcopus Byzæ Arcadiopolis ecclesiam gerebat, ut prædictum est.

B

II. LUCIANUS.

Concilio Chalcedonensi interfuit *Lucianus episcopus Byzæ*, Λουκιανὸς ἐπίσκοπος Βύζης, qui in codicibus Latinis act. præsertim 15. dicitur etiam episcopus *Arcadiopolis*.

III. SABBATIUS.

Quintæ synodo generali interfuit & subscripsit *Sabbatius misericordia Dei episcopus Arcadiopolis*, Thraciæ utique vel Europæ, quum simul adesset *Christophorus Arcadiopolis Asiæ*.

C

IV. JOANNES, *vel* NICEPHORUS.

Septimæ synodo aderat *Joannes episcopus Arcadiopolis*, Ἰωάννης ἐπίσκοπος Ἀρκαδιουπόλεως, aderat & *Nicephorus Arcadiopolis*, Νικηφόρος ἐπίσκοπος Ἀρκαδιουπόλεως. At Joannem Thracicæ Arcadiopolis potius assignavero, quando in subscriptionibus inter Archiepiscopos censetur.

D

V. BASILIUS.

Inter Archiepiscopos quoque *Basilius Arcadiopolis* censetur in actis synodi Photianæ Βασιλείου Ἀρκαδιουπόλεως, Βασίλειος Ἀρκαδιουπόλεως.

VI. ***

Arcadiopolis Europæ episcopus omnino fuit ille Leontopolis præsul, qui apud Nicephorum Callistum lib. 14. cap. 39. ubi *De translationibus episcoporum*, Arcadiopolis sede ab Alexio Comneno Imp. donatus est. ἐπίσης δὲ καὶ ὁ Λεοντουπόλεως εἶχεν Ἀρκαδιούπολιν.

VII. NICEPHORUS.

Synodicæ sententiæ qua Cosmas Atticus patriacha Byzantinus sub Joanne Comneno Imp. ad ordinem redactus fuit, anno 1145. subscripsit *Nicephorus archiepiscopus Arcadiopolis*, ὁ ταπεινὸς ἀρχιεπίσκοπος Ἀρκαδιουπόλεως Νικηφόρος.

VIII. CONSTANTINUS.

Anno 1156. Luca Chrysoberge patriarcha celebrata synodus est propter Soterichum Panteugenum Antiochiæ patriarcham designatum, qui ob errorem de sacrificio Domini damnatus fuit. Aderat *Constantinus Arcadiopolis* Archiepiscopus. Leo Allat. Vind. Syn. Ephes. pag. 585. Item alteri adfuit anno 1166. in qua Joannes Corcyrensis monachus, qui Alamannorum de Filii propter assumtam humanitatem erga Patrem subjectione sententiam hæresis taxaverat, damnatus quoque fuit. Allat. lib. 2. de cons. c. 12.



XIX. ECCLESIA SELYMBRIÆ.

SELYBRIA, Σηλυβρία, vel *Selymbria*, urbs fuit Thraciæ veteris, & provinciæ Europæ, cujus priscum & simplex nomen Σῆλυς, *Selys* erat, cui adjecta vox Βρία, *Bria*, quæ Thracibus, Strabone teste, civitatem sonabat. Ad Propontidem à Ptolemæo ponitur inter Athyræ fluminis ostia & Perinthum. Proxima Perintho est quoque Plinio. Martino denique Crusio, septem millibus Byzantos distat, in monte posita unde mare dispicitur. Eudoxiopolis ab Eudoxia Arcadii Imp. conjuge appellata. In Notitia Hieroclis prima urbium Thraciæ censetur, omisso Selybriæ prisco nomine. In ecclesiarum notitiis archiepiscopatus est.

EPISCOPI SELYMBRIÆ.

I. THEOPHILUS.

SOCRATES lib. 7. hist. cap. 36. narrat *Theophilum* Apamea ex urbe Asiæ translatum *Eudoxiopolim fuisse, quæ pridem Selybria dicebatur*: Θεόφιλος ἀπὸ Απαμείας τῆς ἐν Ασίᾳ μετῃνέχθη εἰς Εὐδοξιούπολιν, τὴν τὸ παλαιὸν Σηλυβρίαν καλουμένην. Aliis *Theosebius*, Θεοσέβειος nominatur.

II. ROMANUS.

In Chalcedonensi concilio sedit & subscripsit *Romanus episcopus Eudoxiopolis*, Ρωμανὸς ἐπίσκοπος Εὐδοξιουπόλεως. Additur in Latinis codd. *quæ & Selymbria, civitatis Thraciæ.* Unde in indice Latino Patrum hujus concilii secundus de provincia Europæ episcopus est *Romanus Eudoxiopolitanus.* Ante triennium adfuerat synodo Constantinopolitanæ, in qua Eutyches hæreticus primùm pronuntiatus fuerat, cujus damnationi subscripsit per presbyterum Basiliscum. Ρωμανὸς ἐπίσκοπος Εὐδοξιουπόλεως ὁρίσας ὑπέγραψα διὰ πρεσβυτέρου Βασιλίσκου.

III. SERGIUS.

Sexto concilio generali *Sergius episcopus civitatis Selymbriorum provinciæ Europæorum* subscripsit; Σέργιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Σηλυμβρίων πόλεως τῆς Εὐρωπαίων ἐπαρχίας. Quum pars subscriptionum hujus synodi à quibusdam Nicænæ primæ imprudentissime attributa sit, in his legitur, Σέργιος ἐλέει Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Σηλυμβρίων πόλεως τῆς Εὐρώπης Νεανῶν ἐπαρχίας, *Sergius misericordia Dei episcopus Selymbriensium civitatis Europæ Neanorum provinciæ.* Me nescire fateor quid significet illa vox Νεανῶν, *Neanorum.*

IV. GEORGIUS.

Canonibus Quinisextæ synodi subscriptus legitur, Γεώργιος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος Σηλυμβρίας τῆς Εὐρωπαίων ἐπαρχίας, *Georgius minimus episcopus Selymbriæ urbis Europæorum provinciæ.* Sed pro *Sergio*, forsan *Georgius* scriptum erit.

A V. EPIPHANIUS.

Quo tempore hæresis sacris imaginibus infensa in Oriente grassabatur, earum causam tuebatur, Suida teste, *Epiphanius episcopus Selybriæ*: Επιφάνιος ἐπίσκοπος Σηλυβρίας, ἢ Ολυβρίας, ἐξέδωκε λόγον ἀντιρρητικὸν κατ' εἰκονοκαυστῶν, λίαν ὠφέλιμον. *Epiphanius episcopus Selybriæ*, sive *Olybriæ, scriptum edidit valde utile, quo refellebat eos qui imagines cremabant.*

VI. SYMEON.

B In synodo Photiana sub Joanne Papa VIII. inter metropolitas & archiepiscopos sedisse legitur, *Symeon Selybriæ*, Συμεὼν Σηλυβρίας.

VII. * * *

Anno mundi 1067. sub Sisinnio patriarcha decretum synodicum latum est de clericorum sponsalibus dirimendis, ubi obstarent statuta nuptiarum impedimenta. Aderat *archiepiscopus Selybriæ*, καὶ ἀρχιεπίσκοπον, τοῦ Σηλυβρίας.

C VIII. * * * JOANNES.

Anno Domini 1151. Indict. XIV. Lucas Chrysoberges patriarcha septimi gradus nuptias synodico decreto sanxit, cui condendo aderat *archiepiscopus Selybriæ*, τοῦ Σελυβρίας. Quin alteri quod datum est anno 1153. ne episcoporum morientium bona auferrentur, lib. 3. Jur. Græco-Rom. pag. 218. & lib. 4. pag. 282.

Anno 1156. Luca eodem patriarcha synodus habita est propter errorem Soterichi Ponteugeni Antiochiæ patriarchæ designati.
D Sedebat, *Joannes Selybriæ*, Allat. Vind. syn. Ephes. pag. 585.

IX. THEODULUS.

Sub eodem Luca in altera synodo frequenti Alamanni Constantinopoli agentes à suspicione erroris purgati fuere, quùm Filium Patre humanitatis ergo minorem dictum esse asserent. Aderat *Theodulus Selybriæ.* Allat. de cons. lib. 2. cap. 12.

X. THOMAS.

X. THOMAS.

Circa hæc tempora *Thomas Selybriæ episcopus* forsan vixerit, cujus in canones sancti Basilii Pœnitentiales scholia laudantur à doctissimo abbate D. Nicolao Comneno Papadopoli. Prænot. Mystag. pag. 243.

XI. * * *

Selybriæ metropolitanus ex illis Græciæ præsulibus fuit, qui Michaële Palæologo Imp. ad Gregorium Papam X. scripserunt de utriusque ecclesiæ unione sancienda. In epistolæ illorum inscriptione legitur *metropolitanus Selybriæ*. Ex quo discimus, jam ea ætate Selybriam metropolis titulo auctam fuisse.

XII. HILARION.

Andronico Palæologo seniore Imp. quum patriarcha Joannes de Joanne Ephesino suæ sedi restituendo tractaret, obstabant episcopi, quorum unus patriarcham gravis criminis reum peregit; quod etsi verum esse non crederet, principi tamen deferre non dubitavit. Erat is *Hilarion Selybriæ*, εἷς δέ τις αὐτῶν ὁ Σηλυβρείας, οὗτος ἦν Ἱλαρίων. Sycophantam pœnas luere patriarcha petiit, at voti non factus compos, dignitatem abjecit. Pachym. in *Andronico*, lib. 4. cap. 27. 28.

XIII. IGNATIUS.

In Codice 19. ex iis qui ex Bibliotheca Pii Papæ II. in Vaticanam transierunt, exstat vita Constantini M. & Helenæ per *Ignatium metropolitam Selybriæ*: quem sæculo proinde decimo-quarto, vel decimo-quinto adulto sedisse oportet.

XIV. METHODIUS.

Anno mundi 6855. Christi 1347. mense Febr. Ind. xv. Joannes Calecas Constantinopolitanus patriarcha sede & communione amotus fuit, quod Palamitis minime faveret. Sententiæ quam in eum tulerunt, subscripsit *Methodius metropolita Selybriæ*, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Σηλυβρείας καὶ ὑπέρτιμος Μεθόδιος. Bibl. Cæsar. lib. 8. cod. 6.

XV. ESAIAS.

Synodo Callisti patriarchæ, quæ Barlaamum & Acyndynum damnavit, aderat *Esaias Selybriæ*: qui & subscripsit, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Σηλυβρείας καὶ ὑπέρτιμος, καὶ τὸν τόπον ἐπέχων τοῦ Κοτιαείου Ἡσαΐας, *Humilis metro-*

A *polita Selybriæ & Hypertimus, locumque tenens metropolitæ Cotiæi*, *Esaias*.

ECCLESIA SELYMBRIÆ.

XVI. * * *

Emmanuël Malaxus hist. eccles. Turco-Græc. pag. 143. ubi de Joachim, qui post captam à Turcis Constantinopolim patriarcha decimus-quartus fuit, narrat, *quemdam metropolitam*, cujus nomen silet, καὶ ἑνὸς μητροπολίτης Σηλυβρείας, qui ob improba facinora nemini non notissima, ea dignitate ornatus fuerat, apud Sultani Senatum egisse, ut Charatzium, seu tributum aliud mille du-
B catis augeretur. Quocirca à Turcis patriarchæ dictum esse; *Si acquiescis auctioni mille aureorum, quam Selybriensis fecit, resideas in throno: sin vero abibis, illique loco cedes: quia hæc Sultani sententia est & imperium.* Verum Christiana plebs, ne malus ille in patriarcham augeretur, auctionem tributi solvere maluit, atque Joachimo sua dignitas constitit.

XVII. ATHANASIUS.

Martinus Crusius lib. 4. Turco-Gr. pag. 285. synodale monitum edidit Metrophanis patriarchæ metropolitæ Nauplii, qui repe-
C tundarum accusabatur, eique subscripsit *Athanasius Selybriæ*, ὁ Σηλυβρείας Ἀθανάσιος. Hic apud eumdem Crusium nomen suum in charta Stephano Gerlachio Germano exarasse legitur, lib. 7. pag. 507. ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Σηλυβρείας Ἀθανάσιος, ὁ ὑπέρτιμος, ἔγραψε τῷ σοφῷ καὶ λογιωτάτῳ Στεφάνῳ τῷ Γερλαχίῳ τῷ ἐκκλησιαστῇ, μνήμης καὶ φιλίας χάριν, κατὰ τὸ αφοη. ἔτος ἀπὸ τῆς θεογονίας τοῦ κυρίου ἡμῶν καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἐν Σηλυβρείᾳ, τῇ ς΄ Ἰουλίου ἰνδ. ς΄. *Humilis metropolita Selybriæ Athanasius, & Hypertimus scripsit Sapienti & eruditissimo Stephano Ger-*
D *lachio concionatori, memoriæ & amicitiæ ergo anno 1578. à Nativitate Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi.*

XVIII. SOPHRONIUS.

Anno 1638. mense Sept. Ind. VIII. in Constantinopolitanâ synodo Cyrilli Berrhœensis patriarchæ, quæ adversus Cyrilli Lucaris Calvinianos errores celebrata est, sedit & subscripsit *Sophronius Selybriæ*, ὁ Σηλυβρείας Σωφρόνιος, qui nempe Athenis translatus fuerat, ὁ πρώην Ἀθηνῶν.

XIX. LEONTIUS.

Anno 1724. sedebat *Leontius Selybriæ metropolita*. ὁ Σηλυβρείας Λεόντιος.



XX.

ECCLESIA MADYTI.

TEmpore Septimæ synodi idem Madyti, qui Cœles episcopus erat, Leone vel Leonide act. 4. subscribente episcopo Madyti seu Cœles, Μαδύτου ἢ Κοίλας, ac si Madytus ac Cœle civitas eadem fuerit; quum, ut magis videtur, Cœlensis sedes Madytum translata esset. Atqui Madytum in mediterranea Chersoneso positam innuit Latina Ptolemæi versio, textu tamen Græco hac parte mutilo. Verum Xenophonti lib. 1. hist. initio, Madytus ad mare stabat, ad quam nempe Athenienses à Lacedemoniis victi navibus appulerunt, ubi castra ipsorum posita erant. Sequiori ævo Callipolis & Madytorum episcopatus etiam unus factus est in Philippi Cyprii Notitia, ὁ Καλλιπόλεως καὶ Μαδύσιων (leg. Μαδύτων.) In ea quæ Leonis Imp. nomen præfert, Madytus provinciæ quidem Europæ decima civitas episcopalis censetur; in margine vero, hanc metropoliticis honoribus esse auctam observatur; quod Nicephori Botaniatæ Imp. tempore contigit, cujus sententia Heracleensis iterum jurisdictioni reddita est, decreto lato, ut illo defuncto Madytensi præsule qui in vivis agebat, jus illud metropoliticum Heracleensi in eam revivisceret. Id quod Nicolaus Grammaticus patriarcha epist. ad Alexium Comnenum Imp. significat lib. 4. Jur. Græco-Rom. pag. 272. Cæterum subinde rursum Madytenus episcopus metropolitis annumeratus fuit.

EPISCOPI MADYTI.

I. LEONIDES.

IN Septima synodo generali sedisse Act. 11. legitur *Leo episcopus Madytorum*, Λέων ὁ ὁσιώτατος ἐπίσκοπος Μαδύτων, qui act. 4. subscripsit, Λεωνίδης ἐπίσκοπος Μαδύτου καὶ Κώλης (leg. Κοίλης) *Leonides episcopus Madyti & Cœles* Act. quoque 7. *Leonides* scribitur episcopus *Madyti sive Cœles*, Μαδύτου, ἤτοι Ηκοίλα (pro Κοίλας vel Κοίλης) Demum in subscriptionibus postremis, Λεονίδης ἀνάξιος ἐπίσκοπος Κοίλων. *Leonides indignus episcopus Cœlorum.*

II. CONSTANTINUS.

In Photiana synodo sub Joanne Papa VIII. *Constantinus Madytorum* sedit, Κωνσταντίνου Μαδυτῶν, Κωνσταντῖνος Μαδύτων.

III. EUTHYMIUS.

Michaël Psellus junior in oratione quam de Michaëlis Cerularii Patriarchæ laudibus habuit, *Euthymii Madytorum* episcopi meminit, qui non ita pridem vitæ sanctitate claruerat. ἀρχιερατεύει τις ἐν αὐτῇ (Μαδύτῳ) inquit, οὐ πόῤῥω πολὺ τῆς καθ' ἡμᾶς γενεᾶς, ἄνθρωπος μὲν τὸ φαινόμενον, ἄγγελος δὲ, ἢ θεὸς τὸ νοούμενον, θεῖος ὡς ἀληθῶς τὴν ψυχὴν ἐν παρέργῳ τῷ σώματι ζῶν, ὅλος τῷ Θεῷ ἀνακείμενος, λειτουργὸς τοῦ μεγάλου θύματος, καὶ ὄντως ἐπόπτης τοῦ μυστηρίου, τὸ ἦθος ἁπλοῦς κατὰ τὸν θαυμάσιον Ἰακὼβ, ἀγοραίου συμπάσης ἀπέχων, καὶ τελεστής, καὶ δεινότητος τὰ κρείττω κρείττονος καὶ ὑπερφυῶς ἐπιστάμενος, τὴν κλῆσιν Εὐθύμιος. *Fuerat Madyti quispiam episcopus haud procul ea qua nunc vivimus ætate, homo quidem externa specie, sin intus spectaretur, Angelus vel Deus, animo vere divinus, qui perfunctorie solum in corpore viveret, Deo totus addictus, magnæ victimæ minister, sed mysterii quoque spectator prorsus: vir simplex velut admirabilis ille Jacob, ab omni circumforensi sese actione & commercio abstrahens, divinarum rerum divine eximieque callentissimus, cui nomen Euthymio erat.* Pergit quoque: *Hic, immolata Deo anima, cœlo naturam partitur suam; ac superior portio supra naturam & sermonem assurgit, inferior vero, corpus scilicet, ipsum quoque admiratione dignum est, ut pote quod cum ratione & spiritu concors sit; undique enim unguentorum ex illo fontes eruperunt, non potabilium, inquam, Laticum, quales passim consueta naturæ vi telluris hiatus emittunt, sed unguenti limpidissimi purique, cui aliud nullum comparabile sit. .. Huic magno præsuli Euthymio divinus noster & magnus Pater ea devinctus erat animi illecebra, quæ nec verbis efferri posset.* Quæ hic postremo loco Psellus subdit, innuunt prorsus Cerularium Euthymio olim familiarem fuisse. Atqui Leo Allatius lib. de synodo Photiana pag. 526. Georgium patriarcham oratione laudasse ait *S. Euthymium Madyti episcopum.* Georgius alius non est à Gregorio Cyprio, cujus Encomium in Euthymium Madytensem habetur in cod. Reg. 3355.

IV. * * *

Nequaquam mihi omittendus est ille *Madyti metropolita*, adversus quem de jurisdictione litem habuit Heracleensis sub Nicephoro Botaniata Imp. & quo defuncto, Madytensis ecclesia Heracleensi iterum sedi subjicienda erat.

V. THEOPHANES.

Sub Georgio Xiphilino patriarcha, duodecimo labente sæculo, sedebat *Theophanes*

ECCLESIA MADYTI.

Madyti metropolita, qui synodo illius de juribus Territoriorum interfuit. Jur. Gr. Rom. pag. 283.

VI. * * *


Inter metropolitas Græcos qui sub Michaële Palæologo Imp. de unione ecclesiarum Gregorio Papæ X. scripserunt, in illorum epistolæ inscriptione legitur, *Metropolitanus Madytorum cum sua synodo.* Quod certe mirum, quando Madytensi metropoli episcopus nullus fuisse subjectus occurrit, quicum synodum ille celebraverit.

VII. ISAAC.

Lib. 6. Bib. Cæsar. cod. 6. Tomus exstat synodicus, quo Barlaam & Acyndynus Pa- A lamæ æmuli damnati fuerunt, anno mundi 6849. Indict. IX. mense Augusti, seu anno 1341. Huic subscripsit *Isaac Madytorum metropolita;* qui anno iterum 6855. Christi 1347. mense Febr. Ind. XV. subscripsit exauctorationi & excommunicationi Joannis Calecæ patriarchæ, qui Palamæ dogmati non satis faveret, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Μαδύτων καὶ ὑπέρτιμος Ισαάκ. *Humilis Madytorum metropolita & Hypertimus Isaac.*

VIII. JACOBUS.

Synodo alteri quæ Palamitarum errores Callisto patriarcha præside firmavit, subscripsit *Jacobus metropolita Madytorum,* ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Μαδύτων καὶ ὑπέρτιμος Ιάκωβος.



XXI. ECCLESIA EUCHANIÆ.

EUCHANIA, Εὐχανία, urbs haud procul Constantinopoli exstitit, quam à Joanne Tzimisce Imp. ob S. Theodorum martyrem, cujus corpus in ea quiescebat, *Theodoropolim* dictam fert Cedrenus post Scylitzem. ὃν αὐτὴ Εὐχανίας Θεοδωρούπολιν μετωνόμασεν. In Notitia tamen Leonis Sapientis Imperat. prima civitas provinciæ Europæ sub Heraclea *Theodoropolis* est, ὁ Θεοδωρουπόλεως: imo in actis Septimæ synodi Theodoropolis episcopatus una cum aliis Europæ censetur. Ex inferioris ævi synodorum gestis, & ex Notitiis aliis metropoleon apparet, *Euchaniam* metropolim quoque aliquando fuisse factam.

EPISCOPI EUCHANIÆ.

I. GREGORIUS.

IN Septima synodo sedit & subscripsit *Gregorius episcopus Theodoropolis,* Γρηγόριος ἐπίσκοπος Θεοδωρουπόλεως.

II. JOANNES I.

In synodo Photiana *Joannes Theodoropolis,* Ιωάννου Θεοδωρουπόλεως, Ιωάννης Θεοδωρουπόλεως.

III. NICOLAUS.

Synodico decreto Michaëlis Cerularii quo anathema dictum est Leonis Papæ IX. Legatis, subscripsit *Nicolaus Euchaniæ & Syncellus,* Νικόλαος Εὐχανείας καὶ Σύγκελλος.

IV. JOANNES II.

Tempore Alexii Comneni Imp. claruit B *Joannes Euchaniæ,* qui orto Constantinopoli litigio, uter e tribus ecclesiæ doctoribus, Basilio, Gregorio Nazianzeno, & Joanne Chrysostomo majore apud Deum gloria potiretur, se divinitùs edoctum palam asseruit, parem trium esse sanctitatis gradum; quos proinde tres una simul oratione laudavit: vitam quoque scripsit S. Eusebiæ martyris, cujus meminit Allatius opere *De Simeonibus.* Lib. 3. Jur. Græco-Rom. pag. 215. fertur, cum Nicolao Patriarcha III. & tribus aliis metropolitis convenisse, ut interrogationi responderent Basilii metropolitæ Philippopolis de nuptiis patrui & avunculi, fratris sororisve filiæ, cum amita & matertera, ac fratris sororisve filio, quas irritas declararunt.



XXII. ECCLESIA MEDIÆ.

PTOLEMÆUS in Thracia *Mædicam* regionem habet sub Pangæo monte Macedoniæ vicinam, Mædosque populos; imo Mædicam arcem, atque urbem Livius lib. 26. cap. 25. & 40. cap. 22. *quam Petram appellant,* inquit. At certe ab Europæ provinciæ finibus nimium distabat, ut eamdem esse urbem putem, quæ in Notitia Leonis Imp. episcopatus est Europæ sub Heraclea, ὁ Μηδείας. Hanc enim vero Cantacuzenus lib. 4. hist. cap. 10. ad Pontum Euxinum ultra Bizantium collocat. Sequiori ævo metropolis titulo donata est. Cæterum in nullis priscorum conciliorum gestis Mediæ episcopi occurrunt.

ECCLESIA MEDIÆ.

EPISCOPI MEDIÆ.

I. Euthymius.

ANno 1351. in Callisti patriarchæ synodo, quæ Barlaamum & Acyndynum inique proscripsit, sedebat *Euthymius Mediæ metropolita*, qui subscripsit, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Μηδείας ἐ ὑπέρτιμος Εὐθύμιος. Bibliot. Cæs. Tom. 6. pag. 204. Allat. de synodo Phot. pag. 327. Annon vero ipse est Mediæ antistes, contra quem & Ancyranum circa hæc tempora synodus altera celebrata est. Vide Allat. lib. 11. De consens. cap. 18.

II. Stephanus.

Quo tempore, Martino Papa V. defuncto, Eugenii IV. successoris ejus literæ ad Joannem Palæologum II. Imper. & patriarcham Josephum Constantinopoli lectæ sunt, quibus Græci invitabantur ad synodum in Italia celebrandam, *Stephanus Mediæ episcopus* contumeliæ loco habuit, quod in illis Papa *Græcos* scripserat, τότε λέγει καὶ ὁ Μηδείας κῦρις Στέφανος. κείσθω γὰρ καὶ τοῦτο, ὡς ἠδύναμαι, ὅτι ὑβρίζει ἡμᾶς. καλεῖ γὰρ ἡμᾶς Γραικοὺς, ἐ τοῦτό ἐστιν ὕβρις. Quod quum Imperatori renuntiatum esset, honorario stipendio quo quotannis donabatur, privatus fuit, seque proinde A cunctis deridendum propinavit. Syrop. hist. conc. Flor. sect. 2. cap. 39. qui cap. 2. & 4. narraverat, illum ab Imperatore cum novi patriarchæ literis in Moldoblachiam delegatum.

III. Theophanes.

Stephano utique *Theophanes* proxime successit, cujus in schedis meis lucubrationem habeo de animæ in corpus à Deo infusione, cum Gennadii Constantinopolitani, Georgii olim scholarii simili de eodem argumento tractatu, πρὸς τὸν πανιερώτατον Μηδείας κύριον Θεοφάνην. Habentur etiam in cod. Reg. 2958.

B

IV. Joachim.

Sententiæ destitutionis Joasaphi patriarchæ anno 1564. subscribebat *Joachim metropolita Mediæ*, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Μηδείας Ἰωασάφ. hist. eccl. Turco-Gr. pag. 2.

V. Daniel.

Anno 1672. Responsioni Dionysii patriarchæ super erroribus Calvinistarum subscripsit *Daniel Mediæ*, ὁ Μηδείας Δανιήλ.

Anno 1721. Mediæ sedes vacabat, ex schedis quas Venetiis accepi.

XXIII.

ECCLESIA BIZYÆ.

PLinius, lib. 4. cap. 11. ubi Perinthum ad Propontidem esse positam dixit, mox subdit. *Intus Byzia, arx regum Thraciæ, à Terei nefasto crimine invisa hirundinibus.* Ptolemæo ultima est civitatum Thraciæ mediterraneæ. Hierocli tertia est Europæ; in Notitiis ecclesiarum inter archiepiscopatus censetur. Quin sæculo quinto & sexto ejus episcopus metropolita audiebat, quamvis nullum suffraganeum agnosceret. Superius dixi episcopum *Byzæ*, seu *Byziæ*, Arcadiopolis quoque ecclesiam quandoque gessisse.

EPISCOPI BIZYÆ.

I. Euprepius.

EPiscoporum Byziæ primus occurrit *Euprepius*, qui, ut sæpe jam dixi, ad synodum Ephesinam venit, ac die prima qua Patres convenere, Contestationi subscripsit complurium episcoporum, qui interpellarunt, ut Joannis Antiocheni & Orientalium adventus exspectaretur; quæ quidem Latine exstat in collectione ex Tragœdia Irenæi Tyrii cap. 7. Post vero ad concilium accessit, cujus definitioni subscripsit, Εὐπρέπιος ἐπίσκοπος Βιζύης ὑπέγραψα ἀποφηνάμενος. Ad hæc, libello quem alibi laudavi, cum Cyrillo Cœlensi à synodo postulavit, ut curarent ne in urbibus Thraciæ quæ proprio episcopo carerent, Heracleensi metropolitæ Fritilæ liceret ullos constituere.

C

II. Lucianus.

In Chalcedonensi concilio Cyriaci metropolitæ Heracleæ locum tenebat *Lucianus episcopus Byzæ*, Λουκιανὸς Βύζης ἐπέχοντος τὸν τόπον Κυριακοῦ ἐπισκόπου Ἡρακλείας Θράκης, qui passim illius, suoque itidem nomine subscripsit. Quinimo septimo post anno Leo Augustus accepta S. Proterii Alexandrini impia nece, datis ad singulos Orientis metropolitas literis, facinus illud nuntiavit, quorum unus fuit *Lucianus metropolita Byzæ*. Ipse vero solus Imperatori rescripsit epistolam quæ exstat cum aliis ejusdem generis, hoc titulo: *Piissimo & Christianissimo domino Imperatori semper Augusto Leoni, Lucianus humilis Byzæ metropolita.* Rursum subscriptus perinde legitur synodali Decreto Gennadii

Constantinopolitani *de simoniacis*, Λουκιανὸς ἐπίσκοπος μητροπόλεως Βύζης ὑπέγραψα, *Lucianus episcopus metropolis Byzæ subscripsi.*

III. JOANNES I.

Initio epistolæ Innocentii episcopi Maroniæ Thomati presbytero data, de collatione quæ anno 533. Constantinopoli habita est cum Severianis hæreticis, conventui illi adfuisse legitur *Joannes Ursinæ civitatis episcopus.* Doctissimus vero Harduinus legendum monet, *Bizyenæ in provincia Europæ.*

IV. THEODORUS I.

In subscriptionibus Quintæ synodi generalis sub finem, legitur *Theodorus gratia Dei episcopus Byzanorum metropoleos.*

V. * * * *hæreticus.*

S. Maximo confessore in Byziæ castrum relegato, Theodosius Cæsareæ Bithyniæ eum adiit de Fide disceptaturus. Colloquio ipsorum aderat *Bizyæ episcopus*, qui sancto viro tunicam impie ademit, quam à Theodosio episcopo & Theodosio consule acceperat. S. Maximi Colloq. ex Anast. translatione Latina.

VI. GEORGIUS.

Sextæ synodo generali adfuit & subscripsit *Georgius episcopus civitatis Bizanorum Thraciæ regionis.* Γεώργιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Βιζυλωῶν πόλεως τῆς Θρᾳκῶν χώρας. Subscriptus quoque cum primariis episcopis legitur canonibus Trullanæ synodi, Γεώργιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Οὐζύης τῆς Θρᾳκῶν χώρας. Emend. Βιζύης.

VII. THEODORUS II.

Septimæ quoque synodo, *Theodorus episcopus Bizyæ*, Θεόδωρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Βιζύης.

VIII. MICHAEL.

Octavæ synodo, *Michaël misericordia Dei archiepiscopus Bizyæ*; qui proinde à S. Ignatio, vel à S. Methodio ejus decessore fuerat ordinatus.

IX. PETRUS.

Photianæ synodo, *Petrus Bizyæ*, Πέτρου Βιζύης.

X. LEO.

Alexio Comneno Imp. & Nicolao Grammatico patriarcha, anno 1082. in solenni procerum & episcoporum Imperii conventu instauratum est decretum vetus unionis de sacris imaginibus venerandis. Aderat inter A episcopos *Leo Bizyæ*, Λέοντος Βιζύης. Bibl. Coislin. pag. 104.

ECCLESIA BIZYÆ.

XI. * * *

Inter archiepiscopos qui Cosmæ Attici patriarchæ destitutioni anno 1144. subscripserunt, legitur *Archiepiscopus Bizyæ*, cujus nomen excidit, ὁ ἁπλῆς ἀρχιεπίσκοπος Βιζύης. Allat. de consens. lib. 2. cap. 12.

XII. THEODORUS III.

Luca Chrysoberge patriarcha synodus B coacta est in causa Soterichi Panteugeni, qui quum Antiochenus pontifex electus esset, ob errorem quem circa Christi sacrificium cuderat, damnatus fuit, sedente cum aliis *Theodoro Bizyæ.* Allat. Vind. Syn. Ephes. pag. 585. Eodem patriarcha præside synodico decreto cautum fuit, ne clerici episcoporum decedentium aut ecclesiarum bona auferrent, assidente quoque *archiepiscopo Bizyæ*, τοῦ Βιζύης. lib. 4. Jur. Græco-Rom. pag. 282.

XIII. JOANNES II.

C Sub Michaële Anchiali patriarcha, mense Novembri Indict. IV. anno proinde 1171. sancitum est, ne ex aliena parœcia sive Diœcesi clerici crearentur, sedebat *Joannes Bizyæ* Ἰωάννου Βιζύης. Jur. Græco-Rom. lib. 3. pag. 227.

XIV. * * *

Unioni ecclesiæ Orientalis cum Romana quæ facta est Michaële Palæologo Imp. metropolitæ Constantinopolitanæ diœcesis data ad Gregorium Papam X. epistola suffragati D sunt, in quibus *Archiepiscopus Bizyæ.*

XV. * * *

Joannes Cantacuzenus lib. 3. hist. cap. 79. patriarchæ Hierosolymorum *Lazaro*, qui Apocaucho magno duci suspectus, & male idcirco habendus, ad se confugerat, Bizyensem ecclesiam, sacrorum canonum præscripto favente, à se commendatam refert, quandoquidem urbis hujus episcopus, adventum suum veritus aufugerat. ὁ βασιλεὺς τὴν Βιζύης ἐνεχείρισεν ἐκκλησίαν, ἐπεὶ ταύτης ὁ ἀρχιερεὺς ἀπεχώρει, τὴν βασιλέως ἀποσφόμενος. E Propter hujus episcopi adversus Cantacuzenum odium, hunc esse alium reor à Neophyto.

XVI. NEOPHYTUS.

Anno 1351. in synodo quæ Callisto patriarcha præside Barlaamum & Acyndynum damnavit, sedebat *Neophytus metropolita Bizyæ*, qui subscripsit, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Βιζύης καὶ ὑπέρτιμος Νεόφυτος.

ECCLESIA BIZYÆ.

XVII. * * *

Hieremias II. patriarcha anno 1564. synodum coëgit ad abolendam apud suos Simoniam, aderat *metropolita Bizyæ*, ὁ Βιζύης. Hist. Eccl. Turco-Gr. pag. 179.

XVIII. DANIEL.

Pag. 5596. Turco-Græc. inter episcopos Græcos, qui Stephano Gerlachio Germano nomina sua in chartis exarata dederunt, legitur *Daniel Bizyæ*, ὁ Βιζύης Δανιήλ.

A

XIX. DAMASCENUS.

Ex litteris consecrationis Laurentii archiepiscopi Cassandriæ apparet *Damascenum Bizyæ*, ut & metropolitas alios manus sacras ei imposuisse cum Parthenio I. patriarcha anno 1639. τοῦ Βιζύης κυροῦ Δαμασκηνοῦ.

XX. PARTHENIUS.

Anno 1721. sedebat *Parthenius Bizyæ*, ὁ Βιζύης Παρθένιος.

XXIV.

ECCLESIA METRORUM.

IN Notitia Leonis Imp. provinciæ Europæ decimus quintus episcopatus est *Metrensis*, ὁ Μέτρων, & in ea quæ Philippi Cyprii chronico præmissa est, *Metrorum & Athyrorum*, Μέτρων καὶ Ἀθύρων, unus episcopus est, quod & recentioribus etiam monumentis fertur. Atqui *Metra* oppidum est haud procul Constantinopoli distans.

EPISCOPI METRORUM.

I. CONSTANTINUS.

IN Septima synodo inter provinciæ Europæ præsules sedit & subscripsit *Constantinus episcopus Metrorum*, Κωνσταντῖνος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Μέτρων.

II. GREGORIUS.

In Photiana synodo *Gregorius Metrorum*, Γρηγορίου Μέτρων, Γρηγόριος Μέτρων.

III. PROCOPIUS.

Sententiæ Synodicæ, qua Joasaph patri- B archa anno 1564. ad ordinem redactus fuit, subscripsit *Procopius episcopus Metrorum & Athyrorum, habens quoque suffragium Myriophytensis*, ὁ ταπεινὸς ἐπίσκοπος Μέτρων καὶ Ἀθύρων, ἔχων καὶ τὴν γνώμην τοῦ Μυριοφύτου. Hic anno 1572. adfuit synodo alteri quam Hieremias patriarcha coëgit abolendæ apud suos Simoniæ causa. Hist. eccl. Turco-Gr. lib. 11. pp. 174. & 179. Sed & anno 1579. nomen suum Stephano Gerlachio Germano in charta exaratum dedit, ὁ Μέτρων Προκόπιος. *Procopius Metrorum.* Lib. 8. Turco-Gr. p. 506.

XXV.

ECCLESIA ATHYRORUM.

ATHYRA, Ἀθύρα, Thraciæ civitas est ad mare posita, Procopio lib. 4. *de ædificiis*, quam Justinianus Imp. instauravit. Hanc ab Athyra Thraciæ fluvio, qui prope Byziam oritur, nuncupatam esse augurari licet, atque ad ejus ostia positam. De ea nihil quidem apud Geographos veteres, ut proinde sequiori ævo condita sit, aut nomine hocce recentiore vocitata. In Notitia Leonis Imp. decimus-septimus est Provinciæ Europæ episcopatus, ιζ. ὁ Ἀθύρων, quem cum Metris in unum coaluisse mox diximus.

EPISCOPI ATHYRORUM.

I. * * *

IN synodo Constantinopolitana Callisti patriarchæ, quæ Barlaamum & Acyndynum proscripsit, & Palamæ dogma sanxit, sedebat *episcopus Athyræ*, cujus nomen synodi illius C acta silent, ὁ Ἀθύρας.


II. PROCOPIUS.

Modo dixi *de Procopio episcopo Metrorum & Athyrorum*, ex hist. eccles. Turco-Gr. pag. 172.

XXVI.

ECCLESIA CHALCIDIS.

IN Europæ provincia, sive Thracia, civitas fuit *Chalcis* dicta, adeoque procul distans à Chalcidice Macedoniæ regione. De illius vero situ nihil hactenus reperi. Sæculo tamen nono à proprio episcopo administrabatur, eaque sub Heraclea metropoli censetur in Notitia Leonis Imp.



EPISCOPI CHALCIDIS.

I. Sisinnius.

IN actis Septimæ synodi inter Europæ episcopos passim censetur *Sisinnius episcopus Chalcidis*. Imo, non quidem sine librariorum errore, scribitur episcopus, Χαλκηδόνος τῆς Θρᾴκης, pro Χαλκίδος, *Chalcidis* Thraciæ.

A

II. * * *

Lib. 3. Jur. Græco-Rom. pag. 22. synodicum decretum exstat, ne clerici ex aliena diœcesi creentur, propter clericos, qui ab episcopis Derci, Præneti & Chalcidis, καὶ Χαλκίδος ordinati erant. Latum est anno 1171.

XXVII.

ECCLESIA MYRIOPHYTI.

QUinta civitas episcopalis Heracleæ metropoli hodie subjecta *Myriophytum* nuncupatur, ὁ Μυριοφύτου, quod illius nomen antiquis ignotum fuit. Hanc Curopalates ac Cedrenus cum Rhædesto & Panio anno mundi 6073. Christi 565. terræ motu obrutam ferunt. Ipsa est, nî fallor, quæ apud anonymum Ravennatem amanuensis errore *Murieliton* scribitur. Cantacuzenus lib. 3. cap. 76. Myriophytum parum à Chora oppidulo distare ait.

EPISCOPI MYRIOPHYTI.

I. * * *

COncilio Hieremiæ II. patriarchæ de abolenda Simonia, interfuit *episcopus Myriophyti*, τοῦ Μυριοφύτου. Hist. Eccl. Turco-Gr. lib. 2. pag. 170.

B

XXVIII.

ECCLESIA MONTIS GANI.

GANOS seu *Ganus*, Γάνος, vel *Gannus* Γάννος, Thraciæ mons & civitas olim Macedoniam versus ponuntur à Plinio. *Apros colonia*, inquit, *quæ à Philippis abest centum octoginta mill. pass. At in ora amnis Erginus. Oppidum fuit Gonos* (vel *Ganos.*) Provinciæ Europæ Sexta civitas est *Ganos* in Notitia Hieroclis. Sequiori ævo metropolis facta est, & in unum episcopatum coaluit cum Chora, imo etiam cum Zichne Macedoniæ; hæque adeo civitates vicinæ sunt, aut non sic procul ab invicem distant. At certe quod Macedoniam attinet, Ptolemæus *Gonnum* habet in ea regione.

EPISCOPI GANI.

I. Joseph.

GANNI metropolim gerebat *Joseph*, qui anno mundi 6855. mense Sept. Indict. xv. Christi an. 1347. cum metropolitis quibusdam aliis Annæ Imperatrici Andronici II. viduæ libellum obtulit adversus Joannem Calecam patriarcham, ceu qui Barlaamo & Acyndyno Gregorii Palamæ æmulis faveret; subscripsit scilicet, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Γάννου Ἰωσήφ. *Joseph humilis metropolita Ganni.* Lambec. Bibl. Cæsar. lib. 8. cod. 6.

II. * * *

Alter utique *Montis Gani* metropolita, ut & Ephesius, unà cum Nicephoro Gregora & Dexio à Palamitarum synodo proscripti fuere, Cantacuzeno teste lib. 4. c. 23. ὧν τὸ κεφάλαιον, ὅ τε Ἐφέσου, καὶ ὁ Γάννου μητροπολίτης, καὶ Γρηγόρας καὶ Δέξιος. διὸ τῶν μὲν ἀρχιερέων ἡ συνόδος τὴν Ἐφέσου καὶ Γάννου καθαίρεσιν κατέγνω. Id quod diserte effertur sententia Callisti patriarchæ, quæ in ea synodo pronunciata est; τὸν μὲν Ἐφέσου καὶ τὸν Γάννου τῶν ἀρχιερατικῶν συμβόλων, καὶ πάσης ἱερωσύνης ἀπογυμνοῖ, ὁδὸ καὶ τῆς ἱερᾶς συμψηφιζομένης συνόδου. *Ephesi quidem & Ganni præsules pontificalibus insigniis & omni sacerdotio exuit, sacra synodo eamdem pariter sententiam ferente.*

C

III. Gennadius.

In Florentino concilio sedit & subscripsit *Gennadius metropolita Ganni*, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Γάννου Γεννάδιος ἀρκετὸς ὑπέγραψα.

IV. Gregorius.

D

Spuriæ illius synodi quam Constantinopoli post Joannis Palæologi II. obitum in templo S. Sophiæ habitam ferunt, atque in ea ejuratam unionem cum Latinis quæ Florentiæ sancita fuerat, decretis subscriptus legitur *Gregorius Ganni*, ὁ Γάννου Γρηγόριος.

V. Pachomius.

Martinus Crusius lib. 4. Turco-Gr. epistolam edidit *Pachomii episcopi Ganni &*

ECCLESIA MONTIS GANI.

Choræ, qui à Conſtantinopolitano patriarcha ſolutionem quæſtionum trium matrimonalium poſtulabat; quin aliam quoque Theodoſio Zygomalæ datam, cui ſubſcripſit, ὁ ταπεινὸς Γάννου καὶ Χώρας Παχώμιος. Anno 1576. nomen ſuum Gerlachio in charta exaravit, ὁ Γάννου Παχώμιος. Turco-Gr. lib. 8. pp. 331. 506.

VI. PAISIUS.

Literis ordinationis Laurentii Caſſandriæ archiepiſcopi ſubſcripſit anno 1639. *Païſius Ganni & Choræ*, ὁ Γάννου καὶ Χώρας Παΐσιος.

VII. GABRIEL.

Patriarcha Conſtantinopolitanus *Gabriël* I. qui poſt ſæculi nuperi medium Parthenio Chienſi ſubrogatus fuit, *Ganni* metropolita antehac fuerat. Γαβριὴλ ὁ Γάνου, vir fuit nullius literaturæ, qui brevi poſtea, quum nuptialem benedictionem male & ineptè pronuntiaſſet, ſupremo illo throno dejici meruit.

VIII. GREGORIUS.

Anno 1721. ſedebat *Gregorius* metropolita *Gani & Choræ*, ὁ Γάνου καὶ Χώρας Γρηγόριος. Ex Demetrio Procopio opuſculo de præſentis ſæculi eruditis Græcis, anno quoque 1720. ſedebat iſte *Gregorius*, cognomento *Soteres*, Athenis oriundus, Γρηγόριος ὁ Σωτήρης Ἀθηναῖος, μητροπολίτης Γάνου καὶ Χώρας, vir linguarum Græcæ & Latinæ, necnon Italici idiomatis peritus, externa chriſtianaque Philoſophia inſtructus, ſacrarum ſcripturarum ſtudio aſſiduus, Evangelicæ prædicationi & expoſitioni præſertim incumbens.



II. PROVINCIA

II. PROVINCIA THRACIÆ.

I. ECCLESIA PHILIPPOPOLIS, METROPOLIS.

PHILIPPOPOLIM provinciæ Thraciæ caput & metropolim, Plinius lib. 4. cap. 11. *oppidum esse* ait, *quod Poneropolis antea, mox à conditore Philippopolis, nunc à situ Trimontium dictum est.* Hanc quidem Ptolemæus Trimontium fuisse vocitatam refert; quod vero subdit, eamdem hanc esse atque *Hadrianopolim,* ἢ καὶ Ἀδριανούπολις, error ipsius est; quando *Hadrianopolis* & *Philippopolis* duarum Thraciæ provinciarum metropoles diversæ fuerunt. Verum Plinii & Ptolemæi certissimis testimoniis error alter arguitur Annæ Comnenæ, quæ Philippopolim nuncupationem hanc à Philippo Imp. sortitam asseruit, quando nempe ambo illi auctores Philippi Augusti ævo superiores fuerunt. Non ab alio igitur *Philippopolis* nomen ea urbs accepit, nisi à Philippo Amyntæ filio Macedoniæ rege, magni Alexandri parente. Non tamen abnuero quod Anna rursum prodit aliud civitatis nomen fuisse *Chronidem,* etsi nullo id mihi auctore altero constet. Ruffo autem & Ammiano Marcellino lib. 27. n. 3. *Eumolpias* quoque appellata fertur. Quod ejus situm spectat, inter tres colles jacet, quod voce *Trimontium* innuitur, sed etiam juxta Hebrum amnem in meridionali latere, ac supra Bessorum vicinam regionem. De hac urbe exscribendum quod Martinus Crusius lib. 7. Turco-Gr. pag. 485. habet: *Philippopolis situ pulcherrima est, tribus montibus contermina partimque disterminata, in quorum uno vestigium palatii & tribunal Philippi saxo incisum adhuc visitur, ubi sedens dicitur exercitum contemplatus.* Celebris in primis Philippopolis fuit ab Arianorum seu Eusebianorum conventu, qui à Sardicensi concilio se submoventes, ibi substiterunt, unde epistolam ad Afros scripserunt adversus Athanasium Alexandrinum, Asclepam Gazæ & alios præsules orthodoxos, quos antehac damnaverant, ac legitima illa synodus absolverat. In appendice Notitiæ metropolium quam Andronicus Palæologus Imp. adornavit, Damianus Philippopolis se inscripsisse dicitur *Hypertimum & Exarchum totius Europæ, & Dragobintiæ,* ὑπέρτιμον καὶ ἔξαρχον πάσης Εὐρώπης καὶ Δραγοβιντίας. Atqui *Dragobintia,* Joanni Scylitzi Curopalatæ apud Ortelium præfectura Thraciæ fuit.

EPISCOPI PHILIPPOPOLIS.

I. HERMAS.

IN Synaxario Basilii Imperat. Papebrochio doctissimo ad diem 9. Maii in Actis SS. teste, die 4. Novembris, *Commemoratio est SS. Patrobæ & Hermæ, qui fuit episcopus Philippopolis.* Hermas iste, ille prorsus est, cujus meminit Paulus ad Romanos 16. v. 14. *Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam & Hermen;* nisi forte in Synaxario pro *Herma* reponendus sit Hermes. At *Herman,* vel *Hermen* Philippopolis episcopatum gessisse, fides sit penes auctorem, ementitum scilicet illum Dorotheum Tyri, ex cujus spurio discipulorum Domini Laterculo ista transumta sunt. Quod vero Papebrochius addere non dubitat, *seu Philippensium,* nullo id meliore testimonio certum est.

II. EUTYCHIUS.

Epistolæ Eusebianorum, de qua dixi, ad Afros adversus Sardicense concilium scriptæ, omnium postremus subscriptus legitur, *Euticius,* sive *Eutychius, episcopus à Philippopoli.*

III. BRISON.

Inter episcopos qui in S. Joannem Chrysostomum simultates exercuere, *Brisus,* sive *Brison* fuisse fertur Philippopolis in Thracia præsul, Socrate teste lib. 6. hist. cap. 18. Βρίσων Φιλίππων τῆς ἐν Θράκῃ.

IV. SILVANUS.

Philippopolis in Thracia ecclesiæ præfuit Silvanus Rhetor, qui in Troïli Sophistæ schola eruditus, monasticæque vitæ exercitationibus excultus, urbis hujus episcopus

factus est: sed propter asperum nimis regionis frigus, Troadem à Proclo Constantinopolitano post annos tres translatus est, ὁ γὰρ τρεῖς ἐνιαυτοὺς ἐν τῇ Θρᾴκῃ διαγαγὼν, καὶ μὴ ὑποφέρων τὸ κρύος μετηνέχθη εἰς Τρῳάδα. Hæc Nicephorus Callistus lib. 14. cap. 39. ex Socrate lib. 7. cap. 36. De hoc Silvano ejusque ad aliam sedem migratione Petrus Damianus scripsit opusculo 19. *De abdicatione episcopatus.*

V. Francion.

In Chalcedonensi concilio sedit *Francion* episcopus Philippopolis metropolis Thraciæ, subscripsitque act. 6. Φραγκίων ἐπίσκοπος τῆς μητροπόλεως Φιλιππουπόλεως, itemque act. 16. & canoni 28.

VI. Valentinus.

Leo Imp. de nece S. Proterii Alexandrini literas sacras suas misit *Valentino reverentissimo episcopo Philippopolis,* ut & reliquis Orientalis Imperii metropolitis; qui vicissim synodicam provinciæ suæ epistolam de isto flagitio Imperatori dedit.

VII. Nicolaus.

In synodo Constantinopolitana quæ ob Photii restitutionem habita est, sedisse legitur & subscripsisse *Nicolaus Philippopolis,* Νικολάου Φιλιππουπόλεως, Νικόλαος Φιλιππουπόλεως.

VIII. Basilius I.

Nicolao Grammatico patriarcha an. 1091. mense Maio die 15. Ind. XI. in synodo *Basilius Philippopolis metropolita* quæsivit, παρὰ τοῦ θεοφιλεστάτου μητροπολίτου Φιλιππουπόλεως Βασιλείου, de nuptiis patrui & avunculi cum filia fratris & sororis necnon amitæ & materteræ cum filio fratris item sororisque. Basilius dixit se impulsum esse, ut hoc quæreret tomo Sisinnii II. patriarchæ. Quocirca Junio insequente convenientibus metropolitis cum patriarcha, ejusmodi nuptias permissas non esse desinitum est. Jur. Græco-Rom. pag. 215.

IX. * * *

Inter opera Michaëlis Pselli, quæ codice Regio 1837. continentur, oratio exstat *Apologetica pro destitutione metropolitæ Philippopolis;* sed cujus nomen nusquam indicatur.

X. * * *

Anna Comnena lib. 14. Alex. pag. 432. Alexii Imp. parentis sui studium commendat in revocandis ab impietate Manichæis, qui in regione Philippopolis plurimi erant, cujus laborum socios & testes appellat *Eustratium Nicææ episcopum & Philippopolita-*

A *num,* καὶ αὐτὸς δὲ ὁ τῆς Φιλιππουπόλεως τῷ ἀρχιερατικῷ ἐγκαθιδρυμένος θρόνῳ.

XI. Michael.

Anno 1147. Conradus V. Germanorum Imp. in Orientem belli sacri causa pergens, Philippopolim cum exercitu venit, ubi positis castris, ab urbis pontifice comiter, multoque honore exceptus est, qui verborum blanditiis aliud dicendo, aliud interim sentiendo, seseque in varias instar Protei formas vertens sic eum devinxit, ut Alamannus
B princeps ex ejus ore totus penderet, convivamque illum haberet, sed & ejus gratia milites severissime plectebat, qui commeatum in castra pecunia non numerata adveherent. Ὁ γὰρ τῆς χώρας ἀρχιερεύς· ἦν δὲ οὗτος ὁ Ἰταλικὸς Μιχαὴλ ὁ καὶ λόγῳ πολὺς, καὶ σοφίας εἴπηλις μέλημα, κἀν ταῖς ὁμιλίαις τὸ ἦθος ἐπαγωγότατος, καὶ λίθος ἄντικρυς μαγνῆτις· οὗτος ὑπηγάγετο τὸν ῥῆγα, ταῖς τῶν λόγων ἐκθηλυνούσαις ἴυγξι, καὶ τῷ μέλιτι τῆς γλώττης κατεγοήτευσεν, κ. τ. ἑ. Hæc Nicetas Choniates narrat in *Manuële Comneno,* lib. 1. n. 4. Ejusdem Italici episcopi
C Philippopolis meminit Balsamon in enarratione canonis 11. Carthaginensis, ubi de clerico Compsoryme quem ille segregarat, quique misericordia indignus apud sanctissimum Muzalonem patriarcham habitus est, quippe qui ad episcopos prius non accesserat, ut per illos metropolitæ suo reconciliaretur. Hic porro sedi patriarchali statim se molestum præbuerat, episcopum proprium ad judiciariam contentionem deducendo. Compsorymes tamen, se per multos metropolitas metropolitæ sui misericordiam per-
D peram imploraſſe, nec exauditum esse quum dixisset, atque ideo magnam synodum adiisse, judicatum est nihil ab eo contra canones admissum esse.

XII. Theodorus.

Anno 1156. Luca Chrysoberge patriarcha Constantinopolitano, Soterichus Panteugenus, qui Antiochenæ sedi destinatus erat, ob errorem de Domini Salvatoris sacrificio proscriptus est, sedente cum metropolitis aliis *Theodoro Philippopolis.* Allat.
E Vind. syn. Ephes. pag. 585.

XIII. Basilius II.

In altero concilio ejusdem Patriarchæ, in quo Alamannorum qui Constantinopoli agebant, doctrina de Christi erga Patrem humanitatis assumtæ causa subjectione, recta sinceraque judicata est anno 1166. sedebat *Basilius Philippopolis,* qui in Thesauro Nicetæ Choniatæ manu exarato ad hunc modum sententiæ synodi subscriptus reperitur : ὁ

εὐτελὴς μητροπολίτης Φιλιππουπόλεως Βασίλειος ὁ Μέγιστος ὁρίσας ὑπέγραψα. *Exiguus metropolita Philippopolis Basilius Megistus* (i. e. Maximus) *definiens subscripsi.* Quamobrem apud Allatium ubi nomina recitat metropolitarum qui illi synodo adfuerunt, perperam legitur, *Philippopoleos* Epiphanius. Megisti vero meminit Balsamon in can. 76. Apostolorum, qui, quum episcopatum ex conditione dimisisset, ut suo loco œconomus ecclesiæ suæ sufficeretur, à synodo exauditus non est, sed pronuntiatum fuit, quod si res quas post electionem suam ullus episcopus ex ecclesiæ suæ redditibus acquisivit, nequaquam possit ad quos voluerit transmittere, multo minus episcopatum. In translatione Latina habetur, *urbis Philippi episcopus Maximus.* Legendum vero, *metropolita Philippopolis Megistus*, ὁ μητροπολίτης Φιλιππουπόλεως ὁ Μέγιστος. Ejusdem Balsamonis in codice Regio 2504. epistola exstat ad metropolitam Philippopolis de non legendo libro Mathematico : an vero Megisto sit data, apertum non est.

XIV. EUPHEMIANUS.

Anno 1197. à Georgio Xiphilino patriarcha die 3. Febr. Ind. XV. synodale latum decretum est *De juribus territoriorum*, considente cum aliis metropolitis *Euphemiano Philippopolis*, τοῦ Φιλιππουπόλεως Εὐφημιανοῦ. Jur. Græco-Rom. lib. 4. pag. 283.

XV. * * *

Anno 1205. Joannicius Bulgarorum rex, capta Philippopoli, quam Franci tunc occupabant, archiepiscopum sive metropolitam, Græcum prorsus non Latinum, necavit, præcipuisque civibus, partim pellem extrahi jussit, partim vitam ademit. Villharduin. hist. n. 203. Annon vero idem ipse qui Euphemianus!

XVI. * * *

Michaële Palæologo Imper. à multis suæ ditionis metropolitis scripta epistola est ad Gregorium X. Papam, de instauranda unione ecclesiæ Orientalis cum Latina, atque inter illos censetur qui *metropolis Athenarum, Philippopolis locum supplebat.*

XVII. DAMIANUS.

In Prolegomenis de provincia Thracica dixi Andronicum Palæologum Imp. in appendice ad Notitiam suam metropolium, hæc subdere de *Damiano* episcopo Philippopolis. » Notarius Constantinopolitanus metropolitæ » Philippopolis hunc solummodo titulum tri- » buit, *Hypertimo & Exarcho totius Thraciæ,* ὑπέρτιμον καὶ ἔξαρχον πάσης Θράκης μονόν. « Verum *Damianus* Philippopolis metropolita, « in suis ad nos literis se ipse inscripsit, *Hypertimum & Exarchum totius Europæ & Dragobintiæ:* « ὁ δὲ Φιλιππουπόλεως Δαμιανὸς γράψας « ἡμῖν ἔγραψεν ἑαυτὸν καὶ ἔξαρχον πάσης Εὐρώπης καὶ Δραγοβιντίας.

ECCLESIA PHILIPPOPOLIS.

XVIII. * * *

Joannes Cantacuzenus lib. 3. hist. cap. 73. metropolitæ Philippopolis nomen omisit, quem à Constantinopolitano patriarcha una cum aliis delegatum ait, ut sibi (Cantacuzeno) suaderet suis ipsius rebus consulere, καὶ ὁ τῆς Φιλιππουπόλεως. Qui Pamphilo è Thraciæ civitate Cantacuzenum de adventu suo certiorem fecerunt. Rursum cap. 88. eumdem Philippopolis antistitem & Cabasilam à se ad Annam Imperatricem missos ait, ut sibi quoque ipsa consuleret, positis simultatibus quas in Cantacuzenum exercebat.

XIX. DIONYSIUS I.

Post sæculi decimi-quinti medium, captamque à Turcis Constantinopolim Philippopolis metropolita *Dionysius* claruit, qui in Peloponneso natus & in urbe Regia à Marco Ephesi eruditus, deindeque Hadrianopolim adductus, ob præclaras dotes quibus apud suos nitebat, Philippopolis metropolita renuntiatus fuit, & à Georgio Scholario patriarcha, sive Gennadio II. ordinatus. Ad hæc Simeone patriarcha posthac exauctorato, ejus in locum in synodo ad quam ipse convenerat, suffectus fuit. Quod quidem Mariæ Sultani novercæ cura factum est, appensis in lancem argenteam ducentis millibus aureorum. Hist. Turco-Græc. lib. 1. pag. 22. item lib. 11. pag. 126. 127.

XX. ARSENIUS.

Anno 1564. Joasaph patriarcha synodi sententia exauctoratus fuit, cui subscripsit *Arsenius* metropolita Philippopolis, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Φιλιππουπόλεως Ἀρσένιος. Ibid. lib. 11. p. 172. Joasaph vero post destitutionem suam Hadrianopolim secedens, *per metropolitam Philippopolis*, Arsenium utique, magnæ ecclesiæ Rhetoribus & Notariis scripsit, se ad judicium patriarcharum Alexandriæ, Antiochiæ, & Hierosolymorum necnon archiepiscoporum Achridæ & Pecii, metropolitarumque & archiepiscoporum, qui nulla erga se invidia occupati essent, provocare, quo sibi dignitas ademta restitueretur. Αὐτόθι στέλλω τὸν ἱερώτατον μητροπολίτην Φιλιππουπόλεως, καὶ ὅσους λόγους ἀναγγελεῖ ὑμῖν γνώσετε ὅτι ἡμέτεροί εἰσιν. *Illuc mitto sacratissimum metropolitam Philippopolis, & quæcumque*

ECCLESIA PHILIPPOPOLIS.

verba nuntiaverit vobis, ea nostra esse noveritis, A lib. 4. pag. 290.

XXI. Theoleptus.

Arsenium utique excepit *Theoleptus,* sororis Metrophanis patriarchæ filius, qui ab avunculo una die diaconus, insequenti presbyter, moxque Philippopolis metropolita ordinatus fuit. Hic subinde Hieremiam patriarcham post Metrophanis obitum variis modis exagitavit, ita ut illo destituto, Pachomius patriarcha creatus fuerit, ipseque demum Pachomii locum occupavit. Quæ B Dionysius Monembasiensis in historia narrat pag. 343. Lib. 4. Turco-Græc. pag. 282. diploma exstat Metrophanis patriarchæ, quo Theodosio Zygaxalæ *Tabularii* confirmat munus, quo sub Hieremia Metrophanis decessore functus fuerat: datum vero illud est anno mundi 7088. sive Christi 1579. cui subscripsit *Theoleptus metropolita Philippopolis,* ὁ ταπεινὸς Φιλιππουπόλεως Θεόληπτος.

XXII. Gabriel I.

Synodo quam Parthenius I. patriarcha Jasii C in Moldoblachia anno 1642. habuit, ad proscribenda Calviniana Cyrilli Lucaris nuperi patriarchæ placita, adfuit subscripsitque *Gabriel Philippopolis,* ὁ Φιλιππουπόλεως Γαβριήλ. Ante sex annos, hoc est anno 1636. unus fuerat consecratorum Laurentii Cassandriæ episcopi una cum eodem patriarcha Parthenio, uti fertur in ejusdem Laurentii ordinationis literis, quas doctissimi nostri Goari manu exaratas habeo.

XXIII. Gabriel II.

Anno 1672. *Gabriel* alter, ut videtur, Philippopolis metropolita sedebat: Dionysii siquidem patriarchæ Responsioni super Calvinianis errroribus, illo anno subscriptus legitur, ὁ Φιλιππουπόλεως Γαβριήλ, *Gabriel Philippopolis.* Atqui *Gabriel Philippopolis* anno 1663. Constantinopoli fuerat designatus, qui Nectarium Hierosolymorum patriarcham ordinaret, quum auctor ipse fuisset, ut ad eam sedem ille promoveretur.

XXIV. Dionysius II. Expatriarcha.

Anno 1673. *Dionysius Myselimes,* qui Parthenio III. patriarchatum eripuit, Byzantina ejici sede meruit, cui subinde concessserunt ut Philippopolis ecclesiæ præesset, cujus redditibus aleretur. Post vero anno 1678. extruso Parthenio in Byzantinum ipse denuo thronum irrepsit, Philippopolitano relicto. *Ricault Anglus de statu præsenti eccl. Græcæ.*

XXV. Dionysius III.

Philippopolis postea sedem tenuit *Dionysius* alter, qui deinde destitutus fuit synodi sententia, cujus mentio fit in Diplomate nescio cujus Byzantini patriarchæ, quod illustrissimus Hierosolymorum patriarcha Chrysanthus suo inseruit libro *De Officiis ecclesiæ,* τῆς ἁγιωτάτης μητροπόλεως Φιλιππουπόλεως γνησίου δίχα ἀρχιερέως μεινάσης, ὡς τοῦ ἐν αὐτῇ ἀρχιερατεύσαντος Διονυσίου, τελείᾳ καθαιρέσει καθυποβληθέντος.

XXVI. Neophytus.

Alexander Helladius juvenis Græcus, libro quem Lipsiæ anno 1714. Latine edidit *De præsenti statu ecclesiæ Græcæ,* bis meminit *Neophyti* nostra ætate Philippopolis metropolitæ, cujus nonnullas epistolas apud se servari ait p. 327. huncque in Angliam profectum, orationem Oxonii in Theatro Sheldoniano habuisse. Is nimirum ille ipse est Philippopolis Metropolita, qui anno 1701. Lutetiam quoque venit Christianissimi Regis Ludo- D vici XIV. videndi salutandique causa, à quo humanissime acceptus auditusque fuit, quum Italica ad eum usus dialecto esset, quam Rex apprime callebat.

XXVII. Theocletus.

Sedebat hisce postremis annis, ut à multis accepi, *Theocletus Philippopolis,* ὁ Φιλιππουπόλεως Θεόκλητος.

II. ECCLESIA DIOCLETIANOPOLIS.

In Notitia Hieroclis, & aliis Ecclesiasticis, *Diocletianopolis* provinciæ Thraciæ civitas est, quam Procopius lib. 4. de ædif. à Justiniano Imp. translatam narrat in vicinam insulam quam stagnum undique alluebat. In Antonini Itinerario illius quoque mentio fit; quod argumento est, Itinerarium illud dudum post Antonini Pii Aug. tempora auctum fuisse, quando extra dubium est, urbem hanc nonnisi à Diocletiano Imp. id nominis sortitam esse.

ECCLESIA DIOCLETIANOPOLIS.

EPISCOPI DIOCLETIANOPOLIS.

I. CYRIACUS.

EPistolæ synodi Orientalium quam Joanni Antiocheno scripserunt & aliis episcopis, quos in urbem regiam adversus legitimum concilium Ephesinum delegaverant, quæque exstat cap. 28. Collect. ex Tragœdia Irenæi, statim post Fritilam Heracleæ metropolitam subscriptus sequitur *Cyriacus episcopus Diocletianopolis*, utique Thraciæ; quando inter Patres œcumenicæ synodi interim sederet *Constantius*, vel *Constantinus Diocletianopolis Dardaniæ*.

II. EPICTETUS.

A Concilio Chalcedonensi adfuit & subscripsit *Epictetus episcopus Diocletianopolis*, Ἐπίκτητος ἐπίσκοπος Διοκλετιανουπόλεως, qui post annos septem epistolæ synodicæ Valentini metropolitæ Philippopolis ad Leonem Imp. perinde subscripsit.

III. ELIAS.

Quintæ synodo generali adfuit quoque & subscripsit *Elias misericordia Dei episcopus Diocletianopolis*; an vero Thraciæ discertè non indicatur.

III. ## ECCLESIA DIOSPOLIS.

DIOSPOLIS Thraciæ episcopatus est in Notitiis ecclesiarum, quam nulli veteres indicant Hierocle superiores, quæ quinta ejusdem provinciæ civitas est.

EPISCOPI DIOSPOLIS.

I. ALEXANDER.

NOn aliunde nobis innotescit *Alexander Diospolis* in Thracia episcopus, quam à vita impurissima propter quam sacerdotali dignitate privari, aliisque pœnis plecti meruit. Theophanes scilicet ad annum Justiniani secundum, *Esaias Rhodi*, inquit, *& Alexander Diospolis Thraciæ*, καὶ Ἀλέξανδρος ἐπίσκοπος Διοσπόλεως τῆς Θράκης, B *apprehensi ob scelus Sodomiticum, resecta virili caule, per urbem ignominiose traducti sunt, atque exauctorati quum essent, dignis suppliciis plexi sunt, præcone vociferante*, ἐπίσκοποι ὄντες τὸ τίμιον σχῆμα μὴ ἐνυβρίζετε, *ô vos qui episcopi estis, venerandum habitum ne conspurcetis.*

IV. ## ECCLESIA DELCÛS.

DELCUM, aut *Delcos*, Thraciæ urbem apud veteres frustra quæsivi: in Notitiis vero ecclesiasticis archiepiscopatus est, ὁ Δέλκων, *Delcorum*. In una veteri hoc subnotatur, ὁ Δέλκων, ἀπὸ τῆς παρακειμένης λίμνης τῆς Δέλκου. οὕτω γὰρ αὐτὴν ὁ Διογενιανὸς κατονομάζει, Δέλκην (imo Δέρκην vel Δέρκον.) ἀμαθῶς οὖν τὴν ἀρχιεπισκοπὴν φασὶ Δέρκους, τὸ ῥ, ἀντὶ τοῦ λ΄ παραλαμβάνοντες. *Archiepiscopus Delcorum; quæ urbs sic appellatur ab adjacente stagno Delce; sic enim eam nominat Diogenianus. Inscitè ergo archiepiscopatum Dercus dicunt, r pro l. assumentes.* Nihilominus usus invaluit ut *Derci*, vel *Dercus* diceretur. Atqui urbs ista ad fluvium vel stagnum Dercen Thraciæ posita omnino fuit, de quo Athenæus & Hesychius. Huic vero ecclesiæ Neochoriensis hodie juncta est, metropoliticisque titulis aucta.

EPISCOPI DELCÛS.

I. GREGORIUS.

IN Septima synodo generali sedit & subscripsit *Gregorius episcopus Dercorum*. Γρηγόριος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Δέρκων. Sic passim ῥ. pro λ.

II. MACARIUS.

III. NEOPHYTUS.

In synodo Photiana inter metropolitas & archiepiscopos sedisse & subscripsisse leguntur, *Neophytus Derces & Dercorum & Macarius Dercorum*. Νεοφύτου Δέρκης, Νεόφυτος Δέρκων. Μακαρίου Δέρκων, Μακάριος Δέρκων. C Quorum utique prior à Photio ordinatus erat, alter à S. Ignatio legitimo nuper patriarcha.

IV. JOANNES I.

Inter metropolitas & archiepiscopos, qui anno 997. cum Sisinnio patriarcha decretum condiderunt, ne nuptiæ duorum fratrum cum consobrinis duabus, patruique & avunculi cum duabus sororibus, necnon materteræ cum duobus fratribus inirentur, sedebat *Joannes episcopus Derci*. Ἰωάννου Δέρκου, lib. 3. Jur. Græco-Rom. pag. 197.

ECCLESIA DELCUS.

V. JOANNES II.

A Anno 1166. in frequenti synodo, Luca Chrysoberge patriarcha præside, actum est de Domini verbis *Pater major me est,* quæ Alamanni qui Constantinopoli agebant, dicta esse contenderent propter humanitatem assumtam. Aderat *Joannes Derci archiepiscopus.* Allat. lib. 2. de cons. cap. 12.

VI. * * *

Lib. 3. Juris Græco-Rom. p. 228. Decretum exstat anno 1171. die 13. Januarii latum, ne Clerici ex aliena diœcesi creentur, quod latum est propter clericos qui ab episcopo Dercûs, παρὰ τοῦ θεοφιλεστάτου ἐπισκόπου τοῦ Δέρκου, quin etiam Præneti & Chalcidis ordinati erant.

VII. GREGORIUS.

Georgius Xiphilinus patriarcha anno 1207. decretum synodicum dedit *De legibus territoriorum,* considente *Gregorio Dercûs,* καὶ τοῦ Δέρκου Γρηγορίου. Ibid. lib. 4. pag. 283.

VIII. * * *

Inter episcopos qui synodo interfuerunt Athanasii I. Patriarchæ, in qua Joannes Drymys Ecclesiæ & majestati Regiæ perduellis proscriptus fuit, legitur *archiepiscopus Derci,* καὶ ἀρχιεπισκόπου Δέρκου. Cod. Reg. epistola-B rum Athanasii.

IX. NICODEMUS.

Sedebat anno 1721. *Nicodemus Derci & Neochorii,* ὁ Δέρκων καὶ Νεοχωρίου Νικόδημος.

V.

ECCLESIA BEROES.

Præter Berrhœam Syriæ necnon Berrhœam Macedoniæ, *Berrhœa* vel potius *Beroë* civitas fuit in Thracia, Mæsiam vel Mysiam versus posita. Beroën dicit Constantinus Porphyrogennetus Part. 2. de Themat. *in Præfectura Thraciæ seu Europæ. Præfectura Thraciæ,* inquit, *sub consulari, urbes quinque, Clima Mysticon, Acontisma, ubi Philippopolis, Beroë,* Βερόη, *insula Thasus.* In Macedoniæ vero Præfectura, Berrhœam ponit Βέῤῥοια. Utramque distinguit Anonymus Ravennas, ut & tabulæ Peutingerianæ, in quibus *Thracica Bereni* scribitur, pro *Beroë:* imo Itinerarium quoque Antonini. Apud Hieroclem scriptum est Βέρον, *Beron,* pro Βερόη. In Notitiis ecclesiasticis archiepiscopatus est in provincia Thraciæ, ἐπαρχία Θράκης, ὁ Βερόης. Jornandi Philippopolim inter & Nicopolim Beroë Thraciæ posita fuit; quæ subinde ab Irene Augusta instaurata quum esset, *Irenopolis,* Cedreno teste, nuncupata fuit.

EPISCOPI BEROES.

I. CARPUS.

Ex Menæis Græcorum die 26. Maii *Carpus* Apostoli Pauli discipulus, cujus mentio est 2. ad Timoth. 4. v. 13. *à magno tamdem doctore & prædicatore veritatis, episcopus Berrhœæ Thraciæ constitutus est,* ὕστερον ὑπὸ τοῦ μεγάλου διδασκάλου καὶ κήρυκος τῆς ἀληθείας ἐπίσκοπος τῆς ἐν Θράκῃ Βεῤῥοίας προεχειρίσθη. *Unde Judæos revincens, docensque Christum quem cruci affixerunt, verum esse Deum & universorum conditorem, ira perciti, ipsum crudeliter & immisericorditer transfixerunt. Quotidie ad ejus sacras reliquias omnis generis infirmitates sanantur, & immundi spiritus abiguntur,* καθ' ἑκάστην ἐν τοῖς αὐτοῦ λειψάνοις πάθη παντοῖα καθαίρεται, καὶ ἀκάθαρτα πνεύματα ἀποδιώκονται.

II. DEMOPHILUS *hæreticus.*

Berœæ vel Beroës Thraciæ episcopus erat *Demophilus* insignis ille Arianus, quem Philostorgius lib. 5. cap. 14. *Thessalonica oriundum nec ignobili genere* scripsit. πατρὶς δὲ ἦν ἡ Θεσσαλονίκη τῷ Δημοφίλῳ, καὶ τὸ ἄλλο γένος οὐκ ἄσημον, quamvis Nicephorus lib. 9. c. 9. in ipsa urbe Beroë natum dicat. Ipse vero mihi omnino est, qui in subscriptionibus Eu-C sebianorum conventus Philippopolitani, quo se Sardica receperant, legitur *Demofilus episcopus abco..* pro *à Beroë.* A Beroë, inquam, Thraciæ Theodoreto lib. 2. cap. 13. & 14. & Sozomeno lib. 4. c. 12. testibus; in quam Liberium Papam à Constantio Augusto relegatum tradunt, quum episcopus ejus esset Demophilus, à quo deceptus ille fuit, ut Arianorum confessionem admitteret. Id quod scripta ad Orientales epistola hisce verbis significavit: *Nam ut sciatis me veræ Fidei per hanc epistolam ea loqui, quæ Dominus & frater meus communis Demofilus, qui dignatus* D *est pro sua benevolentia Fidem vestram & catholicam exponere, quæ apud Sirmium à pluribus fratribus nostris tractata, & suscepta est ab omnibus qui in præsenti fuerunt; hanc ergo libenti animo suscipite.* Hinc illæ lacrymæ, illa, inquam, anathemata quæ Liberio Hilarius dixit. Demophilus Constantinopolitano rursum suorum Arianorum conventui statim post Seleuciensem synodum interfuit. Hunc alibi Philostorgius à Theodoro seu Dorotheo potiùs Heracleensi, Valentis Augusti nutu, ad Byzantinam sedem translatum

prodit: καὶ μετάγεται Δημόφιλος ἀπὸ Βεῤῥοίας A ἐν Κωνσταντινουπόλει. De qua translatione Socrates lib. 4. cap. 13. Sozom. lib. 6. cap. 13. & lib. 7. cap. 5.

III. Eunomius.

Beroës Thraciæ episcopus fuit *Eunomius* Apollinaris hæretici assectator, cujus epistolæ ad Zosimum moderatorem fragmentum reperi in Panoplia Anonymi, qui a quibusdam Anastasius dicitur, in quo unam in Christo voluntatem asserebat, contra Ægyptiorum, Cappadocum & Romanorum doctrinam, hoc est Athanasii & Petri Alexandri- B norum, Basilii, Gregorii utriusque Theologi & Nysseni, atque Damasi Papæ doctrinam, imo naturam unicam Domino affingebat. οὐ γέγονε διφυὴς ἡ θέλησις τοῦ σαρκωθέντος Λόγου, κατὰ τὴν τῶν Αἰγυπτίων, καὶ Καππαδοκῶν, καὶ Ῥωμαίων παντωνυμίαν, ἀλλὰ σύνθετος. οὐ γὰρ ποσότητι φύσεων ἐπιμυξήθη σαρκωθεὶς, ἀλλ' ἐξ ἁπλοῦ γέγονε σύνθετος, τῆς οἰκείας φυσικῆς κατ' οὐδένα τρόπον μονάδος (deest aliquid, forte ἐκστάσης) ἐκστάσῃ δὲ ταύτης οὐκ ὑπέμεινεν ἔκστασιν μίαν. αὐτοῦ δὴ σαφῶς ὡς ἑνὸς τήν τε φύσιν καὶ θέλησιν, καὶ ἐνέργειαν μεγάλῃ κηρύττομεν φωνῇ.

IV. Sebastianus.

In concilio Chalcedonensi sedit & subscripsit *Sebastianus episcopus Berrhææ*, Σεβαστιανὸς ἐπίσκοπος Βεῤῥοίας, ac quidem Thraciæ, quandoquidem in indice Latino Patrum sanctissimi hujus concilii inter episcopos secundæ Thraciæ sub Philippopolis metropolita censetur, *Sebastianus Berois*, pro *Beroës*. Ejusdem Sebastiani Beroës epistola seorsim exstat a synodicis metropolitarum de nece S. Proterii Alexandrini ad Leonem Imper. Quod plane indicat, Sebastianum hunc magni tunc temporis nominis antistitem fuisse.



VI. # ECCLESIA LITITZÆ.

IN Notitia Leonis Imper. episcopalis civitas est provinciæ Thraciæ *Lititza*, ὁ Λιτίτζης (male editum Λιοτίτζης) quæ posthac metropolis facta est, ut aliæ complures, sed absque suffraganeis; sicque censetur Cedreno, etsi hodie simplex archiepiscopatus est.

EPISCOPI LITITZÆ.

I. * * *

IN synodo Callisti patriarchæ quæ Acyndynum & Barlaamum Palamitarum impugnatores damnavit, sedisse legitur *Metropolita Lititzæ*, cujus nomen non comparet. ὁ Λιτίτζης μητροπολίτης βεβαίων ὑπέγραψα, quemadmodum habetur in cod. Cæsareo 266. C lib. 5. Bibliothecæ Vindobonensis.

II. Methodius.

Anno 1721. sedebat *Methodius Lititzæ*, ὁ Λιτίτζης Μεθόδιος.



VII. # ECCLESIA JOANNITZÆ.

JOANNITZA in Notitia Leonis Imp. septimus episcopatus est sub Philippopoli: ζ'. ὁ Ἰωαννίτζων. Quæ proinde non eadem civitas fuit ac *Preslaba* Bulgarorum Regia, quam Joannes Zimisces Imp. illis posthac eripuit, deque suo nomine *Joannopolim* appellavit.

EPISCOPI JOANNITZÆ.

I. Joanneses.

IN synodo quæ ob Photii in Constantinopolitanam sedem restitutionem habita est; sedisse legitur *Joanneses Joannitzæ*, Ἰωαννέσης Ἰωαννίτζων.



VIII. # ECCLESIA LEUCÆ

PRovinciæ Thraciæ sub Philippopolitano metropolita episcopatus est *Leuca*, vel *Leuce*; in Notitia Leonis Imp. δ'. ὁ Λεύκης. Anonymus Ravennas inter civitates Constantinopolis & Heracleæ vicinas habet *Leucam*, sed quæ Philippopoli magis abesse videtur, ut in Europa potius quam in provincia Thraciæ exstitisse videatur.

EPISCOPI LEUCÆ.

I. Symeon.

INter episcopos qui synodo Photii sub Joanne Papa VIII. adfuerunt, legitur *Symeon Leucæ*, Συμεὼν Λεύκης.

IX. ECCLESIA NICOPOLIS.

PTOLEMÆO in Thracia civitas *Nicopolis* fuit circa montem Hæmum, Νικοπόλεως περὶ Αἷμον, quæ in veteri Notitia archiepiscopatus est provinciæ Thraciæ: ἐπαρχίας Θρᾴκης, ὁ Νικοπόλεως ν'. Ipsa procul dubio est *Nica*, vel *Nice*, quæ perinde archiepiscopatus decimus-tertius est in Notitia Leonis Imp. ιγ'. ὁ Νίκης. Nunc vero, Dositheo Hierosolymitano teste, *Neurocopus* dicitur, hodiernæque Macedoniæ censetur. Sed & ipsa proinde est *Nice*, sive *Nicæa* Thraciæ, in quam Ariani, ut S. Hilarius fert in fragmentis, aliquando concilium celebraturi convenerunt Fidei confessionis sanciendæ causa, quam pro vera & prisca quæ Nicææ in Bithynia edita erat, fidelibus propinarent. *Mansionem Nicææ* dicit Hilarius, *quæ antehac Ustodizo* vocabatur; cui concinit Itinerarium Antonini.

EPISCOPI NICOPOLIS.

I. POLYCARPUS.

SOCRATES, lib. 7. hist. cap. 3. & ex eo Nicephorus Callistus lib. 14. cap. 39. Polycarpum ex Sexantapristis Mysiæ urbe, Nicopolim Thraciæ translatum produnt. Πολύκαρπος ἀπὸ Σεξανταπρίστων τῆς Μυσίας εἰς τὴν Νικόπολιν Θρᾴκης μεταχωρεῖ.

A

II. JOANNES.

In Septima synodo sedit & subscripsit *Joannes episcopus Nicææ Thraciæ*, Ἰωάννης ἀνάξιος ἐπίσκοπος Νικαίας τῆς Θρᾴκης.

III. NICOLAUS I. *Sabbas.*

In Photiana synodo sedisse leguntur *Nicolaus Nicopolis*, Νικολάου Νικοπόλεως, & *Sabbas Nicopolis*, Σαββᾶ Νικοπόλεως. Qui certe, vel alter saltem illorum, Nicopoli Thraciæ assignandi sunt.

IV. NICOLAUS II.

Sententiæ destitutionis Cosmæ Attici patriarchæ subscripsit *Nicolaus episcopus ecclesiæ Nicopolitanæ*, ac quidem Archiepiscopus. ὁ εὐτελὴς ἐπίσκοπος τῆς τῶν Νικοπολιτῶν Νικόλαος. Allat. De conf. lib. 2. cap. 12.

V. BASILIUS.

Luca Chrysoberge Patriarcha, Soterichus Panteugenus qui Antiochiæ patriarcha designatus erat, ob assertum errorem de sacrificio Domini, ad ordinem redigi meruit in synodo cui cum metropolitis & archiepiscopis interfuit *Basilius Nicopolis*, adeoque Thraciæ. Allat. Vind. syn. Ephes. pag. 585.

X. ECCLESIA GARELLÆ.

GARELLA, vel *Gariella*, aut *Garielus*, Thraciæ civitas fuit, nec procul Apro distans, Joanne Cantacuzeno teste lib. 1. hist. capp. 24. 27. & 30. In Notitiis Ecclesiasticis archiepiscopatus est, imo metropolis erat sæculo decimo-quarto.

EPISCOPI GARELLÆ.

I. SISINNIUS.

IN Septima synodo sedit & subscripsit *Sisinnius episcopus Garieli, Garielensium, Gariela*, Σισίννιος ὁ ὁσιώτατος ἐπίσκοπος Γαριέλου. Sic act. 1. Rursum act. 4. & 7. ἐπίσκοπος Γαριέλων, Γαριέλης.

B

II. BASILIUS.

In synodo Photiana, *Basilius Garellæ*, Βασιλείου Γαρέλλης. Βασίλειος Γαρέλλης.

III. ***

Sub Joanne Xiphilino patriarcha condendis decretis de clericorum sponsalibus anno 6574. 26. April. Ind. IV. seu Christi anno 1066. aderat archiepiscopus Garellæ, τοῦ Γαρέλλης. Jur. Gr. Rom. l. 3. p. 211. & seqq.

IV. ***

Joanne Comneno Imp. episcopi Sasimorum & Barbalissi exauctorati fuere, in synodo considente *Garellorum* episcopo, τοῦ Γαρέλλων; Sic enim legendum non Γαρέων, ut apud Allatium lib. 2. De conf. cap. 12.

V. ***

Isaacius Angelus Comnenus Imp. legem dedit, ut episcopi omnes quos in urbe agere contingeret, ad episcoporum electiones vocarentur. Aderat *archiepiscopus Garelli*, ὁ Γαρέλλου. Jur. Græco-Rom. lib. 2. pag. 175.

VI. ***

Michaële Palæologo Imp. Græcæ ecclesiæ metropolitæ & archiepiscopi Gregorio Papæ X. epistolam de unione ecclesiarum instauranda dederunt, in cujus inscriptione legitur *archiepiscopus Gatilleris*, amanuensis utique errore pro *Garellis*, vel *Garelles*, *Garellæ*: nam Gregorius initio epistolæ quâ illis respondebat, archiepiscopos *Cypsellarum*, *Garellæ*, *Derci*, *&c.* memoravit.

VII. JOANNICIUS.

Anno mundi 6859. mense Aug. Ind. IV. seu Christi 1351. synodus Constantinopoli habita est contra Barlaamum & Acyndynum Palamitarum hostes, in qua *Joannicius Garellæ metropolita* sedit & subscripsit, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Γαρέλλης καὶ ὑπέρτιμος Ἰωαννίκιος.

III. PROVINCIA

III. PROVINCIA HÆMIMONTI.

I. ECCLESIA HADRIANOPOLIS, METROPOLIS.

JOANNES MALELAS parte II. Chronici, *in Theodosio seniore* pag. 39. scribit provinciam Hæmimonti secto Ponto, institutam esse ab eodem Imperatore. ὁ αὐτὸς δὲ Βασιλεὺς καὶ τὸν Πόντον μερίσας, ἐποίησεν ἐπαρχίαν, ἣν τινα ἐκάλεσεν Εμίμοντον, sive Αἰμίμοντον; quia nempe Hæmo monte finiebatur. Hujus provinciæ caput fuit *Hadrianopolis*, quæ pridem Ammiano Marcellino teste, *Uscudama* vocabatur; imo olim *Orestias* ab Oreste Agamemnonis & Clytemnestræ filio. Hadrianopolis vero nomen habuit ab instauratore suo Hadriano Augusto. Ad Hebrum amnem eam exstare omnes norunt, qui hodie *Maritza* Turcis vocatur. *Adrianopolis,* ait Crusius Turco-Gr. pag. 336. *præmagna urbs est, minime munita, vilibus ædificiis, plena negotiationis, præsertim Judæorum. Extra eam fluvius satis magnus & piscosus est, Maritza nomine, olim Hebrus. Eam urbem Amurates primus sedem regni constituit anno 1363. Episcopatus habet* Ἀγαθόπολιν, Σωζόπολιν, Τραβιζύλην, *Agathopolim, Sozopolim, Trabizyam.* Hodie sola illi superest Agathopolis, ex recentioribus Notitiis.

EPISCOPI HADRIANOPOLIS.

I. EUTROPIUS.

A HADRIANOPOLIS sæculo quarto adulto episcopus erat *Eutropius,* vir optimus, omnique virtute ornatus, inquit Athanasius epist. ad solitar. quem Ariani sua urbe ideo ejecerant, quod Eusebium Nicomediensem, sive Constantinopolitanum redarguerat, & iis qui apud se transirent suggereret, ne sermonibus illius fidem haberent; quum insuper Basilina Augusta infesto eum odio persequeretur.
B Athanasii de Eutropio locus Græcè sic habet. καὶ γὰρ Εὐτρόπιος ὁ ἐν Ἀδριανουπόλει γνώριμος ἐπίσκοπος ἀνὴρ ἀγαθὸς, καὶ ἐν πᾶσι τέλειος, ἐπειδὴ πολλάκις τὸν Εὐσέβιον ἤλεγξε, τοῖς τε διοδεύουσι συνεβούλευε μὴ πείθεσθαι τοῖς ἀσεβέσιν Εὐσεβίου ῥήμασι, τὰ αὐτὰ τῷ Εὐσταθίῳ πάσχει, καὶ τῆς πόλεως, καὶ τῆς ἐκκλησίας ἐκβάλλεται. Βασιλίνα γὰρ ἦν πάνυ κατ' αὐτοῦ σπουδάζουσα. Sedebat itaque Eutropius tempore Constantini Magni necnon Constantii ejus filii. Illi
C Eustathius Antiochenus tractatum, ut viris apprime doctis videtur, nuncupavit de *Pythonissa muliere*, in cujus principio Eutropium commendat à divinæ conversationis studio, rectæ Fidei professione, & insignis pietatis quæ præbuerat argumentis. Ἀεὶ μὲν ἄγαμαι τὸν ἀξιοφανῆ τῆς ἐνθέου πολιτείας σου ζῆλον, ὦ διαπρεπέστατε τῆς ὀρθοδοξίας ἱεροκήρυξ, Εὐτρόπιε; τόδε τῆς εὐσεβείας σου γνώρισμα πολλαχῶς ἐκπληττόμενος, οὐχ ἥκιστα καὶ περὶ τόδε μάλιστα τεθαύμακα τὸ μέρος. Mox testatur se ab Eutropio invitatum, ut de *Engastrimytho* sive *Pythonissa*, cujus lib. 1. Regum historia fertur, sententiam promeret suam.

Doctissimus Tillemontius, quum Eutropium sua sede ab Eusebianis ejectum constet, ejus in locum aliquem Arianicæ factionis intrusum ab illis fuisse auguratur, qui Lucium, de quo mox dicendum, præcesserit.

II. LUCIUS.

Eutropio successit *Lucius*, vir quoque catholicus, qui ab Arianis perinde pulsus, Julii Papæ opem imploravit, à quo celebrata Romæ synodo restitutus fuit. Cujus sententiæ quum Eusebiani obsisterent, causa iterum in Sardicensi concilio judicata est. Illi vero Philippopolim secedentes adversus eum iterum conclamarunt, epistola ad Africanos sive Donatistas scripta, in qua aiebant, *Lucium post reditum suum sacrificium à sanctis & integris sacerdotibus confectum, si fas est dicere, canibus projiciendum jussisse.* Enimvero Athanasius ipse epistola ad Constantinum testatur, Lucium Eutropii successorem confectam ab Arianis Eucharistiam rejecisse. Epistola autem ad solitarios narrat eum, quia impietatem ipsorum magna fiducia revincebat, catenis ferreis sæpe constrictum in exsilio

ECCLESIA HADRIANOPOLIS.

mortem obiisse, καὶ τὸν μετ' αὐτὸν Λούκιον, τὸν πολλάκις παρ' αὐτῶν καὶ ἁλύσεις φορέσαντα, καὶ οὕτως ἀποθανόντα. In subscriptionibus epistolæ synodi Sardicensis legitur, *Lucius ex Thracia de Cerinopoli* pro *de Hadrianopoli.* Ejus memoria quotannis fit in Martyrologio Romano die 11. Februarii: *Hadrianopoli sanctorum martyrum Lucii episcopi & sociorum ejus, qui sub Constantio ab Arianis multa perpessus, in vinculis martyrium consummavit. Cæteri vero nobiliores civium, quum Arianos in concilio Sardicensi damnatos recipere noluissent, à Philagrio Comite capitalem sententiam receperunt.*

III. Philippus I.

Lucio utique suffectus est *Philippus*, cujus sociorumque ejus sub Juliano Apostata martyrii memoria fit in Martyrologio Romano die 22. Octobris: *Hadrianopoli in Thracia natalis sanctorum martyrum Philippi episcopi, Severi presbyteri, Eusebii & Hermetis, qui sub Juliano Apostata post carceres & flagella incendio cremati sunt.*

IV. Ammon.

Anno 394. in synodo quæ Constantinopoli habita fertur in causa Bagadii & Agapii qui de Bostrensi episcopatu mutuo contendebant, sedebat *Ammon Hadrianopolis*, Ἀμμώνος Ἀδριανουπόλεως. Hic proinde est Ammon ille Ægyptius, quem Palladius Dialogo de vita S. Chrysostomi metropolitam dicit Thraciæ & eidem Joanni addictissimum, καὶ ἀπὸ Θράκης Ἀμμώνος τοῦ Αἰγυπτίου, καὶ ἀπὸ Γαλατίας Λεαβιανοῦ, πάντων μητροπολιτῶν.

V. Gregorius.

In Chalcedonensi concilio sedit & subscripsit *Gregorius episcopus Hadrianopolis*, Γρηγόριος ἐπίσκοπος Ἀδριανουπόλεως. Cui post septennium Leo Imp. literas sacras misit de nece S. Proterii Alexandrini, *Gregorio reverentissimo episcopo Hadrianopolis.* Sed ejus synodica responsoria abest in collectione Epiphanii Scholastici. Subscriptus etiam reperitur decreto synodico Gennadii Constantinopolitani de Simoniacis; Γρηγόριος ἐπίσκοπος μητροπόλεως Ἀδριανουπόλεως, *Gregorius episcopus metropolis Hadrianopolis.*

VI. Joannes.

Quintæ synodo generali adfuit & subscripsit *Joannes misericordia Dei episcopus Hadrianopoleos metropolis, Hæmimontiorum provinciæ.*

VII. Emmanuel.

In Septima synodo inter metropolitas *Emmanuël Hadrianopolis episcopus* sedit & subscripsit, Ἐμμανουὴλ ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ἀδριανουπόλεως. Qui profecto Manuël ille sanctus est, cujus pro religione certamen Græci in Menæis recolunt die 22. Januar. necnon *Georgii, Leonis & sociorum, quos à Bulgaris, Leone Armeno Imp. interfectos ferunt. Nimirum Leone Armeno Crumus Bulgarorum princeps cum multo exercitu Hadrianopolim Thraciæ petens, bello captam vastavit, & sanctissimum Manuëlem abduxit, & manibus ex humeris abscissis, medium posthac dissectum bestiis vorandum projecit. Ob quam iniquitatem obcæcatus, suoque populo invisus factus, & proclusis fune faucibus ab eo præfocatus est. Ejus in principatu successor Troïus, impiissimus etiam quum esset, christianos omnes adegit ut Fidem ejurarent, & recusantes enecavit.* Id quod anno 818. Melchior Inchofer accidisse scribit in Historia Ungarica. Verum Joannes Scylitzes Curopalata & ex eo Cedrenus, Hadrianopolim quidem à Crumo Bulgarorum Dynasta expugnatam scribunt, & Manuëlem quidem in Bulgariam translatum cum Basilii Macedonis qui subinde Imperator fuit parentibus, ubi Bulgarorum complures christianas leges docuerunt; sed Crumo defuncto, Cutragonem ejus successorem hanc ob causam illis iratum, archiepiscopum cum illustribus illis viris martyrem fecisse. Addit Basilium puerum pubescere jam incipientem à Cutragone dimissum, cum captivis aliis in patriam reversum. De Manuële legendus etiam est Constantinus Porphyrogennetus in vita Basilii.

VIII. Theophylactus.

Hadrianopolis episcopus sæculo nono medio sedebat *Theophylactus*, qui anno 845. à Theodora Augusta in Bulgariam missus est, ut sororem Bogoris regis, ipsumque Regem christianæ Fidei doctrina imbueret. Cæterum Theodosius Euphareus vocatur à Cedreno.

IX. Cosmas.

In Octava synodo sedit & subscripsit *Cosmas misericordia Dei metropolita Hadrianopolis.*

X. Philippus II.

In synodo Photiana, *Philippus Hadrianopolis*, Φίλιππος Ἀδριανουπόλεως.

XI. Nicolaus I.

Joannes Tzimisces Imp. morti proximus *Nicolaum Hadrianopolis* antistitem virum sanctum atque venerabilem accersivit, cui peccata sua confiteretur, Νικόλαον τὸν πρόεδρον Ἀδριανουπόλεως ἐκαλέσατο ἄνδρα θεῖον καὶ σεβάσμιον, καὶ τὰ κατὰ τὸν βίον αὐτοῦ ἀπεκάλυψεν ἀγνοήματα.

XII. Michael.

Joannes Mauropus Euchaïtarum ſub Manuële Comneno metropolita edidit Ἀκολουθίαν, ſive officium eccleſiaſticum in *S. Michaëlem Hadrianopolis antiſtitem*, novum martyrem, cujus feſtum aſſignatur ad diem 4. Februarii.

XIII. Agapetus.

Lib. 4. Jur. Græco-Rom. pag. 250. & 259. decreta duo exſtant Alexii patriarchæ lata ann. 1023. & 1024. de donatariis monaſteriorum, & de cauſis ad epiſcopatus & metropoles ſpectantibus, quibus ſanciendis adfuit *Agapetus Hadrianopolis*, Ἀγαπητοῦ Ἀδριανουπόλεως.

XIV. Eusebius.

Infauſtæ ſynodo illi in qua, Michaële Cerulario præſide, Leonis Papæ IX. legatis anathema dictum eſt, aderat *Euſebius Hadrianopolis*, Εὐσεβίου Ἀδριανουπόλεως. Allat. Diſſ. 11. de lib. eccl. Græc.

XV. Nicolaus II.

Alexio Comneno Imp. & Nicolao Theobleto patriarcha, anno 1082. in conventu ſolemni epiſcoporum & procerum Imperii, confirmatum eſt unionis Decretum de veneratione ſacrarum imaginum propter Leonem Chalcedonis metropolitam, qui Imperatoris de conflandis in monetas ſacris quibuſdam vaſibus mandatum datum ad *Nicolaum Hadrianopolis metropolitam*, Iconomachicæ hæreſis taxaverat. Leonis ſcriptum coram omnibus lectum fuit, cui titulus hic præmittebatur: Γραφὴ πρὸς τὸν Ἀδριανοπόλεως μητροπολίτην Νικόλαον, πεμφθεῖσα παρὰ τοῦ χρηματίσαντος μητροπολίτου Χαλκηδόνος Λέοντος. Biblioth. Coiſlin. pag. 103.

XVI. Leo.

Anno 1156. Luca Chryſoberge patriarcha, Manuële item Comneno Imper. celebrata Conſtantinopoli ſynodus eſt propter Soterichum Panteugenum Antiochiæ patriarcham deſignatum, quem propter errorem de ſacrificio Domini proſcripſit, conſidente *Leone* Hadrianopolis metropolita. Allat. Vind. ſyn. Epheſ. pag. 585. Idem Leo iterum adfuit ſynodo alteri 1166. in qua Alamannorum de Chriſti Deitate doctrina ab errore immunis judicata eſt, eodem Patriarcha præſide. Allat. lib. 11. De conſ. cap. 12. Demum *Leo Hadrianopolis* ſedebat inter epiſcopos, qui cum Michaële Anchiali patriarcha anno 1171. Decretum ediderunt, *ne clerici* ex aliena parœcia crearentur.

XVII. Germanus.

Michaële Palæologo Imp. *Germanus* Hadrianopolis metropolita ſedebat, vir præclaris dotibus inſignis, qui Pachymere teſte lib. 4. c. 7. ſynodo adfuit, in qua actum eſt de Arſenio patriarcha amovendo, τοῦ Ἀδριανουπόλεως Γερμανοῦ. Joſepho qui Arſenio ſuffectus fuerat, exauctorato, ejus in locum promoverunt Germanum anno circiter 1267. menſe Mæmacterione ſive Julio. Idem ibid. cap. 12.

XVIII. Basilius.

Pro Germano eccleſiæ Hadrianopolitanæ præfectus eſt Barlaamus ejus conſobrinus, qui *Baſilius* quoque vocabatur. ἦν δ' ὃν ἔλεγχον αὐτοῦ ἐν Ἀδριανουπόλει ἐπικηρυχθέντα μετ' αὐτὸν παρ' αὐτοῦ ἀνεψιὸς ἐκείνου Βαρλαάμ, εἴπουν Βασίλειος, qui remiſſum admodum ſe præbuit in iis quæ ſui officii erant: equis & armis dans operam, patrui monita parvi pendebat; unde ſynodi ſententia ſacerdotio ejectus eſt, τέλος ὑφεσάθη τὴν ὑπὸ συνόδου καθαίρεσιν. Quamobrem ab Imperatore petiit ut rem bellicam tractaret; poſt vero in ſuſpicionem veniens ne ad hoſtes tranſiret, Nicæam deductus atque luminibus utriſque privatus fuit. Pachym. lib. 4. c. 21. 22. Cæterum ejus exauctorationem non niſi poſt patrui Germani obitum factam fuiſſe teſtatur illo loci Pachymeres, τοῦ γέροντος μεταλλάξαντος. Sedebat itaque quo tempore, Gregorio Papa X. Græcæ Latinæque Eccleſiæ Germani patrui ipſius opera, reconciliatio facta eſt in concilio Lugdunenſi.

XIX. Theoctistus.

Andronico Palæologo Michaëlis filio Imp. quum Græci iterum à Romana communione deſciviſſent, & in Joannem Beccum nuperum patriarcham, qui illius redintegrationem promoverat, ſeverius animadverteretur, *Theoctiſtum* Hadrianopolis metropolitam ſævitiam hanc improbaſſe fert Pachymeres in *Andronico*, lib. 1. cap. 7. ac prænuntiaſſe futurum ut ligneis verubus, quibus alii ad iſtos torquendos uterentur, iiſdem ipſi comburerentur: quod & ſubinde contigit. ὡς καὶ ἵνα τότε τῶν ἐχεφρόνων λέγειν, ὁ Ἀδριανουπόλεως δ' οὗτος ἦν ὁ Θεόκτιστος. κ. τ. ἑ.

XX. * * *

Conſtantinopolitanæ ſynodo, quæ Joanne Palæologo & Joanne Cantacuzeno Impp. habita eſt, Calliſto patriarcha præſide contra Barlaamum & Acyndynum ad Palamitarum errores ſtatuminandos, & cujus acta Combefiſius in Auct. noviſſimo Bibl. PP. Græcorum edidit, interfuit *metropolitæ Hadrianopolis*

ECCLESIA HADRIANOPOLIS.

vicarius: ἦσαν καὶ διὰ γνωμῶν οὗτοι, ὁ Ἀδριανουπόλεως, ὁ Σταυρουπόλεως κ. τ. ἑ.

XXI. Nicephorus.

Ex Georgio Phranza lib. 2. hist. cap. 2. *Nicephorus Melissenus* magnus Protostrator, ob multiplicem prudentiam, ingenii celeritatem, dexteritatemque *Melissurgus* cognominatus, Nicephori Melisseni Cæsaris, qui Alexio Comneno Imp. claruerat, longo ordine nepos, Leonis Melisseni Sebastocratoris filius, dominus jam pridem & præfectus munitissimæ urbis Ithomes, seu Messenæ, totiusque Messeniaci sinus, post obitum uxoris gravibus de causis Hadrianopolis metropolita designatus est, imo & constitutus, ut idem Phranza lib. 3. cap. 5. refert; quem brevi subinde mors intempestiva rapuit.

XXII. * * *

Georgius Synnadorum episcopus in synodo, in qua Græci Constantinopoli in templo S. Sophiæ, circa annum 1440. Florentiæ sancitam cum Latinis unionem ejurasse feruntur, subscripsisse legitur, *pro se & pro metropolitis Rhodi, Hadrianopolis & Mitylenes.* Vid. apud Allat. in Addendis ad lib. 3. De consens. col. 1387.

XXIII. Joasaph.

Martinus Crusius p. 334. Turco-Græc. epistolam edidit *Joasaph metropolitæ Hadrianopolis*, Joanni Zygomalæ datam Hadrianopoli die 18. Maii, sed incerto anno, hac subscriptione ✠ Ἀδριανουπόλεως Ἰωασάφ. *Joasaph Hadrianopolis.* Hunc Joasaph patriarcham posthac fuisse observat, circa annum 1559. cui Melancthon epistolam Græcam è Saxonia scripserit. Patriarchatu vero postmodum dejectus est synodi sententia, de qua mox.

XXIV. Arsenius.

Anno 1564. Hadrianopolis metropolita sedebat *Arsenius Joasaphi* successor, cujus utique proximus è Patriarchali sede dejectionis sententiæ subscripsit, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Ἀδριανουπόλεως Ἀρσένιος, *Arsenius humilis metropolita Hadrianopolis*. Hist. eccl. Turc. Gr. lib. 2. pag. 172.

XXV. Hieremias.

Stephano Gerlachio Germano nomen suum in charta scripsit *Hieremias Hadrianopolis metropolita, totius Hæmimonti Exarchus* teste Crusio p. 507. ὁ μητροπολίτης Ἀδριανουπόλεως Ἱερεμίας, παντὸς Αἱμιμόντου ἔξαρχος, 13. Jun. anno 1578. Hunc scribendi imperitum fuisse subdit Crusius, attamen subscriptus

A legitur literis commonitionis à Metrophane patriarcha anno 1572. metropolitæ Nauplii datis, qui repetundarum reus agebatur; Ibid. p. 287. quin etiam literis aliis ejusdem patriarchæ, quibus filio sororis Theodosii Zygomalæ Tabularii munus confirmabatur. Ibid. pag. 283.

XXVI. Anthimus.

Cyrillo Lucari patriarcha Constantinopolitano secunda vice in Rhodo insula exsulante, *Anthimus metropolita Hadrianopolis* ejus B in locum suffectus fuit, mox vero exauctoratus, imo tertia die à sua promotione. Ἄνθιμος Ἀδριανουπόλεως ἡμέρας τρεῖς, καὶ παρῃτήθη. Sic catalogus Patriarcharum à doctissimo Bandurio editus, Philippus Cyprius in suo, Leo Allat. lib. 3. De consens. cap. 11. n. 4. an Hadrianopolim redierit, incertum est.

XXVII. Parthenius I.

Hadrianopolis metropolita fuit *Parthenius* ille senior, qui postmodum patriarcha renun- C tiatus, Cyrilli Lucaris nuperi decessoris sui Calvinianos errores iterato proscripsit. Id quod patriarcharum catalogus à Philippo Cyprio editus prodit, qui & illum Anchiali ecclesiæ primitùs præfuisse ait, atque ab episcopis, & clericis, omnique populo christiano vi adactum, ut Constantinopolitanum thronum capesseret, anno scilicet 1639. die Julii 4. καὶ τότε συναθροισθέντες οἵ τε ἀρχιερεῖς, κληρικοὶ, καὶ πᾶς τῶν χριστιανῶν ὁ λαὸς μετὰ βίας ἔπεισαν τὸν Ἀδριανουπόλεως κύριον Παρθένιον, τὸν πρότερον χρηματίσαντα τῆς Ἀγχιάλου, καὶ ἐδέχθη τὸ πατρι- D αρχικὸν ἀξίωμα, τῷ ΑΧΛΘ. τῆς κοινῆς σωτηρίας ἔτει, Ἰουλίῳ δ΄. Catalogus alter à D. Bandurio vulgatus perinde habet eum ex Hadrianopolitana sede assumtum, ac post annos quinque duosque menses veneno periisse. Hic adfuerat anno 1638. synodo Cyrilli Berrhœensis patriarchæ, quæ Cyrillum Lucarem prima vice damnavit, ejusque decretis subscripserat, ὁ Ἀδριανουπόλεως Παρθένιος, *Parthenius Hadrianopolis*. In actis synodi Hierosolymitanæ quæ anno 1672. habita est, & in quibus illius pristinæ synodi decreta regesta sunt, è regione E appositum legitur. οὗτός ἐστιν ὁ χρηματίσας Κωνσταντινουπόλεως πατριάρχης Παρθένιος ὁ γέρων, ἐφ᾽ ᾧ ἐγένετο ἡ ἐν Γιασίῳ σύνοδος. *Hic est patriarcha Constantinopolitanus Parthenius senior, sub quo celebrata est apud Giasium synodus.* Cæterum Philippus Cyprius videtur peccasse, ubi Parthenium seniorem Anchiali primùm metropolitam fuisse affirmavit. Nam Leo Allatius epistola quam Bartholdo Nihusio anno 1645. scripsit, Parthenium II. non I. Anchiali metropolim ac

deinde Hadrianopolim geſſiſſe narrabat. *Intruſus Parthenius à Timotheo Anchiali metropolita, ab Anthimo Hadrianopolitanus creatus.* Allat. lib. 3. de conſenſ. cap. 11. n. 5.

XXVIII. Gabriel.

Parthenio I. ex Hadrianopolitana ſede in Conſtantinopolitanam promoto, ſuffectus omnino fuit *Gabriel,* qui literis ejuſdem Parthenii de libro cui titulus eſt, ὁμολογία ὀρθόδοξος τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας τῆς ἀνατολικῆς. κ. τ. ἑ. *Confeſſio orthodoxa catholicæ atque Apoſtolicæ Eccleſiæ Orientalis,* ſubſcripſerit, ὁ Ἀδριανουπόλεως Γαβριὴλ, *Gabriel Hadrianopolis.*

XXIX. Parthenius II.

Poſt Gabrielem Hadrianopolis epiſcopus quoque fuit *Parthenius* ille alter, qui anno 1641. ſedit in ſynodo Parthenii I. patriarchæ, in qua actum eſt de voce μετουσιώσεως, *quæ Tranſubſtantiationem* ſignificat, ut fertur in epiſtola illuſtriſſimi D. de Nointel, Regis chriſtianiſſimi apud Turcarum Sultanum Legati, To. 3. de Perpetuit. Fid. Euch. p. 683. Anno quoque 1643. die 11. Martii ſubſcripſit literis tribus Parthenii patriarchæ, quibus *Confeſſionem Orthodoxam Eccleſiæ catholicæ & Apoſtolicæ Orientalis,* à Petro Mogila Kiovienſi metropolita conſcriptam, commendabat. Hic porro Parthenius alter Conſtantinopolitanum thronum perinde adeptus eſt; at certè malis artibus, ut vere intruſus dictus ſit ab Allatio. Hujus cognomentum *Ceſænes* erat, ut diſcimus ex Cl. Bandurii catalogo.

XXX. Neophytus.

XXXI. Clemens.

Reſponſioni Dionyſii patriarchæ Conſtantinopolitani ſuper Calvinianorum erroribus datæ anno 1672. ſubſcripſit *Neophytus Hadrianopolis,* ὁ Ἀδριανουπόλεως Νεόφυτος. Hunc Hadrianopolitana ſede Callinicus patriarcha amovit, ac pro illo ſuffecit *Clementem Chalcedonis.* Sed viciſſim Neophytus Callinicum patriarchatu ſuis artibus dejecit, ejuſque ſedem dies aliquot occupavit. Quod refertur in recenti patriarcharum illorum catalogo quem clariſſ. D. Bandurius edidit. ὁ δὲ Κὺρ Καλλίνικος μὲ τὸ νὰ ἔξωσε τὸν Ἀδριανουπόλεως Νεόφυτον ἀπὸ τὴν ἐπαρχίαν του, καὶ νὰ τὸν ἔδωσε τὸν Κλήμεντα Χαλκηδόνος. παρὰ κανόνα ἔλαβε τὸ Πατριαρχεῖον ὁ Νεόφυτος Ἀδριανουπόλεως.

XXXII. Athanasius.

Anno 1714. ſedebat *Athanaſius Hadrianopolis* metropolita, de quo Alexander Helladius juvenis Græcus in libro de *ſtatu præſenti Eccleſiæ Græcæ* pag. 328. ita ſcribit: *Non mihi deſunt argumenta ex literis beatiſſimi Gabrielis patriarchæ CP.* τοῦ νῦν ἐν ἁγίοις χοροῖς, *& Athanaſii metropolitæ* Ἀδριανουπόλεως, *quibus non nemo noſtrum increpatur, cur mutato itinere quod verſus Italiam ſuſceperat, Halam petierit, ejuſque apologia apud me ſervatur.* Atqui anno 1720. Demetrius Procopius in ſua *præſentis ſæculi eruditorum Græcorum recenſione* de Athanaſio hæc ſcribebat: Ἀθανάσιος ἐξ Ἀδριανουπόλεως μητροπολίτης Ἀδριανουπόλεως, *Athanaſius Hadrianopolitanus Hadrianopolis metropolita, vir linguæ Græcæ callens eccleſiaſticæque eruditionis, rituum atque ſtatutorum peritus, ſingulari ſtudio divinas ſacraſque ſcripturas meditatur, Evangelica eloquia magno zelo & caritatis fervore prædicat & edifferit.* Anno itidem 1721. ſedebat Hadrianopoli Athanaſius, unde in Byzantinum thronum promotus fuit.

II. ECCLESIA MESEMBRIÆ.

Mesembria, ut auctor eſt Strabo lib. 7. *Megarenſium colonia fuit, quam antè Menebriam vocabant, quaſi Menæpolim. Ejus enim ædificator Menas nominatur, Bria vero ſermone Thracico civitas dicitur; ſicut & Selyos oppidum Selybria appellata eſt, & ſic Ænus quandoque Poltiobria. Deinceps Anchiala Caſtellum.* Modo ante memoraverat *Odeſſum Mileſiorum Coloniam, Naulochum Meſembrianorum Caſtellum, tum montem Hæmum ab hoc ad mare uſque progredientem, deinde Meſembriam.* Quæ Meſembriam inſignem tractûs hujus civitatem fuiſſe innuunt. Plinius etiam lib. 4. cap. 11. perinde ait: *Mons Hæmus vaſto jugo procumbens in Pontum, oppidum habuit in vertice Ariſtæum: nunc in ora Meſembria, Anchialus, &c.* Adeoque Meſembria media poſita eſt Anchialum inter & Odeſſum ad Pontum Euxinum, ubi nunc quoque *Meſember* dicitur; quibus concinit Ptolemæus. Nulla ejus Hierocli mentio. In eccleſiarum Notitiis priſtinis archiepiſcopatus eſt, in poſterioribus metropolis. Novella Juſtiniani VII. Meſembriæ præſuli olim attributa erat Aquenſis eccleſia, quam, ut pote quæ Daciæ Ripenſis erat, Imperator illi Juſtinianæ ſuæ primæ metropolitæ ſubjectam voluit. Atqui in Latina Novellæ hujus tranſlatione perperam *Meridianus* epiſcopus ſcribitur pro *Meſembrianus:* nimirum error interpretis eſt, inde proveniens, quod Μεσημβρία Græca vox idem ſonat quod Latinis *Meridies.* Juſtiniani

autem hæc verba ſunt: *ſed & in Aquis quæ eſt provinciæ Daciæ Ripenſis ordinari volumus à tua ſanctitate epiſcopum, ut non in poſterum* ſub *Meridiano* (Meſembriano) *Thraciæ oppidi epiſcopo ſit conſtituta: ſed Meridianus* (Meſembrianus) *quidem maneat in Meridiano* (Meſembriano) *nulla communione cum Aquis ſervanda.* Suus itaque ſexto ſæculo Meſembrianis proprius epiſcopus erat, ac certe quinto, etſi nullus mihi ætatis illius uſquam occurrit.

EPISCOPI MESEMBRIÆ.

I. PETRUS.

SExtæ ſynodo generali adfuit & ſubſcripſit *Petrus epiſcopus Meſembriæ Thraciæ.* Πέτρος χάριτι Θεοῦ ἐπίσκοπος Μεσεμβρίας τῆς Θρᾴκης.

II. MAMALUS.

Canonibus Trullanæ ſynodi ſubſcriptus legitur *Mamalus epiſcopus civitatis Meſembrinorum Hæmimontiorum,* Μάμαλος ἀνάξιος ἐπίσκοπος τῆς Μεσεμβρινῶν πόλεως τῆς Αἱμιμοντίων.

III. LEO.

In Septima ſynodo ſedit & ſubſcripſit *Leo epiſcopus Meſembriæ,* ac quidem inter præſules Thraciæ, Λέων ἀνάξιος ἐπίσκοπος Μεσεμβρίας.

IV. TIMOTHEUS.

In ſynodo Photiana inter metropolitas & archiepiſcopos legitur *Timotheus Meſembriæ,* Τιμοθέου Μεσεμβρίας, Τιμόθεος Μεσεμβρίας.

V. GREGORIUS I.

Synodo Michaëlis Cerularii quæ Leonis Papæ IX. legatis anathema dixit, aderat *Gregorius Meſembriæ archiepiſcopus,* καὶ ἀρχιεπισκόπων ...... Γρηγορίου Μεσεμβρίας. Allat. Diſſ. 2. de lib. eccl. Græc.

VI. THEODORUS.

In ea ſynodo quæ anno 1156. Soterichum Panteugenum Antiochiæ patriarcham deſignatum erraticæ ſuæ doctrinæ cauſa ad ordinem redegit, ſedebat *Theodorus Meſembriæ,* necnon anno 1166. in altera illa quæ Alamannorum de Chriſti Deitate ſententiam, Fidemque approbavit. Allat. Vind. ſyn. Eph. pag. 585. & lib. 2. De conſenſ. cap. 12.

VII. * * *

Initio epiſtolæ metropolitarum qui Michaële Palæologo Imper. Gregorio Papæ X. ſcripſere, legitur *Metropolitanus Meſembriæ,* quemadmodum etiam in inſcriptione epiſtolæ Gregorii Papæ ad ipſos.

VIII. MATTHÆUS.

Synodicæ ſententiæ depoſitionis Joaſaph patriarchæ ſubſcripſit *Matthæus Meſembriæ metropolita,* ὁ ταπεινὸς Μεσεμβρίας μητροπολίτης Ματθαῖος.

IX. THEOPHANES.

Reſponſioni Dionyſii patriarchæ de erroribus Calvinianorum quæ data eſt anno 1672. ſubſcripſit *Theophanes Meſembriæ,* ὁ Μεσεμβρίας Θεοφάνης.

X. GREGORIUS II.

Anno 1721. ſedebat *Gregorius Meſembriæ,* ὁ Μεσεμβρίας Γρηγόριος.

III. ECCLESIA SOZOPOLIS.

SOZOPOLIS, Σωζόπολις, Hæmimonti urbs eſt in Notitia Hieroclis, & in aliis epiſcopatuum, ὁ Σωζουπόλεως. Sed exigua Nicephoro Gregoræ; Joanni vero Cantacuzeno lib. 2. cap. 3. ampla eſt & populoſa ad Pontum poſita, τὴν Σωζόπολιν κατὰ τὸν Εὔξεινον Πόντον πολύανδρον οὖσαν καὶ μεγάλην πόλιν. Ejus nulla eſt in veteribus ſcriptoribus mentio, niſi in actis conciliorum: ſæculo autem quinto Sozopolis & Debelti unus epiſcopus erat.

EPISCOPI SOZOPOLIS.

I. ATHANASIUS.

AD Epheſinam ſynodum venit *Athanaſius epiſcopus Debelti & Sozopolis;* ſubſcripſit vero Conteſtationi complurium epiſcoporum qui interceſſerunt, ne Cyrillus Alexandrinus ante Orientalium adventum concilii celebrationem inchoaret. Poſt vero legitimæ ſynodo, factione Neſtoriana poſthabita adhæſit, ſubſcripſitque decretis illius, Ἀθανάσιος ἐπίσκοπος τῆς κατὰ Δεβελτὸν καὶ Σωζόπολιν ἐκκλησίας, *Athanaſius epiſcopus eccleſiæ Duelti (Develti, Debelti) & Sozopolis.*

II. PETRUS.

In concilio ſexto generali ſedit & ſubſcripſit *Petrus epiſcopus Sozopolis Thraciæ,* Πέτρος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Σωζοπόλεως Θρᾴκης.

III. EUTHYMIUS.

In Septimo concilio *Euthymius epiſcopus Sozopolis* inter epiſcopos Thraciæ Diœceſis

ECCLESIA SOZOPOLIS.

sedit & subscripsit, post *Eustratium Debelti.* Εὐθύμιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Σωζοπόλεως.

IV. IGNATIUS.

In synodo Photiana, *Ignatius Sozopolis,* Ἰγνατίου Σωζοπόλεως, Ἰγνάτιος Σωζοπόλεως. Aderat & Nicolaus Sozopolis, utique Pisidiæ.

V. THEODOSIUS.

Anno 1357. synodo Callisti patriarchæ, quæ profana Gregorii Palamæ placita approbavit, adfuit & subscripsit *Theodosius metropolita Sozopolis,* ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Σωζοπόλεως Θεοδόσιος.

VI. JOANNICIUS.

Anno 1534. ex Sozopolis metropolita patriarcha factus est *Joannicius,* quum Hieremias I. Constantinopolitana sede pulsus priore vice fuisset; quam dignitatem, omnium votis expetitus, invitus ipse admisit. Hist. Turco-Gr. lib. 2. pag. 154.

VII. PHILOTHEUS.

Synodicæ destitutionis Joasaph patriarchæ sententiæ anno 1564. subscripsit *Philotheus metropolita Sozopolis,* ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Σωζοπόλεως Φιλόθεος. Ibid. pag. 174.

VIII. JOASAPH.

Anno 1721. sedebat *Joasaph Sozopolis metropolita,* ὁ Σωζοπόλεως Ἰωασάφ.

IV. # ECCLESIA DEBELTI.

DEBELTUS, seu *Develtus,* Δεβελτὸς, colonia, Thraciæ mediterraneæ civitas est Ptolemæo, cujus etiam meminit Plinius lib. 4. c. 11. ac *Debeltum* neutro nomine dicit; *Debeltum cum stagno,* inquit, *nunc Deultum vocatur veteranorum: sequitur Phinopolis, juxta quam Bosphorus.* In Notitia Hieroclis male scribitur Δίβερτος. In ea quæ Leonis Imp. nomen præfert, episcopatus tertius est sub Hadrianopoli. Constantini Porphyrogenneti historiæ Continuator hanc à Theodora Augusta Bulgaris concessam prodit, quum Christo nomen illi dedissent, à quibus *Zogara* lingua ipsorum appellata est; sed *Zogara* vel *Zagora* Bulgarorum ecclesiæ metropolis aliquando fuit, postquam à Basilio Imp. Bulgaricida dicto Achrida aliisque circum urbibus quas obtinuerant expulsi, Mæsiæ secundæ limitibus arctati fuere. Subinde vero metropolitica illa jura Ternobium translata sunt Innocentio III. Pontifice Romano, ut suo loco dicetur. Eumdem olim fuisse Debelti & Sozopolis episcopum mox dicebam.

EPISCOPI DEBELTI.

I. ÆLIUS PUBLIUS JULIUS.

SÆculo ecclesiæ secundo medio, *Develti* coloniæ episcopus erat *Ælius Publius Julius,* qui cum aliis sanctissimis pontificibus Montani Prophetissas insectatus est; Eusebio scilicet teste lib. 5. hist. eccl. cap. 19. qui hoc illius de Priscilla testimonium refert: Αἴλιος Πούπλιος Ἰούλιος ἀπὸ Δεβελτοῦ κολωνείας τῆς Θρᾴκης ἐπίσκοπος, *Ælius Publius Julius Debelti coloniæ Thraciæ episcopus; testor Deum qui in Cœlis est, quod beatus Sotas qui est Anchiali, Dæmonium Priscillæ ejicere voluit, sed hypocritæ nequaquam permiserunt.*

II. ATHANASIUS.

In ecclesia Sozopolis dixi *de Athanasio Debelti & Sozopolis episcopo.*

III. JOVINUS.

Anno 448. in synodo Constantinopolitana in qua S. Flaviano præside, Eutyches renuntiatus fuit hæreticus, sedebat *Jovinus episcopus Debelti,* Ἰοβῖνος ἐπίσκοπος Δεβελτοῦ, qui tertio post anno adfuit quoque concilio Chalcedonensi, ut Latini actorum illius codices ferunt, in quibus & *Jovinus,* & *Jovianus episcopus Debeltanæ civitatis provinciæ Æmimonti* dicitur; ex quibus emendanda venit subscriptio Græca act. 6. Ἰουβενάλιος ἐπίσκοπος Διβέλλου, pro Ἰωβῖνος ἐπίσκοπος Δεβελτοῦ. Sed & subscriptus quoque legitur synodico Gennadii Constantinopolitani decreto contra Simoniacos, Ἰωβῖνος Δεβελτοῦ, *Jovinus Debelti.* Jur. Græco-Rom. lib. 3.

IV. EUSTRATIUS.

Septimæ synodo generali interfuit & subscripsit *Eustratius episcopus Debelti,* Εὐστράτιος ἐπίσκοπος Δεβελτοῦ.

V. SYMEON.

Synodo item Photianæ *Symeon Debelti,* Συμεὼν Δεβελτοῦ.

VI. ***

Anno 2. Michaëlis Curopalatæ Imperat. Cramnus Bulgarorum Princeps Debeltum obsidione cinxit, cujus oppidani *unà cum episcopo suo* ejus se potestati dediderunt, mox vero in regionem aliam deportati sunt, ἅμα ἐν αὐτῇ σὺν τῷ ἐπισκόπῳ μετοικήσαντος. *Theophanes ad illum annum.*

V. ECCLESIA PLOTINOPOLIS.

PLINIUS Develto *Phinopolim* Bosphorum versus subjungit, quam Strabo *Phinopolim* dicit. At non eadem profectò est quæ *Plotinopolis* Ptolemæo, qui utramque diserte distinguit. Plotinopolim habet Antonini Itinerarium & Hieroclis Notitia, ut & ecclesiasticæ aliæ, quam, Procopio teste, Justinianus instauravit. A Plotina uxore Trajani dictam crediderim.

EPISCOPI PLOTINOPOLIS.

I. HIEROPHILUS.

SOCRATES lib. 7. hist. eccl. cap. 36. ubi A de episcoporum translationibus agit, *Hierophilum Trapezopoli Phrygiæ Plotinopolim Thraciæ* translatum narrat. Ἱερόφιλος ἀπὸ Τραπεζοπόλεως τῆς Φρυγίας μετηνέχθη εἰς Πλωτινούπολιν τῆς Θρᾴκης.

II. GEORGIUS.

In Septima synodo sedit & subscripsit inter episcopos Hæmimonti, *Georgius episcopus Plotinopolis*, Γεώργιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Πλωτινουπόλεως.

VI. ECCLESIA PROBATORUM.

PROBATA, Πρόβατα, voce plurali neutra, episcopatus est provinciæ Hæmimonti in Notitia Leonis Imp. ὁ Προβάτων, cujus civitatis nulla apud auctores occurrit mentio.

EPISCOPI PROBATORUM.

I. MANUEL.

IN synodo Photiana sub Joanne Papa VIII. adfuit *Manuël Probatorum*, Μανουὴλ Προβάτων.

VII. ECCLESIA BULGAROPHYGI.

BULGAROPHYGUM utique dixerunt Hæmimonti civitatem ob Bulgaros, quando in eam regionem invaserunt, in fugam conversos. Ejus mentio est in Notitia Leonis Imp. ὁ Βουλγαροφύγου; quamobrem id nominis habuit ante tempora Basilii Porphyrogenneti qui Bulgaricida, Βουλγαροκτόνος audit.

EPISCOPI BULGAROPHYGI.

I. THEODORUS.

IN Septima synodo sedit & subscripsit *Theo-* B *dorus episcopus Bulgarophygi*, Θεόδωρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Βουλγαροφύγου.

II. CONSTANTINUS.

In synodo Photiana *Constantinus Bulgarophygorum*, Κωνσταντίνου Βουλγαροφύγων.

VIII. ECCLESIA SCOPELI.

SCOPELUS, Σκόπελος, civitas episcopalis est provinciæ Hæmimonti in Notitia Leonis Imp. ὁ τοῦ Σκοπέλου, quæ proinde diversa à Scopelo insula Ægæi maris Macedoniæ vicina.

EPISCOPI SCOPELI.

I. S. RHEGINUS.

IN synaxario Basilii Imp. quod Latine ab C Ughello editum est To. 6. Italiæ sacræ, Febr. 24. memoria fit *Certaminis S. Rhegini episcopi Scopulorum* (seu Scopeli) *qui in Græcia parentibus christianis ortus, à quibus, tum pietate, tum sacris literis excultus, vir summus evaserat; ab ejus loci episcopo Diaconus factus est, deinde presbyter, demum Scopulorum episcopus : quo in munere obeundo eam sibi virtutis famam collegit, ut ad synodum quæ Sardis* (Sardicæ puto) *habita est, accitus, omnes hæreses dicendo retuderit. Excitata non multo post in christianos persequutione, comprehensus, post varios cruciatus capite multatus est*, sub Juliano Apostatâ.

II. RUBIN.

II. Rubin.

In Septima synodo inter episcopos Hæmimonti sedit & subscripsit *Rubim* seu *Rubin episcopus Scopeli*, Ρουβὶμ ἀνάξιος ἐπίσκοπος Σκοπέλου.

III. Bardanes.

ECCLESIA SCOPELI.

In Photiana synodo *Bardanes Scopelorum*, Βαρδάνου Σκοπέλων.

IX. ECCLESIA BRYSIS.

Sub Hadrianopoli in Notitia Leonis Imp. civitas episcopalis nona est *Brysis*, ὁ Βρύσεως, quæ in eadem Notitia decimus nonus archiepiscopatus censetur. ιθ'. ἡ Βρύσις. Nimirum lib. 3. Jur. Græco-Rom. pag. 223. duplex est Brysis, parva & magna, & magnæ quidem episcopus præerat, parvæ vero archiepiscopus. Quocirca Luca Chrysoberge patriarcha, magnæ Brysis episcopus adversus archiepiscopum parvæ interpellavit, de non revocanda parœcia quæ ab ipso tenebatur; prolata idcirco etiam est archiepiscopi defuncti transactio. Pronuntiavit vero synodus iis quæ archiepiscopus male egerat non debere archiepiscopatum lædi absque clericorum ejus assensu, insuper & magnæ synodi, patriarchalis scilicet. Atqui Brysis Thraciæ, Brysarum gentis caput, inter Nestum & Hebrum amnes ponitur.

Utriusque Brysis episcopos & archiepiscopos una serie recito, quando unum olim utrique episcopum præfuisse nullus dubito.

EPISCOPI BRYSIS.

I. Joannes.

In Septima synodo sedit & subscripsit *Joannes episcopus Brysis* inter Thraciæ præsules, Ιωάννης ἐπίσκοπος Βρύσεως.

II. Nicetas.

In synodo Photiana, *Nicetas Brysis*, Νικήτα Βρύσεως, Νικήτας Βρύσεως.

III. Leo.

Synodico decreto Alexii patriarchæ de monasteriorum Donatariis condendo, anno 1027. aderat *Leo archiepiscopus Brysis*, Λέοντος Βρύσεως. Jur. Græco-Rom. pag. 259.

IV. * * *

Imperante Byzantinis Manuële Comneno, & patriarchatum gerente Michaële Oxita, in duplici episcoporum aliquot conventu actum est de duobus episcopis, qui Bogomilorum hæresis suspecti quum essent, præter canones etiam ab uno dumtaxat episcopo Tyanorum metropolita ordinati erant. Aderat *archiepiscopus Brysis*, τοῦ Βρύσεως. Allat. lib. 2. de cons. cap. 12.

V. * * *

Ex actis synodi Lucæ ejusdem patriarchæ, in qua Soterichus Panteugenus Antiochiæ patriarcha designatus, damnatus fuit, sedebat cum aliis *archiepiscopus Brysis*, τοῦ Βρύσεως; cujus nomen omissum est. Acta illa regesta reperi in Nicetæ Choniatæ Panoplia, inter codices Cl. Baluzii.

VI. * * * Constantinus.

Anno 1166. Luca Chrysoberge patriarcha conditum in synodo decretum est, quo nuptiæ septimi gradus prohibitæ sunt. Aderat Archiepiscopus Brysis, τοῦ Βρύσεως. Jur. Græco-Rom. pag. 217.

Anno 1166. eodem Luca patriarcha, in frequenti synodo quæ Alamannorum Constantinopoli agentium causa celebrata est, tractatum est de hoc Domini dicto, *Pater major me est*, considente cum aliis *Constantino archiepiscopo Brysis*. Leo Allat. lib. & cap. citatis.

VII. Theodoretus.

In synodo Callisti patriarchæ, quæ Palamitarum profanas insanias approbavit, sedit & subscripsit *Theodoretus metropolita Brysis*, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Βρύσεως, καὶ ὑπέρτιμος Θεοδώρητος.



X. ECCLESIA TRABIZYÆ.

TRABIZYA Hæmimonti epiſcopatus quartus eſt in Notitia Leonis Imp. δ'. ὁ Τραβιζύης, *Quartus Trabizyæ:* mox ſequitur quintus, Carabus dictus, ε'. ὁ Καράβου. Ex quo apparet Carabi & Trabizyæ unum eumdemque epiſcopatum non fuiſſe, qui *Carabizya* quoque nuncuparetur. Quin & in eadem Notitia Carabizya vigeſimus primus archiepiſcopatus eſt, κα'. ἡ Καραβιζύη.

EPISCOPI TRABIZYÆ.

I. CONSTANTINUS.

IN ſynodo Photiana ſub Joanne Papa VIII. ſedebat *Conſtantinus Trapobizyæ,* Κωνσταντίνου Τραποβιζύης, Κωνσταντῖνος Τραποβιζύης.

XI. ECCLESIA BUCELLI.

HÆMIMONTI altera civitas epiſcopalis eſt *Bucellum,* vel *Bucellus,* in Leonis Notitia ſub Hadrianopoli, ς'. ὁ Βουκέλλου. Joanni Cantacuzeno lib. 2. cap. 3. oppidulum Bucelli ponitur in Odryſis, Probato vicinum, & γενόμενος ἐν Ὀδρυσοῖς τὸ Βουκέλου προσαγορευόμενον πόλισμα εἷλε.

EPISCOPI BUCELLI.

I. JOANNES.

IN Photiana ſynodo ſedit *Joannes Bucellæ,* Ἰωάννου Βουκέλλης.

XII. ECCLESIA ANCHIALI.

ANCHIALUS, ſive *Anchiala,* Ἀγχιάλη Straboni, caſtellum fuit ab Apolloniatis conditum, *quod & Apollonia dictum eſt.* Urbs evaſit maritima ad Pontum Euxinum, *Meſembriam inter & Apolloniam* poſita, Pomponio Melæ, Plinio & Ptolemæo: unde in Notitia Hieroclis & Conſtantino Porphyrogenneto Hæmimonti jure cenſetur, ac non Rhodopes, etſi in duabus vetuſtis Eccleſiarum Notitiis archiepiſcopatus & metropolis ſcribatur in provincia Rhodopes: neque prorſus id patitur illarum regionum ſitus. *Anchialo* hodie dicitur; vilis omnino vicus.

EPISCOPI ANCHIALI.

I. SOTAS.

SÆculo eccleſiæ ſecundo, quo tempore A Montanus cum Priſcilla & Maximilla vaticinia profana & hæretica fundebat, Anchiali epiſcopus ſedebat beatus Sotas, quem Julius Publius Debelti epiſcopus teſtatus eſt, voluiſſe ejicere Priſcillæ dæmonium, hypocritas vero illius adulatores obſtitiſſe. Ζῇ ὁ θεὸς ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ὅτι ὁ Σωτᾶς ὁ μακάριος, ὁ ἐν Ἀγχιάλῳ, ἠθέλησε τὸν δαίμονα τῆς Πρισκίλλης ἐκβαλεῖν, & οἱ ὑποκριταὶ οὐκ ἀφῆκαν. Euſeb. l. 5. hiſt. cap. 19.

II. TIMOTHEUS.

Epiſtolæ Euſebianorum conventus Philippopolitani ſubſcriptus legitur, *Timotheus epiſcopus ab Anchilo,* meliùs *ab Anchialo.*

III. SEBASTIANUS.

In indice Patrum ſynodi Conſtantinopolitanæ generalis prioris de provincia Scythiæ cenſetur *Sebaſtianus Anchialenſis,* quia Anchialus illi provinciæ vicina eſt.

IV. SABBATIUS.

Statuto ſynodico Gennadii Conſtantinopolitani de Simoniacis ſubſcripſit *Sabbatius epiſcopus Anchiali.* Σαββάτιος ἐπίσκοπος Ἀγχιάλου.

V. PAULUS.

In Quinta ſynodo generali ſedit & ſubſcripſit *Paulus miſericordia Dei epiſcopus Anchiali.*

B

VI. JACOBUS.

Lib. 8. Bibl. Cæſareæ cod. 28. mentio fit vitæ S. Antonii junioris, qui Lauræ S. Sabæ monachus primùm fuit, dein Eremita. Dicitur vero aliquando incidiſſe in S. Jacobum, qui poſthac Anchiali epiſcopatum eo tempore gerebat quo Conſtantinopolis Taraſius,

& ab eo edoctum esse vitæ & silentii anachoretici normam. Εὗρεν δὲ ὁ Ἀντώνιος αὐτόθεν ἀναχωρεῦντα τὸν ἐν ἁγίοις Ἰάκωβον, τὸν γεγονότα ἐπίσκοπον τῆς Ἀγχιάλου, ἐπὶ τῶν ἡμερῶν τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως Ταρασίου, ὑπ' αὐτοῦ ἐκδιδάσκεται τὸν κανόνα τῆς ἀκροτάτης ἡσυχίας καὶ ἀναχωρήσεως.

VII. NICOLAUS.

In Photiana synodo sedebat inter episcopos *Nicolaus Anchiali*, Νικολάου Ἀγχιάλου, Νικόλαος Ἀγχιάλου.

VIII. * * * STEPHANUS.

In synodo Lucæ Chrysobergæ patriarchæ, in qua nuptiæ septimi gradus prohibitæ sunt, anno 1166. sedebat *Archiepiscopus Anchiali*, τοῦ Ἀγχιάλου. Jur. Græco-Rom. lib. 3. p. 217.

In ea synodo quæ Alamannorum doctrinam de Filii erga Patrem subjectione, anno 1166. approbavit, sedebat *Stephanus Anchiali*. Allat. lib. 2. de consens. cap. 12.

IX. JOANNES.

Statuto synodico Georgii Xiphilini Patriarchæ de juribus territoriorum condendo aderat *Joannes Anchiali*. Ἰωάννου Ἀγχιάλου. Jur. Græco-Rom. pag. 283.

X. * * *

Inter metropolitas Græcos qui Gregorio Papæ X. pro ecclesiarum unione sarcienda scripserunt, legitur *Metropolitanus Acinii*, & in inscriptione epistolæ Gregorii ejusdem ad illos, *Metropolitanus* scribitur *Achiraus*, ex quo nullus dubito quin emendandum sit, *Anchiali*.

XI. SOPHRONIUS.

Ad Ferrariensem & Florentinam synodum venit *Sophronius Anchiali metropolita*, & Decreto Unionis subscripsit; ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Ἀγχιάλου Σωφρόνιος. Qui tamen subscriptus quoque fertur spuriis illis actis synodi Sophianæ, quam circa annum 1440. celebratam aiunt ad Florentinam unionem ejurandam.

XII. XENOPHON.

Anno 1564. Joasaph patriarcha in synodo destitutus fuit, latæque sententiæ subscripsit *Xenophon metropolita Anchiali*, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Ἀγχιάλου Ξενόφων. Hist. Turco-Gr. lib. 2. pag. 171.

XIII. PARTHENIUS I.

Ex metropolita Anchiali Parthenius qui subinde patriarcha factus est, ad Hadrianopolis sedem translatus fuerat, ut fertur in catalogo patriarcharum qui à Philippo Cyprio conscriptus est. μετὰ βίας ἔπιον τὸν Ἀδριανουπόλεως κύριον Παρθένιον τὸν πρότερον χρηματίσαντα καὶ Ἀγχιάλου. *Etiam adhibita vi Dominum Parthenium Hadrianopolis metropolitam qui antehac Anchiali etiam metropolita fuerat, adegerunt ut Patriarchatum subiret.*

XIV. PARTHENIUS II.

Dionysio Muselime patriarcha Constantinopolitanæ sedis demum compote facto, Parthenius IV. qui illam occupaverat, in carcerem à Turcis trusus est, ex quo subinde eductus Anchiali ecclesiæ regimine donatus fuit, ut inde sustentaretur, ὕστερον τὸν ἔδωκαν τὴν Ἀγχίαλον διὰ ζωοτροφίαν του. Index patriarch. ab anno 1594.

XV. DANIEL.

Relationi Dionysii patriarchæ datæ anno 1672. super erroribus Calvinistarum subscripsit *Daniel Anchiali*, ὁ Ἀγχιάλου Δανιήλ.

XVI. CALLINICUS.

Anno 1721. sedebat *Callinicus Anchiali*, ὁ Ἀγχιάλου Καλλίνικος.



IV. PROVINCIA RHODOPES.

I. ECCLESIA TRAJANOPOLIS, METROPOLIS.

RHODOPE provincia à Rhodope monte nomen habuit, à quo Aquilonem versus terminatur, inter Nestum & Melanem fluvios jacens. In Notitia Hieroclis hujus prima civitas est *Aenus*, secunda *Maximianopolis*, tertia *Trajanopolis*; quæ tamen illius provinciæ ecclesiarum metropolis fuit, ut Notitiæ ferunt; quin & Palladius in Dialogo de vita S. Joannis Chrysostomi. Plotinopoli vicina est Ptolemæo. Non à Trajano Imp. id nominis sortita est, ait Joannes Curopalates in Michaële Duca, sed à quodam insigni viro, cui Trajano quoque nomen erat, quem Trajanus ipse Augustus ob nescio quam offensam luminibus privavit. Hunc enim, quum subinde adversus Persas pergeret, obvium sibi conspicatus, spectaculo motus, virtutisque, præclarorumque ejus gestorum memor, eodem in loco urbem construi jussit, quæ indelebile viri monimentum esset. Cæterum Joannes Cantacuzenus lib. 3. c. 67. Trajanopolim sua ætate jampridem esse dirutam testatur. Τραϊανούπολιν κατεσκαμμένην ἐκ πολλῶν ἐτῶν οὖσαν, cujus proinde metropolitica jura Maroneam translata sunt. Ejus muros à Justiniano refectos narrat Procopius lib. 4. de ædif. cap. 11. Nonnulla ejus vestigia superesse oportet, quando adhuc hodie *Trajanopolis* nominata fertur.

EPISCOPI TRAJANOPOLIS.

I. Theodulus.

THEODULUM Trajanopolis episcopum, virum optimum, ut & Olympium Ænorum seu Æni, ambos Thraciæ episcopos Ariani, Eusebiusque in primis Constantinopolitanus, Constantio Imp. insectati sunt, injustisque criminationibus suis edictum a Principe obtinuerunt, ut non urbibus solum suis & ecclesiis ejicerentur, sed capitali sententia, ubicumque reperti essent, plecterentur, ἀλλὰ καὶ κεφαλικὴν διδόναι δίκην. Hæc scribit Athanasius epistola ad solitarios. Ὀλύμπιον δὲ τὸν ἀπὸ Αἴνων, καὶ Θεόδουλον τὸν ἀπὸ Τραϊανουπόλεως, ἀμφοτέρους ἀπὸ τῆς Θρᾴκης ἐπισκόπους, ἀγαθοὺς καὶ ὀρθοδόξους ἄνδρας, ἐπειδὴ ἑωράκασι μισοῦντας τὴν αἵρεσιν, διέβαλον. Apolog. vero de Fuga sua jam testatus erat Theodulum propter crimina quorum injustè accusabatur interfici jussum, fugam capessivisse. Cæterum nusquam eum neci datum significat, quod tamen Socrates innuit lib. 2. cap. 26.

II. Syncletius.

Joanne Chrysostomo Constantinopolis ecclesiam gerente, propter crimina quorum reus Antoninus Ephesi agebatur, à synodo hanc in urbem missus est *Syncletius metropolita Trajanopolis*, qui illius res gestas inquireret & testes audiret, adjunctis ei Heyschio Parii & Palladio Helenopolis episcopis, ἐξ αὐτῆς συνῳείδησαν τρεῖς ἐπίσκοποι κατελθεῖν, Συγκλήτιος μητροπολίτης Τραϊανουπόλεως, Ἡσύχιος κ. τ. ἑ. Pallad. Dial. de vit. S. Joann. Chrysostomi.

III. Petrus.

Ad Ephesinum concilium accessit *Petrus Trajanopolis*, ac Contestationi complurium episcoporum, quibus Orientalium adventum esse præstolandum censebant, subscripsit; quin & subinde Orientalium synodi literis pro Nestorio, *Petrus episcopus Trajanopolis Rhodopes*, *Petrus episcopus Trajanopolis metropolitanus*, ut fertur in collect. ex Tragœdia Irenæi Tyrii capp. 7. 8. 13. 28. unde meruit à concilii legitimi patribus exauctorari. Quem tamen pœnituisse conjicio, quando ejus nomen non occurrit c. 190. inter illos Nestorii vindices, qui ob pertinaciam ab ecclesiis suis pulsi sunt.

IV. Basilius.

Prædatoriæ synodo Ephesinæ adfuit & subscripsit *Basilius episcopus sanctæ ecclesiæ Trajanopolis provinciæ Rhodopes*, qui post biennium ad Chalcedonense concilium rediit,

cujus & decretis subscripsit, Βασίλειος ἐπίσκοπος τῆς Τραιανουπολιτῶν μητροπόλεως. *Basilius episcopus metropolis Trajanopolitanorum.* Post septem annos Leo Imp. eidem literas misit synodi ejus sententiam quærens de nece S. Proterii Alexandrini, *Basilio reverentissimo episcopo Trajanopolis.*

V. FLACCIANUS.

Baronius ad annum 483. n. 62. fragmentum Latine recitat epistolæ *Flacciani,* vel forte *Flaviani episcopi Rhodopes* ad Petrum Fullonem, quem ob hymni Trisagii interpolationem redarguit. At epistolam quidem confictam esse, ut & similes aliàs jam olim in Damascenicis Dissertationibus ostendi, ac certe à viris qui Nestoriano errori nimium favebant. Verum Flacciani vel Flaviani nomen non perinde confictum affirmavero, quando epistolæ illæ à suppare scriptore ipso pene Fullonis ævo suppositæ fuerunt, quo facile non erat falsa episcoporum nomina lectoribus oggerere.

VI. ABUNDANTIUS.

Hormisdas Papa in fine epistolæ ad synodum Constantinopolitanam, quæ data est 7. Kal. Aug. Valerio v. c. Cos. seu anno Christi 521. hæc subdit : *Gesta Abundantii episcopi Trajanopolitani in scrinio habemus.* Quid ea gesta ferrent, non explicat.

VII. ELEUSIUS.

Quintæ synodo generali adfuit & subscripsit *Eleusinius,* sive *Eleusius misericordia Dei episcopus Trajanopolitanorum Rhodopes.*

VIII. * * *

In Septima synodo sedit & subscripsit *Gregorius presbyter, personam gerens throni Trajanopolis Thracum regionis,* Γρηγόριος ἁμαρτωλὸς πρεσβύτερος, καὶ ἐκ προσώπου τοῦ θρόνου Τραιανουπόλεως τῆς Θρακῶν χώρας, ἀσμένως πάντα τὰ προγεγραμμένα δεξάμενος, ὑπέγραψα.

IX. NICEPHORUS.

In Photii synodo quæ ejus restitutionis causa habita est, *Nicephorus Trajanopolis,* Νικηφόρου Τραιανουπόλεως, Νικηφόρος Τραιανουπόλεως.

X. GEORGIUS.

Anno 997. synodali decreto sub Sisinnio patriarcha vetitum est, ne duas sorores duo fratres ducerent, subscribente *Georgio Trajanopolis,* Γεώργιος Τραιανουπόλεως. Jur. Græco-Rom. pag. 203.

XI. * * *

Metropolita Trajanopolis sub Luca Chrysoberge patriarcha aderat decreto altero statuendo, ne episcoporum morientium bona à clericis auferrentur, quod latum est die 10. Martii fer. 2. anno 1158. Ibid. pag. 282.

XII. CADUMENES.

Georgius Pachymeres in Michaële Palæologo lib. 5. cap. 6. narrat Imperatorem hunc, Annæ filiæ suæ ad Cralem Serviæ secundo ejus filio nupturæ, præmisisse Chartophylacem Joannem Beccum & Cadumenem Trajanopolis episcopum, ἅμα δὲ σὺν ἐκείνῳ τὸν Τραιανουπόλεως Καδουμένην.

XIII. GERMANUS.

Anno 1352. celebrata Constantinopoli à Callisto patriarcha synodo, Barlaamus & Acyndynus Palamitarum adversarii proscripti sunt, subscripsitque, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Τραιανουπόλεως, ὑπέρτιμος, καὶ ἔξαρχος πάσης Ροδόπης. *Humilis metropolita Trajanopolis, Hypertimus & Exarchus totius Rhodopes.*

XIV. GABRIEL.

Synodicæ sententiæ qua Joasaph patriarcha anno 1564. exauctoratus est, subscripsit *Gabriel metropolita Trajanopolis, sive Maroneæ,* ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Τραιανουπόλεως, ἤτοι Μαρωνείας, Γαβριήλ. Ex quo discimus vastata Trajanopoli, metropolitica jura Maroneam esse translata, unumque factum fuisse utriusque ecclesiæ episcopum. Hist. Turco-Gr. lib. 2. pag. 174.

II. ECCLESIA MARONEÆ.

MARONEA, Μαρώνεια, Thraciæ civitas, Ægæo mari proxima, necnon Nesti fluminis ostiis Ptolemæo, de qua Plinius, *Maronea prius Ortagurea dicta.* Rhodopes censetur Hierocli; in antiquis vero Notitiis archiepiscopatus est, qui in metropolim auctus est Trajanopoli unitam.

EPISCOPI MARONEÆ.

I. ALEXANDER.

Epistolæ concilii Sardicensis ad ecclesias subscriptus legitur *Alexander de Morennis de Achaia.* Critici legunt *de Maronia de Thracia.* Nisi forte scribendum fuerit, *de Corenis,*

ECCLESIA MARONEÆ.

five *Corones*, vel *Corone*, quæ Achaiæ civitas eft.

II. Timotheus.

Inter epifcopos qui S. Joannis Chryfoftomi caufa exfilio multati funt, Palladius in dialogo de ejus vita pag. 195. *Timotheum Maroneæ* in Macedoniam amandatum tradit, Τιμόθεος ὁ Μαρωνείας καὶ Ιωάννης ὁ τῆς Λυδίας λέγεται ἐν Μακεδονίᾳ.

III. Docimasius.

Ephefinæ fynodo generali primæ interfuit & fubfcripfit *Docimafius epifcopus Maroneæ* B *diœcefis Thracicæ provinciæ Rhodopes*. Δοκιμάσιος ἐπίσκοπος διοικήσεως Θρᾴκης τῆς ἐπαρχίας Ροδόπης, τῆς πόλεως Μαρωνείας. Qui fynodo quoque alteri Ephefinæ anno 449. adfuit, cujus profana decreta quum approbaffet, eadem poft biennium ejuravit in concilio Chalcedonenfi. Tamdem fubfcriptus etiam reperitur fynodali decreto Gennadii Conftantinopolitani de Simoniacis.

IV. Innocentius.

Celebrem illam catholicorum præfulum C cum Severianis collationem quæ Juftiniano I. Imp. anno 533. habita eft, defcripfit *Innocentius Maroneæ epifcopus*, quemadmodum illius titulo fertur. Domino amabili *Thomati presbytero Innocentius epifcopus Maroneæ civitatis, in Domino falutem.*

V. Joannes.

In Quinta fynodo generali fedit & fubfcripfit *Joannes mifericordia Dei epifcopus Maronitarum metropoleos, Rhodopiæ provinciæ* pro *metropoleos*, fcriptum in textu Græco fuiffe exiftimo πόλεως, *civitatis*. Nondum D enim Trajanopolis metropoliticis fuis juribus exciderat, nec altera metropolis in Rhodope provincia inftituta erat.

VI. Nicetas I.

In fynodo Photiana inter metropolitas & archiepifcopos fedebat *Nicetas Maroneæ*, Νικήτα Μαρωνείας, Νικήτας Μαρωνείας.

VII. * * *

Anno mundi 6574. Chrifti 1066. Aprilis die 26. fer. 4. Ind. IV. à Joanne Xiphilino E patriarcha fynodica decreta fancita funt de clericorum etiam fponfalibus folvendis, ubi nuptiarum ftatuta impedimenta contingerent. Aderat metropolita vel archiepifcopus Maroneæ, τῆς Μαρωνείας. Jur. Græco-Rom. lib. 3. A pag. 211.

VIII. Pentailas.

Alexio Comneno Imp. & Nicolao Theobleto patriarcha *Pentailas*, Πενταΐλας è Rofianenfi epifcopatu ad Lemni archiepifcopatum tranflatus eft, cui fubinde data eft ecclefia Maroneæ, προσεδόθη δὲ αὐτῷ καὶ ἡ Μαρωνείας. Niceph. Call. lib. 14. hift. cap. 29. & lib. 4. Juris Græco-Rom. pag. 295.

IX. * * *

Luca Chryfoberge patriarcha fynodico decreto vetitum eft, ne clerici epifcoporum morientium bona fibi vindicarent, confidente metropolita Maroneæ, τῆς Μαρωνείας.

X. Nicetas II.

Anno 1166. habita Conftantinopoli fynodus eft de fenfu verborum iftorum Domini, *Pater major me eft*. Sedebat cum metropolitis aliis *Nicetas Maroneæ*. Allat. lib. 2. de confenf. cap. 12.

XI. Gabriel I.

Synodo in qua Joafaph patriarcha exauctoratus fuit anno 1564. adfuit & fubfcripfit *Gabriel metropolita Trajanopolis five Maroneæ*, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Τραιανουπόλεως ἤτοι Μαρωνείας. Lib. 2. hift. Turco-Gr. pag. 171.

XII. * * *

Epiftolæ admonitoriæ à Metrophane Patriarcha data metropolitæ Nauplii, qui repetundarum accufabatur, fubfcripfit *Gregorius Peritheorii epifcopus, nomine metropolitæ Maroneæ*, καὶ γνώμην ἔχων τῆς Μαρωνείας. Idem Gregorius perinde fubfcriptus legitur pro Maroneæ metropolita literis ejufdem Metrophanis, quibus filius fororis Theodofii Zygomalæ Tabularius inftituebatur. Ibid. p. 282.

XIII. Ananias.

Refponfioni Dionyfii patriarchæ fuper erroribus Calvinianorum anno 1672. fubfcribebat *Ananias Maroneæ*, ὁ Μαρωνείας Ανανίας.

XIV. Daniel.

Nuper fedebat *Daniel Maroneæ*, ex fchedis mihi Venetiis miffis *Danielle di Maronia*.

XV. Gabriel II.

Anno 1721. fedebat *Gabriel Maroneæ*, ὁ Μαρωνείας Γαβριήλ.



III. ECCLESIA MAXIMIANOPOLIS.

MAXIMIANOPOLIM in Rhodope habet Notitia Hieroclis, cujus muros Justinianus refecit, ut & quidquid provinciæ Rhodopes urbibus deerat; quod Procopius testatur lib. 4. de ædific. cap. 21. In Notitiis ecclesiasticis *Maximianopolis* provinciæ Rhodopes archiepiscopatus est, de cujus situ nihil mihi occurrit.

EPISCOPI MAXIMIANOPOLIS.

I. ENNEPIUS.

SYnodo Ephesinæ priori interfuit & subscripsit post Lucianum Toperi provinciæ Thraciæ, *Ennepius episcopus Maximianopolis ejusdem provinciæ*, Ἐννήπιος ἐπίσκοπος τῆς αὐτῆς ἐπαρχίας πόλεως Μύζης: emendandum τῆς Μαξιμιανουπόλεως, ut bene habent Latini codices.

II. SERENUS.

Synodo Chalcedonensi *Serenus episcopus* A *Maximianopolis*, Σέρῆνος ἐπίσκοπος Μαξιμιανουπόλεως: ac quidem *Rhodopes*, Ῥοδόπης, ut diserte fertur act. 1. & 3. Subscriptus itidem legitur decreto Gennadii Constantinopolitani, quod anno 459. latum est contra Simoniacos.

III. EUSTATHIUS.

In Quinta synodo sedit inter metropolitas, & subscripsit *Eustathius misericordia Dei episcopus Maximianopolitarum metropoleos.*

Nulli deinceps illius successores reperiuntur.

IV. ECCLESIA TOPERI *sive* RHUSII.

TOPIRUS vel *Toperus*, Rhodopes civitas est in Notitia Hieroclis, ubi *Rhusium* cognominatur, Τόπηρος, νῦν Ῥούσιον, *Toperus nunc Rhusium. Topiris* Plinio dicitur, *Topiris, Nesti amnis ostium,* quin etiam Ptolemæo Τόπειρις, *Topiris*, quæ in veteribus Notitiis Rhodopes episcopatus est; subinde vero archiepiscopatus evasit. De ejus situ audiendus venit Procopius lib. 4. de ædif. cap. 11. *Toperus, urbs antiqua Rhodopes, fere undique ambita fluvio, colli arduo subjacens, non ita pridem à Sclavenis barbaris capta erat. Tam alte Justinianus muros ejus extulit, ut collem tanto superarent, quanto prius erant inferiores. His porticum cameratam composuit, unde urbis defensores tuto cum hostibus dimicant. Ex unaquaque turri Castellum validum fecit, & quæ à mœnibus ad fluvium patebant, ea muro firmavit.*

EPISCOPI TOPERI.

I. LUCIANUS.

IN synodo Ephesina sedebat *Lucianus episcopus Toperi Thraciæ*, ut ferunt acta Latina act. 1. qui post Docimasium Maroneæ diœcesis Thraciæ provinciæ Rhodopes subscripsit, *Lucianus episcopus ejusdem provinciæ civitatis Toperi*, Λουκιανὸς ἐπίσκοπος τῆς αὐτῆς ἐπαρχίας πόλεως Τοπήρου.

II. TRYPHON.

Synodo Photianæ adfuisse & subscripsisse legitur *Tryphon Rhusii*, Τρύφωνος Ῥουσίου, Τρύφων Ῥουσίου.

III. * * *

B Lib. 4. Jur. Græco-Rom. pag. 269. statutum synodicum exstat Nicolai Theobleti Grammatici patriarchæ de præstatione canonicorum, cui condendo aderat *achiepiscopus Rhosii*, τοῦ Ῥωσίου.

IV. THEODULUS.

Sententiæ synodicæ qua Joannes Calecas patriarcha destitutus fuit, anno mundi 6855. mense Febr. Ind. xv. seu anno Christi 1347. subscripsit *Theodulus metropolita Rhosii*: ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Ῥωσίου, καὶ ὑπέρτιμος Θεόδουλος. Lamb. Bibl. Cæsar. lib. 6. cod. 6.

V. ECCLESIA ÆNI.

ÆNUS sive *Ænos*, Αἶνος, Plinio *oppidum liberum Thraciæ est cum Polydori tumulo*, quod Strabone teste *Poltiobria* olim dicebatur (Polymbriam legebat Stephanus) Trajanopoli & Cypsella pari intervallo milliarium circiter 24. distabat, Septemtrionem versus, necnon à Lemno insula quam prospicit ad Orientem 60. circiter mill. Ejus quoque mœnia Justinianus refecit, Procopio teste. Inter metropoles censetur in Notitiis ecclesiarum, imo in actis Quintæ synodi, nisi error sit interpretis Latini; quod certe mihi magis placet.

ECCLESIA ÆNI.

EPISCOPI ÆNI.

I. Olympius.

Æni vel Ænorum Thraciæ episcopus erat *Olympius*, qui Constantio Imperatore ecclesia sua catholicæ Fidei causa exagitatus fuit cum Theodulo Trajanopolis, ut superius narravi ex Apologiâ Athanasii de fugâ suâ. *Nonne*, inquit, *eliminarunt Theodulum & Olympium è Thracia! Tales literæ missæ sunt, adversus Olympium ad Proconsulem Donatum, quibus Olympius morti addicebatur.* τὰ μὲν κατὰ τὸν περὶ Ολύμπιον πρὸς τὸν ἀνθύπατον Δονάτον. Ænorum episcopum diserte dicit epist. ad Solitarios: *Diodorum quoque episcopum suis sedibus expulerunt, Olympium vero de Ænis*, Ολύμπιον δὲ τὸν ἐξ Αἴνων, *& Theodulum de Trajanopoli, ambos episcopos Thraciæ, bonos & orthodoxos, hæresi infensos calumniis impetiverunt; semel quidem, quum ad Eusebianorum criminationes Constantius edictum misit, iterum autem refricata hujus memoria ferebat edictum, ut non solum civitatibus & ecclesiis ejicerentur, sed & capitali pœna plecterentur ubicumque inventi essent.* Fuga illos sibi consuluisse dixi, contra quam Socrates existimavit.

II. Macarius.

In translatione Latina actorum synodi Chalcedonensis, illi adfuisse fertur *Macarius Æni Thraciæ*, qui in indice veteri Latino corruptè scribitur *Macarius, Ænantes, de provincia Rhodopes.*

III. Paulus.

In Quinta synodo generali sedit, subscripsisseque legitur *Paulus misericordia Dei episcopus Ænorum metropoleos Rhodopes*, pro πόλεως, *civitatis Rhodopes.*

IV. Georgius.

In subscriptionibus canonum synodi quam Quinisextam & Trullanam dicunt, legitur *Georgius episcopus Ænitarum civitatis provinciæ Thraciæ*, Γεώργιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος τῆς Αἰνιτῶν πόλεως Θρᾳκῶν χώρας.

V. Joannes I.

In synodo Photiana *Joannes Æni* sedisse legitur & subscripsisse, Ιωάννης Αἴνου.

VI. Michael.

A Alexio Comneno Imp. & Nicolao Theobleto patriarcha innovatum est decretum unionis de cultu sanctarum imaginum in solenni episcoporum & procerum Imperii conventu, quorum unus fuit metropolita *Æni Michaël*, Μιχαὴλ Αἴνου. Bibl. Coislin. p. 103.

VII. * * *

Anno 1158. statuto synodico Lucæ Chrysoberges, ne clerici episcoporum morientium bona auferrent, condendo aderat metropolita Æni, τοῦ Αἴνου.

VIII. Joannes II.

B Anno 1166. sedebat *Joannes* metropolita Æni in synodo illa frequenti in qua Alamannorum de Filii erga Patrem humanitatis causa subjectione, assertio pura & sincera judicata est. Allat. de cons. lib. 2. cap. 12.

IX. Daniel.

In ea synodo, quæ Callisto patriarcha præside, Gregorii Palamæ errores approbavit, sedit & subscripsit *Æni metropolita Daniel*, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Αἴνου, καὶ ὑπέρτιμος Δανιήλ.
C Cod. Coislin. 99. opuscula continet ejusdem Gregorii Palamæ, in quibus epistola habetur inscripta, πρὸς τὸν ἱερώτατον, καὶ τὰ θεῖα σοφὸν μητροπολίτην Αἴνου κυρὸν Δανιήλ. *Ad sacratissimum divinisque rebus eruditum Æni metropolitam Danielem.* Joannes Cantacuzenus lib. 4. cap. 37. narrat Danielem Æni & Josephum Tenedi episcopos ab se Imperator quum esset delegatos, ut Callisto suaderent patriarchatum resumere. In quos tamen Callistus, inque ipsorum socios anathema intorsit. Quâ Daniel pertinaciâ iratus, Imperatori au-
D ctor fuit, ut in illius locum alter constitueretur.

X. Matthæus.


Stephano Gerlachio nomen suum in charta scripsit *Matthæus Æni metropolita anno 1575. in Augusto.* ὁ μητρ. Αἴνου Ματθαῖος. Hist. Turco-Gr. pag. 507.

XI. Gedeon.

Responsioni Dionysii patriarchæ datæ anno 1672. super erroribus Calvinianorum subscripsit *Gedeon Æni*, ὁ Αἴνου (non Αρνου) Γεδεών.



VI. ECCLESIA



VI. ECCLESIA MACRES.

MACRE, Μάκρη, Rhodopes episcopatus est in Notitia Leonis Imp. cujus est apud Joannem Scilitzem & alios Byzantinæ historiæ scriptores mentio. Ex indicibus civitatum quarum prisca nomina mutata sunt, vetus illius nomen *Orthagira & Stagira fuit*, Ορθάγιρα ἢ Στάγιρα, ἡ νῦν Μάκρη, ut proinde Aristotelis Philosophi patria fuerit. Ac certe Nicetas Choniates in Isaacio Angelo sub finem, *Stagiram* suo ævo *Macren* dici solitam confirmat, ἀφιγμένος δὲ κατὰ Στάγιραν, ἥτις Μάκρη λέγεται νῦν, *Stagiram vadens, quæ nunc Macre nominatur.* Sequiori ævo episcopus ejus metropolita renuntiatus est.

EPISCOPI MACRES.

I. ANTIOCHUS.

IN synodo quæ Photii in Constantinopolitanum thronum restituti causa habita est, sedisse & subscripsisse legitur *Antiochus Macres*, Αντιόχου Μάκρης, Αντίοχος Μάκρης. A

II. THEODORUS.

III. NICON.

Lib. 4. Jur. Græco-Rom. p. 294. ubi de Translationibus episcoporum, fertur *Theodorus Macres* Laodiceam migrasse, ac rursum *Nicon* ejusdem civitatis episcopus Hierapolim, ὁ Μάκρης Θεόδωρος μετετέθη εἰς Λαοδίκειαν, καὶ Νίκων τῆς αὐτῆς πόλεως, εἰς Ἱεράπολιν. Quod Leone Sapiente Imp. factum innuitur.

IV. * * *

Joannes Cantacuzenus lib. 3. hist. cap. 71. *episcopi Macres* meminit, quem ab Apocaucho magno duce delegatum ad Imperatorem ait, ut eum certiorem faceret illum ejus hostem non esse, sed amicum. τὸν Μάκρης ἀρχιερέα πρὸς τὸν βασιλέα πέμψας. Cujus tamen fraudem non ignorans Imperator Cantacuzenus, episcopum ad ipsum remisit, fictam ejus & mendacem amicitiam exprobrans.

Macarii Macres sæpe meminit Allatius Latinorum ecclesiæ hostis infensissimi. Eum Georgius Phranza impensè laudat, sibique amicitia conjunctum ait; nusquam vero indicat illum Macres episcopatum gessisse.



VII. ECCLESIA CYPSELLORUM.

QUÆ Κύψηλος, *Cypselus* Straboni, *Cypsella* Plinio dicitur, *ingens aliquando Cypsella* Pomponio Melæ; quin etiam Ptolemæo Κύψελλα, ad Hebrum amnem posita civitas, inter Aprum & Trajanopolim. Hanc à Justiniano Justinianopolim, & Justinianam novam nuncupatam conciliorum gesta testantur, utique à Justiniano Imp. seniore. In Notitia Leonis Sapientis Imp. Archiepiscopatus *duodecimus est Cypsella.* ιβ'. ἡ Κύψελλα, ubique voce singulari feminea: in actis vero synodorum vox pluralis neutra est.

EPISCOPI CYPSELLORUM.

I. GEORGIUS.

QUintæ synodo generali adfuit & subscripsit *Georgius misericordia Dei episcopus Novæ Justinianæ Cypselitanorum,* aliàs *Cypselon.* B

II. THEOPHYLACTUS.

Septimæ synodo *Theophylactus episcopus Cypsellorum*, Θεοφύλακτος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Κυψέλλων.

III. STEPHANUS.

Octavæ synodo *Stephanus Dei gratia archiepiscopus Cypsellorum,* qui proinde non à Photio, sed ab Ignatio vel à Methodio consecratus fuerat. Cæterum Photianæ posthac synodo adfuisse & subscripsisse inter metropolitas vel archiepiscopos legitur, Στεφάνου Κυψέλλων, Στέφανος Κυψέλλων.

IV. LEO.

Anno 997. condendo sub Sisinnio II. patriarcha decreto, ne duo fratres consobrinas duas ducerent, adfuit *Leo Cypsellorum archiepiscopus,* Λέων Κυψέλλων. Jur. Græco-Rom. lib. 3. pag. 203.

V. PETRUS.

Aderat itidem in synodo Alexii patriarchæ, in qua actum est de Donatariis monasteriorum, *Petrus Cypsellorum,* Πέτρου Κυψέλλων. Ibid. lib. 4. pag. 259.

VI. JOANNES.

Synodo quoque Lucæ Chrysoberges, anno 1166. in qua actum de Fide Alamannorum, *Joannes Cypsellorum.* Allat. lib. 2. de consens. cap. 12.

VIII. # ECCLESIA PERITHEORII.

PERITHEORIUM Rhodopes episcopatus est Leoni Sapienti, ὁ Περιθεωρίου, cujus meminit Scilitzes. Metropolis sequiori ævo facta est; hodie vero unus Peritheorii & Xanthiæ episcopus est.

EPISCOPI PERITHEORII.

I. JACOBUS.

IN Photiana synodo adfuisse & subscripsisse A legitur *Jacobus Peritheorii*, Ἰακώβου Περιθεωρίου, Ἰάκωβος Περιθεωρίου.

II. * * *

Joannes Scilitzes & ex illo Cedrenus narrant, Dyrrachii metropolitam & episcopum Peritheorii conscios fuisse defectionis Constantini Diogenis adversus Romanum Argyrum Imp. εἰδήσῃ τοῦ μητροπολίτου Δυῤῥαχίου καὶ τοῦ ἐπισκόπου Περιθεωρίου, qui tres capti fuere & custodiæ traditi; post vero episcopi ad Imperatorem deducti, libertate donati B sunt. Cedr. pag. 729.

III. DOSITHEUS.

Joasaph Patriarchatu anno 1564. amotus est, præsertim ob injustas pontificum destitutiones, quorum unus fuerat *Dositheus episcopus Peritheorii*, καὶ Περιθεωρίου Δοσιθέου. Lib. 2. hist. Turco-Gr. pag. 171.

IV. GREGORIUS.

Anno 1580. Metrophanes patriarcha literas monitorias dedit ad Metropolitam Nauplii qui repetundarum accusabatur. His subscripsit *Gregorius Peritheorii consensum habens Maroneæ præsulis*. Γρηγόριος Περιθεωρίου, ἔχων καὶ τὴν γνώμην τοῦ Μαρωνείας. Ibid. p. 287. Qui subscripsit etiam literis ejusdem Metrophanis, quibus filius sororis Theodosii Zygomalæ Tabularius instituebatur. Hic anno 1576. nomen suum Stephano Gerlachio in charta scripserat, ὁ μητροπολίτης Περιθεωρίου Γρηγόριος, 20. Junii. Ibid. pag. 507.

V. PHILEMON.

Anno 1580. restituto in patriarchatum Hieremia II. ecclesia Constantinopolitana gratulatoriam epistolam ad Moschorum Imperatorem dedit, cui subscripsit *Philemon Peritheorii & Xanthæ*, ὁ Περιθεωρίου καὶ Ξάνθης Φιλήμων.

IX. # ECCLESIA XANTHIÆ.

XANTHIA inter Thraciæ oppida censetur Nicetæ Choniatæ, & in Notitia Leonis Imp. provinciæ Rhodopes sextus episcopatus est, ϛ'. ὁ Ξανθείας, qui in metropolim evasit, quemadmodum Macre, Didymotichus & Peritheorium. Inter Mosynopolim & Abderam existit: ubi Xanthi Thraciæ populus Stephano ex Hecatæo.

EPISCOPI XANTHIÆ.

I. GEORGIUS.

NUllus mihi Xanthiæ episcopus occurrit C ante Photianæ synodi tempora, cui adfuisse & subscripsisse legitur *Georgius Xanthiæ*, Γεωργίου Ξανθείας, Γεώργιος Ξανθείας.

II. PHILEMON.

Modo memini *Philemonis metropolitæ Peritheorii & Xanthes*, sive *Xanthiæ*, qui anno 1580. sedebat.

III. CYRILLUS.

Anno 1721. sedebat *Cyrillus Xanthiæ & Peritheorii*, ὁ Ξάνθης & Περιθεωρίου Κύριλλος.

X. # ECCLESIA MOSYNOPOLIS.

MOSYNOPOLIS Rhodopes tertius episcopatus est in Notitia Leonis Imp. γ'. ὁ Μοσυνουπόλεως. Sic legendum pro Μισινουπόλεως, ut in editis.

EPISCOPI MOSYNOPOLIS.

I. PAULUS.

IN synodo quæ ob Photium restitutum coacta est, sedebat *Paulus Mosynopolis*, Παύλου Μοσυνουπόλεως.

XI. ECCLESIA DIDYMOTICHI.

DIDYMOTICHOS, Διδυμότοιχος, oppidum est in promontorio situm, quod in Notitia Leonis Imp. primus est Rhodopes episcopatus sub Trajanopoli. α΄. ὁ Διδυμουτείχου. Ad Hebrum fluvium jacet à quo ambitur, ac *Dimothi* hodie dicitur. Sequiori ævo metropoliticos honores obtinuit.

EPISCOPI DIDYMOTICHI.

I. NICEPHORUS.

SEdisse in synodo Photiana legitur *Nicephorus Didymotichi*, Νικηφόρου Διδυμοτείχου, Νικηφόρος Διδυμοτείχου. A

II. GEORGIUS.

Anno 1232. in synodo quæ Nicææ in Bithynia habita est, & in qua Germanus patriarcha Christophoro Ancyræ ad Manuëlem Ducam Epiri Despotam pergenti mandata dedit, sedebat *Georgius Didymotichi*, τοῦ Διδυμοτοίχου Γεωργίου. Lambecius Bibl. Cæsar. cod. 241.

III. * * *

Inter metropolitanos Græciæ qui de ecclesiæ utriusque unione Gregorio Papæ X. scripserunt, epistolæ ipsorum initio legitur *Metropolitanus Didymotichi*, ut & in inscriptione epistolæ Gregorii ad ipsos.

IV. THEOLEPTUS.

Joannes Cantacuzenus Imperii insignia Didymotichi accipiens, faventem sibi urbis episcopum habuit, ut pote qui summam rerum ei pridem prænuntiarat, ut fert ipse l. 3. hist. c. 27. Hunc autem ceu virum sanctissimum extollit, qui à Deo impetrarit, ut mulier violatæ pudicitiæ suæ conscia, sese candente ferro apprehenso apud maritum suum purgare volens, eo minime læderetur, quum admissi sceleris vere pœnitens, illud episcopo ceu patri, ut vocant, spirituali confessa esset. Atqui hic omnino *Theoleptus* fuit qui anno mundi 6855. mense Febr. Ind. XV. Christi 1347. subscripsit sententiæ latæ in Joannem Calecam patriarcham, qui Gregorii Palamæ malè sana dogmata probare non videretur. Lib. 6. Bibl. Cæsar. Cod. 6. Anno quoque 1351. synodo Callisti patriarchæ interfuit, in qua Barlaamus & Acyndynus Palamitarum impugnatores proscripti sunt, subscripsitque, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Διδυμοτείχου καὶ ὑπέρτιμος Θεόληπτος. *Humilis metropolita Didymotichi & Hypertimus Theoleptus.*

V. SOPHRONIUS.

Sententiæ qua Joasaph patriarcha anno 1564. exauctoratus est, subscripsit *Sophronius* B *Didymotichi*, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Διδυμοτοίχου Σωφρόνιος. Hist. Turco-Græc. lib. 2. pag. 171.

VI. MATTHÆUS.

Literis commonitoriis Metrophanis patriarchæ ad Nauplii metropolitam, qui repetundarum reus erat, subscripsit *Matthæus Didymotichi*, ὁ Διδυμοτοίχου Ματθαῖος.

VII. DANIEL.

In synodo Cyrilli Berrhœensis patriarchæ, in qua Cyrilli Lucaris hæretica dogmata dam- C nata primùm fuere anno 1638. sedit & subscripsit *Daniel Didymotichi*, ὁ Διδυμοτείχου Δανιήλ.

VIII. GREGORIUS.

Inter episcopos qui Responsioni Dionysii patriarchæ super erroribus Calvinianis anno 1672. subscripserunt, legitur *Gregorius Didymotichi*, ὁ Διδυμόχου, pro Διδυμοτείχου Γρηγόριος.

XII. ECCLESIA ANASTASIOPOLIS.

IN veteri Notitia unus *Anastasiopolis* episcopatus est tertiæ provinciæ Hæmimonti sub Trajanopolitano metropolita. In ea vero quæ Leonis Sapientis Imp. nomen præfert, quartus est episcopatus provinciæ Rhodopes. δ΄. ὁ Ἀναστασιουπόλεως; quod ei nomen omnino inditum erit ab Anastasio Imp. De ejus vero situ nihil compertum habeo.

EPISCOPI ANASTASIOPOLIS.

I. MARIANUS.

HUjus, ut puto, Anastasiopolis episcopus *Marianus* fuit, qui Photianæ synodo adfuit & subscripsit, Μαριανοῦ Ἀναστασιουπόλεως, Μαριανὸς Ἀναστασιουπόλεως.

XIII. # ECCLESIA CARABIZYÆ.

IN Notitia Leonis Imp. Carabizya vigesimus primus archiepiscopatus est, κα'. ἡ Καραβιζύη, & in Laterculo metropolitarum & archiepiscopatuum lib. 3. Jur. Græco-Rom. pag. 244. Cujus urbis situm regionemve in qua existat assequi non potui. At certe Thracicam urbem ipsum nomen indicat, propter Bizyam & Trabizyam Thraciæ civitates. Aliam vero urbem esse à Trabizya, exhinc fit certum, quod Trabizya simplex sit episcopatus in Leonis Notitia, & Carabizya archiepiscopatus, ut prædictum est.

EPISCOPI CARABIZYÆ.

I. Leo.

IN illa synodo quæ Leonis Papæ IX. Legatis anathema dixit, sedebat *Leo archiepiscopus Carabizyæ*, καὶ ἀρχιεπισκόπων, Λέοντος Καραβιζύης, Γρηγορίου Μεσημβρίας. Allat. diss. 2. de lib. eccl. Græc.

II. Joannes.

Solenni episcoporum & procerum Imperii conventui, in quo Alexio Comneno Imp. Decretum unionis de sanctarum imaginum veneratione innovatum est, aderat *Joannes archiepiscopus Carabizyæ*, Ἰωάννου Καραβιζύης. Bibl. Coislin. pag. 104.

A

III. Gregorius.

Anno Mundi 6655. Christi 1147. Manuële Comneno imperante, Cosmas Atticus patriarchatu amotus est in synodo cui adfuit & subscripsit *Gregorius Gamalas archiepiscopus Carabizyæ*, ὁ εὐτελὴς ἀρχιεπίσκοπος Καραβιζύης Γρηγόριος ὁ Γαμαλᾶς. Qui anno rursum 1156. sedit in altera synodo, in qua Soterichus Panteugenus Antiochiæ patriarcha designatus proscriptus fuit. Allat. Vind. Syn. Ephes. pag. 585.

XIV. # ECCLESIA PORORUM.

PORI quinta civitas episcopalis est provinciæ Rhodopes in Notitia Leonis Imp. ε'. ὁ Πόρων. Ubi sita fuerit, incompertum mihi esse fateor.

EPISCOPI PORORUM.

I. Nicephorus.

IN synodo quæ ob Photii in Byzantinam sedem restitutionem habita fertur, sedit *Nicephorus Pororum*. Νικηφόρου Πόρων, Νικηφόρος Πόρων.

XV. # ECCLESIA THEODORII.

IN Leonis Imp. Notitia *Theodorium* dicitur episcopatus octavus provinciæ Rhodopes, η'. ὁ Θεοδωρείου, cujus nulla alibi mentio occurrit, nullus episcopus memoratur, nisi forsan Theodorii Ecclesiæ præfuerit Basilius, qui *Perberæi episcopus* scribitur in actis Septimæ synodi generalis, atque inter episcopos Thraciæ diœcesis sedebat. Βασίλειος ὁ ἁγιώτατος ἐπίσκοπος Περβερέως. Βασίλειος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Περβερῶν, Περβερέων.

Lib. 6. Bibl. Cæsar. cod. 19. contineri fertur liber *de urinis*, auctore Joanne episcopo Presdrianorum, τοῦ ἁγιωτάτου Ἰωάννου ἐπισκόπου Πρεσδριανῶν συγγραφὴ περὶ οὔρων, συλλεγεῖσα ἀπὸ πολλῶν, καὶ διαφόρων παλαιῶν, καὶ νεῶν ἰατρῶν, περὶ οὔρων εἰπόντων. *Prisdriana* autem Ortelio in Thesauro Geographico, ex Curopalata, *oppidum est circa Bulgariam*.



V. PROVINCIA SCYTHIÆ.

I. ECCLESIA TOMORUM, METROPOLIS.

DE Scythia parva, eaque Europæa ad Istrum flumen, non de Tauro-Scythia nobis modo sermo est. Hanc ab Istri ostiis ad Tyram usque amnem, & ubi regio quæ *Pontus* dicitur, protendunt Strabo & Pomponius Mela; ejusque fines sic Plinius describit lib. 4. c. 11. *Thracia altero à latere Pontico littore incipiens, ubi Ister amnis immergitur, vel pulcherrimas in ea parte urbes habet, Istropolim Milesiorum, Tomos, Galatimque, quæ antea Acervetis vocabatur. Heracleam habuit & Byzonem terræ hiatu raptam. Nunc habet Dionysopolim, Crunos antè dictam. Alluit Zyras amnis. Totum eum tractum Scythæ Aroteres cognominati tenuere;* illi nempe qui non vagabundi, sed fixis sedibus arvis colendis vacabant. Atqui Scythiæ hujus caput & primaria civitas fuit quam Plinius & alii Tomos vocant, quæque prioribus Christianæ Legis sæculis Martyrum complurium sanguine rubuit, quorum frequens est in Martyrologiis mentio. Hanc Thraciæ deputatam innuit Sozomenus lib. 6. cap. 21. ubi narrat quo pacto catholica Fides in ea regione integra sinceraque perseveraverit. *Ea gens*, ait, *multas urbes habet & oppida & castella, quorum metropolis est Tomi*, seu *Tomis*, *magna & felix civitas, ad mare posita in sinistro latere iis qui ad Pontum Euxinum navigant. Ad hoc usque tempus vetus consuetudo viget, ut unus illarum Ecclesiarum sit episcopus.* εἰσέτι καὶ νῦν ἔθος παλαιὸν ἐνθάδε κρατεῖ, τοῦ παντὸς ἔθνους ἕνα τὰς ἐκκλησίας ἐπισκοπεῖν. Quinimo Nicetas Choniates sæculi decimi tertii labentis scriptor lib. 5. Thes. Fid. c. 5. ubi de Nicæno concilio, hunc quoque morem ævo suo viguisse testatur. *Quum nondum*, inquit, *omnibus civitatibus suus obtigisset episcopus, eo factum est, ut plures id temporis non convenerint. Provinciarum enim aliæ uni tantum parebant, ut Scythia & Russia usque in hodiernum diem.* Quamquam Tauro-Scythiam hic prorsus à Niceta significari suspicor, quando, ut mox compertum fiet, multæ in Scythia nostra altera cis Istrum posita episcopales ecclesiæ exstiterunt. In vetustioribus Notitiis Ecclesiarum, Tomi civitas archiepiscopatus est dumtaxat, non metropolis, ἐπαρχία Σκυθίας ὁ Τόμης, vel Τόμις. Cæterum hodie *Tomi* non exstant, & perperam à quibusdam pro *Temisvar* accipitur, & ab aliis pro *Kiowia*.

EPISCOPI TOMORUM.

I. Evangelicus.

IN vitis Patrum pag. 218. *Evangelicus* Diocletiano Imp. Scytharum episcopus fuisse fertur. Nimirum illic legitur, *Epictetum & Astionem Martyres in Scytharum provinciam, & in Almiridensium civitatem pervenisse, cujus provinciæ tunc Pontifex & Sanctarum Ecclesiarum præpositus sanctissimus Evangelicus habebatur.* Evangelicus autem post quadraginta dies ab ipsorum martyrio Astionis parentes sacro baptismo tinxit.

II. Philius.

Ex Bedæ Martyrologio die 3. Januarii, hæc habentur: *In Tomis natalis S. Filii* (Philii) *qui post alia tormenta in mare est mersus.* Hunc Rabanus in suo Martyrologio *Titum* nominat. *In Tomis civitate Natalis sancti Titi episcopi qui sub Licinio inter tyrones comprehensus, quum nollet militare, cæsus ad mortem, carcere mancipatus, missus in cippo est, donec relatione esset responsum, demersoque in mare, delato corpore ejus in littore, à religiosissimis viris depositum est in villa Amandi religiosi viri, ubi fiunt curationes magnæ.* Verum quæ apud Bedam de *Filio*, & apud Rabanum de *Tito* dicuntur, eadem apud Usuardum Diogeni martyri, quem Beda *Theogenem* vocat, adscribuntur, sed & Diogenem Cyzici in Hellesponto martyrio functum subdit. Menæa die eadem 2. Januarii Theagenem Parii in Hellesponto martyrem occubuisse perinde perhibent.

III. * * *

Nicænæ synodo Scytharum antistitem interfuisse perhibet Eusebius in vita Constantini lib. 3. cap. 7. οὐδὲ Σκύθης ἀπελιμπάνετο τῆς χορείας, *nec Scytha ab hoc aberat Choro;* cujus in Indice Latino omissum est nomen: unde Doctissimus Valesius Eusebium de Theophilo Gotthiæ loquutum esse suspicatur; verum Index ille non omnes qui Nicæam convenerant, præsules complectitur.

IV. Bretanio.

Valente Imperatore Scytharum Ecclesiis præerat *Bretanio* Tomorum episcopus vir accuratissimæ Fidei, qui illo urgente ut Arianis Ecclesiam aliquam daret, in aliam secessit, in quam populus omnis eum sequutus est. Quocirca exsulare quidem jussus est, sed mox consultò revocatus fuit, ne Scythæ Pastoris absentiam ægre ferentes, novis rebus studerent. Hæc Sozomenus lib. 6. cap. 21. Bretanionis libertatem & constantiam perinde commendat Theodoretus lib. 4. hist. cap. 35. ejusque exsilium postremis Valentis Aug. annis assignat; quando Romanum exercitum per Scythiam adversus Gotthos pergere opportebat. Martyrologium Romanum S. Bretannionis memoriam habet die 25. Januarii. *Tomis in Scythia S. Bretannionis episcopi, qui mira sanctitate & zelo catholicæ Fidei, sub Valente Imp. Ariano cui fortiter restitit, in Ecclesia floruit.*

V. Gerontius.

Proximus Bretanionis successor fuit *Gerontius,* qui in Indice Patrum concilii Constantinopolitani generalis primi memoratur *Gerontius Tomensis.* At vero *Terentius* nominatur in lege quam Theodosius magnus dedit Auxonio Asiæ Proconsuli III. Kal. Aug. *Heracleæ Eucherio & Syagrio coss. jubens episcopis tradi omnes Ecclesias, communioni Nectarii episcopi Constantinopolitanæ Ecclesiæ, necnon Timothei intra Ægyptum Alexandrinæ urbis episcopi sociatis. . . . Terentio episcopo Scythiæ.*

VI. Theotimus I.

Quo tempore Joannes Chrysostomus Constantinopolitanæ Ecclesiæ præerat, Tomitanam gerebat *Theotimus,* qui anno 400. in urbe Regia agebat ob necessaria negotia, dum S. archiepiscopus synodum illam habuit, in qua Antoninus Ephesi multorum criminum est accusatus, παρόντων καὶ ἑτέρων ἐπισκόπων, τῶν τε ἀπὸ Σκυθίας, Θεοτίμου λέγω, καὶ ἀπὸ Θράκης. κ. τ. ἑ. Hæc Palladius Dial. de vita S. Joann. Chrys. Sozomenus addit Theoti-

A mum Constantinopoli versatum esse quo tempore Theophilus Alexandrinus & Epiphanius Constantiensis in Cypro vehementer instabant, ut Chrysostomus Origenem damnaret; eumque decreto ipsorum subscribere renuisse Socrates testatur, l. 6. c. 12. sibi enim fas non esse aiebat, hominem mortuum probro afficere, & libros detestari à quibus majores sui sibi temperarant. *Hæc Theotimus,* inquit, *vir pietate & vitæ rectitudine celebris Epiphanio respondit.* Ταῦτα μὲν ὁ ἐπ' εὐλαβείᾳ καὶ βίου ὀρθότητι προὔχοντος Θεότιμος πρὸς Ἐπιφάνιον ἀπε-
B κρίνατο. *Toto illo quo Chrysostomus sedebat tempore,* pergit Sozomenus, lib. 7. cap. 26. *deincepsque Theotimus Tomis & Scythiæ Ecclesiam administrabat, vir Philosophia enutritus, cujus virtutem Hunni Istri accolæ suspicientes, Romanorum Deum illum appellabant.* ἐν τούτῳ Τόμεως καὶ τῆς ἄλλης Σκυθίας τὴν ἐκκλησίαν ἐπετρόπευε Θεότιμος Σκύθης, ἀνὴρ ἐν φιλοσοφίᾳ τραφείς, ὃν ἀγάμενοι τῆς ἀρετῆς οἱ περὶ τὸν Ἴστρον Οὖννοι βάρβαροι, θεὸν Ῥωμαίων ὠνόμαζον. *Enimvero divinas in eo virtutes experti erant, sed & eos conviviis & muneribus excipiens ad mansuetudinem revo-*
C *caverat.* Hieronymus hunc Ecclesiæ scriptoribus accenset. *Theotimus Scythiæ Tomorum episcopus, in morem dialogorum & veteris eloquentiæ breves commaticosque tractatus edidit. Audio eum & alia scribere.* Hæc Hieronymus anno 15. Theodosii, seu Christi 393. ut jam ante sederit oportet Theotimus. Hujus memoria fit in Martyrologio Romano die 20. Aprilis. *Tomis in Scythia S. Theotimi episcopi, quem ob insignem ejus sanctitatem & miracula etiam infideles & barbari venerati sunt.* Ex iis quæ ex Sozomeno attuli de Theotimo,
D apparet eum in vivis superstitem non fuisse, dum ille ecclesiasticam historiam scriberet. Quin etiam ubi narratis quæ sanctus Donatus Evrææ episcopus gessit, addit ejus tempore Theotimum Scytham Tomis ecclesiam gubernasse, ἐπὶ τούτῳ ... ἐπετρόπευε, quæ loquutio Theotimum jam defunctum fuisse satis indicat.

VII. Timotheus.

Theotimo successit *Timotheus,* qui ad Ephesinam synodum venit anno 431. & ipsa
E die qua concilium celebrari cœpit Contestationi subscripsit complurium episcoporum, qui intercesserunt ut Cyrillus Alexandrinus Joannis Antiocheni & Orientalium adventum exspectaret. *Timotheus episcopus à Scythia.* Mox vero re melius pensata, legitimæ synodo adhæsit, cujus decretis subscripsit. Τιμόθεος ἐπίσκοπος ἐπαρχίας Σκυθῶν. Translatio Latina habet : *Timotheus episcopus provinciæ Scythiæ civitatis Tomorum.*

VIII. JOANNES.

Concilio Ephesino aliquandiu superstes fuit Timotheus; ejus vero successor *Joannes* priùs obierat quam Marius Mercator Nestorianos & Eutychianos scriptis suis incesseret, & Eutherii Tyanensis capitula refelleret, hoc est ante annum 448. Ait quippe *utramque pravitatem sua per plurimos ignorantia serpentem, beatissimi Patris Joannis Tomitanæ urbis episcopi provinciæ Scythiæ sermonibus* expugnatam esse, quos ipse prodere necessarium duceret. Eutychianum vero errorem ignorantia multorum serpentem dicit, qui passim jam ante serperet ob male intellecta quædam magni Cyrilli dicta, quum Eutyches propter pertinaciam damnari cœpisset.

IX. ALEXANDER.

Flaviano Protogene, & qui fuerit nuntiatus, Consulibus, adeoque an. Christi 449. Constantinopoli, præside Flaviano ejusdem urbis patriarcha sanctissimo, habita synodus est in causa Eutychetis, post ejus depositionem, cujus acta in Epheso lecta sub Dioscoro, & post modum Chalcedone relecta sunt. In hac synodo sedisse legitur *Alexander reverentissimus episcopus Tomitanorum civitatis, provinciæ Scythiæ,* Ἀλεξάνδρου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου τῆς Τομέων πόλεως, ἐπαρχίας Σκυθίας. Qui quidem Alexander iterum actioni tertiæ Chalcedonensis synodi an. 451. subscriptus reperitur, *Alexander episcopus Tomitanorum, provinciæ Scythiæ, subscripsi.*

X. THEOTIMUS II.

Leo Augustus de Proterii Alexandrini nece cunctis Orientis metropolitis scripsit, atque adeo *Theotimo reverentissimo episcopo Tomitano.* Cujus exstat responsoria ad illum epistola hac inscriptione: *Domino piissimo & christianissimo Imperatori nostro Leoni, Theotimus humilis Scythiæ regionis episcopus.*

XI. PATERNUS.

Quo tempore Scythæ monachi palam contendebant esse confitendum *unum de Trinitate nostri causa passum esse,* sedebat *Paternus Tomitanæ Ecclesiæ episcopus,* quem quia sibi repugnantem sentiebant, Nestorianæ hæresis taxare non dubitabant. Id quod Germanus Capuensis & alii apud Justinum Imp. Apostolicæ sedis apocrisiarii sua ad Hormisdam Papam suggestione significarunt. *Isti de sua provincia episcopos accusant, inter quos Paternus Tomitanæ civitatis antistes.... Et quia nobis diu laborantibus, & illis nullam suscipientibus rationem, nihil proficiebat in eo quo tendebamus, clementissimus Imperator in conventu publico, ubi & nos interfuimus, Paternum episcopum & magnificum virum Vitalianum reduxit ad gratiam, accusatores quoque ejus suo præcepit episcopo supplicare. Monachi vero, quum similiter ad concordiam quærerentur, fuga lapsi maluerunt de civitate discedere.* Observare interest prioribus illis suggestionis vocibus quæ statim recitavi, innui tunc temporis in Scythia episcopos alios exstitisse, nisi de vicinarum huic provinciæ regionum præsulibus ea intelligantur: quod tamen verborum vix sensus tulerit. Iidem monachi Scythæ epistola ad Hormisdam *Paternum* episcopum suum sibi adversari queruntur. Idem Paternus Constantinopoli agens subscripsit Relationi Constantinopolitanæ synodi ad Hormisdam Papam de electione Epiphanii patriarchæ; *Paternus misericordia Dei episcopus provinciæ Scythiæ,* quod alioqui unum totius provinciæ episcopum videatur indicare.

XII. VALENTINIANUS.

Collat. 7. synodi generalis V. lecta epistola est Vigilii Papæ *dilectissimo fratri Valentiniano episcopo de Tomis provinciæ Scythiæ,* qua testabatur se in sua de tribus capitulis damnandis sententia perstare. Initio sacerdotalem ejus laudat solicitudinem, quam scripta sibi epistola prætulerat, admonendo non oportere Ibæ & Theodoreti personas ipsas damnare; quod tamen Rusticus & Sebastianus Romani diaconi quamprimum factum iri spargebant. Data est epistola 15. Kal. April. Imperii Justiniani 23. (vel forsan 24.) post consulatum Basilii 9. (vel 10.) seu Christi anno 549. vel 550.



VI. PROVINCIA MŒSIÆ INFERIORIS.

I. ECCLESIA MARCIANOPOLIS, METROPOLIS.

MARCIANOPOLIS, Μαρκιανούπολις, Mœsiæ inferioris cis Danubium civitas, à Trajani sorore Marciana cognominata est, ut Ammianus Marcellinus lib. 27. cap. 2. testatur. Urbium Thraciæ maximam dixit Zosimus, eamque Anonymus Ravennas mediam à fluvio Potamio pervadi, & in Antonini Itinerario medio itinere collocatur euntibus Dorostoro Odessum. Hodie *Marcianopoli* quoque dicitur, & *Preslaw*, Πρέσλαβα. Ad hanc urbem multa prælia à Claudio II. Cæsare habita narrat Trebellius Pollio. Mœsiam omnem inferiorem ad Illyricum non pertinuisse Lucas Holstenius non absurde contendit; ac certe Thraciæ censetur ab Ammiano. Cæterum latina lingua potius quam Græca in multis ejus locis vulgaris erat; idque significatur post subscriptiones epistolæ synodi provinciæ hujus ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini & de concilio Chalcedonensi; quibus verba hæc subjiciuntur: *Et hæc* (epistola) *Latinè quidem data, est in Græco translata, & iterum translata de Græco in Latinum.* Mœsiam inferiorem trajecto Istro aliasque vicinas provincias Bulgari obtinuerunt, qui Basilii II. Imp. Bulgaricidæ dicti armis debellati brevioribus limitibus se continere coacti, in hac regione consliterunt, à quibus nomine mutato Bulgaria hodie appellatur. Ex Martyrologio Romano ad diem 15. Septembris, Marcianopoli christiana Fides admissa erat sæculo ecclesiæ secundo adulto, quippe quum illi S. Melitina sub Antonino Imp. & Antiocho præside ibidem Martyrium obierit, *quæ ad Gentilium fana semel & iterum ducta, quum idola semper corruerent, suspensa & laniata demum capite plexa est.* Bulgaris Mæsiam obtinentibus, Marcianopolis metropolitica jura perierunt. His Debeltus primum potita est quæ totius gentis Archiepiscopi sedes primùm fuit; sed is honor subinde Ternobium translatus, circa sæculi decimi tertii initia, Innocentio III. Pontifice Romano, cujus nutu Prœlaba, seu Marcianopolis vetus metropolis rursum facta est sub Ternovitano primate.

Obiter hic monebo, *Mæsiam* & *Mysiam* indiscriminatim apud auctores dici, quoniam apud Græcos οι diphthongus & υ litera perinde sonabant, veluti ex codicibus manu exaratis cujuscumque ætatis comperi.

EPISCOPI MARCIANOPOLIS.

I. PISTUS.

INter Nicænæ synodi Patres *de provincia Daciæ*, legitur *Pistus Marcianopolitanus.*

II. DOMNINUS *Arianus.*

Philostorgius lib. 9. hist. c. 8. scripserat Valentem Mursi episcopum Arianum & *Domninum* Marcianopolis, τῷ Οὐάλεντος σὺν Δομνίνῳ· ὁ Μαρκιανουπόλεως δὲ ἐπίσκοπος οὗτος ἦν, patrocinium suscepisse Eunomii Ariani apud Valentem Imp.

III. MARTYRIUS.

In indice Patrum Concilii Constantinopolitani generalis primi de provincia Mysiæ, legitur *Martyrius Marcianopolitanus.* Hunc Theodosius magnus in lege quam dedit Ausonio Asiæ proconsuli, inter episcopos orthodoxæ Fidei tenaces habuit, quorum communionis sociis ecclesiæ reddi deberent. *Quos..... & Martyrio Marcianopolitano communicare constiterit.*

IV. EPAGATHUS.

Synodo Constantinopolitanæ, in qua Nectario archiepiscopo præside, Agapii & Bagadii de Bostrensi episcopatu contendentium causa judicata est, aderat *Epagathus* Marcianopolis, Ἐπαγάθου Μαρκιανουπόλεως.

V. DOROTHEUS.

Ad Ephesinam synodum venit *Dorotheus Marcianopolis episcopus*, ac statim subscripsit Contestationi

Contestationi illorum qui intercesserunt ne A Cyrillus Alexandrinus concilii celebrationem aggrederetur ante adventum Orientalium; sed etiam deinceps aliis pro Nestorio scriptis identidem epistolis. Quum itaque Nestorio mordicus adhæreret, non solum à synodo communione ac sacerdotio privatus fuit, sed & Imperatoris edicto urbe sua pulsus. Ita fertur c. 190. Collectionis ex synodico Irenæi: *Dorotheus Marcianopolitanus metropolitanus Mœsiæ. Iste ejectus exsulatus est in Cæsarea Cappadociæ.* In ista collectione complures ejusdem Dorothei epistolæ visuntur quas va- B riis Nestorianæ factionis episcopis dedit.

VI. Saturninus.

Suffectus *Saturninus* fuit Dorotheo qui epistola ad clerum Constantinopolitanum, hunc à Plintha Militiæ Magistro Marcianopolim deductum queritur. *Nequam dæmon*, inquit, *præparavit ut superveniret ad civitatem nostram cum magnificentissimo & religiosissimo Magistro Militiæ Plintha Saturninus quidam, qui diffamabat semetipsum ab Apostatis & prævaricatoribus episcopum fuisse ordinatum nostræ* C *metropoli: sed spiritus armati virtute populi nostri, imitatores vestræ in Christo fortitudinis facti sunt. Omnia enim reliqua in præsenti postponentes, intus intra sanctæ septa ecclesiæ, psalmis & hymnis & canticis spiritualibus seipsos armantes, machinamenta adversariorum omnia, & Saturnini artes & concitationes eorum qui ei patrocinabantur, telam aranearum ostenderunt. Præparaverunt semetipsos ante exire de vita præsenti, quam nequam & impium suscipere pseudoepiscopum. Saturninus autem sicut venerat, sic discessit.* Hæc de Saturnino D Dorotheus, qui de eo rursum epist. 137. Collectionis, ad Alexandrum & Theodoretum: *Notum vestræ facio sanctitati, ut mihi secundum Deum congaudeatis; quia reverendissimus clerus & amicus Christi Orthodoxorum populus per dies in Domino provehuntur, concertantes Evangelicæ Fidei;* ceu nempe Saturnino resisterent. Cap. 117. ejusdem collectionis, Saturninus Marcianopoli idcirco exactus fertur quod in Dei naturam tolerantias quas Christus subierat, redundasse prædicasset. Ab illis tamen posthac Saturninum admissum esse vero simillimum est, quippe qui post 17. annos, anno scilicet 448. sederit in Constantinopolitana synodo, in qua Eutyches prima vice hæreticus pronunciatus est, suoque ordine primus episcoporum qui aderant interloquutus, synodi sententiæ subscripserit, Σατουρνῖνος ἐπίσκοπος Μαρκιανουπόλεως, *Saturninus episcopus Marcianopolis.* Ad hæc in altero conventu in quo synodi gesta coram Thalassio Cæsariensi relecta sunt, quintus censetur *Saturninus Marcianopolis.*

VII. Valerianus.

Leo Augustus accepto de interfecto Alexandriæ episcopo Proterio nuntio, de eo certiores fecit Imperii sui metropolitas; inter quos *Valerianus reverentissimus episcopus Marcianopolis.* Exstat ejusdem provinciæ episcoporum ad Imp. epistola synodica, absque ulla Valeriani, tam in capite, quam in subscriptionibus mentione.

VIII. Leo.

Quando constat Prœslabam dici Marcianopolim veterem civitatem, ex quo illam Bulgari occupaverunt, hic adjiciendus venit *Leo* Prœslabæ pontifex, qui Leone Allatio teste, opusculum *de Azymis* contra Latinos scripsit. Hunc etiam Dositheus Hierosolymorum patriarcha illis Græciæ scriptoribus annumerat, qui Latinæ ecclesiæ doctrinam impugnarunt.

IX. * * *

Innocentius Papa III. rogante suo apud Bulgaros Legato Joanne, Prœslabæ metropolitam constituit, anno 1204. ut constat ex ejus literis, quas recitabimus ubi de Primate Ternovitano. Ejus vero nomen nusquam in illis comparet.

X. Joannicius.

Anno 1721. sedebat Joannicius *Prælabi* vel *Prælabæ*, ὁ Πρεσλάβου Ἰωαννίκιος.

II.

ECCLESIA ABRITI.

Abritum, vel ut apud Jornandem de Rebus Geticis, *Abrytum,* Mœsiæ inferioris urbs est, & Thraciæ Cassiodoro, cui *Apsitium* dicitur. Ipsa est nî fallor, quæ in Notitia Hieroclis Mœsiæ ejusdem septima est & Ἐβραΐτος, *Ebraittus* scribitur.

EPISCOPI ABRITI.

I. Marcianus.

Inter episcopos qui Ephesi pro Nestorio steterunt, *Marcianus Abryti* fuit, subscribens epistolis ipsorum ad ecclesiam Hierapolitanam, & ad Joannem Antiochenum ejusque socios quos Orientalium synodus adversus legitimam ad Imperatorem delegaverat, *Marcianus episcopus Abryti,* in quo nimirum Metropolitæ suo Dorotheo plus æquo indulge-

ECCLESIA ABRITI.

bat. At vero nulla ejus mentio est inter episcopos, quos sancta synodus communione & sacerdotio amovit. Quin imo Abritensem sedem diu satis tenuit, ita ut anno 458. subscripserit epistolæ synodi provinciæ Mœsiæ secundæ ad Leonem Imp. *Marcianus episcopus ecclesiæ Abriticæ*, vel *Abryticæ*.

A

II. URSUS.

In Septima synodo sedisse & subscripsisse legitur *Ursus Avaritianorum*, vel *Abaritianorum episcopus*, Οὔρσου ἐπισκόπου ἐκκλησίας τῆς Αβαριτανῶν. Nomen Ursus hominem Latinæ linguæ significat, nec absurdè Abriti in Mœsia Ecclesiæ, nî fallor, tribuendus venit; quando præsertim inter episcopos Thraciæ initio act. 7. & in subscriptionibus reperitur.

III. # ECCLESIA NOVARUM.

NOBÆ vel *Novæ*, Νοβαὶ Mœsiæ inferioris civitas est Hierocli, quæ *Novensis* Antonino, Marcellino Comiti & aliis. Νοβαὶ scribitur apud Ptolemæum lib. 3. cap. 10. Anonymus Ravennas illic etiam *Novas* habet. Hodie *Novomont* oppidum Bulgariæ esse aiunt circa Istrum. Hanc Procopius lib. 4. de ædif. cap. 6. restitutam tradit. *Ab urbe Viminacio pergentibus*, inquit, *munitiones tres in ora Istri occurrunt, Picnus, Cupus & Novæ*, Νοβαὶ, *quarum nomen & fabrica in una turri antea consistebant. At nunc Justinianus Augustus, tot tantaque propugnacula illis adjecit locis, ut ea non inani urbium titulo & dignitate insignierit. Contra Novas in adversa continente, turris erat derelicta pridem nomine Literata; Lederatam veteres dixere, ex qua magnum & prævalidum castellum fecit Imperator.*

EPISCOPI NOVARUM.

I. PETRONIUS.

INter episcopos qui Nestorio aliquamdiu faverunt, *Petronius episcopus Neuvæ* subscriptus reperitur epistolæ ipsorum ad ecclesiam Hierapolis. Coll. ex Tragœd. Iren. c. 13.

II. SECUNDINUS.

Synodo Constantinopolitanæ in qua Eutyches, Flaviano Archiepiscopo præside, hæreticus iterum pronuntiatus est, an. scilicet 449. aderat *Secundinus episcopus Novesiorum*, sive *Novensium*, Σεκουνδίνου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Νοβησίων.

B

III. PETRUS.

Synodicæ epistolæ provinciæ Mœsiæ inferioris ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini subscripsit *Petrus episcopus civitatis Novensis*.

IV. * * *

Theophanes ad ann. 15. Mauritii narrat, viros *Novarum* civitatis primarios & milites, episcopo suo duce, ἅμα τῷ ἐπισκόπῳ τῷ στρατηγῷ, Petro Romani exercitus Prætori contra Slavos pergenti, obviam ivisse, quos ille jussit Romanis copiis admisceri, illis vero abnuentibus episcopum ad se adduci jussit: cives vero Scribonem quem Prætor ad ipsos miserat, cum dedecore abegerunt.

IV. # ECCLESIA SEXANTAPRISTÆ.

SEXANTAPRISTA Mœsiæ urbs est in Tabulis Peutingerianis ad Istrum posita, quæ Anonymo Ravennati *Pristis* dicitur. Plane quæ apud Ptolemæum Τιρισὴ πόλις, *Tirista* civitas, Πρίση *Priste* potius, vel *Prista* scribenda est. Ipsa est *Antipristena* urbs, quam Auxilius in defensione Formosi, in Bulgariæ finibus ponit. Ex Itinerario Antonini Viminacio Nicomediam euntibus *Exantapristi* transeundum erat, inde *Tyra*, mox *Appiaria*.

EPISCOPI SEXANTAPRISTÆ.

I. POLYCARPUS.

SOCRATES lib. 7. hist. Eccl. cap. 26. & Nicephorus Callistus lib. 14. cap. 39. Polycarpum ex Sexantapristena Mœsiæ urbe Nicopolim Thraciæ translatum tradunt. Πολύκαρπος ἀπὸ Σεξανταπρίστων τῆς Μυσίας εἰς τὴν τῆς Θράκης Νικόπολιν μετεχώρει.

C



V. ECCLESIA NICOPOLIS.

IN Mœsia inferiori *Nicopolis* dicta civitas est à victo Trajani Augusti armis Decebalo Rege. Ad Jatri fluminis in Danubium confluentiam posita visitur in Tabulis Peutingeri, quam inter celebriora ejusdem provinciæ oppida Ammianus Marcellinus commemorat. Hodie in illa ipsa regione urbs exstat *Nigeboli* nominata, quin etiam *Seclero*, quam Ister seu Danubius mediam secat. Ejus porro præsul hodie inter Archiepiscopos censetur.

EPISCOPI NICOPOLIS.

I. MARCELLUS.

EPistolæ synodi Mœsiæ inferioris ad Leonem Augustum subscripsit *Marcellus episcopus Nicopolis.*

II. AMANTIUS.

Relationi synodi Constantinopolitanæ ad Joannem patriarcham de Severo Antiocheno aliisque hæreticis, de restituendis in sacras tabulas Euphemii & Macedonii patriarcharum nominibus, &c. subscripsit *Amantius episcopus exiguus Nicopolitanæ civitatis secundæ Mœsiæ propria manu.* Quæ subscriptio Græce non exstat, sed Latine tantum, ut Amantius hoc dumtaxat idiomate subscripserit.

A

III. NICEPHORUS.

Synodo illi quam Græci Schismatici in Templo S. Sophiæ Constantinopolitano celebratam aiunt, anno circiter 1440. ad ejurandam Florentiæ sancitam unionem, adfuisse legitur *Nicephorus episcopus Nicopolis,* adeoque Mœsiæ. Nam tunc temporis Nicopolis Thraciæ archiepiscopatus erat.

IV. * * *

Nupero sæculo labente *archiepiscopus Nicopolis* hujus cum Walachiæ Principe à Turcorum Sultano Viennam Austriæ missus est, de pace cum Germaniæ Imperatore tractandi causa.

VI. ECCLESIA TIBERIOPOLIS.

QUÆ *Tiberiopolis* olim à Bulgaris *Strummitza* dicta est, Nicephoro Gregoræ civitatula, πολίχνιον, celsissimæ rupi imposita, inter Strymonem & Axium fluvios, Scupis tridui itinere distans. Hoc ipsum testatur quoque Cantacuzenus. Tiberiopolis in Leonis Imp. Notitia sexagesima tertia metropolis censetur ξγ΄. ὁ Τιβεριουπόλεως. Perperam à quibusdam pro *Varna* accipitur: utramque disertissime distinguit Nicetas Choniates in Alexio Comneno lib. 3. In Laterculis urbium quarum mutata sunt nomina, Tiberiopolim appellatam fuisse *Strummitza* declaratur, utique à vicino flumine Strymone.

EPISCOPI TIBERIOPOLIS.

I. THEOCTISTUS.

IN synodo quæ Photii in Byzantinam sedem restituti causa coacta fuit, sedisse legitur *Theoctistus Tiberiopolis,* Θεοκτίστου Τιβεριουπόλεως.

II. * * *

Theophylactus Bulgariæ Archiepiscopus epistola 32. episcopo Triaditzæ sive Sardicæ scribebat se Pelagoniæ, *Strumbitzæ,* sive Strummitzæ & Melasobæ episcopis literas dedisse, ut eum à censura qua à synodo innodatus erat, absolverent, καὶ πρὸς τὸν Στρουμβίτζης.

B

III. ANANIAS.

Anno 1564. synodo in qua Joasaphus patriarcha destitutus fuit, aderat *Ananias episcopus Strumitzæ,* latæque in eum sententiæ subscripsit: ὁ ταπεινὸς ἐπίσκοπος Στρουμίτζης Ανανίας. Hist. Eccl. Turco-Gr. lib. 2. pag. 172.

VII. ECCLESIA ODYSSI.

ODYSSUS, Ὀδυσσός, Mœsiæ secundæ civitas est Ptolemæo ad Pontum Euxinum cis Istri ostia exsistens inter Mesembriam & Dionysopolim, ut fert Strabo, apud quem Ὀδησσός, *Odessus* scribitur, ut apud Ovidium 3. Trist. Eleg. 9. Odyssum vero dicit Ammianus, cui etiam una est ex potioribus ejusdem provinciæ oppidis. Mysiæ quoque censetur in Notitia Hieroclis, & in veteri una Ecclesiastica, in qua inter Archiepiscopatus numeratur, ἐπαρχία Μυσίας, ἡ Ὀδύσση leg. Ὀδυσσὸς ἤτοι ἡ Βάρης λέγεται. *Provincia Mysiæ Odyssi, sive Bares.* Hanc quidam esse putant quæ hodie *Lemano* vocatur.

ECCLESIA ODYSSI.

EPISCOPI ODYSSI.

I. Amplias.

IN Menologio Sirletano quod Henricus Canisius To. 2. Antiq. lect. edidit, ad diem 31. Octobris hæc leguntur: *Natalis SS. Stachys, Ampliæ, Urbani, Narcissi, & S. martyris Epimachi; ex quibus S. Stachys ab Apostolo Andrea episcopus Byzantii ordinatus est .... Sancti vero Amplias & Urbanus ab eodem Apostolo Andrea episcopi ordinati, ille quidem Odyssopolis* (sive civitatis Odyssi) *hic vero Macedoniæ, propter fidei Christianæ confessionem atque idolorum eversionem à Judæis & Gentilibus interfecti, beatas animas Deo tradiderunt, &c.* Amplias ille ipse est quem Paulus ad Rom. 16. v. 8. salutari jubet, *Salutate Ampliam.* Atqui non alterius Odyssi civitatis quam Mœsiæ factus episcopus dicitur ab Andrea, qui hasce regiones peragrasse in suis gestis fertur.

II. Dittas.

Epistolæ synodi provinciæ Mœsiæ ad Leonem Imp. subscriptus legitur *Dittas episcopus civitatis Odyssæ Mœsiæ:* quidam codd. habent *Dizzas.*

III. Joannes.

Inter subscriptiones relationis synodi Constantinopolitanæ ad Joannem Patriarcham Constantinopolitanum de Severo Antiocheno, aliisque similibus hæreticis damnandis, deque restituendis in sacras tabulas Euphemii & Macedonii Patriarcharum nominibus, legitur Ἰωάννης ἐπίσκοπος τῶν Ὀδητῶν. Emendo Ὀδυσσῶν, *Joannes episcopus Odyssorum.*

IV. Leo.

In septima synodo sedit & subscripsit *Leo episcopus Bares*, Λέοντος ἐπισκόπου Βάρης, Λέων ἐπίσκοπος Βάρης. An Mœsiæ secundæ, non declarat.

V. Basilius.

In synodo Photiana sedebat Basilius *Baes*, Βασιλείου Βάης; quidni certe Βάρης.

VI. Metrophanes.

Relationi Dionysii Patriarchæ super erroribus Calvinistarum subscripsit anno 1672. Μητροφάνης Βάρης, *Metrophanes Bares.*

VIII. ECCLESIA APPIARIÆ.

HIEROCLI in Notitia Mœsiæ inferioris civitas est Appiaria, Ἀππιαρία, necnon in Antonini Itinerario, atque in Tabulis Peutingeri in Danuvii ora ponitur.

EPISCOPI APPIARIÆ.

I. Lupicinus.

JOANNES Chrysostomus in epistola ad Innocentium Papam de rebus erga se gestis, narrabat à sua synodo episcopos tres delegatos fuisse, Demetrium Pisinuntis, Eleusium Apameæ cum *Lupicino* Appiariæ, καὶ τὸν Ἀππιαρίας Λουπικῖνον, qui Theophilo Alexandrino denuntiarent, ut Chalcedone Constantinopolim se transferret, ibi responsurus de iis quorum reus agebatur. Sic quoque gesta synodi ad Quercum.

II. Martialis.

Epistolæ synodi provinciæ Mœsiæ secundæ ad Leonem Imp. de nece S. Proterii Alexandrini subscripsit *Martialis episcopus civitatis Appiariensis.*

IX. ECCLESIA COMEÆ.

IN Miscella Pauli Aquilegiensis historia, quam ex Theophanis præsertim Annalibus concinnavit, *Comea* Mœsiæ civitas est, quam Mauritio Imp. Avarorum Chaganus provinciam hanc ingressus casso conatu occupare proposuit.

EPISCOPI COMEÆ.

I. Marius.

IN Pithæano PP. Nicænorum indice *de provincia Mœsiæ,* legitur *Marius Comeæ,* qui in editione Conciliorum Labbæi *Marius Comeensis dicitur.* Marius, ut & Martialis & Lupicinus, homines Latini sermonis indicant potius quam Græci.





X. ECCLESIA DOROSTORI.

DOROSTOLUM, vel *Dorostorum*, Δωρόστορον, Δορόστολον, Mœsiæ inferioris urbs est Ptolemæo & aliis, Romanorum ævo sat celebris, ad Istrum flumen, inter Succidavam & Axiopolim posita, quam Bulgari corrupto nomine *Dristram* dixerunt. Hodie *Selistria* quoque vocari fertur, civitas non ignobilis, cujus episcopus metropolitæ titulo ornatur. Illic multi Christi causa martyres primis Ecclesiæ sæculis passi traduntur in Martyrologiis: inprimis die 27. Maii recolitur *Passio B. Julii*, & 15. Julii, *S. Hezychii militis;* quin etiam aliorum die 25. Martii, *qui sub Alexandro Imp. & Maximo præside* neci dati fuerunt; adeoque adulto sæculo tertio.

EPISCOPI DOROSTORI.

I. DASIUS.

IN Martyrologio Romano die 20. Novembris memoria recitatur *S. Dasii martyris episcopi Dorostori in Mysia, qui quum nollet in festo Saturni impudicitiis ejus consentire sub Basso præside passus est;* quod tempore Diocletiani Imp. accidisse fertur in Menologio Sirletano To. 2. Antiq. lect. Henrici Canisii.

II. JACOBUS.

Ad Ephesinam synodum venit *Jacobus Dorostoli episcopus*, ac statim Contestationi multorum episcoporum, qui contenderunt concilii celebrationem usque ad Orientalium adventum esse prorogandam, subscripsit, quin & aliis Orientalium pro Nestorio epistolis: unde meruit à sancta synodo communione & sacerdotio amoveri. Collect. ex Trag. Iren. capp. 7. 13. 28. & act. 1. syn. Ephes.

III. MONOPHILUS.

Epistolæ synodi Mœsiæ secundæ ad Leonem Imp. anno 458. subscripsit *Monophilus episcopus civitatis Dorostori.*

IV. LEO.

Luca Chrysoberge patriarcha præside anno 1158. mense Martio feria 2. synodico decreto sancitum est, ne clerici bona morientium episcoporum aliave ecclesiarum auferrent, considente cum aliis metropolita Dristræ, τοῦ Δρίστρας. Jur. Græco-Rom. l. 4. pag. 282. Hic profecto Leo erat, qui anno mundi 6655. Christi 1147. sententiæ synodi quæ Cosmam Atticum patriarcham exauctoravit, subscripsit, ὁ εὐτελὴς μητροπολίτης Δρίστρας Λέων, *Leo humilis metropolita Dristræ.* Anno 1166. idem Leo alteri synodo interfuit quæ Alamannorum de Christi vera Deïtate Fidem approbavit. Allatio teste lib. 2. de consens. cap. 12. Quo etiam ipso anno mense Aprili die 2. Ind. XIV. synodo alteri adfuit, in qua nuptiis septimi gradus interdictum fuit, τοῦ Δρίστρας, *metropolita Dristræ.* Jur. Græco-Rom. lib. 3. pag. 218.

V. CALLISTUS.

A In Ferrariensi & Florentino Concilio sedit & subscripsit *Callistus metropolita Dristræ*, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Δρίστρας Κάλλιστος. Qui tamen circa annum 1440. initam unionem ejurasse fertur, in synodo Constantinopolitana, quam habitam aiunt in templo S. Sophiæ ὁ Κάλλιστος Δρίστρας. Allat. addend. ad lib. 3. de Consens. col. 1387.

VI. PARTHENIUS.

Inter metropolitas qui anno 1564. senten-
B tiæ destitutionis Patriarchæ Joasaph subscripserunt, legitur *metropolita Dristræ Partenius*, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Δρίστρας Παρθένιος. Hist. Turco-Gr. lib. 11. p. 171.

VII. ANTONIUS.

Constantinopolitanæ synodo, quæ anno 1638. die Sept. 24. Ind. VI. Cyrillo Berrhœensi Patriarcha præside Cyrilli Lucaris Calvinianos errores confixit, adfuit & subscripsit *Antonius Dristræ*, ὁ Δρίστρας Ἀντώνιος.

VIII. MACARIUS.

C Responsioni Dionysii patriarchæ super erroribus Calvinistarum anno 1672. subscripsit *Macarius Drysti*, vel *Drystræ*, ὁ Δρύστου Μακάριος.

IX. ATHANASIUS.

Anno 1710. Tergowisti in Ungaro-blachia *Athanasii Dristræ* metropolitæ curis & sumtibus Panoplia Euthymii Zygadeni typis Græcis prodiit, id quod editionis initio significatum refert Joannes Fabritius To. 7. Bibl. Gr. παρὰ τοῦ πανιερωτάτου καὶ λογιωτάτου μητρο-
D πολίτου Δρύστρας κυρίου, κυρίου Ἀθανασίου, οὗ τοῖς ἀναλώμασι νῦν πρῶτον τετύπωται . . . ἐν ἔτει ἀπὸ θεογονίας χιλιοστῷ ἑπτακοσιοστῷ δεκάτῳ.

X. HIEROTHEUS.

Athanasium utique excepit *Hierotheus* cognomento *Comnenus*, patria Byzantius, ut

ECCLESIA DOROSTORI.

fert Demetrius Procopius in nuperi sæculi eruditis Græcis. Ἱερόθεος ὁ Βυζάντιος ὁ Κομνηνὸς, μητροπολίτης Δρύστρας, » vir, inquit, pius, cultisque moribus, virtute multa quæ christianam vitam deceret, ornatus, multiplici eruditione præstans, linguarum Græcæ, Latinæ, Italicæ, necnon Hebraïcæ peritus. Doctores primùm Constantinopolitanæ Scholæ auscultavit, deinde cum viris Italiæ doctis diu versatus, totam fere Europam peragravit. Historiam Sacri montis Atho vulgari Græcorum dialecto scripsit ac typis edidit. Vivere desiit Bucorestii in Valachia anno 1719. quum eodem anno præfuisset editioni voluminis egregii, περὶ τῶν καθηκόντων, *de Officiis*, quod Serenissimus Valachiæ princeps & Vaivodas D. D. Joannes Nicolaus Alexander Maurocordatus conscripserat. Huic editioni A nuncupatoriam epistolam eximio Principi datam præmisit, hac adjecta subscriptione, ὁ Δρύστρας Ἱερόθεος. *Hierotheus Drystræ.*

B

XI. SERAPHIM.

Athanasio statim successit *Seraphim*, de quo rursum Demetrius Procopius hæc narrat, Σεραφεὶμ ἐξ Ἀκαρνίας, μητροπολίτης Δρύστρας, « Seraphim ex Acarnia Drystræ metropolita, Græcæ Latinæque Linguæ, & externæ eruditionis gnarus, Ecclesiasticique ritus & juris peritus, divinas, sacrasque scripturas assidue tractat, sed & Evangelii doctrinam multo zelo & animi ardore prædicat & edisserit. » Sedebat anno 1720. quo hæc scribebat Demetrius, & anno quoque 1721. ὁ Δρύστρας Σεραφεὶμ, *Seraphim Drystræ.*

XI.

ECCLESIA SUGDÆÆ.

QUÆ *Sugdæa* in Leonis Imp. Notitia & aliis, ipsa utique est, quæ *Succidava* olim Ptolemæo, Itinerario Antonini, Tabulis Peutingeri, quin etiam Procopio, ad Istri ripam existens velut & Dorostolus. ὀχυρώματα παρὰ τὸν τοῦ Ἴστρου ἠϊόνα... Δορόστολος καὶ Σουκιδάβα. Hæc cum Phulla in eumdem archiepiscopatum coaluit, quum ambo antea secernerentur. Nam in Notitia Leonis Imp. Sugdæa *trigesimus quintus archiepiscopatus est*, λε'. ὁ Σουγδαίας, & *Phulla trigesimus sextus*, λς'. ὁ Φύλλας. Ubinam vero Phulla existat mihi fateor incompertum esse.

EPISCOPI SUGDÆÆ.

I. STEPHANUS.

INter septimæ synodi præsules sedit, subscripsitque *Stephanus episcopus Sugdææ*, Στέφανος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Σουγδαίας. A

II. CONSTANTINUS.

Lib. 3. Jur. Græco-Rom. pag. 197. synodica constitutio exstat Sisinnii II. Patriarchæ, ne duo fratres sobrinas duas ducant, cui condendæ aderat Constantinus Sugdææ, Κωνσταντῖνος Σουγδαίας.

III. ARSENIUS.

Ibidem lib. 4. pag. 256. Decretum aliud habetur Alexii patriarchæ de variis causis ad metropoles, archiepiscopatus, episcopatus & monasteria spectantibus, cui ferendo assidebat *Arsenius Sugdææ*, Ἀρσενίου Σουγδαίας.

IV. * * *

Decreto rursum alteri sub Nicolao Theoprobleto patriarcha condendo *de præstatione canonicorum*, die 15. Nov. Ind. x. adeoque anno 1087. vel 1102. synodo aderant Archiepiscopi Leontopolis, Sugdææ, τοῦ Σουγδαίας, &c. Ibid. pag. 269. C

V. * * *

Anno 1158. mensis Martii die 10. fer. 2. Luca Chrysoberge patriarcha Decretum aliud synodicum latum est, ne clerici auferrent episcoporum morientium bona, sedente cum aliis *Sugdophullorum* antistite, τοῦ Σουγδοφούλλων. Ibid. pag. 282.

VI. THEODORUS.

Joannes Beccus patriarcha synodum coëgit propter Gregorii Nysseni codicem à magno Referendario corruptum : atque in B ea sedebat *Theodorus Sugdææ*, τοῦ Σουγδαίας Θεοδώρου. Leo Allat. lib. 3. de consens. cap. 1. Huic idem Beccus, quum esset patriarchatu à Schismaticis amotus, libros tres scripsit *de processione Spiritus sancti*, quibus Romanam Fidem tuebatur; qui à Leone Allatio Græce Latineque editi exstant Tom. 2. Græciæ Orthod.

VII. EUSEBIUS.

In Callisti patriarchæ synodo, quæ Barlaamum & Acyndynum Palamitici erroris expugnatores proscripsit, *Eusebius metropolita Sugdææ* adfuit & subscripsit, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Σουγδαίας, καὶ ὑπέρτιμος Εὐσέβιος.

VIII. THEOPHANES.

Anno 6992. seu Christi 1484. vel 1485. synodus Constantinopoli habita fertur, in qua

Græci Schiſmatici Florentiæ ſancitam cum Latinis unionem proſcripſerunt, eique interfuit *Theophanes Sugdææ metropolita.* Ita refert Doſitheus Hieroſolymitanus lib. 12. de Patriarch. Hieroſ. cap. 2. parag. 10. ὅτι δὲ τῆς συνόδου τῆς ἀθροισθείσης ἐν Βυζαντίῳ μετὰ τὴν ἅλωσιν ἐν ἔτει ἑξακισχιλιοστῷ. ἐννακοσιοστῷ ἐννενηκοστῷ δευτέρῳ κατὰ τῆς ἐν Φλωρεντίᾳ συλλόγου, ἦν ὁ Σουγδαίας Θεοφάνης. Cæterum de hac ſynodo, cujus nulla in hiſtoria Eccleſiaſtica Turco-græciæ mentio, quæque ſi vera eſt ſub Niphone patriarcha celebrata erit, difficillimo tempore, fides penes ſit auctores.

ECCLESIA SUGDÆÆ.

XII. ECCLESIA AXIOPOLIS.

AXIOPOLIS urbs antiqua Mœſiæ ſecundæ, fuit ad dextrum Danuvii latus poſita; juxta quam Axius amnis in eum influebat, ad Orientalem partem Doroſtori.

EPISCOPI AXIOPOLIS.

I. CYRILLUS.

IN antiquis codicibus Martyrologii quod S. Hieronymi nomen præfert, die 9. Maii mentio fit *SS. Quirylli, Quindei, & Zenonis, qui in Axiopoli paſſi ſunt.* In codice Epternacenſi ad diem ejuſdem menſis decimum habetur: *Axiopoli Cyrilli, Cendis, Dioni, Acaici, Cripionis, Zenonis;* Legendum utique *Cendeis,* ac certe rurſum *Dionis, Acacii, Criſpionii,* vel *Criſpionis,* ut in Corbeienſi & Lucenſi codicibus. At vero in Caſſinenſi *Cyrillus* epiſcopus dicitur. Papebr. Act. SS. To. 2. Maii.

XIII. ECCLESIA TERNOBI.

TERNOBUS, vel *Ternobum, Trinobuſve,* Mœſiæ inferioris civitas, Bulgarorum in regiones cis Danuvium excurſione recentior, ad Eſcamum ſeu Jatram fluvium haud procul ab Hæmo-monte poſita, atque omnium illius regionis munitiſſima, quam Bulgariæ reges ditionis ſuæ Regiam fecerunt, ex quo Baſilius Imp. Bulgaricida cognominatus, magnam illius tractus quem in Macedonia viciniſque provinciis Byzantino Imperio eripuerant, partem recepit. Quum itaque Achrida ſeu Juſtiniana vetus, Bulgarici regni antea caput fuiſſet, ea à Conſtantinopolitanis recuperata, Bulgariæ reges Ternobum ſaltem ſuam eadem quoque jura in his quæ res Eccleſiaſticas ſpectant, habere voluerunt, ac Ternobi Pontificem Archiepiſcopi titulo ornatum, à Byzantini & Achridenſis juriſdictione immunem eſſe; quod quidem ab Innocentio Papa III. inſtitutum eſt. Joannicius enim Bulgariæ & Blachiæ dynaſta, ut à Græcorum jugo & dominatu omni modo eximeretur, Romano Pontifici ſeſe dedere non dubitavit, miſſo Romam Baſilio *Ternobi epiſcopo,* cum Blaſio preſbytero *paſtore de Zagora,* ſive Debelti, Brandizuberenſi ſeu Brandiburzienſi metropolitano electo, qui illic conſecratus pontifex fuit. Literas Innocentius Regi dedit, archiepiſcopoque Ternobi, necnon Zagorenſi Blaſio, cui pallium, mitramque & annulum miſit. De Regis aſſenſu metropolitas duos creavit, Beleſbulnenſem ceu Beleſburdienſem & Preſlavienſem, quos Zagorenſi tamquam primati ſubjecit; hunc vero apud Trinovium, Ternobumve nobiliorem civitatem manere ſedereque juſſit. Cæterum ordinationes Epiſcoporum & clericorum Romanis ritibus celebrari apud illos præcepit, cum unctionibus ſcilicet capitis & manuum; duobuſque metropolitis recens conſecratis pallia ſingula de corpore S. Petri miſit, quæ certis diebus induerent. Quocirca Trinovitanus ſeu Ternobitanus antiſtes, ſeſe Romano Pontifici hoc ſe ſacramento obſequentem futurum ſpopondit. *Ego Archiepiſcopus primas totius Bulgariæ & Blachiæ, ex hac hora in antea ero fidelis & obediens B. Petro, & S. Romanæ eccleſiæ & Apoſtolicæ ſedi, & Domino meo Innocentio, ejuſque Catholicis ſucceſſoribus, non ero in facto & conſilio, &c. Quum aliquem coronavero in Regem Bulgarorum & Blachorum, juxta indulgentiam mihi & ſucceſſoribus meis ab Apoſtolica ſede conceſſam, ab eo juratoriam recipiam cautionem, quod ei qui tunc Apoſtolicæ ſedi præfuerit, & ſucceſſoribus ejus, & Eccleſiæ Romanæ devotus & obediens permanebit, & cunctas terras & gentes ſuo ſubjectas imperio, in obedientia & devotione ſedis Apoſtolicæ conſervabit. Hæc omnia bona fide ſervabo; ſic me Deus adjuvet, &c.* Cuncta hæc admiſerunt tum Bulgariæ Rex, tum Ternobi Primas, ſuiſque uterque literis Innocentio profeſſi ſunt. Quæ quidem pacta conſtitutaque fuere anno 1204. quo ipſo à Francorum cruce ſignatorum exercitu capta eſt Conſtantinopolis; recitanturque in Innocentii Papæ III. vita n. 69. cum Joannicii regis de obſequentia Romano Pontifici exhibenda diplomate, quo

ECCLESIA TERNOBI.

ſignificabat deceſſores ſuos Simeonem, Petrum & Samuëlem, ſeſe perinde cum ditionibus ſuis Romanæ ſedi obnoxios feciſſe. Verum paulo poſt Bulgari ad Græcos rediere, quum ſe à Francis qui Thraciam tenebant bello laceſſitos ſentirent, quorum ſubinde Imperatorem Balduinum prælio victum captumque poſt multos cruciatus enecarunt. Quamobrem Conſtantinopolitanus patriarcha Græcus qui Nicææ agebat, Ternobitano præſuli eadem privilegia firmavit, quæ ille ab Innocentio obtinuerat. Quod Georgius Acropolita narrat n. 33. nimirum Joannem Ducam Imp. cum Aſano Joanne Bulgarorum Principe Callipolim, quam Francis abſtulerat, veniſſe: Helenam Aſani filiam Imperatoris filio nuptui traditam, Germano patriarcha ſacris operante. Τότε, inquit Acropolita, καὶ ὁ Τερνόβου ἀρχιερεὺς ὑπὸ τὸν Κωνσταντινουπόλεως τελῶν, αὐτονομίᾳ τετίμηται, cui Imperatorio ſynodicoque conſtituto adjectum eſt *Patriarchæ* nomen, καὶ Πατριάρχης ἀναγορεύεσθαι κέκριται, βασιλικῷ καὶ συνοδικῷ τῷ θεσπίσματι. Eadem fere Nicephorus Gregoras lib. 2. cap. 3. refert, omiſſa *Patriarchæ* nuncupatione, quæ certe inſequenti ævo evanuit. Quocirca Martinus Cruzius lib. 4. Turco-Græc. p. 339. *Ternobi metropolita*, inquit, *unus de tribus eſt qui à Byzantina eccleſia ſeparati ſunt, juriſdictioni tamen ejus ſubjicitur, vocatur* ὁ Τερνόβου μητροπολίτης, καὶ ἔξαρχος πάσης Βουλγαρείας, *Ternobi metropolita & exarchus omnis Bulgariæ. Habet tres epiſcopos & eccleſias ſexcentas.* Sic quoque Thomas Smith in ſua Notitia. Τόρνοβος, *Tornobus*, cujus epiſcopatus ſunt Λοφίτζου, Τζερνόβου, Πρεσιλάβης. *Lophitzi, Tzernobi, & Preſilabæ. Ejus metropolita* ἔξαρχος τῆς Βουλγαρείας, *Exarchus Bulgariæ.* Summa porro ejus dignitas auctoritaſque obſolevit, exſtincto Bulgariæ regno, Blachiaque in plures principes diviſa.

EPISCOPI TERNOBI.

I. Basilius.

Zagoræ ſeu Debelti ſede Ternobum ſub Innocentio III. Papa tranſlata, *Baſilius* Zagorenſis Ternobi primus epiſcopus, gentiſque Bulgaricæ Primas inſtitutus eſt an. 1204. Hic ad oram maris Dyrrachium uſque profectus, unde Romam ſe conferret, ultra tamen pergere à Græcis præpeditus eſt, ubi Apoſtolicæ ſedi obſequentem ſe profiteretur; quod data Innocentio epiſtola ſignificavit: *quod anima mea deſideravit per decem & octo annos, ecce hodie dedit nobis Deus & ſancta tua oratio benedictionem ſedis B. Petri Apoſtoli & tuæ ſanctitatis. Noſcat ſanctitas tua qualiter ego converſatus ſum quærens benedictionem tuam. Mota eſt per menſem Julii quarta die ſex milleſimo ſeptingenteſimo undecimo, Indict. VI. mea humilitas ad ſanctum & glorioſiſſimum patrem noſtrum Innocentium Papam Romanum, & feci dies triginta in Dyrrachio juxta mare, cum vellem intrare navim gratia transfretandi, tunc detinuerunt me Græci, & non dimiſerunt me tranſire, ſed tenuerunt me apud Dyrrachium per octo dies... conſilium eorum erat projiciendi me in mare, ſed eripuit me Deus tuaque ſancta oratio. Exiens autem de civitate, revertens in villa nuncupata Carathacori, ibi diebus quindecim permanſi, & inde miſi duos bonos homines meos Romam ſanctitati tuæ, & utrum tranſiverint necne, novit Dominus. Et literæ mihi ex parte Domini mei Imperatoris D. Joannis venerunt dicentes; Revertere cito, quia huc pervenit Cardinalis à Domino Papa... Rurſum & perveni Drinaum per menſem Septembris, & inveni virum ſanctum, juſtum & rectum à ſanctitate tua directum; nomen ejus Joannes Capellanus ... ſecundum edictum magnæ veſtræ ſanctitatis, mihi benedictionem dedit, & largiens mihi Pallium ad plenitudinem Pontificalis officii, menſe Septembri octavo die, in feſto Nativitatis SS. noſtræ Dei genitricis. Et ego cum multa devotionis humilitate recepto Pallio, exhibui fidelitatis obedientiam præſentibus epiſcopis, qui ſcribunt ſanctitati veſtræ, & Principe noſtro, & multis aliis in Eccleſia aſſidentibus.* Ex qua epiſtola diſcimus Baſilium anno 1204. decem jam & octo epiſcopatus Zagorenſis ante egiſſe quam Ternobi Primas inſtitueretur. Cui Innocentius reſcripſit ſe per Leonem Cardinalem tit. S. crucis Legatum ſuum mittere *pontificalia ornamenta, caligas & ſandalia, amictum & albam, cingulum & ſuccinctorium, orarium & manipulum, tunicam & dalmaticam, chirothecas & annulum, planetam & mitram.*

II. Germanus.

Baſilii utique ſucceſſor inſtitutus eſt *Germanus*, qui Romana communione dimiſſa, Byzantinum adiit patriarcham, à quo, ut prædiximus, obtinuit quoque ut ſua ſedes αὐτοκέφαλος eſſet, imo patriarcha ipſe appellaretur. *Germanum* illum nominat Ephræmius Chronographus Græcus, ubi nuptias ſtrictim narrat filii Joannis Batatzæ Imp. cum Helena Aſani Bulgariæ Principis filia, quorum copulæ Germanus Ternobi benedixit:

Ἐπευλόγει δὲ τοῖς γάμοις ἀρχιθύτης
Θεῖος Γερμανὸς συμπαρὼν τελουμένοις,
Τῷ τηνικαῦτα ποιμενάρχης Τερνόβου,
Τῷ Βουλγαρείας ἐπικείμενος θρόνῳ.

Benedicebat nuptiis divinus Germanus ſacrorum princeps qui iis celebrandis aderat, quum tunc temporis

tunc temporis supremus pastor esset, Bulgariæ throno insidens. Alibi tamen monui nuptias istas Nicææ celebratas esse, nec illis Pontificem alium benedixisse nisi patriarcham Germanum, qui ea in urbe tunc cum Imperatore sedebat. Addit Ephræmius sibi latere qua ratione factum esset, ut synodi decreto & Imperatoria sanctione patriarchæ honorem ille nactus esset, quam tamen initæ affinitatis gratia ab Imperatoribus ei concessam censet. Nicephorus vero Gregoras lib. 2. hanc prærogativam libertatemque Trinovitano præsuli à synodo Græcorum concessam ait, ut Bulgarorum gens in Latinos arma converteret. Obiit eodem tempore quo Ungara Azani uxor circa annum 1245. Vid. Georg. Acrop. n. 36.

III. Joachim.

Ex Pachymere *in Andronico* lib. 3. c. 26. Tzacas qui Bulgariæ regnum occupaverat, à Splendosslabo circumventus, & Judæorum opera captus, neci datus est, cum Joachim Bulgariæ patriarcha quem ille præcipitio interfecit, quum vereretur ne Tocharis Bulgariam prodere tentaret, καὶ τὸν τῇδε πατριαρχεύοντα Ἰωακεὶμ κατακρήμνυσιν. Cujus etiam Joachim necis meminit Maurus Urbinus in historia de Regno Slavorum quam Italice scripsit, p. 465. nimirum Splendisslabum Bulgariæ regnum adeptum profligatis bello Persis, tumultuantibusque nihilominus adversus ipsum Bulgaris, quum Joachimum patriarcham suum suspectum haberet, huncce præcipitem egisse: sed facinoris pœnas luit, à comite Cefaloniæ cognato suo necatus. Quæ anno circiter 1295. gesta sunt. Ad eumdem Joachimum spectare dixero epistolam, quam Nicolaus Papa IV. anno 1291. Archiepiscopo Bulgarorum scripsit, ut id demum præstaret, quod olim coram Michaële Palæologo Imp. in Blachernarum palatio adjecto sacramento spoponderat, se Romanæ ecclesiæ communionem amplexurum, hortatusque est ut idem à Georgio Bulgarorum Imp. præstari curaret, quibus idcirco consuetam ea ætate Fidei professionem misit. Hæc Raynald. ad ann. 1291. n. 39. qui n. 4. ejusdem Pontificis Romani epistolam recitat datam *charissimæ in Christo filiæ Elenæ Reginæ Serviæ illustri*, quæ colloquium haberi proposuerat cum Georgio Bulgarorum Rege, *super reductionem illius ad devotionem S. Romanæ Ecclesiæ.*

IV. Ignatius.

In Ferrariensi ac subinde Florentino concilio sedit & subscripsit *Ignatius Tornobi metropolita*, locum supplens Nicomediensis, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Τορνόβου, καὶ τὸν τόπον ἔχων Νικομηδείας, Ἰγνάτιος.

V. Arsenius.

Anno 1564. Constantinopolitanæ synodo in qua Joasaph patriarcha dejectus est, aderat *Arsenius Tornobi metropolita*, lataeque in eum sententiæ subscripsit, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Τορνόβου Ἀρσένιος. lib. 2. Turco-Gr. p. 172. Cujus etiam Arsenii Martinus Crusius epistolas duas edidit lib. 4. p. 339. atque una quidem illarum à patriarcha Byzantino poscebat, ut viro cuidam potestas fieret uxorem ducendi quæ commatris illius soror esset. *Nam tametsi*, inquit, *lex huic quæstioni solutionem det, ego autem ne privato arbitrio statuere videar illis qui legum præscripta nesciunt, divinum tuum auxilium & prudentiam rogo.* Altera lib. 3. pag. 269. sic inscribitur: Τῷ ἐνδοξοτάτῳ καὶ εὐγενεστάτῳ ἐν ἄρχουσιν αὐθέντῃ κυρίῳ Μιχαὴλ τῷ Καντακουζηνῷ, εὖ πράττειν. *Illustrissimo nobilissimoque inter principes Michaëli Cantacuzeno, bene valere:* subscripsit, ὁ σὸς κατὰ πάντα ὁ Τορνόβου Ἀρσένιος. *Tuus per omnia Tornobi Arsenius.* Dorotheus Monembasiæ præsul in synopsi Arsenium accenset præcipuis Theophanis magni ecclesiarchæ discipulis, viri apud Græcos sapientiæ laude præstantissimi.

VI. Dionysius.

Arsenii successor utique fuit *Dionysius* Rhales, quem Hieremias patriarcha II. in Tornobi metropolitam promovit, καὶ ἔκαμε τὸν Διονύσιον Ῥάλλην ἀρχιερέα Τορνόβου, votis annuens præfectorum Galatæ, quum episcopatum hunc Pachomius Lesbius monachus illiteratus ambiret, qui tamen subinde Hieremiæ sedem occupavit. Doroth. Synops. pag. 341.

VII. Macarius.

Ex literis ordinationis Laurentii Cassandriæ archiepiscopi, quem Parthenius patriarcha I. anno 1639. consecravit, unus è cooperatoribus fuit *Macarius Tornobi*. Has edere licebit ubi de Laurentio Cassandriæ dicetur. Quin etiam anno 1641. Macarius idem aderat conventui metropolitarum, in quo de voce μετουσιώσεως, seu *Transubstantiationis* tractatum fuit.

VIII. Cyrillus.

Tornobi metropolita fuit *Cyrillus* cognomento Spanus, qui pro Joannicio Parthenii Hadrianopolis secundo successore Constantinopolitanus patriarcha renuntiatus fuit, sed ab episcopis rejectus, Κύριλλος ὁ Τορνόβου ὁ ἐπίκλην Σπανός. Hunc tamen postea patriarchatum obtinuit, sed diebus quatuordecim dumtaxat.

ECCLESIA TERNOBI.

IX. Parthenius.

Anno 1669. *Parthenius* IV. patriarcha Constantinopolitanus, qui post suam à suprema illa sede amotionem Prusensi metropoli donatus iterum fuerat, Tornobum subinde obtinuit, unde necessaria ipsi ad victum suppeterent. μετ' ὀλίγον ἐπῆρε τὸ Τόρνοβον διὰ ζωοτροφίαν. Index Patr. Const. ab anno 1594.

X. Gerasimus.

Anno 1672. Tornobi metropolim gerebat *Gerasimus;* quo nempe subscripsit responsioni Dionysii patriarchæ super erroribus Calvinianorum, ὁ Τορνόβου Γεράσιμος. Post Dionysii amotionem in patriarcham Gerasimus idem provectus est à Sultano, qui tunc Hadrianopoli agebat.

XI. Athanasius.

Illustrissimus Hierosolymitanorum patriarcha Chrysanthus in libro quem *de officiis Ecclesiasticis* scripsit, p. 46. synodicas literas edidit ad *Athanasium* Tornobi metropolitam & Bulgariæ Exarchum datas, hisque verbis incipiunt: ἱερώτατε μητροπολῖτα Τορνόβου, ὑπέρτιμε καὶ ἔξαρχε πάσης Βουλγάρειας ἐν ἁγίῳ πνεύματι ἀγαπητὲ ἀδελφὲ, καὶ συλλειτουργὲ κῦρ Ἀθανάσιε, χάρις εἴη σοι καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ. Agitur de excipiendo Joanne Logotheta Genico magnæ Ecclesiæ, quem synodus delegaverat, postulante Rosetæ Principe.

XII. Joannes.

Sedebat anno 1721. *Joannes Tornobi* metropolita, ὁ Τορνόβου Ἰωάννης.

XIV. ECCLESIA BRANDIZUBERIENSIS.

INter Bulgarorum ditionis civitates præcipuas sæculo decimo tertio censebatur *Brandizuberium,* quam Innocentius Papa III. metropoliticis juribus ornavit.

EPISCOPI BRANDIZUBERIENSES.

I. Blasius.

EX supradictis ubi de ecclesia Trinovitana, *Blasius* presbyter ab Innocentio Papa III. in Brandizuberensem archiepiscopum promotus est, quem nempe Rex Joannes in epistola qua se Apostolicæ sedi vovebat, his verbis commendaverat, *Religiosum electum Brandizuberensem fidelem nostrum presbyterum. Rogamus*, aiebat iterum, *sanctitatem vestram quod sint vobis recommendati, filius socius noster Blasius presbyter Brandizuberensis electus.* Codices nonnulli habent, *Brandiburziensis*, alii *Brandeberensis.* Hic Romam quum venisset, Latino ibi ritu consecratus est, divinoque Chrismate unctus à Joanne episcopo Albanensi, assistentibus episcopis duobus in præsentia Domini Papæ, quod Pontifex aliis ad Imperatorem Bulgariæ Joannem literis significavit, quibus unctionem in episcoporum ordinationibus adhibendam multiplici scripturarum testimonio probabat.

XV. ECCLESIA BELESBUGD.

IN Regio codice 3118. Notitia episcopatuum orbis Græca habetur, cui subjectus index civitatum & locorum quorum prisca nomina recentioribus mutata sunt, huncque integrum Jacobus noster Goarius post Codinum publici juris fecit. In illo indice legitur Βελεντιούπολις, τὸ νῦν Βελεσβούτιον, vel certe Βελεσβούδιον, δ'. pro τ. *Belentiopolis, quæ nunc Belesbudium.* Sed *Belentiopolis*, vel *Valentiopolis* nusquam comparet; à Valente Imp. utique nomen habuerat. Atqui Belesbudium in Mœsia cis Danubium exstitisse colligo ex Georgio Acropolita p. 43. ubi refert Joanni Vatazæ Imp. multa Bulgariæ loca se dedidisse, Stenimachum, & Tzepem & quotquot Rhodopes monti oppidula adjacerent, tributaria illi facta esse, atque utrimque ditionem Hebro terminatam fuisse, quin & tractus Aquilonem versus positi partem tenuisse, *Stumpium scilicet, Chotobos, castella munita,* & *Belesbudii regionem,* καὶ χῶρος ὁ Βελεσβουδίου ὑπὸ τὸν βασιλέα ἦν. De illis vero inter utrumque Principem pacta conventa fuisse. Atqui Innocentius Papa III. hoc Bulgarorum & Blachorum Regi annuit, ut præter Trinobi Primatem & Brandizuberensem, duo quoque metropolitæ crearentur, Prislaviensis seu Martianopolitanus & Belesbudiensis. Sic enim in ejusdem Innocentii vita fertur n. 79. *Legatus Romanus Joannes de Regis consilio & assensu duos alios metropolitanos in illo regno constituit, Belesburiensem* (lege Belesbudiensem) & *Preslaviensem, quos Præfecto Zagorensi tamquam Primati subjecit, & apud Trinovium nobiliorem totius provinciæ civitatem constituit Primatiam.* Quocirca Rex Pontifici per Joannem rescribens rogabat : *Mittas mihi, Pater bone, Pallia ad opus duorum metropolitanorum, Prislavæ & Belesbudii.*

EPISCOPI BELESBUGD.

I. NICEPHORUS.

AD calcem codicis Coisliniani 72. qui S. Joannis Chrysostomi in Joannem Homilias continet, nota hæc adscripta est: Κύριε βοήθει τὸν ἐλεεινὸν καὶ ἁμαρτωλὸν καὶ ἀνάξιον γεγονότα ἐπίσκοπον πόλεως Βελέβουγδ Νικηφόρον, τὸν τοῦ Ἀπελάστου, μεσιτευούσης τῆς παναχράντου σου μητρὸς, καὶ τοῦ ἠγαπημένου μαθητοῦ Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου, καὶ πάντων τῶν ἁγίων σου. ὅσοι ἀναγινώσκετε, εὔχεσθε ὑπὲρ ἐμοῦ διὰ τὸν κύριον. ἐγράφη ἰνδ. ί. ϛφπ'. *Auxiliare Domine misero peccatori & indigno episcopo civitatis Belesbugd Nicephoro Apelasti filio, intercedente purissima matre tua, & dilecto discipulo tuo Joanne Theologo, & omnibus sanctis tuis. Quicumque legitis, orate pro me propter dominum. Scriptus est Ind. x. anno 6580.* Christi proinde 1072.

II. * * *

Nomen illius primi Belesbudiensis metropolitæ, qui à Legato Innocentii Papæ III. institutus primùm fuit, nusquam in Pontificis vita & literis occurrit.

XVI.

ECCLESIA VARNÆ.

QUÆ Dionysopolis olim Mœsiæ inferioris civitas Ptolemæo & Ammiano Marcellino, & provinciæ Scythiæ Hierocli, hanc Bulgari Varnam dixere, ad fluvii Zyræ ostia, Euxinumque Pontum positam, juxta lacum Devinam cum portu capaci. Theophanes ad annum XI. Constantini Pogonati Imp. urbem Varnam, Odysso vicinam à Bulgaris statim trajecto Istro occupatam tradit, quæ nuperis sæculis à Byzantinis Patriarchis metropolitico honore aucta est.

EPISCOPI VARNÆ.

I. METHODIUS.

SEntentiæ qua Joannes Calecas patriarchatu & communione à Palamitis præsulibus spoliatus fuit anno 1347. subscripsit *Methodius metropolita Varnæ,* ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Βάρνης καὶ ὑπέρτιμος Μεθόδιος. Bibl. Cæsar. Lambec. lib. 8. cod. 6.

II. ACACIUS.

Lib. 4. Turco-Græc. pag. 335. epistola exstat Acacii metropolitæ Varnæ, Theodosio Zygomalæ, Magnæ Ecclesiæ Protonotario salutatoria, cui subscripsit ipse, ταπεινὸς Βάρνης Ἀκάκιος, *Acacius humilis Varnæ* (supple *metropolita.*)

III. CALLINICUS.

Anno 1721. sedebat *Callinicus* metropolita Varnæ, ὁ Βάρνης Καλλίνικος.

XVII.

ECCLESIA GOTTHIÆ.

GOTTHI quos Romani *Getas* etiam appellitabant, è remotioribus versus Aquilonem Germaniæ finibus egressi, varias per Europam regiones occupavere. Prima vero eorum mansio, Jornande teste, fuit in illo Scythiæ Europææ tractu, qui à Danuvio flumine ad Mæotidem paludem protenditur; secunda, transito sub Valente Imp. fluvio, in Mœsia inferiori, Thraciaque & Dacia, unde in alias Romani Imperii Provincias occidentem versus penetrarunt. Quinimo ante Constantini magni tempora pars eorum in Asiam, Galatiam & Cappadociam Valeriano & Gallieno Imp. transgressi, quum captivos inde multos abduxissent, in quibus non pauci christianæ legis Sacerdotes & clerici erant, horum conversationibus & colloquiis veri Dei cultum admiserunt. Id quod subinde felicius præstitit Constantinus Imp. quum illos Sarmatasque prælio superasset. *Hos enim,* ait Socrates lib. 1. hist. cap. 18. *Crucis vexillo quod est christianorum proprium, in prælio fretus, tam fortiter devicit, ut non solum tributum quod à priscis Imperatoribus dari solebat Barbaris, ipse sustulerit, sed illi etiam præ incredibili victoria obstupefacti tunc primum christianæ religioni colendæ, cujus præsidio Constantinus incolumis evaserat, se totos traderent.* Cæterum Socrates ipse subinde lib. 4. c. 33. satis innuit magnam hujus gentis partem profana adhuc numina dudum post Constantinum coluisse, ad tempora scilicet Valentis Imp. quando trajecto Istro flumine Mœsiam Daciamque Ripensem & Thraciam obtinere permissi sunt, hac pacta conditione, ut Romanis legibus viverent, Christoque nomen darent. Quod quidem eorum Regulus Fritigernes libenter admisit, ut Romanorum auxilio sese adversus Athanaricum tueretur. Quo factum est ut

ECCLESIA GOTTHIÆ.

Ariani Imperatoris opera Ariana quoque labe imbuerentur. *Valens Imperator*, ait in Gotthorum historia Jornandes c. 25. *Arianorum perfidia saucius.... suæ partis fautores ad illos direxit prædicatores, qui rudibus & ignaris illico perfidiæ suæ virus effundunt. Sic Vesigothæ à Valente Imp. Ariani potius quam Christiani effecti sunt.* Id quod eo faciliùs patratum est, quod Sozomeno teste, Ulphilas Gotthorum qui Christum pridem colebant episcopus, in Constantinopolitana synodo ab Eudoxio & Acacio Cæsariensi seductus, Nicænam Catholicamque Fidem, quam ante profitebatur ejuravit, suosque subinde hæresim docuit. Attamen Sozomenus testatur, Gotthos non integram prorsus Arianorum perfidiam, communionemque Valentis & Eudoxii admisisse, qui nulla ratione sustinerent Dei Filium ad res creatas amandari. Cæterum complures Gotthorum ab ea hæresi immunes omnino manserunt, aut aliquanto post defecerunt, iique maxime qui ultra Istrum Danuviumve consederant. Basilius siquidem post annum 372. epistola 138. scribebat, veram sinceramque Christi doctrinam in illis transistranis regionibus annuntiari. Ambrosius in Lucam cap. 2. pag. 26. Gotthicæ gentis martyres celebrat, qui suam de Christi deitate confessionem cruore suo sanxerant. Quocirca Joannes Chrysostomus Arcadio Imperatore, Unilam gentis illius episcopum consecravit, quo paulopost defuncto, eorum Rex alterum qui illi succederet perinde postulavit. Quod quidem sanctissimus ille Ecclesiæ Doctor epistola sua 14. ad Olympiadem narrat. Quinimo epist. 207. Monachis Gotthis scribens studium eorum laudat, quo caverant, ne quid tumultus in Gotthorum ecclesia accideret, ob ea quæ adversum se gesta erant. χάριν δὲ ὑμῖν ἔχω καὶ τῆς σπουδῆς ἣν ἐπεδείξασθε ὑπὲρ τοῦ μηδενὰ θόρυβον γενέσθαι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τῇ τῶν Γοτθῶν. Atqui ex Theodoreto lib. 5. c. 22. discimus Joannis ipsius Chrysostomi opera Gotthorum illam gentem ab Ariana hæresi revocatam esse, eisque clericos complures ordinasse à quibus erudirentur, quin etiam ad illos proficisci non dubitasse ut illos confirmaret. Hoc porro Gotthorum genus Tetraxitas Procopius appellat, eosque Justiniano Imp. oratores quatuor delegasse, qui ab ipso impetrarent episcopum, qui nuper defuncti locum suppleret. Ex quibus colligere est jam olim ab antiquo Gotthorum illorum ecclesiam Byzantinæ sedi fuisse obnoxiam. Hi itaque Gotthi regionem cis Tanaim fluvium ad Tyram usque amnem tenebant, quæ *Osia* hodie Ferrario dicitur; imo ut in actis fertur Bethleemitanæ synodi *Sphetzia*, Γοτθία ἡ νῦν Σφετζία, primariamque illius urbem de gentis nomine dictam *Gotthiam* anno 1475. Mahometus II. Turcarum Sultanus expugnavit. Gotthiæ vero archiepiscopus in Notitia Leonis Imp. trigesimus quartus est eorum qui ad Constantinopolitanum thronum spectant, λδ΄. ὁ Γοτθίας. qui & metropolitæ titulo honoribusque subinde donatus est: ejusque sedes est Capha civitas in Bosporo.

EPISCOPI GOTTHIÆ.

I. THEOPHILUS.

A

IN Nicænorum Patrum Indice qui latine exstat, penultimus est *Theophilus Gotthiæ*. In Menæis Græcorum ad diem 15. Septembris commemoratio habetur *S. Martyris Nicetæ, qui sub Imperio Constantini magni natus & educatus in regione Gotthorum, Christique Fidem edoctus à sanctissimo episcopo Theophilo, comprehensus ab Athanarico principe, ob Christianæ fidei professionem igne consumtus est.* Huncvero alium non esse à celeberrimo Gotthorum præsule Ulphila statuere videtur Philostorgius Arianus, qui Ulphilam primum fuisse Gotthorum episcopum scripsit, ἐπίσκοπος αὐτῶν πρῶτος καταστάς, postquam Constantinus eam sibi gentem subdiderat. Quod non nisi anno 323. factum evincit Doctissimus Pagius. Addit Philostorgius hunc ab Eusebio Nicomediensi tunc antistite fuisse consecratum, ὑπὸ Εὐσεβίου καὶ τῶν σὺν αὐτῷ χειροτονεῖται. Narrat quoque Ulphilam literas quibus Gotthica gens utebatur, excogitasse, sacraque volumina in eorum idioma convertisse, præter libros Regum, qui narrationes continerent bellorum, à quorum studio Gotthorum animos avertendos curaret.

Henschenius in Actis SS. ad diem 12. Maii pag. 187. Beatum Audæum Gotthiæ episcopum laudat, qui forsan alius censendus non est ab Audio illo Audianorum Sectæ auctore, quem Epiphanius hær. 70. ab ecclesia ob fanaticos errores ejectum in Gotthiam aufugisse perhibet, ibique episcopos sui generis creasse.

B

Sozomenus lib. 9. cap. 9. narrat quoque Attalum urbis Romæ sub Honorio Imp. præfectum, tum deinde arrepta tyrannide Augustum renuntiatum, Alarichi Gotthorum regis amicitiam sibi conciliasse, quum à Sigesario Gotthorum episcopo baptizatus fuisset, Arianorumque hæresi nomen dedisset, βαπτισθεὶς παρὰ Σιγησαρίου τοῦ ἐπισκόπου τῶν Γότθων. At Sigesarius iste in Gotthia illa de qua nunc sermo est, minime sedebat.

II. SELENAS.

Theophili sive Ulphilæ successor fuit *Sele-*

nas, quo ille amanuenſi uſus fuerat, quum non patria ſolum lingua doctus, verum etiam Græca, ad plebes erudiendas idoneus ſuis viſus eſſet. Hic vero Selenas Arianus Eunomianuſque erat; quin & ex illis qui Pſatyriani dicebantur, quique Deum etiam antequam exſtaret Filius, vere Patrem dicendum fuiſſe contendebant. De quo legendus Socrates lib. 5. hiſt. c. 23. ubi Selenam patre Gottho, & matre Phryge natum refert, necnon Sozomenus lib. 7. cap. 17.

III. Unilas.

S. Joannes Chryſoſtomus epiſtola 14. quam Olympiadi viduæ ſcribebat, Gotthorum Regem, ut ſuperiùs à me dictum eſt, ipſumque adeo catholicæ Fidei ſtudioſum, defuncto epiſcopo ſuo Unila viro ſanctiſſimo, quem ipſe conſecrarat, alterum qui ei ſuccederet poſtulaſſe refert. *Narraverunt mihi*, inquit, *Marſi & Gotthi monachi apud quos Serapion epiſcopus perpetuo deliteſcebat, Moduarium diaconum veniſſe illud afferentem, admirandum illum Unilam epiſcopum, quem nuper ordinavi, atque in Gotthiam miſi, multis & magnis rebus geſtis obdormiiſſe, ab illoque Regis literas allatas, quibus ad ipſos mitti epiſcopum alium petebat*, ὅτι Οὐνίλας ὁ ἐπίσκοπος, ὁ θαυμάσιος ἐκεῖνος, ὃν πρώην ἐχειροτόνησα καὶ ἔπεμψα εἰς Γοτθίαν, μεγάλα κατορθώσας ἐκοιμήθη. καὶ ἦλθε φέρων γράμματα τοῦ Ῥηγὸς τῶν Γοτθῶν, ἀξιοῦντα πεμφθῆναι αὐτοῖς ἐπίσκοπον. Cæterum ob ea quæ ſibi acciderant, cenſet cunctationem eſſe neceſſariam dum hyems præterierit: animam quippe ſuam duobus excruciari, nempe quod inſtituendus epiſcopus foret ab auctoribus malorum, quodque aliquis qui Gotthicæ genti minime conveniat, illis præficeretur, quando adverſariis ſuis ſtudio nequaquam erat, ut vir bonus ſtrenuuſque illis deſignaretur.

IV. *** V. ***

Procopius lib. 4. de bello Gotthico cap. 4. narrat Gotthos Tetraxitas, de quibus hic nobis ſermo eſt, qui cis Tanaim & paludem Mæotidem habitabant, anno 20. Juſtiniani ad eum Conſtantinopolim miſiſſe ut epiſcopum ipſis daret, qui alteri nuper defuncto ſuccederet, ἐπίσκοπον σφίσι τινὰ δεόμενοι δοῦναι ἐπεὶ ὅσπερ αὐτοῖς ἱερεὺς ἦν τετελευτήκει οὐ πολλῷ πρότερον. *Inaudierant enim*, pergit ille, *& Abaſgis ab Imperatore miſſum eſſe pontificem.* Quocirca precibus eorum Juſtinianus ſine mora annuens, epiſcopum illis mittit, καὶ αὐτοῖς προθυμότατα ἐπιτελῆ ποιήσας τὴν δέησιν.

VI. *** VII. Joannes.

In Menologio Græcorum die 26. Junii memoria habetur S. Joannis Gotthiæ epiſcopi. ἡ μνήμη τοῦ ἐνδόξου πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου ἐπισκόπου Γοτθίας. Hujus vitam Bollandi continuatores ediderunt, qua fertur, eum in Gotthiæ loco qui Parthenitarum dicebatur, natum eſſe; ejus vero deceſſorem ſub Conſtantino Copronymo Imp. Conſtantinopolim accerſitus quum eſſet, ad Iconomachos defeciſſe in ſynodo quam ille princeps ad ſacras imagines proſcribendas coëgerat, atque perfidiæ ſuæ mercedem accepiſſe metropolim Heracleenſem, ἐπὶ δὲ Κωνσταντίνου τοῦ βασιλέως ὁ τηνικαῦτα Γοτθίας ἐπίσκοπος, μεταπεμφθεὶς πρὸς τὴν τότε συναθροισθεῖσαν κατὰ τῶν ἱερῶν εἰκόνων σύνοδον προσκληθεὶς καὶ καθυπογράψας, Ἡρακλείας τῆς Θράκης μητροπολίτης ὑπὸ τοῦ βασιλέως κατέστη. Quod ubi Gotthiæ fideles reſciverunt, Joannem ſibi antiſtitem deſignarunt, quem non Conſtantinopolim, ſed in Iberiam miſerunt, ab illius gentis catholico conſecrandum. εἶθ᾽ οὕτως ἐπὶ Ἰβηρίαν πρὸς τὸν καθολικὸν θρόνον ἐξέπεμψαν, κἀκεῖ χειροτονηθεὶς ἐπίσκοπος, ubi quum epiſcopus ordinatus eſſet, catholicæ Fidei dogmata ſincera incorruptaque cuſtodivit. Deinde Diaconum ſuum Longinum Hieroſolymam miſit, ut patriarcham excitaret ad ſynodum cogendam qua eccleſiæ laboranti opem ferret. Poſt Copronymi obitum, coacta rurſum ſub Conſtantino & Irene generali ſynodo, ad eam venit, hæreſimque ſtrenuè confutavit. In regionem vero ſuam reverſus à ſua plebe Chazarorum principibus qui Gotthiam invaſerant, traditus fuit, è quorum tamen manibus evaſit, atque Amaſtridem tranſiens, ibidem poſt multa quæ adierat pericula vivere deſiit. Ipſe itaque eſt Joannes Gotthiæ epiſcopus pro quo Cyrillus monachus ſeptimæ ſynodi decretis ſubſcripſit. Κύριλλος μόναχος, καὶ ἐκ προσώπου Ἰωάννου ἐπισκόπου Γοτθίας, ἐντραφεὶς τοῖς ἀποστολικοῖς κηρύγμασι καὶ τῶν πατέρων παραδόσεσι. *Cyrillus monachus & ex perſona Joannis epiſcopi Gotthiæ, enutritus apoſtolicis doctrinis & Patrum traditionibus.*

VIII. ***

Joanne Xiphilino patriarcha ann. 1066. & 1067. in duobus ſynodis de ſponſalibus clericorum edita ſtatuta ſunt, ibique ſedebat archiepiſcopus Gotthiæ, καὶ ὁ Γοτθίας. Jur. Græco-Rom. lib. 3. pag. 211. & 213.

IX. ***

Sub Manuële Comneno Imp. & Michaële Oxita patriarcha epiſcopi duo, Saſimorum & Balbiſſæ Bogomilorum hæreſis ſuſpecti deſtituti fuerunt, quodque ſecundum præſcripta canonum ordinati non erant. Aderat Archiepiſcopus Gotthiæ, τοῦ Γοτθίας. Leo Allat. lib. 2. de Conſ. cap. 12.

ECCLESIA GOTTHIÆ.

X. Constantinus.

Anno 1147. synodicæ sententiæ, qua Cosmas Atticus patriarcha Bogomilorum quoque hæresis suspectus sacerdotio amotus fuit subscriptus legitur, ὁ εὐτελὴς ἀρχιεπίσκοπος Γοτθίας Κωνσταντῖνος, *Exiguus archiepiscopus Gotthiæ Constantinus*. Allat. Ibid. cap. 12. Itemque anno 1156. in Constantinopolitana synodo altera, in qua Soterichus Panteugenus ob errorem de sacrificio Domini proscriptus fuit, sedebat Archiepiscopus Gotthiæ, τῆς Γοτθίας, ut in ejus synodi actis quæ in Nicetæ Choniatæ Thesauro manu exarato leguntur, ac ipse prorsus Constantinus qui subinde iterum sedebat in synodo alia Lucæ Chrysobergæ patriarchæ, in qua Alemanni, qui à quibusdam monachis Græcis hæresis taxati fuerant, insontes veræque Fidei professores judicati sunt, *Gotthiæ Constantinus*. Allat. ibid. n. 4.

XI. Arsenius.

Post hæc tempora Arsenium Gotthiæ ecclesiæ præfuisse, in Schedis meis reperio: unde vero id acceperim, locus, nescio quo facto, excidit.

XII. Sophronius.

Anno 1292. sedebat *Sophronius Gotthiæ metropolita*, quo nempe exaratus fertur codex A Cæsareus quem Lambecius recitat lib. 8. Bibl. Vindob. pag. 358. & 365. ἱεραρχοῦντος τοῦ πανὺ ἱερωτάτου μητροπολίτου Σωφρονίου ἤγουν πάσης τῆς Γοτθίας, *antistite sacratissimo metropolita Sophronio, seu totius Gotthiæ*. Vide Palæogr. pag. 67.

XIII. Holobolus.

Gregorius Protosyncellus in Responsione ad epist. Marci Ephesii, qua ostendit Photii canonem quo vetabatur ne episcopus qui monasticum institutum amplexus esset, episcopa- B le deinceps fastigium reciperet, antiquatum subinde fuisse, in exemplum adfert *Holobolum* Gotthiæ qui dimisso episcopatu monachi institutum professus erat, paulo ante vitæ finem pontificatum gessisse, & pontificum more celebratas ejus exequias fuisse in monasterio Philanthropi Christi, Matthæo Patriarcha præsente, Serrarumque & Berrhoææ metropolitis, aliisque præsulibus, ante annum proinde 1410. quo Matthæus patriarchatum cum vita finivit. καὶ Γοτθίας δὲ ὁ Ὁλόβολος τὰ ὅμοια τετίμηται ἐν τῷ τέλει αὐτοῦ, ὡς ἀρχιερεὺς C ἐκείθη, καὶ ὡς ἀρχιερεὺς ἐκηδεύθη ἐν τῇ μονῇ τοῦ φιλανθρώπου χριστοῦ.

XIV. Parthenius.

Anno 1721. sedebat *Parthenius* metropolita Gotthiæ & Caphæ. ὁ Γοτθίας, καὶ Καφᾶ Παρθένιος.



VII. PROVINCIA VALACHIÆ.

I. ECCLESIA TERGOVITZII, METROPOLIS.

QUAM regionem Gotthi olim Tanaim inter & Danubium possederant, hanc subinde Chazari, Bulgari & Blachi occuparunt : à Blachis magna ejus pars Blachia, seu Valachia dicta est. Hæc vero in principatus duos divisa est : horum alter Ungariæ affinis ab Ungaris regibus subactus *Ungaro-blachia* audit; alter vero *Moldo-blachia* à Moldo fluvio, qui eam interfluit, appellatur. Omnes illæ provinciæ diœcesis olim Constantinopolitanæ fuerant, barbaricæque dicuntur in Can. 28. Concilii Chalcedonensis; ex quo vero Bulgaricæ ditionis fuerunt, ea gente ad Christi fidem accedente, archiepiscopo primum Achrideno paruerunt; dein Bulgaris à Basilio Bulgaricida Imp. victis, atque in arctiores Danubium versus fines compressis, Trinoviæ itidem Archiepiscopo. Præcipuis autem illis juribus, quibus potiebatur ademptis, utraque Valachia Constantinopolitano iterum velut olim throno obnoxia facta est. Cæterum anno circiter 1370. Ladislaus Valachiæ princeps regionem suam Græco schismate laborantem ad catholicam unitatem revocare meditatus est, atque literas de communione cum Romana sede ineunda Urbano Papæ VI. per nobilem Moldaviensem dedit, cui perinde Pontifex rescripsit; sed cassus utriusque conatus fuit. Valachiæ metropolita illustrissimo Hierosolymorum Patriarchæ, ut & Moldoblachiæ *exarchus Plagenarum* appellatur, ἔξαρχος Πλαγηνῶν; ceu totus ille tractus *Plagenæ* dicatur; quo etiam nomine appellatur in Notitia Codini Curopalatæ. *Posteris*, inquit, *temporibus constituti sunt in Ungaroblachia, duo metropolitæ, quorum alter tenet locum Nicomediensis, & dicitur* ἔξαρχος πάσης Οὐγγρίας, καὶ Πλαγηνῶν, *& alter dicitur Metropolita partis Ungaroblachiæ, geritque vices Amaseni.* Valachiæ metropolis, seu primaria civitas est Tergovitzium, eique nulla subest episcopalis altera.

EPISCOPI VALACHIÆ.

I. THEODOSIUS.

ANno 1701. Valachiæ metropolita sedebat *Theodosius*, ex inscriptione Heortologii, quod eodem anno Buchoresti excusum fuit. Ἑορτολόγιον, *Heortologium* (sive liber de festis) *in quo de quibusdam quæstionibus, quæ præmittuntur, de ratione temporum, de cunctis solemnitatibus & earum argumentis, de sancto Pascha, de brevissimo Menologio, autore sapientissimo in suprema Bucorestiensi Academia magistro Sebasto Trapezuntio Cyminita, nuncupatum vero illustrissimo, Celsissimoque Principi & moderatori totius Ungaroblachiæ D.D. Joanni Constantino Bessarabæ Waivodæ,* ἀρχιερατεύοντος τοῦ πανιερωτάτου μητροπολίτου τῆς αὐτῆς Οὐγγροβλαχίας κυρίου κυρίου Θεοδοσίου, *pontificatum gerente sacratissimo metropolita totius Ungaroblachiæ D. D. Theodosio, nunc primum excusum ab Anthimo Hieromonacho Typographo ex Iberiâ oriundo; correctum denique à studiosissimo Hieromonachorum Ignatio Phytiano, in monasterio Synagobæ, mense Junio, anno*

A *1701.* Eidem Theodosio Ungroblachiæ Joannes Comnenus nuncupavit descriptionem *Prosignatarii S. montis Atho*, τῷ ἁγιωτάτῳ θεοπροβλήτῳ μητροπολίτῃ τῆς ἁγιωτάτης μητροπόλεως Οὐγγροβλαχίας ὑπερτίμῳ καὶ ἐξάρχῳ Πλαγηνῶν κυρίῳ κυρίῳ Θεοδοσίῳ ἐν Βουκουρείῳ ‚αψά. κατὰ μῆνα Μαΐου, *sacratissimo & à Deo provecto metropolitæ sanctissimæ metropolis Ungroblachiæ, Hypertimo & Exarcho Plagenarum D. D. Theodosio, Bucoresti anno 1701.*

II. ANTHIMUS.

B Alexander Helladius Græcus in tractatu quem ann. 1714. Noribergi, ut videtur, in Germania edidit *de statu præsenti Ecclesiæ Græcæ* cap. 2. de Valachiæ Typographia librisque illic impressis, ait supremum hujus officinæ præfectum, censorem & correctorem fuisse *Anthimum* Iberensem ordinis S. Basilii magni ascetam, jam ante annos octo & quod excurrit, ob summam eruditionem

ECCLESIA VALACHIÆ.

ſuam totius Valachiæ factum metropolitam. Ac certè Anthimus Ungaroblachiæ metropolita ſedebat anno 1710. quo Tergoviſti typis Græcis prodiit Euthymii Zigadeni Panoplia, expenſis Athanaſii metropolitæ Dryſtræ, παρὰ τοῦ πανιερωτάτου λογιωτάτου θεοπροβλήτου μητροπολίτου Οὐγγροβλαχίας κυρίου κυρίου Ανθίμου τοῦ ἐξ Ἰβηρείας, *apud ſacratiſſimum eruditiſſimumque & à Deo provectum Ungroblachiæ metropolitam Dominum, D. Anthimum ex Iberia.*

III. Daniel.

Sedebat anno 1721. *Daniel* metropolita Ungaro-Valachiæ, ὁ Οὐγγροβλαχίας Δανιήλ. Imo labente anno 1719. eccleſiæ illi præerat, ut diſertè fertur in inſcriptione libri περὶ τῶν καθηκόντων, *de his quæ conveniunt,* ſive *de officiis,* quem ſereniſſimus atque doctiſſimus Valachiæ princeps D. Joannes Nicolaus Alexander Maurocordatus Waivodas elaboravit, Bucoreſtique typis Græcis publici juris fecit, *accurante ſacratiſſimo & à Deo provecto metropolita D. Daniele* ἀρχιερατεύοντος τοῦ πανιερωτάτου καὶ θεοπροβλήτου μητροπολίτου κυρίου Δανιήλ. *Anno 1719. menſe Decembri* ἔτει ἀπὸ θεογονίας αψιθ'. κατὰ μῆνα Δεκέμβριον.





VIII. PROVINCIA

VIII. PROVINCIA MOLDOBLACHIÆ.

I. ECCLESIA SOTZABÆ, METROPOLIS.

SOTZABA, ſeu *Sotzava, Sotzowa* Σώτζαβα Græcis, Moldoblachiæ provinciæ metropolis dicitur in actis ſynodi, quæ Giaſii in eâ regione anno 1642. à Parthenio patriarcha Conſtantinopolitano ob Calvinianos Cyrilli Lucaris errores habita eſt. Hujus urbis Antiſtes Moldoblachiæ metropolita dicitur & Exarchus Plagenarum. Quocirca in Notitia Georgii Codini Curopalatæ fertur *in Ungroblachia creatos nuper metropolitas duos, quorum unus locum teneat metropolitæ Nicomedienſis, dicaturque Exarchus totius Ungariæ & Plagenarum, alter vero parti præſit Ungroblachiæ, & Amaſeenſis metropolitæ locum obtineat,* ubi profecto utrumque metropolitam Moldoblachiæ & Ungaroblachiæ Codinus videtur ſignificare. At vero paulo poſt ſubdit alium quoque metropolitam conſtitutum in Mauroblachia, ſeu Valachia Nigra, καὶ ἐν Μαυροβλαχίᾳ ἕτερος, quod Goarius Codini Interpres de Moldavia intellexit. Valachos quidem Phranza lib. 1. cap. 30. ſimul memorat non nihilque diſtinguit; atque Maurovalachos ſic dictos putaverim ceu Nigri maris Euxinive Ponti accolas, quum Valachia mediterranea ſit ad Danubii fluminis latus, quod certe Moldoblachiæ magis convenit, niſi provincia Budzia & Beſſarabia dicta hac voce ſignificetur. Moldoblachia autem, quæ per contractionem Moldavia dicitur, Bogdamia quoque à Græcis appellatur. Illuſtriſſimus, & ſine honore nunquam nominandus Hieroſolymorum patriarcha Chryſanthus, quum Sotzabam quidem Moldoblachiæ provinciæ caput & metropolim eſſe ſcribat, tres quoque ei obnoxios epiſcopatus addit, *Romanum, Rhadautzium & Chuſium.* Cæterum metropolitæ ſedes hodie eſt Giaſium præcipua regionis civitas. Circa annum 1370. Latako, vel Latzko Moldaviæ princeps Urbano Papæ V. per fratres minores ſcripſit de Apoſtolicæ ſedis communione amplectenda, atque Urbanus archiepiſcopo Pragenſi, Wratiſlavienſique & Cracovienſi epiſcopis literas dedit, ut id negotium curarent & gererent, quas recitat Raynaldus ad illum annum n. 7. atque epiſcopum creavit Ceretenſis Moldaviæ oppidi vel civitatis, quam ab Halivenſis, ſeu Halicienſis eccleſiæ, cui parebat, juriſdictione ſubduxit. Ac quidem an. 1372. Gregorius Urbani ſucceſſor Lazkoni principi literis ſuis gratulatus eſt de præſtitâ Romanæ Eccleſiæ obſequentia; verum hæc durabilia non fuerunt, ſubindeque pauco poſt tempore, Moldoblachiæ atque Ungaroblachiæ metropolitæ duo à Conſtantinopolitanis Patriarchis conſtitui cœperunt, quibus antehac videntur paruiſſe.

EPISCOPI SOTZABÆ.

I. Anthimus.

A

Moldoblachiæ epiſcopum deſignabo *Anthimum* vel *Anthemium*, quem Gregorius Hieromonachus & Protoſyncellus Maurοblachiæ metropolitam fuiſſe tradit in reſponſione ad epiſtolam Marci Epheſini, ubi de editis in Photii quondam ſynodo tribus canonibus diſputans, hos antiquatos duobus exemplis oſtendit, quorum unum eſt Anthimi Mauroblachiæ Μαυροβλαχίας Ἀνθίμου ἐκείνου, *qui cum Angelicum monaſticum habitum induiſſet, rurſus adhortante ſynodo, pontificalia munera exequutus erat;* etſi id altero è tribus Photii canonibus prohiberetur.

II. Gregorius.

Anno 1435. ſedebat *Gregorius* Moldoblachiæ archiepiſcopus, ſive metropolita, ad quem Eugenius Papa IV. literas dedit, quum audiſſet eum ad Eccleſiæ Græcæ cum Romana unionem inſtaurandam optime affectum eſſe. Eugenii epiſtolam Raynaldus refert inſcriptam *Gregorio Archiepiſcopo Moldoblachiæ,* datamque Florentiæ anno Incar. Dom. 1435. VI. Id. Mart. Rayn. ad ann. 1436. n. 27.

III. Damianus.

Ferrarienſi Florentinoque concilio interfuit

& ſubſcripſit *Damianus metropolita Moldoblachiæ, locum tenens metropolitæ Sebaſtiæ.* ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Μολδοβλαχίας, καὶ τὸν τόπον ἔχων τοῦ Σεβαστείας, Δαμιανός. Sed & in ſynodo quæ Conſtantinopoli habita fertur in templo S. Sophiæ circa annum 1440. Macarius Nicomedienſis vices Damiani metropolitæ Moldoblachiæ geſſiſſe fertur, & ad hunc modum ſubſcripſiſſe, ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Νικομηδείας Μακάριος, ἔχων καὶ τὸν λόγον τοῦ Δαμιανοῦ Μολδοβλαχίας. Allatius Add. ad lib. de conſ. pag. 1387. Cæterum biennio ante Concilium Florentinum, Damiano qui Conſtantinopolim venerat, quum ad Eccleſiam ſuam reverteretur, Joannes Imp. mandaverat, ut ſynodi quæ in Italia cogenda erat, negotium pro virili ſuo promoveret; quin etiam literas ad ipſum & ad Moldoblachiæ Principem hanc in rem dederat. Quocirca anno inſequenti Conſtantinopolim Damianus rediit habens in comitatu *Neagogum* ſive *Protopapam.* Hæc Syropulus. Sect. 3. Hiſt. Conc. Florent. cap. 18.

IV. Anastasius.

Dorotheus Monembaſiæ in ſynopſi hiſtoriarum pag. 347. ubi narrat Hieremiæ patriarchæ II. in Bogdaniam, ſive Moldoblachiam profectionem, Petro Boebodæ ſive Vaivodæ filium genitum eſſe refert, qui ab *Anaſtaſio* ſuæ gentis pontifice baptizatus, Stephanique nomine donatus eſt, καὶ ἐβάπτισέ τον ὁ ἀρχιερεὺς Ἀναστάσιος, καὶ ἐκάλεσέ τον Στεφανόν.

V. Barlaam.

In ſynodo quam Parthenius I. patriarcha Conſtantinopolitanus Giaſii habuit anno 1642. ſedebat, ſubſcripſitque, *Barlaam metropolita Sotzabæ, & totius Moldoblachiæ, Exarchuſque Plagenarum,* Βαρλαὰμ μητροπολίτης Σώτζαβας, καὶ πάσης τῆς Μολδοβλαχίας καὶ ἔξαρχος Πλαγηνῶν.

VI. Gedeon.

Anno 1721. ſedebat *Gedeon Moldaviæ,* ὁ Μολδαβίας Γεδέων.

II. ECCLESIA ROMANI.

Moldaviæ hodiernæ civitas eſt epiſcopalis *Romanum,* vernacule *Romani Waivar.*

EPISCOPI ROMANI.

I. Eulogius.

Synodo quam Parthenius I. patriarcha Giaſii in Moldavia habuit anno 1642. adfuit & ſubſcripſit *Eulogius epiſcopus Romani,* Εὐλόγιος ἐπίσκοπος Ρωμανοῦ.

III. ECCLESIA CHUSII.

Chusium, Χούσιον, civitas eſt non ignobilis Moldoblachiæ, vulgo *Chotza* dicta ad Danaprim ſeu Boryſthenem fluvium in finibus Poloniæ.


EPISCOPI CHUSII.

I. Georgius.

In ſynodo Giaſienſi Parthenii I. patriarchæ anno 1642. ſedit ſubſcripſitque *Georgius epiſcopus Chuſii,* Γεώργιος ἐπίσκοπος Χουσίου.

II. Metrophanes.

Anno 1683. ſedebat *Metrophanes epiſcopus Chuſii,* quo Giaſii in Moldavia præerat edendis voluminibus Simeonis Theſſalonicæ, & aliorum recentioris Græciæ ſcriptorum. Hic quoque anno 1690. curam geſſit editionis Enchiridii quod Doſitheus patriarcha Hieroſolymitanus adverſus Lutheranos & Calviniſtas ſcripſit, παρὰ τοῦ θεοφιλεστάτου ἐπισκόπου πρώην Χουσίου κυρίου Μητροφάνους, *à religioſiſſimo Domino Metrophane epiſcopo nuper Chuſii;* quæ vox πρώην *nuper* indicat eum, vel epiſcopatum abdicaſſe, vel ab eo amotum, quod ad arbitrium Principis facile apud Moldavos fieri audio.



IV. ECCLESIA RHADAUTZII.

RHADAUTZIUM tertia Moldoblachiæ civitas cenſetur in Notitia Illuſtriſſimi Hieroſolymorum Patriarchæ.

EPISCOPI RHADAUTZII.

I. ANASTASIUS.

SYnodo illi quam Parthenius ſenior patriarcha Giaſii in Moldoblachia habuit anno 1642. adfuit & ſubſcripſit *Anaſtaſius epiſcopus Rhadautzii*, Αναςάσιος ἐπίσκοπος Ραδαουτζίου.

In Moldoblachia epiſcopi inſtituti ſunt Latini ritus, à tempore Urbani Papæ V. quorum primus fuit Andreas de Cracovia ex ordine Minorum aſſumptus, vir rerum divinarum eruditione & pietate inſignis, qui in Ceretenſi civitate ſedit, quique illi ſucceſſerunt alternatim ex Minorum & Prædicatorum ordinibus eliguntur. Eamque hodie Eccleſiam gerit Joannes Damaſcenus Lubinieski ord. Prædicatorum.



IX. PROVINCIA RUSSIÆ.

I. ECCLESIA KIOVIÆ, METROPOLIS.

RUSSI & Moſchi gentes olim nominatiſſimæ, in divinis etiam Scripturis ſunt. Ezechielis 38. v. 3. *Rhos* & *Moſoch* dicuntur in Hebræo contextu ראש ומשך, & in veteri tranſlatione Græcâ, quæ ſeptuaginta interpretum dicitur, Ῥὼς καὶ Μέσεχ; noſter vero Latinus, S. Hieronymus ſcilicet, pro ראש, *Rhos, caput* poſuit, quæ nempè alias ejuſdem vocis certa ſignificatio eſt. Apud Græcos & Latinos ſcriptores antiquos nulla Ruſſorum nominis mentio eſt; *Roxolanos* tamen dixerunt; id eſt, Ruſſos Alanis vicinos & conjunctos. Sed nota quoque illis erat Moſchica gens, cujus ſedes ultra Caucaſum, imo Moſchicos montes erant, Colchidem & Iberiam verſus. Ezechiel *Rhos* & *Moſoch* gentes illis aliis accenſet, quas in exercitu Gog & Magog perituras narrat. Ruſſos medii ævi autores Græci ſæpè memorant, deque priſtino gentis nomine Ῥῶς, *Rhos* nominant, eoſque Tanaim inter & Boryſthenem fluvios collocant. Quod nempe de Auſtrali Ruſſia, quæ & Minor, & Nigra nuncupatur, intelligendum venit; non de ulteriori ad Septemtrionem exiſtente, quæ & Major, & Alba, atque Moſchovia hodie audit.

Atqui totius utriuſque Ruſſiæ caput atque metropolis olim fuit *Kiovia*, civitas à Ruſſorum principe Kio ad Boryſthenis fluvii ripam occiduam, in loco feraci & amœniſſimo condita, ſæculo à Nativitate Domini nono. Quæ quum olim civitas eſſet ſplendidiſſima, nitorem amiſit ſuum, ex quo à Tartaris direpta dirutaque fuit. Quod quidem anno præſertim Domini 1415. accidit; quo nempe tempore, Polonicæ ditionis facta fuerat. Quamquam, obiter dicam, barbari illi munitiſſima ejus arce potiri nequiverint. Quum vero Kioviam à Kio, vel *Kiow*, principe conditam dixerim, non tamen mihi fas eſt omittere, Conſtantino Porphyrogenneto teſte, Kioviam, vel ut ipſe ſcribit, *Chiavum, Sambatas* fuiſſe cognominatam, propter lintres, qui ad eam ſecundo flumine appellebant; quod ſaltem argumento eſt, eam illius ævo extitiſſe.

A Ruſſis ſerò Chriſtiana religio ſuſcepta fuit. Photius quidem Conſtantinopolitana ſede, quam S. Ignatio ademerat, prima vice potitus, epiſtolam ad Patriarchas adverſus Romanam eccleſiam ſcribens, non Bulgaros modo, ſed Ruſſorum quoque gentem τὸ Ῥῶς, factam eſſe Chriſtianam jactabat; verum de illa ipſorum regionis parte intelligendus eſt, quæ Bulgariæ affinis erat, non de tota gente, quæ remotiores plagas habitabat. Quin immo fragmentum extat narrationis ab anonymo ſcriptore Græco de Ruſſorum converſione, à doctiſſimo meique amantiſſimo D. Anſelmo Bandurio Benedictini ordinis alumno, editum in Annotationibus ad librum Conſtantini Porphyrogenneti Imperatoris *de adminiſtrando Imperio,* quo fertur à Baſilio Macedone Imperatore epiſcopum Ruſſis, ut Rex ipſorum poſtularat, pietate & virtute inſignem miſſum fuiſſe, cum ſociis duobus Cyrillo & Athanaſio. *Ὧν δὲ τότε Βασίλειος ὁ ἐκ Μακεδονίας ὁ τὰ τῶν Ῥωμαίων σκῆπτρα διέπων. ὃς καὶ μετὰ χαρᾶς μεγάλης τοὺς σταλέντας ἐκ τῶν ἐκεῖσε ἀνθρώποις δεξάμενος, ἀρχιερέα ἕνα αὐτοῖς ἐξέπεμψεν ἐπ' εὐλαβείᾳ καὶ ἀρετῇ διαβόητον, καὶ σὺν αὐτῷ ἄνδρας δύο, Κύριλλον καὶ Ἀθανάσιον, ἐναρέτους καὶ αὐτοὺς ὄντας καὶ πάνυ λογιωτάτους καὶ φρονιμωτάτους.* Addit illos barbaræ Ruſſorum genti triginta quinque literas ad ipſorum idioma accommodatas tradidiſſe; quum viginti quatuor literis Græcis erudiri minimè poſſent. Hæc Anonymus ille, Ruſſorum vero nomine Chazaros eorum vicinos communi vocabulo ſignificans, quos Cyrillus, qui Conſtantinus olim nominabatur, cum Methodio fratre priùs docendos ſuſcepit, quam ad Moravos ambo pergerent. Durabilis ne fuerit illa Chazarorum ad Chriſti cultum converſio, non ſatis apertum eſt; eos tamen ad Bulgaros, quod religionem ſpectat, non prorſus defeciſſe vero ſimillimum non eſt.

Totius vero Ruſſicæ gentis ad Fidem converſio ad decimi ſæculi labentis & Baſilii atque

Constantini Impp. fratrum, Joannisque Tzimiscis tempora rejicienda est, ad annum scilicet 987. vel 988. & ut recte Elmacinus in Saracenica Historia habet ad an. Hegiræ 377. Nicolao Chrysoberge Constantinopolitano patriarcha sanctissimo. ECCLESIA KIOVIÆ.

Baronium miror *Antipatrum* Rhossi Ciliciæ urbis episcopum, qui Joviano Augusto, Antiochenæ S. Meletii synodo interfuit, Russicæ genti præsulem assignasse, ubi de Russorum ad Romanæ sedis communionem accessione scripsit; quæ Clemente Papa VIII. contigit. Quod etiam in Romano Martyrologio ad diem 19. Junii legitur, Bonifacium S. Bonifacii Martyris discipulum in Russiâ Christum annuntiasse, Librarii utique erratum erit, qui Russiam pro Prussia, alias Borussia, apud Petrum Damianum posuit; ex quo ista à Baronio transumpta sunt.

Elmacinus itaque, ut & Joannes Scylitzes Curopalata, quem Cedrenus exscribebat, tradunt, Russorum principem Wolodimerum, qui ditionis suæ fines amplificaverat, Basilii Imperatoris sororem duxisse, ea lege ut ille Christo nomen daret, quod ultro præstitit Wolodimerus, quum ad ipsum Imperator misisset episcopum, cum aliis utique ministris. Quocirca instituta Kioviæ ecclesia Constantinopolitanæ sedi obnoxia mansit, cujus antistiti à Byzantinis Patriarchis concessum est, ut non archiepiscopi solum, verum metropolitæ quoque nuncupatione ornaretur. At vero quamlibet ille Kioviæ pontifex metropolitæ titulo auctus esset, diu tamen, ac tribus, ut videtur, sæculis integris, episcopalibus aliis sedibus caruit, quæ jurisdictioni ipsius subessent; nec nisi post decimi tertii sæculi tempora, aut eo saltem labente, alii in omni illa regione episcopatus instituti sunt: eodem nempe modo quo olim Scythiæ Europeæ episcopus alter non erat præter Tomitanum metropolitam. Id quod demum comperi certissimo Nicetæ Choniatis testimonio, quod exstat lib. 5. Thesauri Fidei cap. 5. ea parte nimirum, quæ Latino idiomate donata prodiit. Ubi de Concilio Nicæno primo, hæc habet: *quum nondum omnibus civitatibus suus obtigisset episcopus, eo factum est, ut plures id temporis non convenerint. Provinciarum enim aliæ uni tantum parebant, ut Scythia & Russia usque in hodiernum diem; aliæ duos aut tres habebant, ut Dalmatia, &c.* Post Nicetæ itaque tempora crevit in Russia episcoporum numerus, è quibus duo *Archiepiscopi* titulo honestati sunt; Novogorodiensis nimirum & Rostoviensis, ambo Russiæ majoris, seu Albæ antistites.

Atqui Kiovia totius Russiæ metropolis fuit ad tempus usque quod Florentinam synodum subsequutum est; ex quo utique Isidorus Kioviæ metropolita episcopali gradu ejectus fuit ab episcopis Russiæ Schismaticis. Quum nempe ea ætate Kiovia Lithuanorum Ducis ditionis esset, qui Romanæ ecclesiæ ritus & doctrinam impense colebat, adeoque Florentinæ unionis Decretum à suis admitti nitebatur; hinc factum est ut Constantinopolitani patriarchæ Schismatis tenaces, pro Kioviensi metropolitam alterum apud Moscovienses constituerint, qui Moscuæ, quæ Magni Moscoviæ Ducis sedes erat, unà quoque sederet. Quam quidem alterius metropolitæ apud Russos institutionem ignorasse videtur Sigismundus liber Baro Herbestenius, dum suos *rerum Moscoviticarum* Commentarios scriberet; id autem narrat Martinus Cromerus lib. 1. *De rebus Polonorum* cap. 8. *Jam vero Moschicus metropolites*, inquit, *alius à Kioviensi, ac longè posterius illo à Patriarcha Constantinopolitano in gratiam Ducis Moschorum institutus, Russiæ metropolites, itidem atque Kioviensis, cum ab aliis, tum ab ipso patriarcha vocatur, & ipse hunc titulum, velut ampliorem & augustiorem quam Moschoviæ, usurpat.* Id quod omni observatione dignum, ut Kiovienses metropolitæ à Moscuensibus secernantur, quorum series non nisi post sæculi decimi-quinti medium, ut diximus, incœpit.

Præterea vero, Kiovia Polonicæ ditionis facta, Polonorum reges operam sæpe posuerunt, ut Russorum metropolitæ Kiovienses, schismate abnegato, Romanæ sedis communionem capesserent; quod quidem identidem confectum, sed durabile non fuit, ob antiquam necessitudinem quam cum Byzantinis contraxerant, à quibus certè Christi cultum primitùs acceperant. Cæterum non defuerunt è Kioviensibus, qui communionis Romanæ tenaciores aliis fuerint, à Fratribus scilicet Prædicatoribus præsertim, necnon Minoribus edocti. Hi porro Græcorum ecclesiastico ritu retento, episcopos sui generis obtinuerant, quibus metropolitam creare opus fuit, qui identidem Kioviæ quoque moraretur & sederet, post vero ob schismaticorum frequentiores insultus Vilnam secedere coactus est. Quorum Catholicæ unitatis metropolitarum successionem assequi mihi utinam fas fuisset!

Kioviæ præsulum nonnullam seriem publici juris faciendam duxit vir pereruditus Daniel Papebrokius initio to. I. Actorum SS. mensis Maii, sed mancam prorsus, nec satis accuratam. Altera me peramanter locupletavit Clariss. D. Delisle in epistola, quam ad me Petroburgo scripsit anno 1730. die 3. Januarii. Ea quippe Russorum metropolitæ recensentur, qui Kioviensem episcopatum gesserunt ad Isidorum usque, cujus posteriori ævo assignanda venit

metropolitæ alterius, sive Moscuensis institutio. Horum vero seriem edisserendam remitto, ubi de Moscovitica Diœcesi suus erit sermo.

Jam vero quoniam Kioviensi ecclesiæ juncta est Haliciensis, paucis dicendum de *Halicia* civitate, quam Martinus Cromerus lib. 5. *de rebus Polonorum* p. 91. positam ait ad radicem Sarmaticorum montium, quibus Hungaria à Russis dividitur, quam vero salinas habere subdit.

EPISCOPI KIOVIÆ.

I. MICHAEL I.

PRimus Russorum episcopus, qui eam gen- A tem Christianas leges docuit & sacro baptismo, cum ipsorum rege Wolodimero initiavit, *Michaël Syrus* fuit, à Nicolao Chrysoberge Constantinopolitano patriarcha missus anno Christi 988. *Syri* cognomentum habuit, à patria utique Syria, unde Constantinopolim venerat. De illo autem utinam plura mihi dicenda suppeterent. Russorum Annales in epistola Doctissimi D. Delisle ipsum per annos dumtaxat quatuor Kioviensem ecclesiam administrasse testantur.

II. LEO.

Nulla in Papebrochii Laterculo mentio est *Leonis* Russiæ metropolitæ. Sigismundus vero liber Baro de Herbestein in suis *Rerum Moscoviticarum* Commentariis, ubi de *Decimis,* quas Russi ecclesiæ ministris solvunt, Wolodimerum ait vivifici lavacri undis expiatum, decimas subinde de cunctis bonis ab omni sua gente pendendas, una cum Leone metropolita sanxisse, egenorum, infirmorum, advenarum & captivorum gratia, necnon sepulturæ pauperum. Leonem annos sexdecim C Kiovienfibus præfuisse asserunt.

III. JOANNES I.

Leonis successor proximus fuit *Joannes,* ex Russorum Annalibus; adeoque ante Theopemptum sedit, quem tamen præmittit Papebrochii catalogus. Joanni Russorum Annales triginta episcopatus annos tribuunt, ab anno Mundi 6516. ad 6546. sive ab anno Christi 1008. ad 1038.

IV. THEOPEMPTUS.

Joanni suffectus est *Theopemptus,* ille idem D forte, qui Dositheo Hierosolymitano in amplissimo *De Hierosolymorum patriarchis* opere, lib. 3. cap. 2. paragr. 4. è Sebastiensi ad Russorum ecclesiam à Basilio, sive Constantino Porphyrogenneto Imper. translatus scribitur, & Theophylactus appellatur, ἐπὶ τοῦ Πορφυρογεννήτου ὁ Σεβαστείας Θεοφύλακτος μετετέθη εἰς Ῥωσίαν. Sedit annos 12. Eum porro Theopemptum inter Sanctos retulerunt. Quando autem Theopemptum Constantinopoli missum in Russiam diximus, hinc colligo Russiæ metropolitas ea in urbe Regia à patriarcha temporibus primis designatos fuisse, non à Clero & populo Kioviensi electos; donec Episcopi alii variis in Russiæ civitatibus constitui cœperint.

V. HILARION.

Papebrochii catalogus Theopempto successorem assignat *Hilarionem,* velut & Russorum Annales, qui viginti annos episcopatus ei tribuunt, ab anno scilicet Mundi 6558. quo diem obiit extremum Theopemptus, ad annum 6578. id est, ab anno Christi 1050. ad annum 1070. Nec dubium igitur quin B ipse sit ille Russiæ metropolita, qui Constantinopoli synodo adfuit, quæ anno 6575. Christi 1067. celebrata est Joanne Xiphilino patriarcha, sponsalium causa; dummodo Russiæ metropolita censendus sit, qui Rusii archiepiscopus initio actorum hujus synodi dicitur, τοῦ Ῥουσίου. Quod tamen vix crediderim, cum inter archiepiscopos, non vero metropolitas locum teneat. Jur. Græco-Rom. lib. 3. pag. 212.

Sedes vacat annum unum.

VI. GEORGIUS I.

Post Hilarionem ex Annalibus, sedes annum unum vacavit; illique subinde suffectus est *Georgius,* qui annos sex sedit, ad annum scilicet Mundi 6585. Christi autem 1077.

Sedes vacat annum unum.

VII. JOANNES II.

Iterum anno uno Kioviensis sedes pastore viduata mansit; tum Georgio successor datus est *Joannes* II. qui ex Annalibus Russorum sedit annos octo.

VIII. JOANNES III.

Joanni successor datus est *Joannes* alter tertius ejusdem nominis, qui anno dumtaxat uno episcopatum gessisse fertur. Post ipsum sedem tribus annis pastore viduatam mansisse fertur, sed immerito.

IX. EPHRÆM.

Defuncto Joanne III. sedem obtinuit *Ephræm;* qui statim post decessoris sui mortem Kioviæ metropolita institutus fuit. Hujus mentio fit tum in annalibus, tum in Laterculo Papebrochii. Metropolim gessit annos 16. ad

ECCLESIA KIOVIÆ.

annum scilicet Mundi 6611. Christi 1103. A
Sedes vacat duos annos.

X. Nicolaus.

Ephræmium subinde, post duos vacantis episcopatus annos, excepit *Nicolaus* per septennium, ab anno M. 6613. Christi 1105. ad ann. 6620. & 1112. Quamobrem hic ille Russiæ metropolita esse potest, qui Nicolai Grammatici synodo adfuit, in qua actum est *de præstatione canonicorum,* sive tributorum, ordinationum causa, τῆ Ρωσίας. Datum est Decretum illud die 15. Novembris Ind. x. B adeoque ann. 1087. vel 1102. nisi id de Ephræmio prædecessore ejus affirmare malueris, qui sedebat Kioviæ post Joannem III. anno scilicet Christi 1087. Vide Juris Græco-Rom. lib. 4. pag. 269.

Sedes vacat annum unum.

XI. Nicephorus I.

In Annalibus Nicolaum excipit *Nicephorus* septemdecim annis sedens, post viduatam anno uno sedem.

Sedes vacat duos annos. C

XII. Nicetas.

Rursum vero post duos annos ab obitu Nicephori, metropolim Russorum obtinuit *Nicetas* annos quinque, totidemque posthac sedes præsule suo caruit.

Sedes vacat annos quinque.

XIII. Michael II.

Post quinque igitur vacantis sedis annos, metropolita creatus est *Michaël* II. Sedit annos novemdecim, ab anno scilicet M. 6650. D Christi 1142. ad ann. 6669. & 1161. Hic Constantinopoli pro more designatus & ordinatus synodo adfuit, quæ anno Christi 1156. Luca Chrysoberge patriarcha, Soterichi Panteugeni causa celebrata est; à qua & ille ob errores proscribi meruit. Adfuit, inquam, Russiæ metropolita, τῆ Ρωσίας, ut ejusdem synodi actis perhibetur in amplissimo codice Græco Thesauri Nicetæ Choniatis, qui clarissimi olim Baluzii fuit, nunc vero in Regiam Bibliothecam transiit. Adversus Soterichum Russiæ metropolita, ὁ ἱερώτατος μητροπολίτης E Ρωσίας, pluribus ostendit, non soli Patri à Christo oblatum esse in cruce sacrificium, nec illi soli semet in Eucharistiâ offerre, sed sibi quoque uti Deo & Spiritui sancto. Quibus auditis, qui à Soterichio steterant, Ephesinusque præsertim metropolita, mutata sententia, rectæ doctrinæ subscripserunt. Vide Allatium Vind. Syn. Ephes. pag. 585.

Sedes vacat quatuor annos.

XIV. Clemens.

Post Michaëlem, sedes per quatuor annos vacavit; tum demum illi *Clemens* subrogatus fuit, cujus etiam mentio fit in Laterculo Papebrochii. Huic novem tribuunt annos episcopatus; id est, ab anno Mundi 6673. Christi 1165. ad ann. 6682. & 1174.

Sedes vacat duos annos.

XV. Constantinus.

E vivis erepto Clemente nullus statim Kioviensem thronum metropolita conscendit; sedes autem iterum viduata mansit, per biennium: tum vero successorem habuit *Constantinum,* quem Russi inter sanctos habent. Sedit annos tres, ex Annalibus.

Sedes vacat annos tres.

XVI. Feodor.

Constantini successor in Annalibus *Feodor* nominatur. Hic post tres vacantis sedis annos, institutus legitur, sedens ab anno M. 6690. Christi 1182. ad an. M. 6694. Christi 1186. quatuor scilicet annos.

Sedes vacat annos quinque.

XVII. Joannes IV.

Exacto Feodori episcopatus quadriennio, post annorum quinque sedis viduitatem, successor ei suffectus est *Joannes* IV. seditque duobus annis. Huic Joanni assignandam duxero epistolam quam Herbestenius recitat in Commentariis *Rerum Moscoviticarum* p. 22. his nempe præmissis: Inter nos & illos fidei «
diversitatem esse, licet ex litterarum exem- «
plo cognoscere, quas Joannes metropolita «
Russiæ ad archiepiscopum, ut ipsi dicunt, «
Romanum, dederat, ut sequitur: *Dilexi de-* «
corem tuum, Domine ac pater beatissime, Apostolica sede ac vocatione dignissime, qui ex remotis respicis ad humilitatem & paupertatem nostram, & alis dilectionis foves nos, &c. His in literis metropolita Joannes Romanæ Ecclesiæ ritus & usus quibus à Græca & Orientali discrepat, acriter schismaticorum more carpit & perstringit. Herbestenius liber Baro huic epistolæ subnectit *canones cujusdam Joannis metropolitæ, qui dicitur Propheta,* in quibus nonnulli sunt quibus decernitur quomodo Russi sese erga Romanos, vel Romanorum causa gerere debeant.

Sedes vacat duos annos.

XVIII. Nicephorus II.

Post duos viduitatis annos Kioviensi ecclesiæ præfectus fuit *Nicephorus* II. sedemque tenuit annos triginta; ab anno scilicet M. 6703. Christi 1195. ad ann. 6733. & 1225.

Sedes vacat annum unum.

ECCLESIA KIOVIÆ.

XIX. MATTHIAS.

Post Nicephorum iterum sedes Kioviensis suo præsule caruit per annum; subinde metropolita institutus est & consecratus *Matthias*, qui ex Annalibus Russorum sedem tenuit annos octo.

Sedes vacat annos quatuor.

XX. CYRILLUS I.

Papebrochii Laterculus *Cyrillum* unum & alterum Russorum metropolitas habet; ex Annalibus vero Cyrillo I. non statim successit Cyrillus alter; sed Josephus, de quo mox. Matthias igitur post vacantis sedis quadriennium, successorem habuit Cyrillum I. qui sedit annos novem.

Sedes vacat annum unum.

XXI. JOSEPH.

Quum diem extremum Cyrillus obiisset an. Christi 1247. sedesque annum unum viduata mansisset, successor ei datus est *Joseph* anno Christi 1248. qui sedem tenuit annos quatuor.

XXII. CYRILLUS II.

Josepho suffectus est *Cyrillus* alter, qui eodem anno Mundi 6760. Christi 1252. quo decessor suus obierat, Kioviensem thronum conscendit, ad annum usque Mundi 6791. Christi 1283. annos triginta & unum.

XXIII. MAXIMUS.

Russorum metropolitam *Maximum* Cyrilli II. successorem habet Papebrochii Laterculus, illumque Annales tradunt relicta Kiovia, Wolodimeriam, quæ Russiæ Majoris tunc caput erat, sedem transtulisse. Id quod contigisse aiunt anno Mundi 6807. Christi 1282. Emendandum, anno Christi 1299. quum jam tenuisset sedem annos 16. ab an. scilicet M. 6791. Christi 1283. Eo nimirum tempore Russia à Polonis direpta vastataque erat. Huic viginti quinque episcopatus annos tribuunt Annales.

XXIV. PETRUS.

Successor Maximi *Petrus*, Wolodimeriæ diu non stetit, sed quum anno Christi 1308. metropolitanam dignitatem assequutus esset, ex illa urbe sedem Moscuam transtulit, Magnoque Duci Joanni Danielis filio persuasit, ut urbem hanc alteram Russicæ ditionis caput faceret. *Nam*, ut Herbestenius narrat pag. 46. *Petrus amore Alexii cujusdam, qui ibi sepultus claruisse miraculis dicitur, eo loci sedem sibi prius elegerat: eoque mortuo, atque ibidem sepulto, cum ad ejus tumulum miracula* A *pariter fierent, locus ipse religionis ac sanctitatis quadam opinione adeo celebris factus est, ut posteri Principes omnes, Joannis successores, ibi Imperii sui sedem habendam esse duxerint. In templo divæ Virginis,* inquit rursum Herbestenius ibid. *sepulta sunt duo archiepiscoporum corpora, qui, ut Principes eò suam Imperii sedem transferrent, ibique metropolim constituerent, autores fuere: eamque maxime ob rem in divorum numerum sunt relati.* Atqui Petrus superstes in vivis fuit ad annum usque Christi 1326. eoque defuncto, sedes B vacavit annis duobus. Hic porro, ut bene notavit Herbestenius, inter Sanctos à Russis colitur.

Sedes vacat duos annos.

XXV. THEOGNOSTUS.

Petro *Theognostum* successisse Annales produnt, qui proinde sanctus ille alter censendus est, qui autor Joanni Magno Duci fuit, ut Moscuam regni sui sedem institueret. Sedit ab anno 1328. ad an. 1353. annos viginti quinque.

C

XXVI. ALEXIUS.

DIONYSIUS *schismaticus*.

Russi *Alexium* Theognosti successorem uti sanctum perinde colunt, quem Annales pontificatum iniisse tradunt anno 1353. & viginti annos gessisse. Hunc Papebrochius Petro proxime successisse scripsit, & sub Russiæ Principe Joanne Danielis filio natum, Eleutheriumque in sacro fonte dictum, dum autem monasticam vitam elegit, *Alexii* nomen assumpsisse, eo circiter tem- D pore quo Gediminus Lituaniæ Dux, Jagellonis avus, tunc adhuc Ethnicus princeps, Kiovia & Wolhinia captis, Russiæ Ducatum invasit. Alexius autem sub Gedimini filio Olgerdo metropolita creatus est. Quia vero Romanam ecclesiam impense colebat, æmulus ei à Constantinopolitano patriarcha creatus est *Dionysius* nomine, quem Wolodimerus Olgerdi filius in carcere diu tenuit. Quo factum est, ut, Alexio in vivis superstite, schisma apud Græcos propagatum non sit. Multa tum religionis, tum Reipublicæ causa E ab Alexio patrata tolerataque feruntur: inprimisque à Berdereio Scytharum Dynasta patriæ pacem impetravit; tum subinde multas erexit ecclesias. Quidni vero ab eo episcopatus complures apud Russos tunc temporis instituti, quum solus illis hactenus Kioviæ metropolita episcopus præesset? Id enim vero non nisi circa decimi-quarti sæculi tempora factum ostendi supra testimonio nixus Nicetæ Choniatis. Sub Demetrio Kioviæ principe ab Amuratho Turcarum Sultano accersitus,

DIONYSIUS *Schismaticus*.

accerſitus, filiæ ejus, quæ oculis capta erat, viſum reſtituiſſe aſſeritur. Sepulcrum ſibi in ſancti Michaëlis eccleſia paraverat, in quod corpus ejus obita morte, illatum eſt. Kievienſem ſedem gerebat adhuc an. 1378. ſi Auguſtino Baroni ſua ſit hac in re fides; quippe qui itineris ſui pag. 64. anno 1364. conſecratum narrat & decimo-quarto ſubinde vita functum. *Adorant Moſcovitæ*, inquit, *Alexium metropolitam Kievienſem, Joannis Danilowicz Moſcorum principis tempore natum, circa annum 1364. conſecratum, & quarto-decimo poſt anno, regnante in Ruſſia Joanne Juanowicz, vita functum; cujus anniverſarium diem 3. Kalend. Oct. corporis vero Moſcuam tranſlationem 13. Id. Maii perquam ſolemniter celebrant.* Subdit autem: *Conſuluit iſte popularibus ſuis, ut poſthabito contra Tartaros Crimenſes bello, pacem potius ab eis certa aliqua annua penſione redimerent; conſiliique ſui exequutor, ab horum Chano Berdereio pacem ſuis Ruſſis emit.* Hæc Auguſtinus, quæ, quod Alexii tempora ſpectat, omnino diſcrepant ab iis, quæ ex Ruſſorum Annalibus retulimus.

XXVII. Pœmen.

XXVIII. Cyprianus.

In Annalibus ſequuntur *Pimin*, ſive *Pœmen*, & *Cyprianus*, quos ſuperſtite in vivis Alexio, ordinatos perhibent, aliarum ſcilicet ſedium epiſcopos. Pœmenem anno 1373. pontificatum iniviſſe tradunt, eique poſt annos tres ſuffectum *Cyprianum*, qui triginta tres annos ſedit, & in ſanctos à ſuis relatus fuit.

Cyprianus.

XXIX. Photius.

XXX. Georgius II.

Poſt Cyprianum Kievienſem ſedem *Photium*, Sclavonicè *Phociey* capeſſiviſſe produnt Annales Ruſſorum, ac quidem anno 1417. eumque viginti duos annos obtinuiſſe. Hic Ruſſorum metropolita Conſtantinopoli ordinatus fuerat, qui ut Græcorum ſchiſma apud Ruſſos magis magiſque firmaret, Novogorodiæ Concilium habuit; ſed Jagellonis Principis juſſu metropolitana ſede extruſus eſt, ſuffectuſque illi fuit *Gregorius*, vel *Georgius Keminlaous* Bulgarus, vir eruditione inſignis, & catholicæ unitatis ſtudioſus, qui Conſtantienſi Concilio interfuit.

Georgius II.

Photius interim Conſtantinopolim repetens, in monaſterio Pantocratoris egit ad tempora uſque Joannis Palæologi Imperatoris, Manuëlis filii, advectis ſecum illuc multis aureis, quos Joannes Imperator, ſi ſua ſtet Silveſtro Syropulo fides, ſuæ in Italiam profectionis ergo, in ſuos uſus aſſumpſit. Idem Syropulus narrat, quo tempore Martinus Papa V. ſuperſtes adhuc in vivis erat, dum de cogendo Eccleſiarum unionis paciſcendæ cauſa Concilio Conſtantinopoli tractabatur, Joſephum Patriarcham cauſatum eſſe, minime conſentaneum videri, ut Epiſcopi Græci in Italiam, vel occiduas partes ſarcinis plenis migrarent; ac præſertim *Photius Ruſſorum metropolita cum amplo viatico, & plus centum millibus aſprorum.* ἐλεύσεται οὖν ὁ Ρωσίας ἱερεὺς Φώτιος μετὰ βίου πολλοῦ, καὶ ἀσπρῶν ἐπέκεινα τῶν ρ΄ χιλιάδων, καὶ λήψεται δ᾽ ἐξ ἐκείνου ὁ βασιλεὺς μετ᾽ εὐκολίας ἀσπροὺς κ΄. Hæc Syropulus ſect. 2. cap. 18. ex quibus conjectandum datur, Photium, mortuo vel amoto Gregorio Kievienſem Eccleſiam recuperaſſe, vel ſaltem in Ruſſiam, quæ Moſcovitarum Principi parebat, Conſtantinopoli egreſſum ſeceſſiſſe, ut tam amplas pecuniæ ſummas corradere potuerit. Atqui Doſitheus Hieroſolymitanus in illo ſuo opere, quod ſæpius appellavi l. 10. cap. 6. Photium hunc, quem uti *ſanctum virum* commendare non dubitat, anno Mundi 6917. adeoque Chriſti 1409. Ruſſiæ metropolitam fuiſſe conſecratum tradit, non 1417. ut in Annalibus perhibetur. ἐπὶ Μανουὴλ τοῦ Παλαιολόγου, ἐν ἔτει ἑξακισχιλιοστῷ ἐννακοσιοστῷ δεκάτῳ ἑβδόμῳ ἐχειροτονήθη μητροπολίτης Ρωσίας, ὅσιος ἀνήρ. Photium porro 22. annis Ruſſorum eccleſiæ præfuiſſe Annales ferunt, atque poſt ejus obitum, illam ſeptem annos viduatam manſiſſe.

Ecclesia Kioviæ.

Sedes vacat annos ſeptem.

XXXI. Isidorus. XXXII. Jonas.

Doſitheus mox narrat Ruſſiæ ſynodum elegiſſe *Jonam*, ſive, ut puto, *Joannem* Rhezanii archiepiſcopum, qui Photio ſuccederet; *Iſidorum* vero quemdam artibus ſuis effeciſſe, ut ipſe prius metropolita Ruſſiæ conſecraretur, quam ille confirmationis obtinendæ gratia Byzantium adveniret. Quocirca ubi Jonas in urbem appulit, Patriarcham (Joſephum ſcilicet) his verbis Iſidorum eſſe alloquutum: Iſidore, quando malis tuis artibus es ordinatus, res tibi proſpere non ſuccedet. Enim vero Iſidorus, quum in Ruſſiam, (ſedis utique occupandæ cauſa) perrexiſſet, ad ſynodum Ferrarienſem, ſive Florentinam miſſus, varia in ea certamina ſubiit; atque in Ruſſiam regreſſus, ut Latiniſmum doceret, à Magno Cneze Baſilio, univerſa Orientali Eccleſia pactam Florentiæ unionem deteſtante, in obſcurum carcerem conjectus eſt: unde fuga elapſus, quum Romam perrexiſſet, Cardinalis Poloniæ factus, vitam demum finivit. Ita Doſitheus cujus Græcum textum adtexere ſupervacaneum æſtimo. Ab ejus vero narratione expungenda omnino ſunt, quæ patriarcha ille Latinorum infenſiſſimus hoſtis virulentiori

Isidorus.

ECCLESIA KIOVIÆ.

calamo intermiſcuit. Erat Iſidorus gente Bulgarus, vel, ut alii volunt, Macedo, patriaque Theſſalonicenſis, monaſterii S. Demetrii illius urbis alumnus, vir doctus & ſapiens; quin & ipſo Syropulo teſte ſect. 2. hiſt. Conc. Florentini cap. 21. omni reverentia dignus erat, τιμιώτατος. Quum Imperatori à conſiliis eſſet, ad ſynodum Baſileenſem miſſus eſt, ut de unione ineunda cum Patribus tractaret. Poſt reditum Ruſſiæ metropolita factus Conſtantinopolim repetiit, unde in Italiam venit ad Concilium quod Eugenius Papa IV. Ferrariam convocaverat. Martinus Cromerus lib. 21. *de rebus Polonorum* pag. 322. hunc ad ſynodum illam ducentorum equitum comitatu ſtipatum adſuiſſe ſcribit. In ea ſynodo Græcorum ſuorum cauſam ſtrenue primùm tuitus eſt, tamdem veritate victus, Unionis Decreto ſuffragatus eſt, ſubſcripſitque, tum ſuo nomine, tum Dorothei Antiocheni patriarchæ, cujus vices obibat. Ἰσίδωρος μητροπολίτης Κιαίβου καὶ πάσης Ρωσίας καὶ ἐποτηρητὴς τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου Ἀντιοχείας Δωροθέου, ἀρκετὸς ὑπέγραψα. *Iſidorus metropolita Kiovii, & totius Ruſſiæ, ac locum tenens Apoſtolicæ ſedis ſanctiſſimi patriarchæ Antiochiæ Dorothei, lubens ſubſcripſi.* Conſtantinopolim regreſſus, Schiſmaticorum frangere pertinaciam non valens, in Ruſſiam rediit, ubi complures eccleſiæ unioni reluctantes invenit, quorum malitia oppreſſus à Magno Duce Baſilio carcere maceratus, fuga demum elapſus Romam ſe recepit, ubi in Cardinalium collegium cooptari meruit. Byzantium iterum repetens, ibi egit uſque ad Urbis excidium; atque è Turcarum manibus evadens, Romæ tandem obiit die 17. April. an. 1463. Iſidorum interim à Ruſſiæ epiſcopis ſua ſede ejectum Doſitheus aliique ferunt ex gentis illius Annalibus eccleſiaſticis; ac ſubinde annis ſex eccleſiam illam epiſcopo caruiſſe. Quatuor ei epiſcopatus annos tribuunt Annales ab anno M. 6946. Chriſti autem 1446. Emendandum prorſus, 1438. ad an. 1442.

Sedes vacat annos ſex.

XXXIII. Jonas *iterum*.

XXXIV. Dorotheus.

Iſidoro exauctorato, *Jonam* Ruſſiæ metropolim iterum geſſiſſe Annales perhibent; & quidem annos duodecim ab anno M. 6956. Chriſti 1448. poſt vacantis ſedis ſex annos. Atqui Jonas & quotquot ex Annalibus Ruſſorum metropolitæ ejus ſucceſſores numerantur, non Kioviæ prorſus, ſed Moſcuæ ſedebant, quum Kiovienſem ſedem metropolita alius teneret. Tunc quippe temporis Ruſſia minor Polonorum ditionis erat, qui,

A ut incolas à ſchiſmate ad Romanæ eccleſiæ communionem adducerent, id maxime curabant, ut Kiovienſibus metropolitæ unionis ſtudioſi præeſſent. Id quod utique Poloniæ Reges præſtiterunt quandiu regionem illam tenuere. Quocirca Martinus Cromerus *de rebus Polonorum* lib. 12. pag. 206. ad annum 1445. ſcribit Ruſſorum Ducibus *inviſum fuiſſe Polonorum Imperium, cum quod non libenter fere externis parent homines, tum quod ſectæ ritibuſque ſuis, ne callide ſenſim abolerentur, metuebant. Videbant enim multos de* B *ſuis ad noſtros ritus & ad Romanam, ſive adeo Catholicam Eccleſiam tranſire, plureſque in dies honoribus & aliis præmiis à Rege oſtentatis invitari.* In actis ſynodi illius neſcio cujus, quam Græci Schiſmatici Conſtantinopoli in templo S. Sophiæ circa annum 1440. Florentiæ ſancitæ Unionis ejurandæ cauſa habitam finxerunt, & quorum magnam partem Leo Allatius edidit in Addendis ad lib. 3. De conſenſu col. 1380. *Iſidorus* illi adfuiſſe legitur, *Dorotheus* vero perinde Ruſſiæ, in eâ parte, quæ ſecundum ſynodi conventum re- C præſentat. *In ſecundo congreſſu,* ait Allatius, *Ciæbi* (ſive Kiovii) *metropolita Iſidorus Dorotheum induit, alius alium.* Quod certè apertiſſimæ fraudis indicium eſt. Quamobrem non Dorotheus Iſidoro à Schiſmaticis Ruſſis ſuffectus erit, ſed Jonas prorſus, quem illi itidem uti ſanctum colunt.

DOROTHEUS.

XXXV. Theodosius.

Jonæ ſuffectum fuiſſe *Theodoſium* annales ferunt & annos quinque, à 1460. ad 1465. ſediſſe; ipſe eſt prorſus ille *Theodoſius in Petzera* metropolita, cujus in Moſchorum Ephe- D meridibus memoria fit, die 3. menſis Maii.

XXXVI. Philippus I.

XXXVII. Misael.

Theodoſio ſucceſſorem aſſignant Philippum I. qui annos octo epiſcopatu functus eſt.

Philippi vero tempore Kioviæ metropolita quoque ſedebat Miſaël, per quem doctiſſimus Papebrochius ex Alberti Kojalowicz ſocii ſui relatione in communibus Ruſſorum & Lituanorum Comitiis an. 1476. decretam ad Romanum Papam legationem narrat; quo nihilominus anno jam Philippo ſucceſſerat E Gerontius, juxta Annales, uti mox videbitur.

MISAEL.

XXXVIII. Gerontius.

XXXIX. Jonas. XL. Macarius Abbas.

XLI. Josephus.

Philippum I. in Annalibus excipit *Gerontius* ab an. mundi 6981. Chriſti igitur 1473. ad ann. 6997. & 1489. annis ſexdecim.

In Catalogo autem Papebrochii Miſaëlem ſequuntur *Jonas Heſna, Macarius Abbas, Joſephus Jultan,* Kiovienſes metropolitæ.

JONAS. MACARIUS. JOSEPH.

De Jona & Macario nulla mihi dicenda supetunt. Josepho vero Byzantinus Patriarcha Nipho II. epistolam scripsit, quam Raynaldus in Annalibus latine recitat ad annum 1486. n. 62. datam anno M. 7000. die 5. April. Ind. XI. adeoque anno Ch. 1492. Patriarcha nimirum Josepho Kioviæ sciscitanti, quid esset de sancita Florentiæ cum Romanis unione sentiendum, hanc sibi prorsùs arridere respondit. *Nipho Dei misericordia archiepiscopus Constantinopolitanus novæ Romæ, œcumenicus Patriarcha, piissimo, atque dilectissimo Joseph fratri, conservo, metropolitæ Kioviensium & totius Russiæ salutem. Accepimus literas dilectionis tuæ scriptas humilitati nostræ, quibus significas Romanorum episcopos, Ruthenos & Lituanos vobis molestos esse, vosque compellere ad unionem Florentiæ decretam, unde metuis ingentia pericula, amissionem privilegiorum & libertatis, quæ illo tempore, quando unio decreta est, à Regibus Poloniæ vobis concessa sunt. Postulas itaque à nobis auxilium, & ad vestrum potentissimum Regem commendatitias desideras; insuper scire de hac synodo quomodo fuerit transacta, ut possis rationem reddere omnibus persequentibus vos & compellentibus ad unionem. Scias igitur synodum illam fuisse legitimè congregatam; idque præsentibus illustri Imperatore nostro Joanne Palæologo & sanctissimo Patriarcha beatæ memoriæ Josepho, non ita pridem ante nos sedente, & vicariis seu legatis fratrum nostrorum patriarcharum, archiepiscoporum & principum Orientalem Ecclesiam repræsentantium* (plane *repræsentantibus*) *præsenteque episcopo Romano cum aliis. Cæterum quia nonnulli gentis nostræ, qui domi remanserant, noluissent decretum unionis amplecti, forte ex odio in Latinos; ideo apud nos confusio & nullus ordo est, quando oves nobis concreditæ, imperium & arbitrium in nos usurpant, quorum pervicaciæ resistere non possumus. At quis scit, si idcirco divinæ iracundiæ furor in nos non desævit, & in dies desævire non intermittit, quod sanctam unitatem respuerimus; ut prætermittam quod subsidia Latinorum non tantum amiserimus, sed eos etiam offenderimus! Quamobrem neque mirari oportet, si etiam vobis sunt difficiles; quamvis non injustam excusationem habeas, quod inscio patriarcha Constantinopolitano, quidquam tibi licere dicis... Ergo illi minime de nobis conquerantur, sed potius calamitatibus nostris compatientes, Deum nobis propitium reddant, ut à Tyrannica servitute liberati, denuò uniamur, Divina favente clementia. Tu vero ne nimium reluderis; sed amicè cum Latinis versare. Nam & nostris sacerdotibus in Dominio Veneto degentibus nos utique injunximus, ut una cum iisdem Latinis, servato tamen ecclesiæ Orientalis ritu, simul orent & congregentur. Sed ritus patrios observa: Namque Majores nostri non prius consenserunt in Florentinam Unionem, quam privilegia nostra confirmata essent. Scripsimus principibus & antistitibus Ruthenis & Lituanis nostri ritus, ut tibi in omnibus ad nutum sint. Anno septies millesimo die quinta April. Indict. XI.* Hæc Nipho Patriarcha, quorum utinam contextum Græcum illi suppeditassent, à quibus Latine excusa sunt, Leo scilicet Creusa archimandrita Vilnensis, in *Annalibus Lituaniæ*, & Leo Manaonita in *defensione Ecclesiasticæ Unionis*. Neque vero dubium jam superest, quin Josephus patriarchæ suo morem gerens, unionem pro sua virili parte apud Russos & Lituanos suos promovere studuerit.

ECCLESIA KIOVIÆ.

XLII. Zosimus.

Sedes vacat annos quatuor.

XLIII. Simon.

Annales Russici *Zosimum* Gerontio successorem assignant, eumque sedisse ferunt annos tres; cui Simon post viduatam annis quatuor sedem suffectus sit. De Zosimo præterea nobis nihil hîc dicendum occurrit. Ex Herberstenio autem, in Commentariis *de rebus Moscovitarum, Simon Russiæ metropolita* præcipuus actor fuit ceremoniæ, qua Magnus Joannes Basilides Demetrium nepotem suum Moscovitici Imperii legitimum hæredem, Magnum Ducem & Monarcham promovit & investivit, anno Mundi 7006. à Christo nato 1498. die quarta Februarii. Aderant Tychon archiepiscopus Rostoviensis & Joroslawiensis, Niphon Susdaliensis & Toruski, Wasian episcopus Twerensis, Prothasius Resanensis & Muromski, Aframius, sive Ephræmius Columbnensis, Jeufimi, Sarki & Podonski episcopi. Atqui Simon annos quindecim sedisse fertur. SIMON.

XLIV. Barlaam I. XLV. Jonas II.

Simonem in Annalibus sequitur *Barlaam*, pontificatum incipiens ab anno M. 7019. Christi 1511. Ipse est utique qui Herberstenio *Bartholomæus* dicitur. Anno 1516. sedebat, quo nempe Herberstenius à Germanorum Imperatore Maximiliano ad Basilium Magnum Moscoviæ Ducem delegatus Moscuæ agebat. Hunc ille virum sanctissimæ fuisse vitæ ait. Ejus vero tempore Princeps, Herberstenio teste, abrogato prisco eligendorum episcoporum & abbatum jure, illorum instituendorum potestatem usurpavit, posthabito sacramento, quo sese ille, ut & Principes alii decessores ejus, obstrinxerat disciplinam pridem receptam conservandi. Quod in causa fuit cur Basilium Bartholomæus conveniens, porrecto illi pastorali pedo, archi-

ECCLESIA KIOVIÆ.

episcopale munus resignaverit. *Princeps,* inquit Herbestenius, *baculum cum officio sine mora suscipit, atque pauperem catenis vinctum, continuo Bielogesero mittit.* Liberatus postea vitam in monasterio finivit. Barlaamum annos decem pontificatum gessisse produnt.

JONAS II. Eodem tempore, Augustino Barone teste, Kioviæ metropolitanam sedem obtinebat *Jonas Hesna,* quem anno 1520. Schisma pene extinctum erexisse refert. Cujusdam Jonæ meminit pariter Papebrochius, de quo similia prorsus narrat pagina 62. Ephemeridum, quas præmisit Tomo I. Actorum SS. mensis Maii.

XLVI. Daniel. XLVII. Joasaph.

XLVIII. Macarius.

XLIX. Athanasius.

Post Barlaamum Moscuæ metropolita sedit *Daniel* ex Annalibus, sedemque tenuit annis septemdecim; tum deinde *Joasaph* annis tribus: cui successit *Macarius* per viginti duos annos sedens. Istum excepit *Athanasius* duobus annis. De quibus quatuor nihil mihi dicendum occurrit.

L. Philippus II.

Athanasii successorem fuisse aiunt *Philippum,* quem sancti titulo donant. Ejus etiam meminit Adam Olearius in Moscovitico suo itinere, in quo hæc habet: Ils ont un saint de » nouvelle date nommé *Sudatworets Philip me-* » *tropolite,* de la maison de *Colitziou.* Il vivoit » du temps du tyran Jean Basilowitz, & se fai- » soit considerer par les remontrances qu'il fai- » soit à ce Prince, sur sa mauvaise vie. Le tyran » s'en trouvant importuné le relegua dans un » Couvent si éloigné de la Ville de Moscou, » qu'il ne pouvoit apprehender ses reproches. » Mais l'autre fit faire à sa plume ce que sa lan- » gue ne pouvoit plus executer, representant de » temps en temps les Jugemens de Dieu aux » yeux du Grand Duc, avec des couleurs si vi- » ves, que celuy-cy ne pouvant plus supporter » sa liberté, l'envoya estrangler par un de ses » domestiques : mais il pria le bourreau qu'au » lieu de l'étouffer avec une corde, il luy vou- » lut donner d'un coûteau dans le cœur, ce » qu'il fit. Les Moines du même Couvent le » mirent au nombre des saints Martyrs, & en- » voyerent enterrer son corps dans l'Isle de *So-* » *lofka,* en la mer Blanche, près d'Arcangel. Le » Patriarche d'aujourd'huy a persuadé au Grand » Duc de l'envoyer enlever de *Solofka,* pour le » faire transporter à Moscow, ayant sçu estant » Métropolitain de Rostow & de Jarislaw, que » le corps de ce Saint estoit encore aussi entier, » qu'il l'estoit le jour qu'il fut tué. Ejus itaque corpus Moscuam translatum multo ibidem habetur honore, & in theca argentea asservatur, velut Olearius idem disertè testatur. Sedem tenuit Philippus annos quinque.

LI. Antonius.

Russiæ metropolitarum, qui Moscuæ sederunt postremus fuit *Antonius,* qui anno mundi 7078. Christi 1570. primum sedit. Obierat vero anno 1589. quo à Hieremia II. Patriarcha Constantinopolitano Moscuensis patriarchatus institutus fuit, ac Jobus illius urbis patriarcha primus creatus.

Tot illos Russiæ metropolitas recensui, ex illius gentis Annalibus acceptos, in quibus tamen unum omissum observo, cui *Petrus* nomen fuit. Hunc mihi suppeditat excerptum ex nescio quo autore, quod in schedis meis reperi, in quibus hæc lego: *Anno 1244. quidam archiepiscopus de Russia* Petrus *nomine, vir ut æstimari potuit honestus & fide dignus, à Tartaris exterminatus, & ab archiepiscopatu suo, imo ab ipso effugatus ad partes se transtulit Cisalpinas, consilium & auxilium & de sua tribulatione consolationem adepturus, ut sibi dante Deo, Ecclesia Romana & Principum clemens forte gratia subveniret. Requisitus igiturde conversatione ipsorum Tartarorum quam expertus est, inquisitoribus sic respondit: Reliquias ipsos credo fuisse Madianitarum fugientium à facie Gedeonis usque ad remotissimas Subsolani & Boreæ plagas, & sese recipientium in loco horroris & vastissimæ solitudinis, qui Erron dicitur.* In Catalogo metropolitanorum, qui ad me à Cl. D. Delisle transmissus est, nullus *Petrus* nomine circa an. 1244. Russicæ ecclesiæ præfuisse legitur. Verum ab anno 1240. ac deinceps in Poloniæ fines, Lituaniæque, & in Russiam minorem inprimis, aliasque illis affines regiones Silesiam usque, Tartaros incursiones fecisse certo certius constat; & Russos hoc circiter tempore Apostolicæ sedis communionem ambiisse.

Nunc porro deinceps de solis metropolitis est dicendum, qui Kioviensem sedem tenuerunt post institutum Moscuensem patriarchatum; sed quorum nobis pauci suppetunt.

Michael III.

Sigismundo III. Poloniæ rege, *Michaël* III. Kioviæ metropolim gerebat anno 1594. quo ad finem urgente, habita suæ ditionis synodo, Romanæ sedis communionem, consentientibus omnibus Russicæ gentis episcopis, flagitavit. Horum de paciscenda unione Decretum Latine versum typis edendum curavit Baronius ad calcem To. 7. Annalium ecclesiasticorum, ubi nempe *De Ruthenis ab Apostolicâ sede receptis.* Ejus initium est. *In nomine sanctæ vivificantis & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen. Nos infra nominatæ personæ, qui huic scripto subscripsimus, notum facimus, quod introspicientes diligenter vocationem & officium nostrum, quod est hujusmodi ut nosmetipsos &*

ECCLESIA KIOVIÆ.

hominum Christianorum gregem ovium Christi nobis à Christo commissum, ad concordiam & unionem promoveremus, prout nos Salvator noster Jesus-Christus docuit, eamque doctrinam sanguine suo obsignavit, ac potissimum his infelicissimis temporibus nostris, quibus multæ & variæ hæreses inter homines grassantur, ob quas plurimi recedentes à vera & orthodoxa fide Christiana, legem nostram deserunt, & ab Ecclesia Dei, veroque ejus in Trinitate cultu seipsos separant. Quod non alia de causa accidit, quam ob dissentionem nostram cum Dominis Romanis, cum quibus, quum simus unius Dei homines & tanquam unius matris sanctæ Ecclesiæ Catholicæ filii, ab iis divisi sumus, unde mutuo auxilio præsidioque invicem nobis prodesse nequimus. Et quamvis assidue Deum unionem Fidei orationibus nostris precemur; nihilominus quonam pacto hæc unio inter nos stabiliatur aliquando, nunquam nobis satis curæ fuit, spectando semper superiores nostros, & exspectando, si de hac ipsa unione essent solliciti, &c. Datum anno millesimo, quingentesimo, nonagesimo-quarto. Subscribunt itaque: *Michaël metropolita Kioviensis, Haliciensis & totius Russiæ, manu propria. Hypation Dei gratia Protothronus episcopus Wolodomeriensis, Brestensisque, manu propria. Cyrillus Terleczki Exarcha, vel Exarchus metropolitæ Kioviensis, episcopus Luceoriensis, & Ostrosiensis manu propria. Gregorius nominatus archiepiscopus Vladica-Polocensis, Vitebescensisque, manu propria. Dionysius Zbiriuski episcopus Chelmensis, Belsensisque, manu propria. Leontius Peleziczki Pinscensis, Turoviensisque, manu propria. Jonas Hohel archimandrita Kobrinensis ecclesiæ S. Salvatoris, manu propria. Idem Jonas nominatus episcopus Pinscensis, Turoviensisque, manu propria hanc concordiam fratrum meorum subscripsi.* Anno sequenti Michaël ad Clementem Papam VIII. misit Hypatium protothronum, episcopum Wolodomiriensem & Brestensem, & Cyrillum Terleczki Exarchum & episcopum Luceoriensem & Ostrosiensem, qui synodicas literas, confessionemque Fidei Pontifici obtulerunt. Synodicæ autem Epistolæ principium hoc est: *sanctissime pater, pastor summe Ecclesiæ Christi, Domine clementissime. Repetentes memoria consensum in omnibus, atque Unionem Orientalis, atque Occidentalis ecclesiæ . . . . Ac proinde, sciente volenteque Domino nostro Sigismundo III. Dei gratia Poloniæ & Sueciæ Rege, magnoque Duce Lituaniæ, cujus singulare ac sapientissimum studium hac in re enituit; mittimus ad Sanctitatem vestram carissimos fratres nostros Reverendos in Christo Hypatium Pociei Protothronum atque episcopum Wolodomeriensem ac Brestensem, & Cyrillum Terleczki Exarchum atque episcopum Luceoriensem, & Ostrosiensem; quibus mandavimus, ut Sanctitatem vestram adeant; ac, si quidem Sanctitas vestra administrationem sacramentorum, ritusque ac ceremonias Orientalis Ecclesiæ integre, inviolabiliter, atque eo modo quo tempore unionis illis utebamur, nobis conservare, confirmareque pro se & successoribus suis in hac parte, nihil innovaturis unquam, dignetur suo & omnium nostrum archiepiscopi & episcoporum, totiusque ecclesiastici nostri status & ovium commissarum nobis divinitus nomine, Sedi S. Petri & Sanctitati vestræ, uti summo pastori Ecclesiæ Christi debitam obedientiam deferant, &c. Data ex regno Poloniæ & Magno Ducatu Lituaniæ die 12. Junii an. Domini 1595. juxta Calendarium vetus.* Subscriptiones hæ sunt: *Michaël Dei gratia archiepiscopus, metropolita Kioviensis, Haliciensis, & totius Russiæ. Hypation Dei gratia Protothronus, episcopus Wolodomeriensis, Brestensisque. Cyrillus Terleczki Dei gratia Exarcha, episcopus Luceoriensis, Ostrosiensisque. Gregorius nominatus archiepiscopus Vladika-Polocensis & Vitebescensis. Michaël Kopistenszki episcopus Presmisliensis, Samborensisque. Gedeon Bolodan episcopus Leopoliensis. Dionysius Zbiriuski episcopus Chelmensis. Leontius Peleziczki episcopus Pinscensis, Turoviensisque. Jonas Hoel archimandrita Cobrinensis ecclesiæ S. Salvatoris. Idem Jonas Hohel nominatus episcopus Pinscensis & Turoviensis.* Hypatius itaque & Cyrillus Romam appulsi Clementi Papæ synodi suæ literas obtulerunt, cum Professione Fidei, nomine *Michaëlis Rahosæ archiepiscopi metropolitæ*, aliorumque episcoporum, eaque ab Oratore utroque jurata, Russorum ecclesia in Romanæ sedis communionem admissa est.

Hypatius.

Michaëli suffectus est *Hypatius*, ille utique, ut opinor, *Pociei* cognominatus, Wolodomiriensis & Brestensis episcopus, quem Michaël III. cum sua synodo Romam delegaverat. Enimvero Romanam iste communionem fovisse fertur, multaque mala à Schismaticis religionis causa tolerasse.

Joseph II.

Hypatii successor *Joseph Velaminus Rudski* Romanæ sedis consors, Kioviæ quoque sedit ad tempora usque belli quod Vladislaus VI. Poloniæ Rex cum Cosacis, qui ab ipso defecerant gessit, quod non alia ratione confectum est, nisi pactis conventis hoc eis annuerit, ut metropolitam à Constantinopolitano patriarcha designatum Kioviæ morantem haberent, illo qui Romanam communionem fovebat procul amandato, & Vilnam

ECCLESIA KIOVIÆ.

Lituaniæ primariam civitatem migrare coacto, donec benigniora tempora Deus illi indulgeret, quo priscam sedem recipere sibi liceret, ita narrat Augustinus Liber Baro in Mayerberg itin. Mosch. p. 68. Atqui jam antea Russorum, qui Catholicæ Unitati studebant, quosque *Unitos* vulgo vocant, metropolita Vilnæ constiterat. Quod Alexander Guagninus in descriptione Moscoviæ hac de causa factum esse refert: *quum autem Moscoviæ metropolitanus septimo quoque anno Russiam Lituanis subjacentem, causa exigendarum pecuniarum inviseret, ablataque magna pecuniarum summa discederet: Vitoldus Magnus Lituaniæ Dux, re considerata, provinciis suis, ne thesauris exhaurirentur, consulere volens, episcopis Abbatibusque Russiæ convocatis, judicio eorum metropolitam in sua Russia elegit, qui sedem suam Vilnæ, (quæ est Lituaniæ metropolis) habet in Basilica D. Virginis, quæ Ruthenis Preczista, id est, castissima, dicitur. Hic autem metropolita raro Vilnæ moratur.*

Joseph porro circa annum 1615. sese Romanæ sedis communionis tenacem professus est, missa ad Paulum Papam V. legatione. Quinimo Leo Allatius lib. *de ætate & interstitiis in collatione ordinum, etiam apud Græcos servandis*, Pauli Papæ V. literas profert, quibus Josepho illi Archiepiscopo Kioviensi declaravit, nullam Græcis Ruthenisque, qui Romanæ sedis communionem amplexi erant, necessitatem impositam pristinos suos mores omittendi, & Latinorum ritus capessendi. Literæ porro Pontificis hæ sunt, quas hoc loci integras recitare par est. *Paulus Papa V. ad perpetuam rei memoriam. Solet circumspecta Romani Pontificis providentia, si quæ aliquando super literis ab Apostolica sede emanatis dubia oriantur, suæ declarationis oraculo tollere & aliis providere, prout temporum & personarum qualitatibus debitè pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire. Alias siquidem fel. rec. Clemens Papa VIII. nomine, Prædecessor noster bonæ memoriæ Michaëlem archiepiscopum & metropolitam Kioviensem & Haliciensem, totiusque Russiæ, & cum eo plerosque comprovinciales episcopos, & alios tunc expressos, una cum omni eorum clero & populo nationis Ruthenæ, sive Russicæ, quæ cum Romana ecclesia non communicabat, sed Græcorum Schisma sequebatur, intra gremium Ecclesiæ Catholicæ & unitatem S. R. E. uti membra sua in Christo, sub certis modo & forma recepit, univit, adjunxit, annexuit & incorporavit, prout in dicti Clementis Prædecessoris sub plumbum desuper sub Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1595. decimo Kal. Januarii pontificatus sui anno quarto expeditis literis plenius continetur. Quum autem sicut venerabilis fratris Josephi archiepiscopi moderni Kioviensis & Haliciensis nomine nobis nuper expositum fuit, non desunt, qui veritatis ignari, aut ab aliis in errorem inducti, sibi persuadeant, Romanam Ecclesiam per Unionem præmissam, eorum ritus & ceremonias in divinis officiis, & sacramentorum administratione tollere & extinguere voluisse; unde scandalum multorum provenire dignoscitur: eapropter nos ex pastoralis officii debito, inimico homini bono semini superseminanti zizania occasionem auferre, & errorem hujusmodi ex mentibus hominum evellere, & scandalis occurrere volentes, necnon litterarum præfatarum tenorem præsentibus pro expressis habentes, supplicationibus dicti Josephi archiepiscopi nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnes sacros ritus & ceremonias, quibus Rutheni episcopi & clerici, juxta Sanctorum Patrum Græcorum instituta, in divinis officiis, & in sacrosanctæ Missæ sacrificio, cæterorumque sacramentorum administratione, aliisque sacris functionibus utuntur, dummodo veritati & doctrinæ Catholicæ non adversentur, & communionem cum Romana Ecclesia non excludant, per unionem præmissam tollere, aut extinguere, Ecclesiæ Romanæ intentionem, mentem, & voluntatem non fuisse, nec esse; neque id dici, vel censeri potuisse, nec posse; quinimo dictos ritus eisdem Ruthenis episcopis & Clero ex Apostolica benignitate permissos, concessos & indultos esse, sicut ex literis prædictis, & Concilio Florentino apparet; & instituto Collegii Græcorum Urbis nostræ, necnon Alumni de ritibus hujusmodi servandis, sicut accepimus, sacramentum præstant, apostolica autoritate, tenore præsentium decernimus & declaramus, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque quibuscumque. Datum Romæ, apud sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 10. Decembris 1615. pontificatus nostri anno XI. S. Cobellutius.*

Hæc quidem Romanus Pontifex ille Josepho & episcopis Ruthenis scribebat. De Josepho autem vir egregiè doctus D. Nicolaus Comnenus Papadopoli in responsione adversus epistolam Joannis Hokston Angli ad illustrissimum Chrysanthum Notaram, Cæsareæ in Palæstina tunc metropolitam, post vero Hierosolymorum patriarcham hæc habet pag. 103. « Hic Welaminus Romæ in Collegio « Græcorum educatus, nobilissimi sanguinis « vir, & S. Basilii monachus, Vilnensis sanctæ « Trinitatis monasterii præfectus, ubi apud Ruthenos « ob virtutem & sapientiam clarus, supremas « gentis infulas nactus est, atque omni « studio schisma delere aggressus, ad Fidem « Catholicam decies centena Schismaticorum «

millia convertit; dictus propterea ab Urbano VIII. *Athanasius Russiæ,* atque *Atlas unionis;* pervicaciam cæterorum, quos bonis artibus in obsequium fidei trahere nequaquam potuerit, sævissimo pœnarum & multarum apparatu perdomare decrevit, per Sigismundum Poloniæ regem, exemplo Demetrii Moschorum principis sexto superioris sæculi anno trucidati, quod in Germanos Polonosque propensiore animo esset, nec à Pontifice Romano abhorresceret. Rudskium in sententia Petrus Arcudius eò altera de causa missus confirmabat; quibus opposuere se Jesuitæ. Libello idcirco apud Paulum V. in crimen vocantur ab Arcudio, cujus Joannes Radiskius Jesuita novam hanc convertendorum hominum rationem impugnavit. Hæc clarissimus D. Nicolaus Comnenus Papadopoli, vir mihi nunquam sine laude appellandus. Josephi Welamini Russiæ archiepiscopi meminit quoque Cardinalis Palavicinus tractatu *de Bono* part. 1. cap. 2. p. 141.

JOSEPHUS III.

Josepho Welamino successit *Josephus* alter, optime quoque erga Romanam Ecclesiam affectus, pacis & unionis studiosissimus: de quo alia dicenda non occurrunt.

PETRUS *Schismaticus.*

RAPHAEL *Catholicus.*

Ante annum 1630. Kioviæ metropolim capessiverat *Petrus Mogilas* sive Mohelas, è Moldaviæ ducibus originem trahens, quem à Theophane Hierosolymorum patriarcha, Byzantino annuente, ordinatum dicunt. Schismati proinde addictus erat, vir alioqui apprimè doctus, qui anno illo volumen egregium, parvum licet, Russico idiomate edidit, hoc titulo inscriptum: *Confessio orthodoxa Ecclesiæ Orientalis,* ut Catholicam Fidem ob grassantem in Polonia, & Lituania Calvinistarum hæresim, apud suos obfirmaret. Librum hunc subinde Orientis Patriarchæ quatuor anno 1643. in Constantinopolitana synodo, Parthenio II. Regiæ urbis Patriarcha duce approbarunt, legendumque suis commendarunt. Hæc autem Confessio Græce translata Bucorestii in Valachia prodiit anno 1659. subindeque rursum Amstelodami. Anno 1642. Parthenius I. Patriarcha Constantinopolitanus Jasii in Moldo-blachia Concilium coëgit, in quo Cyrilli Lucaris Calviniana doctrina anathemate secunda vice confixa est: hujusque decretis omnium primus post Patriarcham subscripsit *Petrus Mogilas humilis archiepiscopus & metropolita Kiovii & Haliciæ totiusque Russiæ, sancti Apostolici throni Constantinopolitani Exarchus, Archimandrita Lauræ Pithzari, manu propria pro me & ex persona totius in Christo Ecclesiæ orthodoxæ & Catholicæ, quæ est in Russia minore.* Τῇ συνοδικῇ ταύτῃ ἐπιστολῇ τοῦ παναγιωτάτου πατρὸς καὶ ποιμένος ἡμῶν πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως συμφωνῶν ἐν πᾶσι, καὶ συναινῶν ἐγὼ Πέτρος Μογίλας ταπεινὸς ἀρχιεπίσκοπος καὶ μητροπολίτης Κιόβου, καὶ Αλικίας, καὶ πάσης Ρωσίας, ἔξαρχος τοῦ ἁγίου ἀποστολικοῦ θρόνου Κωνσταντινουπόλεως, ἀρχιμανδρίτης τῆς λαύρας τοῦ Πιθζάρου, ὑπέγραψα τῇ ἰδίᾳ χειρὶ δι' ἐμὲ καὶ ἐκ προσώπου πάσης τῆς ἐν Χριστῷ ἐκκλησίας τῆς ὀρθοδόξου καὶ καθολικῆς οὔσης ἐν τῇ μικρᾷ Ρωσίᾳ. Nectarius patriarcha Hierosolymitanus hunc anno 1662. nuper obiisse scribebat, illo anno epistola data ad Monachos Sinaïtas. Πέτρος Μογίλας, inquit, καὶ πρὸ ὀλίγου τῶν τῇδε μεταστὰς καὶ πρὸς Θεὸν ὁσίως μεταχωρήσας, παρὰ τοῦ ἀοιδίμου καὶ μακαριωτάτου πατριάρχου Ἱεροσολύμων Θεοφάνους προβληθεὶς, καὶ χειροτονηθεὶς ὀρθόδοξος μητροπολίτης τῆς κατὰ Κίοβον μητροπόλεως, ἐνέτυχε τῷ ποιμνίῳ πεφυρμένῳ νεωτερισμοῖς τισὶ τῶν ἑτεροδοξούντων πάντη τοῦ ὀρθοδόξου καὶ ἀρχαίου ἡμῶν δόγματος. *Petrus Mogilas, qui nuper ex hac vita ad Deum cum pietate migravit, à celeberrimo & beatissimo patriarcha Hierosolymorum Theophane promotus, ordinatusque Kiovii metropolis orthodoxus metropolita, gregem offendit Heterodoxorum novitatibus quibusdam infectum, alienis prorsus à recta & veteri doctrina.*

ECCLESIA KIOVIÆ.

RAPHAEL *Catholicus.*

Quo tempore Petrus Mogilas schismaticis suis præerat, accidit prorsus quod antehac scripsi, ut Ladislaus VI. qui Poloniæ, Lituaniæque thronum anno 1632. conscendit Cosacis qui adversus ipsum rebellarant, indulserit ut schismatis sui socium Kioviæ metropolitam ea in urbe sedentem obtinerent, & Catholicus metropolita Vilnam denuo migraret. Is porro metropolita Catholicus alius procul dubio non fuit *à Raphaële Corsaco,* qui genere Ruthenus quum esset, in Collegio Romano Græcorum literas sacras doctus, post reditum in patriam coadjutor factus est metropolitæ Russiæ, & concionibus, dissertationibusque multos à Schismate convertit. Hinc ad episcopatum Pinscensem promotus, & postmodum ad metropolim Russiæ, inde postea à Poloniæ rege Legatus mittitur ad Urbanum VIII. & inter præsules quos vocant *Assistentes* in sacello Pontificio locum obtinet. Hæc Allatius lib. 3. de consens. cap. 7. n. 7.

ANASTASIUS.

Ex eodem Allatio ibidem, quum hæc scriberet, *Anastasius Sialova* Ruthenus Polociæ archiepiscopus ex S. Basilii monacho factus, tunc Russiæ metropolita erat.

ECCLESIA KIOVIÆ.

BARLAAM II.

Non ita pridem Kioviæ metropolita ſedebat *Barlaam Giaſinski*, apud quem illuſtriſſimus Hieroſolymorum Patriarcha Chryſanthus à ſe viſas teſtatur Liguridis Paiſii lucubrationes A aliquot, quas adverſus Romanos Latine elaboraverat, mutata ſententia, quam antehac tenuerat. Hæc quidem Chryſanthus ad calcem lib. 11. Doſithei deceſſoris ſui *de Hieroſolymorum patriarchis*.

II. ECCLESIA LUCEORII.

LUCEORIUM vel *Luceoria*, Polonis Lucko, Wolhiniæ caput & Palatini Luceorienſis ſedes eſt, ad fluvium *Steer* Ruſſiæ minori affinis, ubi plures eſſe Schiſmatici & Judæi feruntur, quam Catholici.

EPISCOPI LUCEORII.

I. CYRILLUS.

LUCEORIENSEM epiſcopum *Cyrillum* perinde diximus una cum Hypatio Volodomirienſi Romam delegatum eſſe à Michaële Rahoſa & ſynodo Ruſſiæ ad unionem paciſcendam cum Clemente Papa VIII. ſynodi porro geſtis, & fidei illius confeſſioni ſubſcriptus legitur *Cyrillus Terleczki Dei gratia Exarcha, epiſcopus Luceorienſis, Oſtroſienſiſque, manu propria.* Eſt vero *Oſtroſia* vel Oſtroſium, Ruſſiæ civitas in inſula Velikæ fluminis, hocque nominis habet, quod Slavico idiomate inſulam ſignificat.

II. HIERONYMUS.

B Ex Leone Allatio lib. 3. de Conſ. cap. 7. n. 8. *Hieronymus Pozopoſcius* monachus Ruthenus, Urbano VIII. Pontifice Romano, Luccoviæ, ſeu Luceoriæ potius, in Ruſſia epiſcopus factus eſt.

III. ATHANASIUS *Schiſmaticus*.

Cæterum eodem circiter tempore ſedebat *Athanaſius Puſinas* Luceorii epiſcopus ſchiſmaticus, qui anno 1642. ſynodi Jaſii in Moldavia à Parthenio I. Patriarcha Conſtantinopolitano habitæ interfuit, decretiſque ejus ſubſcripſit : Ἀθανάσιος Πουσίνας ἐπίσκοπος Λουκεωρείου καὶ Οστρογίου. *Athanaſius Puſinas, epiſcopus Luceorii & Oſtrogii.*

III. ECCLESIA POLOCENSIS.

POLOCA vel *Polosko* provinciæ Ruſſiæ minoris civitas eſt, Lituanici Palatinatus caput ad fluvium cognominem, juxta quam Duna fluvius alter in Polokam à meridie influit. Ibi Catholicæ partis epiſcopus eſt archiepiſcopo Leopolienſi obnoxius : eſt etiam alter Ruſſici ritus, quem Byzantini patriarchæ archiepiſcopi titulo auxerunt.

EPISCOPI POLOCÆ.

I. GREGORIUS.

NUllus mihi occurrit Polocenſis epiſcopus C Ruſſici ſeu Græci ritus, Gregorio illo anterior, qui anno 1594. ſynodo Kiovienſi de ineunda cum Apoſtolica ſede unione ſubſcripſit, ſubindeque anno ſequenti epiſtolæ ad Clementem Papam VIII. *Gregorius nominatus Archiepiſcopus, Vladika-Polocenſis, Vitebeſcenſiſque manu propria,* ubi vox Slavica *Vladika* nihil aliud niſi *epiſcopum* ſonat. *Vitebeſca* aut *Vitebeski*, vel *Vitpeski*, arx eſt munitiſſima, Poloska parum diſtans.

II. GEDEON. III. JOSAPHAT *Martyr*. SMOTRICIUS *Schiſmaticus*.

Quo tempore Joſeph Rudskius Kioviæ metropolim regebat, Polocenſi eccleſiæ præerat *Gedeon*, quo defuncto *Joſaphat Camovicius* ſuffectus fuit. De quo hæc exſcribam (JOSAPHAT) quæ narrat Allatius lib. 3. de Conſ. cap. 11. n. 11. Ruſſia quoque Joſaphati Cuncevitii Archiepiſcopi Polocenſis cæde nobilitata eſt. Naſcitur is Volodomiriæ Gabriele & Marina, piis parentibus & catholicis. Dum ſacris undis abluitur, Joannis nomen habuit. Annos natus viginti, Græcorum Monachorum qui ſub regula Baſilii magni militant, albo adſcribitur; rogatuſque à Schiſmaticis ut ipſis adhæreret, reſpondit, nolle ſe Romanam Eccleſiam deſerere. Hinc graves in ipſum inimicitiæ. Joſepho Welamino in Ruſſiæ Metropolitanum evecto, ipſe monaſterii Archi- D mandrita eligitur, quod monachorum numero auxit. Meritis & virtute conſpicuus, in archiepiſcopatu Polocenſi Gedeoni ſuccedit. Tum diu noctuque Deum exorans, ut ab Eccleſia abſciſſos revocaret, primus omnium ad matutinas preces occurrebat. Per annos viginti aſpero cilicio corpus afflixit, quod catenis

» catenis quoque ferreis constringebat. A carnium esu penitus abstinens, raro pisces comedebat, herbis, & leguminibus, & pura aqua victitans, nec nisi humi cubans somnum capiebat, totus contemplationibus addictus. Haud facile dictu quantam operam posuerit in pravis moribus corrigendis, hæreticisque & schismaticis convertendis, miseris sublevandis, Ecclesiis vel instaurandis, vel de novo ædificandis, omnium pater vulgo dictus. Hæreticorum insidias sæpe declinavit. Tandem an. 1623. die 12. Novembris Vitepski, instigante & procurante *Smotricio* quodam Pseudo-episcopo Polocensi, in ædes archiepiscopales noctu irruunt, servos male tractant, occurrenti Præsuli, rogantique ut innocenti familiæ parcant, per sclopetarios globos, cum baculo & ingenti securi caput dividunt. Corpus nudum funibus per ædes & plateam trahunt, ac in flumen Dunam mergunt; sed à fidelibus extractum, in ecclesia cathedrali sepelitur. Quod quum prodigiis clareret, post diligens examen Urbanus Papa VIII. anno 1643. die 16. Maii beatorum Martyrum catalogo adscripsit, concessitque ab universis monachis S. Basilii, & ecclesiis omnibus provinciæ Russiæ, ut die natalis ipsius 12. Novemb. officium Missaque Græce, Ruthenice & Latine celebraretur. Ejus vitam compendio scripsit, Romæque edidit Antonius Gerardus Romanus. «

SMOTRICIUS *schismaticus.*


ECCLESIA POLOCENSIS.

IV. ANASTASIUS.

Ex eodem Leone Allatio lib. 3. cap. 7. n. 7. *Anastasius Sialova* Ruthenus ex S. Basilii monacho archiepiscopus Polociæ fit; post vero metropolita Russiæ.

V. NICOLAUS. VI. NICEPHORUS.

Anastasio utique successit *Nicolaus Lososcius*, tum deinde *Nicephorus Gosonscius* Rutheni, ambo Polociæ, eodem Allatio teste, Archiepiscopi.



IV. ECCLESIA PRIMISLIÆ.

PRIMISLIA, *Przemyslie* minoris quoque Russiæ civitas est ad fluvium *Sana*, & inter Poloniæ Castellanias censetur. Hujus episcopus Latinus Leopoliensi archiepiscopo subest; Græcus vero, seu Ruthenus Kioviensi, adjuncto item illi Samboriensi episcopatu.

EPISCOPI PRIMISLIÆ.

I. MICHAEL.

EPiscopatum Primisliensem, unaque Samboriensem gerebat *Michael Kopistenski* anno 1595. quo subscripsit epistolæ synodi Russiæ ad Clementem Papam VIII. de Romana communione ineunda: *Michael Kopistenski, episcopus Premisliensis, Samboriensisque, manu propria.*

II. SILVESTER.

In synodo in Moldoblachia habita à Parthenio Seniore Patriarcha Constantinopolitano anno 1642. sedit subscripsitque *Silvester Ulebitzi* episcopus Premislai & Sambori: Σίλβεστρος Οὐλεβίτζιος ἐπίσκοπος Πρεμισλάου καὶ Σαμβωρίου.



V. ECCLESIA LEOPOLII.

LEOPOLIUM vel *Leopolis*, Palatinatus apud Polonos caput, Russiæ & Haliciæ civitas ad fluvium Pekevium, & ad montis radices à Leone Russorum principe anno 1240. exstructa fertur. Sedes archiepiscopalis est Latini ritus; ibique Græcus, seu Ruthenus moratur Metropolitæ Kioviensi subditus, qui & Caminiciæ in Podolia episcopatum tenet.

EPISCOPI LEOPOLII.

I. GEDEON.

EPistolæ synodicæ Michaëlis Kioviensis metropolitæ ad Clementem Papam VIII. de communione Romana ineunda, subscriptus legitur *Gedeon Bolodan episcopus Leopoliensis, manu propria.*

II. ARSENIUS.

Synodo quam Parthenius in Moldoblachia habuit ad configenda Calviniana Cyrilli Lucaris placita, aderat, subscripsitque *Arsenius Zeliborscius episc. Leopolis Haliciæ & Caminiciæ Podoliæ.* Ἀρσένιος Ζελιβόρσκιος ἐπίσκοπος Λεοπόλεως Ἀλικίας, καὶ Καμινικίας τῆς Ποδωλίας.



VI. ECCLESIA CHELMÆ.

CHELMA Russiæ minoris civitatula, etsi Palatinatus caput, episcopi sedes est Græci ritus, Kioviensis provinciæ. Latinus vero præsul qui in ea olim morabatur Kronoslaviam migravit.

EPISCOPI CHELMÆ.

I. DIONYSIUS.

DEcreto synodi Russiæ quæ Michaële III. Kioviensi præside anno 1594. habita est, ejusque ad Clementem Papam VIII. epistolæ in- A sequenti anno subscripsit *Dionysius Zbirüski episcopus Chelmensis & Belsensis.*

VII. ECCLESIA PINSCII.

PINSCIUM vel *Pinsko*, Urbs & Castellania Lituaniæ, & in Palatinatu Briesciensi, ad amnem ejusdem nominis. Hodie nulla fere superest, ut pote à Cosacis tota fere vastata. Rutheni ritus episcopum olim habuit, & in episcopatum unum coaluit cum Turoviensi.

EPISCOPI PINSCII.

I. LEONTIUS.

SYnodo Michaëlis Kioviensis, ejusque ad B Clementem Papam VIII. epistolæ, de unione cum Apostolica sede paciscenda subscripsit *Leontius Peleczic̈zki episcopus Pinscensis Turoviensisque manu propria.*

II. JONAS.

Eidem decreto, necnon epistolæ ad Clementem Papam, subscriptus quoque legitur *Jonas Hohel archimandrita Cobrinensis ecclesiæ S. Salvatoris*, rursumque: *Idem Jonas Hoel nominatus episcopus Pinscensis, Turoviensisque, manu propria,* ut pote nimirum Leontii successor designatus.

III. RAPHAEL.

Allatius lib. 3. de Conf. c. 7. n. 7. narrat *Raphaëlem Corsacum* Ruthenum Roma in patriam reversum, coadjutorem esse factum Metropolitæ Russiæ, tum subinde ad Pinscensem episcopatum promotum, ad Russiæ demum metropolim translatum.

IV. PACHOMIUS.

Inter Ruthenos qui in collegio Græcorum Romano instituti Latinæ communionis studio in patria claruerunt, Allatius iterum n. 8. memorat *Pachomium Oranscium Pinsci episcopum.*

VIII. ECCLESIA TUROVII.

TUROVIUM Russiæ quidem minoris civitas censetur, haud procul Pinscio distans; hujus vero sedem episcopalem cum Pinscensi aliquando conjunctam fuisse modo vidimus.

EPISCOPI TUROVII.

I. LEONTIUS. II. JONAS.

LEONTIUM *Peleczic̈zki* modo dicebam C Pinscensem & Turoviensem ecclesiam administrasse; quin etiam *Jonam Hohel* Pinscii & Turovii episcopum designatum esse.

III. ALEXIUS.

Ex Leone Allatio loco mox laudato, *Alexius Dubovíscius* Ruthenus literarum studiis Romæ peractis, Turovii episcopatu in patria donatus fuit.



IX. ECCLESIA MSCISLAVIÆ.

MSCISLAVIA, *Mſciſlaw* Lituanici Palatinatus civitas epiſcopalis eſt, Moſchicæ ditionis affinis, cujus eccleſia in unam cum Orſienſi & Mogilavienſi coaluit. Orſia autem, vel Orſa eo loci ſita eſt, ubi ejuſdem nominis amnis in Boryſthenem labitur. Mogilaviam, vel Mohilaviam Boryſthenes præterlabitur, atque Palatinatus Vitepeſcenſis cenſetur, decem millibus paſſ. Orſia, decem & octo Mſciſlavia, viginti duobus Smolensko diſtans.

EPISCOPI MSCISLAVIÆ.

I. SILVESTER.

MSCISLAVIÆ, vel Mſteſlaviæ, Orſiæ & A Mogilaviæ epiſcopus unus dumtaxat mihi occurrit in ſubſcriptionibus ſynodi Parthenii ſenioris patriarchæ Conſtantinopolitani, quæ in Moldavia, anno 1642. habita eſt, *Silveſter Coſſophus*, Σίλβεςρος Κόσσοφος ἐπίσκοπος Μςησλαβίας, Ορσίας καὶ Μωγιλαβίας.

X. ECCLESIA MOHELÆ.

MOHELA, vel *Mogila* aut *Mogilavia*, vulgo *Mohilaw*, eadem, ut reor, Ruſſiæ minoris civitas eſt ad Boryſthenem exſtructa, cujus epiſcopatum cum Mſciſlavienſi & Orſienſi conjunctum eſſe dixi.

EPISCOPI MOHELÆ.

I. HILARIUS.

RUſſi inter ſanctos habent *Hilarium epiſcopum Mohelenſem*, qui & Hilarion dicitur. B Hujus memoriam recolunt die 21. Octobris.

II. SILVESTER.

De *Silveſtro* Mſciſlavienſi, Orſienſi & Mogilavienſi modo dictum eſt.

XI. ECCLESIA VITEPESCIÆ.

VITEPESCIA, *Vitepsko*, Lituaniæ civitas ad Dunam fluvium ſita haud procul Polocia, epiſcopalis cenſetur, apud Reinoldum Heidenſtenum Sigiſmundi Poloniæ Regis Secretarium lib. 2. *de Moſcovitico bello*, ubi ait, Templum arcis Suſſæ, etſi ſatis amplum, pro captu etiam loci magnifice ex lapide conſtructum eſſet, à Græci ritus hominibus teneri, quorum & magna multitudo ſit, in eoque jus & poſſeſſio antiquiſſima videatur. Epiſcopum loci Ruſſicum Vitepeſciæ agere ſubdit.

EPISCOPI VITEPESCIÆ.

I. * * *

EX eodem belli Moſcovitici ſcriptore, C Stephanus Poloniæ rex, Polotza cum ſuo Ducatu expugnata, provinciæ ſtatus ſtabiliendi cauſa, Ruſſico Vitepeſciæ epiſcopo condendos articulos deſignavit.

II. GREGORIUS.

Supra jam memoravi *Gregorium* Polocenſem, Vitepeſcenſemque epiſcopum, qui anno 1594. ſynodo Kiovienſi, ſub Michaële III. Ruſſiæ metropolita, de ineunda cum Apoſtolica Sede unione ſubſcripſit, ſubindeque anno ſequenti epiſtolæ ad Clementem Papam VIII. Quamquam ut fatear quod res eſt, vix crediderim duos unquam diverſos fuiſſe epiſcopatus, Polocenſem & Vitepeſcenſem; licet ejuſdem throni præſul modo Polocæ, modo Vitepeſciæ ſederet, prout rerum ſtatus conditioque poſtulabat.


XII. ECCLESIA PEREASLAVIÆ.

PEREASLAVIA, *Pereaſlave*, vel *Pereſchlau* oppidum Ruſſiæ minoris eſt trans Boryſthenem, ad fluvium *Truhicz*, qui duobus milliaribus infra in Boryſthenem cadit; à Kiovia decem milliaribus diſtat in ortum hybernum. Epiſcopum habet Kiovienſi & Galitchenſi archiepiſcopo obnoxium. *Perigiaſlaviæ* dicitur ab illuſtriſſimo Chryſantho. ὁ Περειασλαβίας, ὅστις καὶ ὑπόκειται τῷ μητροπολίτῃ Κιοβίας.

XIII.

ECCLESIA VILNÆ.

VILNA civitas ampla & populoſa, Lituaniæ principatus eſt caput, eo in loco poſita, ubi Vilna fluvius in Viliam flumen alterum influit. Latini quidem ritus epiſcopum habet Gneſnenſi metropoli obnoxium; Græci vero, ſeu Ruſſici generis antiſtitem habet, qui Kiovienſi metropolitæ olim ſuberat; nunc vero in ea manet Kiovienſis metropolita, qui Romanam communionem tenet. *Ruthenici ritus epiſcopi*, inquit Guagninus in deſcriptione Lituaniæ, *in Lituania & Ruſſia Polono regi ſubjecta, ſeptem ſunt. Metropolitanus, ſive Archiepiſcopus Vilnæ ſedem ſuam habet: Epiſcopi vero, quos Vladicas Rutheni appellant hi ſunt, Polocenſis, Volodomerienſis, Lucenſis, Pinſcenſis, Kiovienſis, Præmiſlienſiſque & Leopolienſis, qui etiam metropolitæ titulo utitur.* Cæterum neminem alterum Vilnæ Græci ritus epiſcopum hactenus ſum aſſequutus. Leo Allatius lib. 3. de conſenſu cap. 7. num. 8. meminit *Marciani Triſnæ* Rutheni, Philoſophiæ ac Theologiæ in collegio Græcorum Romano laurea inſigniti; qui in patriam regreſſus, primùm ibi canonicus factus, aliiſque reditibus eccleſiaſticis auctus, Vilnenſis Epiſcopi Coadjutor electus eſt, Regiſque Poloniæ Referendarius, & Ducatus Lituaniæ Vicecancellarius.





DIŒCESIS MOSCOVITICA
CUJUS CAPUT MOSCUA.

Moſcoviticæ gentis exordium.

I. DE Moſcovitis, ſive Moſchis jam à me dictum eſt ubi de Ruſſis, quibuſcum in A unam gentem coaluerunt, alia regione Ruſſia minore, Nigraque dicta, alia Ruſſia majore eaque Alba. Moſchorum progenitorem utique fuiſſe aiunt Moſoch ex Japhet filio Noë procreatum, ut habetur Gen. 10. v. 2. iſque velut & Magog & Thubal fratres ſui, illos terrarum tractus qui ultra Caucaſum Boream verſus exporriguntur, obtinuit. Quocirca Ezechielis 38. v. 2. & 39. v. 1. in Hebræo Prophetæ textu, *Gog* dicitur *princeps Magog, Ros, Moſoch*, vel *Moſch, & Thubal;* quum Hie- B ronymus in tranſlatione ſua, vulgata noſtra pro *Ros* poſuerit *caput,* quod nempe ipſa voce Hebræa ſignificatur. Ruſſiam autem utramque à *Ros* nomen habuiſſe ſuo jam loco dixi; id quod etiam Græci ſcriptores, quibus de Ruſſis ſermo fuit, non omiſerunt; quum in Græca Ezechielis tranſlatione vox, Ρὼς, *Ros,* utroque loco legatur. Martinus tamen Cromerus lib. 1. *De rebus Polonorum,* ubi de Ruſſorum & Moſcovitarum origine, ſcribit Moſcovitas Ruſſorum nomine præſertim gloriari, C & Moſcoviæ vocabulum recentis originis eſſe dicit ex Sigiſmundo Herberſtenio, totique genti inditum eſſe propter Moſcuam urbem, quæ magni Ducis ſedes facta eſt à Joanne Danielis filio.

In Ruſſia minore incipit Chriſti cultus.

II. A Ruſſia autem minore Chriſtiana religio cœpit, inque Ruſſiam majorem propagata poſtmodum fuit per Kioviæ metropolitas, à quibus archiepiſcopi ſubinde duo, Novogorodiæ ac Roſtovii, epiſcopique nonnulli inſtituti ſunt. Verum Kiovia Tartarorum incurſioni- D bus crebris afflicta, Metropolitæ in majorem Ruſſiam ſe recipientes, Volodomeriæ ſedem ſtatuerunt, ut pote quæ tunc Ditionis urbs primaria erat, Magnique Ducis ſedes. Hujus migrationis auctor Maximus Kioviensis metropolita fuit; ſed aliquot annis elapſis, proximus ejus ſucceſſor Petrus, Magno Duci ſuaſit, ut Moſcuam in urbem tranſiret, ibique potius quam Volodomeriæ moraretur, Alexii cujuſdam cauſa qui hac in urbe conditus ab indigenis uti ſanctus colebatur; unaque cum Principe, Petrus ibidem ejuſque ſucceſſores habitare cœperunt. Poſt tempora autem Florentinæ ſynodi præter metrop. qui Moſcuæ, ſedebat alter Kioviæ, ac quidem, ut Martinus Cromerus lib. 1. *de rebus Polonorum* ſcribit, Patriarchis ipſiſmet Conſtantinopolitanis auctoribus. *Jam vero Moſchicus metrop.* inquit, *alius à Kioviensi, ac longe poſterius illo à Patriarcha Conſtantinopolitano in gratiam Ducis Moſchorum inſtitutus, Ruſſiæ metropolites itidem atque Kioviensis, cum ab aliis, tum ab ipſo Patriarcha vocatur, ipſeque hunc titulum velut ampliorem & auguſtiorem quam Moſcoviæ, uſurpat.*

III. Sæculo demum labente decimo ſexto, Hieremia II. Byzantino Patriarcha, cujus juriſdictioni Kioviensis, ſive Ruſſiæ metropolita addictus erat, in Moſcoviam profecto, ut corrogatis inde pecuniis, Metrophanem æmulum ſuum patriarchali quam ille obtinuerat ſede deturbaret, priſtinamque dignitatem ſuam recuperaret, à Moſchicis monachis conventus eſt, obnixe rogantibus, ut toti Moſchicæ genti & Imperio præficeret Archiepiſcopum αὐτοκέφαλον, hoc eſt, *qui ſui juris eſſet,* nulli ſuperiori alteri ſubjectus, eo perinde modo quo quintam ſynodum olim ejuſdem generis præſulem Achridæ, ſive Juſtinianæ primæ conſtituiſſe aiebant; ſin vero Hieremias ipſe Volodimeriam in qua metropolitæ antehac ſui manſerant, Cucuſo licet deteriorem ſecederet, ibique reſideret. Ita ſiquidem decreviſſe Imperatorem ſuum Theodorum Joannis Baſilidis filium, totiuſque regni proceres cauſabantur. Itineris ſocii Patriarchæ erant Hierotheus Monembaſiæ metropolita, & Arſenius Elaſſonis epiſcopus cum clericis aliquot archimandritiſque & monachis, quibus inconſultis, Moſchorum petitioni, adjecto etiam jurejurando, annuit. Diploma dedit Slavonico ſermone exaratum,

Moſcoviticæ Eccleſiæ Patriarcha præficitur.

quo novus archiepiſcopatus, iſque Moſcuenſis, Patriarchatus inſtar conſtituebatur, cuique demum ſubſcripſerunt quotquot cum ipſo venerant ſacerdotes & monachi. Renuerunt vero Monembaſiæ Elaſſoniſque præſules, quibus non arrideret illa novi Patriarchatus inſtitutio, quippe qua non Byzantina ſolum diœceſis magna ſui parte minuebatur, ſed & eccleſiam ſcindi cauſabantur.

Jobus primus Moſchorum patriarcha.

IV. Hieremias dato diplomate, vocatoque gentis epiſcoporum monaſteriorumque præfectorum ſynodo, in urbe regia Moſcua poſt celebratam coram Imperatore Theodoro ejuſque conjuge, totoque ſenatu Liturgiam, communibus cunctorum ſuffragiis concurrentibus, *Jobum* qui Roſtovii tunc archiepiſcopatum gerebat, primum Moſchorum Imperii Archiepiſcopum & Patriarcham renuntiavit; literis ſuis edixit, ut Moſcua civitas patriarchæ in poſterum ſedes eſſet, & Jobum Moſcuenſis eccleſiæ throno impoſuit, unaque Novogorodienſem metropolitam inſtituit. Quod quidem patratum eſt die 26. Januarii anni ab orbe condito 7097. Chriſti 1589. Quamobrem Imperator Theodorus Hieremiam, ejuſque ſocios, quin ipſum quoque Monembaſiæ metropolitam, qui nec Liturgiæ intereſſe voluerat, multis muneribus locupletatos dimiſit. Quæ quidem accurate narrat Dorotheus Monembaſiæ metropolita, Hierothei proximus ſucceſſor in ſynopſi hiſtoriarum pag. 348. & 349. quibus concinit illuſtriſſimus, doctiſſimuſque Hieroſolymorum Patriarcha Chryſanthus in libro quem *de ſacris officiis* Tergoviſti in Walachia Græco idiomate vulgari typis edidit anno 1715.

A ſynodo Byzantina confirmatur Patriarchatus Moſcuſis inſtitutio.

V. Pergit Pontifex Hieroſolymitanus Hieremiam Conſtantinopolim regreſſum, recepta exacto Metrophane ſede, an. Mundi 7101. Chriſti 1593. menſe Febr. numeroſum epiſcoporum ſynodum in Pammacariſtæ patriarchali templo, quod Παραμυθία, *Paramythia* Byzantinis Græcis cognominatur coëgiſſe. In eo conventu, *præſidentibus ſanctiſſimis Patriarchis, ipſo D. Hieremia Conſtantinopolitano, Meletio Alexandrino, cui Joacim Antiochenus vices ſuas commiſerat, necnon Sophronio Hieroſolymitano, adſtanteque illuſtriſſimo D. Gregorio Athanaſio prædicti à Deo coronati Moſcoviæ Imperatoris apud Sultanum oratore delegato.* προκαθημένων δὲ τῶν ἁγιωτάτων πατριαρχῶν, τοῦ Κωνσταντινουπόλεως φημὶ κῦρ Ἱερεμίου, τοῦ Ἀλεξανδρείας Μελετίου, καὶ τόπον ἐπέχοντος τοῦ Ἀντιοχείας κῦρ Ἰωακεὶμ, καὶ τοῦ Ἱεροσολύμων κῦρ Σωφρονίου, ἐνδημοῦντος καὶ τοῦ ἐνδοξοτάτου κῦρ Γρηγορίου Ἀθανασίου τοῦ παρὰ τοῦ ῥηθέντος θεοστέπτου βασιλέως πεμφθέντος πρέσβεως εἰς τὸν τότε μέγιστον Σουλτάνον, novus Moſchicæ ditionis Patriarchatus confirmatus eſt; definitumque, æquum juſtumque eſſe, ut Moſcua civitas apprime egregièque orthodoxa, quæ divina gratia benignitateque aſpirante, regno, ſenatuque honeſtatur, eccleſiaſticis honoribus augeatur, juxta atque canone 28. Concilii Chalcedonenſis ſignificatur, ac non ea ſola cauſa, ſed propter rationabiles alias quas illius ſynodi geſta efferunt. Decrevit, inquam, ſtatuitque *ut ſanctiſſima Regiæ urbis* (Moſcuæ) *eccleſia ſit patriarchalis; Ruſſia omnis cum partibus ſuis Boream verſus poſitis patriarchali ejus throno quantum ad eccleſiaſtica negotia ſubjiciatur, ejuſque beatiſſimus archiepiſcopus locum habeat poſt Hieroſolymitanum, tum in ſacris Diptychis, tum in conventibus ſive ſynodis, præcedat metropolitas omnes, archiepiſcopos & epiſcopos in univerſa Catholica & Orthodoxa Chriſti eccleſia, caput exiſtat, agnoſcaturque Moſcoviticæ ditionis & Ruſſiæ totius, Septemtrionaliumque regionum, pro eo quod 34. Sanctorum nec ſatis laudandorum Apoſtolorum canone ſancitur, frater proinde ſit & dicatur Orthodoxorum Patriarcharum cum appellatione itidem Patriarchæ, ejuſdem ſit ordinis & conſeſſus, tam in inſcriptionibus, quam in ſubſcriptionibus, ſecundum conſuetudinem Orthodoxorum Patriarcharum, Patriarcha Moſcoviæ & totius Ruſſiæ, & omnium partium ſuperborealium. Demum ut in ejus ordinatione ordo ſervetur eccleſiæ, nempe oratio elata voce à Protothrono pronuntietur. His ad hunc modum conſtitutis, ſacra ſynodus, religioſo Imperatori per prædictum oratorem ſignificavit, aſſentiente potentiſſimo qui tunc regnabat Imperatore,* Sultano ſcilicet. Hæc Hieroſolymitanus Chryſanthus, qui ſubinde Moſcovitici Imperii amplitudinem deſcribit, itemque Moſcoviticæ diœceſis, metropolitarum, archiepiſcoporum & epiſcoporum, archimandritarumque, necnon tribunalium eccleſiaſticorum Notitiam ſubjicit, cum Patriarcharum Moſcuenſium ſerie.

Decretum ſynodicum.

Moſcuenſis Pontifex Patriarchæ Conſtantinopolitano tributum ſolvit, & ab ipſo confirmatur.

VI. Cæterum, quando Moſchica regio omnis, ejuſve eccleſia Chriſtiana Conſtantinopolitanæ diœceſis ampliſſima pars erat, Byzantinus Patriarcha Hieremias ea conditione ac lege ſuis in eam juribus ceſſerat, ut Moſcuenſis Pontifex ſtatim ab inauguratione ſua à Byzantino confirmari poſtularet, utque eidem Byzantinæ ſedi ſtatis temporibus quingentos aureos Moſcuenſes ſolveret; atqui poſteriori ævo uti perſolvi tributum iſtud deſiit, ita & confirmatio poſtulari.

Ordo eccleſiaſticus mutatur in Diœceſi Moſcovitica.

VII. Is porro Moſchici Patriarchatûs ſtatus fuit ad tempora uſque Niconis Patriarchæ à Jobo ſeptimi; quando nempe Alexius Michaëlis filius Imp. eodem Nicone in epiſtola ad Conſtantinopolitanum Patriarcham teſte, collegium inſtituit, cujus membra ex ſæculari

& Laicali ordine assumta ecclesiastica negotia ad nutum mandatumque Cæsareæ Majestatis judicarent. *Præterea*, inquit, *regnante hoc magno Domino, curia quædam constituta est, quæ Monasteriorum vocatur. Ei ex mandato Czareæ Majestatis potestas data est judicium exercendi in Patriarcham, metropolitas, archiepiscopos, episcopos, & totum sacerdotalem ordinem. Nemo autem ex ecclesiastico ordine, sed politici homines in curiam istam delecti sunt, ibique ex Czareæ Majestatis mandato, ejusve nomine, de omnibus ecclesiasticis deque monasteriorum bonis mobilibus atque immobilibus judicant. Et hac de re in libro legum scriptum est, qui ipso regnante compositus est, & prorsus contrarius est sanctis Evangelii præceptis & regulis sanctorum Apostolorum, sanctorum Patrum & Regiis Legibus Græcorum Imperatorum. Nunc autem secundum eum judicant, & plusquam Evangelium Christi hunc venerantur.* Pergit Nicon: *Et de hoc execrando libro sæpius cum Czarea Majestate loquuti sumus, ut abrogaret eum, & servaret divinas leges, ac sancti Evangelii præcepta, & regulas Apostolorum, sanctorumque Patrum, & regias veterum Augustorum Impp. leges; nec pateretur judices esse sacerdotalis ordinis, metropolitarum & archiepiscoporum & sacerdotum, diaconorumque, ac totius ecclesiastici ordinis politicos viros, & in judicium eorum clericos vi trahat. Hinc omnium odium sustinui, nec semel, aut bis, sed sæpius consilia de me interficiendo ceperunt, quod Deo auxiliante scrutamur & servamus in omnibus Græcæ Legis præcepta. Propterea scripsi ad antecessorem tuum beatissimum & sanctissimum œcumenicum Patriarcham Païsium de sancto symbolo & reliquis ecclesiasticis Legibus, & accepi ab eo de omnibus responsionem.* Hæc Dionysio II. Patriarchæ Constantinopolitano scribebat Nicon de ecclesiæ suæ ab Alexio Imperatore immutato statu, suppetias ab eo postulans, ut res ecclesiasticas pristino more in Moscovia geri curaret. Quod tamen non obtinuit; quin asperioris sui zeli pœnas posthac dedit, Patriarchali sede dejectus synodali sententia Patriarcharum Alexandrini & Antiocheni, necnon archiepiscopi montis Sinai, qui, ut apparet, Hierosolymitani vices gerebat, quum illi Moscuam à Principe invitati perrexissent.

Ninonis patriarchæ Moscuensis querimonia de inversa suæ Diœcesis jurisdictione.

Nicon ideo deponitur.

VIII. Moschorum Ecclesiæ longè gravior inflicta plaga est, suppresso nuper in totum ab Imp. Petro Patriarchatu, statim ab obitu Hadriani Moscuensis Patriarchæ undecimi, qui anno 1703. contigit: cui exstinguendo ansam dedit tenacior obsistentia ejusdem Patriarchæ ejusque decessorum, qua non res ecclesiasticas modo à se summo jure moderandas censebant, sed nec à civilibus quoque abstinebant, ubi de supremi numinis cultu vindicando, statuendo, vel augendo agi autumabant; quin ejusmodi sibi potestatem illi arrogarant, ut legum suarum transgressores extremo quoque supplicio addicerent. Petrus itaque Imperator novum instituit administrandæ Ecclesiæ modum, ut nempe ecclesiastica quæcumque negotia apud synodum perpetuam Moscuensem undecim viris conflatam tractarentur, cui metropolita unus præesset, quem Princeps designaret, itemque vicepræsides alii duo, cum consiliariis quatuor, & assessoribus quatuor. Quocirca Stephanum Javorski Resanensem & Muromensem metropolitam synodi hujus primum præsidem creavit, adjecto illi Exarchi titulo; vicepræsides ab eo designati fuerunt Theodosius Novogorodensis archiepiscopus, & Theophanes Procopowiz archiepiscopus Pskowiensis. Cæterum, Stephano Resanensi anno 1723. vita functo, nullus ei synodi præses suffectus fertur, sed Exarchi vices, non munus integrum obiit Novogorodensis antistes. Hac vero Moscoviticæ Ecclesiæ mutatione, divino, ut mihi videtur, nutu factum est, ut deinceps non nisi quinque in Orbe Christiano Patriarchæ, velut olim, agnoscerentur. Atqui Imperatoris Petri Diploma primum, quo synodum illam ad Imperii sui ecclesiam administrandam instituit, hic saltem interest Latinè recitare.

In totum supprimitur Patriarchatus Moscuensis.

Synodus perpetua Moscuæ instituitur.

IX. *Petrus I. Omnipotentis Dei gratia & misericordia Russiarum cunctarum Imper. assentiente & consulente clero omni atque Senatu, in Ecclesia orthodoxa Russica synodum instituit ad eum modum, qui sequitur. Petrus, &c. Variis obstricti curis atque negotiis ob potestatem quam à Deo accepimus invigilandi utilitati & famæ nostræ gentis in generali, aliarumque quæ nostro regimini subjectæ sunt, in ecclesia nostrâ inversiones multas & abusus observavimus in rebus quæ ad ipsam spectant. His probe prospectis, merito timuimus ne Deus, cujus opem insignem experti sumus in restituendis rebus nostris tum civilibus, tum militaribus, nos ingratissimi erga se animi reos haberet si earum rerum, quæ Ecclesiam ipsius spectant, negligentes essemus: ipseque judicum Judex rationem à nobis posceret ignorantiæ & irregularitatum, in quibus culpa nostra perseverarent tot tantique populi, qui Dominationi nostræ subsunt. Quocirca veteris novique Testamenti Christianis vestigiis insistentes, nostra omnino interesse duximus, ut clero pristinæ suæ formæ restituendo incumberemus. Quod ut conficeremus, efficacius nihil adhibendum censuimus regimine multorum synodali; quando vir unus, cui id muneris credatur, humanis ab affectibus immunis non est. Alioqui vero ea dignitas, quæ hæreditaria non est, negligentiis multis, aliisque vitiis obno-*

Imperatoris Decretum quo instituitur prædicta synodus.

xia est, quæ nimium funesta nobis acciderunt.

X. *Quæ quum ita sint, ad ecclesiæ nostræ commune bonum, his præsentibus literis nostris ecclesiasticum collegium, seu directorium collegiale instituimus, à quo finiantur ecclesiasticæ quæcumque causæ per Imperium nostrum emersuræ sint, secundum regulas quas mox subjiciemus, &c. Quapropter præcipimus subditis fidelibus nostris cujuscumque status & conditionis sint, sive ecclesiastici homines, sive clerici, ut pro legitimo & Christiano habeant Tribunal illud institutum à nobis; ad illud recurrant in negotiis ecclesiasticis, revereantur & exequantur ejus decreta, definitiones & judicia, mandatis illius obtemperent sub pœnis quæ nostris jussionibus, in tribunalibus aliis infliguntur. Hisce nostris statutis synodus addere alia poterit, pro variorum casuum, qui forte à nobis omissi erunt exigentia, ita tamen ut assensu nostro & approbatione muniantur.*

XI. *Volumus autem ut collegium istud, vel synodus præside uno, duobusque vicepræsidibus, quatuor consiliariis & quatuor assessoribus constet. Et quum statutis septimo & octavo præceperimus, ut præses, ubi deliquerit, jurisdictioni subsit collegarum suorum, nolumus ut in deliberationibus nonnisi vocem unam suam habeat, velut & alii omnes: & singuli, nemine excepto, manibus Evangeliorum Libro appositis jurabunt eo tenore qui sequitur, &c.* Atqui sanctiones istæ datæ sunt 11. & 23. Februarii, stylo veteri, hoc est novo, die 22. ejusdem mensis & 7. Martii ejusdem anni. Alias rursum subinde tulit leges Imperator anno 1722. quas cum prioribus eodem anno typis Slavonicis excudi curavit.

Schismati addictissimi sunt Moscovitæ.

XII. Russorum, adeoque Moschorum Ecclesiam ad Catholicam Romanæ sedis communionem revocare à nostris identidem tentatum est, sed vano cassoque conatu, propter arctiorem ejus necessitudinem cum Constantinop. sede, à qua Christianæ Fidei rudimenta priora accepit, quemadmodum dictum est in Kioviensi Ecclesia. Celebris est Antonii Possevini è Soc. Jesu ad Moschorum Principem à Gregorio Papa XIII. missi legatio, qui honorificè satis licet exceptus, nihil prorsus confecit. Cæterum quum ad hæc nostra tempora in more Moschi habuerint, ut quicumque è Latinis ad ipsos transirent, iterato baptismo tingerentur, à fide dignis testibus accipio, pravam hanc consuetudinem apud ipsos desiisse. De Moschorum Ecclesiæ fide nihil mihi modo dicendum suppetit, quando apud omnes constat nihil illam à Græca, sive Constantinopolitana discrepare.

Laterculus Archiepiscopatuum & Episcopatuum Moscoviæ.

XIII. Quum vero metropoles, archiepiscopatus & episcopatus Moscoviticæ diœcesis inter Orientales Ecclesias Notitias recenseam ex Notitia illustrissimi Chrysanthi Hierosolymorum Patriarchæ, è re quoque mea esse puto ut eorum Laterculum hoc loci exhibeam qualem ad me S. Petri Burgo peramanter misit, vir pereruditus, quem multiplici nomine cæteroqui colo, D. De Lisle, qui multis ab hinc annis illis in regionibus versatur. « Unus, inquit, hodie in omni Russia metropolita superest, Casanensis scilicet & Swiaskiensis, reliqui vero numero quindecim Archiepiscopi audiunt, nimirum :

« Archiepiscopus Kiowiensis & Galitchensis.
« Archiepiscopus Novogorodiensis & Veliki-Loukiensis.
« Archiepiscopus Astrakanensis & Terkiensis.
« Archiepiscopus Siberiensis & Tobolskensis.
« Archiepiscopus Rostoviensis & Yaroslaviensis.
« Archiepiscopus Smolensko & Dorogoboujensis.
« Archiepiscopus Sarskiensis, Podomskiensis & Krontitskiensis.
« Archiepiscopus Nigeni-Novogorodiensis & Alaturensis.
« Archiepiscopus Rezanensis & Mouromensis.
« Archiepiscopus Bielo-gorodiensis & Oboianskensis.
« Archiepiscopus Susdaliensis & Youriewiensis.
« Archiepiscopus Tchernigoviensis & Novorodiensis.
« Archiepiscopus Pskoviensis & Narvensis.
« Archiepiscopus Twerensis & Katchinensis.
« Archiepiscopus Vologdiensis & Bielozeroviensis.

« XIV. Ex tot illis archiepiscopis nulli nisi tres dumtaxat obnoxiis sibi episcopatibus gaudent: nimirum Kioviensi & Galitchensi subest Pereiaflaviensis. Archiepiscopo item Novogorodiensi & Veliki-Loukiensi, Ladogensis & Korelensis. Archiepiscopo demum Siberiensi & Tobolskensi Irkoutskensis.

« Supersunt episcopi quatuor, nempe
« Episcopus Kolomnensis & Kochirensis.
« Episcopus Wiatkensis & Velica-permiensis.
« Episcopus Kolmogorensis & Wagensis.
« Episcopus Oustiougensis & Totmensis.
« Fuit antehac Voronegiæ & Tambowiæ episcopatus, qui anno 1723. exstinctus est.

« XV. Addit vir doctus & accuratæ eruditionis, sedium illarum sic à se exarata nomina, pro vera usitataque eorum prolatione & orthographia. *Vous voyez dans cette liste la veritable prononciation & Orthographe du nom des Villes qui sont à present Sieges d'Evesques ou d'Archevesques; par où il vous sera aisé de reconnoistre & de rectifier ces noms qui sont*

qui ſont dans voſtre Memoire. Scilicet nomina illa in charta deſcripſeram eo prorſus modo quo excuſa exſtant in præſtantiſſimi Patriarchæ libro *de officiis Eccleſiæ.*

PATRIARCHÆ MOSCOVIÆ.

I. Job.

INſtitutum anno 1589. Hieremia Conſtan- A tinopolitano patriarcha Moſcoviæ Patriarchatum dixi, & ad eam dignitatem primum omnium evectum eſſe, *Jobum* Roſtovii tunc temporis archiepiſcopum, qui paulopoſt ejectus eſt, & in monaſterium quod antehac incoluerat, relegatus.

II. Ignatius.

In Jobi patriarchæ locum ſuffectus eſt *Ignatius* à Demetrio illo Griska Utropeja, qui ſe Joannis Baſilidis Imp. filium mentiebatur: quod quidem anno 1605. contigit. Verum interfecto demum Demetrio, Baſilius Zuski Imperii compos factus, Ignatium in monaſterium, quod *Miraculoſum* audit, S. Michaëlis Moſcuenſe amandavit. Moſchis autem Ignatium inviſum in primis fuiſſe aiunt, quia velut & Demetrius, ſeſe proclivem ſatis ſignificarat ad Romanæ Eccleſiæ communionem catholicam admittendam. Interim vero è Patriarcharum albo expunctus eſt, utpote in legitimi Patriarchæ locum à tyranno intruſus.

III. Hermogenes.

Secundus itaque Moſchorum eccleſiæ patriarcha cenſetur *Hermogenes,* δεύτερος Ἑρμογένης, ait illuſtriſſimus Hieroſolymorum Pontifex Chryſanthus, Ignatio prætermiſſo tanquam alienæ ſedis invaſore. Hermogenes vero Caſani prius metropolim tenuerat, quam in patriarcham promoveretur; quam alteram dignitatem iniit anno 1606. Ignatio brevi poſt intruſionem ſuam pulſo. Subinde autem à furente in Baſilium Imp. Moſcuenſi plebe, quum eam placare niteretur, in crypta incluſus fame necatus periit.

IV. Philaretus.

Tertius Chryſantho aliiſque, Moſcuæ patriarcha *Philaretus* fuit, τρίτος ὁ Φιλάρετος, cognomento *Nikititz,* ſeu Græce *Nicetæ filius.* Hic nobili ſtemmate inſignis Nicetæ Novogorodienſis provinciæ præfecti filius, Imperiique à Theodoro Imp. ſucceſſor deſignatus erat; ſed ab Hoduno ſubinde Tyranno monaſticæ vitæ mancipatus, Roſtovienſis, Jeroſlavienſiſque metropolita factus eſt, ac demum in patriarcham provectus. Ad hanc porro dignitatem à Michaële ſuo filio, qui Hoduno peremto, Moſchicæ gentis Imperator renuntiatus erat, annuente ſynodo aſſumptus fuit. Atqui ad iſtam dignitatem provectus, *Philareti* nomen ſumſit, quum *Fedor,* hoc eſt *Theodorus* antehac à baptiſmo nominaretur.

V. Joasaph I.

Philareto ſucceſſorem aſſignant *Joaſaphum,* τέταρτος Ἰωασάφ, *Quartus Joaſaph,* de quo nihil mihi dicendum ſuppetit, niſi quod anno Mundi 7142. Chriſti 1634. in patriarcham promotus ſit.

VI. Joseph.

Joaſaphum excepit *Joſeph,* πέμπτος Ἰωσήφ, *Quintus Joſeph,* quo Moſcovienſem eccleſiam gerente, anno M. 7153. Chriſti 1645. Alexii Imp. III. Michaëlis filii die 16. B Julii, ſtatuta Moſcovitica condita ſunt, quæ Latinè proſtant ad calcem *Itineris Auguſtini Liberi Baronis in Moſcoviam.* Huic, ut auctor nobis eſt Georgius Thelavius in Annotationibus ad Chriſtophori Angeli librum *de ſtatu & ritu eccleſiæ Græcæ,* p. 167. anno 1644. reſpondebat Daniæ princeps Woldimarius Chriſtianus. Ac certe literis Moſcua acceptis edoceor *Joſephum* patriarcham fuiſſe renuntiatum anno Mundi 7150. Chriſti 1642.

VII. Nicon.

Joſepho ſuffectus eſt *Nicon,* ἕκτος Νίκων, C *Sextus Nicon,* qui Oleario Moſcuæ agente quadrageſimum quintum ætatis annum agebat, ipſo quinto ſui patriarchatus anno. Poſt vero Alexii Imp. odium ſubiit, à quo circa annum 1662. exul amandatus eſt, metropolita Sarskienſi interim pontificalia munia Moſcuæ gerente. Sed & ſubinde patriarchali ſolio ejectus fuit, adhibito ſynodi decreto, cui condendo epiſcopus Caſanski vel Caſani aderat, inque cœnobium quod *Hieruſalem* dicitur ſeceſſit abſque dignitatis recuperandæ ſpe, generoſo ſemper erectus animo. *De cau-* D *ſa ejus diverſi diverſa loquuntur,* inquit Auguſtinus, *veriſimilius adſcribam indulgentiæ, qua genio ſuo novarum rerum cupido obſecundabat; unde Moſcoviam bello Polonico ab inſtigatione ſua implicitam, Suecico inſuper, præcipiti conſilio involverit. Et apertis Moſcuæ Latinæ & Græcæ linguæ gymnaſiis, ſemotiſque templorum parietibus altari obverſis, quæ dependebant particularium hominum imaginibus, ne ab adorantibus, cernuo de more corpore, indecore illud poſthaberetur, acriterque utroque ſexu increpito ob* E *ſuſceptas Turcico more purificationis ergo balneas, ſuſpicioſis Moſcovitarum animis & priſcæ conſuetudinis tenacibus, haud obſcuro conceptu in religionis dogmatibus innovationis indicia cumulaverit. Propter quæ omnibus exoſus, & in exilium ab omnibus expetitus, patronatum*

nullum invenit in favore Alexii, cujus animum A *sensim abalienaverant jactis in longum odiis uxor & socer illi ob privatas causas infensi.* Hucusque Augustinus. Paulopost tamen Patriarcha ab Imper. revocatus fuit, sed brevi subinde in iram iterum incurrit Alexii, unde meruit summo illo ecclesiæ suæ gradu quem obtinebat in totum ejici. Causam vero cur demum Alexius Imp. Niconem patriarchali sede amoveri decreverit superius jam aperui, quod nempe indigne magis quam par esset tulerit, monacho cuidam aditum denegatum à Majore domus Regiæ, dum ille Poloniæ orato- B rem convivio excipiebat. Repulsa monachi Alexio succensens Nicon in monasterium quoddam se recepit, unde nullis ejus etiam urgentissimis suasionibus ad ecclesiam suam reverti voluit. Quocirca Dionysium patriarcham Constantinopolitanum invitavit ut in Moscoviam vellet iter arripere; sed ausus ille non est ejusmodi profectionem suscipere, ne Turcicæ aulæ ministris suspectus fieret. Alexandrinus vero Patriarcha Païsius, & Macarius Antiochenus, cum Antonio montis Sinai archiepiscopo, qui Hierosolymorum quoque C Patriarchæ vices gerebat, Moscuam clam adierunt, & coacta synodo cuncta pro votis Imperatoris confecerunt, exauctorato Nicone. Id quod contigit anno 1667. Cæterum in ea synodo Moscovitici cleri reformationem aggressi sunt, multosque abusus correxerunt, qui pro summa gentis illius rerum divinarum humanarumque inscitia (barbariem pene dixero) in eam ecclesiam irrepserant. Adam Olearius multa passim in itinerario recitat, quæ à Nicone castigata fuere, & ad veterem normam redacta, in quibus narrat ab eo in- D strumenta musica fuisse ab ecclesiis eliminata.

VIII. JOASAPH II.

Patriarchæ prædicti cum sua synodo, destituto Nicone, ejus in locum Sarkiensem metropolitam *Joasaph* nomine in patriarcham Moscuensem promoverunt, qui illustrissimo Chrysantho septimus patriarcha censetur, ἕβδομος Ἰωάσαφ, septimus *Joasaph*, de quo nihil præterea mihi dicendum suppetit.

IX. PITYROUN.

Octavus in illo indice Moscuæ patriarcha *Pityroun* dicitur, ὄγδοος Πιτυροῦμ, de quo E nihil aliàs.

X. JOACIM.

Nihil quoque mihi occurrit de Pityronis successore cui nomen *Joacim* erat, ἔννατος Ἰωακεὶμ, *nonus Joacim.*

XI. HADRIANUS.

Decimus demum & ultimus Moscuæ Patriarcha in catalogo legitur *Hadrianus,* δέκατος Ἀδριανός. Sedebat iste anno saltem 1696. Christi, M. pro Græcorum computo 7205.

isque Casanensem prius ecclesiam metropolitanam rexerat. Quæ quidem feruntur in Manuali *precum sacerdotalium* Moscuæ patrio idiomate illorum edito anno illo Mundi 7205. Cujus hoc initium est: *In honorem sanctæ consubstantialis vivificæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii & Spiritus sancti, de mandato magni Domini nostri Czaris, & magni Ducis Petri Alexii filii, totius magnæ & parvæ & albæ Russiæ Imperatoris, permissu & benedictione illius Patris spiritualis & devoti magni Domini, coram Deo sancti D. Hadriani archiepiscopi Moscuæ & totius Russiæ, & tractus Borealis Patriarchæ, sub Serenissimo magno Domino & Magno Duce Petri filio, editus est hic liber* Trebnick (necessarius & usualis) *in Czarea magna urbe Moscua, anno ab orbe condito 7205. à Nativitate secundum carnem Dei Verbi 1696. Ind. 5. mense Septembri.* Hæc mihi suppeditat vir doctissimus Petrus le Brun, Oratorii Domini Jesu presbyter Tom. II. Liturgici sui operis pag. 670. Sed & eruditissimus sodalis noster Bernardus Ribera Barcinonensis, qui Moscuæ diu cum excellentissimo Domino Duce de Liria Catholici Hispaniarum regis Oratore Missionarius Apostolicus hæsit, in suo adversus Joannem Franciscum Buddeum, Lutheranum volumine testis mihi est, Hadrianum illo anno 1696. typis excudi iterum curasse, Petri Mogilæ Kioviensis metropolitæ librum qui *Orientalis ecclesiæ confessio* inscribitur, & anno 1703. fato functum esse. Imprimis omni studio curabat, ne Lutherani aliique hæretici qui humanas artes Russos docendi causa in Moscoviam invitati fuerant, eorum quoque animis errorum suorum virus infunderent. Cæterum Hadrianus multiplici nomine Petro Czari sive Imperatori invisus factus, neminem post obitum successorem patriarcham habuit. Statim namque ac ille concessit fatis, Imperator Patriarchæ nomen dignitatemque abrogavit, instituto illo episcoporum aliorumve ordinis ecclesiastici virorum collegio, quod *synodum* appellavit, cuique præsidem præfecit *Stephanum Javorski* metropolitam Rezanensem & Muromensem, qui Diœcesis Moscoviticæ Exarchus esset & Moscuensis ecclesiæ administrator. Hoc autem munus Stephanus gessit ad annum 1723. quo ipse quoque concessit fatis. Verum subinde nullus alter ejus in locum suffectus fuit. Quocirca hodie synodo illi sive collegio ecclesiastico præsunt Vice-Præsides duo, nimirum Theophanes Procopowiz ad Novogorodiensem Archiepiscopatum translatus, post exilium Theodosii ejusdem sedis archiepiscopi; & Georgius Daskou Rostoviensis archiepiscopus.

I. ECCLESIA NOVOGORODIÆ ET VELICOLUCI.

PRovinciæ Russiæ episcopatus à Kiovienſi metropolita institutus primus fuit in urbe magna Novogorodiæ, ac quidem circa decurrentis ad finem ſæculi decimi tertii tempora, vel etiam decimi quarti initia; quin & ſubinde ab eodem Kiovienſi metropolita, præſul illius Archiepiſcopi titulo honeſtatus fuit. Poſthac autem à Hieremia II. Conſtantinopolitano Patriarcha, poſt deſignatum Moſcuenſem patriarcham, primùm metropoliticis juribus & titulo auctus eſt. Unde ſecundum locum obtinuit inter Ruſſicæ Diœceſis antiſtites poſt Kiovienſem, & tertium à Patriarcha; diciturque *Magnæ Novogorodiæ, Lucorumque, quin & aliarum provinciarum metropolita*, ὁ τῆς μεγάλης Νοβογοροδίας καὶ Λούκων, ἤτοι καὶ ἑτέρων ἐπαρχιῶν μητροπολίτης. Tandem vero, ac non ita pridem à Petro Imperatore nupero Archiepiſcopus iterum eſt appellatus, cui tamquam metropolitæ ſuffraganeus ſubeſt Ladogæ & Korelæ epiſcopus. Atqui *Novogorodia Magna*, quæ à Latinis ſcriptoribus nonnullis *Novogardia* dicitur, præſtantiſſimi Ducatus ſui nominis eſt caput, emporiumque celeberrimum.

Prope lacum Ilmen poſita eſt, eamque fluvius Volga præterfluit; Moſcua urbe verſus æſtivum ſolis occaſum plus centum milliaribus diſtat. Aliquando Moſcoviæ primaria civitas fuiſſe fertur, cujus peculiaris, amplaque ditio in quinque partes diſtributa erat. « Earum quælibet, ait Sigiſmundus Liber Baro in Herberſtein & alii ſimul, non ſolum de publicis ac privatis rebus cognoſcendis, ad ordinarium ac competentem ſuæ partis magiſtratum referebat, verum in ſua dumtaxat civitatis regione contrahere res quaſcumque, ac commode cum aliis civibus ſuis conficere poterat: nec licebat cuiquam, ad aliquem alium ejuſdem civitatis magiſtratum, quacumque in re provocare. » Eſt & alia Novogorodia minor dicta Moſcuæ ad ortum ſolis Tartariam verſus exſtructa, de qua ſuus quoque ſuo loco ſermo erit.

Jam vero cum Novogorodiæ magnæ archiepiſcopus Velicolucenſis quoque nuncupetur, paucis de illa civitate dicendum exiſtimavi. Fuit itaque *Velicolucus*, ſeu *Veliki-Louki* epiſcopalis Lituaniæ civitas, cujus eccleſia in eamdem cum Polocenſi primum coaluit, ex quo Velicolucus à Sigiſmundo Poloniæ rege deleta eſt; tum poſtea epiſcopatus ejus Novogorodiam tranſlatus & cum Novogorodienſi adunatus fertur. Civitatis illius ſitum ita deſcribit Paulus Oderbornius lib. 3. vitæ Joannis Baſilidis magni Moſchorum Ducis pag. 302. *Velicolucum autem loci natura in edito, planiſſimis circum campis, partim intra fluminis Lovatii, partim intra lacuum complexus ſitum: nec tantummodo conſuetis antehac Moſchis parietum denſiſſimorum contignationibus firmum, ſed aggere etiam denſiſſimo ac latiſſimo & ceſpite extrinſecus obductum, foſſaque majore, qua flumen aut lacus non ambiunt, firmiſſimum erat.* Diſtat, Herberſtenio teſte, à Moſchua centum quadraginta milliaribus in occidentem, à Novogorodia magna ſexaginta fere, à Poloczko autem triginta ſex.

EPISCOPI NOVOGORODIÆ ET VELICOLUCI.

I. BARLAAM.

II. PHILOTHEUS.

MOſchi Ruſſique die 6. Novembris, uti ſanctum colunt *Barlaamum* Novogorodienſem archiepiſcopum; quin & die 15. Septembris memoriam celebrant *Philothei archiepiſcopi Niſigradæ*, quem Papebrochius Kiovienſium metropolitarum unum fuiſſe opinatur, cujus corpus in loco *Niſigrada* dicto quieſcat. *Non audeo*, inquit iterum, *Novogradum ſuggerere, urbem in Ducis Moſcorum ditione, opulentam, amplam, & epiſcopalem.* B Viri tamen doctiſſimi pace dixerim, Novogradum Moſcoviæ archiepiſcopatum jam olim fuiſſe; huic itaque ſedi Philotheum aſſignavero. Quando autem nobis ex Niceta Choniate conſtat, ad ejus uſque tempora, ſæculum ſcilicet decimum tertium, nullum extitiſſe in omni Ruſſia epiſcopum, præter Kiovienſem, Barlaamum & Philotheum recentiori ævo vixiſſe manifeſtum fit.

III. NIPHON.

Sigiſmundus liber Baro in Herberſtein in ſuis *Rerum Moſcoviticarum* commentariis, quæſtiones Latinè edidit Cyrilli cujuſdam ad epiſcopum *Niphonem* Novogorodienſem, cum ejuſdem *Niphonis reſponſionibus.* Quo autem tempore claruerit Niphon, nequaquam indicat; longe tamen antiquior apparet Herberſtenii in Moſcoviam delegatione.

IV. THEOPHILUS. V. ***

Sedes vacat.

VI. CYPRIANUS. VII. ***

Frequens eſt apud rerum Moſcoviæ ſcriptores mentio *Theophili* Novogorodienſis

ECCLESIA NOVOGORODIÆ ET VELICOLUCI.

archiepiſcopi, qui urbis ſuæ ditionem omnem gubernans, tributum Poloniæ Regi Caſimiro, Lituaniæ tunc temporis Magno Duci perſolvebat. Quocirca Baſilius Moſcorum Dux Novogorodienſem principatum gravi infeſtiſſimoque bello per ſeptem perpetuos annos vexavit, ipſamque civitatem ad deditionem compulit, victis ad fluvium Slobodam Novogorodienſibus. Paulus Oderbornius in Joannis Baſilidis vitæ initio, id à Baſilio patratum perhibet, quod alii Joanni illi ejuſdem Baſilii filio aſſignant. *Igitur*, inquit, *Baſilius cum Theophilo urbis* (Novogorodiæ) *præſule bellum gerens exercitum ejus delevit,* » *omnemque eam ditionem ſui juris fecit.* Quo- » circa iterum refert, Novogorodienſes Theo- » phili concionibus excitatos armis patriam ad- » verſus Baſilium defendiſſe (non proinde archiepiſcopi auxilio à Baſilio expugnatos cen- » ſuit.) In poſtremo itaque prælio proſtratis ci- » vibus, nobiliſſimiſque ducibus aliquot inter- » fectis, ipſo Theophilo, qui impigre ſuorum » perturbatam aciem reparare contenderat, » multis telorum ictibus pene oppreſſo, Moſ- » chos intra mænia hoſtium conſtitiſſe ſubdit.

Herberſtenius, quum ea quæ de Theophilo narravimus, à Joanne Baſilide Baſilii filio patrata ferat; civitate ab eo capta, archiepiſcopum, ditioreſque & potentiores quoſque ab ipſo in Moſcoviam abductos narrat, inque eorum poſſeſſiones ſubditos ſuos, quaſi novas colonias remiſiſſe, de Archiepiſcopatus proventibus *cuidam epiſcopo*, à ſe conſtituto parvam dumtaxat redditum portionem conceſſiſſe; quo mortuo epiſcopalis ſedes diu vacavit; tum ad civium petitionem, ne perpetuò epiſcopo carerent, quemdam rurſum inſtituiſſe, eo ipſo tempore, quo ipſe Sigiſmundus in Moſcovia agebat; *nobis tum præſentibus.*

V. *** *ſedes vacat.*

CYPRIANUS.

Qui autem Theophilo ſuffectus ab Herberſtenio dicitur, hic forſitan *Cyprianus* erat *Velicoluci,* adeoque Novogorodiæ *archipræſul,* qui Polotka urbe à Stephano Poloniæ rege expugnata captus cum magnatibus Moſcoviticis compluribus fuit, Paulo Oderbornio teſte, in vita ejuſdem Joannis Baſilidis lib. 3. pag. 298. *Capti autem hic fuere,* inquit, *Cyprianus archipræſul Velicolucenſis Græci ritus, cum magno ſacratorum & flaminum numero, Palatini item Baſilius Juanovicius, &c. quia ſponte ſe dedere noluiſſent.* Rem fuſius narrat Reinaldus Heidenſtenius lib. 2. *de bello Moſcovitico,* » p. 350. Epiſcopus, inquit, quem Vladicam » illi vocant, Cyprianus, & Palatini, qui in arce » erant, ſoli deditionem diſſuaſerant; mortem- » que ſubire præſtare, quam vivi in poteſtatem » hoſtium ſe traderent, contendebant. Jamque » ante pulveri tormentario ignem ſubjicere,

A communique incendio arcem, ſeque, & omnes qui in arce eſſent, abſumere conati, à militibus prohibiti fuerant: & tum ſententia eorum communi reliquorum omnium metu repudiata, illi tamen in D. Sophiæ ſe contulerant, non prius quam vi inde abſtraherentur, deceſſuri. Rex retentis apud ſe legatis, mittit qui epiſcopum & Palatinos ad ſe adducerent. Adducti in faciem procidentes more ſuo Regem ſalutant. « Atqui Novogorodienſem archiepiſcopum, Lucorum quoque præſulem appellari ſuperius vidimus, atque Velicolu- B cum in epiſcopatum unum cum Novogorodienſi coaleſcere conſtat, velut etiam apud Adamum Olearium legimus. Jam ſupra citatus Paulus Oderbornius l. 2. refert Joannem Baſilidem Moſcovienſibus iratum, quod liberius contra ipſius crudelitatem & tyrannidem locuti eſſent, ex quo præſertim Demetrium Occininum virum nobilem & Principi dignitate proximum idcircò interfici juſſerat, *quod poculum de manu Principis acceptum uno hauſtu non ebibiſſet, & Principis majeſtatem contemnere eſſet viſus;* Joannem, inquam, Baſili- C dem Imperii abdicationem ſimulaſſe, unàque cum primariis aliquot viris Slobodam profectum eſſe; unde eos veſtibus exutos nudoſque in Moſcuam civitatem remiſiſſe cum literis quibus ſignificabat ſe deinceps non reverſurum ad eos. Conſternati ad eum nuncium populi decreverunt in concilio placandum eſſe Principem. Miſerunt itaque ad eum *Archipræſulem Novogorodienſem*, epiſcopum Suſdalienſem, abbatem Trojecenſem, Cneſum Juanum Bielſium & annuli regii cuſtodem & alios, qui vix tandem & magnis ſup- D plicationibus effecerunt, ut Princeps ad regni clavum reverteretur.

Nec omittere licet quod Alexander Guagninus in *Novogorodienſem Archiepiſcopum,* cujus nomen ſiletur, à Joanne Baſilide patratum refert in deſcriptione Moſcoviæ pag. 191. Archiepiſcopus ſcilicet ille, quum domi « ſuæ tyrannum convivio exciperet, prandio « peracto, juſſus eſt omnibus ornamentis, veſti- « buſque archiepiſcopalibus denudari, ceu ei « minimè conveniret archiepiſcopum eſſe, ſed « potiùs tibicinem & utricularium, urſorum- « E que ad choreas peritorum ductorem. Ideo, « inquiebat tyrannus, melius tibi eſt uxorem du- « cere, quam ego tibi delegi. Cæteris autem « abbatibus & monaſteriorum prioribus, qui « prandio intererant, dixit: vos omnes ad nup- « tias archiepiſcopi veſtri celebrandas invito; « ſed ut etiam ad hujus convivii neceſſaria com- « paranda ſinguli ſymbola detis oportet. Omnes « igitur abbates, prioreſque imperatam præ- « ſcriptamque ſummam pecuniæ Magno Duci « numerare coacti ſunt. Quum igitur hæc «

VII. ***

symbola exegisset, minisque & tormentis extorsisset, equam albam prægnantem adduci jussit, eamque archiepiscopo digito indicans dixit: En uxorem habes tuam, ascende super illam & Moscoviam proficiscere, ibique te in numerum, sive contubernium tibicinarum & citharœdorum, qui ursos & saltatrices ducunt inscribere da. Ille miser invitus super equam prægnantem villoso panno vestitus ascendere compulsus est, jamque desuper sedenti jussu principis pedes sub ventrem equæ alligati sunt: deinde ipse Magnus Dux instrumenta musices, videlicet lyram, fistulam, tibiam & citharam illi archiepiscopo jam sic equæ insidenti porrexit, dicens: En habes artificii tui instrumenta; plus enim tibi citharistæ, quam archiepiscopatus officium arridet. Jam igitur hæc instrumenta musices exerce, & ad contubernium citharistarum in Moscoviam proficiscere: qui per totam civitatem in equa pedibus subtus alligatis sedens, utricularios inflare, stridentibusque & discrepantibus fistulis (nunquam licet in hoc genere musices exercitatus) miserum perstrepere carmen compulsus est. Hoc igitur modo prædictus antistes Novogorodensis archiepiscopatus dignitate spoliatus, exutus, omnibusque bonis privatus, & nefanda ignominia turpiter affectus extitit. Quæ quidem illi circa annum 1570. accidisse autor innuit. Cæterum hæc strictim à Paulo Oderbornio in vita ejusdem Joannis Basilidis recitantur.

VIII. Alexander.

Hieremias II. Constantinopolitanus, à monachis Moscovitis circumventus, ut Moscuæ archiepiscopum supremum & Patriarcham crearet, Jobo Rostoviensi ad eam dignitatem promoto, una quoque *Alexandrum* Novogorodiæ metropolitam designavit; cujus quidem rei mihi autor est doctissimus sodalis noster Bernardus Ribera in responso contra calumnias Francisci Buddei in Catholicos & Græcos pag. 22.

IX. ***

Antonius Possevinus pag. 32. libri de *rebus Moscoviticis* narrat Basilium ad quem à Gregorio Papa XIII. delegatus fuerat, Smolecensi episcopo & *Novogorodiensi Archiepiscopo* in mandatis dedisse, ut eum cum sociis lautissimè exciperent.

X. Theodosius.

ECCLESIA NOVOGORODIÆ ET VELICOLUCI.

Anno 1718. Petrus I. Moschorum Imperator synodum instituit penès quam tota foret ecclesiastica potestas, quæ scilicet Patriarchæ loco negotia ecclesiastica administraret. In ea Præsidentis vices obibat Stephanus Javorski Exarchus & Rezanensis, Muromensisque metropolita, qui dignitatem illam solus obtinuit; duo Vice-præsidentes pariter instituti sunt; quorum primus fuit *Theodosius* Novogorodiensis, Velicolucensisque archiepiscopus, atque archimandrita monasterii S. Alexandri *Neuski.* Hic anno 1724. die 18. Maii coronæ benedixerat, qua Czarina subinde redimenda erat. Verum anno insequenti die 22. Maii episcopatu spoliatus est, & in monasterium Cerussæ prope Archangeli civitatem relegatus fuit, utpote multorum scelerum convictus; imprimis quod Imperatoris edictis quibus cleri vitia, abususque comprimebantur, repugnasset, vasaque sacra & imagines argenteas liquasset, inque suos usus convertisset, præcipuè S. Nicolai iconem, quam Moschi jam olim venerabundi osculabantur; quod denique pro ejusdem Imperatoris Petri defuncti anima preces fundere recusasset. Hæc accepimus ex publicis Parisiensibus nuntiis, vulgò *Gazettes* ad dies prædictos.

XI. Theophanes.

Sedet hodie *Theophanes Procopowiz* Novogorodiensis Archiepiscopus, qui Theodosio successit tum in archiepiscopatu, tum in collegii ecclesiastici, sive synodi, quam Petrus Imperator Moscoviticæ ecclesiæ administrandæ causâ instituit, Vicepræsidis primarii munere. Hic priùs Plescoviensis archiepiscopus erat, & ejusdem collegii, sive synodi Vicepræses alter. Revaliæ anno 1726. typis prodiit Theophanis archiepiscopi nunc Novogorodiensis, de laudibus emortui Magni Petri I. Imperatoris, quam dum Plescoviensis adhuc archiepiscopus esset, in templo SS. Trinitatis in festo SS. Apostolorum Petri & Pauli pronuntiavit, & Serenissimis Holsatiæ Principibus Carolo Frederico & Annæ conjugibus dicavit. In eâ Buddei Lutherani vocem, qui Ruthenam cum Romana Ecclesia *irreconciliabilem* dixerat, emendare non dubitavit, Ribera nostro teste in Anti-Apologia adversus eumdem Buddeum pag. 16.

II. ECCLESIA ROSTOVII ET JEROSLAWIÆ.

ROSTOVIUM, vel *Rostovia,* vulgo *Rostow* civitas, Russiæ Principatûs & Ducatûs caput post Novogorodiam fuit, ubi castrum munitissimum. Moscua distat 34. milliaribus, in solo fertili exstructa ad lacum ex quo Cotorea fluvius emergit & Jerosslaviam urbem præterlapsus, in Volgam influit. Ibi sedes episcopalis à Kioviensi metropolita instituta est,

ECCLESIA ROSTOVII ET IEROSLAWIÆ.

cujus præsul Archiepiscopi titulo perinde atque Novogorodiensis honestatus fuit. Huic ecclesia Jeroslaviensis quoque conjuncta est, quæ urbs ampla prorsus est cum castro ad Volgam amnem sita, à qua Moscuam usque 46. mill. passuum numerantur, Rostovium vero 12. millia dumtaxat.

EPISCOPI ROSTOVII.

I. ISAIAS.

II. LEONTIUS.

Russi episcopos Rostovii duos uti sanctos habent, quorum unus *Isaias* nomine ab eis colitur die 15. Maii, alter *Leontius* dictus, die 23. ejusdem mensis. Qui post sæculum decimum tertium sedisse censendi sunt.

III. TYCHON.

Anno 1498. inaugurationi Demetrii nepotis Joannis Basilidis I. in magnum Russiæ Ducem aderat *Tychon* archiepiscopus Rostoviensis & Jeroslaviensis, Herberstenio Barone teste.

IV. * * *

Antonius Possevinus è Societate Jesu, à Gregorio Papa XIII. ad Moschorum Imp. delegatus, quum Moscuæ in Palatio, Metropolitæ gentis aliisque sex episcopis qui evocati erant, nonnulla de religione scripta protulisset, omnia *ab Archiepiscopo Rostoviensi*, reliquis mutescentibus approbata narrat; eum vero mox exilio multatum dignitatem & vitam amisisse, uti rumor ferebat.

V. JOB.

Illi utique suffectus est *Jobus*, qui anno 1589. ex Archiepiscopo Rostoviensi in Moscuensem Patriarcham promotus fuit.

A

VI. THEODORUS.

Tertius Moscuæ Patriarcha Philaretus Nicetas, Rostoviensis primum metropolita fuerat, cui tunc temporis *Theodoro* nomen erat, regio genere ortus, nimirum Joannis Basilidis II. ex filia nepos, & Michaëlis Czaris parens.

VII. NICON. VIII. BARLAAM.

B

Ex Adamo Oleario in Itinerario Moscovitico, *Nicon* Moscuæ patriarcha Rostovii & Jeroslaviæ antehac metropolita fuerat; cui proxime, ut videtur, suffectus fuit *Barlaam*, quem repentina morte periisse ait coram capsa reliquiarum Philippi, qui Russiæ quondam metropolita fuit, dum in Regiam illam urbem adveheretur.

IX. GEORGIUS.

Sedet hodie Rostoviensis archiepiscopus *Georgius Daskow*, qui antehac præfectus fuit Gazophylacii monasterii SS. Trinitatis, deinde archimandrita monasterii cujusdam Astracanensis, rursumque archimandrita Troïzensis monasterii: sed & hodie secundus Vicepræses est collegii, sive synodi rerum ecclesiasticarum.

III. ECCLESIA WOLODOMIRIÆ ET BRESTIÆ.

Russorum gentem decimo sæculo ad finem vergente Christi cultum Wolodimero ipsorum Principe, admisisse dictum est. Hic vero urbis conditor fuit, quam de suo nomine *Wolodomiriam* nuncupavit, priùsque adeo quam sacris Baptismi undis initiaretur; nam deinceps Basilii nomen gessit. Illam, inquam, urbem inter duos fluvios Wolgam & Occam exstruxit, ad Chelmam flumen alterum, in feracissimo solo, at densis amplisque nemoribus & silvis proximo; quæ 36. milliaribus Polonicis ad solis ortum Moscua distat. A tempore igitur conditoris sui Volodomiria totius Russiæ metropolis fuit, ad Joannem usque Danielis filium Magnum Moscoviæ Ducem, qui Moscuam regni sui caput esse voluit; Petro metropolita scilicet id ei suggerente, qui relicta Kiovia, Wolodomiriæ agebat & sedebat. Kiovienfibus itaque præsulibus, tum propter Tartaros, tum Polonorum causa Volodomiriæ moras trahere coactis, urbis hujus antistes, *Archiepiscopi* titulo sed & *Protothroni*, Πρωτοθρόνου ornari cœpit. Cæterum hac in urbe nullus amplius episcopus sedet, neque inter episcopatus aut archiepiscopatus Russiæ censetur.

EPISCOPI WOLODOMIRIÆ.

I. HYPATIUS.

Wolodomiriæ episcopus fuit *Hypatius Pocieii*, quem diximus, non solum Michaëli Rahosæ metropolitæ suo de ineunda cum Romana sede unione adstipulatum esse, verum etiam cum Cyrillo Luceoriensi Romam Oratorem delegatum, ut eam profiteretur;

C

ECCLESIA WOLODOMIRIÆ ET BRESTIÆ.

cui quidem confessioni, synodique Russicæ decretis ultro subscriptus legitur: *Hypatius Dei gratia Protothronus episcopus Wlodomiriensis Brestensisque, manu propria.* Atqui *Brestium*, vel *Brestia*, cujus Ecclesia Wolodomiriensi conjuncta jam pridem est, Herberstenio urbs magna dicitur, & sedes olim Episcopalis. Sita est in Palatinatu, sive præfectura Brestiensi, cujus caput est, in Cujavia Lithuaniæ provincia, ad Bugum fluvium, ubi recipit Muchavecium, quatuor milliaribus à Vistula distans, situ inter paludes & egregiis operibus validissima; cum castro; inquit Herberstenius. Cæterum Hypatius ad Kioviensem subinde sedem evectus fuit.

II. Elias.

Ex Leone Allatio lib. 3. de Consens. c. 8. n. 8. *Elias Morocovius* Leopolitanus Wolodomiriæ episcopus factus est, ut Græcis vel Russis præesset, qui Romanam communionem colerent.

IV. ECCLESIA TWERIÆ ET KACHINÆ.

TWERENSIS episcopus ab Herberstenio Barone primus censetur eorum qui Russiæ metropolitæ, sive Kioviensi suberant; hodie vero archiepiscopus est, ad quem etiam spectat *Kachinensis* ecclesia. Tweria vero, quæ & *Otwer* amplissimæ Ditionis & Ducatus ejusdem nominis caput, ad Wolgam fluvium posita, cujus castri opposito Twertza amnis alter in eumdem influit, Moscuaque distat 36. mill. pass. Germanicis.

EPISCOPI TWERIÆ.

I. Wasianus.

ANno 1498. inaugurationi Demetrii magni Ducis Joannis Basilidis nepotis aderat cum episcopis aliis, *Wasianus episcopus Twerensis.* Herberstenio teste.

II. Theophylactus.

Sedet hodie *Theophylactus Potanski* vel *Lopadinski* Twerensis archiepiscopus discipulus olim Stephani Javorskii Rezanensis archiepiscopi, quem Moscoviticæ diœcesis Exarchum Petrus I. Imperator instituit; tum deinde trium Moscuæ monasteriorum alternatim archimandrita, sacræ synodi Ruthenicæ membrum; qui prædicti Stephani Rezanensis archiepiscopi librum, qui *Petra Fidei* inscribitur approbavit. Anno 1725. die 5. Decembris quo Moschi S. Catharinæ solemnitatem celebrant, sermonem ad populum in Burgo S. Petri habuit coram Czarina Imperatrice.

V. ECCLESIA REZANI ET MUROMEÆ.

REZANUM sive *Razan*, inter Occam & Tanaim fluvios jacet, & ad Occæ ripam orientalem in feracissimo solo, Moscua distans 36. mill. Germanicis. Archiepiscopi hodie sedes est, antehac episcopi. Huic Muromensis ecclesia adjecta est; quæ civitas ad Chelmam fluvium in Wolodomiriensi ditione posita est.

EPISCOPI REZANI.

I. Jonas.

POst Photii Kioviensis metropolitæ obitum Ruthenica synodus *Jonam* sive *Joannem* Rezani archiepiscopum elegit qui illi succederet, de quo proinde in Kioviæ metropolitis dictum est, ex Dositheo Hierosolymitano.

II. Protasius.

Inaugurationi Demetrii magni Ducis Moschorum, nepotis Joannis Basilidis anno 1498. aderat cum Simeone metropolita *Protasius* Rezani & Muromski, Herberstenio Barone teste.

III. Stephanus.

Nuper Rezani archiepiscopus sedebat *Stephanus Javorski,* vir apprime doctus, qui suppressa Patriarchalis Moscuensis dignitate, ab Imperatore Petro I. cujus benevolentiam capessiverat, cuique ab intimis consiliis erat, Russicæ diœcesis Exarchus, & collegii ecclesiastici, alias synodi rerum ecclesiasticarum præses renuntiari meruit; Slavonico patriove idiomate librum scripsit accuratissimum, quem inscripsit, *Petra Fidei,* adversus nescio quem Franciscum Buddeum Lutheranum Germanum, quo catholicam Moscoviticæ ecclesiæ fidem tuitus est, & à *calumniis blasphemiisque* vindicavit, quibus à Ministello illo, aliisque ejusdem generis adspersa erat. Huic Petrus Imp. morti proximus Testamenti sui tabulas crediderat. Obiit vero anno 1723. sub finem Januarii.

VI. ECCLESIA SMOLENKI ET DOROGOBOUJIÆ.

SMOLENCUM vel *Smolensko,* nobilis civitas est, Principatus & Ducatus ejusdem nominis caput, ad Borysthenis fluvii ripam, & Lituaniæ Russicæ fines, cum arce ad ulteriorem fluminis ripam, octoginta duobus milliaribus Moscua distans; ubi sedes pridem episcopi fuit, archiepiscopi vero hodie, cum Dorogoboujiensi conjuncta. Quandiu Poloniæ reges ea potiti sunt, antistites Romanæ communionis studiosos habuit; ex quo autem in potestatem Moschorum venit, exacto catholico Alexius magnus Dux Russici sui schismatis præsulem in ea constituit. Quæ *Dorogoboujia* civitas dicitur, ipsa est quæ *Drogobusch* Herberstenio, & Alexandro Guagnino Veronensi in *Moscoviæ descriptione,* Moscua 72. milliaribus distans, & Smolensko 18. ad Borysthenem quoque posita.

EPISCOPI SMOLENKI.

I. * * *

ANno 1582. Antonius Possevinus à Gre- A gorio Papa XIII. ad Moscorum magnum Ducem delegatus, ubi Moscoviticæ ditionis fines attigit, ab episcopo, ut ipse narrat, Smolecensi, lautissime, uti Princeps jusserat, exceptus fuit. Hoc narrat lib. *De reb. Moscov.* p. 32.

II. LAURENTIUS.

Smolenko urbe à Sigismundo III. Poloniæ rege denuo recepta, ab Urbano Papa VIII. sub ejus filio Latinæ communionis, sed Græci vel Ruthenici ritus episcopus est assignatus; qui alius mihi non videtur fuisse præter *Laurentium Creusam,* quem Leo Allatius, qui eodem Urbano Pontifice scribebat, lib. 3. De Consens. cap. 7. n. 7. inter alumnos collegii Græcorum Romani educatum eruditumque fuisse ait, & in Russia atque Moscovia pro Fide catholica magnis laboribus toleratis, Smolecensem posthac archiepiscopatum eximia prudentia atque industria gessisse.

III. ANDREAS.

Laurentio utique suffectus fuit *Andreas Slotus* Ruthenus, qui ex Ordinis S. Basilii monacho Smolenci nuper episcopus designatus erat, anno 1648. Allat. loco citato.

VII. ECCLESIA PERMIÆ.

PERMIA Sigismundo Baroni Herberstenio, Guagnino & aliis magna amplaque Russiæ provincia, civitatem habet ejusdem nominis ducentis quinquaginta milliaribus Moscua versus ortum & Septentrionem distantem ad Vescoram fluvium, qui decem milliaribus emensis in Camam amnem alterum illabitur. Permii autem Paulo Jovio teste, non ita pridem ab ejus ætate Christo nomen dederant, quumque proprium idioma habeant, literis quoque utuntur diversis à Ruthenicis, quas à Stephano ipsorum episcopo ad linguam suam accommodatas acceperunt, quum ab eo ad Fidem conversi fuissent. Pane raro vesci dicuntur, vulgo autem cervina aliaque carne. Atqui Permiæ præsul hodie inter Diœcesis Moscoviticæ Archiepiscopos censetur, ac Wolchodæ sive Wologdæ sedet, quæ quidem altera urbs 80. mill. Germanicis Moscua distat, inter Ortum & Septemtrionem, ad quam ex civitate Regia per Jeroslaviam pergitur.

EPISCOPI PERMIÆ.

I. * * *

II. STEPHANUS.

AD Permios ad veri numinis cultum adducendos, missus aliquando episcopus fuit, B cujus nomen nescitur; hunc vero pro barbaræ gentis sævitia viventem excoriaverunt. Post vero ad eos perrexit episcopus alter *Stephanus* nomine, qui prudentia & sagacitate sua eos eo usque mansuefecit, ut abjectis profanis numinibus Christo se dediderint. Atqui Stephanum Moschi in sanctos retulerunt, ejusque memoriam recolunt die 26. Aprilis.

III. * * *

Adam Olearius Itinerarii pag. 194. *Archiepiscopi Vologdæ & Velicopermiæ* meminit ubi de Timoska Ankudina, qui se Basilium Joannis Basilowiz Zuski Magni Moscoviæ Ducis filium finxit.



VIII. ECCLESIA



VIII. ECCLESIA SUSDALIÆ.

SUSDALIS ſive *Subdalia,* Principatus ejuſdem nominis caput inter Roſtovium & Wolodomiriam poſita eſt, Moſcua 44. millibus diſparata, quam, inquiunt Auguſtinus Liber Baro & Guagninus, ſecundo-geniti Ducum Moſcoviæ hæreditario jure poſſidebant. Epiſcopatus olim nunc Archiepiſcopatus eſt, cui juncta Toruskienſis ſeu Jourevienſis eccleſia.

EPISCOPI SUSDALIÆ.

DIONYSIUS.

IN Synaxario Ruthenico, quod à Barone de Sparwenfelt doctiſſimi Actorum Sanctorum editores acceperunt, die 26. Junii, poſt Davidem Theſſalonicenſem memoria habetur *Dionyſii archiepiſcopi Suchedalici, qui in urbe Niſinovogorodienſi ædificavit monaſterium Peiſchericum, & Kioviæ obiit, ubi in catacumbis eſt ſepultus anno 1180. ſub Manuele,* ubi viri pereruditi Manuelem Comnenum Imp. indicari putant; qui quidem hoc ipſo anno interiit. Verum quando mihi ex Niceta Choniate, qui altero à Manuele defuncto ſæculo ſcribebat, conſtat ipſo ſæculo nedum duodecimo, ſed neque decimo tertio, nullos extitiſſe in omni Ruſſia præter Kiovienſem epiſcopos, Synaxarium iſtud mendo laborare oportet, ubi defuncti Dionyſii epiſcopi annum aſſignat. Sed magis falluntur doctiſſimi editores, dum Dionyſium Sugdææ & Phullæ in Bulgaria metropolitam dicunt, Suſdaliam Ruſſiæ civitatem neſcientes, cujus non infrequens eſt mentio apud illos qui de illius gentis rebus ſcripſere.

I. * * *

In hiſtoria Concilii Florentini, quam Silveſter Syropulus ſcripſit, legimus Iſidorum Ruſſiæ metropolitam ſtatim ab ordinatione ſua Kioviam petiiſſe, itineris ſui ſocio *epiſcopo Gudelæ,* ἀπελθόντι μετὰ τοῦ Γουδέλης. In codice vero ejuſdem hiſtoriæ quam Goarus noſter prælo paraverat, ſcribitur Ιουδέλης, *Judelæ:* emendandum puto Σουσδέλης vel Σουσδάλης, *Suſdalis.*

II. * * *

Joannes Baſilides II. Moſcuæ civibus iratus, datis ad Metropolitam literis, ſignificavit, ſe ad eos deinceps non reverſurum, aliumque proinde Principem quærerent, cui ipſi imperarent, quemque cum vita fortuniſque omnibus everſum vellent. Conſternati vero omnes, rogandum illum decernunt, ut imperii gubernacula reſumat, nec patriam, ſuoſque deſerat. Quocirca miſſi ad illum fuere Novogorodienſis archiepiſcopus, *Suſdalienſis* epiſcopus, & abbas cœnobii Troïcenſis, aliique è primoribus qui efferum ejus animum placarent. Paul. Oderborn. *vit. Joannis Baſil. lib. 2.*

III. NIPHON.

Aderat *Niphon* Suſdaliæ & Toruski epiſcopus, dum Demetrius Joannis Baſilidis nepos Magnus Dux Moſcuæ renuntiatus eſt die 4. Febr. anno Mundi 7006. Chriſti 1498. ex Herberſtenio.

IV. IGNATIUS.

Suſdalienſis hodie Archiepiſcopus ſedet *Ignatius,* antehac monaſterii Kremelin, ſive *Apparitionis divinæ,* quod eſt in Moſcuenſi arce, archimandrita; poſthac vero celeberrimi monaſterii Woskreſenski, ſeu *Reſurrectionis,* ſed nec ita pridem factus eſt *Archiereus Moſcuenſis,* ſive Moſcuenſis eccleſiæ adminiſtrator.



IX. ECCLESIA COLOMNÆ ET KOCHIRÆ.

COLOMNA vel *Colombna,* urbs Moſcoviæ eſt Rezanum pergentibus Moſcua milliaribus 10. Germanicis diſtans verſus Orientem hybernum ad Occam fluvium poſita, qui non magno poſt ſpatio in Wolgam labitur. Hæc inter epiſcopales ab Herberſtenio cenſita eſt, hodieque cenſetur, cui juncta quoque Kochirenſis eccleſia, in Rezanenſi Ducatu.

EPISCOPI COLOMNÆ.

I. AFRANIUS.

EX Herberſtenio Barone, inaugurationi Magni Ducis Demetrii nepotis Joannis Baſilidis anno 1498. aderat *Afranius Columbnenſis* epiſcopus, *Ephræmium* potius dixero.

II. VASSIANUS.

Anno Mundi 7028. Chriſti 1520. Baſilius Magnus Dux Pleſcoviam cepit, atque

ECCLESIA COLOMNÆ ET KOCHIRÆ.

templum ibidem Deo consecravit die 24. Januarii. In ædem subinde Salvatoris, mox in Trinitatis quum descendisset, *Vassiani* A episcopi oratione confirmatus, nihilominus urbem diripuit. Ex Heidenstenio libro 4. Comment. de Bello Moscovitico.

X. ECCLESIA SARKI ET PODONSKI.

SARKI vicus est Moscuæ vicinus, in quo sedes episcopalis constituta fuit, & hodie censetur inter archiepiscopales, cui Podonskiensis quoque adjuncta est. Utriusque horum locorum præsul Archiepiscopus Kroutitski nuncupatur à monasterio Kroutitski, in quo ut plurimum commoratur.

EPISCOPI SARKI ET PODONSKI.

I. STEPHANUS.

MOschorum Ephemerides ad diem 15. B Decembris inter sanctos habent *Stephanum episcopum Sarosensem.* Sarosam autem Bollandi continuatores eruditi locum esse aiunt Moscuæ vicinum, cujus episcopus in arce Moscuensi vulgo maneat, atque in episcopatum eumdem coalescere cum Potanski sive Podonski; ex quo apparet Sarosam eamdem illis urbem esse ac Sarki.

II. METHODIUS.

Herberstenius Baro in commentariis *Rerum Moscoviticarum*, ubi de Tartaria *Methodium episcopum Potanski* sive *Podonski* appellat, qui de Tartarorum origine scripsit. C *Methodius,* inquit, *Potanski episcopus de Jeutriskie desertis inter Septemtrionem & Orientem eos processisse dicit, causamque migrationis talem refert : Gedeonem quemdam primi nominis virum, terrorem ipsis de fine mundi quem imminere dicebat, quandoque injecisse; cujus oratione inducti, ne amplissimæ orbis opes cum mundo simul interirent, innumera altitudine ad spoliandas provincias exivisse, & quidquid ab Oriente ad Euphratem & Sinum Persicum continetur, crudeliter diripuisse, atque ita provinciis passim vastatis, Polowtzos gentes, quæ adjunctis sibi Ruthenorum copiis, solæ occurrere ausæ erant, ad fluvium Kalka profligasse, anno Mundi 6533.* id est Christi *1025.*

III. ***

Anno 1498. inaugurationi Demetrii in Magnum Ducem aderat episcopus Podonski & Sarki, cujus nomen siletur.

XI. ECCLESIA CASANI ET SUIASKIÆ.

CASANUM sive *Casanski,* regni cujusdam Tartariæ minoris est caput, ad fluvium Casanka, quo undequaque alluitur. Urbem hanc ejusque adeò ditionem bello cepit Basilius Joannis filius anno 1552. ibique Archiepiscopum constituit, cui subest etiam Suiaskiensis ecclesia ad Wolgam fluvium posita 20. mill. à Casano versus Occidentem; quin & hodie metropolitæ titulo fulget, solus ex omnibus Moscovitici Imperii præsulibus.

EPISCOPI CASANI.

I. HERMOGENES.

EX Casanensi archiepiscopo *Hermogenes* D tertius Moscoviticæ diœcesis patriarcha, ad summam dignitatem istam promotus fuit.

II. ***

Metropolita Suiaskiensis & Casanensis adfuit synodo Moscuensi, à qua Nicon patriarcha exauctoratus fuit anno 1667.

XII. ECCLESIA PLESCOVIÆ ET NARVÆ.

PLESCOVIA sive *Pskovia, Pskow & Obscow,* civitas Livoniæ, ad lacum sita est, è quo ejusdem nominis fluvius emergit, tum per mediam civitatem decurrens sexto milliario in lacum quem *Czutzcho* vocant, exoneratur. Urbs fuit olim amplissima, suique juris, quam Basilius Magnus Dux sacerdotum quorumdam proditione cepit anno 1509. civesque statim ex ea migrare jubens, Moscovitas colonos eorum in locum adduxit. Is erat olim Plescoviensium candor, eaque integritas & simplicitas, ut in contractibus omni verbositate dimissa uno verbo res de quibus agebatur, exprimerent. Celeberrimum semper emporium fuit, ad quod ex omni gente mercatores convenirent. Distat Occidentem versus triginta

mill. Novogorodia, Iwanogorodia 40. Welicoluco totidem, Riga, quæ Livoniæ metropolis est, sexaginta. Censetur autem hodie inter Russicæ diœcesis archiepiscopatus, cujus præsul Narvensem quoque ecclesiam regit.

EPISCOPI PLESCOVIÆ ET NARVÆ.

I. THEOPHANES.

QUo tempore synodum Ecclesiasticam Moscuæ instituit Petrus I. Imperator, secundum in ea Vice-præsidem constituit *Theophanem Procopowiz*, antehac Præfectum Collegii Kioviensis, tunc Plescoviensem archiepiscopum. Petro autem Imperatore defuncto, & in exilium misso Theodosio Novogorodiensi, iis de causis quas supra memoravi, in ejus locum suffectus est Theophanes; qui hodieque Novogorodiensem tenet archiepiscopatum & in collegio Moscuensi primus est inter Archiereas.

II. * * *

A facundia hodie apud Moschos celebratissimus est *Archiepiscopus Plescoviensis*, ut fertur in publicis nuntiis die 9. Julii an. 1725. & 9. Decemb. 1726.

XIII. ECCLESIA TCHERNIGOVIÆ ET NOVOGORODIÆ.

TCHERNIGOWIA, vel *Czernigovia* arx est & oppidum exiguum 30. milliaribus à Kiovia distans versus Orientem & Septemtrionem. Ducatus Severiensis fuit, subinde vero ipsa alterius provinciæ caput facta est, cui & nomen dedit. Diu à Lituanis & Moscuensibus alternis vicibus occupata, tandem Sigismundo III. Poloniæ Regi cessit, donec ab Alexio Michaëlowicz pacta conventa frangente recuperata Moscoviticæ ditionis facta fuerit. Ipsius Archiepiscopus Novogorodiensem quoque Ecclesiam regit. Est autem *Novogorodia* illa, quæ & *Novogrodek* dicitur, altera ejusdem Severiensis Ducatus civitas, in qua olim sedes Severiensium Ducum erat. Media ponitur inter Kioviam & Smolenscum ad Orientem, 20. circiter milliaribus à Czernigovia distans.

XIV. ECCLESIA LADOGÆ ET KORELÆ.

LADOGA urbs parva Moscoviæ, in provincia Novogorodiæ majoris ad Wolchavam fluvium, qui paulo inferius in Ladogam lacum influit. Ad Ingriæ fines & ditionis Suecicæ posita est. In ea residet Episcopus Novogorodiensi & Veliki-loukiensi obnoxius. Huic Korelensis Ecclesiæ ejusdem regionis cura demandata est.

XV. ECCLESIA ARCHANGELOPOLIS.

ARCHANGELOPOLIS, seu fanum S. Michaëlis Archangeli, urbs est & emporium percelebre Moscoviæ Septemtrionalis, cum portu capaci & tuto in Duina Provincia, cujus caput est, & ad Duinam fluvium, qui juxta Archangelopolim in duo divisus brachia, insulam *Podesemski* efficit, & postea in Oceanum Septemtrionalem se exonerat. Mercatorum undique venientium frequentia crescit in dies civitas illa; & hac causa fuit cur Archiepiscopi sedes non ita pridem evaserit, si fides quibusdam viatoribus, qui Moscoviæ descriptionem in suis itineribus annexuerunt.

XVI. ECCLESIA USTIUGÆ ET TOTMÆ.

USTIUGA urbs est Moscoviæ, provinciæ cognominis caput, à qua & regio nomen accepit, distat à Vologda civitate centum milliaribus in ortum æstivum. Ad Suchanam fluvium condita fuit ubi *Jug* fluvium alterum recipit. Verum propter loci opportunitatem ad dimidium milliare supra ostia *Jug* fluvii rursus conditam referunt. Prioribus temporibus Novogorodiensibus tributaria erat hæc regio, in qua nullus propemodum panis usus habetur. *Totma* ejusdem provinciæ civitas est non ignobilis, pariter ad fluvium Suchanam condita, ab Ustiuga parum versus meridiem distans. Utriusque sedis idem est Episcopus.

XVII. ECCLESIA KOLMOGORÆ ET VAGÆ.

KOLMOGORA, sive *Colmogora, Colmogrod,* oppidum est Moscoviæ cum sede Episcopali in Duina provincia, ad ejusdem nominis fluvii ripam meridionalem 20. circiter milliaribus ab Archangelopoli distans versus orientem. Duina provincia, inquit Alexander « Guagninus, quamvis centum milliaribus pateat, præter Colmogoram tamen castrum, & « Duinam civitatem, quæ in medio regionis sita est, castrumque Pinega in ipsis Duinæ ostiis « conditum, oppidis & castris prorsus vacua est. Pagis tamen compluribus abundat, qui pro- « pter terræ sterilitatem magno tractu longe lateque ab invicem distant. Status ille Duinæ « provinciæ in longe meliorem mutatus est, ex quo Narvam deserentes qui mercaturam in Septemtrionalibus plagis exercent, Archangelopolim convenere. Hinc enim factum est propter celeberrimi hujus emporii vicinitatem, ut ipsa tota provincia olim deserta soli illius sterilitatis causa, divitiis postea & hominibus abundaret. Colmogorensi Ecclesiæ juncta est Vagensis, sic dicta à Vaga fluvio, qui Belozero inter & Vologdam in paludibus, densissimisque sylvis oritur, ac in Duinam fluvium illabitur.

XVIII. ECCLESIA NIGENI-NOVOGORODIÆ ET ALATURII.

NIGENI-NOVOGORODIA, sive *Novogorodia* minor, vel inferior urbs est utique Moscoviæ, sive Russiæ magnæ ad Wolgæ & Occæ fluviorum celeberrimorum confluxum. Ejusdem nominis Ducatus caput est, *qui Volodomiriæ fertilitate rerumque copia ex altera nascentium æquatur,* inquit Alexander Guagninus. Novogorodiensem istam civitatem à Basilio Joannowicz an. 1509. exstructam refert Augustinus Liber Baro in Mayerberg in suo Moscoviæ itinere. Inter Archiepiscopatus Moscoviæ censetur; ejusque præsul Alaturiensem quoque regit Ecclesiam. Atqui *Alaturium* civitas est ad ripam Suræ posita, Nigeni-Novogorodiense dominium à Czeremissis versus orientem secernens.

XIX. ECCLESIA SIBERIÆ ET TOBOLII.

SIBERIA amplissima est Tartariæ Moscoviticæ regio, ad æstivum Orientem Moscuæ civitatis. Suos quondam Principes habuit, tributum nihilominus Poloniæ Regibus solventes; verum in Jagellonem Casimiri filium rebelles, ultro se dederunt Magno Moscoviæ Duci, qui totam sibi regionem subinde mancipavit. In ea autem provincia urbs est ejusdem nominis *Siberia,* vel *Sibiria.* Est & alia *Tobolium,* vel *Tobolsca, Tobolsko* dicta, ejusdem provinciæ primaria & caput, ad ejusdem nominis fluvium posita, ubi excipit Irtim fluvium alterum. Præcipuum est totius Siberiæ emporium. Archiepiscopi sedes est, qui Siberiæ & Tobolii dicitur. Quintus inter metropolitas ponitur ab illustrissimo Chrysantho, ὁ Σιμπείας καὶ Τομπολσκίας.

XX. ECCLESIA IRKOUTFKI.

IRKUTIA, *Irkoutfk,* vel *Irkusskoi,* Civitas est Siberiæ ad ripam Angeræ rapidissimi fluminis. In ea moratur Episcopus Siberiensi & Toboliensi Archiepiscopo obnoxius, Illius non meminit Illustrissimus Hierosolymorum Patriarcha.



XXI. ECCLESIA ASTRACANI ET TERCHII.


ASTRACANUM, inter Wolgam & Jaikam fluvios poſita civitas eſt, ad Caſpium mare, in inſula duobus Wolgæ brachiis formata, in ea Tartariæ provincia, quæ *Nagaia* dicitur. Regni cujuſdam ejuſdem nominis caput eſt & primaria civitas, in arenoſo & ſterili ſolo condita. Nobile tamen eſt emporium non ſolum Tartaris, Moſcovitiſque ſed & Perſis, Armenis, atque Indis ipſis, cum poſita ſit inter ultimos Europæ & Aſiæ fines. Quondam à Tartaris habitata fuit tota illa regio, quibus præerat ejuſdem nationis Princeps; verum Joannes Baſilides Magnus Moſcoviæ Dux anno 1552. expugnatis Caſani Tartaris, ſubinde Aſtracanenſes laceſſivit, armiſque ſuperavit, & ipſa die prima Auguſti an. 1554. Aſtracano potitus eſt. Tartaris urbe expulſis, hanc ſuis habitandam dedit Moſcovitis, eamque lapideo propugnaculo cinxit. Non multo poſt inter Archiepiſcopatus Moſcoviæ accenſeri cœpit, cui annexa fuit Terchienſis Eccleſia. Ejus Epiſcopus inter metropolitas quartus ab Illuſtriſſimo Chryſantho numeratur. ὁ Αστραχανίας, ϗ Τερσκίας. Eſt autem *Terchium* urbs ſimiliter ad Caſpium mare poſita, ultima earum quæ Magno Moſcoviæ Duci hac in parte ſubſunt.

XXII. ECCLESIA BIELO-GORODIENSIS ET OBOIANSKENSIS.

BIELO-GORODIA, ſive BIEL-GORODIA urbs eſt in parte meridionali Moſcoviæ conſtituta, ad ripam occidentalem Tanaïs minoris, qui vernaculè *Donetz Sewierski* dicitur, eò quod in Severienſi Ducatu ortum habeat, & ſupra Azoph, in Tanaïm magnum exoneretur, qui Moſcovitis *Don* appellatur. Moſcua civitate & Kiovia æqualiter fere diſtat Bielo-gorodia deflectens verſus Orientem. Illius ſedis epiſcopus inter metropolitas undecimus numeratur ab illuſtriſſimo Chryſantho, ὁ Μπελογοροδίας καὶ Ὠμποϊασκίας. Inter Archiepiſcopos hodie cenſetur. Adjunctam habet Oboïanskenſem eccleſiam; quæ civitas fuit Pultavam inter & Kraſnopolim; temporum autem ſucceſſu deleta eſt.

XXIII. ECCLESIA CORTIZÆ.

CORTIZA urbs epiſcopalis Moſcoviticæ Diœceſis omnium prima fuiſſe dicitur, cujus tamen nullus mihi antiſtes occurrit: ſed nec hodie à quoquam inter præſulum Moſcovitarum ſedes annumeratur.



X. PROVINCIA ZICHIÆ.

I. ECCLESIA ZICHIÆ, METROPOLIS.

ECCLESIÆ sedisve Constantinopolitanæ ordinationi canone 28. Chalcedonensi subjectæ fuerunt Ecclesiæ Barbaricæ, sive ultra Danuvium in Barbarorum regionibus constitutæ, quarum una fuit Zichia, quæ Plinio lib. 6. cap. 5. Sarmatiæ veteris Asiaticæ pars fuit, ad Pontum Euxinum jacens, ubi Ptolemæus perinde Zichiæ populum collocat ac Zygos vocat, Ζυγοὶ πρὸς τῷ τῆς Ἀσίας Βοσπόρῳ, *Zygi prope Asiæ Bosporum*, ubi civitatem Zygopolim Ζυγούπολιν extare ait, quæ ipsa profecto est Zichia civitas, cujus in Conciliorum gestis mentio est. Zichiam à Matrachis fluvio *Ucruch* disjungi Constantinus Porphyrogennetus ait, lib. de administr. Imp. c. 42. ἐστὶ ποταμὸς ὁ λεγόμενος Οὐκρούχ, ὁ διαχωρίζων τὴν Ζιχίαν καὶ Μάταχα. Zichiæ fines esse subdit à flumine Ucruch ad Nicopsim amnem alterum ubi castellum est, de fluminis hujus nomine dictum, & Zichiæ regionis esse spatium ccc. mill. Atqui Zichiæ antistes inter sequioris ævi metropolitas censetur. Imo in Andronici senioris Imp. Notitia, Metrachorum & Zicchiæ unus metropolita est, ὁ Μετράχων, ὃς καὶ Ζικχίας λέγεται.

EPISCOPI ZICHIÆ.

I. DAMIANUS.

IN Concilio Constantinopolitano quod A Menna archiepiscopo præside habitum est, anno 536. sedebat *Damianus episcopus Zichiæ*, Δαμιανὸς ἐπίσκοπος Ζηκχίας, seu Ζικχίας.

II. PAULUS.

In Photiana synodo sub Joanne Papa, *Paulus Zicchiæ*, Παύλου Ζικχίας, Παῦλος Ζικχίας. In eadem synodo legitur *Baanes Mastraborum*, Βαάνης Μαστράβων; annon emendandum Μετράχων?

III. ANTONIUS.

Constantinopoli in concilio sedebat *Antonius Zicchiæ archiepiscopus*, quando Michaël Cerularius anathema dixit Leonis Papæ IX. Legatis.

IV. * * *

Lib. 4. Jur. Græco-Rom. statutum exstat synodicum Eustratii Patriarchæ de duobus sobrinis qui matrem & filiam duxerant, quo nuptiæ illæ tamquam præter fas initæ, diremtæ sunt, assidentibus metropolitis tribus & archiepiscopo Zicchiæ, καὶ ἀρχιεπισκόπου Ζικχίας.

V. * * *

Luca Chrysoberge Patriarcha, synodico decreto condendo, ne morientium episcoporum bona à clericis auferrentur, aderat cum metropolitis & archiepiscopis aliis, *Metrachensis*, τοῦ Μετράχων.

II. ECCLESIA PHANAGORIÆ.

PHANAGORIA, Φαναγόρεια, Stephano Byzantio ex Hecatæo urbs est in Asia à Phanagoro appellata; est & Ptolemæo teste, Phanagorius campus circa Pontum Galaticum. Est quoque insula *Phanagore* & *Phanagoria*, ἡ νῆσος Φαναγόρη καὶ Φαναγόρεια, necnon emporium Phanagoria voce plurali neutra τὰ Φαναγόρεια. Atqui supra Cepos urbem & Bosporum versus paludem *Phanagoria* fuit Melæ, Plinio, Ptolemæo, *Phanagoræ* civitas, Φαναγόρου πόλις, Scyllaci, necnon Straboni à quo *Spectabilis*, ἀξιόλογος dicitur, ipsaque ad Pontum Euxinum posita è regione Panticapæi ac Bospori. Sunt qui hanc eamdem esse velint atque Matracha, quum tamen Ptolemæus utramque urbem disertè secernat, quemadmodum Constantinus Porphyrogennetus Zicchiam à Metrachis fluvio Ucruch disparari asserit.

EPISCOPI PHANAGORIÆ.

I. JOANNES.

Inter episcopos qui anno 519. subscripse- A runt Relationi synodi Constantinopolitanæ ad Joannem Archiepiscopum, de restituendis in sacras tabulas nominibus Euphemii & Macedonii Patriarcharum, legitur *Joannes Phanagoriæ*, Ιωάννης ἐπίσκοπος Φαναγορείας.



III. ECCLESIA BOSPORI.

BOSPORUS, Βόσπορος, civitas dicta est, quæ in Chersonnesi orientali ora condita fuit, eo ipso loco qui *Bosporus Cimmerius* appellabatur, ubi Mæotidum paludum aquæ in Pontum Euxinum influunt, adeoque illa ipsa est quæ in ipso paludis ore consistens Cimmerium Pomponio Melæ & Plinio dicitur. Ejus meminit Procopius lib. 3. de ædif. cap. 7. Hodie *Vesporo* dicitur, atque in Notitiis veteribus Zicchiæ archiepiscopatus est ἐπαρχίας τῆς αὐτῆς Ζικχίας ὁ Βοσπόρου.

EPISCOPI BOSPORI.

I. * * *

In terræ motu quo Nicomedia civitas corruit, anno 344. Constantio Imp. Cecropius illius urbis antistes, necnon alter *de Bosporo* interiere, καὶ ἄλλος ἀπὸ Βοσπόρου. Sozom. lib. 4. hist. cap. 16. B

II. EUDOXIUS.

Bospori episcopus Eudoxius anno 448. synodo interfuit Flaviani Constantinopolitani, in qua proscriptus primum fuit Eutyches hæresis auctor. Ejus in conventu secundo in quo prioris acta coram Thalassio Cæsariensi lecta sunt, nomen exstat *Eudoxii reverendissimi episcopi civitatis Bosporianorum*, Εὐδοξίου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου τῆς Βοσπορηνῶν πόλεως. C Anno insequenti sedit in secunda sive Prædatoria synodo Ephesina, cum Longino Chersonensi, καὶ Εὐδοξίου Βοσπόρου, *& Eudoxio Bospororum*. Decreto insuper synodico Gennadii Constantinopolitani contra Simoniacos subscriptus quoque legitur, Eudoxius episcopus Bospori, Εὐδόξιος ἐπίσκοπος Βοσπόρου.

III. JOANNES I.

Relationi synodi Constantinopolitanæ ad D Joannem Patriarcham de Euphemii & Macedonii decessorum illius nominibus in sacra Diptycha restituendis, deque Severo Antiocheno & aliis hæreticis, subscripsit *Joannes episcopus Bospori*, Ιωάννης ἐπίσκοπος Βοσπόρου. Anno quoque 536. adfuit synodo quæ Menna Patriarcha celebrata est, Ιωάννης ἐπίσκοπος Βοσπόρου.

IV. ANDREAS.

In septima synodo generali sedit & subscripsit David Diaconus *sanctissimæ Ecclesiæ Bospori, & locum tenens Andreæ venerabilis episcopi sui*. Δαβὶδ ἐλάχιστος διάκονος τῆς ἐν Βοσπόρῳ ἁγιωτάτης ἐκκλησίας, καὶ τὸν τόπον ἐπέχων Ἀνδρέου τοῦ ὁσιωτάτου ἐπισκόπου ὑπέγραψα.

V. LUCAS.

In synodo Photiana sedebat *Lucas Bospori* inter metropolitas & archiepiscopos; Λουκᾶ Βοσπόρου. Λούκας Βοσπόρου.

VI. JOANNES II.

Decreto synodico Alexii Patriarchæ de monasteriorum donatariis, & aliis ad metropoles, archiepiscopatus, & episcopatus spectantibus, condendo anno 1028. aderat *Joannes Bospori*, Ιωάννου Βοσπόρου. Jur. Græco-Rom. lib. 4. pag. 256.

VII. * * *

Alteri statuendo perinde decreto de clericorum sponsalibus ad consuetas cæteris regulas exigendis, aderat Archiepiscopus Bospori, τοῦ Βοσπόρου. Ibid. lib. 3. pag. 211.

VIII. * * *

Codice Cæsareo 260. multa habentur Græcorum scriptorum contra Latinos opuscula, in quibus n. 11. exstat *Responsio Barlaami Calabri ad Archiepiscopi Bospori argumenta de processione Spiritus sancti*, τοῦ αὐτοῦ ἀπάντησις πρὸς τὰ ἐπιχειρήματα, ἃ πρὸς αὐτὸν εἶπεν ὁ ἀρχιεπίσκοπος Βοσπόρου.



IV. ECCLESIA NICOPSIS.

NICOPSIS, Νίκοψις, in veteri Notitia una archiepiscopatus est provinciæ Zicchiæ, ac vigesimus-septimus censetur. ἐπαρχίας τῆς αὐτῆς ὁ Νικόψεως.

V. ECCLESIA CHERSONNESI.

Hic de Chersonneso Taurica agitur, quam Græci recentiores *Chersonem* Χερσῶνα, & Χερσῶνην dixere; nominatissima Isthmus est ad paludes Mæotides, ubi Borysthenes in Pontum Euxinum influit. Urbem habet, quæ *Chersonnesus* & *Cherson* dicta est. Heracleotarum colonia est Plinio, quin etiam Straboni, qui lib. 7. ait, *Navigantibus sinistra, pusilla quædam offertur urbs & alter Cherrhonnesitarum portus. Ingens quoddam in meridiem extenditur promontorium navigantibus, id autem totius Cherrhonnesi pars una est, ubi sita civitas existit, in quam Heraclienses Ponti accolæ coloniam deduxerunt, quæ Cherrhonnesus appellatur, à Tyra fluvio distans stad. quater millibus, & CCCC. cursu maris emetiendo. In ea virginis sacellum est Deæ cujusdam, cujus & nomen habet promontorium ante urbem jacens stad. C. Parthenium (id est virgineum) appellatum, Deæque illius ædem habet & statuam. Inter urbem & promontorium tres jacent portus, postea antiqua Cherrhonnesus diruta, & post eam portus oris angusti.* Antiquam Strabo Chersonnesum dicit oppidum ipsum *vetus à Diana, si creditur, conditum & Nymphæo specu quod in arce ejus Nymphis sacratum est,* ut fert Mela. Atqui Chersonnesus primis Christianæ religionis sæculis martyrum confessorumque exiliis & necibus celebris fuit, in primisque S. Clementis I. Papæ, quod tamen Hieronymus siluit dum de scriptoribus Ecclesiasticis scriberet. In Notitia veteri una *Archiepiscopatus est vigesimus quintus, ac de provincia Zicchiæ.* κε'. ἡ Χερσῶνος. In ea vero quæ Leonis Sapientis nomen præfert decimus-sextus est, ις'. ἡ Χερσών. quum interim Zicchiæ nullus alter metropolita assignetur. Atqui Zicchia veteribus Asiæ censebatur, non Europæ, ut pote tractus trans Tanaim existentis regio. Urbem Chersonnesum hodie Cazariam vocitari ferunt. Cæterum nullus episcopus in tota Isthmo sedet, nisi Caffæ quæ Theodosia Ptolemæo, aliisque priscis auctoribus, in qua ducentæ circiter Christianorum familiæ manere dicuntur.

EPISCOPI CHERSONNESI.

I. BASILIUS.

Menæa Græca ad diem 7. Martii memoriam colunt sanctorum episcoporum Ephræm & *Basilii*, quos ab Hermone Hierosolymitano in Tauro-Scythiam missos ferunt, ut Evangelium prædicarent; & Ephræm quidem in Scythiam profectum, Basilium vero in Chersonam.

II. EUGENIUS.

III. ELPIDIUS.

IV. AGATHODORUS.

V. CAPITO.

VI. ÆTHERIUS.

Basilio successerunt *Eugenius* & *Elpidius*, deinde *Agathodorus*, posthac *Capito*, quem Christiani missa ad Constantinum Magnum Legatione obtinuerant. Quæ quidem multis narrant Menæa illa die 7. Martii, ubi *Ætherium* illis adjiciunt, quem Capitoni præponunt; sed perperam: nam Ætherius Theodosio I. Imp. sedebat, quippe qui concilio Constantinopolitano generali adfuit, in cujus Patrum indice legitur *Ætherius Tersonitanus* pro *Chersonitanus*. Atqui Basilii aliorumque ejus successorum memoria quoque fit in antiquiori Menologio Sirletano Tom. 2. Antiq. Lect. Henrici Canisii.

VII. LONGINUS.

A Synodo Constantinopolitanæ in qua Eutyches hæresis convictus fuit anno 448. adfuit & subscripsit *Longinus episcopus Chersonnesi*, Λογγῖνος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Χερσωννήσου. Latina translatio habet *episcopus Chersonensis*. In eo quoque conventu in quo synodi gesta relecta sunt dicitur *episcopus civitatis Chersonnesitarum* τῆς Χερσωννησιτῶν πόλεως. Item Prædatoriæ synodo Ephesinæ Longinus idem Chersonis aderat Λογγίνου Χερσῶνος, qui Eudoxio Bospori præmittitur.

VIII. STEPHANUS.

B In quinta synodo generali sedit & subscripsit *Stephanus misericordia Dei episcopus Chersonæ*.

IX. EPHRÆM.

Narratio sancti Martyris Ephræm episcopi Chersonæ de miraculo facto in puerum à sancto Martyre & Apostolo Clemente quæ habetur apud Simeonem Metaphrastem. Sed quo tempore Ephræm ille vixerit, si tamdem aliquando vixerit, incertum est.

X. GEORGIUS I.

C Trullanæ synodi canonibus subscriptus legitur *Georgius episcopus Chersonis Dorantis*, Γεώργιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Χερσῶνος τῆς Δωράντος. Quid vox τοῦ Δωράντος *Dorantis* significet, me nescire fateor.

XI. GEORGIUS II.

ECCLESIA CHERSONNESI.

XI. Georgius II.

Inter acta SS. quæ Bollandi socii edidere ad diem 9. Martii, una cum vita SS. Cyrilli & Methodii, habetur historia translationis reliquiarum S. Clementis Papæ per Cyrillum, adjuvante *Georgio episcopo & metropolita civitatulæ ipsius quem Cyrillus invitarat, ut simul unitis precibus, præfati corporis locum cœlitus edocerentur. Quadam die quæ 3. Kal. Janu. inscribitur, tranquillo mari navem ingressi... pervenerunt ad insulam, in qua existimabant sancti martyris corpus esse. Reperto corpore,* B *sanctus vir Cyrillus super proprium caput corpus levans, ad navim cum ingenti subsequentium tripudio detulit, deinde gloriam (* Lego, Georgius *) in metropolim cum hymnis & laudibus maximis transportavit. Obviavit Nicephorus Dux civitatis : Reliquias ob nimiam populi frequentiam quum urbem ingredi non potuissent, in Ecclesia S. Sozontis, quæ urbi contigua erat, deposuerunt, demum in Ecclesia S. Leontii, ac tandem ad Basilicam majorem venientes, in ea magno honore locaverunt.* Hæc spectant ad tempora Nicolai Papæ I. & Mi- C chaëlis III. Imp. Constantinopolitani. Clementis corpus Cyrillus in Moraviam secum tulit, tum subinde Romam Hadriano II. Pontifice.

XII. Paulus.

In synodo Photiana inter metropolitas & archiepiscopos sedisse fertur *Paulus Chersonis*, Παύλου Χερσῶνος, Παῦλος Χερσῶνος.

XIII. Theodorus.

In conventu episcoporum & procerum, A in quo Alexio Comneno Imper. Decretum de sacris imaginibus instauratum est, inter episcopos sedebat *Theodorus Chersonis*, Θεόδωρος Χερσῶνος. Biblioth. Coislin. pag. 104.

XIV. Theophanes.

Anno 1147. Manuële Comneno Imp. Cosmas Atticus Patriarcha exauctoratus fuit in synodo, cui adfuit & subscripsit *Theophanes archiepiscopus Chersonis*, ὁ εὐτελὴς ἀρχιεπίσκοπος Χερσῶνος, Θεοφάνης. Allat. de Cons. lib. 2. cap. 12.

XV. Leo.

Joanne Becco Patriarcha, anno 1280. mensis Maii die 3. magnæ ecclesiæ Referendarius in synodo convictus fuit adulterati textus cujusdam Gregorii Nysseni, quo Spiritus sanctus ex filio existere ferebatur. Sedebat *Leo Chersonis antistes*, καὶ ἱερωτάτου Λέοντος τοῦ Χερσῶνος. Allat. de Cons. lib. 3. cap. 1. n. 5.

XVI. * * *

Silvester Syropulus sect. 12. cap. 4. hist. concil. Florent. tradit metropolitam Chersonis primum illorum episcoporum fuisse, quos Metrophanes Cyzicenus Patriarcha constitutus ordinavit. ἀφ᾽ οὗ ἐγένετο πατριάρχης αὐτὸς, ὁ Κυζίκου, ὅτε πρῶτος ἐχειροτόνησε μητροπολίτην, ὁ Χερσῶνος δὲ οὗτος ἦν. Observat, aperto de more ad manuum impositionem sacro codice, in paginæ capite hæc Domini verba reperta esse : *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt;* quod malo omini fuisse Syropulus censet.



DIŒCESIS IBERIÆ.

DE DIŒCESI IBERIÆ.

Iberiæ situs.

I. OMNIS ille tractus qui à Ponto Euxino ad Hyrcanum, seu Caspium mare A pertinet, in tres olim regiones partitus erat, quarum una occidentalior Pontum Euxinum contingebat, Colchis nominata; orientalior alia ad mare Caspium posita, Albania dicebatur, quæ vero inter utramque mediterranea, Iberia. De cujus vocis origine mea non refert disputare, nec illos refellere aut approbare, qui Iberes Iberosve Asiaticos ex Iberia Europæa, sive Hispania profectos scripserunt. Iberiæ propriè dictæ fines eo quem dixi modo, Ptolemæus delineavit, à quo scriptores alii veteres minime discrepant; sed neque Pro- B copius Lib. 1. *de bello Persico* cap. 12. Tacito lib. 6. Annalium cap. 33. *Iberi locorum potentes sunt, quia circumquaque montibus muniti, per quos angusti aditus patent.* Ex his montibus fluit Cyrus amnis ultra quem deducti Israëlitæ multi à Regibus Assyriorum, ut Amos 1. v. 5. legitur; adeoque in remotiores Albaniæ partes.

Colchis Iberiæ censita; Albania quoque.

II. Posteriori autem ævo, circa Constantini Magni tempora Iberia dicta est omnis illa regio, etiam quæ ad Pontum Euxinum usque protenditur. Quocirca Socrates lib. 1. C hist. c. 20. ubi de illius gentis ad Christi fidem conversione, Iberes ad Euxinum Pontum habitare narravit. Ἴβηρες δὲ οὗτοι παροικοῦσι μὲν τὸν Εὔξεινον Πόντον. Quibus significat Colchidem ea qua historiam condebat ætate, vel etiam ipso Constantini tempore Ibericæ fuisse ditionis. Ruffinus quoque lib. 1. hist. *Iberorum gentem sub axe Pontico jacere,* ait. Subsequutis saltem temporibus tres illæ regiones Iberia, Colchis & Albania unius ditionis factæ sunt, sub unius Regis moderamine, ab Oriente ad Ecbatana usque Mediæ metro- D polim, & ab Occidente ac Meridie à Trapezunte ad Ezroum, quæ Theodosiopolis olim, ab Aquilone demum Abasgia terminatur. Quamobrem Iberiæ nomine, quæ & *Georgia* vulgo dicitur, Turcis *Gurgistan,* tres illæ regiones, Iberia ipsa vetus, Colchis, sive Lazica, aut Mingrelia, atque Albania hodieque censentur.

Christianæ religionis apud Iberos primordia.

III. Veram religionem Iberes susceperunt Constantino Magno Romanorum Imperatore, ejusque amplectendæ autor illis fuit mulier Christiana, quæ captiva in eam regionem adducta, quum orationi, jejuniis, ac vigiliis assiduam operam daret, barbaros illos in sui admirationem movit; quumque ab ea audivissent Christi Dei nostri potentiam, ipsorum precibus annuens, periculum ejus fecit erga mulieris alterius filiolum immedicabili morbo laborantem; sed etiam mox Reginam graviter decumbentem sanavit, ipsumque tandem gentis Regem, qui inter venandum oculis captus fuerat. Rex à fœmina Christi legem edoctus hanc regni sui viris tradidit, Regina fœminis, templumque Deo omnes ædificare cœperunt. Quia vero nulli tunc illis sacrorum Christianorum ministri suppetebant, Oratorem Rex ad Constantinum delegavit, qui, pacto cum Romanis arctissimo fœdere, episcopum, sacrumque clerum sibi mitti petiit, impetravitque. Hæc Ruffinus lib. 1. hist. cap. 10. & ex eo Sozomenus lib. 2. cap. 7. item Socrates lib. 1. cap. 20. Theodoretus denum & alii. Ruffinus hæc accepta refert à Bacurio Iberiæ quondam Regulo, qui ad Romanos profectus, Tribunus militum sub Theodosio Magno meruit, cui magno subsidio fuit bellum contra Eugenium Tyrannum gerenti. Cæterum Mingreliæ, seu veteris Colchidis Christiani Andream Apostolum majoribus suis Evangelium attulisse asserunt, eoque præsertim in littoris maris loco prædicasse, in quo vetus templum ejus nuncupatione sacrum extat.

Ejus tenacissimi fuerunt.

IV. Atqui Procopius loco quem superius appellabam, Iberos suo ævo Christianos omnes fuisse testatur, *quos eo nomine censeri sciret sacrarum legum tenacissimos, quum Persarum Regi jampridem subditi essent.* Cujus pristinæ gentis hujus in Christianis legibus tenendis constantiæ hoc specimen affert, quod *Cabades Persarum Rex, cum Iberes vellet ad religionis suæ instituta transferre, Gurgeni ipsorum Regi mandavit, uti tum reliquos Persarum ritus admitterent, tumque imprimis mortuos ne tumularent, sed in prædam avibus caninbusque projicerent. Quocirca Gurgenes in Justini Imperatoris fidem concesserit, petieritque ab eo, ut sibi promitteretur, nunquam Iberes à Romanis Persarum potestati permissum iri; quod ultro spopondit Justinus.*

Iberia Ponticæ olim Diœcesis fuit.

V. Iberes quum primum Christianæ religioni nomen dedere, à Constantino episcopum, clerumque à vicinarum provinciarum præsulibus, accepisse admodum verisimile est. Quidni vero à Cæsariensi, qui Ponticam diœcesim moderabatur? Quamquam Nilus Doxapatrius in Notitia sua Græca Iberiam prisca ætate Amaseæ Helenoponti metropoli obnoxiam fuisse ponit; id quod neque à vero prorsus abhorret.

Antiochenus Patriarcha Iberiam sibi vindicare studet.

VI. Non satis me capere fateor, quo jure Theodorus Balsamon in expositione 2. canonis Concilii generalis secundi dixit, Iberiæ episcopum honoratum fuisse per synodi Antiochenæ dispositionem; *Lata siquidem tempore sanctissimi patriarchæ magnæ Antiochiæ Petri synodali constitutione sancitum fuisse, liberam esse ac principalem, & αὐτοκέφαλον Ecclesiam Iberiæ, sed tamen Antiocheno Patriarchæ subjectam.* Quasi nempe Iberia jam ante Diœcesis Antiochenæ portio fuisset: quod certe mirum, quando ea omnis plaga nulla sui parte eam contigerit, media inter ambos tractus Armenia utraque interposita. Nisi forsan vastatis per Persas, Turcas, aliosque barbaros illis regionibus, Antiocheni Patriarchæ ecclesiarum Iberiæ sollicitudinem in se receperint, quo jure ipsis olim Orientem omnem subjectum esse Nicæni Concilii canone 6. pronuntiatum erat.

Catholicum in eam mittit.

VII. Minime silendum est ex Petro eodem Antiocheno epistola ad Dominicum Gradensem, ante sæculi undecimi medium, ab illa sede primaria Orientis Catholicos duos mitti & constitui solitos, unum Babylone, alterum in Romagyri, sive Chorasan; vel, ut Guillelmus Tyrius lib. 4. histor. *de bello sacro* cap. 9. alium Ania, alium Bagdadi manere solitum. At Ania Persicæ Armeniæ civitas erat, haud procul distans ab Iberia, cujus pars *Iguria* vocabatur, quam quum Romani, seu Græci aliquando obtinuissent, inde nata est illa *Romagyris* appellatio.

Constantinopolitanæ sedi Iberia obnoxia fuit

VIII. Quid vero si exinde illud contigisse subodoremur, ut Antiocheni Patriarchæ Iberiam à Constantinopolitanis, qui ad hæresim desciverant, diutius sejunctam, sui demum juris facere tentaverint. Verum sequiori ævo aliis de causis, quæ nos fugerunt, Catholicus Iberiæ iterum rediit ad Patriarchæ Constantinopolitani ditionem; cui præstantissimus, ac pereruditus Patriarcha Hierosolymitanus Chrysanthus Iberiam integram ab antiquo semper pertinuisse pugnat, demonstratione petita ex vero ejus situ, qualem veteres Geographi omnes vulgo describunt; quin & addam eo prorsus jure, quo vel Amasea Helenoponti metropolis, vel Cæsarea Cappadociæ cum Pontica omni Diœcesi Constantinopolitanæ sedi obnoxia facta erat.

IX. In vita S. Joannis Gothiæ episcopi, qui sæculo ecclesiæ octavo claruit, ipse legitur, non Constantinopolim, de prisco more, sed in Iberiam potius ad gentis hujus Catholicum perrexisse, à quo consecraretur, quia per omne Byzantinum Imperium Iconomachorum hæresis grassabatur; à qua proinde Iberia immunis sarta tectaque manserat.

Duo nunc apud Iberos Catholici.

X. Nostra ætate postquam Iberia, seu Georgia tota in Reges duos divisa est, duo pariter in illis *Catholici* constituti sunt, αὐτοκέφαλοι ambo; sed qui Byzantino Patriarchæ tributa pendunt. Horum alter Iberiam superiorem administrat, inferiorem alter sive Colchidem & Lazicam, quæ Mingrelia hodie nuncupatur; de qua suus seorsim sermo erit.

Iberiæ superioris.

XI. Quod superioris Iberiæ Catholicum spectat, quum multos olim episcopos sibi subjectos habuerit, perpaucis hodie præest, quos illustrissimus Hierosolymorum Patriarcha in sua Notitia recenset, cum metropolitis tribus, quorum unus *Carteliam* provinciam & octo ejus episcopatus curat, Tiflicensis scilicet, alii duo provinciam *Cachetiam* tresque ejus episcopatus.

Iberiæ inferioris.

XII. Inferioris vero Iberiæ, seu Mingreliæ Catholicus longe pauciores sibi metropolitas & episcopos obnoxios habet, nempe in Provincia *Imeretiæ* metropolitam unum, archiepiscopos more Græcorum duos, episcopum unum; in provincia *Obisii* & *Guriæ*, vel *Iguriæ* episcopos tres. Quum Lazica provinciæ Helenoponti contermina esset, proprium ei regioni metropolitam fuisse reperio, qui in urbe Phaside sedebat; ab illis incipiemus Inferioris Iberiæ Catholicorum seriem.

XIII. Cæterum non omittam ex historiis Armenorum in Albania olim Catholicum fuisse, cui successerit superioris Iberiæ Catholicus; si tamen ab invicem secernendi sint, aut unquam distincti fuerint, quod à me ignorari prorsus fateor.

Iberiarum Ecclesiæ præsens status.

XIV. De Ecclesiæ Iberiæ statu hodierno, non est quod multis dicam, quando omnes qui in eas regiones perrexerunt, nulla nisi tristissima renuntiaverunt: summa namque illic viget rerum divinarum ignorantia, neglecta, inversaque omnium sacramentorum ministratio, ac præsertim baptismatis, quod reliquorum primum est; adeo ut à Latinis qui in illis regionibus prædicarunt, Catholici ipsorum in privatis colloquiis fateri coacti sint se non esse verè Christianos, ut pote debito modo, rituque sacris undis minime tinctos. Dositheus Hierosolymorum Patriarcha in libro *de Hierosolymitanæ sedis patriarchis*, narrat Parthenium è nuperis decessoribus suis unum, quum in Palæstinam Constantinopoli

per Iberiam reverteretur, innumeros in Iberia baptisasse, quos hoc sacramento minimè initiatos fuisse compererat. Nulla itaque illic disciplina; perversissimi sunt non Laïcorum modo, sed Clericorum & Episcoporum mores, imo & Monachorum. De quibus legenda præ aliis sunt, quæ Clemens Galanus Clericus regularis ex Patre Avitaboli sodali suo recitat in Annotationibus ad historiam Armenorum Tom. 1. pag. 148.

CATHOLICI IBERIÆ SUPERIORIS.

I. CYRINUS.

NOrseses, seu Nierses II. Armenorum Catholicus, qui Juliani Halicarnassensis errores amplexus est, concilio decem episcoporum in urbe Tiben seu Thevin habito, Armenos à communione Catholica & Fide avulsit. *Cujus synodi occasione,* inquit Armenorum Annalista apud Galanum, *Georgiani, Siunienses & quatuor Armeni ab unione cum cæteris Armenis se retraxerunt: at cum eisdem postea iterum reconciliati sunt.* Quæ postrema verba de Armenis illis quatuor, populis utique, vel oppidis intelligenda sunt; nequaquam vero de Georgianis, Iberibus scilicet & Albanis. Nam eadem historia cap. 12. refert, tempore patriarchæ Armenorum Abraham, qui quartus à Niersese illo II. catholicus fuit, Iberes & Colchos ab Armenis secessisse, & sacro-sancta Chalcedonensi synodo suscepta, Græcis, Romanisque & Catholicis adhæsisse: *Cujus rei autor fuit Cyrinus Iberorum atque Colchorum patriarcha, Catholicus nuncupatus.* Extat S. Gregorii Papæ epistola lib. 11. 67. quæ inscribitur *Quirico & cæteris episcopis in Hiberia Catholicis.* In quibusdam vero libris legebatur in *Hybernia*, manifesto satis errore, quem præstantissimus Parisiensis Archiepiscopus Petrus de Marca emendavit in Appendice ad Concilium Claromontanum II. sub Urbano Papa II. his, quæ post ipsum exscribam argumentis: tum quod inquisitio de Nestorianis facta satis docet de Orientis partibus agi, in quibus solis hæresis illa vigebat; tum quod initio epistolæ annotat Gregorius legatum episcoporum Romam se conferentem in Hierosolymorum urbe epistolas cum aliis rebus perdidisse, quod de Hybernis in ultimo Occidente positis nonnisi absurdissime dici potest, quemadmodum Iberis in finibus Ponti sitis & fidem Christianam ab ipsa Constantini ætate amplexis apprime congruit. Nestorianos ergo per solam fidei professionem recipiendos dicit Gregorius, neque baptismo iterato, neque manu imposita, vel Chrismate collato. Et ille quidem traditionem Patrum laudat, quæ ritum alium erga Nestorianos non adhibendum docebat. Per-eruditi præsulis observationem confirmant complures manu exarati codices, quos doctissimi operum S. Gregorii nuperi editores sequuti sunt. In illis vero modo legitur in inscriptione epistolæ *Quirino*, modo *Quirico.* Scripta est autem epistola anno 603. Ind. IV. ut *Quiricus*, vel Quirinus ille ipse sit cujus mentio est in Armenorum historia; aut duo ejusdem nominis Catholici Iberiæ fuerint, quorum alter alteri successerit.

II. MALACENUS.

Elias Hierosolymorum decimo sæculo patriarcha Benedicto Papæ IV. *Malacenum* Iberiæ episcopum literis suis commendabat; vicissimque Benedictus universis Christi fidelibus epistolam dedit, in qua Malacenus episcopus sedis S. Basilii dicitur, adeoque Amaseæ in Ponto, cujus utique jura Iberiæ Catholici sibi vindicaverint. Quocirca non immerito prorsus Nilus Doxapatrius Iberiam Amaseæ olim obnoxiam fuisse asseruit.

III. MALACHIAS.

Clemens Galanus Clericus regularis in his, quæ Armenorum historiæ de Colchis & Iberis interseruit, *Malachiæ* meminit Iberorum orientalium patriarchæ, seu Catholici, germani fratris Ducis Simonis, eumque virum strenuissimum & rei militaris peritum fuisse, & Dadiani Colchorum Regis partes adversus Simonem tuitum esse prodit pag. 154.

IV. DOMETIUS I.

Dositheus patriarcha Hierosolymitanus quum aliquando, post nuperi sæculi medium apud Iberos versaretur, superioris Iberiæ, seu *Cartelii* catholicatum gerebat *Dometius frater Mepes*, seu Dynastæ *Tiphlisii*: ὁ Καθολικὸς τοῦ Καρτελίου Δομέτιος, ἀδελφὸς ὢν τοῦ Μέπες τοῦ Τιφλιζίου: qui circa annum 1666. fato functus est. Dosith. de Patr. Hierosol. lib. 12. cap. 9. pp. 1228. & 1229.

V. DOMATIUS *vel* DOMITIUS II.

Iberiæ superioris Catholicus nuper sedebat *Domatius*, vel *Domitius* alter ὁ τῆς ἄνω Ἰβερίας Δωμάτιος. Ex schedis ab illustrissimo Hierosol. patriarcha Chrysantho acceptis.

NOTA. Literæ & legatio Davidis Trapezuntii Imperatoris ad Philippum Burgundiæ Ducem aliosque extant inter epistolas Æneæ Sylvii, seu Pii Papæ II. datæ anno 1459. die 22. Aprilis. Excitabat ille Imperator Philippum, tum reliquos Occidentis Principes contra Turcas; se quippe pollicebatur aggres-

ſurum illos in Oriente triginta triremibus, & viginti millibus hominum, Georgium Perſarum Regem ſexaginta millibus militum, Gorgoram Ducem Georgiæ viginti millibus equitum, Bendiam Regem Mingreliæ, olim Colchidis ſexaginta millibus cum filio ſuo, Rabiam Ducem Amaſcæ triginta millibus cum fratre & Baronibus ſuis, Aſambechum affinem ſuum ethnicum, ſive Mohammedanum quinquaginta millibus, unà facturos eſſe alios quoque ethnicos duos, ſcilicet Caramanum, &

A Dominum Sinopes Iſmaëlem, cupientes Mahometæ injurias & ſuas regiones recuperare. Hos conatus excitaverat Papa Pius II. & Iberûm, ſeu Georgianorum Patriarcha vir Antiochenus nomine *Ludovicus*, ait Cruſius Annot. in hiſt. Polit. Conſtantinop. pag. 60. Verum Ludovicus hic de Bononia Franciſcanus erat, in Oriente anno 1447. à Calliſto Papa II. miſſus Nuntius, Antiocheni Patriarchæ titulo donatus. De quo Æneas Sylvius, ſeu Pius Papa II. epiſt. ſua 376. & ſeqq.

I. ECCLESIA ALBANIÆ.

ALBANIA regio, alia in Europa, alia in ſuperiore Aſia, præter Albaniam Scotiæ, de *Albion* totius inſulæ Britannicæ priſco nomine dictam. Albania Aſiana, de qua nunc mihi ſermo eſt, Iberiæ occidentem verſus contermina eſt, ad ortum Caſpio mari alluitur, ad meridiem Atropatenæ finibus clauditur, Scythiæ demum ad aquilonem. Duæ illic olim civitates præcipuæ fuerunt, *Albania*, ſeu *Albanopolis* & *Chabaluca*, quas veteres ſcriptores Armeniæ quoque magnæ aſſignarunt, ceu Albania Armenici tractus fuerit. In Albaniam Evangelium Chriſti primitus invectum fertur à S. Bartholomæo Apoſtolo; qui Sophronio libri S. Hieronymi *de ſcriptoribus Eccleſiaſticis* interprete Græco teſte, annuntiato per Armeniam Chriſto *Albanopoli in Armenia majore defunctus ſepultuſque eſt.* ἐκοιμήθη ἐν Ἀλβανοπόλει τῆς μεγάλης Ἀρμενίας. Addunt & Thaddæum, non utique illum Domini Apoſtolum, qui & Judas Cananæus vocabatur, ſed alium ejuſdem nominis, è ſeptuaginta diſcipulis unum, qui à Syris & Chaldæis *Addæus* quoque dicitur; quemque prædicata per Meſopotamiam, Babyloniam & Aſſyriam religione Chriſtiana, in civitate Mediæ, quæ de ipſius nomine *S. Thaddæi* appellata eſt, è vivis migraſſe, aſſerebatur ſæculo decimo-quarto.

Verum Albaniæ Aſianæ idem accidit, quod aliis remotioribus terris, ut fidei lumen quod ab Apoſtolis aut ab Apoſtolicis viris acceperant, apud eos brevi extinctum eſſet; quippe quarum indigenæ barbaris moribus quum eſſent, politioribus Chriſtianæ legis regulis facile non miteſcerent, maxime quod à Romanorum commercio apud quos religio invaleſcebat, nimis diſtarent. Hinc enim fiebat, ut vinearum illarum cultores rari apparerent. Revixit porro in Albania Chriſti Fides ea ipſa ætate, qua in Iberia, hoc eſt circa Conſtantini Magni tempora, ac primum illius plagæ epiſcopum fuiſſe Gregorium S. Gregorii Armenorum inſtitutoris nepotem in Armenorum fertur hiſtoriis. Nunc vero Albaniæ, quæ & *Cachetia* vocitatur Catholicus idem eſt, qui ſuperioris Iberiæ eccleſias curat.

CATHOLICI ALBANIÆ.

I. GREGORIUS I.

CApite 5. hiſtoriæ Armenorum apud Clementem Galanum hac habentur : *Domnus Heſychius & Domnus Gregorius, nepotes S. Gregorii* (Armenorum nempe Doctoris & Φωςῆρος, ſeu Illuminatoris) *annos ſex. Heſychius, quum Idolorum ſimulacra in Eccleſia permittere noluiſſet, à Dirano Rege in exilium pulſus eſt, ac demum juſſu ejuſdem interemptus. Beatus vero Gregorius miſſus Patriarcha in Albanenſem provinciam, ibi martyrio pariter coronatus eſt.* Patriarcham porro Maruthus hiſtoriæ ſcriptor appellat, quem alii melius *Catholicum* dicunt; hoc eſt, totius gentis curatorem. Miſſus autem in Albaniam, adeoque forſan in Iberiam, Gregorius fuerit à Cæſarienſi metropolita, & Ponticæ Diœceſis Primate, cui Armenia major omnis nuper

addicta erat. Atqui utriuſque Gregorii tem-
B pora rectiſſime cum illis quadrant, quibus Iberes Chriſto nomen dederunt. Hoc tamen videtur repugnare, quod religio ab Iberorum Rege totaque gente ſuſcepta ſit; ſub quo proinde abſonum fuerit aſſerere Gregorium martyrio mortem obiiſſe; niſi in Albania ab alio Rege Idolorum adhuc ſuperſtitioni dedito necatus ſit, non in ipſamet Iberia.

II. PETRUS.

C

III. GREGORIUS II.

IV. APAS.

Tres alios Albaniæ Catholicos nobis ſuppeditat narratio de rebus Armeniæ, t. 2. Augm. Bibl. PP. Græc. Ibi fertur poſt celebratam quintam ſynodum generalem, Armenos qui Chalcedonenſis Concilii fidem ejuraverant,

ECCLESIA ALBANIÆ.

literas scripsisse ad *Apam* Catholic. Albaniæ, πρὸς τὸν Ἀπᾶς, τὸν Καθολικὸν τῆς Ἀλβανίας χώρας, in hæc verba : *Veni nobiscum fide consentiens, unicam Christi naturam confitearis, unaque canas, sanctus Deus, qui crucifixus es pro nobis.* Renuit vero ille dicens : ὅτι ὁ Πέτρος καὶ ὁ Γρηγόριος οἱ πρὸ ἐμοῦ ὄντες, *Petrus & Gregorius decessores mei ad hunc modum canebant*, sanctus Deus : *quamobrem nec addam, nec demam.* Similiter scripserunt ad Iberos; *qui plurimum obnitentes non receperunt si tantum Æluros istos, ut Armenorum voce utar, excipias, Taser, Tzarapor, & Cartanæ, quæ sunt oppida, & nonnullos de Artezach.* Atque hi dumtaxat occurrunt Albaniæ Catholici, qui an Iberiæ quoque propriè dictæ Ecclesiam gesserint, utinam compertum magis fieret. At sequiori ævo & etiamnum unus idemque, ut prædictum est, Catholicus utrique regioni præest.

II. ECCLESIA TIPHLISSII.

TIPHLIS, vel *Tephlis* Cedreno urbs est circa Mediam, quæ *Telphis* Curopalati dicitur. Ad radicem montis posita fertur, quam alluit Cyrus amnis. Hodiernæ Georgiæ caput est & sedes Principis, qui toti provinciæ Regis Persarum nomine imperat. In ea moratur regionis Catholicus; suum nihilominus proprium habet episcopum, qui Georgianis præest, cum alio etiam Armenorum communionis, cui obedientiam præstant multi qui ex Armenia oriundi huc sese contulerunt. Cæterum nobilissimum est Asiæ emporium.

EPISCOPI TIPHLISSII.

I. JESHI.

QUo tempore Païsius Hierosolymitanum thronum gerebat, Tiphlissii episcopus erat *Jeshi*, anno 1659.

III. ECCLESIA LAZICÆ.

LAZI vel *Lazæ* primum dicti sunt, qui Colchidis littus ad Euxinum, ultra Trapezuntem accolebant; subinde vero Lazicæ nomen vetus illa Colchidis regio habuit ad occiduam Iberiæ partem posita. Theophylactus enim Simocatta lib. 3. cap. 6. nec non lib. 5. cap. 8. *Colchis*, inquit, *vulgo Lazica nominatur*, Κολχὶς ἣν συνήθης λόγος Λαζικὴν μετωνόμασε, Quocirca Procopius, qui aliis in locis Lazicam videtur à Colchide secernere, lib. 4. *de Bello Gothico* cap. 1. ait, fieri non posse, ut Colchi à Lazis diversi sint, quandoquidem ad Phasim sedes habent, unoque omnes Colchorum vocabulo dicti, quod nomen postea in Lazorum mutatum fuit. τὸ δὲ ὄνομα μόνον οἱ Κόλχοι τανῦν ἐς τὸ Λαζῶν μεταβέβληνται. Sed ut paucis dicam, Lazica maritimus tractus fuit Colchidis, cujus incolæ Procopii, seu Justiniani I. Imperatoris ævo, nec Romano Imperio, nec Regi Lazorum parebant, ait Procopius ibid. cap. 2. τὰ δὲ νῦν, ἄνθρωποι ἐνταῦθα οἰκοῦσιν οὐδὲ τῷ Ῥωμαίων, οὐδὲ τῷ Λαζῶν βασιλέως κατήκοοι ὄντες· πλήν γε δὴ ὅτι χριστιανοῖς οὖσιν, οἱ Λαζῶν ἐπίσκοποι τοὺς ἱερεῖς καθίστανται σφίσι. καὶ αὐτοὶ ἔνσπονδοί τε καὶ φίλοι ἀμφοτέροις ἐθέλουσιν εἶναι. *Jam hujus regionis incolæ nec Romanorum Imperatori, nec Regi Lazorum parent, solummodo quum Christiani sint, sacerdotes accipiunt à Lazorum episcopis, & utrisque* (Romanis & Lazis) *fœderati atque amici esse ambiunt.* Ex quo loco apparet nullum Colchis tunc episcopum præfuisse, quando horum curam gerebant presbyteri dumtaxat, quos Lazorum præsules illis constituere solebant.

Quod Lazos spectat, hos Procopius lib. 2. *de bel. Pers.* cap. 28. Christi religioni addictissimos fuisse asserit, ἐπεὶ Λαζοὶ μὲν χριστιανοί εἰσι πάντων μάλιστα. In Notitia veteri Græca, quinque apud illos numerantur sedes Episcopales, quarum prima est Phasis. In recentiori altera Trapezus Lazicæ metropolis est, cui non paucæ aliæ subduntur, quarum duodecima *Phasiana* dicitur, ὁ Φασιανῆς; at vero tempore septimæ synodi generalis Trapezus jam Lazicæ caput erat. Lazorum vero metropolis pridem fuisse omnino Phasis videtur, quam præ aliis scriptores commendant. Ad ejusdem nominis fluvium condita erat à Themistagora Milesio; atque adeo vetusta satis urbs Græca extitit, cujus & vetustissimus autor Scylax meminit, Φᾶσις Ἑλληνὶς πόλις. *Ad Phasim flumen*, ait Strabo lib. XI. *urbs jacet ejusdem nominis Colchorum emporium, quod ex alia parte amni præcingitur, ex alia lacu, ex alia mari. Hinc biduo, triduove Amaseam & Sinopem navigatur. Hæc littora & fluminis ostia amœnissima sunt.* Nihilominus Procopius lib. 2. *de bello Persico* c. 15. *in Lazica non sal, non triticum, nec vinum, nec fruges ullæ, sed omnia à Romanis, qui oras maritimas obtinent, navibus*

importata accipiunt, non pecunia repensa, sed pellium Cervorum, & aliorum quorum ipsis copia est, permutatione facta. Apud Galanum vero tom. 1. pag. 157. hæc hodiernæ Colchidis conditio est: Colchis Asiæ regio juxta Pontum; ab ortu & meridie Iberia, ab occasu Euxino mari, à Septemtrione Corace monte clausa. Universam provinciam, cujus ambitus est plus minus quatuor millia stadiorum, unicum dixeris nemus, usquequaque ligneis rarisque domibus sparsum, ubi, castro Kodachis excepto, ab hodierno Principe exstructo, nec urbs, nec oppidum, nec pagus incolitur ullus. Montosa licet, interstinctaque collibus, non silice quidem, sed molli terreno obsitis & silvosis, ima tamen & depressa regio est, montibus undique altissimis ab aquilone Coraxicis, ab oriente meridieque Caucasiis circumvallata. In Lazica nullas hodie Christianorum Ecclesias superesse mihi testis est Dositheus Hierosolymitanus, cunctosque regionis incolas Mohammedi addictos esse asserit Chardinus in Itinerario. Itaque ab episcopis Phasidis seriem auspicor Catholicorum Colchidis, seu Iberiæ inferioris.

ECCLESIA LAZICÆ.

EPISCOPI PHASIDIS.

I. GEORGIUS.

ROMANUS Dux exercitus Mauritii Imperatoris in Persas per Albaniam iturus, *in Colchidem venit*, ait Simocatta, *quam vulgus Lazicam appellat*, καὶ τῷ ἐκεῖσε ἱεραρχοῦντι κοινολογησάμενος, *& cum regionis sacrorum antistite consilia communicans, inde discedens in Albania castrametatur.* Hic Lazicæ antistes Phasidis utique metropolis episcopus fuerit, ipse forsan *Georgius*, qui ex episcopo Lazorum Joanni eleemosynario Alexandrino patriarchæ successor datus est, ut in ejusdem S. Joannis vita scribitur.

II. CYRUS.

Notissimus omnibus est famosus ille vir *Cyrus* Phasidis episcopus anno 622. Monotheleticæ hæresis architectus præcipuus, quem Heraclius Imperator Alexandriæ posthac patriarcham fecit. Anno 630. cum Phasidis adhuc ecclesiæ præesset, epistolam illam scripsit Sergio Constantinopolitano, in qua jussionem memorat Heraclii, præcipientis Paulo Monoculo Severiano, duas post unionem naturas sic prædicari, ut una quoque operatio pronuntietur. Quam epistolam ad Arcadium Cypri insulæ archiepiscopum transmissam quoque perhibet. Hanc quidem Sergius admisit & approbavit, Arcadius vero rejecit. Hoc vero, vel insequenti anno hæresis suæ præmium, sedem Alexandrinam Sergii Constantinopolitani opera consequutus est.

III. THEODORUS.

In translatione Latina actorum sextæ synodi generalis, decretis illius subscriptus legitur *Theodorus indignus episcopus Phasidis Lazicæ provinciæ,* cujus nomen iterum reperitur in subscriptionibus canonum Quini-sextæ synodi, Θεόδωρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος τοῦ Φασίτου Λαζῶν χώρας, *Theodorus indignus episcopus Phasiti Lazorum provinciæ.*

IV. CHRISTOPHORUS.

Tempore septimæ synodi generalis metropolitica provinciæ Lazicæ jura & sedis Phasidis in Trapezuntis sedem translata erant, in qua nempe sedebat, ut acta ferunt, *Christophorus Dei amantissimus episcopus Phasidis* Χριστοφόρος ὁ θεοφιλέστατος ἐπίσκοπος τῆς Φασίδος, qui actione 4. ad hunc modum subscripsit: Χριστοφόρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος τοῦ Φασίδος ἤτοι Τραπεζοῦντος. *Christophorus indignus episcopus Phasidis, sive Trapezuntis.* In subscriptionibus aliis dicitur dumtaxat episcopus *Trapezuntis*, Τραπεζοῦντος.

V. GENNADIUS.

Leo Allatius in Diatriba *de Georgiis*, observat ipso Georgii Scholarii, qui & *Gennadii* nomen assumpsit, & Constantinopolis patriarcha fuit, tempore, claruisse *Gennadium Georgium Scholarium alterum metropolitam Phasorum*, ad quem exstat Francisci Philelphi Elegia Græca lib. 2. Psychagogiæ carminum Græcorum, cujus & hoc initium est.

ὅν μοι ὄντι νέῳ νεαρὸν πάνυ δῖα θεάων
ἐν Βύζαντος ἔρῳ ἥψατο Καλλιόπη

VI. ***

Sæculo decimo-sexto labente *Laziæ* vel *Lazicæ metropolita* adfuisse fertur synodo Constantinopolitanæ Hieremiæ patriarchæ II. in qua de Simonia arcenda actum est. Hist. Eccl. Turco-græc. pag. 179.

VIII. SCIAMOCHMEDELUS.

Sæculo decimo-septimo adulto, Clerici regulares, qui Theatini vulgo audiunt in Iberiam & Colchidem à sede Apostolica prædicationis gratia missi narrant, illius gentis homines complures ad catholicam communionem adductos, & meliore baptismo lustratos, in quibus Regina fuit, & imperio secundus à Rege Pata Zulachias, & Patriarcha ipse

Galan. hist. Arm. de Colch. & Iber. pag. 168.

Sciamochmedelus cum episcopis duobus, qui subinde sacris ordinibus initiati sunt à Cyrillo metropolita Trapezuntio alioque episcopo Græco, Romanæ Ecclesiæ utroque addictissimo. Iterati vero baptismi hæc legitima causa fuit, quod Iberes Georgianique omnes singularem baptisandi ritum habeant, quem cum aliis eorum ritibus Urbano Papæ Petrus Avitabolis Clericus regularis ad hunc modum exposuit: *Primum*, inquit, *sacerdos super infantem baptisandum preces legit, quas inter & formulam verborum baptismi necessariam, perinde ac si una esset ex dictis precibus, Græco ritu prolatam, & tunc sine infantis ablutione percurrit. Tunc expleta lectione exuitur vestibus infans, qui tandem tempore notabili à formæ prolatione excurso, non quidem ab ipso sacerdote, sed à susceptore sine alia prolatione formæ totus diligenter abluitur.* Idem de Georgianorum Iberorumve baptismo narrat prorsus in suo Itinerario Persico & Colchico Joannes Chardin.

VIII. ZACHARIAS.

Urbanus Papa VIII. cum Regulares Clericos in Georgiam, Iberiamve prædicationis causa misisset, *Zachariæ totius Iberiæ metropolitæ* an. 1631. epistola gratulatus est, quod humanissime illos excepisset, eisque ecclesiam concessisset, in qua rebus sacris operarentur. Hanc Galanus integram recitat Tomo 1. Conciliat. Eccles. Armenorum cum Romana pag. 138. sed & ante biennium, anno nempe 1629. idem Zacharias Urbano hunc in modum scripserat, Leone Allatio teste lib. 3. de Consens. cap. 8. n. 1. *Ipse qui grandis sum, & quo non est grandior usque ad Lunam inter episcopos hoc in loco; qui præsum oleo baptismi, qui corde teneo & ore profiteor sanctissimam Triadem, qui sum pater magnus totius Gurgustan, qui sum caput universæ hujus regionis, qui nuncupor Catholicus Zacharias tibi, qui vicem Petri & Pauli geris, qui fuerunt in istis locis Christi oratores, & es caput istius Ecclesiæ, Papa nuncupatus, salutem & profundam reverentiam.* Aliam quoque simul epistolam dedit Cardinalibus Romanis Congregationis de propaganda fide, cujus initium perinde recitat Allatius. Etsi vero sese ille totius Gurgistan, seu Georgiæ caput esse jactitet, attamen à Blazio Terzi lib. 1. *de Syria sacra*, quem Italico idiomate scripsit, Iberiæ dumtaxat Inferioris seu Colchidis Catholicus censetur. *Di questa natione fù Patriarcha Zacharia, il quale per mezzo di Missionarii rese ubidienza al sommo Pontifice Urbano VIII.*

IX. GREGORIUS.

Iberiæ Inferioris Catholicus nuper sedebat *Gregorius*, ὁ τῆς κάτω Ἰβηρίας Γρηγόριος, uti fertur in Illustrissimi Patriarchæ Hierosolymitani Schedis.

IV. ECCLESIA PETRÆ.

IN eâ parte Ponti, ubi littus in cornuum Lunæ figuram curvari incipit, urbs *Petra* posita est, quam Procopius lib. 2. *de bello Persico* urbem esse Colchidis maritimam ait, Lazicam à Colchide non admodum secernens; quæ cum ignobilis esset locus, à Justiniano muro omnique apparatu munita est, & splendidissime ornata; à quo proinde tempore sedes Episcopalis evasit. Unius diei spatio distabat Absarunte, atque, ut idem autor narrat lib. 2. *de Bello Persico* cap. 29. in Lazica deserta consistebat. Hanc à Chosroë rege Persarum obsessam refert & captam tum postea à Romanis recuperatam & solo æquatam. Revixit tamen, quando ejus episcopus Trullanis canonibus subscripsit.

EPISCOPI PETRÆ.

I. JOANNES.

QUini-sextæ synodi canonibus subscripsit *Joannes indignus episcopus Petrarum, Lazorum regionis*, Ἰωάννης ἀνάξιος ἐπίσκοπος Πετρῶν τῆς Λαζῶν χώρας.

V. ECCLESIA ZYGANORUM.

IN Notitia veteri altera Lazicæ episcopalis civitas est *Zygana*, ὁ Τζυγανέων, *Episcopus Tzyganeorum*.

EPISCOPI ZYGANORUM.

I. FAUSTINUS.

CAnonibus Quini-sextæ synodi subscripsit ante Joannem Petrarum *Faustinus episcopus Gyganorum regionis*, Φαυστῖνος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Γιγάνων χώρας. Emendandum, Τζυγάνων τῆς Λαζῶν χώρας.

XI. PROVINCIA

XI. PROVINCIA ALANIÆ.

I. ECCLESIA ALANIÆ.

METROPOLIS.

ALANI Lazis vicini ſunt Septemtrionem verſus, jam olim, Procopio teſte, Chriſtianorum & Romanorum amici, ut & Abaſgi, quos Juſtiniani ætate Chriſtianam religionem amplexos narrat lib. 4. *de bello Gothico* cap. 3. Alaniam Ponticæ Diœceſi attributam fuiſſe tradit Zonaras in can. 28. Chalcedonenſis ſynodi, ubi exponit quæ Barbaricæ gentes hoc canone ſignificentur: εἰσὶν οἱ Ἀλανοὶ καὶ Ῥῶσοι. οἱ μὲν γὰρ τῇ Ποντικῇ διοικήσει, οἱ δὲ Ῥῶσοι τῇ Θρᾳκικῇ συμπαράκεινται. *Sunt iſti Alani & Ruſſi, quorum illi quidem Ponticæ diœceſi adjacent, hi vero Thracicæ.* Balſamon quoque in eumdem canonem, *Epiſcopatus apud Barbaros eſſe* dixit, *Alaniam, Ruſſiam & alios. Alani quippe Ponticæ diœceſis ſunt, Ruſſi verò Thracicæ,* οἱ μὲν γὰρ Ἀλανοὶ τῆς Ποντικῆς εἰσὶ διοικήσεως, οἱ δὲ Ῥῶσοι τῆς Θρᾳκικῆς. Nimirum regiones ultrà Tanaidem, ubi flumen hoc in paludem Mæotidem influit, Orientem verſus poſitæ, Aſiæ accenſuerunt recentiores, ut proinde Ponticæ potius Diœceſis cenſerentur, ac non Thracicæ. Procopii vero ætate Europæ cenſebantur qui à dextris Phaſidis fluminis habitabant; Aſiæ autem qui à ſiniſtris. Nicephorus Gregoras lib. 6. teſtatur Maſſagetas, qui trans Iſtrum habitabant, à Byzantinis vulgo Alanos appellari, τινὰς τῶν ὑπὲρ Ἴστρον Μασσαγετῶν Ἀλανοὺς κοινὴ καλεῖ διάλεκτος, qui jam olim Chriſtiani erant, Scytharum vero tyrannide premebantur; ſed in ejus textum mendam irrepſiſſe, ac pro Ἀλανοὺς legendum eſſe Βλάχους verosimillimum mihi quidem videtur. In Notitia Leonis Imperatoris ſexageſima ſecunda metropolis eſt Alania ξϐ'. ἡ Ἀλανία.

EPISCOPI ALANIÆ.

I. * * *

A SYnodo Michaëlis Oxitæ patriarchæ Conſtantinopolitani, in qua ad ordinem redacti ſunt epiſcopi duo ſpurii, neque ſecundum Eccleſiæ regulas ordinati, Clemens Saſimorum & Leontius Balbiſſæ, aderat *metropolita Alaniæ*, τῆς Ἀλανίας. Allat. lib. 2. de Conſ. cap. 12.

II. GEORGIUS.

In ſynodo Michaëlis Anchiali patriarchæ Conſtantinopolitani, in qua vetitum eſt, ne Clerici ex aliena diœceſi crearentur, ſedebat *Georgius Alaniæ metropolita*, Γεωργίου Ἀλανίας. B Lib. 3. Juris Græco-Rom. pag. 227.

III. * * *

Theodorus Balſamon in can. 30. Concilii in Trullo, quo prohibetur, ne regionum barbaricarum ſacerdotes, qui communi uxorum ſuarum conſenſu inito, ab ipſarum conſuetudine abſtinent, cum eis in poſterum habitare debeant, narrat ſe à variis epiſcopis, qui de Ruſſia venerant, atque ab ipſo *Alaniæ metropolita* ſciſcitatum, ἀλλὰ μὴν καὶ τὸν μητροπολίτην Ἀλανίας, num apud ipſos ſtatutum illud vigeret, accepiſſeque ipſorum ſacerdotes etiam poſt ordinationem ſuam ab uxoribus ſibi nequaquam temperare.

IV. THEODORUS.

Tempore Germani II. patriarchæ Conſtantinopolitani Alaniæ epiſcopus ſedebat *Theodorus;* quod narrat Doſitheus Hieroſolymitanus lib. 12. cap. 2. paragr. 10. καὶ ἐπὶ τούτου τοῦ Γερμανοῦ ἦν ἐπίσκοπος Ἀλανίας Θεόδωρος.

V. * * *

Synodo quoque Byzantinæ, quæ in Becci cauſa ſub Andronico ſeniore habita eſt, aderant *metropolitæ Alaniæ*, Soteriopolis & Zecchiæ, ut fert idem autor ibid.

VI. * * *

Apud Nicephorum Calliſtum lib. 14. c. 39. & in Jure Græco-Rom. ubi de tranſlationibus epiſcoporum, p. 295. fertur *Alaniæ* epiſcopo traditam fuiſſe eccleſiam Soteriopolis, quam

ECCLESIA ALANIÆ. simul administraret, τῆς Αλανίας ἐδόθη ἡ Σωτηριούπολις; quod factum est Andronico juniore Palæologo Imperatore.

VII. Laurentius.

Anno mundi 6855. Christi 1347. mense Septembri, Ind. xv. habita synodus est aliquot metropolitarum, qui relationem dederant Annæ Andronici II. seu junioris viduæ adversus Joannem Calecam patriarcham, A ceu Barlaami & Acyndini placita sectaretur; subscripsit ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Αλανίας καὶ Σωτηριουπόλεως Λαυρέντιος, *humilis metropolita Alaniæ & Soteriopolis Laurentius*. Hic anno insequenti, mense Februario, subscripsit sententiæ excommunicationis & exauctorationis Joannis Calecæ patriarchæ, qui Palamitarum dogmatis non faveret. ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης πάσης Αλανίας καὶ Σωτηριουπόλεως Λαυρέντιος. Lamb. Bibl. Cæs. lib. 6. cod. 6.

II.

ECCLESIA BITZINES.

Bitzine Alaniæ, ut videtur, civitas fuit, quando Georgius Pachymeres testatur ab Alanis Bitzinæ episcopum delegatum fuisse ad Andronicum Palæologum Imperatorem. Imo metropolitam fuisse constat ex sententia synodi, quam habuit Athanasius Constantinopolitanus adversus Joannem Drimyn.

EPISCOPI BITZINES.

I. Lucas.

Alani Bitzines episcopum oratorem miserunt ad Andronicum Palæologum Imperatorem Michaelis Palæologi filium, ut ipsos in militiam suam admitteret, ἀρχιερεῖ προσελθόντες Βιτζίνης, quod ei benignè concessit Imperator. Pachym. lib. 4. cap. 16. Atqui *Lucas* hic nominabatur, eodem Pachymere teste lib. 5. cap. 3. ubi narrat Joannem Glycyn patriarcham anathema intorsisse eidem Imperatori, qui ad se accederet patriarchatus abdicationem adhortaturus. Aderant cum patriarcha Babylas Ancyranus, Nicephorus B Cretensis, *& Lucas Bitzines*, καὶ ὁ Βιτζίνης Λούκας. Idem utique est metropolita Bitzines, qui synodo adfuit Athanasii Constantinopolitani, in qua Joannes Drimys Ecclesiæ & Imperatori perduellis proscriptus fuit. Cod. Regius, olim Illustr. Archiep. Remensis, inter ejusdem Athanasii epistolas.

II. * * *

Anno M. 6849. mense Augusti, Ind. IX. 1341. sententia synodi Byzantinæ Barlaam & Acyndinus Palamiticæ hæresis impugnatores damnati fuere, cui subscripsit *Bitzines episcopus*, cujus nomen omissum est, καὶ ὁ Βιτζίνης. Bibl. Cæs. lib. 6. cod. 6.

III.


ECCLESIA CAUCASI.

Caucasus mons Asiæ notissimus inter Pontum-Euxinum ad occasum, & mare Caspium ad ortum. Ad medium usque montis plures reperiuntur pagi, teste Chardino in suo Itinerario, quos Christiani Georgiani incolunt; sed & episcopalis sedes in eo monte, aut circa illum in aliqua ejusdem nominis civitatula ponitur in pluribus Notitiis ὁ Καυκάσου, *Episcopus Caucasi*.

EPISCOPI CAUCASI.

I. Basilius.

Concilio Constantinopolitano, quod Joannis Becci causa, sub Andronico Palæo- C logo seniore habitum est, aderat *Basilius Caucasi episcopus*, καὶ ὁ Καυκάσου Βασίλειος, ut fert Dositheus Hierosolymitanus lib. 12. de Patr. Hierosol. cap. 2. parag. 10.





XII. PROVINCIA ABASGIÆ.

ABASGIAM Procopius describit lib 4. *de bello Gothico*, cap. 3. superiori capite dixerat littus quod è regione est Petræ, in parte Europæ obtinere Apsilios sub Lazorum dominatu, à multo tempore Christianos, quemadmodum & vicinas nationes alias, quas illic memoravit. Atqui trans Apsilios & curvi, Lunæ instar, Euxini-Ponti recessus caput oram habere maritimam ait Abasgos ad usque Caucasum pertinentes, qui olim Lazorum ditionis censebantur, sub geminis Principibus popularibus suis. *Hi Barbari ad meam ætatem,* inquit, *lucos & sylvas coluerunt, barbara simplicitate arbores in Deorum ducentes numero*, summa vero duorum Principum avaritia admodum vexabantur, cum ambo Reges quoscumque viderant elegantes pueros, à parentibus ablatos, virilibus exsectis, Romanis aliisque gentibus venderent; ita ut spadones inter Romanos agentes, etiam in aula Imperatoris, Abasgi essent. Tandem, *principe Justiniano, omnia Abasgis in mitius meliusque conversa sunt. Nam & Christianam Religionem amplexi sunt, & missus ad eos quidam ex Eunuchis palatii, Abasgus genere, nomineque Euphratas, ipsorum Regibus disertè edixit, ne cui deinceps virilitatem exciderent. Tum Justinianus Augustus Deiparæ templum apud Abasgos condidit, ibique sacerdotibus constitutis, effecit ut ritus Christianorum omnes edocerentur.* Hæc Procopius. Quocirca Abasgia, sacrorum Christianorum principem habere cœpit, cujus sedes fuit Sebastopolis Lazicæ, eodem Procopio teste, ad Phasim fluvium, ejusque ostium in littore Ponti, civitas à Justiniano Imp. refecta, quæ in Notitia veteri ecclesiastica inter archiepiscopatus habetur, & inter metropoles in recentioribus aliis, ἐπαρχίας Αβασγίας ὁ Σεβαστουπόλεως, *Provinciæ Abasgiæ Sebastopolitanus.* Ejus hodie nomen est *Syrmenæ*. Sebastopolim Procopius lib. 4. *de bello Gothico*, cap. 4. in Lazorum Sagidarum regione collocat, ut & Pityuntem. Eam à Justiniano Provinciæ Ponti Polemoniaci attributam refert. Refecit hanc Justinianus, ut inexpugnabilis esset. Vide in Sebastopoli Armeniæ primæ.





DIŒCESIS ARMENIÆ MAJORIS.

DE ARMENIA MAJORE.

Major Armenia Ponticæ diœcesis appendix.

I. DIxi de Armenia minore, quæ cis Euphratem Taurumque montem posita, Cappadociæ affinis, ac Ponticæ diœcesis facta est à Romanis Imperatoribus. Nunc de Armenia Majore mihi sermo erit, quæ perinde atque minor, Cæsariensi Primati, quod rem christianam spectabat, obnoxia aliquandiu mansit; quamlibet à nonnullis Scriptoribus Græcis Antiochenæ diœcesis pars esse putata sit, velut & aliæ Orientis provinciæ propter sextum Nicæni concilii canonem.

Armeniæ situs, fines.

II. Armenia in divinis scripturis Hebraïcis *Ararat* nominatur, in cujus præcelsis montium jugis arca quam Noë fabricaverat, diluvii aquis decrescentibus requievit. Hæc ab occasu Armenia minore, Tauro, Paryadribusque montibus atque Euphrate flumine finiebatur Meridiem versus, ipso quoque Tauro monte à Mesopotamia dirimebatur; ab ortu Mediæ, ab Aquilone demum Iberiæ & Albaniæ finibus terminabatur. Ita Strabo lib. 11. cui fere consonant Plinius & Ptolemæus.

Reges.

III. Quo tempore Christiana religio in Orbem propagari cœpit, suis Regibus Armenia parebat, ex Arsace Parthorum Imperii auctore progenitis: Theodosii vero junioris ætate ejus pars alia Romanis, alia Persis subjecta fuit. Quum enim Arsaces postremus Armeniæ Rex utrumque filium suum Tigranem & Arsacem suæ ditionis ex æquo hæredes successoresque designasset, indigne ferens Arsaces, ceu fratre conditione pejor habitus esset, sua parte Theodosio Imperatori cessit. Quamobrem Tigranes sibi à Romanis metuens, sese vicissim, suosque Isdegerdi Persarum Regi dedidit, ejusque adeo pars à Græcis Persarmenia dicta est.

Persarmenia.

De Armeniæ metropoli.

IV. Armeniæ majoris primaria olim, Strabone teste, civitas fuit *Artaxata*, vel *Artaxiasata;* quam Tacitus sub Nerone, à Corbulone duce igne deletam & solo æquatam scribit. Hanc tamen Plinius inter Armeniæ urbes numerat: sed & Ammianus Marcellinus lib. 25. indicare videtur, eam instauratam subinde fuisse, factamque ut antea regni metropolim; ubi nempe narrat Parthos Arsace Rege, maximum Armeniæ latus Medis conterminans, & Artaxata, inter dissensiones rapuisse. In Annalibus vero Armenorum, Tiridate Armenorum Rege, qui Constantino M. Imp. vixit, Armeniæ primaria urbs indigenis *Vagharsciabat* dicta esse fertur; quæ an eadem fuerit atque *Artaxata,* operosius luberet inquirere.

Armeni à S. Bartholomæo edocti.

V. Sophronius, qui S. Hieronymi Scriptorum Ecclesiasticorum Catalogum in Græcum sermonem convertit, Bartholomæum Apostolum religionem in Armeniam intulisse perhibet, & *Albanopoli in majoris Armeniæ civitate quievisse,* ἐκοιμήθη δὲ ἐν Ἀλβανοπόλει τῆς μεγάλης Ἀρμενίας. Nicetas Paphlago *Orbanopolim,* Ὀρβανούπολιν dicit, alii autem *Olbanopolim*, Ὀλβανούπολιν, quod vocem Ἀλβανούπολιν, *Albanopolim* retinendam monet, propter Albana oppidum Albaniæ, quæ Armeniæ quoque à quibusdam censita est. Albana autem urbs ad Hyrcanum sive Caspium mare inter Casium & Albanum amnem posita erat.

A Thaddæo quoque Christi discipulo.

VI. Cæterum Armeni non à Bartholomæo solum Christianas Leges sibi primum traditas ferunt, sed etiam à Thaddæo, quum Mesopotamiensibus, Medis & Persis prædicaret. Quocirca hic Thaddæus non unus fuisse è duodecim Apostolis putandus erit, sed alter ille è septuaginta Domini discipulis, qui Abgarum Edessæ in Mesopotamia Regem Evangelium docuit. Quamquam Armenis

esse persuasum non nescio, progenitores suos à Thaddæo sive Juda Cananæo Apostolo institutos primum fuisse. Quocirca Joannes Nicænus metropolita sæculo nono labente Zachariam Armenorum catholicum compellabat, tamquam magni Thaddæi Apostoli successorem. Verum brevi subinde vera religio in illa regione exstincta est, nec nisi sub sæculi quarti initiis Tiridate Arsacida Rege, revixit.

Gregorius Armenorum Illuminator.

VII. Tiridati Regi, totique genti Christianæ Legis admittendæ auctor fuit *Gregorius*, quem à doctrinæ cœlestis lumine, quo ipsos imbuit, *Illuminatorem*, Φωςῆρα, cognominarunt. Hunc Leontius Cæsareæ in Cappadocia primum Armenorum antistitem sacravit. Unde factum est ut Armenorum Ecclesia Cæsariensi deinceps Ponticæ Diœcesis Primati obnoxia fuerit, & Gregorii successores aliquando non nisi à Cæsariensibus episcopis ordinarentur. Id quod Gregorium & Leontium pactis conventis mutuo sanxisse Joannes Nicænus asserit in epistola ad Zachariam Armeniæ Catholicum. Διαθήκην ἀσφαλείας ἀναμέσον αὐτῶν ποιησάμενος διωρίσατο τὸν Ἀρμενίας κατὰ καιρὸν ἐπίσκοπον τὴν χειροτονίαν λαμβάνειν ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας καὶ ἀρχιεπισκόπου Καισαρείας. Quocirca Isaac Catholicus quum gentiles sui ab prisca illa consuetudine, ut à fide descivissent, magnum Pontificem Leontium, qui perspectam haberet malignam Armenorum mentem, Tiridati regi per literas significasse narrabat : *A me Sacerdotium accepistis : maneat ergo meæ sedi inconcussum jus ordinationis in vestra metropoli.* Cui Tiridates rescripsit : *Hujus rei sponsores exhibemus dexteram Excelsi, & pretiosam crucem in qua Christus extensus est, necnon baptisma, in quo sumus baptizati, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, & mortis omnium Sanctorum qui mortui sunt pro Christo, fore ut inconcussi perseveremus, servemusque tuum mandatum.* Quum itaque Gregorius ejusque successores, Cæsariensis præsulis nomine Ecclesiam illam omnem moderarentur, *Catholicorum*, Καθολικῶν, q. d. *Procuratorum generalium* appellatione donati sunt, tamquam illorum Vicarii.

II. Invect. in Armen.

Catholicus Armenorum unde sic dictus.

Ante Constantini tempora Christiani erant.

VIII. Armenos quidem ante Constantini Magni tempora Christo nomen dedisse inde colligo, quod Maximinus Imper. in Christianos sæviens, Armenos Romanorum pridem socios, bello ea dumtaxat de causa lacessere non dubitavit, quod Christi Leges omni studio colerent, illosque adeo ex amicis inimicos, & ex sociis infestos hostes fecit, quemadmodum narrat Eusebius lib. IX. hist. cap. 8. Τούτοις προσεπανίσταται τῷ τυράννῳ ὁ πρὸς Ἀρμενίους πόλεμος, ἄνδρας ἐξ ἀρχαίου φίλους τε καὶ συμμάχους Ῥωμαίων, οὓς καὶ αὐτοὺς A Χριστιανοὺς ὄντας, καὶ τὴν εἰς τὸ θεῖον εὐσέβειαν διὰ σπουδῆς ποιουμένους, ὁ θεομισὴς εἰδώλοις θύειν καὶ δαίμοσιν ἐπαναγκάσαι πειρώμενος, ἐχθροὺς ἀντὶ φίλων, καὶ πολεμίους ἀντὶ συμμάχων κατεστήσατο. Cæterum bellum istud impio Imperatori non successisse subdit Eusebius.

Primi Catholici à Cæsariensi episcopo ordinati.

IX. Primos Armenorum Catholicos, prima illa ætate ordinationem à Cæsariensi Primate accipere solitos, testatur in primis *narratio* de rebus Armeniæ, quam Combefisius noster Græcè Latinèque edidit tom. 2. Auct. Bibl. PP. Græcorum, & cujus verus B auctor mihi videtur fuisse Isaac ille Catholicus, quem mox appellabam, qui Justiniano II. Imp. Constantinopoli Orthodoxam fidem, hæresi ejurata, professus est, atque adversus gentiles suos hæreticos invectivas duas erudite scripsit.

Cur Armeni pristinos Catholicos Romæ ordinatos dixerint.

X. Propter quem veterem morem, quo prisci Armeniæ Catholici à Romanæ ditionis archiepiscopo consecrabantur, inde factum est, ut Armeni recentiores, qui Apostolicæ sedis Romæ veteris communionem ambierunt, nulla diligentiori inquisitione facta, C existimarunt priscos suos Catholicos Romam adiisse, ut illic summo sacerdotio initiarentur. Quod ut illis persuasum magis esset, nonnulli confingere non dubitarunt, *diploma autographumque pacis & concordiæ fœdus inter magnum Imperatorem Constantinum, sanctumque Silvestrum Papam, & Tiridatem Regem Armeniæ, sanctumque Gregorium Armeniorum Illuminatorem;* quod quidem Romæ sancitum fabulantur, sed ipsa sola lectione nullam mereri fidem deprehenditur. Hoc fere totum Clemens Galanus Armenice Latineque evulD gavit tom. 1. *Concordiæ Ecclesiæ Armenæ cum Romana* cap. 2. Nec vero absonum fuerit observare, Armenos in illo Turcomannos dici, tumque post quædam alia hæc subjungi: *Unde ipsum Gregorium in nomine sanctissimæ Trinitatis benediximus, imponentes capiti ejus dexteram sancti Petri Apostoli, & sacrum linteum Jesu Christi* (illud puto quod Veronicæ dicunt) *atque constituimus eum, unaque cum illo suos etiam successores, summum Armeniorum omnium Patriarcham, volumusque ut in posterum Pontifex Armeniæ ordinet Patriarcham Georgianorum; &* E *potestatem habeat alios instituendi episcopos super illos Armenios, qui inter alias Christianorum nationes ubique dispersi reperiuntur : tum quod Albanensium regio sub peculiaris Patriarchæ obedientiam redigatur, qui ab Albanensi Rege promotus, ab eodem Armeniorum pontifice consecretur.* Ad quem locum adnotare sufficiat, diplomatis auctorem sese vere Armenum prodere, etsi Catholicæ unionis studiosum, qui propter consuetum illum apud suos ritum imponendæ thecæ brachii

manuſque S. Gregorii capitibus eorum qui à Catholico ordinantur, dexteram S. Petri S. Gregorii capiti perinde fuiſſe impoſitam finxit. Quæ ſequuntur conficta quoque ſunt ad ſtatuendum jus quod Catholici Armeniæ ſibi vindicabant erga Catholicos Iberiæ & Albaniæ. Cæterum minime prætermittendum puto, ex epiſtola quam Armeniæ epiſcopi & preſbyteri S. Proclo Conſtantinopolitano, Theodoſio juniore Imp. ſcripſerunt, apparere illos in rebus quæ religionem ſpectabant, Byzantinos novæ Romæ præſules eorumque ſynodos conſulere tunc conſueviſſe.

Armeni ſinceri fidei aliquando cultores.

XI. Atqui vera ſinceraque Fides Chriſtiana apud Armenos ſæculis aliquot perſeveravit, ac quidem poſtremis Thedoſii junioris annis, quando frequens illius gentis præſulum ſynodus, an. ſcilicet 437. epiſtolam Proclo Conſtantinopolitano ſcripſit propter Neſtorianam impietatem & Diodori Tarſenſis, Theodori Mopſueſteni volumina quæ proſcripſerant. Hæc autem illorum epiſtola Latine habetur collat. 5. concilii Quinti generalis: ſed & Armenorum concilii meminit Liberatus in Breviario, quin etiam auctor *Narrationis de rebus Armenorum*, qua fertur ſynodum illam celebratam eſſe in urbe *Spahan;* quam non aliam arbitror fuiſſe præter *Hiſpahanum*, vel *Iſpahanum* quæ Perſici hodie regni caput eſt. Quibus addam Theodoretum duobus Perſarmeniæ epiſcopis anno circiter 420. ſcripſiſſe, quo tempore furebat in Chriſtianos Perſidis acerbiſſima perſequutio.

Conſtantinopolitanam ſedem in dubiis conſulebant

XII. Ut vero ſynodus illa Spahanenſis cogeretur, Acacius Melitenes in Armenia minore metropolita & Rabulas Edeſſenus, auctores ipſis fuerunt, ne ſcilicet Diodori Tarſenſis & Theodori Mopſueſteni libros, qui ad illos in Neſtorianum errorem alliciendos in Armenicum idioma tranſlati erant, ullo pacto admitterent. Conſtantinopolim vero *ſecundum morem,* ait Liberatus, *miſſi ſunt cum libellis ſuis* Leontius & Aberius preſbyteri, ut diſcerent utra doctrina, Theodori, an Acacii & Rabulæ vera eſſet. Theodori librum Proclus cum ſua ſynodo proſcripſit, ſuaque ad Armenos epiſtola ad Neſtorianorum verſutias perimendas ſanxit, ut *unus de Trinitate caro factus* diceretur, quemadmodum à Nicænis Patribus definitum erat, ſubindeque à SS. *Baſilio & Gregorio,* καὶ τῶν περὶ τῶν ἁγίων Βασιλείου καὶ Γρηγορίου. Gregorium, ut videtur, Theologum ſignificabant, ſive Nazianzenum. Quidni vero forſan Gregorium Armenorum Doctorem intelligebant, ut & Baſilium Cæſarienſem, cujus ſedi ſeſe obnoxios Armeni noverant!

Monophyſitarum & Incorrupticolarum errores admittunt.

XIII. Verum inſequente ſæculo à Catholica fide & communione Armeni defecerunt, A pro ſummo quod erga Neſtorianam impietatem conceperant odio, atque Eutychianum errorem amplexi Chalcedonenſem ſynodum abjecerunt. Gregorius Bar-Hebræus qui & Abulfaragius, Armenos quidem à Samuële famoſi illius Barſumæ, qui à Chalcedonenſi concilio proſcriptus fuit, puro puto Eutychianiſmo & Phantaſiaſtarum ſive Aphthartodocetarum errore depravari cœpiſſe in Syriaco chronico ſcripſit, quod tamen non ita certum videtur. Quinimo nonniſi à Juliani Halicarnaſſenſis diſcipulis decepti in inſanam illam doctrinam B impegerunt, Domini corpus nulli unquam corruptelæ obnoxium fuiſſe aſſerentes. Cujus Armenorum defectionis auctorem fuiſſe *Petrum* quemdam indicat Photius; Euthymius vero Zygabenus, *Ecbanium* quem & *Mandacunem* cognominat. Ille vero qui *Narrationem de Armenorum rebus* ſcripſit, *Nerſapo* dicit epiſcopum *Taronis,* qui anno decimo-nono regnantis apud Perſas Cabadis epiſcopatum adeptus, una cum *Aptiſo* (Abdiſu) Syro, quem ſocium erroris admiſerat, Chalcedonenſes Patres Neſtorium ſequutos, C à fide aberraſſe docuit. Is quoque Armenis ſuis auctor fuit, ut poſthabita ſancti Doctoris ſui Gregorii inſtitutione, mandato ea de re à Rege Perſidis accepto, Catholicos ſuos ex ſua patria, Cæſarienſi præſule neglecto, conſtituerent; quam poteſtatem ipſis à ſancto illo Gregorio factam, aperto mendacio fingere non dubitavit.

Joannes Mandacunes Catholicus, ab hæreſi alienus.

XIV. Quod *Ecbanium Mandacunem* attinet, is mihi omnino diverſus eſt à Joanne Mandacune Armeniæ Catholico decimo-quarto, qui Eccleſiæ Armenicæ preces, Liturgiamque D diſpoſuiſſe & auxiſſe fertur. Hunc enim Galanus Clericus regularis pereruditus in Annotationibus ad Annales Patriarcharum Armeniæ, Chalcedonenſis Fidei ſtrenuiſſimum aſſertorem fuiſſe contendit. Sed & illum dudum antea mortem obiiſſe conſtat, quam Gaianus Alexandrinus & Julianus Halicarnaſſenſis erroneum ſuum de Corporis Chriſti immunitate à corruptione dogma cuderent. Sin Joannes Græcis peccaſſe viſus eſt, reatus ejus ad ritus quoſdam varios ſpectavit potiùs, quam ad Catholicæ Fidei norE mam. Græci ſiquidem Armenos, non eo ſolo nomine inſectabantur quod Fidem adulteraverant, ſed propter ſpeciales etiam ritus quibus ab aliis Eccleſiis diſcrepabant. Alioqui vero apud Armenos extitit aliquando *Joannes* alter *Maracunenſis,* pervicaciſſimus hæreticus, quo tempore Heraclius Imperator Orienti dominabatur; illum utique ſequioris ævi ſcriptores Græci à *Mandacune Joanne* non diſtinxerunt, ob utriuſque cognominum ſimilitudinem.

Synodus Tibenensis hæresim decreto sanxit.

XV. At vero omnis Armenorum gens Incorrupticolarum (Græce Ἀφθαρτοδοκήτας dicunt) errorem generali decreto complexa non erat, ante magnam illam synodum, quam Nierses Pacriesantanus decimus-septimus Catholicus Persarum Regis jussu, Nersapo illo episcopo agente, in urbe *Tiben* vel *Tiven* aut *Thevin*, habuit. Hæc *in narratione de rebus Armeniæ* coacta legitur anno 24. ejusdem Niersesis 12. Justini II. Imper. & Chosrois Persarum regis 24. Narrationis locum integrum juvat hîc describere: *Ὥρισαν δὲ μεγάλην σύνοδον ἐν πόλει Τίβην τῷ κδ'. ἔτει τοῦ αὐτοῦ Καθολίκου Νορσέση, καὶ τῷ ιβ'. ἔτει τοῦ Ἰουστίνου, καὶ τῷ κδ'. Χοσρόη τῶν Περσῶν βασιλέως, καὶ τῷ ἐνιαυτῷ ᾧ ἐμαρτύρησε Νεστιποσὶ, καὶ ἐν ἀρχῇ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν Ἀρμενίων, ὅτε καὶ τὴν ἁγίαν σύνοδον τὴν ἐν Χαλκηδόνι ἀνεθεμάτισαν ὡς Νεστοριανὴν, κατὰ τὸν λόγον Ἀπτισῶ, ὅτι τῷ αὐτῷ χρόνῳ τὰς γραφὰς ἡρμήνευσαν, τὰς ἐνεχθείσας ἀπὸ τοῦ Ἀπτισῶ, τὰς προμνημονευθείσας, τὰς γραφείσας παρὰ Τιμοθέου καὶ Φηλίκου τῶν Σύρων, κατὰ τῆς συνόδου τῆς ἐν Χαλκηδόνι, καὶ κατὰ τῶν ὁμολογούντων δύο φύσεις ἐπὶ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, καὶ ἐναντίαν σύνοδον ἐδογμάτισαν λέγοντες, μίαν φύσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου καὶ τῆς σαρκὸς, καὶ τῇ ἀθανάτῳ φύσει αὐτὸν ἐσταυρῶσθαι καὶ τεθνάναι. κ. τ. ἑ.* *Illi magnam synodum in urbe Tiben indixerunt anno 24. prædicti Catholici Norsesis, & 12. Justini Imp. necnon 24. Chosrois Regis Persarum, quo etiam anno Nestiposti martyrium obiit, atque initio numeri Armenorum; quando sanctam Chalcedonensem synodum devoverunt, ut Nestorianam, veluti docuerat Aptiso, quum eo tempore scripta sibi ab eodem Aptiso allata interpretati essent, quæ Timotheus & Felix Syri contra Chalcedonense Concilium, & illos qui naturas in Christo Deo nostro duas confitentur ediderunt, contrariamque synodum statuerunt dicentes, unam naturam Dei Verbi & carnis, ac fuisse ipsum immortali natura crucifixum & mortuum. Unde etiam illud,* QUI CRUCIFIXUS ES, *addiderunt cantico* SANCTUS DEUS, *secundum Petrum Fullonem, qui in eodem atque Sabellius errore versatus est.*

Tempus hujus synodi.

XVI. Hæc narrationis scriptor, quæ tamen in annis assignandis multiplici nævo laborant. Nam duodecimus Justini Imp. etiam junioris annus componi nequit cum Chosrois 24. uti neque Justiniani duodecimus. Constat enim Chosroem I. anno Dom. 531. Persicum thronum scandisse, qui Justiniani quintus fuit. Quo fit ut 24. Chosrois incidat in Justiniani 28. Christi 554. ut proinde cum duodecimo Justini II. anno colligari minime queat. Ad hæc Norsesi seu Niersesi in fine narrationis, ut & in Annalibus Armenorum, quinque dumtaxat episcopatus anni tribuuntur; non ergo vigesimo quarto anno Concilium habuit.

Hæresis Armenorum Epoche.

XVII. At vero ex his quæ leguntur ad calcem Narrationis, Armenorum hæresis initium arcessendum omnino est ab anno Christi 554. Ibi namque fertur Armenos, etsi à S. Gregorii Doctoris sui aliorumque Patrum traditionibus utcumque desciverant, de Chalcedonensis tamen synodi Fide nihil quidquam, imo nec de duabus Christi naturis, in dubium revocasse usque ad annum 103. *ἀλλ' οὐ περὶ τὴν πίστιν, καὶ τὴν σύνοδον τὴν ἐν Χαλκηδόνι, καὶ περὶ τὰς δύο φύσεις τὰς ἐν Χριστῷ τῷ Θεῷ ἡμῶν, οὐδεμίαν ἀμφιβολίαν εἶχον, ἕως ἐτῶν ρ' γ'.* quo Tibenensem suam Synodum celebrarunt. Qui certe annus 103. à synodo Chalcedonensi, seu Christi 451. ipsissimus est Christi 554.

Æræ Armenorum initium.

XVIII. Verum Photius in epistola ad Zachariam Armeniæ ipsius ævo Catholicum, quam Galanus recitat tom. 3. alium annum assignat celebratæ synodi Tibenensis. Ait Chalcedonense Concilium admissum ab Armenis fuisse annos 84. à secundo Marciani Imper. qui fuit Christi 451. ad decimum usque Justiniani, & sextum Niersis III. Aschacharensis, sive Christi 535. quo à catholica Ecclesia in totum defecerunt. Id quod tamen stare non potest, quando Armenorum Æræ initium nequaquam convenit cum anno Christi 535. sed cum 552. Quocirca illius instituendæ causa altera omnino fuit, sed quæ nobis hodie comperta non est. Atqui ab anno Christi 552. Armenos Æram suam auspicatos esse discimus testimonio, quod Jacobus Byzantinus ipsorum Patriarcha præbuit suæ gentis de Eucharistiæ Sacramento, quod Latino idiomate editum exstat Tom. 3. de Perpetuit. fid. Euch. Datum si quidem est *Constantinopoli anno* MCC. pro eorum computo, *die 12. April.* & à Christo nato 1671. nam ductis calculis annorum illorum MCC. initium incidit in illum Christi annum 552. Id quod, jam olim ostendit Josephus Scaliger lib. 3. de Emend. Temp. p. 214. & lib. 7. p. 762. quin etiam Calvisius in Isagoge Chronolog. p. 81. Petavius quoque & alii. Sed & Armenos observant annorum suorum normam exegisse secundum morem veterem Persarum & Chaldæorum, quibus annus duodecim mensibus æqualibus triginta dierum constabat, cum quinque, sexve identidem, diebus Epagomenis, diemque Æræ ejusdem initialem fuisse addunt nonam Julii mensis anni 552. quæ in feriam 3. incidebat. Non abs re erit observare in Tibenensi illa synodo districtissime prohibitum fuisse, ne Armeni sacra Palæstinæ loca adirent. Cujus decreti hæc causa fuit,

quod potiora illius Provinciæ monaſteria ab Euthymio, Saba & Theodoſio condita erant, viris ſanctiſſimis Armenia oriundis, qui Chalcedonenſis Concilii Fidem magnis animis foverant & defenderant, apud quos monachi quamplurimi ex Armenia profecti vitæ ſanctimonia inſignes erant, qui divina officia patria lingua ſeorſim ab aliis recitabant, ad Liturgiam uſque, ad quam tamen ipſi cum reliquis vel Lauræ vel monaſterii alumnis cujuſcumque generis eſſent, pariter conveniebant. Verebantur ſcilicet ſchiſmatici illi præſules, ne Armeni ſui monaſteria illa inviſentes, errores quibus nuper imbuti erant ejurare docerentur.

Quando Armeniæ Catholici à Cæſarienſi ſede ordinari deſierunt.

XIX. Armeniæ Catholici à Cæſarienſi Primate ordinari dudum ante deſierant, quam aperto ſchiſmate ab Eccleſia Catholica defeciſſent. Ac primùm quidem Theodoſio M. Romanis imperante, Norſeſes ſive Nierſes I. Catholicus vir ſanctiſſimus à nefariis quibuſdam hominibus interemptus eſt: ei vero tres ſuffecti fuere, ſed nomine dumtaxat Catholici, non re, recuſantibus illius flagitii cauſa Cæſareæ Pontificibus manus illis ſacras imponere. Poſt vero *Iſaac* Cæſareæ iterum promotus eſt, ſed hunc nec Armeni, nec ipſorum Rex Artaſar ſive Arſaces receperunt. Verum aliquanto poſt facti pœnitentes, petita obtentaque ab Iſaaco venia, ejus nutu *Nazintzem* throni ſui cuſtodem, ſeu *Coadjutorem* dixeris, inſtituerunt, cui ſucceſſor datus eſt *Kiut* ſive *Citon*. Quo poſt Iſaacum Armeniæ præſulatum gerente, ceſſaſſe in totum aiunt conſuetudinem illam, ut Catholicus ab archiepiſcopo Cæſareæ conſecraretur, Perſarum Rege qui majorem regionis præcipuamque partem tenebat, prohibente, ne extra Armeniam epiſcopi ordinationis obtinendæ cauſa proficiſcerentur. *ἐν ταῖς ἡμέραις δὲ τούτου προσετάχθησαν παρὰ τοῦ βασιλέως τῶν Περσῶν χειροτονοῦν εἰς τὴν Ἀρμενίαν Καθολικοὺς καὶ ἐπισκόπους μέχρι τοῦ σήμερον.* Interim vero Catholica Fides apud illos integra perſeveravit uſque ad Juſtini Juſtinianive tempora, imo certe Anaſtaſii; quando, ut prædictum eſt Juliani Halicarnaſſenſis diſcipuli de Syria venientes impietatis ſuæ virus Armenorum animis infuderunt.

Armenorum Eccleſiæ metropolis.

XX. Armenorum olim Eccleſiæ metropolim fuiſſe ferunt, Galano teſte, civitatem *Vagarſciabat*, quam non aliam ipſi videri fuiſſe dixit præter *Artaxata*, vel *Artaxiaſata*, quæ regni ipſius caput extitit. In illa urbe *Vagarſciabat* monaſterium *Eſchmiazin* nuncupatum extructum eſt, quod Catholici Armeniæ hodieque ſedes eſt. Quamquam non tacendum eſt à Joanne Curopalata in *Conſtantino Monomacho Imp.* ut & proinde Cedreno, *Tibium* ſive *Tiben*, vel *Thevin* totius gentis primariam dici, *τῇ πόλει τοῦ Τιβίου, ἥτις ἦν τοῦ παντὸς ἔθνους μητρόπολις.* Niſi forte *Vagarſciabat* mutato nomine *Tiben* ſubinde appellata ſit: quod tamen ægre conceſſero; quando Galanus utramque diſerte nimis ex Armenorum monumentis diſtinguit; ſed *Vagarſciabat* ſucceſſu & iniquitate temporum deleta, Tiben regionis caput evaſiſſe. Plane urbs Vagarſciabat non ſupereſt hodie, nec profecto Tiben, quæ in recentiori Uſcani notitia non memoratur, ſed *Eſchmiazin* illud cœnobium tribus Eccleſiis conſtans, quod à S. Gregorio Illuminatore ſuo primitus conditum tradunt. Illud duobus ad ſummum leucis ab urbe Erivan diſtat.

De monaſterio Eſchmiazin.

XXI. Atqui monaſterium *Eſchmiazin* in ipſomet extructum eſſe loco aiunt, in quo Tiridatis Regis domus olim extabat, ejuſque nomen Armenica dialecto idem ſonat, quod *unigeniti deſcenſio*, ſive *manifeſtatio;* quia in eccleſiæ majoris ſuprema parte in qua altare poſitum eſt, Chriſtus Salvator S. Gregorio Doctori ſeſe videndum præbuit, quemadmodum ſibi à majoribus traditum narrant.

Catholici Armeniæ multi ſimul.

XXII. Armeniæ Catholici poteſtas in multos identidem diviſa fuit; idque variis de cauſis. Olim quidem, quum Romani unam Armeniæ partem tenerent, aliam Perſæ, Catholici perinde duo fuerunt; Mauritio ſiquidem Imperatore, Choſroes junior, Perſici Regni illius opera compos, Armeniæ portionem quæ Tiben uſque pertinebat, & Taron dicebatur, Romanis conceſſit. Quo factum eſt, ut illius partis incolæ, Apoſtolica Fide diligentius cum Græcis explorata, Chalcedonenſis concilii decretum de duabus Domini naturis amplexi ſint; quumque idcirco à gentilibus ſuis provinciæ *Aſpuran*, quæ Perſis ſuberat anathemati devoverentur, Catholicum illi ſuum peculiarem deſignarunt Joannem à Cacoſta regionis *Pancratorum*, qui ſuæ parti præfuit ad annum uſque Phocæ Imp. quintum. Poſt vero Phoca à Choſroe II. ſuperato, Joannes ab alterius partis Catholico hæretico ſolum vertere coactus eſt, Armeniique quos ille curaverat, hæreſim iterum adm iſere. Sed & tres ſimul Catholicos variis Armenorum regionibus præfuiſſe mox dicemus, quorum unus erat Eſchmiazinenſis, alter Aghtamarenſis & tertius Siſenſis: quum vero non ſatis comperta eſſent ſequioris ævi Armenis illorum initia; hinc eſt quod nonnulli illorum ſæculo decimo-quarto ea referrent ad Heraclii Imp. tempora. Sic enim fertur art. 37. libelli quem Benedictus Papa XII. Catholico Armenorum anno 1341. miſit.

Poſteriori ævo Catholici tres.

XXIII. Poſteriori itaque ævo multi quoque Armenis ſimul Catholici nuncupati ſunt: ex quo

ex quo enim ea gens regiones Asiæ multas A occidentem versus Saracenis ademit, Cappadociam quoque & Ciliciam, suosque adeo Reges habere cœpit, qui Sis Ciliciæ urbem regni sui caput esse voluerunt; illuc etiam Catholicus Armeniæ sedem transtulit suam, allata secum theca brachii manusque S. Gregorii. Id quod à Khocciech I. Catholico quinquagesimo-nono primum esse factum narrant. Paulopost vero Cyriacus quidam monachus in majorem Armeniam profectus, sacram illam brachii manusque S. Gregorii thecam furto sublatam Eschmiazinensi mo- B nasterio restituit, effecitque, ut ab illius regionis episcopis & monachis Catholicus ordinaretur, quum interim Catholicorum successio apud Sisenses in Cilicia perseveraret: quo factum est ut duo deinceps Catholici Armenorum extiterint. Præterea insulæ in medio lacus ingentis sitæ, quam *Aghtamar* dicunt, archiepiscopus S. Gregorii brachium manumque furatus, Catholicus haberi voluit, quam nuncupationem successores ejus retinuerunt. Quæ quidem omnia post annum 1441. contigisse Armeni recentiores ferunt. C

At saltem ante sæculum decimum quartum.

XXIV. Verum ex libello quem Benedictus Papa XII. epistolæ suæ Catholico Armenorum datæ subjunxit, certum fit dudum ante Cyriaci illius tempora, annumve Christi 1441. apud Armenos tres simul diversis illis in locis præfuisse. Articulo siquidem 34. legitur, *quod Armeni de majori Armenia dicunt & tenent, quod ipsi sunt Ecclesia Catholica & Apostolica, & propter hoc ipsi habent Catholicum.* Art. 37. *quod à tempore Heraclii Imp. citra fuerunt tres Catholici in Armenia, Catholicus Columbarus, Catholicus* D *medius, & Catholicus tertius* (Sisensis utique) *qui à quinquaginta annis citra tenet illud quod tenet Ecclesia Græcorum.* Demum art. 88. Primum dicit *Catholicum Columbarum*, sive Eschmiazinensem, *tum Catholicum de Hacthamar, & Catholicum minoris Armeniæ.* Ex quibus apparet ante sæculi decimi-quarti medium, imo certe dudum antea in tres illos Catholicos Armenorum Ecclesiam divisam fuisse.

Quæ scissionis hujus causa.

XXV. Ut vero in Armenia superiore Catholicum alterum præter illum qui in Si- E sensi civitate morabatur, instituerent, ea mihi fuisse causa videtur, quod quum pristinis erroribus addictissimi manerent, à Sisensibus Catholicis abhorrerent, propter admissam sæpe ab illis tum Byzantinæ, tum Romanæ Ecclesiæ fidem & communionem. Sic nimirum olim Joannem à Cocosta Catholicum, qui Mauritio Imp. Chalcedonensem synodum fidemque probaverat, perinde abjecerant, Abrahamumque hæresis suæ tenacem, Chosroë Persarum Rege favente, Catholicum sibi præfecerant.

Hierosolymitanus Armenorum Patriarcha.

XXVI. Etsi in synodo Tibenensi vetitum erat, ne ullum Armenis commercium esset cum Hierosolymitanis, sed nec Armeni sacra Palæstinæ loca inviserent, nihilominus Catholici Sisenses in urbe sancta Hierusalem episcopum constituêre, qui gentis suæ homines in Palæstina degentes curaret. Quod certe ante decimi-quinti sæculi medium factum esse constat ex epistola quam *Isaias Hierosolymitanus* Armenorum *episcopus* Eugenio Papæ IV. anno 1434. scripsit. Post vero illius urbis episcopi Armeni *Patriarchæ* appellationem assumserunt, sibique potestatem arrogarunt (quæ solis apud Orientales Patriarchis permittitur) sacrum chrisma conficiendi & consecrandi, ac per ditionis suæ ecclesias distribuendi.

Constantinopolitanus.

XXVII. Ita pariter Armenorum Antistites, qui Constantinopoli constituti sunt, ob urbis regiæ præstantiam Patriarchæ nomen & privilegia sibi vindicarunt, quippe quorum ordinationi subsint Armenorum ecclesiæ, quæ in vicinis Asiæ & Europæ provinciis non exiguo numero sunt. Quid plura? Armeni per Russiam, Polonias, vicinasque regiones sparsi, Cameniaci sui ritus episcopum habent, quem Patriarcham quoque vocitant, ut pote qui sui generis episcopos consecret, & tertio quoque anno sacrum chrisma conficiat.

Camenicensis.

Eschmiazinensis ampla magis Diœcesis.

XXVIII. Catholico Eschmiazinensi hodieque per Orientem subesse aiunt Archiepiscopos quadraginta duos, à quibus quatuor vel quinque episcopatus pendeant. Sisensi autem archiepiscopos duodecim, qui Armenorum ecclesiis per Cappadociam, Ciliciam, Syriam & Cyprum insulam sparsis præsunt. Catholico item Aghtamarensi episcopos dumtaxat octo vel novem obtemperare, qui in monasteriis circa Lacum Varasparcanum & urbem Van degunt. Eschmiazinensis autem Diœcesis amplam satis, non tamen integram Notitiam Nicolao à S. Catharina Carmelitæ excalceato dedit Uscanus episcopus Uscanavanchi, Catholici procurator generalis, qui anno 1667. Amstelodami Armenicis Bibliis excudendis præerat.

Doctorum auctoritas.

XXIX. Præter episcopos, magno in honore sunt apud Armenos qui *Vartabied,* sive *Doctorum* titulo vel laurea donati sunt; quorum tanta est auctoritas, ut eorum decreta episcoporum sententiis præponderent. *Magisterium adeo supremæ apud Armenos dignitatis est & reverentiæ,* ait Galanus, p. 453. *ut ipsi quoque præferatur episcopatui; nec aliis nisi paucissimis è sapientioribus monachis, & tanto ceremoniarum, divinarumque precum ritu*

confertur, ut ab incauto populo vere sacramentalis Ordo, quin aliorum omnium supremus credatur; ut pote qui, ut ipsi dicunt, Christi Domini personam, qui Rabbi, hoc est Magister appellabatur, præ se fert. Magistris istis qui Armenice nuncupantur Vartabied, licet (quod alioqui esse deberet episcoporum) fidei dogmata approbare, concionari in ecclesiis, in populi caussis judicium exercere, lites dirimere, & similia. Quare suos episcopos, qui sunt ut plurimum indoctissimi, non pene, nisi ad solos sacros Ordines conferendos, adhibent. Novum in Ecclesia, quum Paulus ad Titum dicat, Oportet &c. Subdit tamen Galanus: *Hinc porrò nolim arbitreris, me flagitii vim ullam dilectis fratribus meis Armenis Magistris improperare; absit. Supplent enim ipsi Episcoporum defectus, Christianitatem, quæcumque illa sit, in populo suo sub durissimo Paganorum jugo fatiscentem confoventes. Illud autem innuere contendo, facile Armenos huic posse abusui prospicere, si, uti Catholica solet Ecclesia, solos Magistros seu Doctores ad Episcopalem dignitatem proveherent.*

Auctoritas illa Magistrorum satis antiqua.

XXX. Atqui Magistrorum illorum apud Armenos auctoritas non recens invecta est. Nam ejus frequens est mentio in *Narratione de rebus Armeniæ.* Legitur primum Bartam Principem qui ex Armenia, occiso Suriene Persa, Constantinopolim anno 40. Chosrois & 30. Justiniani confugerat, Imperatoris communionem illic evitasse, quum diceret se non *habere mandatum à Magistris suis ut cum Byzantinis communicaret: οὐκ ἔχω ἐντολὴν ἐκ τῶν διδασκάλων ἡμῶν μεθ' ὑμῶν κοινωνεῖν.* Rursum Esdra Catholico sedente magnam synodum *omnium episcoporum & Doctorum majoris Armeniæ* ab Heraclio coactam esse, *σύνοδον γενέσθαι μεγάλην πάντων ἐπισκόπων καὶ διδασκάλων τῆς μεγάλης* Ἀρμενίας. Itemque Norsesem Catholicum Esdræ successorem conventum habuisse *episcoporum, magistrorum & Azatorum, πολλῶν ἐπισκόπων καὶ διδασκάλων, καὶ* Ἀζάτων. Azates quorum frequens est mentio in illa Narratione presbyteros fuisse puto, vel monasteriorum præfectos.

Armenorum Ecclesiæ mores aliquot.

XXXI. Armenorum Ecclesiæ ordo parum ab eo discrepat, qui in aliis Orientalis Ecclesiæ Diœcesibus obtinet. Episcopi eorum omnes ex ordine monastico assumuntur, ipseque adeo Catholicus, cujus vestis humilis, cibusque tenuissimus, ut reliquorum monachorum. Maxima quidem est Catholici auctoritas, ad quem solum spectat omnium suæ ditionis ordinatio. Is tamen præcipua negotia non nisi vocatis synodis finit, velut alii Orientis Patriarchæ. Ad synodos vocat, non Episcopos dumtaxat, sed Magistros Doctoresve, de quibus dixi, quorum plurimi apud ipsum in trium Ecclesiarum monasteriis commorantur. Id quod satis evincitur ex his quæ mox de Doctoribus ex Narratione attuli.

Armenorum tentata à Græcis reconciliatio.

XXXII. Sæpè tentata est à Byzantinis Imperatoribus Armenorum cum sua Ecclesia reconciliatio. Neminem fugit Theoriani Græcorum sapientissimi à Manuele Comneno Byzantino Imperatore ad Armeniæ Catholicum Norsesem vel Niersem Legatio, ejusque quod cum illo habuit de fide & rituum discrimine colloquium. Catholicum Patrum auctoritatibus convictum, orthodoxam Fidem palam confessum fuisse Theorianus testatur, spopondisseque se in proxima synodo operam navaturum, ut in eam suæ gentis episcopi doctoresque omnes concederent. *Habita synodo,* inquit, *in medium proponam auctoritates omnes quotquot Armeni habent, & pro ipsis esse videntur. Proponam & illa sacrarum literarum testimonia, quæcumque tu mihi protulisti. Ac primum quidem ero ex parte Armeniorum contra vos differendo contendens, deinde paulatim & pedetentim, nec sine multa prudentia, convenienti tempore & modo, detegere incipiam Armenorum errorem, qui hactenus obtinuit; redarguam eos, & ex libro sanctæ memoriæ Joannis illius Catholici, quem tibi descriptum dedi, & ex omnibus demonstrationibus, quas eruditio tua mihi suppeditavit. Ad summam Romanus ero, proque Romanis, imo pro veritate adversus Armenos decertabo. Ac spe infallibili in Deum fretus futurum mihi polliceor, ut oves meæ vocem meam audiant, ac me sequantur, & erimus, Deo adjuvante, unum ovile, unus pastor. Quod si ad me universi accesserint, bene erit, & benigno Deo gratias agere non desinam. Sin autem (quod evenire nolim) cum iis qui me sequentur, & mecum consentient veritatis doctrinam confirmabo, &c.* Hæc aliaque his consectaria Catholicus dixit, à quo tamen Theorianum esse victum Gregorius Bar-Hebræus Abulpharagius Jacobita, nugatur in Chronico Syriaco. Nugatur, inquam; nam ipsamet Catholici ad Michaëlem I. Jacobitarum Patriarcham epistola quam recitat, certum fit illum allatis à Theoriano Scripturæ & SS. Patrum testimoniis convictum, Chalcedonensem sive orthodoxam de duabus Christi naturis duabusque operationibus fidem approbasse. Epistolæ siquidem ejus hæc verba sunt apud Assemanum Tom. 2. Bibl. Or. pag. 364. *Græcorum Imperator decem nobis quæstiones proposuit, quinque de fide, ut nimirum duas in Christo unitas naturas dicamus, duas voluntates, duas operationes; ut cum tribus synodis & quartam & quintam & sextam & septimam synodum prædicemus, ut denique à Trisagio Hymno appendicem illam,* Qui crucifixus es pro nobis, *expungamus; &*

quinque quæstiones de ritibus; ut scilicet festum A *Nativitatis cum cæteris nationibus celebremus, ut fermentum in Eucharistia, & aquam in calice mittamus, ut Chrisma ex olivæ oleo conficiamus, ut in ecclesiis oremus, ut Liturgiam palam faciamus. Et ritus quidem reformare pro bono pacis facile nobis esset, DUASQUE NATURAS JUXTA THEOLOGUM CONFITERI. Verum ut particulam illam,* Qui crucifixus es pro nobis, *expungamus, fieri nullo modo potest. His tamen non obstantibus, quidquid tu feceris, etiam nos faciemus.* Itane Theorianum victum à Catholico dicemus, B qui Fidem à Theoriano assertam approbavit, suscipiendamque concessit, ut & articulos alios uno dumtaxat excepto, qui Trisagium hymnum spectabat.

Sæpe item frustra à Romanis Pontificibus XXXIII. Sæpe perinde Romani Pontifices Armenos ad Catholicam unitatem revocare conati sunt, sæpe itidem Armeni visi sunt catholicam Fidem & communionem amplecti, Sisenses inprimis, rariùs tamen remotiores ac Persis vicini; verum nunquam vera sinceraque nec durabilis fuit eorum reconciliatio; quamvis eorum Reges, ipsique C etiam identidem Catholici orthodoxam Fidem ex animo profiterentur. Et hoc queritur Benedictus Papa XII. in sua ad Armenorum Catholicum Sisensem epistola. Attamen quum Libellus quem epistolæ suæ subjunxit, illorum varios errores in 117. articulos digestos contineat, fatendum Armenos ignorantia potius quam ex certa scientia in multis peccasse, nec eorum delatores inscitiæ minus reos esse; id quod certe longo commentario ostendere facile foret, si per tempus liceret. Missis ergo sequioris ævi Theologo- D rum vitilitigationibus, ea dumtaxat errorum capita referam, quæ apud illos ab omnibus reprehensione digna visa sunt.

Armenorum errores XXXIV. Quum Græci in frequentibus congressibus, quos cum Armenis habuerunt, eorum sensus moresque ac ritus, uti curiosiùs ita & attentiùs sciscitati rimatique essent, hos ab Ecclesia Catholica sex hisce capitibus discrepare compererunt.

Primum est, quod non Monophysitarum modo, sed Aphthartodocetarum quoque sive Incorrupticolarum hæresim tenerent, E non solum unam in Christo naturam prædicantes cum Jacobitis & Severianis, sed & Domini corpus ab omni corruptela & læsione immune fuisse.

2. Quod primi consectarium erat, unam in Domino operationem & voluntatem esse, Divinam scilicet.

3. Quod Domini Nativitatem seorsim ab Epiphania festivam non agerent, nec Annuntiationis ejus diem.

4. Quod Evangelium Lucæ adulterassent, deleto loco quo Sudor Domini cruentus narratur.

5. Quod sanctam Trinitatem Trisagio hymno cruci affixam significarent, interjecta voce *qui passus es pro nobis.*

6. Quod vino ad Eucharistiam consecrando aquam non admitterent.

XXXV. Ad hæc Græci vitio Armenis vertebant, quod panem fermenti expertem Judæorum more ad Missæ sacrificium adhiberent. Qua etiam criminatione Latinos ob similem ritum lacessere solent. Quamquam alia atque alia de causa utrique fermentum à sacrificio Domini eliminarunt. Latini quidem, ut Christum imitentur, qui in postrema cœna corpus suum ex pane Azymo confecit. Armeni vero, ut multis videtur, hoc ritu significare voluerunt, unam Domini naturam, ejusque corporis ab omni corruptela immunitatem. Quo certe consilio & mente, aquam in sacrum calicem infundere recusant, de veterum Monophysitarum more, quem Anastasius Sinaita perstringit initio libri qui ὁ Ὁδηγός inscribitur. Azymis panibus sacra faciunt, Cur?

XXXVI. Aiunt vero Græci Armenos Christi, Deique genitricis & sanctorum imagines non venerari, sed idolorum instar habere. Quod Armeni injuria sibi ab adversariis objici clamant. Sed vix audiendos esse illos puto, dum ab Armenis Artzburzii jejunium quotannis ante magnam Quadragesimam observari dicunt in memoriam & honorem *Canis* episcopi cujusdam è suis cui Sergius nomen erat, aperti hæretici. At jejunium istud *Artzburzii* vel *Artzaburia,* sive, ut Galanus pronuntiandum monet, *Arraccianor,* non alia de causa ab Armenis admissum est, quam à Nestorianis à quibus primitus institutum est, quin etiam à Jacobitis. Nimirum, quum gravissima lues in Orientis regionibus grassaretur, Nestorianorum antistites una convenientes, Divini numinis placandi causa, cum Catholico suo sanxere, ut à suæ communionis Christianis, triduo continuo, omni cibo & potu abstineretur, velut olim ab Assyriorum Rege ob Jonæ prædicationem Ninivitis injunctum legimus. Quam institutionem Jacobitæ Nestorianorum licet infensissimi hostes, qui regiones easdem incolebant imitari non dubitarunt, ac subinde Armeni eorum vicini, apud quos omnes ille mos perseverat, quique omnes Jejunium illud *Niniviticum* vocitare solent. Cæterum nonnisi post annum 676. jejunium hoc injunctum fuit, Ananjesu Nestorianorum Catholico, ut suo loco dicetur. Unde si Sergius quidam Armenis suis illius admittendi auctor fuit, alius omnino censendus est *à Sergio Armeno,* Perperam in quibusdam aliis à Græcis culpantur.

quem S. Sophronius in epistola ad Sergium Constantinopolitanum, *minoris Tritheiæ* patronum vocat.

Latinorum ritus aliquot ab Armenis recepti.

XXXVII. Quum multoties, ut dixi, de reconciliandis cum Ecclesia Catholica Armenis tractatum sit, illique sæpe numero Apostolicæ sedis Romanæ communionem ambierint, quin ejus fidem identidem colere visi sint, hinc factum omnino est, ut nonnullas Romanæ Latinæque Ecclesiæ ceremonias admiserint, hodieque teneant, ab aliorum Orientalium usibus discrepantes. Inter quas apud Galanum observavi, in Armenorum Ecclesia, tum primam quam dicimus, tonsuram, qua quis in clerum admittitur, tum singulos minores Latinæ Ecclesiæ Ordines, Ostiarii, Exorcistæ, Lectoris, & Acolythi apud illos eodem modo, iisdemque ac apud nos precibus conferri, & in illorum aliorumque superiorum ordinum collatione, instrumenta haud secus atque in Ecclesia Latina porrigi. Legesis Galanum t. 1. p. 110. & seqq.

At non illi qui majorem Armeniam incolunt.

XXXVIII. Quamquam non omittendum, non ita pridem illos mores ab Armenis receptos fuisse. Nam Benedictus Papa XII. in Libello quem epistolæ suæ ad Armenorum Catholicum adnexuit, quoque recensentur errores omnes quorum rei Armeni à nostris agebantur, articulo 92. sic habet, *quod apud Armenos non sunt nisi tres ordines, scilicet Acolythatus, Diaconatus & Presbyteratus. Et eodem modo dicti ordines presbyteratus & diaconatus confirmantur* (conferuntur) *scilicet per manus impositionem, dicendo quædam verba, hoc solummodo mutato, quod in ordinatione Diaconi exprimitur ordo diaconatus, & in ordinatione Presbyteri ordo presbyteratus.* Mox addit, *nullum episcopum posse ordinare alium episcopum nisi solum Catholicum, qui catholicus tenet penes se pontificale, ubi continetur modus consecrandi episcopum. Demum in majori Armenia consecrantes episcopos, presbyteros, diaconos & acolythos in communibus vestibus stare, dum prædicta faciunt, & etiam ordinandos.* Nec dubium est hoc articulo majoris Armeniæ mores & ritus perstringi, non minoris, in quam novæ ceremoniæ aliæ per eos qui illuc Roma mittebantur, invectæ fuerant. Quamobrem art. 94. fertur: *Item in Armenia majori, quando aliquis ordinatur in diaconum, non datur ei liber Evangeliorum, nec stola sub certa verborum forma; nec quando aliquis ordinatur in presbyterum, datur ei calix cum vino & patena cum pane sub certa forma verborum, quibus utitur Romana Ecclesia, nec inunguntur ei manus; nec quando aliquis ordinatur in episcopum, ponitur liber Evangeliorum in cervice & in scapulis ejus, nec caput, nec manus ejus inunguntur Chrismate, ut sit in Ecclesia Romana.* Quibus subditur, *Catholici etiam majoris Armeniæ soli consecrant episcopos, non assistentibus eis aliis episcopis.* Id quod etiam in minori Armenia fieri solitum fertur art. 96. *Item Catholicus minoris Armeniæ, quando vult consecrare episcopos, induit se vestibus sacris; ipse tamen solus dictam consecrationem facit: & si aliqui episcopi sint ibi præsentes, non tamen cum eo consecrant episcopum, sed solum assistunt in Missa quam celebrat Catholicus, sicut Cardinales quando Papa celebrat: nec tenent librum Pontificalem, nec orationes dicunt quæ dicuntur per episcopos assistentes in consecratione episcoporum.* Obiter dicam Galanum non alia de causa ordinandi episcopi Armeni ritum omisisse, nisi quia ut art. 92. legitur, Catholici apud se solos Pontificalem librum servant, in quo Episcopi ordinandi modus & preces continentur, nec cum ullo alio communicant. Quum vero Catholici solius potestas esset totius suæ Diœcesis episcopos quoscumque consecrare, hinc colligere fas est quo jure in libello Benedicti Papæ XII. art. 99. scriptum sit, *in Armenia nullum esse archiepiscopum;* ad quem nempe spectet quorumdam suffraganeorum ordinatio.

Quorsum Gregorium M. rituum suorum approbatorem dicunt.

XXXIX. Cæterum Armeni suos ritus & usus plurimos à S. Gregorio Papa approbatos firmatosque esse asserunt; quod nullo tamen certo testimonio adstruunt. Quocirca verosimilius mihi videtur, eos, quibus temporibus Romanæ Ecclesiæ communionem ambiebant, Romanosque Pontifices sibi devincire studebant, consuetudines suas sanctissimo illi Papæ referre cogitasse, propter Gregorium Papam septimum, nonum, quin etiam undecimum, qui res illorum suo quisque ævo curaverunt. Quidni vero etiam quia Latini ritus quos minoris Armeniæ Catholici amplexi sunt, à Gregorio M. olim recensiti esse dicti sunt?

Quandonam Armeni Romanos ritus admiserunt.

XL. Plane vero Baronius ad annum 1080. n. 74. narrat Armenorum Patriarcham ad Gregorium Papam VII. nonnullos è suis delegasse, Romanæ Ecclesiæ communionis ineundæ causa, ritusque eorum à Romanis alios probatos, alios emendari jussos, erasamque in primis interjectam olim Trisagio hymno à Petro Fullone vocem, *Qui crucifixus es pro nobis.* Sed præterea Raynaldus ad an. 1239. nobis auctor est, Gregorium Papam IX. Armenorum Regi literas dedisse, quibus gentis illius Ecclesiæ consuetudines & ceremonias approbabat, quæ Catholicæ decretis non repugnarent. Sic porro his in literis Gregorius loquitur: *Vestris supplicationibus inclinati, rationabiles consuetudines vestras à tempore fel. record. B. Silvestri*

Papæ prædecessoris nostri & sancti Gregorii à Catholicis ejusdem regni, qui contemporanei extitisse dicuntur, obtentas & inviolabiliter observatas, quæ SS. Patrum decretis minime contradicunt, & canonicis non obviant institutionibus, vobis & per vos eidem regno Apostolica auctoritate confirmamus. Scilicet qui tunc temporis divini verbi prædicatores in omnes Orientis provincias mittebantur, quum vix ullos ritus præter Romanos probarent, omni cura studebant ut illos ad apicem veteribus omissis, Ecclesiæ illæ admitterent. Ac votorum quidem compotes fuerunt apud Armenos qui Sisensi Catholico parebant, at non certe apud Armeniæ majoris Christianos.

Indumenta Pontificum Latinorum præcipua Catholico Gregorius Papa IX. misit.

XLI. Ad hæc quemadmodum Innocentius Papa III. sic quoque Gregorius ejus post Honorium III. successor, literas Armenorum Catholico scripsit, unaque Pallium de B. Petri Apostoli corpore sumtum transmisit, mitram quoque, stolam, aliaque indumenta sacra quibus apud nos episcopi, archiepiscopi & Primates utuntur. *Ut sacrosanctam Romanam Ecclesiam,* inquit, *ut pote caput omnium Christi fidelium & magistram, tamquam matrem filius reverenter amplectens, B. Petro & nobis, qui eidem Ecclesiæ dispositione divina, licet insufficientibus meritis, præsidemus, nostrisque successoribus canonice substituendis, obediens semper ac devotus existas, quibusdam tuis precibus per nuntios tuos à parte tua nobis exhibitis, ad gratiam exauditionis admissis, Pallium à te petitum, tuo quod olim antecessoribus tuis fuit ab Apostolica Sede concessum, jam quasi vetustate consumpto, sicut iidem tui nuntii exponere curaverunt, necnon mitram, stolam, annulum, in signum Apostolicæ dilectionis & gratiæ, & tuæ devotionis indicium, fraternitati tuæ per nuntios mittimus ante dictos, &c. Datum Laterani 7. Id. Mart. an. 12.*

Antiochiæ Latini ritus Patriarcha Armenos sibi subjicere tentat.

XLII. Ejusdem Gregorii Papæ IX. tempore anno scilicet 1237. lis recruduerat quæ ante sub Innocentio Papa III. mota fuerat, inter Antiochiæ Latini ritus Patriarcham & Armeniæ Catholicum, qui in Cilicia sedebat, quemque ut pote Romanæ Ecclesiæ communionis participem factum, sedi suæ subjicere tentaret; idque duplici titulo, nimirum quia Cilicia in cujus civitatum unam sedem transtulerat, multasque ecclesias obtinebat, Antiochenæ semper Diœcesis provincia fuerat, & quia Armenia omnis inter Orientis regiones censebatur, atque à Nicæna synodo definitum erat Antiochenæ sedis ordinationi obnoxias esse provincias Orientis; unde pari jure Iberiam & Albaniam Patriarchæ Antiocheni sibi subesse debere hodieque contendunt. Causa ad Apostolicam sedem relata, Armenorum Catholico non sine anathematis comminatione injunctum est, ut Antiocheno Patriarchæ moram gereret, ceu monstrum futurum fuisset, si in Orientali Diœcesi Patriarchæ duo sederent. Nihilominus re meliùs pensata, Armenus ab Antiocheni potestate immunis mansit. Nam Gregorius idem Papa anno 1239. pacificas amicasque litteras Catholico scripsit.

XLIII. Uscanus episcopus Armenus in episcopatuum Armeniæ catalogo, præter Patriarchas Eschminiazensem, Aghtamarensem & Sisensem, in Armenia sedere Patriarcham alium ait Latini ritus, qui ex ordine S. Dominici assumitur; sed de eo suus specialis dicendi locus erit, ubi de Ecclesiis Latini ritus, quæ in variis Orientis provinciis institutæ sunt.

CATHOLICI ARMENIÆ MAJORIS.

I. Gregorius I. *Illuminator.*

II. Rostaces.

Catholicorum Armeniæ primus fuit *Gregorius* quem *Illuminatorem* vocant, à quo nempe Armeni, uti jam dictum est, divino fidei lumine donati sunt. Is patre Anac, ut vitæ ipsius acta ferunt, viro nobili natus, Partho genere, qui ab Armenis quorum Regem occiderat, neci quoque cum omni familia sua traditus fuerat. Duobus dumtaxat filiis ejus parvulis & infantibus pepercerunt, quorum alter apud Persas, alter in Romanorum ditione educatus fuit. Hic Gregorius noster fuit, qui Cæsareæ in Cappadocia Christo nomen dedit, unde in Armeniam reversus, Tiridatis Regis se famulitio addixit; verum quia Dianæ sacris adesse recusarat, variis primum horrendisque cruciatibus affectus, comperto quod filius esset illius *Anac,* manibus pedibusque ad collum ligatis in lacum mersus fuit, à quo tamen Dei nutu incolumis evasit. Quamobrem Rex mutato divinitùs animo, eum de religione differentem libentiùs audivit, quin & Cæsaream misit ad Leontium illius urbis Christianorum antistitem, rogans ut Gregorium ipsum Armenicæ gentis Antistitem consecraret. Gregorius ad Regem regressus, hunc cum omni gente Christianum fecit, sacrisque undis expiavit. Episcopos deinde per diversa regni loca constituit, inprimisque regionem quam Euphrates fluvius alluit, Alcino curandam dedit, Mesemrim regionem Euthalio, Basso alteram, reliquas demum in septem alios distribuit, sed & brevi subinde episcoporum per Armeniam numerus crevit. Rebus

pro voto compositis, Gregorius in altissimos Armeniæ montes, Deo soli vacaturus secessit, commendato grege suo *Rostaci*, quem episcopum sacravit. Atqui Gregorius in *Narratione de rebus Armeniæ* Armenorum Ecclesiæ *triginta annos* præfuisse fertur, ὁ ἅγιος Γρηγόριος ὁ Φωστὴρ, ἔτη λ'. Ex synopsi vero apud Galanum, *rexit Ecclesiam ab anno quinto-decimo ad quadragesimum-sextum Tiridatis,* adeoque annos triginta & unum, putatis scilicet temporibus ab inito episcopatu ad finem vitæ ipsius. In Seldeni indice Arabico Patrum Nicæni concilii trigesimus sextus censetur *Gregorius ex Armenia majore;* at in Latino non Gregorius, sed *Aristarces* legitur, idem prorsus qui Galano *Rostaces,* Gregorii filius. Quamquam in illa *Narratione de rebus Armeniæ* significari videtur Gregorium ipsum ad sacrum illum conventum perrexisse. ἐπὶ τοῦ θεοφιλεστάτου Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου βασιλέως, ἐγένετο ἡ ἁγία σύνοδος ἐν Νικαίᾳ κατὰ Αρείου, τῷ ἔτει τριακοστῷ τετάρτῳ Τιριδάτου, καὶ τῷ εἰκοστῷ ἔτει τοῦ ἁγίου Γρηγορίου, τῆς ἐξελεύσεως τοῦ ἐκ τοῦ λάκκου, καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς ἐπισκοπῆς τοῦ ἁγίου Ρωστακὲς, καὶ ἐπὶ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, ὃς καὶ εἰς σύνοδον παρεγένετο. *Deo amabilissimo Constantino Magno Imp. sancta Nicæna synodus adversus Arium celebrata est, trigesimo quarto anno Regis Tiridatis, & vigesimo S. Gregorii, ex quo è lacu evaserat; in diebus episcopatus S. Rostacis, nec non sub ejus parente, qui & ad synodum profectus est.* Tradunt Armeni sacrum S. Gregorii Illuminatoris sui cadaver, Zenone Imp. Constantinopolim fuisse translatum, paucis ejus reliquiis in Armenia relictis, brachio nimirum cum manu dextra integra, quod in Catholicorum consecratione adhibebatur, tamquam certum legitimæ successionis signum.

Rostaces. Quod *Rostacem* spectat, hunc annos septem sedisse apud Galanum ferunt, utique à sancti Gregorii obitu, quum eo in vivis superstite suæ gentis Ecclesiam longe pluribus annis vice patris procurasset; aiuntque illum à Principe quodam, *Archelao* nomine quem divino impulsus zelo redarguerat, neci traditum esse. Cæterum *in Narratione de rebus Armeniæ, duo* dumtaxat ei episcopatus anni attribuuntur ὁ ἅγιος Ροστάκης ὁ υἱὸς αὐτοῦ, ἔτη β'. *S. Rostaces filius ejus, annos duos.* Quod si ita est, Armenorum Ecclesiæ præfuerit oportet ad annum usque saltem 337.

III. Bartanes.

In Græco Catholicorum Armeniæ Catalogo, & *in Narratione de rebus Armeniæ,* sequitur *Bartanes* sive *Vartanes,* cui anni tres assignantur, ὁ Βαρτανὲς ἔτη γ'. At in Synopsi à Galano edita cap. 4. apud Surium 30. Septembris, *Barostanes* vel *Verthanes,* ejusdem Cregorii filius annos 15. sedisse legitur: *Domnus Verthanes annos 15.* Atqui Bartanem Juertani obiisse ferunt.

IV. Gregorius II.

V. Josec.

Ex Narratione de rebus Armeniæ, & Catalogo qui subjungitur, Bartani successit *Gregorius II.* annos 11. ὁ Γρηγόριος ἔτη ια'. moxque additur: *Josec annos 6.* ὁ Ιωσὴκ ἔτη ς'. Josec. Verum in Annalibus Armenis *Josec,* sive *Hesychius* Gregorio huic secundo præmittitur: *Domnus Hesychius, Domnus Gregorius, S. Gregorii nepotes, annos sex. Hesychius, quum idolorum simulacra in Ecclesia collocari permittere noluisset, fuit à Dirano Rege in exsilium pulsus, ac demum ejus jussione interfectus. Beatus vero Gregorius missus Patriarcha in Albanensem provinciam, ibi pariter martyrio coronatus est.* Armenis proinde traditum est Hesychium & Gregorium fratres fuisse, Rostacis filios. Atqui Socrates lib. 3. hist. c. 25. epistolam recitat Antiochenæ synodi, in cujus subscriptionibus legitur, Ισακοκὶς Αρμενίας μεγάλης, *Isacocis Armeniæ magnæ.* Quæ synodus habita est anno Christi 364. Sed & in inscriptione epistolæ 69. S. Basilii & aliorum Orientis episcoporum ad Occidentales, post *Chosroem* nescio cujus urbis Persicæ, ut videtur, regionis episcopum sequitur nomen *Iosacis,* Ιωσακὶς, deinde *Narsis, Maris* &c. Ita perinde in subscriptionibus, qui, ut reor, majoris Armeniæ præsules erant, quo tempore à Cæsariensis ordinatione pendebant; quando interim, tum in inscriptionibus, tum in subscriptionibus synodalium ejusmodi literarum, vel etiam decretorum vix ulla digniorum sedium ratio, nec etiam in consessibus. Sedebat igitur adhuc *Iosacis,* vel *Josec* initio anni 372. quo Basilius epistolam hanc conscribebat. Quod Armeni tradunt Gregorium missum esse Patriarcham ad Albanenses, hoc in causa videtur fuisse, ut in recentioribus Catalogis, inter Armeniæ Catholicos non censeatur, ceu Albaniæ potius, quam Armeniæ Ecclesiam curaverit.

VI. Pharnesec.

In Narratione de rebus Armeniæ Josec excipitur *à Pharnesec, qui ex Aspracis provinciæ Astisat oriundus erat,* ὁ Φαρνεσὲκ ἀπὸ τῆς Ασπεράκων χώρας Αςίσατ: quin etiam in Catholicorum Catalogo Φαρνεσὲκ ἐκ τῆς Ασπεράκων χώρας, ἔτη δ'. *Pharnesec ex Aspracorum regione.* In Annalibus *Parnierseh* dicitur, cap. 6. *Domnus Parnierseh, non quidem Bahlau, sed alius quidam ex oppido Ascdiciad provinciæ Darunensis annos quinque.* Quæ

Darunensis provincia ipsa utique est quæ Taron scribitur in Libris Græcis.

VII. Norseses.

Post Pharnesec in Narratione & in Catalogo sequitur, *Norseses annos 34. quem Pharme Arsacis Regis filius occidit*, ὁ ἅγιος Νορσέσης ἔτη λδ΄. ὃν ἀπέκτεινε Φάρμη υἱὸς Αρσάκου βασιλέως. Qui *Pharme* in Narratione nominatur, *Paba* dicitur in Annalibus, *Para* vero ab Ammiano Marcellino lib. 17. nn. 11. 12. qui illum sub Valente Imp. Armeniæ Regno restitutum narrat: *Domnus Nierses filius Athenogenis, & nepos Hesychii nepotis sancti Gregorii, annos 34 qui Paræ Regis iniquitati obsistens, veneno ab eodem interfectus mortem oppetiit.* Quæ de Nierse Galanus subdit per otium legi possunt. Hunc tom. 3. p. 109. ex Armenorum historiis & traditione in secunda synodo generali quæ Constantinopoli anno 381. celebrata est, sedisse prodit.

VIII. Josec II.

IX. Zagenes.

X. Aspuraceses.

In Catalogo Græco Norsesem sequitur *Josec* II. cui anni tres assignantur, εἶθ᾽ οὕτως Ιουσὴκ ἔτη γ΄. *Moxque adeo Josec annos tres.* Annales vero habent *Isaac*, pro *Josec*, ex progenie Alpiani Harchensis episcopi.

Zagenes. Pergitur in Catalogo: Ζαγήνης ἔτη δ΄. *Zagenes annos 4.* qui *Zaven* in Annalibus nominatur, *Domnus Zaven annos quatuor:* Mox in Catalogo, ὁ Ασπουρακέσης ἔτη ζ΄.

Aspuraceses *Aspuraceses annos septem. Asburaches* dicitur in Annalibus: *Domnus Asburaches frater eorumdem, annos quinque.* Additur in Catalogo: *Tres isti viri provinciæ Acharc erant episcopi, nomine tantum Catholici, non audebant ordinationem facere, quia ob necem S. Norsesis archiepiscopus Cæsareæ prohibuerat ordinationes episcoporum majoris Armeniæ*, ἐκωλύθησαν παρὰ τοῦ ἀρχιεπισκόπου Καισαρείας αἱ χειροτονίαι τῶν ἐπισκόπων μεγάλης Αρμενίας.

XI. Isaac.

XII. Sormacus *intrusus.*

XIII. Persicus *Syrus intrusus.*

XIV. Musulius *Syrus intrusus.*

XV. Mastintzes *administrator.*

Subjungitur in Catalogo: *Post hæc autem S. Isaac facultatem accepit ordinandi episcopos in Armenia, & episcopatum gessit ann. 40.* εἶτα ὁ ἅγιος Ισαὰκ ἔλαβεν ἐξουσίαν χειροτονεῖν εἰς Αρμενίαν ἐπισκόπους, ὃς καὶ ἐπισκόπησεν ἔτη μ΄. *Verum*, pergit Catalogi scriptor, *calumniantes Armeni* (proceres nimirum) *Regem suum Artaser, & sanctum Isaac apud* A *Regem Persarum Bramsaporem, velut in consilia eadem conspirantes, ejecerunt eum de throno suo:* Isaac scilicet. Isaac ejecto, Persarum Regis jussu, proceribusque iisdem consulentibus, *Sormacum de Artzace* Catholicum constituunt, τὸν Σορμὰκ ἀπὸ Αρτζάκη. Post vero in *Sormaci* odium versi, è sede eum exturbarunt, à Persarum Rege episcopum de regno ejus petentes, ne sibi præesset episcopus Armenus. Quibus Rex hominem *Syrum Persicæ suæ ditionis* dedit, τὸν Περσικὸν Σύρον, hoc est ex illis Christianis qui Seleuciensi obnoxii Catholico erant. Verum hunc B quoque Armeni sibi factum invisum post annos tres amoverunt, quibus Rex denuo *Musulium* Μουσούλιον concessit perinde Syrum, qui duobus annis exactis, variis modis afflictus diem ultimum clausit ἐν πολλῇ θλίψει κατέλυσε τὸν βίον. Annon iste fuit ille *Eulalius episcopus Persicæ Armeniæ*, cui Theodoretus epistolam 77. scripsit, Εὐλαλίῳ ἐπισκόπῳ τῆς Περσικῆς Αρμενίας: quemadmodum & altera extat Theodoreti ejusdem 78. Εὐσεβίῳ ἐπισκόπῳ τῆς Περσικῆς Αρμενίας, *Eu-* C *sebio episcopo Persicæ Armeniæ*, quem fere perinde putaverim illum quoque fuisse episcopum quem Narratio *Mastentzem*, Μασέντζην nominat.

Sormacus.

Syrus.

Musulius.

Ordinatio interim episcoporum à Cæsariensi sede Armenis interdicta erat, ob amotum Isaac, quem Azati (genus hi Ascetarum erant) adeuntes obnixe obsecrarunt, ut suæ gentis iniquitatis oblitus ad thronum suum reverteretur. Renuit ille, attamen beatum illis *Mastentzem* designavit throni sui custodem ac Vicarium, δέδωκε δὲ αὐτοῖς ἀνθ᾽ D ἑαυτοῦ τὸν μακάριον Μασέντζην φύλακα τοῦ θρόνου αὐτοῦ.

Mastentzes.

Nihil fere illorum habet Armenus Annalista Galani, ac præter *Suormachum* nescivit, à quibus exulantis Isaac thronus occupatus est. *Domnus*, inquit, *Sanctus Isaac filius magni Niersesis nepotis Hesychii, nepotis S. Gregorii annos 51.* (sic non 40. solum ut Catalogus) *petierunt ab isto Armenorum principes, ut in maledicentissimis obtrectationibus quibus Regi suo Ardascira apud Regem Persarum officere* E *volebant, secum ipsis conspiraret. Quod quum ille renueret, ex ipsorum thronis & Patriarcham & Regem deturbarunt, inque Ardavacensem provinciam pepulere: tum in sede Patriarchali Suormach, virum ambitiosum, falsumque sacerdotem constituunt, Regisque Persarum patrocinio firmant.* Tum subdit: *Hisce temporibus, dum nonnulli in Asia festivitates Dominicæ Nativitatis atque Baptismatis unico simul die, nempe sexto Januarii, celebrare solerent, omnes aliæ regiones juxta magnæ*

Ecclesiæ Romanæ ritum, festum Nativitatis die 25. Decembris & Baptismatis 6. Januarii peragere concordissime statuerunt, idque Joanne Chrysostomo adhuc superstite per omnes Ecclesias divulgarunt. Scriptum deinde fuit etiam S. Isaac, ut & similiter faciens cum universa Ecclesia conformaretur; quumque hic in Ardavacensi tunc provincia exularet, exitum res habere non potuit. Cæterum Annalista capite insequenti *Suormacum* quoque inter Patriarchas sive Catholicos recenset.

Consultò hic dicitur tempore Isaac, & S. Chrysostomo in vivis existente, adeoque Arcadio Imp. per Orientem invectam fuisse consuetudinem Dominicæ Nativitatis festum 25. Decembris celebrandi. Quæ quidem solemnitas Damaso Papa Romæ recentior fuit: sed & inter Joannis Chrysostomi homilias una exstat de eadem solemnitate, quam nuper apud Antiochenos suos admissam significat. Ab Armenis vero recepta non est, exulante Catholico Isaac, nec deinceps etiam propter turbas quibus hæc Ecclesia diu laboravit, quumque Persicæ ditionis facti essent, facile nescierunt Romanos mores qui apud Orientales alios illis temporibus invecti sunt. Atque hæc una è præcipuis causa jurgiorum fuit Græcos inter & Armenos; de quo inprimis legendus venit Theorianus in Legatione ad Armenos.

De *Suormaco* illo Catholico spurio c. 8. Annalium hæc habentur: *Suormach, qui sedit adhuc vivente magno Isaac, annum unum, & sex alios post obitum illius.* Quæ falsi arguuntur, ex his quæ ex *Narratione* longe antiquiori retuli.

Ex illa autem *Narratione*, tempore Isaac Ephesina synodus adversus Nestorium convenit, ac paulopost à Proclo Constantinopolitano concinnatus est hymnus qui præter Seraphicum, Τεισάγιον quoque dicitur, à voce ἅγιος *sanctus* ter repetita: *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis.* καὶ μετὰ ταύτην ἡρμόσθη τὸ, ἅγιος ὁ Θεὸς, παρὰ τοῦ μακαρίου Πρόκλου τοῦ ἐπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως. Ubi obiter observandum monebo, conditum à Proclo hymnum dici, non à concinentibus Angelis acceptum. Addit synodum secundam Ephesinam tempore Isaac coactam; quin & Chalcedonensem indicat, subjungendo Marcianum Imp. Leonis Papæ consilium de synodo altera universali vocanda ad exitum perduxisse: Ad hæc *post annos sex ab obitu S. Isaac convenisse synodum in Sapeban*, καὶ μετὰ ἔτη ἓξ τῆς τελευτῆς τοῦ ἁγίου Ισαὰκ ἐγένετο σύνοδος εἰς Σαπήβαν, qua vel *Aspachan* urbem Cedreno notam, vel Ispahanum, quæ Persidis hodie Regia est, significari Combefisius putat. Hanc auctor habitam ait, propter translationes quæ apud ipsos spargebantur operum Theodori Mopsuesteni à Nestorianæ hæresis doctoribus. Hujus synodi Armeniæ epistola ad Proclum CP. recitata est collatione V. Quintæ synodi generalis. Ex quo perspicuum fit synodum illam Armenorum ante Chalcedonensem convenisse; unde sequitur Isaac dudum antea vivere desiisse.

Isaac Catholici ævo Persarum Reges in Christianos durè sævierunt, quorum furorem Armeni quoque experti sunt, quod Theodoretus epistolis suis duabus significat de quibus jam dixi, 77. *Eulalio Episcopo Persicæ Armeniæ*, qua eum docet, quomodo se ex præscripto Canonum gerere debeat, erga illos qui pœnarum metu profana numina coluerunt. Epist. 78. *Eusebio Persicæ* itidem *Armeniæ Episcopo* data, antistitem illius regionis subindicat, qui Primatis absentis vices agere deberet. Sic enim dicendi initium facit: *Ubi gubernatori incommodi aliquid accidit, vel proreta, vel nautarum princeps, illius munere fungitur, non gubernatorem seipsum faciens, sed navigii incolumitati prospiciens. Sic in bello quoque, duce mortuo Tribunorum præcipuus copiarum præfecturam accipit, non potestatem arripiens, sed gentilium suorum curam præferens. Sic & beatus Timotheus divini Pauli, ab eo missus, vices explebat. Quamobrem pietatem decet tuam, ut tum gubernatoris, tum ducis & pastoris studium amplectaris, nullaque non pericula pro Christi ovibus hilari vultu, subeas, nec pecora solitaria solaque deseras; verum, quod fractum est alliges, quod cecidit, erigas, quod oberrat, reducas, quod sanum est incolume conserves, bonosque pastores imiteris, qui ante caulas excubant, & adversus lupos bellum gerunt.* Quæ profecto Mastentzi illi optime conveniunt, qui, ut prædiximus ab Isaac Catholico throni Armeniæ designatus custos fuerat. Jam quoque dixi, *Eulalium* alterum illum *Persicæ Armeniæ præsulem,* cui Theodoretus alteram epistolam, 77. scilicet dederat, non mihi alium videri à Musulio illo, qui in multa tribulatione duobus annis expletis vivere desiit, ἐν πολλαῖς ταῖς θλίψεσι κατέλυσε τὸν βίον. Istæ autem epistolæ eo tempore scriptæ sunt, grassante persequutione Isdegerdis Regis quæ anno 444. finem habuit.

Quæ tamen conjectationes meæ non satis forsan cohærent cum iis quæ sequuntur in Narratione Græca, Isaac nempe anno ætatis suæ 110. vita functum, successorem habuisse « Josephum, qui illo jubente episcopatus se- « dem suscepit. Hujus anno 12. compellente « Ezennert in Armenia ad ignem adorandum « anno 37. Theodosii junioris, imminuti sunt « episcopi

» episcopi Armeniæ, & palam ab Ecclesia Ca-
» tholica avulsi sunt, præcipiente Persarum
» Rege; qui temerarius ausus à Sormaci pote-
» state initium habuit, atque in episcopis irre-
» mediabile hactenus malum mansit. Quæ vix conciliari possunt cum hisce aliis Catalogi Græci Catholicorum, scilicet non nisi sub Cito, Chyut vel Kyut Catholico, qui Josephi, de quo mox dicetur, successor fuit, Regem Persarum jussisse ut Catholici & episcopi in Armenia consecrarentur, usque in præsentem diem. Augent difficultatem calculi annorum alii atque alii, qui in Annalibus Armenicis apud Galanum, & scriptores Græcos, singulis Catholicis assignantur, quos una conciliare frustra tentavero.

XVI. Joseph.

XVII. Citus *vel* Kyut.

Ex Narratione igitur S. Isaac successor datus est *Joseph*, quem Catholicorum Catalogus omisit, habent vero Annales Armeni: *Domnus S. Joseph beati Mierobi discipulus, annos 2. Hic sub Isdegerde Persarum Rege, una cum sanctis Leontio & sociis ejus pro Christi Fide passus est.* Atqui beatum Joseph Isaac Catholico præcipiente episcopatum gessisse asserit Narrationis auctor, ejusque anno 12. recruduisse in Armenia Persica persequutionem. Beatus autem ille Mierobus, cujus discipulum fuisse Josephum aiunt, monasticæ vitæ sanctimonia atque eruditione apud suos claruit, literasque excogitasse fertur, quibus Armeni hodieque utuntur pro Græcis quas antehac adhibebant, quæ ipsorum idioma non satis efferebant.

Citus vel Kyut.

Annales Josepho sufficiunt Catholicum *Chiut* vel *Kyut* nomine. *Domnus Chyut (Kyut) Vanantanus ex oppido Jotmuds, discipulus S. Isaac ann. 15. qui stabilivit sedem Patriarchatus in civitate Thevin, post martyrium sanctorum Vartani & sociorum. Thevin* vocant civitatem quam Græci Τιβὼ, *Tiben*, vel *Tiven* scribunt, ipsamque Erivanum esse aiunt: huc vero *Chyut* vel *Kyut* sedem transtulit unaque brachium S. Gregorii Illuminatoris. In Catalogo Chyut Κιτὸς *Citus* dicitur. *Defuncto autem Isaac & Mastintze, statuerunt in throno sacerdotali Citum,* τὸν Κιτὸν (non *Citonem) ex oppido Atmesu, qui sedit annos 17.* ἔτη ιζ΄. *Cujus tempore jussit Rex Persarum, ut in Armenia Catholicos & Episcopos ordinarent, usque in præsentem diem.* ἐν ταῖς ἡμέραις δὲ τούτου προσετετάχθη παρὰ τοῦ βασιλέως τῶν Περσῶν, χειροτονεῖν εἰς τὴν Αρμενίαν καθολικοὺς καὶ ἐπισκόποις, μέχρι τῆς σήμερον. Quod utique Zenone Imperatore accidit, & Acacio sedem Constantinopolitanam tenente, qui Ponticam Diœcesim omnem suæ ordinationi subjiciens, Cæsariensi episcopo prærogativam illam ademit, ut sui deinceps juris esset.

XVIII. Joannes I.

Citum vel *Chyut* excepit *Joannes Martacunes* in Catalogo dictus, ἔπειτα Ιωάννης ὁ Μαρταχωνῆς ἔτη ς΄. *Deinde Joannes Martacunes annos 6.* qui in Annalibus *Mantacunensis* scribitur. *Domnus Joannes Mantacunensis, nobilis genere, annos 12. Hic primus sacras Ecclesiæ Armenæ preces & liturgiam miro ordine disposuit, & ampliavit; ediditque ad Dei gloriam Conciones, Orationes, Cantica spiritualia, & præcipue illud quod incipit: Domine Deus omnipotens.* Hunc Galanus in observationibus suis *Philosophum* à sapientia singulari cognominatum ait, quin & Chalcedonensis synodi studiosum, invitis Dioscori Alexandrini, aliorumque Monophysitarum instigationibus. Euthymius Zygabenus in Panoplia asserit Armenos, *Echanio* quodam, qui & *Mantacunes* vocabatur, Doctore deceptos istorum heterodoxorum, quin etiam Aphthartodocetarum hæresim amplexos esse. Id quod de Joanne nostro intelligi temporum ratio non patitur; quando quidem Joannes Mantacunes Catholicus pridem obierat, quando Gaïanus Alexandrinus & Julianus Halicarnassensis postremum hunc errorem ediderunt. Joannes Nicænus in epistola ad Zachariam Armeniæ majoris Catholicum, schismatis & hæresis Armenorum auctorem facit Joannem Maurocomitem Juliani Halicarnassensis consiliorum socium, cui proinde uti Juliano anathema dicit, καὶ Ιουλιανὸν καὶ τὸν Μαυροκομίτην Ιωάννην τὸν σύμβουλον αὐτοῦ. Cæterum ex Annalibus Armenis, Joannem istum Maurocomitem Juliano quoque Halicarnassensi recentiorem fuisse patebit in Catholico Esdra vel Jasere, qui tempore Heraclii Imp. sedebat.

XIX. Papchen I.

Joannis I. successor fuit Papchen I. de quo Annalista ait: *Domnus Patchen Vanantanus ex oppido Jotmuds, annos quinque.* In Catalogo Catholicorum Græco *Apovipcenes* dicitur Απουιπκένης, ὁ ἀπὸ τῆς Μισοῦ κώμης, ἔτη ε΄. *Apovipcenes ex oppido Miso, ann. 5.*

XX. Samuel.

Catalogus: ὁ Σαμουὴλ ὁ ἀπὸ Αρτασαὶ τῆς κώμης, ἔτη ιϐ΄. *Samuel ab oppido Artasai, ann. 12.* Aliud oppidum habet Annalista, & pauciores annos: *Domnus Samuel Pesnunianus ex oppido Anzchierræ, ann. 5.*

XXI. Musce.

Samuelem sequitur in Annalibus *Domnus*

Musce Guodainus ex oppido Aghpieri, annos 6. qui Moyses I. censetur. In Catalogo *Museles* dicitur, eique anni quinquaginta assignantur, ὁ Μουσέλης, ὁ ἀπὸ τῆς κώμης Αρπηρεῖς· ἔτη ν'. *Museles, qui ab oppido Arpereis, ann. 50.* quem postremum annorum numerum, qui ab alio longe diversissimus est, falsum esse nemo non intellexerit.

XXII. Isaac II.

Mox subinde in Catalogo: *Isaac ab Arcan, ann. 7.* ὁ Ισαὰκ ἀπὸ τῦ Αρκὰν, ἔτη ζ'. In Annalibus: *Isaac Harcanus ex oppido Elichighæ, ann. 5.*

XXIII. Christophorus I.

Post Isaac II. in Catalogo legitur *Christophorus à Cubaritze, annos 6.* ὁ Χειστοφόρος ὁ ἀπὸ τῦ Κουβαρίτζη, ἔτη ς'. In Annalibus vero paulo aliter: *Domnus Christophorus Pacrievantanus, ex oppido Dirargi, ann. 5.* Jacobitæ ferunt, Christophorum Armenorum Catholicum Arabiæ episcopum consecrasse Achudemen, qui à Jacobo Baradæo Pitnanensi, sive Botnanensi, à quo nomen habent, primus Orientis suæ sectæ sub Antiocheno Patriarcha Jacobita, Maphrianus sive Primas & Catholicus est institutus. Bar-Hebræus in Chronico Christophorum virum sanctum dicit genere Syrum sive Mesopotamiensem. Bibl. Orient. Tom. 2. pag. 411.

XXIV. Leontius.

Christophoro suffectus est ex Catalogo, *Leontius ab Aret*, qui *annos tres* sedit, Λεόντιος ἀπὸ τῦ Αρὲτ, ἔτη γ'. Annales vero habent: *Domnus Leontius Aghpieranus ex oppido Puoccraresti, annos 2.*

Armeni recentiores qui Romanam sedem colunt, hos omnes quos hactenus recensui Catholicos, Ecclesiæ Catholicæ Fidem Communionemque incolumem apud suos servasse ferunt: quibus repugnat quod de Christophoro Bar-Hebræus sive Abulfaragius scripsit.

XXV. Nierses II.

Vigesimus-quintus Armenorum Catholicus fuit; *Nierses II.* qui, quemadmodum Nierses I. Norseses dicitur in Catalogo Græco, ὁ Νορσέσης ἀπὸ τῦ Ασπαρὰξ, ἔτη θ'. *Norseses ex Asparax, ann. 9.* Annalista *Niersem* scribit, & quinque annos dumtaxat habet: *Domnus Nierses Pacrievantanus, ex oppido Ascdarachensi annos 5. Hic jussu Persarum Regis, ut Armenos separaret à Græcis, synodum episcoporum coëgit in civitate Thevin, cujus suffragio decrevit, festivitates Nativitatis & Epiphaniæ esse una die celebrandas; eo quod sicut Christus simul erat Deus & homo, ita Nativitatem pariter & Baptismum ejus conjunctè die uno, & non pluribus divisim celebrari fas esset. Præterea adjecit Trisagio verba illa:* Qui crucifixus est pro nobis. *Prohibuit Armenis, ne Hierusalem amplius proficiscerentur, eosque in totum à Græcis segregavit. Occasione hujus synodi Georgiani, Siunienses & quatuor Armeni ab Unione cum cæteris Armenis seipsos retraxerunt: sed cum eisdem postea reconciliati sunt.* « Hæc Annales; quæ Catalogo Catholicorum confirmantur; in quo nempe fertur, Norsesis tempore celebratam esse synodum in urbe Tiben ab Aptyso, sive Abdisu Syro Jacobita. Tametsi autem à S. Gregorii & aliorum Patrum traditionibus jam deflexerant, nihil tamen quidquam apud eos de Fide & synodo Chalcedonensi, duplicique in Christo Deo nostro natura dubitatum esse, usque ad annum centesimum tertium à celebrata synodo Chalcedonensi, usque ad synodum Tiben, ἕως ἐτῶν ργ'. ἀπὸ τῆς συνόδου τῆς ἐν Χαλκηδόνι, ἕως τῆς συνόδου Τιβίν. Deinceps vero eos recessisse à Romanorum (sive illorum qui Romanæ ditionis essent) Communione, Hierusalem (Ecclesiam Hierosolymitanam Chalcedonensis fidei tenacem) anathemati devovisse, ac sanctam Chalcedonensem synodum, unam confitentes naturam Deitatis & humanitatis; atque ad hymnum, *Ter sanctum*, qui incipit *Sanctus Deus*, vocem istam addidisse, *Qui crucifixus es*, sese jurejurando mutuò adstringentes, obsignata propriæ manus scripto promissione, se nunquam ab illa Communione recessuros ». Additur, quod apertiori expositione indiget, Eutychem Jacobitam, ejusque socios duos, quorum unus Juliani, alter alterius hæresis erat, episcopos abs se ordinatos in Mesopotamiam misisse. Quæ, etsi fusiùs recitantur *in Narratione de rebus Armeniæ,* suis etiam ambagibus non carent. Hoc vero saltem inde comperimus, Armenos Monophysitico errori quo jam laborabant, Juliani Halicarnassensis impietatem adjecisse. Illic præterea Julianum & Jacobum Pitnanensem, sive Botnanensem ab invicem se sejunxisse tempore Justini senioris, & Cabatæ sive Cabadis Regis Persarum; quum Julianus doceret Salvatorem immortale corpus, nec ulli corruptelæ innoxium assumsisse; ejus discipulos dictos esse Julianitas, velut alii à Jacobo Jacobitæ dicebantur, Severiani à Severo. Ubi ille auctor Jacobum illum Pitnani, sive Botnanensem, ipsumque adeo Saraggensem, minime secernit à Jacobo Zanzalo Baradæo, à quo Jacobitarum in Syria nomen inolevit. Pergit deinde, quum Julianitæ episcopi tres

dumtaxat essent, Juliano mortuo, reliquos duos, quia regulis Patrum cautum erat, ne episcopus nisi à tribus consecraretur, cadavere nondum sepulto, dum ei quem ejus loco designarant, manus imposuere, mortui quoque manum admovisse, ut ternarium numerum explerent; unde Νεκροχειροτόνητοι, *de mortui manu ordinati* appellati sunt, quam quidem dexteram manum magno honore servaverunt: sed & imminuto postea Julianitarum episcoporum numero, inita ab eis societas est cum Armenis, à quibus episcopi sui ordinarentur, eisque suaserunt ut synodum Chalcedonensem abjicerent; cujus consilii auctor præcipuus fuit Nersapo quidam, qui anno 19. Cabadis Regis Taronis episcopatum gerebat, cujus socius erat Aptiso, sive Abdisus ille Syrus Jacobita è Sorena monasterio proximo Saforum. Quocirca Narrationis auctor Armenos iterum redarguit, quod S. Gregorii doctrina & traditione rejecta, à Cæsariensis sedis ordinatione separati, Persarum Regis jussibus potius obtemperarent, sibique ipsi antistites constituerent. Subdit episcopum illum Taronis Nersapo apud Norsesem Catholicum qui erat de Astarax, & Azatos sive monachos, egisse ut synodus cogeretur in urbe Tiben vel Tiven, alias Thevin, anno ejusdem Catholici 24. τῷ κδ'. ἔτει τοῦ αὐτοῦ καθολικοῦ Νορσέση, duodecimo Justini (imo Justiniani) Cæsaris, & Chosrois 24. & initio numeri, vel Æræ Armenorum, καὶ ἐν ἀρχῇ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν Ἀρμενίων. Atqui notas istas temporum alio loco jam emendavimus, ostendimusque synodum illam Tibenensem vel Thevinensem habitam esse anno 535. decimo Justiniani, & sexto Niersis; Æræ verò Armenorum initium sumi ab anno Christi 551. Annorum siquidem numeri, in Catalogo Catholicorum & in Narratione, velut etiam in Annalibus accurate descripti non sunt, neque monumenta meliora suppetunt ex quibus certiores fiant. Quare mihi satis fore puto, ut singulorum deinceps Catholicorum successiones recitem, annorumque numeros qui in Catalogo & Annalibus illis assignantur, tum hinc inde referam quæ apud alios occurrunt ad aliquos eorum spectantia. Quod in Annalibus quinque dumtaxat anni Niersi II. tribuuntur, manifestus error est, quando ex Photii ad Zachariam Catholicum epistola, synodum ille Thevinensem celebravit anno pontificatus sui sexto.

XXVI. BYANISES *als.* JOANNES II.

In Catalogo Niersem excipit *Byanises*: μετὰ ὁ Εὐανέσης (leg. Βυανέσης) ὁ ἀπὸ Καπηλώνης, ἔτη ιζ'. *Postea Byaneses à Capelene, annos 17.* Hic Βοανέσης, *Boaneses*, & Βιανίσης, *Bianises* scribitur in Narratione. In Annalibus vero *Joannes* nominatur: *Domnus Joannes Capieghinus, ex oppido Zieghuani, ann. 15.*

XXVII. MOYSES II.

XXVIII. JOANNES *orthodoxus.*

Joanni II. Moysem vel Mosem subjungo illius successorem, ex Catalogo & Annalibus. In Catalogo quidem, ὁ Μωύσης ἀπὸ Ἐλιβαρὲτ, ἔτη λ'. *Moyses ab Elibaret, annos 30.* In Annalibus vero *Domnus Moyses Aracazuodanus ex oppido Jeghivartæ, annos 30. Hujus mandato Turcomannorum annorum computatio, tempore Miesgesci Chenuni, in Armeno Calendario posita est. Referunt nonnulli eumdem Patriarcham in urbe Thevin post Niersesem, alterum celebrasse Concilium, ejusque auctoritate confirmasse in Trisagio additionem illam:* Qui crucifixus es pro nobis. Hujus ergo Moysis tempore, non Niersis II. initium habuit Armenorum Æra, quum cœperunt Turcomannorum more annos computare. De qua Epocha Armenorum legendi veniunt Scaliger lib. 3. de Emend. temp. pag. 214. & lib. 7. p. 762. Calvisius quoque Isagoges Chronolog. pag. 81. quin etiam & inprimis Petavius lib. 3. de Doctr. temp. cap. 17.

Ad Moysis synodum quod spectat, nihil ejus alibi reperio; sed in Narratione fertur, per annos viginti, à priore scilicet synodo Tibenensi, motas esse quæstiones de Fide, in diebus Catholicorum Bianesis & Moysis usque ad annum primum Chosrois II. qui per manum Mauritii Imperat. regnum obtinuit. συζητουμένων τῇ πίστει ἐπὶ κ'. ἔτη, ἐν ἡμέραις τοῦ Βιανίση τοῦ Καθολικοῦ καὶ Μωσῆ, ἕως ἑνὸς ἔτους Χοσρόη, ὃς ἐβασίλευσεν ἐν χειρὶ Μαυρικίου Καίσαρος. Annus autem primus Chosrois II. incidit in Christi 592.

Chosroës porro grati animi causa, Armeniam integram Mauritio Imp. dedit ad Tiben seu Thevinum usque civitatem: Musilem Armenum exercitus ducem ad eum Constantinopolim misit, quo regiæ hujus urbis fidelium communionem evitante, jussit Imperator Moysem Catholicum & episcopum à militaribus copiis ad se duci. Venire renuit Moyses, hoc dato responso: *Absit ut transeam fluvium Azat, vel furno coctum comedam, aut calidum bibam;* significans scilicet nolle se Eucharistiam ex fermentato pane confectam edere, & calicem ferventi aqua Græcorum more delibutam potare quum apud se azymus panis offerretur, & vinum omni aqua purum. Eodem modo episcopi

provinciæ Aſpouram Imperatoris juſſa exce- A perunt; ut pote qui ſub Perſarum ditione perſeverabant; Azat fluvio à Romanis diſcreti. Provinciæ vero Taronis præſules Conſtantinopolim profecti, poſt multam diſquiſitionem Catholicam Fidem, datis cum jurejurando libellis, profeſſi ſunt. Hos in Armeniam reverſos Moyſes admittere renuit, uti etiam reliqui de Perſica Armenia. Quapropter Imperator Taronitis Catholicum deſignavit, *Joannem à Cocoſta regionis Pancratorum*, ἐποίησε δὲ αὐτὸς Καθολικὸν τὸν Ἰωάννην ἀπὸ Κωκοσᾶ Παγκράτων χώρας, quem Galanus tom. 3. p. 125. *Joannem Ghocoutanum* dicit. B Armeni hoc modo inter ſe diviſi, mutuo pugnare cœperunt de duabus Chriſti naturis & de ſynodo Chalcedonenſi, totis quatuordecim annis quibus in vivis ſuperſtes Moyſes fuit; ἔτη ιδ΄. ἕως τῆς τελευτῆς Μωσῆ, quo nempe tempore Choſroes Armeniam recepit.

Joannes Orthodoxus.

XXIX. Abraham.

Joannes, *Orthodoxus.*

In Catalogo Moyſi ſuccedit *Abraham ab Araſtune, ann. 23.* ὁ Ἀβραὰμ ἀπὸ Ἀρασουνῆς, ἔτη κγ΄. In Annalibus quoque: *Domnus* C *Abraham Ruſcdunianus ab oppido Aghpatani, ann. 23. Cujus tempore Iberi & Colchi ab Armenis diviſi ſunt, & ſacro-ſanctum Chalcedonenſe concilium ſuſcipientes Græcis adhæſerunt; cujus rei auctor fuit Cyrinus Iberorum & Colchorum Patriarcha, Catholicus nuncupatus.* In Narratione diſceſſionis hujus Iberorum ab Armenis cauſa indicatur, ubi fertur, quo anno Choſroes II. Armeniam denuo ſibi vindicavit, Abraham creatum fuiſſe Catholicum, ἐν ᾧ ἔτει παρέλαβε Χοσρόης βασιλεὺς τὴν χώραν Ἀρμενίας, ὅτε καὶ Ἀβραὰμ κατεστάθη Καθολικός: qui mox epiſcopos, preſbyteros, D monaſteriorumque præfectos coëgit, ſtatuitque ut ſynodo anathema diceretur, aut qui abnuerent ſolum mutarent: illique omnes anathema ultro dixerunt, quo pacto diſcrepationes inter Armenos deſierunt: Hæc vero præſtiterunt illi qui Perſici Imperii erant, quum nonnulla Armeniæ pars altera Romanæ interim ditionis eſſet, quam Choſroës non niſi anno Phocæ Imp. quinto, ſuique 20. ſubjugavit. Qua rerum mutatione facta, Abraham qui majorem Armeniæ partem te- E nebat, Joannem illum Catholicum alterum ejuſque epiſcopos adegit ad Chalcedonenſem ſynodum ejurandam, vel procul ab Armenia ſecederent: Illi vero rectæ Fidei tenaces, alii in regionem Tais, alii in Romaniam migrarunt.

Cæterum Abrahamum in Catalogo excipit *Joannes* ille Orthodoxus *à Pacrana, annos 26.* ὁ Ἰωάννης, ὁ ἀπὸ Πακρανᾶ, ἔτη κς΄. Sic etiam Annaliſta: *Domnus Joannes Ghocoutanus, ex oppido Pacaranæ ann. 26. Is juſſu Mauritii Imp. creatus fuit Patriarcha Armeniæ, verum etiam regionis Græcis ſubjectæ, & regula ſui regiminis, adhuc vivente prædeceſſore Abrahamo, in pago Avan præſcripta fuit.* In recentioribus quoque Catholicorum Armeniæ indicibus, quorum duo à Patribus è Societate Jeſu vulgati ſunt, alius ad me Venetiis miſſus eſt, Joannes III. Abrahamum ſequitur. Verum in Narratione, Joannes idem ante Abrahamum & extra patriam defunctus perhibetur, atque proximus Abrahami ſucceſſor aſſignatur Comitas, de quo nunc dicendum.

XXX. Chomitas.

Sunt qui Comitam Abrahami ſucceſſorem, *Gomidam* dicunt, qui in Catalogo fuiſſe fertur, *de pago Eltzeſaracitzæ, qui octo annos ſedit.* Κομιτᾶς ὁ ἐκ κώμης Ἐλτζησαρακιτζῶν, ἔτη η΄. Annales quoque: *Domnus Chomitas Arachazuodanus ex oppido Aghziz, ann. 8. Hic exſtruxit prope Avan eccleſiam SS. Ripſimæ & ſociarum.* Ripſimam ſcilicet, ejuſque ſocias Roma in Armeniam iviſſe tradunt, martyrioque functas ſub Tiridate Rege, quo tempore nondum ille Chriſto nomen dederat. Comitas ex Narratione ſuper omnes deceſſores ſuos contentioſum ſe præbuit, cunctoſque excitabat ut Chalcedonenſi concilio anathema dicerent. οὗτος δὲ ὁ Κομιτᾶς μᾶλλον ὑπὲρ πάντας διήγειρε τὴν φιλονεικίαν ἐν τῷ ἀναθεματίσαι τὴν σύνοδον Χαλκηδόνος. Tractatus multos edidit S. Iſaac nomine inſcriptos, quorum uni *Amartanac* nomen eſt.

XXXI. Christophorus II.

XXXII. Esdras *ſive* Jeser.

Comitas anxiè cupierat ut Joannes quidam ſuæ ſedis ſucceſſor fieret; quod tamen ei minime conceſſum eſt, ſed *Chriſtophorum* elegerunt *Abrahamitam,* qui *annos tres* ſedit, ὁ Χριστοφόρος ὁ Ἀβραμίτης, ἔτη γ΄. Cur Chriſtophorus iſte Abrahamita nuncupatus ſit, Annaliſta declarat. *Domnus Chriſtophorus, genere illuſtris è progenie Abrahami annos 5.* Illius forſan Abrahami Catholici 29. de quo diximus, nepos erat. Additur in Narratione Chriſtophorum ſede exturbatum eſſe, quumque æmulus illius caſu valde gauderet, ceu nempe locum ejus eſſet occupaturus, ſpe ſua cecidiſſe, ἀλλ' οὐδὲ τότε ἐπέτυχεν· Eſdram quippe conſtitutum fuiſſe Catholicum, quem Joannes infenſo proinde oculo contuebatur. ἐγένετο γὰρ ὁ Ἔσδρας ὁ Καθολικός, ὁ δὲ Ἰωάννης βλοσυρῷ τῷ ὀφθαλμῷ αὐτὸν ὑπέβλεπεν.

Ejecto itaque Chriſtophoro ſubrogatur *Eſdras à Nica, qui annos decem ſedit.* Sic Eſdras ſive Jeſer.

catalogus : ὁ Ἔσδρας, ὁ ἀπὸ τῆ Νικῶ, ἔτη ι'. A Concinit Annalista, qui pro Esdra *Jeserem* scripsit. *Domnus sanctus Jeser Necaïnus ex oppido Parrasnachiert, qui fuerat ab infantia in Patriarchali palatio educatus, vixitque in Patriarchatu annos decem.* Additque : *sub ipso celebratum est in urbe Charno Concilium jussu Heraclii Imp. qui ad illud convocavit omnes episcopos & principes Armeniæ una cum Jesere eorum patriarcha, necnon plures Græcorum sapientes, quibus post menstruam collationem & diligentissimum examen omnes prædicti Armeni consensere; atque cum Græcis reconci-* B *liati, Thevinense concilium anathemate percusserunt, festivitates Nativitatis & Baptismi Domini rursus, ut antea separatim celebrandas decrevere, & additionem illam,* Qui crucifixus es pro nobis, *à Trisagio removentes, illud erga sanctam Trinitatem ita deinceps statuerunt decantandum:* Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis. *Sacrum denique Concilium Chalcedonense, ejusque decreta haud aliter ac tres alias præcedentes sanctas synodos honore prosequuti sunt, & receperunt.* His omnibus unus solummodo C Joannes Maracumensis qui adversaretur fuit, hicque damnatus, exsilioque multatus, inter hæreticos censitus est. Eadem perinde leguntur in Narratione, in quo synodus illa quam Annales Charnensem vocant, Theodosiopolim convenisse fertur. Atque Theodosiopolim eam fuisse aiunt quæ Erzeroum hodie dicitur. *Sedente illo* (Esdra) ait auctor, *Heraclius Imp. 23. imperii sui anno, & quarto à morte Chosrois, magnam synodum episcoporum & Doctorum majoris Armeniæ, accersitis Catholico & Azatis omnibus Theodosiopoli,* ἐν D Θεοδοσιουπόλει, *haberi præcepit, inquiri & dispicere de duabus in Christo Deo nostro naturis & de synodo Chalcedonensi. Per mensem integrum quæsierunt, & ex scripturis Armeni convicti sunt, juraveruntque scripta propria manu schedula, nihil se amplius contradicturos.* Ex his quæ addit Narrationis auctor, habemus Joannem illum qui adversus Christophorum & Comitam Catholicatum ambierat, illum fuisse Maracumensem, cujus Annales meminere, quique mihi non est alius à Joanne Maurocomita quem Joannes Nicænus epist. E ad Zachariam Catholicum Armenorum seductorem dicit, & Juliani Halicarnassensis consiliorum socium putavit : quod tamen postremum ratione temporum à veritate alienum dixi. Rursum Narrationis auctor refert, Joannem istum, Armenos qui à Theodosiopolitana synodo defecerant, Stephanum quoque episcopum Cartamana, & Mathusalam ortum ex urbe Sina provocasse, ne Esdræ Catholico communicarent, aut cum illis qui eadem ac ille saperent. Quæ quum ille moliretur, venisse Stephanum Cartamanensem & Mathusalam ad Esdram Catholicum ejusque communionem inivisse, ex quo in Joannis odium incurrerunt, quum multis illum Joannes injuriis affecisset, nihil tamen obtinuit, qui omnes prorsus ab eo defecerunt; quin Armeni Catholicam Fidem mordicus tunc tenuerunt.

XXXIII. Nierses III.

Mortuo Esdra Catholico, egit Joannes ille Maracumensis, ut ejus sedem magnatum opera arriperet; nihilominus spe sua hac quoque vice excidit, suffecto illi Norsese, sive Nierse III. qui annos viginti primariam Armenorum sedem tenuit, ut Catalogo fertur. Ὁ Νορσέσης, ὁ ἀπὸ τῆ Ἰσχνᾶ, ἔτη κ'. *Norseses ab Ischna, annos 20.* Ita quoque Annales: *Domnus Nierses Daianus ex oppido Ischkhanaz, annos 20. Qui divinæ charitatis fervore accensus erat, cæterisque virtutibus ornatus. Quapropter ædificavit magnificentissimum illud gregis rationalis ovile in urbe Vagarsciabat, Ecclesiam quoque in loco purgatorii sancti Martyris in civitate Ardasciad, & templum aliud in urbe Thein.* Vagarsciabat civitas olim regia fuerat Tiridatis Regis, in qua sedebat S. Gregorius Illuminator, sed cujus vix ullum hodie vestigium exstat. Purgatorium dicitur Puteus in quo vir sanctus annos quatuordecim ab illo Rege variis modis afflictus traditur. Atqui magnificentissimum illud rationalis gregis ovile, amplissimum ædificium est Eschmiazin, in quo una cum Catholico numerosa religiosorum hominum prædicatorum & Doctorum turba manet. Nierses Catholici dignitatem adeptus, concilium coëgit episcoporum, magistrorum & Azatorum, ad quod Joannes ille Maracumensis vocatus, de cunctorum sententia exsilio multatus est, atque impressa à Prætore Armeniæ fronti ejus ferro candenti vulpis figura, una cum sociis in Caucasum montem deportatus est, unde post Anastasii Catholici 34. obitum regressus gravis annis exstinctus est. Verum eo defuncto, pristinus error per ejus discipulos apud Armenos propagatus est.

XXXIV. Anastasius.

Niersi succedit in Catalogo *Anastasius à Cora, ann. 6.* ὁ Ἀναςάσιος, ὁ ἀπὸ τῆ Κορᾶ, ἔτη ς'. De quo perinde Annalista: *Domnus Anastasius Massiazuotanus, ex oppido Aghorri, ann. 6.* Hunc Narrationis auctor *sanctum* appellat, ubi Joannem Maracumensem illum, post ejus obitum, rediisse refert; μετὰ θάνατον τῆ ἁγίου Ἀναςασίου.

XXXV. ISRAEL.

Poſt Anaſtaſium Catholicus fuit *Iſraël ab oppido Tmeſu*, ann. 10. ut legitur in Catalogo, ὁ Ἰσραὴλ ἀπὸ Τμησοῦ τῆς κώμης, ἔτη ι'. Annaliſta : *Domnus Iſraël Vanantanus, ex oppido Zotmuds, ann. 6.*

XXXVI. ISAAC III.

In Catalogo poſt Iſraëlem poſtremus eſt, *Iſaac à Bazacaſtrio*, ὁ Ἰσαὰκ ἀπὸ τοῦ Βαζακαστρίου. Cui nulli anni aſſignantur, quippe cujus ut videtur ævo ſcribebatur, velut etiam Narratio, in qua fertur, Joannis illius hæretici de quo jam dictum eſt, diſcipulos pravam ejus doctrinam in Armenia propagaſſe. Additur Juſtinum Cæſarem, ſeu Juſtinianum potius II. anno Imperii ſui quinto Iſaac Catholicum cum epiſcopis illi addictis Conſtantinopolim advocaſſe, eoſque cum eis univiſſe, qui duas Chriſti Dei noſtri naturas in una hypoſtaſi confitebantur, ſine confuſione & diviſione conjunctas. Quod tamen poſt ipſorum in patriam reditum admiſſum non eſt, quin & Iſaac ejuſque ſocii anathemati ſuppoſiti ſunt, niſi factum mentemque mutarent : quam illi ſententiam reveriti, Fidem quam Conſtantinopoli profeſſi erant, abnegarunt. Nihil iſtorum Annales habent, ſed hæc alia : *Domnus Iſaac, qui fuit ex patre Zoropporanus, ex oppido Arcaſcini, ex matre vero Maſaſſinus, ex oppido Perteghnuoz, annos 29. Hic mancipium factus à nefario Præſide, miſſus fuit Damaſcum ubi & mortuus eſt in Haran. In ejus obitu miraculum quoddam animadvertens Dux generalis exercitus Sarracenorum, qui erat Armeniorum Præſes, plurima Armenis ipſis beneficia contulit.* De illa urbe Haran, quæ prope Damaſcum exſtabat, ſuus dicendi locus erit. Quod miraculum ſpectat, hoc modo narratur à Gregorio Catholico Siſenſi epiſtola ad Regem Armeniæ Haytonem, quam Galanus recitat in ſuis Annotationibus : *ſanctum Iſaac* in Chalcedonenſis ſynodi fide perſeveraſſe aſſerit, ejuſque itidem ſucceſſores, dumque Mohammedem Sarracenorum ducem adiret, in Meſopotamia defunctum ; Mohammedem vero lecta epiſtola objurgatoria, quam Catholicus ipſi ſcripſerat, ad ejus ſepulcrum properaſſe, repertoque cadavere à corruptione illæſo, dexteram manum oſculatum, cuncta quæ ille exegerat ſe præſtiturum ſpopondiſſe. Ad hæc corpus Iſaac in Ghelaienſi urbe argentea theca conditum, corruptelæ expers videri. Verum hæc in falſi ſuſpicionem veniunt, propter Narrationis auctoritatem, quæ illo Iſaac Catholico in vivis ſuperſtite ſcripta fuit. Cavendum omnino ne Iſaac iſte idem putetur fuiſſe ac alter Catholicus Iſaac, cujus in Armenos gentiles ſuos invectivam Combefiſius eodem atque Narrationem volumine edidit. Hic enim Iſaac Catholicus cap. 9. ſynodos Armenorum hæreticorum duas commemorat, Tibenenſem ſcilicet, & Mantziciertenſem, quarum poſtrema habita ſub Joanne Oznienſi Catholico 38. uti paulopoſt dicetur, Τίς οὖν τῶν συνετῶν, ait, καὶ φοβουμένων τὸν Θεὸν, τὰς μιαρὰς καὶ βδελυκτὰς αὐτῶν συνόδους, τὰς γενομένας ἐν σατανικαῖς καὶ διαβολικαῖς καὶ δαιμονικαῖς αὐτῶν χώραις, ἐν τῇ λεγομένῃ Τιβὶν, καὶ Μαντζικιὲρτ, Ἰουδαϊκὰ καὶ Καϊαφικὰ συνέδρια οὐκ ἀναθεματίσει. *Quis non anathemate feriat Judaïcas & Caïphaïcas ſynodos, quæ in ſatanicis, diaboliciſque, & dæmonicis regionibus Tiben & Mantziciert habitæ ſunt!*

XXXVII. ELIAS.

Deinceps itaque Catholicorum Armeniæ ſeriem ex Annalibus dumtaxat à Clemente Galano editis expromemus. Illic Iſaaci ſucceſſor proximus eſt, *Elias Jelivodanus, ex oppido Dirargi; qui anno Armenorum 112. ſedit, vixitque in epiſcopali ſede annos 24.* Ex hoc Annalium loco priores Catholicorum annos emendatione indigere comperimus. Nam annus Armenorum 112. vulgaris noſtræ Æræ 663. fuit, quo certe nondum regnabat Juſtinianus II. ſed avus ejus Conſtans, quin nec ante annum 685. imperare cœpit, ſexdecim annos dumtaxat natus. Mox addit Annaliſta ſummam annorum quibus omnes Catholici poſt S. Gregorium Armenorum Eccleſiæ præfuerunt. *Sedes itaque Armeni Patriarchatus*, inquit, *à ſancto Gregorio uſque ad Nierſeſem Aſcdarachenſem, à quo Thevinenſe Concilium ex mandato Regis Perſarum actum fuit, extitit obediens S. Romanæ Eccleſiæ, annos 218. quo tempore ſederunt in ipſa Patriarchæ viginti, omnes eidem S. Romanæ Eccleſiæ obtemperantes. Ex Nierſeſe autem Aſchadarachenſi fuit ſanctæ illi Eccleſiæ contraria uſque ad Jeſerem Parraſnachiertenſem annos 112. ſederuntque in ea Patriarchæ ſeptem Eccleſiæ Romanæ adverſarii. E concordia vero Jeſeris uſque ad Joannem Oznienſem fuit iterum obediens annos 95. Patriarchæ vero ſex. Igitur ex tempore Gregorii uſque huc ſupputantur anni 425. Patriarchæ 33. Ex quibus perſtiterunt in eadem obedientia Patriarchæ 26. annos 313. in ſchiſmate vero Patriarchæ 7. annos 112.* Scribebat Annaliſta ſæculo decimo-quarto, quo Reges Armeniæ Romanæ Eccleſiæ ſe dediderant, & pro Cæſarienſi ſede, quæ cum Romanæ & Catholicæ Eccleſiæ communionem fovebat, Romanam ipſam poſuit,

omiſſa illa veteri erga Cæſarienſem ſubjectione. Quamquam huic jam ſubeſſe deſierat à tempore illius Nierſis Aſcadarachenſis.

Quod calculos chronologicos ſpectat Annaliſtæ, nec illos nunc excutiam, quando, ut prædixi, nec cum Catalogo Catholicorum, nec *cum Narratione de rebus Armeniæ* conciliari poſſunt: quin ea parte deficiunt, quod neſcivit Annaliſta Iſaac III. ejuſque adeo ſucceſſorem Eliam ab orthodoxa fide defeciſſe.

XXXVIII. Joannes III.

Eliam excepit *Domnus Joannes Oznienſis è provincia Daſcerana, annos 11. qui juſſu Homaris Sarracenorum Ducis, & auxilio Caliphæ Babylonis ſynodum congregavit in urbe Manaſchierti in confiniis Hyrcanæ provinciæ; ubi, convenientibus cum Armenis ſex Aſſyriis epiſcopis, definita eſt una in Chriſto natura, una voluntas, una operatio, fueruntque à ſacris myſteriis ablata fermentum & aqua, Canoneque ſtatutum eſt, non eſſe amplius in ſacrificiis aquam miſcendam: & poſtquam Armenii Aſſyriorum voluntati obſequuti fuere, in ſuum unuſquiſque locum reverſi ſunt. Patriarcha iſte decrevit, in ſabbatis Quadrageſimæ jejunium eſſe frangendum, quemadmodum in Dominicis; & feria quinta Majoris hebdomadis non diſtribuendam eſſe Communionem populo, eo quod Dominus non fuerat crucifixus, neque ſepultus, neque à mortuis ſuſcitatus. Præterea ſtatuit piſces, oleum & vinum eſſe in eodem ordine computanda tempore jejunii cum lacte, caſeo & ovis; ac denique Armenios & Aſſyrios nunquam ab invicem ſeparandos.* Aſſyrios dicit Jacobitas qui in Aſſyria & Meſopotamia multi erant cum ſuo Patriarcha Severi Antiocheni ſucceſſore. Hi tamen fermentum & aquam ab Euchariſtiæ ſacrificio non ademerunt. Quamquam initio Collectionis diſputationum quas Anaſtaſius Sinaïta habuit cum diverſi generis Monophyſitis, legimus ipſorum aliquos, non certe, ut apparet, Armenos, aquam à Calice Euchariſtico excluſiſſe. Scribebat Anaſtaſius ſeptimo ſæculo pene medio. Canone 32. ſynodi Quini-ſectæ, quæ Juſtiniano II. Imp. habita dicitur, mos ille Armenorum admodum improbatur. Alii itidem Armenorum ritus ejuſdem ſynodi Canonibus rejiciuntur, quos non hic vacat recenſere.

Joſeph Simeon Aſſemanus Maronita Tom. 2. Biblioth. Orient. p. 296. ſynodi illius Joannis Oznienſis Catholici Gregorium Bar-Hebræum meminiſſe putat, ubi diſputationem illius cum Armenis Incorrupticolis refert. *Sub Athanaſio Patriarcha noſtro,* ait Bar-Hebræus, *& Joanne ipſorum Catholico in publica collatione diſquiſitionem hac de re habuerunt, noſtræque doctrinæ certam veritatem agnoſcentes reconciliati ſunt, & libello unicnis ſubſcripſere. Nihilominus modico poſt tempore ad antiquum Juliani dogma rediere.* Ad quem Bar-Hebræi locum Aſſemanus obſervat, hanc Jacobitarum cum Armenis concordiam fuſius ab ipſo deſcribi in Chronico ad annum Græcorum 1037. Armenorum 135. ſeu potius 175. quando Armenorum Epocha pertinet ad Chriſti annum 551. Verum huic annotationi obſtat, quod anno illo Græcorum qui vulgaris noſtræ Æræ 715. eſt, nullus Patriarcha Athanaſius vel Anaſtaſius nomine præerat, ſed Elias Gubenſis. Inſanum vero Armenorum de Deo homine facto ſenſum ſic Bar-Hebræus ediſſerit: *Quandoquidem plerique Armenorum doctrinam Juliani ad hoc uſque tempus mordicus tenent; affirmant cum ipſa unione corpus perfectum conſtitiſſe, nec temporis proceſſu auctum, nec paſſibile fuiſſe, aut corruptibile, aut mortale, aut creatum, aut circumſcriptum; & viſum quidem fuiſſe circumcidi, non reipſa id paſſum, viſum fuiſſe manducare, quum revera non manducaverit; & ea plane ratione, qua apud Abrahamum comedit, ſic adhibuiſſe cibum, quando nobiſcum verſabatur. Addunt cibum ejus excrementis caruiſſe, divinitatis igne abſumtum, hiſque ſimilia pleraque nugantur.*

XXXIX. David I.

Annales poſt Joannem Oznienſem habent *Domnum David Guotainum, ex oppido Atamæ, ann. 13.*

Clemens Galanus in præfatione ad hiſtoriam Armenam Patriarcharum, quæ à Marutha preſbytero conſcripta eſt, fatetur, « Pachnenem Patriarcham qui in Menologio « Armenorum S. Germani Conſtantinopolitani « contemporaneus aſſeritur, in hac ſerie cum « ſuo non congruere anno; conjicit vero fieri « potuiſſe, quod alter fuerit præter illos qui in « ſerie Patriarcharum poſiti ſunt, vel ſub alio « nomine circa tempora ipſi Germano reſpon- « dentia collocatum. Cæterum concordiam à « Pachnene cum Germano initam agnoſcit in ſuis pro Fide catholica tractatibus Nierſes epiſcopus Lampronenſis Armenus; quinimo Nierſes ille Armenorum catholicus, in ſua cum Theoriano colloquutione, quæ Manuele Comneno medio ſæculo duodecimo habita eſt. *Venerabilis,* inquit, *ſtrenuus & optimus Patriarcha veſter Germanus literas ad Armenos miſerat, ſpirituali caritate & fide orthodoxa plenas.*

XL. Tiridates I.

Davidi ſuccedit *Domnus Tiridates Taſnavorenſis, ann. 23.*

XLI. TIRIDATES II.

Tum deinde *Domnus Tiridates alter Tasnavorensis, ann. 3.*

XLII. SYON.

Post istum, *Domnus Syon Aracazyotanus, ex oppido Pesnuoiz, annos 8.*

XLIII. ISAIAS II.

Sequitur *Domnus Isaias Necainus annos 13.*

XLIV. STEPHANUS I.

Item post Isaiam *Domnus Stephanus Thevinensis, annos * * **

XLV. JOAB.

Stephanum excipit *Domnus Joab Ustanus ex Gurobalato, ann. * * **

XLVI. SALOMON.

Jacobum *Domnus Salomon Charnensis, annos * * **

XLVII. GEORGIUS I.

Stephanum, *Domnus Georgius Aracazuotanus ex oppido Osciachani, annos 3.*

XLVIII. JOSEPH II.

Post Georgium *Domnus Joseph Aracazuotanus, ex urbe metropolitana sancti Gregorii, annos 11.*

XLIX. DAVID II.

Deinde *Domnus David Masassinus ex oppido Acoghiz, annos 17.*

L. JOANNES IV.

Davidi succedit *Domnus Joannes Khadanus ex oppido Vetaiz annos 22.*

LI. ZACHARIAS.

Post Joannem IV. sedit *Domnus Zacharias Guotainus, ex oppido Zachæ, annos 22. Ad hunc egregiam, diversisque testimoniis refertam de festo Dominicæ Nativitatis epistolam misit Joannes Nicææ episcopus.* Zachariam circa annum 862. sedisse aiunt: Joannis vero Nicæni ad ipsum epistola Græcè Latinèque à Combefisio edita est to. 2. Auct. Biblioth. PP. Græc. Galanus lib. 3. conciliationis Ecclesiæ Armenorum cum Romana frequenter appellat epistolam Photii Patriarchæ CP. ad Zachariam Armeniæ Catholicum; imo certe Joannis Nicæni, quam Photius ad Zachariam mitti curaverat. Laudat quoque pag. 137. synodum quam Zacharias idem in urbe Scirachavan anno 862. coëgit coram Armeniæ Principe Asciut Pacratide, in qua de Schismate sarciendo tractatum est, editique canones sunt ad rectam fidem statuendam, quorum magnam partem eodem loci apud Galanum legere est.

LII. GEORGIUS II.

Zachariæ successit *Domnus Georgius Charnensis annos 22. Hujus ætate Asciut Pacratidem, Abasi Pacratidis exercitus Armeni Ducis generalis filium, instituerunt Regem Armeniæ, qui regnum collapsum in integrum restituit.*

LIII. MASCTUOZ.

Georgium excepit *Domnus Masctuoz, vir Dei, annum unum.* Hic Rituale Armenorum conscripsit, quod ejus nomine hodieque insignitur.

LIV. THEODORUS.

Deinde *Domnus Theodorus annos 11.*

LV. JOANNES V.

Mox *Domnus Joannes annos 7.*

LVI. ELIZÆUS.

Joanni subjungitur *Domnus Elizæus, quem recipere noluerunt; sedit tamen sic dubius annos 13.*

LVII. ANANIAS.

Elizæi successor fuit *Domnus Ananias ann. 22.*

LVIII. JOANNES VI.

LIX. STEPHANUS II.

Sequitur *Joannes Vasburachensis,* qui in Annalibus, *Domnus Vahanus Vasburachensis annos * * * Ejus tempore scissa est sedes Armeni Patriarchatus: siquidem existebat tunc temporis ille Armenorum Doctor Gregorius Narechensis, qui verbis scriptisque Thevinense & Manaschiertense concilia execratus est, atque animo & opere cum sancta universali Ecclesia concors, unius erat consilii cum Vahano Vasburachensi, & uterque Romanæ Ecclesiæ obediens. Itaque Vahanus postquam patriarchatum obtinuerat, tum quia in sacrum altare sanctarum imagines introduxerat, tum quia de ipso suspicio Chalcedonensis concilii habebatur, fugitivus factus, in suam Vasburachensem provinciam se recepit, ubi administrationem sui muneris exercebat. Ipsius autem loco Domnum Stephanum Aniensem in sede Patriarchali constituerunt.* Quamobrem additur: *Domnus Stephanus Aniensis annum 1.* STEPHANUS II Galanus tom. III. Tarsensem synodum quæ sub Leone I. Rege Armeniæ, & Gregorio Degha Catholico celebrata est, hæc de Vahano,

Vahano, sive Joanne VI. dixisse refert, quæ A tempus indicant quo coacta fuit. *Vahanus Patriarcha tempore Basilii & Constantini Imperatorum Ecclesiæ unionem componere studuit, nec tamen pium ejus desiderium valuit ulterius progredi.* Sinceræ fidei Catholici hujus testimonium dedit Nierses Catholicus alter Theoriano Philosopho, quem Armenorum ad Ecclesiæ communionem revocandorum causa, Manuel Comnenus Imp. ad eos delegarat. *Ante annos CC. quidam Catholicus Armenorum fuit, cui nomen Joannes, vita & doctrina magnis & sanctis patribus par, & qui disciplinas* B *exteras universas, adeoque Philosophiam ipsam non summatim attigisset. Vita quidem divina, haud scio an omnibus, at plurimis certè præivit: dignus habitus qui sacro gradu & solio Catholicorum potiretur. Hic divino repletus zelo contra Monophysitas ruebat, & toto eis propemodum episcopatus sui tempore, tam scriptis, quam lingua, infligere vulnera non desiit; cujus & sacram memoriam honorifice pieque recolimus. Hujus divini beatique viri commentarius est apud me, quem contra Monophysitas scripsit, pluribus scripturarum testi-* C *moniis & demonstrationibus refertus.*

LX. KHACCICH I.

Post Stephanum, *Domnus Khaccich, qui rexit Armenam Ecclesiam anno Armenorum 420. vixitque in ejus regimine annos 20.* Atqui Armenorum annus 420. Christi 971. fuit.

LXI. SERGIUS.

Mox sequitur *Domnus Sergius annos 24. qui obiit anno Armenorum 464.* Christi proinde 1015.

LXII. PETRUS.

LXIII. DIOSCORUS *intrusus.*

LXIV. PETRUS *denuò.*

Sergio successit *Domnus Petrus prædicti Khaccich frater, ann. 40. Hunc tametsi innocentem in exilium pepulere, & in sede Patriarchali collocarunt Dioscorum præfectum celebris monasterii Sanahni: quo deinde ex Albanensium Patriarcha die Dominicæ Epiphaniæ de* E *eadem sede ejecto, Domnus Petrus suo iterum loco, orto schismate, restitutus fuit. Hujus tempore Ani civitas à Turcis capta est.* Me non capere fateor quid sibi velint verba hæc, *Quo deinde ex Albanensium Patriarcha;* nisi forsan legatur, *ab Albanensium Patriarcha.* Suum quippe Albanenses Armenorum vicini Catholicum habebant, quorum primus fuit Gregorius S. Gregorii Illuminatoris nepos, sed de ipso & de aliis suus jam fuit dicendi locus.

Albanensis Patriarcha.

LXV. KHACCICH II. Sedes vacat.

LXVI. GREGORIUS III.

Petri successor fuit alter *Domnus Khaccich, filius sororis Domni Petri, ann. 6.* Hic Khaccich, Turcis Armeniam populantibus, sedem transtulit suam Sebasten Cappadociæ, sive Armeniæ minoris, anno Christi 1060. Quæ provincia etsi Regis Armeniæ non ita pridem institutis parebat, Constantinopolitano tamen Imperatori tamquam supremo ejus Domino obnoxia quoque erat, ejusque clienta. Quocirca pergit Annalista, *Post hujus Patriarchæ obitum Armenam cathedram vacasse annos quatuor; quippe quum Sebastiam Cappadociæ translata esset, Græci creationem Armeni Patriarchæ impedierunt; quousque Maria Caghici Regis filia, efficacissimis precibus exitum hujus rei ab Imperatore obtinuit.* Jam diuturnæ vacationis Armenorum sedis hæc causa fuit, quod Constantinus Ducas Byzantinus Imp. defuncti Patriarchæ successoris designandi jus ad se spectare contenderet, quia Armenorum Catholici sedem in ea transtulerant regione, quæ clienta sua erat. Egit Caghicus unà cum filia ipsius Maria, ut Patriarcham demum impetraret: quamobrem Imperator *Armenis misit Domnum Gregorium, Gregorii Machistruos filium, qui honorifica paternæ domus amplitudine posthabita, se in humili monasticæ vitæ statu collocarat, invitusque patriarchatus administrationem suscepit anno 514. fuitque cognominatus Vecajaser* vel *Ughajaser,* quod testimonii amicum significat. *Abiit deinde Constantinopolim, ac complures SS. martyrum historias è Græco & Syriaco in Armenicum idioma convertit: vixitque in patriarchatu annos 42.* Gregorius itaque *Vecajaser* vel *Ughajaser,* ex Principe *Bahlavich* nuncupato originem traxit, ejusque avus *Vasah* inter martyres habetur, pater vero Gregorius cognomine Machistruos, Vahramum genuit, qui Gregorius vocatus est. Hic paternæ sapientiæ, quemadmodum principatus hæres, auditis his Evangelii verbis, *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me,* spretis sæculi divitiis & honoribus, in solitudinem secesserat, Eremita factus, unde ab Imperatore accitus erat & ab Armenis obnixe rogatus, Catholicatu donatus fuit, anno 1065. Post annos 16. oratorem Joannem quemdam presbyterum, ad Gregorium Papam VII. misit, à quo regulas accepit curandæ Ecclesiæ suæ idoneas, quæ epistolis Pontificis ad ipsum recitatis continentur. Habentur istæ Regesti ejus lib. 8. atque de hac legatione Baronius scripsit ad annum Christi 1080. nn. 73. 74. Verum in vita Cyrilli Coptitarum Patriarchæ Alexandrini narratur, circa annum Martyrum

Gregorius III.

802. Christi 1086. Hegiræ 479. Gregorium A Armenorum Patriarcham, qui antehac Constantinopolim petierat, conscensa navi, in Ægyptum transmeasse, numeroso famulitio stipatum, qui se nuperi Catholici decessoris sui sororis filium dicebat, eoque genere nobilem, ac si à Sennacherib Assyriorum olim Rege genus duceret, patrem vero sibi dignitatem Patriarchalem resignasse. Quæ tamen de Gregorio III. intelligi debere nulla mihi ratione constat, eo magis quod Gregorius ille qui in Ægyptum transiisse fertur Catholicatum nuper adeptus erat, quo tamen à viginti annis Gregorius III. fungebatur, anno B Christi 1086. An vero Gregorio V. de quo paulo post dicetur, ista conveniant, id sua difficultate non caret, quando quidem Gregorius hic alter non nisi post sæculum duodecimum inchoatum in Catholicum promotus fuit. Quamquam Coptita scriptor adventus ejus in Ægyptum annum vel tempus diserte non definierit. De Gregorio IV. accipienda puto quæ Nierses Catholicus in colloquutione cum Theoriano dixit: *Beatæ memoriæ Gregorius, qui non multo ante me* C *illustris in hoc solio fuit, eum* (Joannis VI. librum contra Monophysitas) *librum sic approbavit, ut hæc ad ejus calcem verba perscripserit: Sic & ego credo quemadmodum sanctissimus Catholicus Joannes hic scripsit, & eos qui non ita credunt, anathemati devoveo.* Enimvero voces istæ, ὁ ὀλίγον πρὸ ἐμοῦ. *Paulo ante me*, non Gregorium proximum Niersesis decessorem indicant, sed alium paulò anteriorem.

LXVII. BASILIUS.

D Gregorio III. suffectus fuit *Domnus Basilius prædicti Gregorii consanguineus, ann. 6.*

LXVIII. GREGORIUS IV. HANANIAS.

Sequitur *Domnus Gregorius, istorum cognatus, annos 53. Ad quem Pontifex Romanus literas quasdam misit, quibus ab eo postulabat, ut eo plane ritu Nativitatis & Epiphaniæ Domini festa ageret, & in sacris mysteriis aquam vino misceret, quo & sancta Romana Ecclesia, & omnis alia Christianorum natio, id præstare* E *consueverant. Et hoc ipsum antea per literas quoque ab eo petierat, ac necessarium ostenderat Innocentius Papa. Idemque similiter Græcorum Patriarcha & Manuel Imperator, qui illum præterea ad unionem & concordiam cum universali Ecclesia cohortati sunt.* Gregorii hujus ad Eugenium Papam III. Legationem innuit Annalista, quam Otho Frisingensis memorat ad annum 1145. cujus hæc narratio est: Legati Armenorum episcoporum, eorumque metropolitani, quem ipsi *Catholicon* id est universalem, propter infinitum, hoc est magis quam mille episcoporum sub se habentem numerum, vocant, ab ultimo pene Oriente summum Pontificem Viterbii, laboriosum iter per annum & sex menses complentes adeunt; eique ex parte Ecclesiæ ipsorum subjectionem omnimodam eum consalutando offerentes, causas viæ nobis cum aliis præsentibus apud veterem aulam aperiunt. Inter ipsos & Græcos quædam de ritu sacrificii habitudo est in quibusdam, in aliis vero discrepantia. Ponunt enim fermentatum panem sicut & illi, aquam autem vino non admiscent, sicut nos & illi. Præterea Nativitatem Domini Epiphaniæ continuantes, duas illas festivitates unam faciunt. Pro his & aliis dum inter se dissentirent, Romanam Ecclesiam judicem eligentes, consultum veniunt, formamque sacrificii juxta consuetudinem ejus sibi tradi deposcunt. Quos Romanus Pontifex gratanter suscipiens, Missarum solenniis & sacrificiis secretis adhibuit, diligenterque ea quæ fiebant ibidem eos animadvertere monuit. Quod dum facerent, intentique sacro altari adstarent, unus ex eis pontificali dignitate præditus, (sicut postmodum in plena Curia retulit) in B. Martini octava, quando Dedicatio Ecclesiæ S. Petri celebrari solet, summo Pontifice divina mysteria agente, splendido fulgore radium solis super caput ejus coruscare, & in ipso duas columbas ascendentes & descendentes vidit, quumque diligentius hac & illac oculos circumferret nullumque aditum, per quem lux illa transfunderetur, inveniret, deificum hoc esse cognoscens, ac ad obedientiam Romanæ Sedis amplius accensus, cunctis quæ viderat, aperuit. Hæc Otho. Cœterum Gregorius iste mihi omnino ille est Armenorum Catholicus, qui sub Cyrillo II. Patriarcha Coptitarum Constantinopoli Alexandriam venit, seque Patriarchæ senioris sororis filium dicebat; quem Abuselah Armenus posthac Hierosolyma profectum scripsit, ubi codices Evangeliorum pretiosos auro minioque distinctos muneris loco reliquit. Erat plane admodum juvenis, sed forma & modestia, & præclaris moribus commendabilis, se missum à patruo in Ægyptum aiebat, cum insignibus sanctorum reliquiis, crucibus aureis, & aliis muneribus. Susceptus est à monacho Armeno nomine Menachiz, à quo in desertum S. Macarii ad monasteria visitanda ductus est. Alexandriam reversus habita disputatione de fide, Jacobitarum doctrinam professus est. Quocirca tritus illo ævo apud multos sermo erat, *Cophtas, Armenos, Surianos, Æthiopes & Nubas communem Patrum sententiam*

tenere, quam Nestorius & Leo & concilium Chalcedonense inverterant. Anno Martyrum 833. Christi 1117. in Ægypto Gregorius agebat adhuc, & Sanhuti sive Sanutii episcopi Misræ exequiis interfuit, sub Macario II. Patriarcha. Sed & Armenis suis Alexandriæ ecclesiam S. Gregorii ad mare obtinuit. Quinimo circa illum annum Gregorium IV. in Ægyptum appulisse mihi jam certo constat, quippe qui putatis ab anno Christi 1065. annis 40. Gregorii III. & sex Basilii, Catholicatum inierit anno 1111. Sed illum in Ægyptum rediisse ex Cophtitarum monumentis rursus colligimus. Aiunt enim Gregorium Armenorum Catholicum illuc venisse, invisendi fratris sui Beherami Viziri Chalifæ causa, ibique vita functum sub Gabriele II. filio Tarik Patriarcha, qui ad eam dignitatem promotus anno 1131. anno 1146. Æræ Martyrum 862. Hegiræ 541. diem postremum clausit. Ex quo apparet perperam Gregorio isti in Annalibus Armenorum annos 53. pontificatus assignari. De utroque illo Gregorii in Ægyptum itinere legenda historia Patriarcharum Alexandrinorum à Cl. Renaudotio scripta pag. 460. 461. 505. & 507. Willelmus Tyrius lib. 15. *de Bello Sacro* cap. 18. ait, Gregorium Armenorum Catholicum anno 1141. synodo Hierosolymitanæ adfuisse, quam Apostolicæ sedis Legatus post Paschæ solennitatem cum Willelmo Patriarcha celebrabat. *Cui synodo*, inquit, *interfuit maximus Armeniarum Pontifex, imo omnium episcoporum Cappadociæ, Mediæ & Persidis, & utriusque Armeniæ Princeps & Doctor eximius, qui Catholicus dicitur. Cum hoc etiam de quibusdam articulis in quibus à nobis dissentire videtur populus ejus, habitus est tractatus, & ex parte ejus promissa est in multis correctio.* Nimirum Hierosolymis transibat, in Ægyptum postrema vice pergens, ubi quum obiisset, itineris ejus socii Catholicum *Hananiam* nomine elegerunt, qui in Ægypto ordinatus fuit. Videsis rursum hist. Patr. Alex. pag. 507. 509.

LXIX. Niersès V.

Hananias ille, quem à Gregorii sociis Catholicum in Ægypto electum & ordinatum diximus, ab Armenis prorsus non fuit admissus, quando nulla ejus occurrit in Annalibus, aliisque catalogis mentio; sed Gregorio suffectus est *Domnus Nierses Ghelaïensis, prædecessoris sui frater, Doctor universalis qui carmina multa composuit, annos 7. Hic concordiæ Ecclesiarum procurandæ, quod ab ipso Manuel Græcorum Imper. poposcerat, maximam dedit operam. Quare nonnullas de sacro-sancto Trinitatis mysterio, & de Incarnati Verbi*

A *dispensatione, egregias, orthodoxeque elaboratas epistolas ad illum rescripsit; quas Græci demirantes, continuò virum eruditissimum quemdam ad Niersesem verbis comprobandum miserunt. Is autem ejusdem Patriarchæ sententiam cum sua satis convenientem nactus, ad suos reversus est. Nierses interea, dum altera illum vice præstolaretur cum proposito cogendi in ejus reditu concilii, in quo cum Græcis concordiam confirmaret, cessit è vita.* Hic Catholicus, quem Græci ut alios ejusdem nominis Norsesem nominant, colloquium illud cujus

B Annales meminere, habuit cum Theoriano Philosopho, viro doctissimo sapientissimoque, quem Manuel Comnenus Imper. ad ipsum communionis sarciendæ causa delegavit anno Constantinopolitano ab Orbe condito 6678. Christi 1170. data epistola, quam in schedis habeo, quæque Theoriani cum Armenis disputationi, quam Leunclavius Græcè Latinèque edendam reliquit, omnino præmittenda est. In ejusdem disputationis, seu, ut titulus fert, *Legationis ad Armenos*, editione, nonnulli hiatus sunt, quos si Deus

C daret, à meis quoque schedis supplerem, quo ea Theoriani disputatio suis numeris absolutior prodiret. Quando autem constat Gregorium Niersesis hujus decessorem, ante annum 1146. Gabriele II. Cophtarum Patriarcha interiisse, atque Niersesem ultra annum 1170. superstitem fuisse, hinc sequitur perperam illi septem dumtaxat episcopatus annos tribui. Sedem porro suam Nierses iste *Sis* in civitate Ciliciæ fixit, deposita ibidem brachii S. Gregorii Illuminatoris theca anno 1171.

D

LXX. Gregorius V.

Niersesem V. excepit *Domnus Gregorius, duorum mox præcedentium nepos cognomento Degha, ann. 20. Hic Tarsi in Cilicia, duce magno illo Doctore ac ejusdem urbis episcopo ac Niersese Lampronensi, multorum episcoporum synodum ad concordiam cum Manuële Græcorum Imperatore coëundam collegit. Quod dum feliciter ageretur, audita est mors piissimi Regis Manuëlis, qui eam concordiam ardentissime cupierat, unde gravissimo cunctorum Patrum*

E *mœrore divinum hoc opus imperfectum mansit.* Quod ergo Nierses Catholicus ecclesiæ suæ cum Byzantina unionis opus occeperat, hoc absolvere Gregorius V. voluit, habita illa synodo Tarsensi anno Armenorum 626. Christi 1177. ante biennium, imo fere triennium quam Manuel fatis concederet. Quæ proinde Manuëlis mors minime videtur accidisse quo tempore concilium celebrabatur. Nam verisimile non est tot episcopos annos fere tres Tarsi mansisse. Unioni patrandæ obstitisse

puto, quod Armeni Catholicum suum Antiocheni Patriarchæ titulo & dignitate augeri à Græcis perperam postulaverint. Clemens Galanus in Annotatione ad hunc locum Annalium, magnam partem Actorum Tarsensis illius synodi recitat, nosque itidem docet quis quantusque fuerit Nierses ille Lampronensis, Armenorum Tarsensium episcopus. Nimirum Oscini Principis Lamproni aliarumque provinciarum Domini filius hic erat, virque tum vitæ sanctimonia, tum doctrina commendatissimus, cujus memoria in Armenorum Menologio recolitur die 17. Julii. Hic de Græco in Armenum idioma S. Gregorii Papæ vitam, sanctique Benedicti regulam convertit.

Quod vero Gregorium Catholicum attinet, ex Syriaco Gregorii Bar-Hebræi Chronico, in Michaële Jacobitarum Patriarcha, carmen condidit in Syros Jacobitas, qui uno digito signo crucis se munirent, & fermentato pane ad sacrificium uterentur. Eum vero Bar-Andreas Jacobita carmine altero confutavit, Armenos Judaïsmi accusans propter azymum panem quem ipsi vicissim in Missis offerunt. Verum Gregorius omissis hisce jurgiis, suoque carmine & illo quod Bar-Andreas ediderat igne combustis, cum Jacobitis reconciliatus est, atque in Ciliciæ civitate *Sis* mortem paulopost obiit, anno Græcorum 1504. Christi 1193. mense Julio, ex ejusdem Bar-Hebræi Chronico. De quo legendus Assemanus tom. 2. Bibl. Orient. pp. 360. & 368.

LXXI. Gregorius VI.

LXXII. Gregorius VII.

Post Gregorium V. *Domnus Gregorius VI. nepos prædecessoris sui annos duos sedit.* Hunc Bar-Hebræus *Derosam* vocat, fratris Gregorii V. filium, dumque puer adhuc esset, throno illius impositum ait; verum paulopost à Leone Rege destitutus fuit, ejusque in locum Baidarus promotus, qui Gregorius quoque dictus fuit: quod contigit anno Græcorum 1506. Christi 1195. atque adeo non duos annos integros sedem Gregorius ille sextus tenuit. Vide tom. 2. Bibl. Orient. pag. 369.

Gregorius VII. Gregorium itaque VI. excepit *Domnus Gregorius præcedentium Patriarcharum Gregorii & Niersesis Ghelaiensis nepos, annos 7. obiitque in urbe Sis,* ut fert Annalista. Gregorii ergo IV. & Niersesis IV. fratris sororisve filius erat iste Gregorius alter, quem Armeni *Apiram* cognominabant. Hic literas Romano Papæ Innocentio III. scripsit, gratias agens, quod illius decessor Cælestinus III. Moguntinum Archiepiscopum, Cardinalem Sabinensem miserat ad coronandum Leonem A Armeniæ Regem, quibus præterea Romanæ Ecclesiæ communionem postulat; eique vicissim alias Innocentius rescripsit, quæ in ejus Regesto habentur lib. 1. n. 247. & lib. 2. n. 44. utriusque epistolas Galanus Latine Armeniceque recitat pag. 346. & seqq. ut & Odericus Raynaldus ad ann. 1201. Eodem tempore Archiepiscopus quoque Sisensis Regis Armeniæ Cancellarius eidem Innocentio epistolam dedit, ab eo donari Pallio flagitans, ad quem etiam exstat Innocentii responsoria, qua significabat se ejus precibus annuisse, B *misso per Gofredum tituli S. Praxedis, & Petrum tituli S. Marcelli presbyteros S. R. E. Cardinales, Apostolicæ sedis Legatos Pallio, insigni videlicet plenitudinis pontificalis officii de corpore B. Petri sumpto.*

LXXIII. Joannes VII.

Gregorio VII. suffectus est *Domnus Joannes, qui ante annum ab electione sua transactum, mortem oppetiit.* Ad Armenorum primariam sedem promotus hic Joannes fuit, agente Petro illo Cardinali tituli S. Marcelli presbytero, C quem ad instaurandam pacem inter Tripolitanum Comitem & Rupinum fratris Leonis Armenorum Regis filium Armeniæ minoris principem Innocentius delegaverat. Ejusdem Joannis, ut & Leonis Regis literas Galanus suis Annotationibus inseruit. Leo significat Armenorum Ecclesiam Romanæ Sedi obedientiam spopondisse, quam multis temporibus decessores sui præstare nequiverant. « Domnum Catholicum hanc in solemnitate celebri in manibus Legati professum esse, atque Pallium ab Innocentio sibi destinatum D coram suffraganeis aliquot suis, cleroque & Regni proceribus cum omni devotione suscepisse, promittendo, in ordine suo singulis quinque annis per nuntios suos secundum Apostolica capitularia sanctam Romanam Ecclesiam visitare tamquam matrem & magistram omnium Ecclesiarum, & in Cismarinis (imo Transmarinis, occiduive tractus) conciliis, seu in persona propria, seu per nuncios suos interfore; sed & quod non deberent celebrari concilia Ecclesiastica in Cismarinis illis partibus absente illo vel nuncio E suo ab utraque parte statutum est, priusquam de pacis hujus reformatione, sive confirmatione ageretur. » Id quod Joannes Catholicus suamet quoque ad Innocentium epistola significavit. Gesta hæc sunt anno 1205. Verum vix ista pacta fuerant, quando Petrus Legatus Joannem Catholicum interdicto supposuit, quia Antiocheno Patriarchæ Latino subjici recusaret. Armeni vero præsules Rexque Leo, datis rursum Innocentio Papæ literis, Legati sententiam revocari studuerunt. Quæ

Raynaldus narrat ad annum 1205. n. 30.

LXXIV. David.

LXXV. Joannes VIII.

Joannes à Romano Legato promotus æmulum habuit, Davidem nomine qui locum ejus tenuit annos duos, ut Annales ferunt. *Domnus David adversarius prædecessoris, sedit annos 2.* Mox in iisdem Annalibus sequitur *Domnus Joannes, annos* * * * Quem certè alium non esse putaverim à Joanne VII. qui mortuo vel amoto Davide pristinam sedem recuperavit. De hoc Armenorum Primario pontifice Joanne intelligendum arbitror, quod Honorius Papa III. anno 1224. in epistola ad Patriarcham Hierosolymitanum Latini ritus ejusque suffraganeos significabat, se Armenorum Catholico scripsisse, de Tarsensi & Mamistano archiepiscopis, aliisque Latinis episcopis, quos Armeni expulerant, mandans ut eos suis ecclesiis restitui omni cura studeret. Illa ætate anno 1221. Tartari Georgiam omnem vastaverunt, moxque Armeniam majorem populati, sui illam juris fecerunt, solaque Armenia minor cum Cappadocia & Cilicia Regibus suis subjecta mansit.

LXXVI. Constantinus I.

Joannem VII. sequitur *Domnus Constantinus Pazerpertensis, annos 47.* Anno 1238. Armenorum Catholicum Constantinum Antiochenus Patriarcha Latinus sibi iterum subjicere tentavit, tum quia Armenia Orientis regio erat, adeoque Nicæni Concilii primi decreto Antiochenæ sedi addicta, tum etiam præcipuè quod Cilicia in qua tunc ille sedebat, Antiochenæ Diœcesis provincia retroactis semper temporibus fuerat. Causa ad Gregorium Papam IX. relata cui se Constantinus subjectum profitebatur, Apamiensi & Mamistano episcopis Latinis Pontifex scripsit, ut omni studio Catholico suaderent Antiochenæ sedi obsequi. Id quod tamen eos con-fecisse, nullo documento vel indicio constat, etsi illo tempore Romanus Pontifex Haytonem Armeniæ Regem arctissima sibi necessitudine devinctum experiebatur. Ac certe Raynaldus ad annum 1239. narrat Gregorium Papam Regi & Reginæ Armeniæ literas
» dedisse, quibus eorum supplicationibus an-
» nuens, consuetudines à tempore felicis re-
» cordationis B. Silvestri prædecessoris sui &
» S. Gregorii Catholici ejusdem regni, qui
» contemporanei extitisse dicuntur, obtentas,
» inviolabiliter observatas, quæ sanctorum Pa-
» trum regulis minime contradicunt, & cano-
» nicis non obviant institutis, Apostolica au-
» ctoritate confirmabat; sed & Catholico lite-
» ras dedit, unaque Pallium & pontificalia in-
» dumenta alia transmisit. Inter Constantinum
quoque & Ignatium Jacobitarum Patriarcham jurgia contigerunt, Armenis ecclesiam Jacobitis in sua ditione negantibus. Dissidii causam in episcopos suos & presbyteros Patriarcha retulit, resque adeo brevi composita est. Quamobrem Ignatio paulopost defuncto anno 1252. exequias ejus Catholicus celebravit. Quod argumento est Armenos ea ætate qua se Romanæ Fidei studiosos devotosque profitebantur, Monophysitarum errores sincere non deposuisse.

LXXVII. Jacobus I.

LXXVIII. Stephanus II.

Post Constantinum sedit *Jacobus Sisensis, annos 20.* Cui Annales successorem dant, *Domnum Stephanum, annum unum.* Addunt *autem ejus tempore magnum infortunium accidisse. Impius enim & infidelis Sultanus Ægypti sedem S. Gregorii Illuminatoris evertit, Armenosque propemodum omnes occidit; reliquos secum duxit captivos cum Stephano eorum Patriarcha, qui ibi diem obiit. Similiter & S. Gregorii dexteram, & aliorum sanctorum reliquias, & sacro-sanctæ Crucis Domini nostri partem secum abstulit; sed Dominus punivit eum pestilentia, nec ab eis indignatio Dei cessavit, quousque sanctam & admirandam B. Gregorii dexteram piissimo Regi nostro Haytoni remiserunt.* Bendoctari Sultani Ægypti expeditio illa anno 1266. contigit, quo Hayto Armeniæ Rex Clementi Papæ IV. scribebat Occidui tractus Principum opem postulans, quum ipse prælio superatus esset, ejusque filiorum alter occisus, alter captus, quem tamen postea pactis cum infideli Principe induciis recepit, unaque sacra pignora quæ Sarraceni abstulerant. Romano Pontifici tunc grave fuit quod Stephanus Catholicus à consanguinitatis impedimentis, ad nuptiarum copulas apud suos dispensaret. Hanc vero potestatem successor illius Gregorius penes solum universæ Ecclesiæ caput esse, postea professus est sub Bonifacio Papa VIII.

LXXIX. Gregorius VIII.

Anno circiter 1293. Armenorum Ecclesiæ præfectus fuit *Domnus Gregorius Sisensis, qui annos 14. sedit. Hic fuit Deiloquus Doctor,* ait Annalista, *qui multa sacra cantica in Armeno concinnavit, plures SS. Martyrum historias, ex Romana, Græca & Syriaca lingua in suam transtulit; Armenorum Ecclesiam suis institutionibus illustravit, illam denique ut cum magna Romanorum Ecclesia componeret, quod ab ipso Romanus Pontifex expetierat, multum sæpe studii, operæque navavit. Quapropter & Concilium ad id perficiendum cogere satagebat.*

Exstant, præsertim apud Galanum, tum Regis ad Bonifacium Papam VIII. tum Bonifacii ad Regem literæ hujus conciliationis gratia scriptæ, itemque Gregorii ipsius Patriarchæ Sisensis epistola ad Haytonem Leonis Regis patrem cœnobitam, qui S. Francisci regulam professus erat. Ea de causis scissionis disputat, oratque ut Concilium cogatur in quo res discutiatur. Reconciliationem nonnullam tunc fuisse factam apparet ex Clementis Papæ V. epistola eidem *Gregorio Patriarchæ & Regi Armenorum perillustri, data Burdigalæ anno 1306. Non. Julii,* qua illis præterea auxilia pollicebatur contra Sarracenos. Vide Wading. Annal. Min. ann. 1306. n. 26.

LXXX. Constantinus II.

Gregorio defuncto, *Leo II. Rex*, ait Annalista, *ejusque parens Hayton cum Armenorum proceribus ad Synodum generalem celebrandam vocarunt episcopos & Abbates Cœnobiorum, ut & novum Armeniæ Patriarcham, divino afflante numine, totoque Concilio conspirante, eligerent, initiarentque, & accurate Gregorii (nuperi Catholici) examinarent epistolam, executionemque illius, si quidem justa visa fuisset, decernendo injungerent. Et sane epistolam primum requisita diligentia perpendentes, illam deprehenderunt traditionibus SS. Patrum concordem, sacrarumque scripturarum refertam Oraculis. Quocirca decretum divinæ placitum Trinitati scripserunt, subscripseruntque nemine discrepante, quatenus Armeni recta cæterorum Christianorum sequentes vestigia, res à Beato Patriarcha Gregorio in sua epistola traditas perfectissime exequantur. Deinde communi omnium consensu, duceque Spiritu Sancto, anno Armenorum 756.* (Christi 1307.) *feria V. majoris hebdomadis constitutus est in Patriarchali sede Domnus Constantinus episcopus Cæsariensis, qui sedit annos 16. Vir admirabili quidem mansuetudine, & humilitate decorus. Quibus peractis, Leo Rex ejusque pater Hayton cum reliquo Armenorum Principum cœtu, commiserunt Patriarchæ, ut per easdem semitas ipsius Sisensis Concilii sanctione præscriptas populum Armenum deduceret.* Hæc Annalista Maruthas presbyter, quibus historiam omnem absolvit suam. Concilii hujus Sisensis acta Galanus in Annotationibus edidit pag. 455. & seqq. quod celebratum scribitur, *Constantino magno Cæsareæ archiepiscopo præside, consedentibusque episcopis aliis triginta quinque, nec non magistris atque cœnobiorum præfectis septemdecim.* Omnium primus subscripsit *Constantinus Cæsareæ episcopus*, qui nempe mox & gentis Patriarcha factus est. Cæterum Armeni alii pristinam hæresim tenentes his constitutis obsequuti non sunt. Quapropter Constantinus anno 1316. Synodum alteram Adani in Cilicia coegit, octodecim episcoporum & octodecim magistrorum, sub Oscino Rege qui illi adfuit, ac fides Catholica iterato decreto confirmata fuit. Illi porro hæretici Armeniæ præsertim majoris indigenæ erant, quum Armeniæ minoris Ecclesiæ Catholicam fidem sincerius profiterentur. Id quod scilicet Joannes Papa XXII. anno 1323. significabat, epistola data *Constantino Patriarchæ*, cui Guillelmum Sultaniensem archiepiscopum commendabat, ad Orientis populos erudiendos pergentem: *Agimus*, inquit, *in humilitate spiritus laudes Deo nostro, quod sicut inferioris Armeniæ populi, quos in tenebris & umbra mortis ambulantes antiquus hostis in sagenam incluserat cæcitatis, nobis per literas eorum & nuntios insinuare curarunt, ipse misericors & miserator omnipotens .... antiquum ab ipsorum oculis velamen cæcitatis abducens, ad prospectum veri luminis .... revocavit. Nos autem ex his spiritualium gaudiorum ubertate refecti, sperantes in misericordia Domini quod non subsistet, nec abbreviabitur in his tantummodo manus ejus: ad prædicandum verbum vitæ populis Armenorum Imperii Persidis, qui quamquam tibi in spiritualibus obediant et intendant, à doctrina tamen Romanæ Ecclesiæ degenerant, & ad reducendos eos in sensum veritatis .... venerabilem fratrem Guillelmum Sultaniæ archiepiscopum Christianæ Fidei zelatorem destinamus.* Hortatur Pontifex *ut speciales nuntios suos, & literas ad Armenos ejusdem Imperii Persidis una cum eodem archiepiscopo destinare procuret.* Data epistola est *Avenione Kal. Jun. ann. 7. Pontificatus ipsius*, Christi, ut dictum est, 1323. quo Gregorius vitam morte commutavit, à suscepto episcopatu an. 16. Ex quibus literis apparet Armeniæ superioris populos Catholico qui in civitate *Sis* sedebat, obtemperasse.

LXXXI. Constantinus III.

Ex Catalogis Catholicorum qui nuper vulgati sunt, Constantino II. *Constantinus alter* successit, anno ipso 1323. de quo nulla alia dicenda suppetunt.

LXXXII. Jacobus II.

LXXXIII. Mekitar.

Jacobus *iterum.*

Sequitur in iisdem Catalogis Catholicorum recentioribus post Constantinum III. Jacobus II. anno 1333. Joannes Papa XXII. Nicolaum Minoritam, quem Cambaliensem apud Sinas Tartarosve archiepiscopum creaverat, illuc pergentem Leoni Armeniæ Regi

& Jacobo Catholico commendavit, ut eum A sociosque ipsius humaniter exciperent. Hæc Raynaldus ad illum annum n. 31. Wadingus quoque in Annal. Min. n. 1. Jacobum brevi subinde sua sede pulsum ferunt, ejusque in

MEKITAR. locum suffectum fuisse alium, cui *Mekitar* nomen, quo tamen paulopost defuncto, Jacobus restitutus fuit.

Eo tempore superioris Armeniæ Christiani pristinis erroribus qui in Sisensi & Adanensi conciliis iterum proscripti fuerant, addictissimi, Catholicum sibi creaverunt, qui in monasterio Eschmiazin deinceps sederet, præter B illum qui in civitate *Sis* morabatur. Quin & civitatis Aghtamarensis episcopus quum inter illius gentis præcipuos haberetur, Catholici quoque titulum juraque sibi vindicavit. Quocirca Benedictus Papa XII. qui Joanni XXII. proxime successit, epistola quam anno 1341. Armenorum Catholico Sisensi dedit, quamque Odericus Raynaldus ad eumdem annum, n. 46. recitat, narratis capitibus quibus Armeni ab Ecclesia Romana discrepabant, tres apud illos Catholici titulum sibi vindicare ait, *Catholicon Columbarum, Ca-* C *tholicon medium, & Catholicon tertium.* Rursus, n. 88. *Catholicon Columbarum, Catholicon minoris Armeniæ, & Catholicon de Hactamar.* Quemlibet autem eorum dicere *quod ipse tenet veram fidem, & verum baptismum habet, & quod alii ab eo Catholicon,* sive Catholici, *non habent veram fidem nec verum baptisma.* Atqui schisma illud triplex non à tempore Heraclii Imp. ut tunc aiebant, sed recens apud Armenos invectum fuisse duo suadent, nempe quod, ut ex prædictis constat, Majoris Armeniæ Ecclesia Constantini Ca- D tholici II. qui in Cilicia sedebat, jurisdictioni hactenus manserat obnoxia; quodque Gregorius VIII. Catholicus epistola ad Haytonem Leonis Regis parentem significabat, ipsius nutu civitatem Aghtamarensem eo honore auctam esse ut episcopus in ea sederet. *Curasti jam pridem*, inquit, *ut benediceretur civitas Aghtamarensis.* Qui *Catholicus Columbarum* in illa Benedicti epistola dicitur, is in monasterio Eschmiazin sedebat, at pro genuino Patriarcha ille censitus non fuit, quamdiu apud Sisenses illa, de qua sæpe dixi, theca E brachii S. Gregorii servata est, quæ in Catholici consecratione adhibebatur, quippe qua ceremonia significaretur illum legitimum esse S. Gregorii Illuminatoris successorem. Hæc autem apud Sisenses habebatur adhuc tempore Benedicti Papæ XII. ut constat ex errorum ipsorum articulo 98. quos Romanus ille Pontifex suis literis intexuit. *Item Catholicon minoris Armeniæ apud se ulnam brachii & manum adhuc integram B. Gregorii, qui fuit Catholicon, & fuit ordinatus more Ecclesiæ Græcæ; quam ulnam & manum dictus Catholicon ponit super caput & manum illorum quos ordinat in episcopos; & dicit, quod si dictæ manus impositio & brachii non fieret, super caput & manus illorum qui per eum ordinantur in episcopos, non essent ordinati in episcopos; quia impositio dicti brachii & manus faciunt consecrationes episcoporum: & propter hoc ipse nullos episcopos ut episcopos recipit, qui ordinati fuerint per alios Catholicon Armeniæ majoris, quia nullus alius Catholicon, nisi ipse dictum brachium & manum Gregorii habeat.* Quod quum sic fieri soleret apud Armenos, idcirco Catholici Sisenses reliquis prælati semper fuere, ad Cyriacum usque Catholicum, qui thecam illam in Armeniam majorem retulit, inque monasterio Eschmiazin deposuit.

LXXXV. MESROB.

Aut Jacobum II. aut *Mesrobum* ejus successorem illum esse catholicum puto qui *Consolatoris* nomine in Occidente notissimus fuit, ad quem Benedictus Papa XII. scripsit epistolam, quæ tot illa errorum capita referebat quorum Armeni accusabantur. Sic porro epistola illa inscribitur apud Raynaldum *Benedictus, &c. Dilecto in Christo fratri Catholico Armenorum, Spiritum gratiæ salutaris, &c.* Quem nominatum fuisse *Consolatorem* comperimus ex literis Clementis VI. quarum partem Raynaldus idem recitat ad illum annum 1341. n. 118. *Dudum venerabiles fratres nostri, Consolator dictus Catholicon Armenorum, necnon Archiepiscopi, & episcopi, & dilecti filii Abbates, & cæteri clerici in Armenia constituti per nuntios & literas eorum intimare curarunt, ne quod olim fel. record. Benedictus Papa XII. prædecessor noster, quum adhuc ageret in humanis, eos per literas suas Apostolicas requisivit, & monuit ut errores aliquot fidei Apostolicæ repugnantes, quos periculose nimium in partibus illis perceperat pullulasse, quosque prædecessor idem eis descripserat distinctè, succiderent, congregata Synodo condemnarent, &c.* Id quod idem *Consolator* non disertè satis, sincereque, ut promiserat, præstare visus erat, Clemens VI. qui pro pleniori roboratione & confirmatione Armenorum in fide Catholica Joannem archiepiscopum Pisanum & Antonium Scutarensem sedis Apostolicæ Legatos, illuc miserat, rursum ut *Consolator* ad ipsos clare & « non sub involucro aut duplicitatis pallio « responderet Guillelmo Patriarchæ Hierosolymitano, & Philippo archiepiscopo Nicosiensi, & Othoni Paphensi & Leodegario Nemosiensi episcopis, quibus per literas suas in «

» mandatis dederat, ut ipsi vel duo ex eis ali-
» quem, vel aliquos probos viros zelum Dei
» habentes quos ad applicationem tanti remedii
» sufficientes & idoneos esse cognoscerent,
» cum fideli interprete ad eumdem *Consolatorem* mittere festinarent, quodque ab eo cum
» gravitate decenti prudenter & provide hujus-
» modi responsiones lucidas & apertas postu-
» larent. Non solum Consolator sed & Con-
» stantinus Rex Armenorum ipsis per literas
» responderunt, se cum suis subditis paratos
» mandatis apostolicis fideliter obedire: se vero
» fideli interprete indigere, cui suam mentem
» sincere aperirent. Quocirca Innocentius Papa VI. qui Clementi VI. successit, istis omnibus narratis in epistola quam Niersi archiepiscopo Manesquerdensi viro apprime Orthodoxo scribebat, mandavit ut ad ipsos, Consolatorem & Regem se personaliter conferens, negotium petitæ explicationis, &
» exigendarum ab ipso *Consolatore* responsio-
» num hujusmodi, illo ipsi inspirante sermo-
» nem, qui repente Apostolos linguarum varie-
» tatem edocuit, juxta informationem ab eisdem
» archiepiscopo & episcopo exhibendam, ad
» laudem divini numinis . . . . fideliter & sol-
» licite prosequatur. Datum Avenione Kal.
» Oct. anno 1. Ex qua epistola Innocentii constat *Consolatorem* ad annum saltem 1353. sedisse: quin etiam illo tempore nondum ex toto desiisse Armenorum Regum in Cilicia dynastiam, quæ tamen tunc ad finem vergebat.

LXXXVI. Constantinus IV.

LXXXVII. Paulus I.

LXXXVIII. Theodorus II.

LXXXIX. Gerabied I.

XC David IV.

Circa Davidis IV. Catholici tempora anno 1386. *Timurus*, quem vulgo *Tamerlanem* dicunt, Persidem, Mesopotamiam, Armeniam omnem aliasque Asiæ minoris regiones populatus est, ac pene delevit, eaque Barbari tyranni vastatione Armeniæ regnum penitus exstinctum est, sed & ignibus aboliti omnes pene Armenorum libri.

XCI. Gerabied II.

XCII. Gregorius IX.

Anno 1401. sedebat *Gerabied II.* cui *Gregorius IX.* suffectus est, sed ipsomet Pontificatus sui anno primo destitutus.

XCIII. Paulus II.

XCIV. Constantinus V.

Ante sæculi decimi-quinti medium, anno A 1439. Armenorum Patriarcha, sive Catholicus sedebat Constantinus V. qui suo & Ecclesiæ suæ nomine ad Synodum quæ Florentiæ celebrabatur, nuntios suos seu vicarios misit Joachimum episcopum, atque Sarchisium, Marcum & Thomam magistros. Delegationis eorum literæ hujusmodi fuerunt. *Potestas Armenorum oratorum & aliorum à Patriarcha deputatorum. Constantinus servus servorum Domini nostri Jesu-Christi. Quum gratia Dei sim constitutus Patriarcha Vagarsabath, scribo literam hanc magnificæ civitati* B *Caffæ, mitto benedictionem meam omni populo habitanti Caffam. Ego ex plena nostra potestate dedi potestatem Sarchis* (Sergio) *Vertabiet, qui est loco personæ meæ, & Marco Vertabiet, & Thomæ Vertabiet, & Joachim episcopo Petræ, ut eant ad synodum, ut Spiritus sanctus illustret eos, & per virtutem Spiritus sancti, sicut Silvester & S. Gregorius fuerunt, concordet vos in pace & amore & unione.* Scripta 25. mensis Julii 1438. *Paulus* Imperialis Genuensis Caffæ moderator Catholici nuntios data epistola Eugenio Papæ IV. commen- C davit. Florentiam advenerunt post discessum Græcorum, decreto vero Unionis quod cum illis sancitum fuerat subscripsere. Sed & Pontifex Decretum aliud dedit *ad Armenos* inscriptum, quo sacramentorum novæ Legis ritus ad Occidentalis Ecclesiæ normam præscripti sunt.

XCV. Joseph III.

XCVI. Gregorius X.

XCVII. Cyriacus.

D Hactenus Catholicorum, qui in civitate Sis sederunt, seriem sat amplam recensui, qui genuini S. Gregorii Illuminatoris successores habiti sunt. Verum Gregorio X. defuncto, monachus quidem, cui *Cyriaco* nomen, hæresis, schismatisque tenacissimus sacrum brachii manusque S. Gregorii pignus furtim ex Ecclesia Sisensi ablatum in Majorem Armeniam & monasterium Eschmiazin, tulit, suisque artibus effecit, ut Catholicus ipse renuntiaretur, ac quidem reliquorum primus, cui soli, ut pote sanctissimæ illius thecæ posses- E sori facultas esset episcoporum per Armenorum Diœcesim omnem ordinandorum. Quod contigisse fertur circa annum 1441. Interim vero Sisenses nihilominus Catholicum ordinare non dubitarunt, qui per Ciliciam Cappadociamque ac regiones vicinas pristino more jura diceret. Id quod ad nostram usque ætatem apud illos perseverat. Verum Cyriacus biennio vix exacto Catholicatu destitutus fuit, quem alii tres occupavere.

XCVIII. Gregorius XI.

A

XCVIII. GREGORIUS XI.

XCIX. ARISTARCES I.

C. ZACHARIAS II.

Cyriaco ejecto, *Gregorius XI.* unaque *Aristarces I.* nescio quo jure, quove pacto id acciderit, primariam illam Armenorum sedem tenuere. Tunc Zacharias qui in insula Aghtamar prope Erivanum urbem episcopatum gerebat, seque Catholicum jactitabat, sancti Gregorii brachium manumque furatus, in eam insulam asportavit; seque adeo, ordinatis cum illa episcopis, summum suæ gentis Pontificem esse jactitavit.

CI. SERGIUS II.

CII. JOANNES IX.

Zacharia illo in Aghtamar insula defuncto, suffectus illi fuit *Joannes IX.* qui relato ad monasterium Eschmiazin sacro S. Gregorii pignore, anno 1476. sedis illic patriarchalis
SERGIUS II. compos factus est, una cum *Sergio II.* Quo factum est, ut deinceps duo vel tres Armenorum Catholici simul illic sederent, non sine mutuis eorum, ut vulgo accidit, dissidiis. Cæterum ut plures simul Armenorum Ecclesiæ Catholici præfuerint, non alia mihi causa videtur fuisse, nisi, quia in more tunc temporis illi præsules habebant, dum in vivis superstites erant, alios designare qui sibi succederent; quemadmodum tunc quoque apud nos fieri noverant, ut vivorum episcoporum coadjutores designentur, qui illorum subinde successores sint. Illam vero consuetudinem apud Armenos Benedicti Papæ XII. ævo inolevisse, fertur inter articulos eorum doctrinæ & disciplinæ, qui ejusdem Pontificis laudata superius epistola continentur, n. 88.

CIII. ARISTARCES II. SERGIUS.

Ex recentiore Catalogo *Aristarces II.* una cum Sergio, utique II. sedebat anno 1492.

CIV. THADDÆUS I. SERGIUS.

Anno quoque 1499. *Thaddæus I.* una cum Sergio, ex eodem Catalogo.

CV. ELIZÆUS II.

CVI. SERGIUS III.

Rursum anno 1506. *Elizæus II.* sedebat cum *Sergio III.*

CVII. NIERSES VI. SERGIUS.

CVIII. ZACHARIAS III.

Anno 1515. sedebat *Zacharias III.* Catholicus, cui præcesserat *Nierses* una cum Sergio.

CIX. SERGIUS IV.

Anno 1520. *Sergius IV.*

CX. GREGORIUS XII.

CXI. STEPHANUS III.

Anno 1536. *Gregorius XII.* sedebat, & anno 1541. una cum Gregorio *Stephanus III.*

CXII. MICHAEL, STEPHANUS.

In Catalogo *Michaëlem* una cum Ste-
B phano III. sedisse fertur. Anno autem 1562. Armenorum Catholicus Eschmiazini Michaël omnino sedebat, quo Romanæ Ecclesiæ communionem ambivit, misso Romam Abagaro Oratore cum multis articulis, quibus suorum fidem edisserebat. Literas ejus Latine recitat Raynaldus ad annum 1564. quo Abagarus illas Pio Papæ IV. obtulit, quarum hoc initium est. *A Porta Eccimiazin, & ab omnibus sanctis ibi commorantibus, & à cunctis Archiepiscopis, & ministris illius loci, & à Michaele Patriarcha, & ab omni-*
C *bus fratribus dilectis, qui omnes simul devote osculamur pedes Patris nostri Sancti Pii IV. qui vere Petrus est. Pacem quoque damus omnibus reverendissimis Cardinalibus, cunctisque Regibus & Principibus Christum diligentibus, &c. Certiorem facimus Sanctitatem tuam, quod anno Domini 1562. vigesima die mensis Maii, de Sebastea civitate Ego Michaël Catholicus miserim ad Beatitudinem tuam Abagarum benedictum cum duabus literis, una pro obedientia Sanctitati tuæ præstanda nomine omnium nostrum, & ad osculandos devote Beatitudinis*
D *tuæ pedes; altera benedictionis nostræ in eum & meæ procuræ, quam fecimus coram omnibus prædictis, ut legitimus procurator noster sit, & fide dignus apud Beatitudinem tuam una cum filio suo nomine Sulthan, & puero suo nomine Alexandro, firmiter sperantes & petentes ut confirmetis & renovetis condacium nostrum, quod olim Beatissimus bonæ memoriæ Papa Silvester & S. Constantinus Imp. Regi nostro Tartaro* (Tiridati) *& S. Gregorio Patriarchæ, seu Catholico, quod obsecramus, confirmate & nobis remittite, renovantes veterem illam inter nos*
E *amicitiam, ut fiat unum ovile & unus Pastor, quod ut fiat, tempus prope est, ut liberemur ab hac captivitate per manus vestras &c. Epistola hæc scripta est Eccimiazin anno à Nativitate Jesu Christi 1563. prima die mensis Aprilis.* Cæterum Armeni Romanam communionem his literis poscebant, non vero errores suos deponebant; quippe qui diserte profiteantur *se nulla Concilia habere præter tria, Nicænum, Constantinopolitanum & Ephesinum,* excluso proinde Chalcedonensi, quod Christum

in naturis duabus subsistere definivit. Aiunt A quoque, *in sacrificio altaris fermento & aqua non utimur.*

CXIII. Stephanus IV.

Basilius II.

Michael, Gregorius.

Anno 1567. sedebant hi quatuor *Stephanus IV. Basilius, Michael & Gregorius.*

CXIV. Thaddæus II.

Anno 1576. sedebat *Thaddæus II.*

CXV. Arrakial.

In Catalogo Thaddæum II. sequitur *Arrakial*, qui omnino diversus fuit ab Azaria illo Armenorum Catholico, qui anno 1584. Nuntios Romam misit, qui suo nomine Apostolicæ sedis communionem flagitarent, quemque Sisensem fuisse, non Eschmiazinensem Catholicum ostendemus.

CXVI. David V. Arrakial.

Anno 1586. Catholicatum gerebat *David V.* cum illo Arrakial.

CXVII. Melchisedec. David.

Anno 1593. una cum *Davide V.* Catholicus erat *Melchisedec.*

CXVIII. Serapion.

Uterque Catholicus *David* & *Melchisedec*, qui æri alieno ac præsertim tributo, quo Regi Persarum astringebantur, solvendo impares essent, Catholicatum *Serapioni* Caramitæ episcopo, homini ex nobili locupletique familia nato resignarunt. Qui tamen male vexatus paulopost loco cedens, Diarbekiram in Mesopotamia extra Persici regni limites se recepit, ac subinde Constantinopolim, ubi diem obiit anno 1606.

CXIX. Melchisedec *iterum*. David V.

Serapione defuncto, solutisque Patriarchalis sedis debitis, David ac *Melchisedec*, de Catholicatu recipiendo contenderunt. Litem Rex Persarum finivit, Melchisedeco Patriarcha renuntiato; verum S. Gregorii sacrum pignus Hispahanum afferri jussit, quod Melchisedec ut redimeret, duûm millium nummorum summam quotannis se Fisco appensurum spopondit; cui rursum solvendæ se imparem sentiens, clam è Perside secedens, Constantinopolim petiit, moxque Leopolim in Polonia, ubi diem clausit anno 1629. Ex relatione legationis Garciæ de Silva Figueroa Philippi II. Hispaniarum Regis apud Persarum Dynastam Oratoris, Melchisedec Armenorum Ecclesiæ præerat anno 1619.

CXX. Isaac V. David V.

Melchisedecum excepit *Isaac* fratris sororisve ipsius filius, cui statim æmulus assurrexit *David* ille Melchisedeci decessor, qui à Persarum Rege præ Isaaco dignitatem obtinuit. Atqui David ille cum suffraganeis suis, populoque, ut aiebat, Armenorum universo, missis ad Paulum Papam V. literis & nuntiis Romanæ sedis se clientem professus est; quod jam ante palam Hispahani spoponderat anno 1605. coram viris religiosis ex ordine Ere-
B mitarum S. Augustini. Nihilominus Armenis suis invisus factus ipse quoque Catholicatu cessit, atque in civitate *Van* vitæ reliquum egit.

CXXI. Moyses II.

Post Davidem Catholicatu *Moyses II.* donatus est à Cha-Sefi Persarum Rege, cujus benevolentiam captaverat, cuique ille summam annuam duûm millium nummorum ultro dimisit. Hic anno 1637. Urbanum Papam VIII. per literas nuntiosque convenit,
C fidei suæ orthodoxam confessionem mittens, invito licet Gregorio Cæsariensi, qui illum à proposito deterrere conatus erat. Hunc anno 1629. Philippus à sanctissima Trinitate excalceatus Carmelita invisens, humanissime exceptus fuit, ut refert Itinerarii sui lib. 1. Obiit Moyses anno 1632. ex epistola P. Monerii è Soc. Jesu.

CXXII. Philippus.

Moysi II. suffectus fuit *Philippus*, qui se quoque Catholicæ communionis & Fidei
D studiosum præstitit; quum Hispahanum petiisset Cha-Sefi Regem salutaturus, multa ab eo humanitate exceptus, Ecclesiæ suæ restitui impetravit insignem illam thecam brachii manusque S. Gregorii, quin & Eschmiazinense templum quod à Rege Scha-Abas dirutum erat, Principe annuente instauravit. Hierosolyma sacrorum Palæstinæ locorum visendorum causa profectus, Sisensem ibi Patriarcham Niersem offendit, quicum sanctissimum fœdus pepigit, sed & Hierosolymitano suæ gentis Episcopo potestatem fecit
E sacri unguenti quotannis conficiendi. Inde Constantinopolim perrexit, atque ad suam demum sedem regressus, vivis excessit anno 1655.

CXXIII. Jacobus III.

Post Philippum sedit *Jacobus III.* Catholicæ Fidei, ut fertur, studiosissimus, quo Catholicatum gerente, Biblia sacra aliique libri Armenicis typis Amstelodami excusa sunt anno 1666. Hunc anno 1673. Char-

dinus eques invisit, ut ipse fert in itinerario. Anno 1672. suscepto Romam versus itinere Constantinopolim venerat gravia ibi negotia confecturus, ibique illustrissimo Marchioni de Nointel Christianissimi Regis apud Turcarum Sultanum Oratori testimonium dedit amplissimum de Ecclesiæ suæ fide & doctrina circa præcipua capita, quæ à Calvinistis impugnantur. Hujus authenticum exemplum asservatur in Bibliotheca Regii Cœnobii sancti Germani Parisiensis, quod Gallico idiomate editum est in libro cui titulus est, *Réponse generale au nouveau livre de M. Claude.* Constantinopoli fatis paulopost concessit, dum Romam pergere parabat, ac morti proximus, vocato ad se Urbis Latini ritus Archiepiscopo, Catholicam denuo Fidem coram eo professus est. Sic liber Gallicè scriptus, hoc titulo, *Estat present de l'Armenie, pag. 241.*

CXXIV. Eleazar.

Jacobo defuncto Eschmiazini Catholicus renuntiatus est *Eleazar Glajortzi*, quem Fidei prædicatores Roma missi benevolum experti sunt Monerio è Soc. Jesu teste, in sua *de rebus Armenorum Narratione.* Ita quoque asserit Missionarius alter Apostolicus ex eadem Societate in Itinerario suo quod anno 1730. prodiit. Verum ab altero ejusdem Societatis scriptore cujus liber Lutetiæ Parisiorum anno 1694. inscriptione hac editus est, *Estat present de l'Eglise d'Armenie,* inter infensos Romanæ Ecclesiæ alumnorum hostes censetur pag. 118. & 175. Hic Hierosolymitanorum suæ gentis peregrinorum archiepiscopus fuerat, unde pulsus à Martyrio æmulo suo in Armeniam Majorem sese receperat, ubi Catholicatum Eschmiazinensem obtinuit. Quod quidem refert Dositheus Patriarcha Hierosolymitanus, lib. de Patr. Hierosf. pag. 1233. ubi narrat quæ ab eodem Eleazaro & Minoritis fratribus anno 1683. adversus Græcos suos tentata fuerant, additque illum fatis concessisse anno 1692. ἐν τῷ χιλιοστῷ ἑξακοσιοστῷ ἐννενηκοστῷ δευτέρῳ ἐτελεύτησεν.

CXXV. Nahabied.

CXXVI. Stephanus *intrusus.*

Eleazaro successit *Nahabied*, Schismati addictior, quem Petrus Paulus Italus ex Carmelita excalceato archiepiscopus Ancyranus & Nuntius per omnem Orientem Apostolicus, anno 1699. convenit, literas ad ipsum ferens potentissimi Germanorum Imperatoris & Reipublicæ Venetæ. Post, Armenorum quorumdam relatione didicit Nahabiedum, qui malis artibus patriarchatum ambierat, à suæ gentis episcopis ejectum esse. Nimirum Nahabied æmulum habuit *Stephanum* Julfæ, suburbii Hispahani episcopum, qui à majore suæ gentis parte postulatus, impetratis à Rege Persarum literis, quibus Catholicatus ei asserebatur, Nahabiedum carceri addici curavit. Nahabied vero à Zalecano, Regis ministro familiari suo mandatum Regis edoctus Taurisium fugit: interim vero Zalecanus apud Principem effecit, ut, amoto Stephano, Nahabied suæ sedi restitueretur. Quocirca Stephanus captus, in exilium missus fuit, ubi veneno periisse fertur; qui dum Armenorum Ecclesiæ præerat, Catholicos infesto odio habuit. Ipse nihilominus Stephanus à Batavo Calvinista irrisorie de Eucharistiæ mysterio quæsitus, quid demum accideret si Eucharisticum panem, quem verum esse Christi corpus Stephanus asserebat, mus aliquis roderet, iratus severa revulsaque fronte retulit, Domini corpus minus dehonestatum iri si à mure roderetur, quam si ab infami qualis ille erat, hæretico. Anno 1701. præstantissimus Galliæ nostræ medicus D. Tournefort, Armeniæ montes lustrans Nahabiedum Eschmiazini adiit, à quo lautè satis more gentis exceptus est. Fato functus est anno 1706. ex Monerio Jesuita.

Stephanus intrusus.

CXXVII. Alexander.

Stephanus.

Nahabied suffectus est *Alexander* ex Hispahanensi, sive Julfensi Armenorum episcopo, vir Catholicis parum æquus, quem æmulum habuisse audio Stephanum illum Nahabied adversarium. Quod si ita est, perperam Stephanum veneno interiisse alii retulerunt.

CXXVIII. Asuadour.

CXXIX. Garabied.

CXXX. Abraham.

Nuper sedebat *Asuadour*, vir mitissimæ indolis, quem Catholicorum centesimum vigesimum censent. Cui successit *Garabied*. Hodie sedet *Abraham*.

CATHOLICI ARMENORUM SISENSES.

Sis Ciliciæ urbem hoc modo descripsit Abulfeda: » Sis urbs magna castello munita,
» tribusque muris cincta, sita est in monte oblongo: hortos habet, fluvioque parvulo
» alluitur: hanc tenet Armeniæ Rex, illiusque regni caput est, Anazarbo & Messissa sive
» Mopsuestia 24. mill. æquali intervallo distans. Ex quo Cyriacus Catholicus post Gregorii X. Catholici obitum thecam brachii S. Gregorii Illuminatoris in Monasterium Eschmiazin secum

transtulit, nihilominus Sisenses Catholicum sibi proprium designarunt, cujus successores ad hanc usque diem perseverant, qui Armeniæ minoris, Cappadociæ & Ciliciæ Ecclesias procurant. Sæculo decimo-sexto labente, ille Armeniæ minoris Patriarcha, Leonardo Sido-
» niensi teste, in obedientia sua habebat 23. Prælatos, episcopos & archiepiscopos; familiarum
» vero circiter viginti millia in civitatibus Ciliciæ & Syriæ agentium, præter cœnobia mona-
» chorum, sacerdotes, clericos & monachos quamplurimos: Sic Albertus Miræus ex Leonardo. Quibus addendum ex eodem Leonardo, Patriarchæ sive Catholici electionem ad duodecim episcopos superiores vicinioresque ecclesiæ Patriarchalis spectare, & quandoque à populo, favore & jussu Turcicorum præfectorum, quibus accedit episcoporum & archiepiscoporum consensus; qui illi quoque coadjutorem creant. Hodie tamen sese Eschmiazinensi Catholico potestate & dignitate inferiores agnoscunt, ex quo sancti Gregorii brachium ab Ecclesia Sisensi ablatum est, quippe quod in episcoporum ordinationibus non amplius, ut olim adhibeatur. Catholicorum Sisensium seriem integram mihi recensere non licet, sed aliquos dumtaxat, in quos identidem librorum variorum evolutione incidi.

I. Azarias.

A Primus occurrit *Azarias*, qui anno 1584. datis Gregorio Papæ XIII. & Sixto V. literis, Romanæ Ecclesiæ fidem professus est, subscripta à se Formula, cui Joannes Jultanensis, Martyr Asciuzensis, Joannes Hierapolitanus, & Minasius Sebastenus perinde subscripserunt. Hunc Armeniæ minoris Patriarcham fuisse Albertus Miræus monuit in Notitia Patriarchatuum ex Leonardo Sidoniensi, qui Azariæ professionem fidei prius approbavit, quam Romam ad Gregorium Papam mitteret. Galanus quoque tom. 3. pag. 396. Azariam Armeniæ minoris Patriarcham dicit.

II. Nierses.

B Philippum Armeniæ majoris Patriarcham, quum Hierosolymam venisset, *Niersem* ibi Sisi Catholicum offendisse dixi, ambosque mutuo fœdus sanctissimum pepigisse.

III. David.

Tom. I. Libri Gallico idiomate contra Calvinistas scripti *de Perpetuitate Fidei de Eucharistia*, testimonium habetur Davidis minoris Armeniæ Catholici *de Armenæ gentis*, circa mysterium illud aliaque capita Fide, datum Alepi die 1. Martii anno Armen. 1117. Christi 1668. cujus hoc initium est: *Servus Jesu Christi David Armenorum Patriarcha cum infra scriptis antistitibus & presbyteris*; de quo Illustrissimus D. Nointelius Christianissimi Regis apud Turcicam Aulam Orator, ita Lutetiam Parisiorum scribebat: *Ce David estoit en ce temps-là Patriarche de Cis, & bien uni avec le grand Patriarche Jacob; mais par la cabale d'Eleazar Patriarche, ou pour mieux dire Archevêque de Jérusalem, Cruciador qui estoit de son parti, fit chasser David, & obtint le Patriarchat de Cis en sa place.*

IV. Cruciador.

Ex illa Nointelii epistola habemus Davide Eleazari illius Hierosolymitani archiepiscopi artibus expulso, locum ejus obtinuisse *Cruciadorem*; qui interim simile illi quod David dederat de Mysterio Eucharistiæ testimonium præbuit anno 1672. *Servus Jesu Christi Cruciador Patriarcha & primas exiguæ partis Armenorum, qui morantur in Cilicia &* C *Palæstina, dextræ sancti Gregorii ejusdemque throni minister.* In fine: *In quorum fidem ego Cruciador Patriarcha manu propria subscripsi, anno Armenorum 1121. & à partu Virginis 1672.*

CATHOLICI ARMENORUM AGHTAMARENSES.

Aghtamar insula est in medio lacu magno Varaspuracani existens, cujus archiepiscopus schismaticus censetur à Catholico Eschmiazin & Ecclesia Armena ab annis 500. & amplius. Dicit se Patriarcham contra decretum Ecclesiæ Armenæ: habet sub se octo vel novem episcopatus, fere omnes in monasteriis circa lacum Varaspuracani & Van, nempe Safan, Gasgi, Basti, & alios. Sic Uscani episcopi Uscavani notitia. Quod hic fertur Archiepiscopum Aghtamar se à quingentis annis & amplius Patriarcham jactitare, an omni parte verum sit statuere non ausim; at certe longe prius quam Zacharias archiepiscopus Aghtamar thecam brachii S. Gregorii è monasterio Eschmiazin furto ablatam in insulam suam transferret, ejusdem insulæ Præsules sese Catholicos dicebant. Nam Benedictus Papa XII. in epistola illa prolixa quam Catholico totius Armeniæ *Consolatori*, anno 1341. scribebat, tres apud Armenos *Catholicon* sive *Catholicos* nuncupari ait, *Catholicon Columbarum* (Eschmiazin utique) *Catholicon minoris Armeniæ* (Sisensem scilicet) *& Catholicon tertium de Hactamar.* Quinimo art. 37. Armenos ait tradere, tres illos Catholicos Armenorum exstitisse à tempore Heraclii Imp. qui diversam fidem tenerent & baptisma diversum.

Atqui Catholicus Aghtamar nullus mihi hactenus occurrit præter Zachariam illum, qui brachium S. Gregorii furatus, eo in insula sua deposito, quum inter ordinandum illud pro veteri more adhiberet, sese pro legitimo & primario Patriarcha venditavit. Post vero Joannes ejus successor relato in monasterium Eschmiazin sacro pignore, gentis totius Catholicus summus habitus est. Interim vero qui Joannis loco archiepiscopus creatus fuit, ejusque successores Catholicorum appellationem juraque in subjectos suæ sedi episcopos, sibi perinde atque antea vindicarunt.

PATRIARCHÆ ARMENORUM HIEROSOLYMITANI.

NOvo Armeniæ regno sæculo circiter à Christi nativitate duodecimo in Orientis partibus excitato, quod Cappadociam & Ciliciam usque protendebatur, hujusque regni metropoli facta Siso civitate Ciliciæ, illuc quoque, ut diximus, Catholici commigrarunt; qui subinde Hierosolymam sui ritus episcopum miserunt, qui gentiles suos tam in Urbe sancta, quam in omni Palæstina curaret ac regeret. Sed & hunc archiepiscopi titulo donare non dubitarunt, qui demum sæculo decimo-septimo medio à Philippo majoris Armeniæ Catholico obtinuit, ut apud se sanctum Chrisma conficeret & consecraret. Qua potestate auctus, quæ per omnes Orientis regiones Patriarchis solis attribuitur, Patriarchæ titulum ipse quoque sibi arrogavit, haud secus atque Sisensis & Eschmiazinensis. Verum licet Hierosolymitanorum Armenæ gentis episcoporum series à prima sua institutione non desierit; attamen in paucos admodum incidi, quos hîc recensebo.

I. ISAIAS.

Anno 1434. *Isaias* Episcopus Armenorum Hierosolymitanus Eugenio Papæ IV. scribebat, se literas ipsius de concilio in Italia cogendo ad Catholicum Armeniæ majoris misisse. Ejus epistolæ inscriptio est: *sanctissimo & beatissimo nostro Domino Eugenio, beatitudinis vestræ filius Isaias episcopus Hierosolymitanus.*

II. ELEAZAR.

III. MARTYRIUS.

Ex epistola Illustr. D. de Nointel, quæ legitur tom. 1. libri de Perpet. Fidei de Eucharistia, anno 1671. sedebat *Eleazar* Patriarcha sive Archiepiscopus Armenorum Hierosolymis agentium, cujus opera & artibus David Sisensis Catholicus sua sede pulsus fuit, ejusque in locum Cruciador suffectus. Cæterum Dositheus ipse Hierosolymitanus Patriarcha Græcus pag. 1233. Libri prægrandis sui de Patriarch. Hieros. ubi narrat quæ cum Franciscanis Hierosolymitanis adversus Græcos molitus erat, ejus æmulum fuisse ait *Martyrium* qui eum loco sibi cedere coëgit. MARTYRIUS. Quocirca Eleazar in Majorem Armeniam fugere coactus, Eschmiazinensis demum Catholicus evasit. *ἀλλ᾽ ἡμεῖς σὺν Θεῷ ἐβοηθήσαμεν τοῦ ἀντιδίκου αὐτοῦ Μαρτυρίου, καὶ ἔλαβε τὴν ἐν Ἱερουσαλὴμ ἐπισκοπὴν αὐτοῦ. ὁ δὲ Ἐλεάζαρος μετ᾽ αἰσχύνης φυγὼν, ἀπῆλθεν εἰς τὴν Περσίδα; ἔνθα καὶ ἐγένετο Καθολικὸς τῆς μεγάλης Ἀρμενίας. κ. τ. ε.*

PATRIARCHÆ ARMENORUM CONSTANTINOPOLITANI.

ARMENI per omnes Turcici, ut & Persici Imperii regiones sparsi, magno numero Constantinopoli agunt, quibus Episcopus suæ gentis præest, quem & Archiepiscopi primùm titulo donarunt. In ea autem Urbe ipso jam sæculi saltem decimi-quarti initio Armenorum episcopus sedebat. Nam in actis synodi Sisensis, quæ anno 1307. celebrata est, inter episcopos qui in ea sederunt ejusque decretis subscripserunt legitur *Hesychius episcopus Stimbolæ Armeniæ* sive *Armenorum.* Nemo nescit Constantinopolim à Turcis aliisque retro barbaris *Stamboul* dici; quapropter Urbs *Stimbola,* ipsa omnino mihi Constantinopolis est. Hic vero Armenorum Constantinopolitanorum præsul, propter nimiam ab Eschmiazinensi sede distantiam, accepta à primario Catholico, vel arrepta forsan unguenti sacri conficiendi atque in ditionis suæ ecclesias distribuendi potestate, Patriarchæ quoque nuncupationem sibi vindicavit, ne Constantinopolitano Græcorum antistiti ullo pacto cedere videretur. Ei obnoxiæ sunt quotquot in vicinis Asiæ & Europæ regionibus existunt Armenorum Ecclesiæ. Patriarchatus hujus initia non absurde forsan arcessivero ab eo tempore quo Melchisedec magnæ Armeniæ Catholicus, quum æri alieno cujus apud Persarum Regem debitor erat, solvendo non esset, in Mesopotamiam primum, ac deinde Constantinopolim fugit, ubi reliquum vitæ suæ tempus egit ad annum usque 1606. quo fatis concessit.

I. HESYCHIUS.

In Sisensi concilio sedit & subscripsit *Hesychius episcopus Stimbolæ Armenorum.*

II. JOANNES.

Ex Galano tom. 3. pag. 396. *Joannes* pro Armena natione Constantinopolis Patriarcha.

» cognomento *Magister Surdus*, opusculum A
» scripsit contra suæ nationis hæreticos, in quo
» tractatu de Processione Spiritus Sancti validis-
» simis rationibus ex Patribus & scriptura sacra
» deductis, convincit Spiritum Sanctum ex
» Patre Filioque procedere.

III. ZACHARIAS.

» Ex eodem Galano ibidem Zacharias ejus-
» dem Constantinopolitanæ Ecclesiæ Patriar-
» cha, Fidei formulam Romæ præsens exhibuit
» Urbano Papæ VIII. in qua perinde de Spiritu
» sancto profitebatur: *Confiteor Spiritum San-* B
ctum ex Patre & Filio æternaliter esse, utrique consubstantialem, ab utroque vero tamquam ab uno principio, & unica spiratione procedere.

IV. DAVID.

V. CYRIACUS.

VI. KHACCIATUR.

VII. DAVID, *iterum.*

Zachariam excepit *David*, proximus *Cyriaci* decessor, homo hæresi in primis addictissimus, de quo Galanus hæc narrat: *Per-* C
errabat hoc ipso tempore Syriam Armenus quidam episcopus in Constantinopolitana olim sede Cyriaci prædecessor, nomine David, qui quum fuisset tam ignavus ineptusque scientiis, quam hæresi refertus & ambitione, à populo Constantinopolitano Patriarchali depositus dignitate, illuc expulsus fuerat, atque in ejus locum ipse
CYRIACUS *Cyriacus, egregia cujus virtus universorum jam animos prolectaverat substitutus. Audiens igitur in Syria sui obitum successoris, & in spem sedis per summum adhuc scelus recuperandæ adductus, se qua potuit festinatione, Constantinopo-* D
lim transtulit: nec propterea quod locum ibi à Khacciaturo præoccupatum comperisset, eam quam prius conceperat, spem omisit; imo oblata Turcarum Regi multorum millium aureorum summa, rem pro voluntate ad exitum perducens, Catholicum Patriarcham throno exturbavit, Constantinopoli quoque ejecit; sibi tamdem renuente adhuc populo eam arripuit dignitatem.

En ergo tres Patriarchas Zachariæ successores, ac quod Cyriacum spectat, de eo iterum Galanus audiendus venit, *Erat*, inquit, *eo tempore Constantinopoli Armenorum Patriarcha Magister Cyriacus, concionator insignis, cujus fama ob præclarum ejus ingenium, facundiam & vitæ integritatem in universam percrebuerat Armeniam;* vir ut ex his quæ sequuntur apparet, de religione rectè sentiens, cui anno 1642. pridie Kal. Junii Antonius Barberinus Cardinalis, Sacræ Congregationis de Propag. Fide Præfectus epistolam dedit, Galanum ei commendans, qui quum Asiæ regiones peragrasset, Constantinopolim reversus, quadragesimo ætatis anno obiit.

Huic statim suffectus fuit *Khacciatur*, unanimi populi conspiratione electus, qui antea sub Galani disciplina meruerat, ab ipso Catholicæ fidei doctrinis imbutus, & Christo per Evangelium genitus fuerat, qui è regia Turcorum aula, magna Armenicæ plebis frequentia sequente in Patriarchalem Ecclesiam equo de more advectus est. Huic Kacciaturo Armenorum Patriarchæ Cardinalis S. Onuphrii Sacræ Congreg. de Propag. Fide Vicepræfectus Roma scripsit epistolam Id. Decembr. 1642. aliquanto post vero, ut prædictum, à Davide illo dejectus fuit. KHACCIATUR. DAVID iterum.

Interim autem Patriarchalis illius sedis vicarius erat Joannes Ursaënsis Archiepiscopus Diarbechirensis, magno apud Armenos honore ob morum gravitatem habitus, qui de restituto in illam sedem Davide acerbo dolore concepto, grandævus senex repente corruit & exspiravit.

Cæterum Davidem infenso odio prosequebatur Regius quidam publicanus Armenorum Satrapa nobilis ac primarius, cui Scander Celebi nomen, qui Patriarchalem administrationem in Thomam monachum & presbyterum, amicum suum transferre molitus est. Demum subortis jurgiis postquam diu cum Davide Patriarcha apud Turcorum Præsidem altercatus esset, victoria potitus illum in insulam Cyprum relegari obtinuit, ac Patriarcha ejus in locum eligi permissus est, sed defectu pecuniæ, quæ Aulæ Turcicæ in illis promotionibus appendi solet, Romam versus iter arripuit.

I. ECCLESIA CÆSAREÆ.

CAPPADOCIA atque Cilicia ab Armenis subactis, novi Armeniæ regni caput ac metropolis primùm fuit Cæsarea Cappadociæ, ubi suæ gentis episcopum constituerunt, quem magni Cæsareæ Archiepiscopi titulo donarunt; quippe quorum memoria non exciderat, Armenorum gentem à Cæsariensi sede Christianas leges primitus edoctam fuisse. Cæterum inter Armenorum errores quos Benedictus Papa XII. in epistola ad Armeniæ Catholicum recenset n. 99. fertur *quod episcopi Armeni in Italiam venientes dicunt se expulsos ex episcopatibus suis per Sarracenos, quod non est verum: & dicunt se esse archiepiscopos,*

quum tamen in Armenia nullus sit archiepiscopus. Quod quomodo cum illis subscriptionibus conciliari possit, me nescire fateor, quando etiam in tota hac epistola frequens archiepiscoporum simul & episcoporum Armeniæ præterquam Catholici mentio. In Notitia duos tantùm suffraganeos habere hodie dicitur. ECCLESIA CÆSAREÆ.

EPISCOPI CÆSAREÆ.

I. CONSTANTINUS.

IN Concilio Sisensi quod an. Christi 1307. & Armenorum 736. Leone II. ipsorum Rege celebratum est, jussuque Gregorii ipsorum Patriarchæ sive Catholici Orthodoxæ Fidei statuendæ causa coactum fuerat, eodem Gregorio illo tempore defuncto, sedit atque subscripsit *Constantinus, magnus Archiepiscopus Cæsareæ.* Qui mox à Concilio in Catholicum provectus est. A

II. GREGORIUS.

Moyses II. Catholicus Armenorum Eschmiazinensis Urbanum Papam VIII. per nuntios & literas convenit, ut Apostolicæ sedis communione donaretur, quem ab hoc consilio deterrere conatus erat *Gregorius* Cæsariensis, velut ipse suis literis Pontifici significavit. Quod argumento erit Cæsariensem Armenorum Ecclesiam tunc primarii Catholici ditionis factam fuisse.



II. ECCLESIA TARSI.

TARSI quoque Ciliciæ quondam metropoli Armenæ gentis & ritus episcopus est constitutus, quem Archiepiscopum appellarunt.

EPISCOPI TARSI.

I. JOANNES.

IN Sisensi Concilio Leone II. Armenorum Rege celebrato, sedit & subscripsit *Joannes archiepiscopus Tarsi.* Qui posthac an. 1316. iterum sedit in Adanensi Concilio, in quo rata habita sunt quæ ad Orthodoxam Fidem statuendam in Sisensi concilio decreta fuerant. B

II. ***

Anno 1341. Benedictus Papa XII. archiepiscopum S. Thaddæi, Navarzanensem, *Tarsensem* & Soldaniensem hortabatur, ut Catholicum adducerent ad vocandam synodum in qua suæ gentis errores proscriberentur.




III. ECCLESIA SEBASTES.

SEBASTES in Armenia minori primæ olim metropolis, archiepiscopus ab Armenorum Catholicis constitutus fuit: quin & primarii Catholici ditionis factum esse apparet ex Notitia episcopatuum, quam dedit Uscanus Uscavaniensis, sive Uscensis episcopus in Armenia; & ex literis Michaëlis Eschmiazinensis Catholici ad Pium Papam IV.

EPISCOPI SEBASTES.

I. STEPHANUS.

ANno 1307. in Sisensi Concilio sedit & subscripsit *Stephanus archiepiscopus Sebastes.*



IV. ECCLESIA DARON.

DARON sive Taron Armeniæ majoris civitas fuit, non quidem Persicæ sed Romanæ ditionis, cujus Præsul archiepiscopi titulum sequiori ævo sumsit.

EPISCOPI DARON.

I. NERSAPO.

CABADE Persarum Rege, & Justino Imp. Taron sive Daron episcopus sedebat *Nersapo,* qui multos annos episcopatum gessit, atque præ aliis cum Aptyso monacho socio suo Syro admodum contulit ad hæresim Julianitarum Incorrupticolarum in Armenia propagandam, sed & Julianitarum episcoporum

ECCLESIA DARON.

successionem, quæ desinebat continuandam curavit, διὰ τοῦτο θεοφιλεῖς ἐγένοντο τοῦ Νερσαπὼ ἐπισκόπου Ταρὼν ὅστις τοῦ ιθ΄. ἔτει τοῦ Καβάδου ἐκράτησε τῆς ἐπισκοπῆς καὶ διετέλεσεν ἔτη πολλά.

II. JOANNES.

In Concilio Adanensi sedit & subscripsit *Joannes archiepiscopus Daron.*

V. ECCLESIA DIARBECHIRENSIS.

ARchiepiscopi titulo Diarbechirensem sui ritus Ecclesiam Armeni cohonestarunt.

EPISCOPI DIARBECHIRENSES.

I. JOANNES.

CIrca annum 1640. *Joannes Urfaënsis archiepiscopus Diarbechirensis* Constantinopolitanam Armenorum sedem administrabat. Galanus, tom. 1. pag. 180.

VI. ECCLESIA HISPAHAN JULFÆ.

ARchiepiscopatus censetur Armeniæ majoris Hispahan Julsa, sive suburbium urbis Hispahan nomine Julsa.

EPISCOPI HISPAHAN JULFÆ.

I. STEPHANUS.

STEPHANUS Julfæ episcopus Catholicatum ambiebat anno 1699. cujus & compos fuit.

VII. ECCLESIA AMASIÆ ET DOCHII.

AMASIA Helenoponti civitas Ecclesiam habuit Armenici ritus quæ in unam coaluit cum Ecclesia Dochii.

EPISCOPI AMASIÆ.

I. VARTANUS.

COncilio Sisensi adfuit Vartanus *episcopus Dochii*, subscripsit: *Vartanus episcopus Amasiæ & Dochii.*

VIII. ECCLESIA ARZANGANÆ.

DIœcesis Armeniæ episcopalis sedes circa Melitinam fuit Arzangana Syriæ vicina.

EPISCOPI ARZANGANÆ.

I. SERGIUS.

ABULPHARAGIUS apud Assemanum tom. 2. Bibl. Or. pag. 378. narrat Dionysium Jacobitarum Patriarcham à Saliba avunculi sui filio, homicidii aliorumque criminum apud Iconii Sultanum accusatum, quum Melitina in Manangerd Mahuzæ oppidum ad Tartaros fugeret, à satellitibus eorum comprehensum, è manibus eorum evasisse, ope *Sergii* Armenorum episcopi, quem Tartari *Arzanganæ* præfecerant.

IX. ECCLESIA SISI.

CILICIA ab Armenis sæculo duodecimo occupata, Reges eorum *Sisum* illius provinciæ civitatem ad mare condiderunt, quam subinde regni sui caput esse voluerunt, erectoque ibidem episcopatu, ecclesiæ hujus præsulem archiepiscopi titulo honestaverunt.

EPISCOPI

ECCLESIA SISI.

EPISCOPI SISENSES.

I. * * *

INter Innocentii Papæ III. epiſtolas lib. 5. epiſt. 46. literæ ſunt, *Siſenſis Archiepiſcopi, Regis Armeniæ Cancellarii ad D. Papam*, quibus ſe illi obſequentem fore profitetur, oratque ut ſibi Pallium aliaque Pontificalia inſignia veſteſque mittat, quod quidem ſe præſtitiſſe per Juffredum Apoſtolicæ ſedis legatum, in ſequenti epiſtola Innocentius ſignificat.

A

II. CONSTANTINUS.

Synodo Siſenſi interfuit *Conſtantinus archiepiſcopus Siſis civitatis metropolitanæ*, ſubſcripſitque, *Conſtantinus epiſcopus Siſis Urbis metropolitanæ*. Rurſum poſt annos novem Adanenſi quoque Concilio adfuit & ſubſcripſit.

X. ECCLESIA ANAZARBI.

ANAZARBUS Ciliciæ notiſſima civitas; in ea moratur Armenorum epiſcopus ſub Siſenſi Catholico, qui etiam archiepiſcopi titulo auctus eſt.

EPISCOPI ANAZARBI.

I. JOANNES.

IN Siſenſi Concilio ſedit & ſubſcripſit *Joannes epiſcopus Anazarbi*. Itemque poſt novem annos Adanenſi quoque Concilio interfuit.

XI. ECCLESIA AJASI.

AJASUS humilis Ciliciæ pagus Armenorum epiſcopatus eſt, ſub Siſenſi itidem Catholico. Clemens Papa VI. anno 1347. epiſtola ad Dandulum Venetorum Ducem, querebatur à Babyloniæ Sultano civitatem Ajacenſem, inſignem Armeniæ locum occupatum fuiſſe.

EPISCOPI AJASI.

I. JOANNES.

SEdebat in Siſenſi ſynodo *Joannes epiſcopus Ajaſi*.

II. MARTYR.

Anno 1584. *Martyr epiſcopus Aſciaſenſis*

B

cum Joanne Juſtanienſi, & Joanne Hierapolitano Catholici Siſenſis Azariæ literas Romam tulit, Sixto Papæ V.

XII. ECCLESIA ANI.

ANI nulla mentio in Notitia recentiori epiſcopatuum Armeniæ, reperitur tamen in veteri altera, fuitque ſedes Catholicorum, quum Tartarorum incurſionibus vexati, majorem Armeniam fugientes, ſolum mutare coacti ſunt. Sat ampla civitas fuit, ſi fides viatoribus, cujus & reliquiæ adhuc videntur verſus naſcentis Euphratis fluvii ripam.

EPISCOPI ANI.

I. VARTANUS.

SYnodo Siſenſi adfuit & ſubſcripſit, *Vartanus epiſcopus Ani.*

XIII. ECCLESIA ANGURÆ.

DE Angura, ſive Ancyra Galatiæ primæ, Ponticæ Diœceſis civitate, ſuo loco dictum eſt. In ea Armeni ſui ritus epiſcopum habuerunt, ſub Siſenſi Catholico.

EPISCOPI ANGURÆ.

I. CONSTANTINUS.

COncilio Adanenſi adfuit & ſubſcripſit, *Conſtantinus epiſcopus Anguræ.*

XIV. ## ECCLESIA BERI.

BERI alius est Armenorum episcopatus ignoti omnino situs, qui tamen Sisensi Catholico subest.

EPISCOPI BERI.

I. JOANNES.

COncilio Adanensi adfuit & subscripsit, *Joannes episcopus Beri.*

XV. ## ECCLESIA CARTAMANÆ.

CARTAMANA Armeniæ majoris civitas est prope Marden, ubi Jacobitarum monasterium fuit.

EPISCOPI CARTAMANÆ.

I. STEPHANUS.

TEmpore Heraclii Imperatoris Cartamanæ episcopus sedebat *Stephanus* vir à Fide Catholica alienus. *Narrat. de rebus Armen.*

XVI. ## ECCLESIA CEMESCAZACUZ.

ARMENIÆ majoris episcopatibus merito accensetur Cemescazacuz, ut actis Sisensis Concilii, quæ Galanus recitat, manifestum fit.

EPISCOPI CEMESCAZACUZ.

I. HAIRABIET.

IN Concilio Sisensi sedit, ejusque actis subscripsit *Hairabiet episcopus Cemescazacuz.*

XVII. ## ECCLESIA CYPRI.

IN insula quoque Cypro degunt Armeni complures, ut pote quæ Ciliciæ vicina est, iisque datus est episcopus à Sisensi Catholico.

EPISCOPI CYPRI.

I. NICOLAUS.

SISENSI Concilio interfuit & cum aliis subscripsit *Nicolaus episcopus Cypri.*

XVIII. ## ECCLESIA S. BARTHOLOMÆI.

IN Notitia *Bardulimeos,* id est S. Bartholomæus archiepiscopatus est in Provincia Hacbach, cujus suffraganei episcopatus destructi sunt. Nunc est suffraganeus maximi Vanch.

EPISCOPI S. BARTHOLOMÆI.

I. JACOBUS.

IN inscriptione epistolæ Joannis Papæ XXII. ad episcopos Armenos, datæ anno 1321. legitur *Jacobus de S. Bartholomæo.*

XIX. ## ECCLESIA CARAMITÆ.

CARAMITA civitas, ipsa est Amith, sive Amed, Amida Mesopotamiæ regionis, quæ in recentiori Armenicæ Ecclesiæ Notitia archiepiscopatus dicitur, habetque suffraganeos episcopos. Primario Catholico, Eschmiazinensi scilicet, subest.

ECCLESIA CARAMITÆ.

EPISCOPI CARAMITÆ.

I. SERAPION.

MELCHISEDECH I. Catholico dignitatem abdicante, ejus in locum promotus fuit, *Serapion episcopus Caramitæ.*

XX. ECCLESIA GHAMKHI.

GAMKHI episcopatus est sub Sisensi Catholico, cujus situs ignoratur.

EPISCOPI GHAMKHI.

I. NIERSES.

IN synodo Sisensi adfuit *Nierses episcopus provinciæ Ghamkhi.*

XXI. ECCLESIA GHABNI.

GHABNI episcopatus est sub Catholico Sisensi, ex iis qui vel deleti sunt modo, vel incerti sunt situs.

EPISCOPI GHABNI.

I. BASILIUS.

IN Concilio Sisensi sedit & subscripsit *Basilius episcopus provinciæ Ghabnensis, episcopus Gabni.*

II. JACOBUS.

In Adanensi *Jacobus episcopus Gabni*, pariter sedit atque subscripsit.

XXII. ECCLESIA GHARUZ.

CHARUZ episcopatus est Sisensi Catholico obnoxius.

EPISCOPI GHARUZ.

I. MARCUS.

IN synodo Sisensi sedit & subscripsit *Marcus episcopus Gharuz.*

XXIII. ECCLESIA GIEGHI.

CATHOLICI Sisensis ditionis fuit episcopatus Gieghi.

EPISCOPI GIEGHI.

I. PHILIPPUS.

COncilio Sisensi adfuit & subscripsit *Philippus episcopus Gieghi.*

XXIV. ECCLESIA GHUBITARRI.

GHUBITARRUM Armeniæ minoris episcopatus fuit, in Sisensis Catholici ditione.

EPISCOPI GHUBITARRI.

I. SIMEON.

IN synodi Sisensi sedit & subscripsit *Simeon episcopus Ghubitarri.*

XXV. ## ECCLESIA GHOGHUONII.

GHOGHUONIUM episcopatus est sub Sisensi Catholico.

EPISCOPI GHOGHUONII.

I. STEPHANUS.

IN Concilio Adanensi sedebat *Stephanus* *episcopus Ghoghuonii.*

XXVI. ## ECCLESIA HARCANI.

SUB Catholico Sisensi Harcanum episcopatus fuit.

EPISCOPI HARCANI.

I. ANDREAS.

SYnodo Sisensi adfuit & subscripsit *Andreas episcopus Harcani.*

XXVII. ## ECCLESIA HIERAPOLIS.

HIERAPOLI in Euphratesia sedebat episcopus Armenus Catholico Sisensi obnoxius.

EPISCOPI HIERAPOLIS.

A Catholico Sisensi Azaria Romam ad Gregorium Papam XIII. missus est *Joannes episcopus Hierapolitanus.*

XXVIII. ## ECCLESIA JULTANIÆ.

JULTANIA vel Jultanium episcopatus Armenorum est sub Catholico Sisensi.

EPISCOPI JULTANIÆ.

I. JOANNES.

AB Azaria Catholico Sisensi Romam ad Gregorium Papam XIII. missus est cum duobus aliis *Joannes episcopus Jultaniensis.*

XXIX. ## ECCLESIA JESENCHI.

JESENCH episcopatus est Armenorum sub Catholico Sisensi.

EPISCOPI JESENCHI.

I. SERGIUS.

SYnodo Sisensi adfuit & subscripsit *Sergius episcopus Jesenchi.*

XXX. ## ECCLESIA LAMPRONENSIS.

LAMPRON regio episcopatu donata est sub Catholico Sisensi.

ECCLESIA LAMPRONENSIS.

EPISCOPI LAMPRONENSES.

I. NIERSES.

IN Concilio Tarsensi *Nierses* episcopus A Lampronensis sedit, & pro concilianda Armenorum Ecclesia cum Constantinopolitana multis peroravit. Hunc Armeni in Menologio inter sanctos habent. *Commemoratio est S. Niersis Lampronensis, qui fuit filius magni Principis Ascini, Lamproni aliarumque provinciarum Domini*, & paulo post: *transtulit de Græco in Armenium historiam S. Gregorii Romanorum Papæ & regulam S. Benedicti, apud eosdem Romanos observatam.* Tum inferius: *dicere sæpe solebat illam Apostoli sententiam, si hominibus placerem Christi servus non essem. Omnes SS. Patrum traditiones tum ipse exactissime observabat, tum alios ad earumdem observantiam hortabatur.* Erat valde humilis, mansuetus, ab ornatus ostentatione alienus, misericors, pius, amator pauperum, assiduus in oratione, lacrymarum dono præditus, solitudinis & silentii amicus. Sic apud Galanum, qui ejus addit orationem ad synodum.

XXXI.

ECCLESIA KHUORZENI.

KHUORZENUM episcopatus est Armenorum sub Catholico Sisensi.

EPISCOPI KHUORZENI.

I. PHILIPPUS.

IN Concilio Sisensi sedebat *Philippus episcopus Khuorzeni.*

XXXII.

ECCLESIA MAMUIESTI.

MAMUIESTUM Armenis ipsa est *Mamista* Ciliciæ, quæ olim *Mopsuestia*.

EPISCOPI MAMUIESTI.

IN Concilio Adanensi sedebat *Joannes episcopus Mamuiesti.*

XXXIII.

ECCLESIA MARANTUNIÆ.

MARANTUNIA episcopatus est Armenorum sub Catholico Sisensi.

EPISCOPI MARANTUNIÆ.

I. JOANNES.

IN Concilio Sisensi sedit & subscripsit *Joannes episcopus Marantuniæ.*

II. CONSTANTINUS.

In Concilio Adanensi, *Constantinus episcopus Marantuniæ.*

XXXIV.

ECCLESIA MIESGHERTI.

MIESCHIERTUM & Manesguerdum, mihi quidem videtur idem episcopatus esse, Sisensi Catholico obnoxius.

EPISCOPI MIESGHIERTI.

I. PRÆCURSOR.

SISENSI synodo interfuit & subscripsit, *Præcursor episcopus Miesghierti.*

II. NIERSES.

Innocentius Papa VI. epistolam scripsit, *Niersesi archiepiscopo Manesguerdensi*, viro catholicæ Fidei & communionis studiosissimo, ut à Consolatore catholico accuratam, nullisque ambagibus obfuscatam Fidei confessionem obtineret. Raynaldus ad an. 1353. n. 25.

XXXV. ## ECCLESIA MARSCIÆ.

MARSCIA episcopatus Armenorum censetur sub Catholico Sisensi.

EPISCOPI MARSCIÆ.

I. GREGORIUS.

IN Concilio Sisensi, ac subinde in Adanensi sedit & subscripsit *Gregorius episcopus Marsciæ.*

XXXVI. ## ECCLESIA MASCHIEVORI.

MASCHIEVORUM episcopatus alius est sub Catholico quoque Sisensi.

EPISCOPI MASCHIEVORI.

I. TARASIUS.

IN Sisensi Concilio sedit & subscripsit *Tarasius episcopus Maschievori.*

XXXVII. ## ECCLESIA MASCIARTI.

SUb Catholico itidem Sisensi episcopatus est Masciarti.

EPISCOPI MASCIARTI.

I. VARTANUS.

IN Concilio Sisensi sedit & subscripsit, *Vartanus episcopus Masciarti.*

XXXVIII. ## ECCLESIA MOLIEVONI.

CAtholico Sisensi subest Ecclesia Molievoni.

EPISCOPI MOLIEVONI.

IN Concilio Adanensi sedebat *Nierses episcopus Molievoni.*

XXXIX. ## ECCLESIA NAVARZANENSIS.

NAVARZANENSIS fuit sedes episcopalis majoris Armeniæ, sub primario utique illius gentis Catholico, cujus subinde præsul archiepiscopi titulo & honore decoratus est.

EPISCOPI NAVARZANENSES.

I. * * *

BEnedictus Papa XII. an. 1341. ad archiepiscopos S. Thaddæi, *Navarzanensem*, Tarsensem & Soldaniensem scribebat, ut Catholicum Armeniæ inducerent ad synodum cogendam, in qua gentilium suorum errores expungeret. Raynaldus ad eumdem annum n. 46.

XL. ## ECCLESIA NEOCÆSAREÆ.

NEOCÆSAREÆ Ponti Polemoniaci quondam metropolis Armeni episcopum habuerunt sub Sisensi Catholico. Ejus mentio fit in Notitia Uscani.

ECCLESIA NEOCÆSAREÆ.

EPISCOPI NEOCÆSAREÆ.

I. NIERSES.

SISENSI synodo aderat *Nierses episcopus Neocæsareæ.*

XLI. ECCLESIA NEPERGHERTI.

NEPERGHERTUM episcopatus est Armenorum sub Sisensi Catholico.

EPISCOPI NEPERGHERTI.

I. NUNTIUS.

IN Sisensi synodo sedebat *Nuntius episcopus Nepergherti.*

XLII. ECCLESIA NARECHENSIS.

NARECHA vel *Narechum* Armeniæ, ut videtur, civitas episcopalis fuit, quam diversam esse puto à Narascencim, quæ in Notitia X. civitas censetur sub Archiepiscopo Hispahanensi.

EPISCOPI NARECHENSES.

I. GREGORIUS.

BASILII & Constantini fratrum Imperatorum Constantinopolitanorum ætate, nec non sub Vahano Vasburachensi catholico, claruit *Gregorius Narechensis episcopus*, magnus Armenorum Doctor, catholicæque Fidei propugnator acerrimus; cujus Armeni perpetuam memoriam in Liturgia celebrant, venerantur que sacrarum precum opusculum. Galanus tom. 1. pp. 210. & 211.

XLIII. ECCLESIA NAXIVAN.

NAXIVAN vel *Nachiovan* Armenorum pridem episcopatus fuit, ex Notitia Diœcesis Armeniæ.

EPISCOPI NAXIVAN.

I. ZACHARIAS.

TEmpore Joannis Papæ XXII. Naxivani Armenus episcopus sedebat *Zacharias*, ut fertur in inscriptione epistolæ quam Joannes Papa gentis illius episcopis nonnullis dedit an. 1321. *Wading.*

XLIV. ECCLESIA OZUBI.

OZUBUM episcopatus est Armenorum sub Sisensi Catholico, in provincia Sciahabunensi.

EPISCOPI OZUBI.

I. SIMEON.

IN synodo Sisensi sedit & subscripsit *Simeon episcopus Ozubi, provinciæ Sciahabunensis.*

XLV. EPISCOPUS PALATII PATRIARCHALIS.

IN actis synodi Sisensis & Adanensis interfuisse illis & subscripsisse legitur *Stephanus episcopus Palatii Patriarchalis*, sive Catholici.

XLVI. ## ECCLESIA PAPERTI.

PAPERTUM unus ex episcopatibus Armenorum fuit, sub Catholico Sisensi.

EPISCOPI PAPERTI.

I. ISAAC.

IN synodo Sisensi sedebat *Isaac episcopus Paperti.*

XLVII. ## ECCLESIA PARZEPERTI.

PARZEPERTUM episcopatus alter fuit sub Catholico Sisensi.

EPISCOPI PARZEPERTI.

I. STEPHANUS.

SYnodo Sisensi aderat *Stephanus episcopus Parzeperti*, quin etiam Adanensi.

XLVIII. ## ECCLESIA PASENI.

PASENUM episcopatus quoque Armenorum est sub Catholico Sisensi.

EPISCOPI PASENI.

I. DEODATUS.

SYnodo Sisensi subscripsit *Deodatus episcopus Paseni.*

II. THADDÆUS.

In inscriptione epistolæ Joannis Papæ XXII. ad nonnullos Armeniæ episcopos, nomen legitur *Thaddæi de Pacevan* utique Paseni. Data est anno 1321. *Wading.*

XLIX. ## ECCLESIA PECCENENSIS.

SUb Sisensi utique Catholico episcopatus erat Peccenensis, cujus sedis episcopi cujusdam mentio fit epistola Gregorii Sisensis Armenorum Patriarchæ ad Haytonem Patrem Leonis Regis Armeniæ; quîcum ille Gregorius anno præterito de rebus religionis colloquutus erat. Galanus tom. 1. pag. 441.

L. ## ECCLESIA PETRÆ.

PETRA Urbs est Lazicæ, in qua episcopus Armenus sedit.

EPISCOPI PETRÆ.

I. JOACIM.

CONSTANTINUS V. catholicus ad concilium quod in Italia Græcorum Romanæ Ecclesiæ conciliandorum causa celebrabatur, *Joacim episcopum Petræ misit*, cum literis ad Eugenium Papam IV.

LI. ## ECCLESIA RORANI.

RORANUM episcopatus Armeniæ censetur sub ditione Sisensis Catholici.

EPISCOPI

ECCLESIA RORANI.

EPISCOPI RORANI.

I. HAIRABIET.

IN Concilio Sisensi sedebat *Hairabiet episcopus Rorani.*

LII.

ECCLESIA SALMASTÆ.

SALMASTA sive *Salmastum*, vel *Salmastrum*, urbs est Armeniæ superioris. Ex Notitia episcopatus est prope Maraga, sub ditione primarii Catholici.

EPISCOPI SALMASTÆ.

I. JACOBUS.

IN Adanensi concilio sedit & subscripsit *Jacobus episcopus Salmastæ.*

LIII.

ECCLESIA SAPPIRII.

SUb Catholico Sisensi Sappirium episcopatus erat medio sæculo duodecimo.

EPISCOPI SAPPIRII.

I. PETRUS.

IN legatione Theoriani Philosophi ad Armenos, colloquutionibus ejus cum Nierse Catholico adfuisse legitur *episcopus Sappirii*, ὁ εὐλαβέστατος ἐπίσκοπος Σαππείου, qui paulo post Petrus nominatur, ὁ παρὼν ἐπίσκοπος Πέτρος.

LIV.

ECCLESIA SASNI.

SASNUM episcopatus est Armenorum sub Catholico Sisensi.

EPISCOPI SASNI.

I. VARTANUS.

IN Sisensi Concilio sedit & subscripsit *Vartanus episcopus Sasni.*

LV.

ECCLESIA SIUNIENSIS.

SIUNIA Armenorum sedes episcopalis fuit, cujus tamen nulla fit mentio in recentiori Notitia. Præsul ejus archiepiscopi titulo postmodum auctus est.

EPISCOPI SIUNIENSES.

I. STEPHANUS.


TEmpore Papchenis Armenorum Catholici sedebat *Stephanus* Siuniensis episcopus hæresis gentilium suorum assertor, cujus Armeni epistolam servant, quam S. Germano Constantinopolitano errorum suorum tuendorum causa scripserat. Hujus epistolæ excerptum recitat Galanus, tom. 1. pag. 80. quod certe hominem vere delirantem refert; sed & hæc alia de illo ex Armenorum Menologio accepta. *Stephanus Siuniensis episcopus ad Græcos profectus, attulit inde secum tres libros qui Fidei veritatem explicabant. Porro sanctus Germanus, Constantinopolis Patriarcha epistolam Armeniis destinavit, per quam eos ita monebat: quare vos non asseritis duas naturas in Christo, nec recipitis Concilium Chalcedonense! hæc quidem scripsit, & per Stephanum misit ad Armenios.* A *Ut vero pervenit Stephanus ad Papchenem Armeniorum Patriarcham, ostendit ei Germani litteras; quibus lectis, præcepit ipsi Stephano Dominus Papchen, ut responderet literis Germani; & scripsit vir eruditissimus, Stephanus, compositione, ac ordine quidem peregregio, plurimas sacrarum scripturarum, & sanctorum Patrum sententias in confirmationem adducens; quæ omnia ubi legerunt Græcorum sapientes, consentientes scriptis, nimium laudaverunt veram, ac rectam Armeniorum fidem, hæresisque immunem.* Quod postremum, quantum à vero aberret, otiosi hominis foret evincendum suscipere. Unde Nierses Lampronensis inepti scriptoris nænias in oratione ad synodum Tarsensem non tam confutavit, quam spernendas

ECCLESIA SIUNIENSIS.

oſtendit. Galanus tom. 1. pp. 78. & 80.

II. ORBELUS.

Gregorius V. Catholicus in epiſtola ad Haytonem Regis Armenorum parentem, A *Orbelum* laudat *Archiepiſcopum Siunienſem*, è primariis Armenorum unum, ut pote qui non ſpiritualis modo, ſed & corporalis ſive temporalis Princeps erat.



LVI. ECCLESIA S. THADDÆI.

EX Notitia epiſcopatuum Diœceſis Armeniæ, *Macu* Archiepiſcopatus magnus eſt in provincia Artaz, in cujus Cathedrali eccleſia corpus eſt S. Thaddæi, habetque ſub ſe epiſcopatus quinque Auhar, Hoi, Jormi, Maratha, & Salmaſta; ex quo diſcimus *Macu* ipſam eſſe urbem, quæ Chriſtianis ſancti Thaddæi dicitur. Apud Galanum, ubi de Naxivanenſibus archiepiſcopis tom. 1. pp. 512. & 517. ex epiſtola Magiſtri Joannis Chernacenſis ad fratres Armenos unitos, eccleſiam Sepulcri S. Thaddæi, verſus Orientem, trans fluvium Araxem, in confinibus regionis Parthorum, haud procul à celebri monte Ararat, exiſtere diſcimus. De eadem eccleſia pauca narrat Guillelmus de Rubruquis in Itinerario, haud procul ab urbe Naxivan eccleſiam in illo loco extare ait, in quo SS. Bartholomæus & Thaddæus Apoſtoli martyrium obierunt. Quamobrem nullus dubito quin ipſa ſit eccleſia, quæ in epiſtola Gregorii V. Catholici ad Haytonem regis Armeniæ patrem SS. Apoſtolorum nuncupatur.

EPISCOPI S. THADDÆI.


I. JOANNES.

INitio ſæculi decimi-quarti ſedebat Domnus *Joannes* ſanctorum Apoſtolorum epiſcopus, quîcum Gregorius V. Catholicus epiſt. ad Haytonem Leonis Regis parentem, de rebus religionis ſe colloquium habuiſſe teſtatur, apud Galanum tom. 1. pag. 441.

II. ZACHARIAS. III. ***


Anno 1321. ſedebat *Zacharias* S. Thaddæi archiepiſcopus, ad quem, unaque ad Vicarium FF. Prædicatorum, & Cuſtodem FF. Minorum qui in Imperio Tartarorum verſabantur, eodem anno Joannes XXII. Papa ſcripſit, tum de orthodoxa Fide incolumi ſervanda & profitenda, tum etiam ut nonnullos Prælatos ejuſdem Imperii non rite promotos, deficiente quantum ad ſubſtantiam poteſtate, melius ipſe Archiepiſcopus ſecundum canonica inſtituta initiaret. Aliam eidem Zachariæ, eodem anno Kal. Decemb. epiſtolam idem Pontifex dedit gratulans, quod catholicam Fidem amplexus eſſet. Anno 1329. iterum ſcripſit Joannes Papa eidem Zachariæ archiepiſcopo à Chorateſia in Perſide, ut ſuum erga Fidem zelum exerceret. Poſt tres annos Gerardus ord. Minorum Generalis archiepiſcopi S. Thaddæi in Caracheſia precibus annuens, in Armeniam quoſdam è fratribus ſuis ablegavit, quorum dux erat Rogerius Guarini de provincia Aquitaniæ, ex Wadingo ad illum annum. Ille Zacharias idem eſſe videtur, qui *Cachuna* nominatur archiepiſcopus S. Thaddæi de Calmeſit, apud Raynaldum ad illum annum 1321. errore utique Librarii, qui Cachuna legit pro Zacharia.

III. *** Anno 1341. Benedictus Papa XII. litteris Catholico Armenorum Kal. Aug. datis, eum hortabatur ut ſynodum cogeret, ad errores eliminandos quos adjecto epiſtolæ libello deſcribebat; atque archiepiſcopos *S. Thaddæi* in majori Armenia, Navazranenſem, Tarſenſem & Soldanienſem excitabat, ut ſua in hanc rem ſtudia conferrent. Raynaldus ad ann. 1341. n. 46.



LVII. ECCLESIA SULTANIÆ.

SULTANIA majoris Armeniæ civitas eſt, in qua epiſcopus Armenus ſedit. Nam Benedictus Papa XII. litteris ſuis an. 1341. archiepiſcopum S. Thaddæi, Navazranenſem, Tarſenſem & *Soldanienſem* adhortabatur, ut Catholicum inducerent ad cogendam ſynodum in qua gentis illius errores proſcriberentur.



LVIII. ECCLESIA THESSALONICÆ.

EX actis ſynodi Siſenſis apparet Armenos per Orientis & Europæ provincias ſparſos ſui ritus epiſcopum Theſſalonicæ habuiſſe, ab ipſiſmet ſaltem ſæculi decimi quarti primordiis.

EPISCOPI THESSALONICÆ.

I. ISAIAS.

IN Concilio Siſenſi ſedebat *Iſaïas epiſcopus Theſſalonicæ*.

LIX.
ECCLESIA TYANORUM.

TYANA Cappadociæ secundæ caput, episcopum habuit Armenum, ac certe sub Catholico Sisensi.

EPISCOPI TYANORUM.

I. NIERSES.

IN Concilio Sisensi sedebat *Nierses episcopus Tyanorum.*

LX.
ECCLESIA VAHANASCINI.

VAHANASCINUM Armeniæ majoris episcopatus fuit.

EPISCOPI VAHANASCINI.

I. GREGORIUS.

IN Concilio Sisensi aderat *Gregorius Vahanascini episcopus.*

LXI.
ECCLESIA URTELI.

URTELUM Armeniæ, ut apparet, majoris episcopatus censendus est.

EPISCOPI URTELI.

I. MARTYR.

SYnodo Sisensi aderat & subscripsit *Martyr episcopus Urteli.*

LXII.
ECCLESIA ZAMENTARI.

EPiscopatus quoque majoris Armeniæ fuit Zamentarum.

EPISCOPI ZAMENTARI.

I. LEO.

IN Concilio Sisensi sedit & subscripsit *Leo episcopus Zamentari.*

LXIII.
ECCLESIA ARGEUS.

IN Notitia Argeus, *Arcis*, vel *Arciscurvani*, episcopatus est Armeniæ majoris, prope Lacum magnum.

EPISCOPI ARGEUS.

I. ZACHARIAS.

IN epistolæ Joannis Papæ XXII. ad quosdam Armeniæ episcopos inscriptione, legitur *Zacharias Argis*, Argeus utique.

LXIV.
ECCLESIA USCAVANI.

USCAVANUM vel *Usci* in Notitia monasterium est prope Erivanum, in quo moratur episcopus, qui etiam archiepiscopi titulo gaudet. Sedem illam S. Sergii nomine donatam asserunt aliqui.

EPISCOPI USCAVANI.

I. USCANUS.

CUnctis notissimus est *Uscanus* Uscavaniensis vel Usciensis archiepiscopus Armenus, qui dum Amstelodami ageret, annis 1666. & sequenti multa dedit præclaraque Armenorum Fidei testimonia circa realem Christi corporis in Eucharistia præsentiam; quibus subscripsit *Uscanus episcopus S. Sergii in magna Armenia.* Item: *Uscanus episcopus*

ECCLESIA USCAVANI.

Erevanenſis Armenus. Videſis tom. 1. eximii operis *de Perpetuitate Fidei circa Euchariſtiam,* ad finem. Hic ille eſt qui Notitiam epiſcopatuum Armeniæ dedit, cujus ſæpe mentionem habuimus, quamque ſcripto excepit typiſque mandavit Richardus Simon, ad calcem libelli ſui quem Gallico idiomate edidit hac inſcriptione, *Hiſtoire critique de la créance & des coûtumes des nations du Levant.*

Sunt & aliæ plures Armenorum ſedes epiſcopales, quarum vix certo nomina cognoſcere poſſumus, ſitus autem planè ignoratur. Has idcircò prætermittendas judicavimus; nonnullos tamen hic rurſus recenſebo Armeniæ præſules in quos fortuitò incidi.

Ex Galano tom. 3. pag. 396. Azarias minoris Armeniæ patriarcha catholicæ Fidei profeſſionem edidit, quam è Cilicia ad Romanum Pontificem Sixtum V. tranſmiſit. Huic ipſe ſubſcripſerat cum quatuor Armenis epiſcopis, *Joanne* ſcilicet *Jettunenſi, Martyre Aſciuzenſi, Joanne Hierapolitano* & *Minaſe Sebaſteno.* Sic habet illa confeſſio: *Toto corde credimus, & ore fatemur, quod Pater ſit ingenitus, filius à Patre genitus, & Spiritus Sanctus à Patre & Filio æternaliter procedens, non quidem ut à duplici principio; ſed ab utroque, ut ab uno principio & unica ſpiratione.*

Liber cui titulus, *Eſtat preſent de l'Armenie,* Pariſiis editus an. 1694. nobis alium ſuppeditat Armeniæ archiepiſcopum pag. 240. » Archiepiſcopus, inquit, Taureſii, cui nomen » *Iſaac* & cognomen *Artar* ſive *Juſtus,* propter » morum & vitæ integritatem, ſanctitatemque, » primus eſt & præcipuus inter *Vertabieds,* qui » catholicam Fidem palam profitentur. Vir » probus fuit, ſcribebat alius Miſſionarius qui » cum ipſo ſæpe colloquutus fuerat, & opti- » mum præbens exemplum. Maximam noctis » partem orando ducebat inſomnem, ſolitis » Armenorum frequentibuſque jejuniis in ho- » norem Romanæ Eccleſiæ, ſabbati abſtinen- » tiam & jejunium addebat. » Summum quo catholicam Fidem proſequebatur cultum in diſcipulos transfundere ſatagebat. Hic cunctis Armenis dignus habitus erat, qui Jacobo III. in Patriarchalem ſedem ſuccederet, illudque in votis maxime habuerat Jacobus ipſe, qui diem extremum Conſtantinopoli A trahens Iſaacum ſucceſſorem ſuum deſignaverat; verum petulantis Eleazari ingenii formidine factum eſt, ut ipſe præponeretur; quod ultro comprobavit Iſaac, cui Patriarchalis dignitatis pondus formidoloſum nimis videbatur.

De Naxivanenſi archiepiſcopo pauca dixi; de illo enim ſuo ſeorſim loco agetur, ubi de Eccleſiis Latini ritus, quæ per Orientem inſtitutæ fuerunt. Hic vero perperam ab Uſcano Patriarcha nuncupatur, quippe qui Catholici honores nunquam uſurpavit, nec alio jure B Chriſma ſanctum quotannis conſecrat, niſi quo omnes occidui tractus per ſingulas eccleſias epiſcopi. Latiori vero ſenſu patriarcha ille audierit, eodem ſcilicet quo alii apud nos Primates.

Armeniæ epiſcopos pro ſingulis ipſorum ſedibus percenſere ſuſdeque habui, quando perpauci nobis innoteſcunt: ſed nec compertæ nobis civitates, vel loca ſunt in quibus illi ſediſſe vel ſedere feruntur. Quocirca me meo munere perfunctum fuiſſe puto, quum Catholicorum Armenorum ſeriem integram C exhibuerim, qui majorem Armeniam à S. Gregorii Illuminatoris ævo ad noſtrum uſque adminiſtrarunt. Quibus & quos invenire Siſenſes potui adjeci, quin etiam Hieroſolymitanos & Conſtantinopolitanos.

Quod certe Armeniæ magnæ diœceſis numerum attinet ſedium, in Notitia veteri quam Goarius noſter ad calcem Georgii Codini *de officiis Conſtantinopolitanis* edidit recenſitis 17. epiſcopatibus, Urbibus ſeu caſtris provinciæ quartæ Armeniæ, ſcholion hoc habetur: *χρὴ εἰδέναι ὅτι αὕτη αὐτοκέφαλός* D *ἐστι, μὴ τελοῦσα ὑπὸ Ἀποστολικὸν θρόνον, ἀλλὰ τιμηθεῖσα διὰ τὸν ἅγιον Γρηγόριον Ἀρμενίαν ἔχουσα πόλεις κάστρα διακόσια. Scire oportet hanc provinciam ſui juris eſſe, minime que ſubditam Apoſtolico throno* (Conſtantinopolitanum innuit) *ſed honorari tamen propter ſanctum Gregorium Armeniæ epiſcopum & præeſſe ducentis Urbibus & caſtris.* Quod apud Othonem Friſingenſem legimus Catholicum Armenorum, qui Romam Eugenio III. Pontifice anno 1145. venit, palam dixiſſe ait, mille ſibi & amplius obnoxios epiſcopos eſſe, ὑπερβολὴν prorſus ſapit, non certe repræſentat numerum accuratum.

Finis Tomi primi.

INDEX GENERALIS,

NOMINA URBIUM EPISCOPALIUM, PATRIARCHARUM,

Cæterorumque Præſulum Patriarchatus Conſtantinopolitani in hoc volumine primo Orientis Chriſtiani contenta exhibens.

DE PATRIARCHATU CONSTANTINOPOLITANO.

Patriarchæ nomen quatuor præcipuarum Orientis ſedium præſulibus inditum, ex Judæis Helleniſtis ſumptum fuit, qui *Capita Patrum* in Hebræo Scripturarum textu appellatos, *Patriarchas* dixerunt, juxta tranſlationem Græcam, quæ LXX. *Interpretum* vulgo nuncupatur. *col. 3. cap. 1. num. 2.* A. Eodem *Patriarchæ* titulo, poſt Hieroſolymorum excidium, ad V. uſque ſæculum inſignitus fuit à Judæis ſummus ſynagogarum præfectus. Montaniſtæ etiam potioribus ſuæ ſectæ miniſtris iſtud nomen tribuebant, teſte Hieronymo, *epiſt. 54. ad Marcellum:* ſed nonniſi ſæculo V. currente dici *Patriarchæ* cœperunt qui plurimis epiſcopis præfecti illorum eccleſiis proſpiciebant. *col. 3. nn. 3. 4. & 5.* B. D. *col. 4.* A. B. *& col. 5. n. 8.* B. C. Anteà autem, ſcilicet tribus primis ſæculis, *epiſcopi* communiter appellabantur, tam celebriorum ſedium, quam cæterarum omnium, *antiſtites.* In Occidente tamen Latinorum uſus ferebat ut unuſquiſque epiſcopus *Papa* diceretur, quæ appellatio deinde Romano Pontifici propria manſit. *col. 5. n. 9.* E. Sæculo IV. Alexandrinus præſul *archiepiſcopi* nomine ornatus eſt à ſuis Ægyptiis, quod inſequenti ſæculo potiorum quoque ſedium antiſtitibus datum fuit: & poſteà primariis gentium quarumdum epiſcopis Patriarchæ nulli ſubditis. *col. 6. n. 10.* A. B.

Sæculo IV. ac ipſo quidem concilii Nicæni tempore, mos jam invaluerat ut provinciarum eccleſiaſticarum rectores *metropolitæ* ſive *metropolitani* nuncuparentur, ut & *Primates* in quibuſdam Latinis regionibus. *col. 6. n. 11.* C. Sæculo ſequenti Conſtantinopolitanus antiſtes à ſuis *Patriarcha* appellatus fuit, & ſimiliter Hieroſolymorum præſul. *col. 6. n. 12.* E. Romanum etiam Pontificem *Patriarchæ* titulo donarunt Theodoſius Junior & Marcianus Imperatores in ſuis epiſtolis. *col. 7. n. 13.* A. B. Nonnullis vero inſigniorum ſedium epiſcopis eo tempore *Exarchi* & *Patriarchæ* nomen indiſcriminatim attributum videtur. *col. 7. num. 14.* E.

Porro, Byzantinorum epiſcoporum primus, qui ſpeciali certoque diplomate *Patriarcha* nuncupatus reperiatur, Acacius fuit Gennadii I. ſucceſſor, in quibuſdam Baſiliſci Imperatoris, & antiſtitum diœceſis Aſianæ, litteris circa finem ſæculi V. *col. 8. n. 16.* D. E. *& col. 9.* A.

Byzantina iſta civitas, dicta *Conſtantinopolis* ex ejus inſtauratoris Conſtantini Magni nomine, Heracleenſi metropolitæ obnoxia diu fuit: deinde crevit in *archiepiſcopatum*, cum titulo αὐτοκεφάλεως, utpote quæ nullius ſuperioris legibus ſubderetur, propter ſecundæ ſynodi generalis in ea habitæ anno 381. canonem tertium, quo ſecundus ei poſt ſedem Romanam, & ante Alexandrinam ac Antiochenam, locus aſſignatur. *9. cap. 2. n. 1.* B. Huic eccleſiæ, quidquid ſecus Græculi quidam pſeudo-Dorothei Martyris auctoritate fulti aſſerant, proprius non videtur præfuiſſe epiſcopus ante ſæculum III. medium. *9. n. 2. & ſeqq.* C. D. *10.* B. C. *11.* A. *& 12.* C. D.

Præfato canone tertio ſynodi ſecundæ generalis nihil juri præſulis Heracleæ Thraciæ diœceſis primatis in ſedem Conſtantinopolitanam detractum fuerat. *18. cap. 4. num. 4.* D. *& 19. n. 6.* C. At hujus civitatis Imperialis antiſtites ſæculo ſequenti nondum medio in diœceſes *Thracicam, Ponticam,* & *Aſianam* auctoritatem ſuam protulerunt. *19.* D. quibus Atticus Conſtantinopolitanus Patriarcha, *Illyricum Orientale* ſubjungi curavit, lege à Theodoſio Juniore obtenta anno 421. in qua hæc verba attendenda ſunt: *Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ quæ Romæ veteris prærogativa lætatur.* Reclamavit quidem ſtatim Bonifacius I. Papa, remque in priſtinum ſtatum Theodoſius reſtituit. *23. cap. 5. n. 2.* C. *& 24. n. 4.* B. At id ipſum rurſus tentavit Anatolius Conſtantinopolitanus Patriarcha, licet incaſſum, tunc obſtante Leone Magno: idem quoque nec felicius Epiphanius Anatolii ſucceſſor. Immo reſtitit Juſtinianus ipſe Imperator, qui totius Illyrici regimen Romano Pontifici intactum reliquit. *25. nn. 5. & 6.* A. B. C.

Huic Byzantinorum præſulum ambitioni non parum favit canon 28. concilii Chalcedonenſis; quum namque abſolutis jam rebus quæ ad fidem ſpectabant receſſiſſent epiſcoporum plerique, clerici Conſtantinopolitanæ eccleſiæ ducentos circiter illorum adhuc remanentes, ac præſertim Leonis Magni legatos, circumvenerunt, ut quædam in ſedis urbis regiæ dignitatem decernerent. In eo conventu, cui non adfuerunt Papæ legati, confectus eſt canon 28. præfatus, quo antiſtiti Conſtantinopolitano, præter ſecundum locum poſt Romanum Pontificem, ordinationes tam metropolitanorum per diœceſes Ponticam, Aſianam, & Thracicam, quam cæterorum præſulum gentium barbararum, tribuuntur. Adverſus hunc canonem illico interpellarunt Romanæ ſedis legati, cum Illyricianis pluribuſque aliis epiſcopis; *29. cap. 6. num. 1. & ſeqq.* A. cujus approbationem, quantumvis inſtantiſſime & humiliter petitam à Patribus qui illum canonem condiderant, & ab ipſomet Marciano Imperatore, *33. n. 5.* C. *& ſeqq.* recuſavit ſemper Leo Papa ſcriptis ea de re variis tùm ad Imperatorem & Pulcheriam Auguſtam, tum ad ipſum quoque Anatolium Conſtantinopolitanum litteris, *37. cap. 7. n. 1.* A. *& ſeqq.* eumque canonem in totum proſcripſit. *41. cap. 8. n. 1.* E. *& ſeqq.* Non ultra reluctavit Imperator, tacuit etiam Anatolius, *43. n. 2.* C. *& 44. n. 5.* D. eò præſertim quod illum canonem improbari viderent à multis quoque Orientis præſulibus. *45. cap. 9. num. 1.* E. *& ſeqq.* Certe ex eo ſynodi Chalcedonenſis decreto, in ipſam ſynodum, ſancitamque in illa fidem, ejus hoſtes non parvam conflavere invidiam, *51. n. 8.* C. D. Immerito tamen hunc canonem ad deprimendam Romani Pontificis nimiam auctoritatem confectum aſſeruit ſcriptor quidam recens à Blondello Calviniano deceptus. *53. n. 11.* B.

Eumdem canonem reſtaurare ſategit anno circiter 472. Acacius Conſtantinopolitanus, ſedeſque Alexandrinam & Antiochenam ſuo patriarchatui ejus virtute ſubdere. *55.* D. *uſque ad 64.* E. Ex quibus palam fit hujus canonis auctoritatem, obſiſtentibus ſemper Romanis Pontificibus, ſola Græcorum Imperatorum potentia prævaluiſſe. *66. cap. 11. num. 8.* B. C. Cæterum, poſt captam à Francis & Venetis anno 1204. Conſtantinopolim, Innocentius III. Papa Patriarchæ Latino hujus urbis indulſit, ut ſecundum locum teneret. *ibid.* E.

Non hîc immorati ſunt præſules Conſtantinopolitani: Sæculo VI. inſuper titulum Patriarchæ *œcumenici* ſive *univerſalis* ſibi imponi ambierunt, quorum auſibus reſtitere Pelagius II. & Gregorius Magnus Romani Pontifices.

67. A. *usque ad 87*. D. Huic postremo annuens Phocas Imperator consensit ut Cyriacus Constantinopolitanus *Patriarcha oecumenicus* non appellaretur. *87. cap. 13. n. 4*. E. Sed paulo post sub Heraclio, Phocæ successore, eum titulum resumpserunt antistites Constantinopolitani, Monotheliticum errorem amplexati. *88. n. 5*. B. ab illo tamen usurpando abstinuere Tarasius in septima synodo generali, & Ignatius in octava. *89*. B. Profecto, titulus iste, quem sibi vindicare, renitentibus licet semper Romanis Pontificibus, non destiterunt Constantinopolitani Patriarchæ, fons infaustus fuit unde tandem emanatum schisma quod ecclesiam Orientalem ab Occidentali ex tot sæculis dividit. *ibid. n. 7*. D. Sed & eò arrogantiæ sequioris ævi Græci venerunt, ut Romano Pontifici primas denegandas scripserint, quia Roma vetus caput orbis esse desierat, ex quo prærogativa ista ad suam urbem regiam translata esset. *92. n. 10*. D. Id ipsum Photius *Patriarchæ universalis* titulo significari, quasi jam illis præludens, aperte profitebatur. *93. n. 11*. A. B. Quin & eadem anteà mente sub Mauritio Imperatore constitutus fuisse videtur Constantinopoli *Doctor oecumenicus*, cujusdam collegii præses. *93*. C.

Byzantini antistites non solum ecclesias apud barbaras gentes institutas suæ sedi obnoxias vi canonis 28. Chalcedonensis contenderunt, *95. cap. 14. n. 1*. A. sed etiam, Leone Isauro imperante, Calabriam, Siciliam, Illyricique orientalis provincias omnes, Pontifici Romano subtrahi, sibique subjici curaverunt. *96. n. 2*. A. *& 97. n. 3*. C. Quibus adjecit Photius sæculo IX. Bulgariam novam, quæ Illyrici orientalis portio erat. *99. num. 6*. A. *& seqq.* Aucta illorum ditio Bulgarorum dioecesi altera, quæ, quum ab anno 1204. sedi Romanæ sponte sua obtemperaret, regimen Byzantinum post annos aliquot repetiit. *105. cap. 15. n. 1*. B. Blachi demum & Russi, ut fidem, sic & disciplinam à Patriarcha Constantinopolitano susceperunt. *107. num. 3*. E. *& coll. seqq.*

His autem fruebantur Byzantini præsules prærogativis, ex quo ad tantam dignitatem provecti sunt. Metropolitas omnes suæ ditionis consecrabant, nec sine tributi cujusdam pensitatione. *111. cap. 16. nn. 1. & 2*. B. D. Graviora totius dioecesis negotia dirimebant coactis conciliis. *113. n. 4*. D. Ipsa Patriarcharum Alexandrini, Antiocheni & Hierosolymitani judicia ad se delata examinabant. *114. n. 6*. C. Jure *Stauropegii*, id est, figendæ crucis in loco erectioni altaris destinato, potiebantur etiam in aliarum Patriarcharum dioecesibus. *115. n. 7*. D. *usque ad 118*. A. Alienos clericos, ut admittebant & promovebant, ita & destituebant sua auctoritate. *118. num. 14*. E. Soli tandem unguentum sacrum pro tota ditione sua conficiebant. *119. n. 15*. B.

De Patriarchæ Constantinopolitani promotionis ritu, insignibus & privilegiis plura scitu digna leguntur *119. cap. 17*. E. *usque ad 136*. D. Item, tum de auctoritate quam exercuerunt Imperatores Græci in Patriarchas Orientis, illorumque ecclesias, *135. cap. 18*. E. *usque ad 146*. B. tum etiam de hujus patriarchatus statu sub Turcis. *145. cap. 19*. C. *ad 160*. B. Quibus subduntur excerpta nonnulla Græce & Latine ex Græcis scriptoribus: scilicet, *de electione & inauguratione Patriarchæ* (Constantinopolitani) *aliorumque Patriarcharum & episcoporum*. 161. A. usque ad 165. C. *De institutione & ordinatione Patriarchæ*. 165. D. ad 167. B. *Quod Imperator ipse electum invitat ut patriarchatum suscipiat*. 168. C. ad 173. E. *Ritus enthronismi Patriarchæ, si electus episcopus est; ejusque mystica expositio*. 173. E. usque ad 177. C. *Consueti ritus ordinationis, consecrationisque Patriarchæ Constantinopolitani, quum electus episcopus non est, & quorumdam eorum mysticæ rationes*. 177. C. usque ad 183. A. *De Patriarchis*. 183. A. ad 185. B. *De episcopis, & ordinationibus & promotionibus omnis generis ecclesiasticorum*. 185. C. ad 189. E. *De officio episcoporum, presbyterorum, diaconorum, & in genere omnium ecclesiasticorum & monachorum*. 189. E. ad 193. B. Tandem *de judiciorum ordine*. 193. B. C. D.

Episcopi falso adscripti ecclesiæ Byzantinæ.

I. S. Andreas Apostolus, ejus conditor.
II. Stachys.
III. Onesimus.
IV. Polycarpus I.
V. Plutarchus.
VI. Sedecion.
VII. Diogenes.
VIII. Eleutherius.
IX. Felix.
X. Polycarpus II.
XI. Athenodorus.
XII. Euzoïus.
XIII. Laurentius.
XIV. Alypius.
XV. Pertinax.
XVI. Olympianus.
XVII. Marcus.
XVIII. Cyrillianus.
XIX. Castinus.
XX. Titus.
XXI. Domitius.
XXII. Probus.
XXIII. Metrophanes.

Hæc series illo nullius fidei scriptore Græco prodiit qui Dorothei episcopi Tyri & Martyris assumpta larva *synopsim* edidit *de vita & morte tam prophetarum quam apostolorum Christi*. Eo autem fine seriem istam excogitasse videtur auctor iste, ut suaderet ecclesiam Byzantinam inter apostolicas habendam, utpote à sancto Andrea fundatam, ipsaque Romana esse antiquiorem. Hic 23. episcoporum catalogus habetur Græce & Latine. *197*. A. *usque ad 205*. B. cui subjungitur

Altera Præsulum Byzantinorum & Patriarcharum omnium ecclesiæ Constantinopoleos series, eo ordine quo sederunt.

Simeon Logotheta, vulgo *Metaphrastes* dictus, sæculi X. scriptor, alteram Byzantinorum antistitum seriem subministrat in annalibus suis, ex quibus Georgius Cedrenus historiam suam concinnavit usque ad præfatum illud sæculum. In ea autem occurrunt

I. Philadelphus, qui quum simplex presbyter 20. & amplius annos ecclesiam Byzantinam rexisset sub Heracleensi metropolita, ab ipso ordinatus primus ejusdem episcopus fuit, Severo ac filio ejus Antonino Caracalla Imperatoribus, ac subinde circa annum 210. aut 211. eam vero tribus annis gubernavit ut præsul. *col. 205*. B.

II. Eugenius, qui huic ecclesiæ præfuit 25. annis à tertio Gordiani Imperatoris anno, Christi circiter 240. sive aliquandiu post Philadelphi obitum sedes Byzantina vacaverit, sive chronologia Metaphrastis non sit admodum accurata. *205*. D.

III. Rufinus, qui Numeriano Imperatore sedit annos 9. ab anno nimirum circiter 282. aut 283. *206*. B.

IV. Metrophanes, qui sedebat ante quam Arius hæresim suam Alexandriæ proderet. Hunc Theophanes, Chronicon Paschale, & auctor quidam Latinus operis de rebus ab Agapeto Papa Constantinopoli anno 536. gestis, quod citat Baronius, primum aiunt fuisse Byzantinum episcopum. *ibid*. D.

V. S. Alexander, ad quem alter ejusdem nominis præsul Alexandrinus epistolam scripsit de condemnatione Arii. Interfuit synodo Nicænæ: obiit vero anno 340. quum sedisset 23. annis. *ibid. & seqq.*

VI. S. Paulus I. qui ter à Constantio ob fidem Catholicam sede pulsus, & toties restitutus, Martyr tandem Cucusi obiit anno 350. ab Arianis strangulatus. *208*. D. *& 209*. B. C.

VII. Eusebius, Nicomediensis præsul sedem Byzantinam invasit anno ipso 340. Paulo prima vice dejecto. Adfuit anno sequenti synodo Antiochenæ, diemque clausit extremum eodem anno 341. vel 342. *209*. E.

IX. Macedonius I. pulso iterum Paulo, quem Catholici suæ sedi restituerant, in ejus locum subrogatus est ab Arianis anno 341. aut 342. Sed Paulo sedem recuperante Julii Papæ litteris, & rursus synodi Sardicensis decreto an. 347. huic tertia vice in exilium amandato anno 351. substituerunt iterum Macedonium Ariani. Eum tamen anno 360. ipsimet deposuerunt in conciliabulo Constantinopolitano. *209*. B.

XII. Eudoxius Macedonio suffectus est anno 360. mense Januario. Obiit anno 370. *210*. A.

XIII. Evagrius, à Catholicis urbis regiæ in præsulem electus, consecratus dicitur à S. Eustathio Antiocheno Patriarcha, qui Constantinopoli, ab exilio revocatus sub Joviano Imperatore, clam morabatur. (probabilius tamen obierat ille ante annum 361.) At Ariani interim Demophilum Berrhoeæ Thraciæ episcopum, sibi præfecerunt: Evagrium vero & Eustathium (quisquis ille fuerit) ex urbe curaverunt à Valente Imperatore ejici. *210*. E.

XIV. Demophilus itaque sedis Constantinopolitanæ solus possessor remansit, in ea confirmatus à præfato Valente

unam cum Monothelitis, & duas naturales cum orthodoxis. Obiit an. *666. 231.* A. B.

XLVII. Thomas II. electus post sedis vacationem per *6.* menses & amplius, præfuit duobus annis & mensibus fere *7.* ab anno nimirum *667.* die *17.* Aprilis usque ad annum *669.* die *15.* Novembris, quo vivere desiit. *231.* C. D.

XLVIII. Joannes V. anno *669.* assumptus, obiit anno circiter *674. ibid.* D.

XLIV. Constantinus I. annos duos & tres menses sedit. *231.* E. Hunc dejectum esse à Constantino Pogonato tres catalogi affirmant, testibus doctissimis Bollandianis initio *tom. 1. Aug. p. 84.* * *n. 477.* C. Id probabiliter contigerit anno *676.* At quamvis præfatus Imperator anno *678.* die *13.* Aug. Domno Papæ scribens asserat Theodori Patriarchæ Constantinopolitani prædecessorum litteras synodicas à Romanis Pontificibus admissas non fuisse, tres tamen modo recensitos, Thomam, Joannem & Constantinum, hæresi non fuisse labefactatos colligitur ex judicio Patrum synodi VI. generalis, qui, apud Labbeum *tom. 6. col. 995.* lectis eorum epistolis, nihil detegentes *contrarium*, inquiunt, *de orthodoxa fide illos sensisse sive scripsisse,* (eosdem) *sanctæ memoriæ tres viros .... in sacris diptychis sanctarum ecclesiarum recitari jubent, utpote qui in omnibus immaculati & irreprehensibiles inventi sunt circa rectam nostram Christianorum fidem.* Hæc iidem Bollandiani *pag. 82.* * *n. 468.* F.

L. Theodorus I. anno *676.* promotus, & à Tarasio, ejusdem sedis Patriarcha, inter orthodoxos habitus qui ecclesiæ Constantinopolitanæ præfuerunt, depositus est anno *678.* deinde restitutus anno *683.* obiit anno *686. 232.* A. & *233.* B.

LI. Georgius I. Theodoro amoto subrogatus anno *678.* labente, interfuit anno *680.* sextæ synodo generali, cujus & actis subscripsit. Fatis functus est anno *983. 232.* E.

LIII. Paulus III. Theodorum excepit anno *686.* subscriptusque legitur canonibus synodi Quini-sextæ an. *692.* Eodem anno aut sequenti obiit. *233.* C.

LIV. Callinicus I. sedit ab anno *692.* aut *693.* usque ad annum *705.* quo à Justiniano II. Imperatore destitutus, Romam effossis oculis relegatus est, quia Leontio tyranno faverat, qui Justinianum naso minutum in exilium jusserat deportari. *ibid.* D.

LV. Cyrus Callinico suffectus anno *705.* patriarchatu dejectus est anno *711.* aut *712.* à Philippico Imperatore. Præfuit posteà cœnobio Choræ, ex quo assumptus fuerat. *234.* C. D.

LVI. Joannes VI. ad sedem urbis regiæ anno *711.* vel *712.* promotus à Philippico præfato, qui synodum VI. generalem proscribi omnimodo satagebat, ne nimis eum exasperaret, ipse cum Germano Cyzici, Andrea Cretæ, nonnullisque aliis viris apprime orthodoxis, ad tempus cedendum nonnihil putarunt. Sed Philippico detruso, ejusque in locum inaugurato Artelmio seu Anastasio, statim litteras scripsit anno *713.* ad Constantinum Papam, quibus factum excusare conabatur, exprimebat dolorem, veniam enixe postulabat, ac sedis apostolicæ requirebat communionem. Obiit anno *715. ibid.* E.

LVII. Germanus I. ex episcopo Cyzici Patriarcha factus an. *715.* die *11.* Aug. præfuit huic ecclesiæ annos *14.* & aliquot menses: sed quum Leo Isaurus in sacras imagines bellum indicere cœpisset, nec valeret eum à proposito revocare, sedem suam dimisit anno *730.* die *22.* Januarii, & in paternas ædes sese recipiens jam *95.* annos natus, ibi reliquum vitæ in silentio transegit. *235.* E.

LVIII. Anastasius I. Germani olim discipulus, illi suffectus est anno *730.* in sede Constantinopolitana. Leoni morem gessit adversus sacras imagines. Obiit anno *753. 237.* A. B.

LIX. Constantinus II. in synodo *338.* episcoporum, quam adversus sacras imagines Constantinus Copronymus convocaverat an. *754.* renuntiatus est Patriarcha ab eo Imperatore, cujus tamen posthac, licet Iconoclasta, sic incurrit odium, ut anno *766.* depositus & in exilium trusus, ejusdem jussu anno sequenti die *6.* Octobris capite fuerit mulctatus. *ibid.* E.

LX. Nicetas I. Constantino anno *766.* Copronymi decreto Imperatoris, cujus impietati obsecundabat, substitutus, obiit anno *780.* die *6.* Febr. *238.* D.

LXI. Paulus IV. an. *780.* die *20.* Febr. in quam incidebat Dominica secunda Quadrag. ad sedem patriarchalem evectus, hæresim Iconoclastarum palam improbare non audens, molestissime tamen ferens suam ecclesiam sedium patriarchalium communionis esse extorrem, abdicata dignitate in monasterium secessit, ubi pie vitam finivit anno *784.* ineunte Septemb. *239.* A. B.

LXII. Tarasius ex laïco ad patriarchatum promotus, & die *25.* Decemb. ejusdem anni *784.* consecratus, synodum septimam generalem pro restitutione sacrarum imaginum haberi curavit, quæ anno *787.* Nicææ celebrata est. Obiit anno *806.* die *25.* Febr. *ibid.* D.

LXIII. Nicephorus eodem anno *806.* die *12.* Aprilis in Patriarcham electus, sedit annos *9.* non tamen integros. In exilium pulsus à Leone Armeno, cujus impietati pro viribus restiterat, anno *815.* die *13.* Martii. Obiit anno *829. 240.* E. *usque ad 242.* C. in qua *pro* anno *816. lin. 4. legendum est 815.*

LXIV. Theodotus Nicephoro suffectus est anno *815.* die *1.* Aprilis. Is convocata synodo Patres VI. synodi generalis anathemate feriit. Obiit anno *821. 242.* C.

LXV. Antonius I. cognomento *Byrsodepsas*, eodem anno renuntiatus Patriarcha, obiit anno *832. 243.* A.

LXVI. Joannes VII. *sive* Jannes, à Theophilo Imperatore Antonio suffectus est, & die *21.* Aprilis anni *832.* consecratus. Hunc mortuo Theophilo, Theodora ejus vidua in sacras imagines recte affecta, è patriarchatu dimovit, & in Clidii monasterium in Steno relegavit anno *842. ibid.* B. C.

LXVII. Methodius I. eodem anno *842.* die *12.* Febr. throno urbis regiæ impositus, sacris imaginibus honorem restitui coacta synodo curavit. Obiit an. *846.* die *14.* Junii. *244.* C. D.

LXVIII. Sanctus Ignatius reluctans Patriarcha renuntiatus an. *846.* die *4.* Jul. multa cum laude sedit usque ad annum *857.* quo die *23.* Novembr. in Terebynthi insulæ monasterium deportatus est jussu Michaëlis Imperatoris. Ejus autem ecclesiam occupavit Photius, & rexit usque ad annum *867.* die *25.* Septembris. At Basilius Macedo, qui pridie Imperii habenas capessiverat, Photium ejecit Constantinopoli, & in cœnobium Scopen relegavit; accersitumque Ignatium suæ sedi restituit die *23.* Novemb. convocata anno *869.* synodus VIII. generalis, quæ de utriusque præsulis causa cognosceret, litem adjudicavit Ignatio, qui obiit anno *877.* die *23.* Octob. *245.* B. C. *247.* E. & *248.* B. ubi *lin. 17. pro* anno *864. legendum est* anno *869.*

LXIX. Photius itaque consecratus primum Patriarcha an. *857.* die *25.* Decembris, synodum habuit anno *859.* in qua Ignatium exauctoravit quasi contra canones promotum, alteram quoque anno *861.* celebravit: tertiam demum, in qua Nicolaum I. Romanum Pontificem anathemate percutere ausus fuit. Ignatio autem anno *867.* restituto, sic ipse quibusdam posteà annis in Basilii Imperatoris gratiam fraudibus irrepsit, ut ab exilio revocatus, solium etiam patriarchale tertio die ab Ignatii obitu iterum conscenderit die *26.* Octob. anni *877.* Ejus pariter artibus delusus Joannes VIII. Papa consensit ut generalis synodus cogeretur, in qua ille petita venia eorum quæ perpetrarat, catholicæ communionis particeps fieret. Celebrata est anno *879.* synodus illa, & ipsum fuisse injuste depositum pronuntiavit. Hanc synodum posteà Joannes Papa reprobavit, suosque in ea legatos debitis punivit censuris. Photius autem post mortem Basilii à Leone Sapiente ejus filio in monasterium Armeniacorum amandatus est anno *886.* ubi diem extremum clausit circa annum *891. 246.* C. & *248.* D.

LXXII. Stephanus I. Leonis Imperatoris frater Photio subrogatus anno *886.* quum laudabiliter sedisset *6.* annis & aliquot mensibus, obiit an. *893.* mense Maio. *249.* C.

LXXIII. Antonius II. cognomento *Cauleas*, anno *893.* assumptus, obiit anno *895.* die *12.* Febr. *250.* C.

LXXIV. Nicolaus I. *Mysticus* dictus, eodem anno promotus, gravissimas lites habuit cum Leone Imperatore ob matrimonium ejus quartum cum Zoe. Hinc ejectus est pontificatu anno *906.* & in Hieriam insulam deportatus: suæ sedi tamen restitutus est de consensu Leonis ad mortem decumbentis anno *911.* obiit vero an. *925.* die *15.* Maii. *250.* D. E. ubi *lin. 3. pro* anno *20. legendum est* 10. & *251.* E.

LXXV. Euthymius I. Nicolao suffectus anno *906.* sedit usque ad obitum Leonis anno *911.* quo in Stenum relegatus est ab Alexandro, Leonis fratre, Imperii moderatore, & Nicolaus suæ dignitati restitutus. *251.* C.

LXXVII. Stephanus II. Nicolao mortuo successit anno *925.* mense Augusto. Obiit

anni 1267. huic autem dignitati nuntium remisit præfato anno 1267. die 14. Septemb. *284.* A.

CXXIII. Joseph I. exeunte anno 1267. in Patriarcham electus, & die 1. Jan. anni sequentis consecratus, palatium deseruit anno 1274. die 11. Jan. eo quod unioni Græcorum cum Romana & Occidentali ecclesia eo anno in concilio Lugdunensi agitandæ non patrocinaretur. Anno sequenti successor illi datus est Joannes Beccus: Verum mortuo Michaële Palæologo Imperatore die 11. Decemb. anni 1282. & filio ejus Andronico ad schisma instaurandum propenso, restitutus est Joseph die 30. aut 31. Decembris, & anno sequente 1283. obiit ineunte Martio. *284.* E. *& 288.* C. D.

CXXIV. Joannes XI. *Beccus* sive *Veccus,* lectis sincero animo Nicephori Blemmidæ scriptis adversus schisma Græcorum, illud deposuit, multa deinde usque ad obitum passus ob fidei Romanæ defensionem. Josepho substitutus est an. 1275. die 26. Maii, & die 2. Junii consecratus. Præfuit vero usque ad diem 26. Decembris anni 1282. quo sub Andronico Imperatore dignitatem suam abdicavit. Obiit demum anno 1288. sub finem Mart. *286.* A. sed *col. 288.* B. *lin. 17. pro* Julii *legendum est* Junii.

CXXVI. Gregorius II. *Cyprius,* dictus *Georgius* à Gregora, serviens tempori schisma amplexus est, & Joanni Becco suffectus anno 1283. die 11. Aprilis, post sex annos, exigente Imperatore libellum cessionis suæ dedit circa mensem Junium anno 1289. *288.* E.

CXXVII. Athanasius I. electus eodem anno 1289. die 14. Octobris. Cessit post 4. annos die 16. Octobris anni 1293. anno autem 1303. die 23. Junii sedem suam recuperavit, quam iterum abdicavit anno 1311. *290.* B. C. ubi *lin. 30.* E. *pro* triennio *legendum est* quadriennio. *& 294.* A.

CXXVIII. Joannes XII. *Cosmas Sozopolitanus,* Athanasio prima vice abdicanti substitutus anno 1294. ineunte, sedem deseruit anno (1303. die 21. Junii, juxta Bollandistas initio *tom. 1. Aug. p. 172.* * n. 1036.* B. vel anno) 1304. die 21. Augusti. *291.* B.

CXXX. Niphon I. post biennium sedis vacantis ab anno 1311. quo secunda vice hanc Athanasius dimiserat, renuntiatus Patriarcha, anno subinde 1313. ad ordinem redactus est an. 1315. *295.* B.

CXXXI. Joannes XIII. *Glycys,* electus an. 1316. abdicavit die 11. Maii anni 1320. ex Gregora, & in monasterium se recepit. *295.* D.

Theodorus Metochita, à Raynaldo *t. 15. annal.* ad annum 1311. *n. 73.* inter Joannem Glycym & Gerasimum I. recensitus, ecclesiæ Constantinopolitanæ reipsa nunquam præfuit. Vide *histor. chronol.* hujusmodi *Patriarcharum* apud doctissimos Bollandistas initio *tom. 1. Augusti, p.* * 175. col. 1. n. 1053.* qui etiam observant *p. 176.* * col. 1. num. 1059.* perperam ab eodem Raynaldo subjunctum Gerasimo abdicare coacto & repetere monasterium Esaïam successisse, quippe quum Gregora teste oculato constet Gerasimum hunc in patriarchatu mortuum. Itaque

CXXXII. Gerasimus I. Joannem Glycym immediate excepit anno 1320. Obiit vero anno sequenti 1321. die 20. April. *296.* B. C. In catalogo Labbeano dicitur Gerasimus sedisse anno uno completo & amplius, quod verum non est si decessor ejus dignitatem suam die solum 11. Maii anni præcedentis dimisit.

CXXXIII. Esaïas, quum sedes vacasset duobus annis, septem mensibus & diebus 11. hanc conscendit anno 1323. die 30. Novembris. Obiit anno circiter 1333. *ibid.* D.

CXXXIV. Joannes XIV. *Aprenus,* eodem anno 1333. promotus, ejectus est patriarchatu mense Februario anni 1347. *297.* D.

CXXXV. Isidorus I. *Bouchiras,* renunciatus anno 1347. sedit annos duos & aliquot menses, mortuus anno 1349. *301.* A.

CXXXVI. Callistus I. anno 1350. evectus ad sedem patriarchalem urbis regiæ, ab eadem dejectus est anno 1354. restitutus deinde anno 1355. aut 1356. Obiit an. 1362. *ibid.* E. *& 303.* B. C.

CXXXVII. Philotheus anno 1354. Callisto amoto subrogatus est, sed quum iram Joannis Palæologi veritus sedem deseruisset an. 1355. hanc recuperavit Callistus, cui defuncto iterum successit ille anno 1362. obiit vero an. 1376. *302.* E. *& 303.* D. E.

CXXXIX. Macarius sedit duos annos, menses septem, & dies quindecim: obiit subinde an. 1378. aut 1379. *303.* E.

CXL. Nilus annos octo præfuit, mortuus anno circiter 1387. *304.* A.

CXLI. Antonius IV. annos pariter octo sedit, & obiit anno 1395. aut 1396. *ibid.* E.

CXLII. Callistus II. *Xantopulus,* tres tantum menses ecclesiam Constantinopolitanam rexit, anno 1395. aut 1396. mortuus. *305.* A.

CXLIII. Matthæus I. ante mensem Septembrem anno 1398. sedebat, (ex instrumento quod citant Bollandiani initio *tom. 1. Aug. pag. 183.* * n. 1107.* E. F.) obiit anno susceptæ administrationis XIII. Christi circiter 1410. *ibid.* C.

CXLIV. Euthymius II. præfuit quinque annos & totidem menses, obiit vero anno 1416. *305.* E.

CXLV. Joseph II. promotus anno 1416. die 21. Maii, interfuit concilio Florentino, ubi moriens anno 1439. die 9. Junii, scriptum eo ipso die reliquit quo sarciendæ unioni consentiebat. Sepultus est Florentiæ in templo sanctæ Mariæ Novellæ Ord. Præd. *306.* B.

CXLVI. Metrophanes II. post reditum Imperatoris Græci Constantinopolim, electus est Patriarcha anno 1440. die 4. Maii. Unioni addictissimus fuit, proptereaque Græcis schismaticis valde exosus. Obiit anno 1443. die 1. Aug. *308.* C. ubi *lin. 2.* C. *pro* 1441. *legendum est* 1440.

CXLVII. Gregorius III. *Mamma & Melissenus* cognominatus, post longam sedis vacationem evectus est ad sedem urbis regiæ anno 1445. medio, & sedit usque ad annum 1451. quo dimissa dignitate mense Augusto, Romam se contulit, ibique concessit fatis anno 1459. *309.* C. D.

CXLVIII. Gennadius II. qui & *Georgius Scholarius,* post captam à Mahomete II. anno 1453. Constantinopolim, quum à Gregorii III. recessu vacasset sedes, more solito electus est, & consecratus eo anno de Sultani consensu, qui & ea præstitit in inthronizatione ipsius quæ Imperatores Græci solebant. Is ad schisma Græcorum reversus est, quod in synodo Florentina deposuerat. Dignitate posthac dimissa in monasterium Prodromi se recepit fortassis ante mensem Septembrem anni 1457. ibique obiit, incertum quo anno. *146.* D. *& 312.* B. C.

CXLIX. Isidorus II. Gennadio suffectus, brevi sedit. *314.* D.

CL. Joasaphus I. cognomento *Cusas* vel *Coccas,* Isidori successor, à Sultano in exilium pulsus est an. 1460. *ibid.* E.

CLI. Marcus I. *Xilocarabes,* ab ipsis Græcis dejectus est de Sultani consensu, cui mille aureos solverunt. *315.* A.

CLII. Symeon *Trapezuntius,* quem Græci Marco subrogarant, sede posteà pulsus est à Sultano, eique suffectus Dionysius, quo abdicante, & Marco I. rejecto, hanc recuperavit Symeon solutis Turcico fisco bis mille aureis, sed illum tribus exinde annis Sultanus iterum solio patriarchali deturbavit. *315.* B. C. *& 316.* B. C.

CLIII. Dionysius I. Symeoni primum ejecto substitutus, sedit octo annos, & dignitate dimissa, Deiparæ Cosinitzæ monasterium adiit. Restitutus dein post Niphonem II. iterum abdicavit. *315.* E. *& 318.* A.

CLIV. Marcus II. *Eugenicus,* Dionysio primum recedenti suffectus, quum susceptæ circumcisionis accusaretur, licet crimen istud coram synodo diluerit, destitutus nihilominus fuit, & Symeon restitutus. *316.* A. Hunc Marcum alium non fuisse ab *Ephesino,* diu anteà mortuo, & nunquam Patriarcha Constantinopolitano, censuerunt, ideoque expunxerunt Patriarcharum catalogo doctissimi Bollandistæ initio *t. 1. August. pag. 201.* * nn. 1215. & 1216.* B. C.

CLVI. Raphaël I. *Servius,* Symeoni iterum dejecto suffectus, in carcerem à Turcis conjectus est, quod promissum tributum non solveret; posteà mendicare permissus injecta ejus collo catena, non multo post obiit. *316.* C. D.

CLVII. Maximus II. *Manuël* in locum Raphaëlis post ejus mortem cooptatus, sedit annos sex. Ejus tempore obiit Mahometus II. anno (non 1480. sed) 1481. die 3. Maii. *ibid.* E.

CLVIII. Niphon II. à Bazajete Sultano ejectus, deinde post Maximum III. restitutus, iterum exilio mulctatus est. Sedebat anno 1492. *317.* C. D. *& 318.* C.

CLX. Maximus III. *Manasses,* Dionysio ad suum monasterium Cosinitzæ iterum reverso subrogatus, sex annos sedit, deinde patriarchali throno dejectus est. *318.* B.

CLXII. Joachim, Niphonis II. denuo pulsi successor, à Bazajete pariter exauctoratus est, & posteà restitutus. *ibid.* E. *& 319.* C.

CLXIII. Pachomius I. Niphone II. qui in Valachia morabatur post secundam

PATRIARCHATUS CONSTANTINOPOLITANUS.

In hoc Tomo I. recenſentur magnæ diœceſes *Pontica*, *Aſiana*, & *Thracica*, patriarchatui Conſtantinopolitano ſubditæ, quarum provincias & eccleſias, ſub ſpecialibus illarum diœceſum titulis, majoris claritatis gratia, ſeorſim & ordine alphabetico exhibemus. Itaque

DIŒCESIS PONTICA.

Pontica diœceſis inde nomen habuit quod omni illa regione conſtaret, quæ *Pontus* dicebatur, ad Euxinum mare poſita, à Boſphoro ad Colchos uſque, in qua numerabantur Bithynia, Paphlagonia, Helenopontus, & Polemoniacus Pontus. Facta enim nova à Conſtantino Magno & ejus filio Conſtantio Orientalis Imperii diviſione, *Pontica diœceſis* inſtituta eſt, cui aſſignatæ provinciæ fuerunt Galatia, Bithynia, Cappadocia, Armenia minor, Pontus uterque, & Paphlagonia. Secta ſubinde ſtatim in provincias duas Cappadocia fuit; in duas

duas etiam Armenia minor; sed & posthac avulsa Honorias à Paphlagonia: in duas quoque partitæ tum Galatia, tum Bithynia. *col.* 351. *n.* 1. A. B. Sed & Cappadocia secunda in duas rursus divisa est à Justiniano Imperatore, in secundam scilicet & tertiam. 407. 408. Extant itaque sequentes provinciæ tredecim in diœcesi Pontica: Cappadocia prima, Cappadocia secunda, Cappadocia tertia, Armenia prima, Armenia secunda, Galatia prima, Galatia secunda, Pontus Polemoniacus, Helenopontus, Paphlagonia, Honorias, Bithynia prima, & Bithynia secunda.

Pontica diœcesis tota *Cæsaream*, Cappadociæ primæ metropolim, pro capite habuit, sed, ut videtur, nonnisi post Constantini Magni tempora, in cujus dispositione *Cappadocia* tertium duntaxat locum provinciarum Ponti obtinet, ipsi præmissis *Galatia* & *Bithynia*. 354. *n.* 7. D. Porro Cæsareæ præsul, quum se Patriarchæ Constantinopolitano ægre tandem subjecisset exeunte sæculo v. ab illo Patriarcha consecutus est ut sua Pontica diœcesis præiret Asianæ, & Cæsarea Epheso; primus quoque ipse metropolitarum sedi Constantinopolitanæ deditorum esset: hinc Πρωτόθρονος Græcè dictus Patriarchæ, ac *excellentissimi excellentissimorum*, & *exarchi Ponticæ diœcesis* vanis titulis ornatus. 364. *num.* 26. D. E.

Series tredecim provinciarum diœcesis Ponticæ, ordine alphabetico.

Armenia prima, de qua hîc sermo, *Armenia minor* est cis Euphratem sita, qui ipsam ab Armenia majore dirimit. Hæc, quum ante Christum natum propriis dynastis suis paruisset, Dejotaro rege defuncto, Romani portio Imperii provinciaque facta est: deinde in duas provincias secta, quarum posterior Ponto seu Cappadociæ Ponticæ attributa fuit sub *Sebaste* sive *Sebastea* metropoli. Justinianus Imp. *Novella sua* XXXI. ex duabus Armeniis quatuor confecit: *Primæ* quidem sive interiori caput assignavit urbem *Bazanem* sive *Leontopolim*: *Secundæ* vero, quæ prius dicebatur *prima*, *Sebasten*: *Tertiæ* autem *Melitenen*: *Quartæ* demum, quæ antea in forma provinciæ non erat, sed è multis gentibus collecta est, urbem *Martyropolim*. 419. 420. Porro in Armenia prima *Celzene* sive *Justinianopolis*, & *Camache*, urbes suffraganeæ *Sebastes*, ad dignitatem archiepiscopalem posteà evectæ sunt. 435. 436.

Armenia secunda metropolim habuit *Melitenen*, sic dicta quod milites stationarii in ea regione non procul à fluvio Euphrate degentes ibi commemorari solerent. Hæc Armenia secunda à Justiniano Imperatore appellata est tertia, sed sub eadem metropoli, ex præfata ejus *Novella* XXXI. 439. 440.

Bithynia prima post divisionem unius Bithyniæ in duas provincias factam à Valentiniano & Valente Imperatoribus sæculo IV. Nicomediam, prius totius Bithyniæ metropolim, in suam specialem accepit. 581. 582.

Bithynia secunda constituta est sub Nicæa metropoli, sic tamen, ut Nicomediensis præsul in utraque Bithynia ordinationes conficere pergeret, quod etiam statutum est in concilio Chalcedonensi. 639. 640. Instituti plures sunt deinde in Bithyniis archiepiscopatus, nimirum in prima quidem, ante annum 869. *Cii*, 631. 632. Seculo XIII. *Prusæ*, 615. 616. & postmodum *Neocæsareæ*. 627. 628. In secunda vero *Apameæ ad Mæandrum*. 655. 656.

Cappadocia primùm una fuit, de qua hæc habet Strabo *lib.* 12. *geogr. p.* 554. *edit. Casaub. Cappadociam Persæ in duas diviserunt satrapias: eas ab his acceptas Macedones passi sunt in duo regna mutari.... eorum alterum proprie Cappadociam & Cappadociam ad Taurum, adeoque magnam Cappadociam nuncupaverunt: alterum Pontum sive Cappadociam Ponticam. Magnæ Cappadociæ antiquam constitutionem nunc ignoramus; mortuo enim ejus rege Archelao Cæsar decrevit ac senatus ut Romanorum ea esset provincia &c.* Notandum obiter vixisse Strabonem istum sub Tiberio Augusti successore, siquidem ipsemet ait in fine *lib.* 6. *p.* 288. D.... *nunquam Romanis, ut eorum sociis, tanta .... bonorum abundantia, quantam & Cæsar Augustus præbuit... & nunc præstat filius ejus ac successor Tiberius &c.* Cappadociam rursus in *primam* & *secundam* divisit Valens Imperator, *Cæsarea* autem, quæ prius totius Cappadociæ fuerat metropolis, solius Cappadociæ primæ caput esse perseveravit. 351. *n.* 2. C. ubi lin. 5. pro Strabone teste *lib.* 11. legendum est *lib.* 12. *item*, 367. 368.

Cappadocia secunda, ex præfata divisione, urbem *Tyana* neutro plurali anno 372. pro capite sortita est monti Tauro substratam. 361. *num.* 20. D. & 395. 396.

Cappadocia tertia à Justiniano Imperatore sæculo VI. constituta est, qui secundam in duas provincias secans, posteriori metropolim assignavit urbem *Mocesum*, ex ejus nomine dictam quoque *Justinianopolim*. Quia tamen synodus Chalcedonensis decreverat dispositionem provinciarum ecclesiasticarum nullatenus mutatum iri, nova civilium institutione, Mocesi sedes metropoliticis juribus necdum gaudebat sextæ synodi temporibus exeunte seculo VII. 407. 408. *Nazianzus* etiam, quæ in recentioribus notitiis Cappadociæ tertiæ attribuitur, in metropolim aucta est à Romano Diogene Imperatore sæculo XI. 411. 412.

Galatia, olim una, ampla illa Asiæ, Phrygiæ, Bithyniæ, Cappadociæ & Pamphyliæ affinis regio fuit, quam nostrates Galli seu Celtæ occupaverunt, *Galatia* inde & *Gallo-Græcia* nuncupata. Hæc quum tetrarchiis quatuor primum constaret, in provincias duas divisa est, quarum *prima* à proconsule administrabatur, *secunda* à præside: *Primæ* autem *Ancyra* perstitit esse metropolis, quæ totius antehac Galatiæ caput fuerat. 399. *n.* 16. C. D. & 455. 456.

Galatia secunda, factâ divisione Galatiæ in *primam* & *secundam* sub Theodosio Magno labente sæculo IV. pro metropoli *Pessinuntem* accepit. 489. 490. ex cujus suffraganeis *Germia* dignitate archiepiscopali aucta est, ut videtur, sæculo IX. 496. B.

Helenopontus, secto in duas provincias Ponto, hanc scilicet & Pontum Polemoniacum, sub Imperatore Constantino Magno, nomen istud ex Helena ejus matre sortitus est, & Amaseam, quæ totius Ponti antehac metropolis fuerat, suam specialiter habere perstitit. Justinianus quidem utrumque Pontum tredecim duntaxat urbes complectentem unam iterum provinciam fecit, sub nomine *Helenoponti*, sed nulla inde in statu ecclesiastico mutatione inducta. 521. 522. Pro *Helenoponto* Hellespontus *legitur* 525. C. 534. C. 536. A. 626. C. & 629. B.

Honorias provincia instituta est à Theodosio Juniore, in honorem patrui sui Honorii, filii Theodosii Magni, quum anteà regio hæc *Maryandinorum* diceretur & esset Bithyniæ, ex qua eam ipse avulsit, data illi in metropolim *Claudiopoli* civitate. Novam istam provinciam Justinianus Imperator *Novella sua* XXIX. Paphlagoniæ conjunxit, sic tamen ut nulla circa statum ecclesiasticum fieret mutatio. 567. 568. At Claudiopolis jura metropolitica in *Heracleam Ponti* postremis temporibus translata esse videntur. 571. 572.

Paphlagonia, Galatiæ pars olim sub Ancyra metropoli, posteà temporibus Constantini Magni instituta provincia Helenoponti, nonnihil deperdidit, sed rursus sub Justiniano Honoriade aucta est. Cæterum, ut veteris, sic & novæ Paphlagoniæ *Gangrorum* civitas metropolis fuit. 549. 550. In cujus provincia dignitate archiepiscopali ornatæ fuerunt sæculo VIII. quidem *Amastris*, 561. 562. ante annum vero 869. *Pompeïopolis*. 557. 558.

Pontus Polemoniacus, sic dictus à Polemone horum quondam tractuum rege, cujus filium cognominem Nero Imperator vectigalem fecit, Helenoponto ex eo avulso à Constantino Magno, *Neocæsaream* in metropolim accepit, cujus jura servata sunt, quum Justinianus Imperator hunc Pontum & Helenopontum in unam provinciam sub nomine Helenoponti reduxit. 499. 500. & 521. 522. *Trapezus*, una ejus civitatum, regionis Lazicæ in diœcesi Thracica ante annum 781. facta est metropolis. 509. 510. *Cerasus* quoque in ea provincia jure metropoleos aucta est ante sæculum XII. 513. 514. & 515. A. Idem quoque jus *Rhizæo* urbi collatum sæculo VIII. à S. Germano Patriarcha Constantinopolitano, sed ducentis posteà annis, Neocæsariensi metropolitæ sæculo X. iterum subjecta est. 505. E. A quibusdam tamen sæculis præsul ejus metropoliticis fulget honoribus. 517. 518.

Ecclesiæ præfatarum Provinciarum diœcesis Ponticæ, ordine alphabetico.

A

DIŒCESIS ASIANA.

Asia regio cis Halim & Taurum montem constituta, complectebatur ante Constantini Magni tempora, *Lydiam, Ioniam, Cariam, Mysiam majorem, Phrygiam & Hellespontum*: ex quibus plures aliæ provinciæ institutæ tum à præfato Constantino, tum ab ejus successoribus, adeo ut sub Constantio ejus filio decem numerarentur, teste sancto Hilario *libro de synodis, n. 63.* undecim sub Theodosio Magno, demum duodecim sub Theodosio Juniore, scilicet *Asia, Lydia, Caria, Hellespontus, Phrygia Pacatiana, Phrygia salutaris, Pamphylia prima, Pamphylia secunda, Pisidia, Lycaonia, Lycia,* & *Insulæ Cyclades. pag. 664. n. 8. & p. 665. nn. 8. & 9.* Harum regionum ecclesiis præerat sedes Ephesina, quæ post Romanam, Alexandrinam, Antiochenam, & Hierosolymitanam, quinta præcipua censebatur. *663. n. 1. & 665. n. 9.*

Canone 28. Chalcedonensi ordinationes metropolitarum magnæ diœcesis *Asianæ*, ut & Ponticæ & Thracicæ, sedi Constantinopolitanæ attributæ sunt, *pag. 666. num. 15. & seqq.* cui subjici se tandem passus est præsul Ephesinus, à Byzantinis Patriarchis ante annum 680. donatus titulo *exarchi Asianæ diœcesis. 668. nn. 23. & 24.* Etiamnum Ephesinus archiepiscopus *hypertinus*, id est excellentissimus, & *totius Asiæ exarchus* dicitur. *ibidem num. 25.*

Series duodecim Provinciarum diœcesis Asianæ, ordine alphabetico.

Asia, provincia particularis, totiusque diœcesis ejusdem nominis prima, 42. circiter complectebatur ecclesias, sub Epheso metropoli. *p. 663.* Cujus antistiti decursu temporis substractæ sunt factæ metropoles *Smyrna* ante annum 869. ei assignatis sedibus quinque, scilicet *Phocææ, Magnesiæ ad Sipylum, Clazomenarum, Archangeli, & Petræ, 737. 738. Hypepa* XII. sæculo, *693. 694. Pergamus* non multo post, *713. 714.* denique *Dioshieron* sive *Christopolis. 723. 724.*

Caria, Ægæo mari affinis, Lydiam inter & Lyciam, metropolim habuit *Aphrodisiadem* sive *Stauropolim, 899. 900.* cujus suffraganearum una *Miletus* ad dignitatem archiepiscopalem ante sæculum XII. evecta est. *917. 918.*

Cyclades

Ecclesiæ præfatarum Provinciarum diœcesis Asianæ, ordine alphabetico.

A

B

Imbrus,

T

Trotolycia,

Diœcesis Thracica.

Thracia, ampla regio, ante Severi Imperatoris tempora, subindeque sæculi II. finem, sex constabat provinciis, scilicet ea quæ *Thracia* proprie dicebatur, *Hæmimonto, Mœsia inferiori, Scythia, Rhodope*, & *Byzantio* sic procul dubio nominata à *Byzanto* una ex ejus urbibus. *col.* 1091. *n.* 2. C. Illarum autem provinciarum mutatus nonnihil ordo sub Constantino Imperatore sæculo IV. Quæ enim ultima *Byzantium*, hæc prima constituta est, dictaque *provincia Europæ*: Secunda vero *Thracia* fuit, tertia *Hæmimontus*, quarta *Rhodope*, quinta *Mœsia secunda*, sexta demum *Scythia*: ut fertur in Hierocis notitia sub Theodosio Juniore concinnata. 1092. *n.* 2. A.

Perinthus, quæ & *Heraclea*, quantumvis urbs esset celebris, non tamen videtur ante Constantini Magni ævum illarum fuisse sex provinciarum caput, *ibid. n.* 3. B. C. utpote ad provinciam *Byzantium* huc usque earum ultimam, pertinens, & nonnisi à Severo, qui Imperium anno 194. capessivit, præposita Byzanto ejusdem provinciæ urbi suis prærogativis spoliatæ, in odium Pescennii Nigri, cujus hæc partes adversus ipsum sequuta fuerat. Exinde enim Heraclea provinciæ Byzantii habita est potior civitas. Philippopolis itaque, provinciæ Thraciæ tunc omnium illarum primæ metropolis, toti regioni Thracicæ verisimilius præerat. 1093. *n.* 4. B. C.

Thracica porro diœcesis jam præfatis sex provinciis conflata erat sæculo IV. siquidem illius meminit anno 381. synodus generalis II. canone 2. *Perinthi* autem sive *Heracleæ*, metropolis provinciæ Byzantii tunc vero *Europæ* dictæ, & ex ultimo loco ad primum translatæ, regimini subdita fuit eadem diœcesis, donec hæc in ditionem venit Patriarchæ Constantinopolitani, canone præsertim 28. concilii Chalcedonensis. 1095. *n.* 8. B. Eo enim ipsi delatæ sunt ordinationes metropolitarum per diœceses Ponticam, Asianam, & Thracicam, quas prius administraverant Cæsariensis, Ephesinus, & Heracleensis antistites, in suis unusquisque provinciis. *ibid.* D. Quum etiam ipsi insuper eodem canone assignatæ essent ecclesiæ quæcunque apud barbaras gentes consisterent: hinc *Gotthia, Alania, Scythia minor*, & aliæ plures hujusmodi ad ejus curam pervenerunt. 1098. *n.* 14. E. 1099. *nn.* 14. 15. & 16.

Series Provinciarum diœcesis Thracicæ, & aliarum Patriarchæ Constantinopolitano quoquo modo obnoxiarum, ordine alphabetico.

Abasgia, regio Sarmatiæ Asiaticæ ab ora littorali Ponti Euxini recedens in ortum versus fontes Vardani fluvii, & separatur à Colchide regione ab occasu monte Caucaso. Incolæ nunc dicuntur *Abcassi* sive *Abbassi*, teste M. Anton. Baudrand, *t.* 1. *geogr. pag.* 3. *col.* 1. Ditionis fuit Lazorum hæc regio, religionem vero Christi suscepit tempore Justiniani Imperatoris sæculo VI. & exinde præsulem habuit cui sedes assignata est *Sebastopolis*, hodie *Syrmena*, in Lazorum Sagidarum ora ad Phasim fluvium, quam idem Imperator refecit, teste Procopio, & ad provinciam Ponti Polemoniaci voluit pertinere. In notitia veteri archiepiscopatus habetur, & metropolis in aliis recentioribus. 1351. 1352.

Alania, Lazorum regioni vicina, versus septentrionem: Ponticæ diœcesi attributa fuit, teste Zonara, ubi exponit quæ barbaricæ gentes canone 28. Chalcedonensi significentur: *Sunt*, inquit, *isti Alani & Russi, quorum illi quidem Ponticæ diœcesi adjacent, hi vero Thracicæ*. Scilicet regiones ultra Tanaïdem positæ Orientem versus recentiores accensuerunt Asiæ, ut proinde diœcesis Ponticæ juris essent, non Thracicæ: At Procopii ætate Europæ censebantur qui à dextris Phasidis fluvii degebant, Asiæ autem qui à sinistris. Alaniæ metropolis urbs est ejusdem nominis, collocata in notitia Leonis Imperatoris loco sexagesimo secundo. 1347. 1348. De ea enim legitur ad calcem *Codini de offic. p.* 402. *n.* 72. *Alaniæ metropolis post sexagesimum secundum locum ad septuagesimum quartum* (ad marg. LXXIII.) *evenit.*

Albania, *vide* Iberia.

Armenia major, habebat ad occasum Armeniam minorem sive primam, ad meridiem montem Taurum, quo à Mesopotamia secernebatur: ad ortum Mediam: & ad septentrionem Iberiæ fines. *Artaxata* sive *Artaxiasata* urbs ejus primaria, teste Strabone, olim fuit. In Armeniam fidem Christi invectam sancti Bartholomæi apostoli, necnon sancti Thaddæi unius ex septuaginta duobus discipulis prædicatione ferunt. Certe sæculo saltem III. Armenos ecclesiæ aggregatos colligitur ex Eusebio, qui scribit *lib.* 9. *hist. c.* 8. in eos sævitum à Maximino Imperatore quod Christiani essent. 1355. *n.* 8. E. Gregorius dictus *Illuminator*, primus illorum episcopus consecratus est à Leontio Cæsariensi, qui synodo Nicænæ interfuit, *Catholicus* appellatus, quasi *Procurator* esset aut *Vicarius generalis* illius metropolitæ. *ibid. num.* 7. B. Hi à sæculo VI. hæresi Monophysitarum infecti sunt. 1358. *n.* 13. A. & 1361. *num.* 19. D.

Tres porro Armenis illis præesse solent pro variis regionibus *Catholici*: unus quidem qui *Eschmiazinensis* denominatur: alter qui *Aghtamarensis*: tertius qui *Sisensis*. 1362. *n.* 22. E. Catholico priori fama est archiepiscopos quadraginta duos cum quatuor aut quinque episcopis subesse per orientem; secundo episcopos duntaxat octo aut novem, qui in monasteriis circa lacum Varasparcanum, & urbem Van commorantur: tertio demum duodecim archiepiscopos per Cappadociam, Ciliciam, Syriam, & Cyprum dispersos. Præterea antistites, Armenorum curam gerentes Hierosolymis & Constantinopoli, titulo Patriarcharum horum locorum gloriantur. *Patriarcha* pariter Armenorum per Russiam, Poloniam, vicinasque regiones nuncupatur præsul eorum, qui *Cameniaci* sedet. 1364. *nn.* 26. 27. & 28. & 1417. 1418.

Sæpe Armeni, & præsertim Sisenses, excitati à Pontificibus tum Romanis tum Byzantinis, ut ab hæresi discederent, visi sunt annuere, at non sincera aut saltem durabilis hæc fuit conversio; illorum tamen *Catholici* aliquot Romanæ communioni veraciter adhæsere. 1366. *n.* 32. A. & 1367. *n.* 33. B. C. Præcipui autem Armenorum errores præter Monophysismum sunt 1. Quod corpus mortale Christi fuisse assererent omnis corruptionis ac læsionis expers. 2. Quod unam duntaxat in Christo admitterent voluntatem. 3. Quod festa Annuntiationis & Natalis Christi seorsim ab Epiphania non colerent. 4. Quod agoniam Christi ex evangelio Lucæ sustulissent. 5. Quod in hymno trisagio SS. Trinitatem passam fuisse canerent. 6. Tandem quod aquam vino in Missæ sacrificio non infunderent. 1367. *n.* 34. D. E.

Uscanus episcopus Armenus præfatis tribus Catholicis seu Patriarchis suæ

Ecclesiæ præfatarum Provinciarum ad Thracicam diœcesim, sive Patriarchatum Constantinopolitanum utcunque pertinentium, ordine alphabetico.

A

B

T

quibusdam

INDEX

Præsulum Patriarchatus Constantinopolitani in hocce primo Volumine laudatorum, ordine alphabetico.

Abbreviationis gratia designamus his litteris D. P. *Diœcesim Ponticam.* D. A. *Asianam.* D. T. *Thracicam.*

Conſtantinus

Gregorius

Martyrius,


Proclianus,

INDEX

INDEX ALPHABETICUS

*Ecclesiarum Patriarchatûs Constantinopolitani in hocce primo Volumine comprehensarum, quarum Præsules, latentibus eorum nominibus, sub asteriscis *** laudati sunt suis locis.*

Finis Indicis.









216

ORIENS
CHRISTIAN

TOM I

170


calibrite
colorchecker CLASSIC